PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUORUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXVIII.

ANASTASII BIBLIOTHECARII TOMUS SECUNDUS.



EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Digitized by Google

Digitized by Google

SÆCULUM IX.

ANASTASII

ABBATIS,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTERI ET BIBLIOTHECARII,

OPERA OMNIA.

EDITIO PRÆ ALIIS OMNIBUS INSIGNIS,

AD FIDEM MANUSCRIPTORUM CODICUM
ET JUXTA PROBATISSIMAS EDITIONES EXPRESSA, BLANCHINI NEMPE ROMANO-VATICANAM, QUOAD LIBRUM PONTIFICALEM, MABILLONII, CARDINALIS MAII, ETC., ETC.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS SECUNDUS.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

VENEUNT 3 VOLUMINA 21 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Digitized by Google

ELENCHUS

RERUM QUÆ IN HOC TOMO CXXVIII CONTINENTUR.

ANASTASIUS ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER ET BIBLIOTHECARIUS.

Vitæ Romanorum pontificum (*continuatio*).	*Col.*	9
Appendix.		405
Vitæ Romanorum pontificum a B. Petro ad S. Paulum I, ex codice capituli Veronensis.		1405
Fragmentum Catalogi pontificalis in Vigilio desinens.		1423
Index locupletissimus ad Vitas Romanorum pontificum.		1425

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ANASTASII BIBLIOTHECARII

HISTORIÆ

DE VITIS ROMANORUM PONTIFICUM

CONTINUATIO.

(In variis lectionibus et notulis, ex margine editionis Fabrotti collectis * in licat codicem Velseri collatum cum Vaticano; B, lectiones ex cod. card. Baronii; B, ex ejusdem cardinalis sententia; C, ex Conciliis editis per Surium.)

XXXV. SANCTUS MARCUS.

ANNO CHRISTI 336, CONSTANTINI IMP. 31.

49 *Marcus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos duos,* menses octo [a], dies viginti. *Fuit* autem *temporibus Constantini, et Nepotiani,* ac Secundi [b] *consulum, ex die Kalendarum Februariarum, usque in diem Kalendarum Octobris. Hic constituit ut episcopus Ostiensis, qui consecrat* episcopum Urbis, *pallio* [c] *uteretur, et ab eodem episcopo urbis Romæ consecraretur,* et constitutum de omni ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit, et aliam in urbe Roma juxta [d] Pallacinis. Hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus basilicæ, quam [e] cœmeterium constituit via Ardeatina, fundum Rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos quadraginta. In basilica in urbe Roma obtulit hæc : patenam argenteam pensantem libras triginta. Amas argenteas duas, pensantes libras viginti. Scyphum argenteum unum pensantem libras decem. Calices ministeriales argenteos tres pensantes libras binas. Coronam argenteam pensantem libras decem. Fundum Antonianum via Claudia præstantem solidos triginta. Fundum [f] Vaccanas via Appia præstantem solidos quadraginta, et [g] trimisios duos. Fundum [h] Orrea via Ardeatina præstantem solidos quinquaginta quinque, et [i] trimisium unum. *Hic fecit ordinationes duas* [j] *per mensem Decembris, presbyteros viginti quinque, diaconos sex, episcopos per* diversa loca viginti septem. Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina,* [k] *secundo nonas Octobris, et cessavit episcopatus dies viginti.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Marcus menses octo, dies viginti. Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo consulibus, ex die XV Kalendas Februarias usque in diem Nonarum Octobrium, consulibus SS.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, minus d. 8. [b] *B*, Facundi. [c] Pallium. *Vide Baron ann Domini* 336 *in fine.* [d] *C*, palatinas. [e] *C*, deest [f] *CB*, Baccanas. [g] *C*, tremisses. [h] *C*, Morrea. [i] *C*, tremissem. [j] *Baron loc cit nullam putat fecisse* [k] *CB*, pridie.

VARIÆ LECTIONES

Apud Fabrottum extra marginem ex cod Freheri, A *primo,* B *secundo.*

Num 49, *lin* 5 *A B*, constitutum de omni Ecclesia. *lin* 9, *A B*, Rosarium. *lin* 13, *A*, coronam argenteam. *lin ead*, patenam argenteam. *lin* 14, *A B*, solidos 40. *lin* 14 et 15, *B*, Baccanum. *lin* 16, horrea. *lin* 17 *A B*, duas in urbe Roma *lin* 19, *A B*, via Ardeatina, quod ipse institutus fecit.

Ex cod Reg Maz et Thuan.

Lin 2, et Fecundi c. *ibid* Februarii. *lin* 5, et ab eodem episcopus u. R. c. constitutum de omnibus ecclesiasticis ordinibus fecit Basil 2 via Ard (*M.* id est, via S. Pauli) in qua sepultus est aliam in urbe R. juxta Palatinas (*M.* id est, prope Capitolium). Ex hujus suggestione Const A. obtulit basilicæ, q. cimit c. *lin* 10, in basilica quæ est in urbe obtulit hæc dona. Patenam arg. *lin* 11. vens sing lib 20. *lin* 13, cor arg. 1, pens. *lin* 14 Baccanas. *lin* 15, trimissos 2. Fundum marmoreum via Ard pr. sos et trimissum 1. *lin* 17. viginti octo. Qui. *lin*. 19. via Ard quem ipse insistens (*M*, qui i. i.) fecerat 2 Non Octobr.

Digitized by Google

Ex cod Thuano altero.

Lin b, de omni Ecclesiæ ordine fecit. *lin* 7, Palatinis ex hujus s. o. c. *A B*, quem cinuit. *lin* 9, Rosarium c. o. a. campestrorum. *lin* 14, Baccanas. *lin* 15, et trimisium. Hic fecit ordin 2 in urbe Roma p. m. Decembrem. *lin* 19, via Ard. quem ipse insistens fecit, sec Non.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin 2, *Flor* Facundi. *lin* 5 *Flor. deest* urbis. *lin ead. Cass* et *Flor* episcopus. *lin* 6, *lid cod* de omni Ecclesia ordinavit. *lin* 7, *Flor* Pallicinus, *al. ms.* Palatinus. *lin* 9 *Flor*, rosarium. *lin* 14, *Cass* Baccanum. *lin* 17, *Vat*, in urbe Roma. *lin* 19, *Flor Vat*, quod ipse insistens fecit pridie Nonas, etc.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 4. — *Hic constituit ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum Urbis, pallio uteretur, et ab eodem episcopus urbis Romæ consecraretur.* Pallium, quod est plenitudinis pontificalis officii insigne, de jure confertur tantum archiepiscopis, can 1 et seqq, 100 dist., cap 4 *de Elect.* Verum ex speciali gratia, etiam episcopis quibusdam indultum fuit a summis pontificibus, ut a Marco episcopo Ostiensi, propter consecrationem summi pontificis, quam habet ex antiqua consuetudine; Syagrio episcopo Augustodunensi a Gregorio, de quo ipse lib VII, epist 5 et aliis: unde manavit consuetudo, ut Ostiensis consecret summum pontificem, ut refert Robert. abbas in Suppl Sigeberti ad ann 1180. « Ostiensis episcopus ex antiqua consuetudine ordinat et sacrat pontificem Romanum, quæ consuetudo exinde accidit, quod martyrizato beato Sixto, et sancto Laurentio ejus diacono, beatus Justinus presbyter cum clero Romano elegit Dionysium in pontificem Romanum, quem sacravit Maximus Ostiensis episcopus: ex hac consuetudine exinde Ostiensis episcopus ordinat, et sacrat Romanum pontificem, et habet pallium solummodo ad ea, quæ pertinent in ordinatione et consecratione Romani pontificis. » Ejusdem ritus meminit Augustin in Brevic. collat diei 3, cap. 16. « Rom. pontifex solet ordinari a tribus episcopis, quorum primus est Ostiensis. » Anastas. in Joanne V: « Hic consecratus est a tribus episcopis, Ostiensi, Portuensi, Veliternensi, sicuti prædecessor ejus Leo papa. »

Linea 6. *Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit, et aliam in urbe Roma, juxta Pallacinis.* Tuenda est vulgaris lectio: male Baronius legit *Palatinas.* Pallacenis fuit nomen cloacæ Urbis quæ est juxta monasterium S. Laurentii martyris, cujus meminit Anastas. infra in Nicolao I: « Inde cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Laurentii martyris, quæ vocatur Pallacini. » Idem in Leone III: « Et in monasterio beati Laurentii martyris, qui appellatur Pallacini. » Idem in Benedicto III: « Inde autem Tyberis impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Sylvestri, et sancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. » Idem in Gregorio IV: « Fecit etiam in monasterio beatissimi martyris Christi Laurentii, quod dicitur Pallacinis, canistra de argento sex. » Eadem Palacenis dicta a Gregorio lib v, epist 44: « Tabernam in hac Urbe, quæ est posita juxta Palacenis. »

BINII ET LABBÆI.

Linea 4. — *Hic constituit ut episcopus Ostiensis.* Consuetudo illa, qua Ostiensis episcopus Romanum episcopum consecrare solet, hoc tempore antiquior esse videtur: nam Dionysius papa a Maximiano Ostiensi episcopo consecratus fuisse legitur. S. Augustin. in Breviculo collat. diei 3, cap 16, agens adversus Donatistas, hujus ritus tanquam vetustissimi meminit.

Linea 8. — *Pallio uteretur.* Pallium aliter canone 12 Cangrensis concilii, aliter hic accipitur. Ibi enim sumitur pro veste qua utebantur illi, qui vitam austeriorem monasticam professi, carni, et mundo renuntiaverant. Hic vero sumitur pro indumento, et insigni summi pontificis Romani, quo summus honor, et [illegible] ejus potestas significatur; quodque ab eodem metropolitanis episcopis aliquando ob causas arduas, et rationabiles impertiri solitum fuit. Hoc alias appellatur Phrygium, fortasse ideo, quod Phrygiorum opere crucibus contexi solet. Baron. anno 336, n. 63.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ.

Beato Marco, præter menses octo, et dies viginti unum episcopatus, annos quoque duos tribuunt cum picturis S. Pauli catalogi vetustiores, excepto Liberiano: nempe catalogus sub Felice Quarto, Cavensis, Farfensis, Lucensis, et Colbertini omnes, supra relati in Prolegomenis seriem Rom. pontif., necnon textus Bibliothecarii. Unicum tamen par consulum illi assignant tum catalogus Liberianus, tum ab illo proximus Felicis Quarti, et Bibliothecarius, et codex Ocriculensis quartus: quotquot scilicet apponunt notam consulatus. Sunt autem consules qui in Marci pontificatu exprimuntur *Nepotianus* et *Facundus*, qui annum signarunt æræ Christi communis 336.

His nempe consulibus electus pontifex Romanus diebus quindecim (tot enim numerat cum Bibliothecario catalogus Farfensis) a morte Silvestri decessoris, qui vitam clauserat supremo anni Romani die, et consulatus Constantii et Albini 31 Decembris æræ Christi 335 (ut in Silvestri notis Chronologicis jam ostendi): et apostolicæ sedi solemniter illatus die Dominica 18 Januarii Pascha unicum celebravit eodem consulatu Nepotiani et Facundi, quo nondum absoluto migravit in cœlum nonis Octobris. Quare anni duo pontificatus qui præcedunt, pertinent ad vicariatum ab ipso exercitum extrema in senectute Silvestri? cum necessitas adjumenti ad exercenda pontificalia munera per confectam illam Silvestri ætatem non minus exigerent vicarium in pace Ecclesiæ, quam exegissent constante persecutione sub decessoribus frequentia illa discrimina superius explicata in notis ad eorumdem vitas. Aliæ quoque causæ suaserunt Romanos pontifices hujus præsertim quarti a Christo sæculi, cui modo immoramur, ut vicarium in Urbe constituerent modo presbyterum, modo episcopum ad plures actus exercendos. Quare in Actis Liberii Damasus tunc presbyter dicitur adhibitus a Liberio vicarius. Quin etiam observare licet, eodem quarto sæculo procedente, usum quidem vicariorum fuisse prudenter adhibitum pro opportunitate in Romana Ecclesia; sed in pluribus Ecclesiis degenerasse in abusum; cum fuerit cohibendus per Nicænos canones, teste Augustino: a quo discemus epistola 110 etiam post illos canones multo ante conditos, sed a Valerio Hipponensi episcopo, et a se ignoratos, contra eorumdem legem constitutum se fuisse vicarium a Valerio *cum futura successione.* Unde facile comperimus, non modo usum legitimum vicarii fuisse in Ecclesiis compluribus frequentem, sed etiam in aliquibus descivisse in corruptelam assumendi vicarii cum pacto successionis. Hujusmodi corruptelam, et abusum designandi vicarios cum successione, Ecclesia Romana neque in se admisit, neque in cæteris approbavit. Legitimam vero usum vicarii, sive presbyteri, sive episcopi, prout pontifici liberet, citra jus futuræ successionis, adhibuit Romana Ecclesia eodem quarto sæculo, et subsequentibus retinuit: quemadmodum retinet ætate nostra providentissime, nulla cum fraude canonum, imo plurimo cum fructu, et

Digitized by Google

compendio ecclesiasticæ disciplinæ; cum eumdem adhibuisset sæculis quartum præcedentibus, imo et a primæva sua institutione a Petro apostolorum principe ejusdem exempla accepisset in Lino, Cleto, Clemente, uti suo loco explicuimus.

Si recedamus igitur in anteriora tempora ex die 7 Octobris anni 336 emortuali B. Marci per octo menses, et dies viginti unum, computatis extremis; epocha ejus *enthronismi* ad episcopatum Romanum cadet in diem Dominicam 18 Januarii, festum cathedræ Romanæ ejusdem anni 336, littera Dominicali D eam diem indicante. Ordinatus autem fuerit episcopus biennio ante, ut pontificalia munera exerceret sub Silvestro, sive ut alicui ex proximioribus Urbi ecclesiis præsideret, pridem fundatis, et paulo ante auctis basilica, et redditibus per Constantinum Maximum. Ordinationis diem in prædicta epocha indicatum si supponamus, erit illa dies Dominica 20 Januarii anni 334, ex qua licet anni duo, menses octo, dies decem et novem tantum fluant ad 7 Octobris 336, inclusis extremis, et die unica deficiat a summa in catalogo Liberiano, aliisque numerata dierum 20; attamen levis ista diminutio refundi potest in recursum diei electionis ad pontificatum Romanum, sive *enthronismi*, quam retulimus ad 18 Januarii anni 336, post biennium ferme solidum a sua ordinatione episcopali.

Hoc autem biennium episcopalis dignitatis, et vicarii in ea ministerii, colligitur ex catalogo ordinationum nobis præservato per Anastasium. Bis enim ordinationes habuisse legitur Marcus *mense Decembri*, quibus sacravit presbyteros viginti quinque, diaconos sex, episcopos per diversa loca viginti septem. Porro nullus mensis December efflaxit dum Petri cathedram tenuit Marcus, quem dicimus sive electum, sive in throno Romano collocatum die 18 Januarii 336, eodemque anno obiisse die 7 Octobris. Quas igitur ordinationes duas fecisse narratur in libro Pontificali mense Decembri, has oportet ab illo habitas in vita decessoris Silvestri, dum vices gereret muneris pontificii, ejusque jussu promoveret ad ordines præfatos, et ad episcopatum viros a Silvestro designatos. Crescente scilicet numero recentiorum sedium episcopalium, Constantini studio et beneficentia fundatarum, curaverit Silvester in Urbe exerceri diutius, et ad regimen animarum formari eos, quos primos in eisdem sedibus institueret episcopos, eosdemque ita formatos exemplis urbanis hic etiam initiari et ordinari per Vicarium in pontificio munere adjutorem, quando ipse ægritudinis, aut ætatis gravioris incommodo prohiberetur tot curis, et muneribus tempestive perfungi, et præsto esse, requirentibus senectam vividiorem.

Notæ historicæ.

Lin. 4. — *Constituit ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum Urbis, pallio uteretur.* Cardinalis Baronius hæc verba Bibliothecarii recensens ad annum 336, num. 63, observat, in Gestis pontificum Romanorum hic primum memorari *pallium* tanquam indicium summi honoris, et plenitudinis potestatis. « Primo autem, inquit, hic mentio in rebus gestis pontificum Romanorum habetur de pallio, summi honoris, et potestatis plenitudinis indice. Idemque dictum reperitur Phrygium, quod potissimum esset pontificis Romani insigne, ab eoque metropolitanis solitum aliquando impertiri. Collatum fuisse ejusmodi phrygium a Cœlestino Romano pontifice, Cyrillo episcopo Alexandrino, cum eidem vices suas delegaret, Græci testantur. Cur autem phrygium, quod crucibus intextum est, pallium appellaretur, cum veteris pallii forma longe esset diversa, et amplior (ut quæ superius dicta sunt tam in primo quam in secundo Annalium tomo satis docent), haud arbitror me rem penitus habere compertam : dicam tamen quæ conjectura suggesserit; atque in primis illud : Sicut olim in sacerdotio Hebræorum erat summi sacerdotis superhumerale insigne (*Exod.* xxviii) quod nefas esset aliquem aliorum sacerdotum vel pontificum indui, de quo etiam primo tomo sæpe locuti sumus; ita in Christianæ religionis sacerdotio genus illud indumenti, quod pallium dicimus, summi tantum pontificis cessit usui : ab eo tamen compluribus episcopis magna ex causa communicatum. Phrygium idem dictum, quod Phrygiorum opere crucibus intexi soleret.

« Quod vero inhæreret, dum pontifex sacra ageret, indumento illi, quod (ut primo tomo demonstratum est) pallii præ se ferebat imaginem, nos autem nunc planetam seu casulam dicimus : inde fortasse accidit, ut phrygium ipsum præcipuum sacerdotalis pallii ornamentum, inde pallium appellaretur : cum alioqui pallii nomine omne operimentum in rebus sacris significari soleret. Hinc est, quod vela oblata sanctæ cruci in ecclesia a Gregorio Turonensi episcopo erecta Venantius Fortunatus pallia appellat, quæ et ipsa crucum imaginibus essent contexta, ut ipse declarat his versibus :

> Denique sancta cruci hæc templa Gregorius offert,
> Pallia dum coperit signa gerenda crucis.
> Dona repente dedit divina potentia Christi;
> Mox fuit et voti causa secunda pii.
> Pallia non meruit, sunt quæ cruce textile puniebra,
> Obsequiisque suis crux habet alma cruces.
> Serica cui niveis agnata est bractea telis,
> Et textis crucibus magnificatur opus.
> Sic cito pontifici dedit hoc devota voluntas,
> Atque dicata cruci candida vela placent. »

Doctissimi cardinalis observationibus, et conjecturis tantam auctoritatem conciliant allata per ipsum documenta; ut supervacaneum videri possit nova illis addere firmamenta. Si quis tamen velit pleniora cognoscere tum e Baronii fontibus, tum aliunde collecta, adeat notas ad sectionem S. Cœlestini infra collectas, ubi erit pluribus disserendum de *pallio* per eumdem Cœlestinum transmisso ad S. Cyrillum episcopum Alexandrinum, hic a Baronio memoratum. Non tamen pigebit paucula delibare in antecessum ad confirmationem rerum in allato Baronii loco productarum circa *pallium pontificale*, quæ fusius exponemus in Cœlestino.

Superhumerale veteris sacerdotii proprium Aaronis, ejusque successorum in summo pontificatu, translato ad Christianos per Dei Filium maximo sacerdotio, figurari placuit in *pallio Petri*, *ac successorum*, ampliori scilicet velo circa humeros convoluto, cui limbus affixus, et in eo symbola adjecta sunt maximæ potestatis, a Christo Domino contraditæ principi apostolorum, ejusque cathedræ, ac potestatis hæredibus pontificibus Romanis legitime succedentibus.

Quemadmodum igitur supra observavi in notis ad S. Stephanum, num. 24, lin. 9, ex *ephode* Levitarum, et *capitio* sacerdotali simul junctis *cappa*, quæ dicitur sacerdotalis compacta est; ita ex pontificio *superhumerali*, *ac tiaræ fascia et lemniscis* in unum tegumen humerorum, et capitis compendiose collectis *pallium pontificale* coaluisse videtur ætate prima : quod subinde visum est opportunius divisim adhibere in *phrygio mitræ*, *ac pallii* inter insignia maximi sacerdotii. In illo igitur pallio Petri, apte ut exprimerent primi fideles summi illius sacerdotii maximam potestatem, elegerunt symbolum adhibitum a Christo Domino; nempe claves regni cœlorum suo in terris vicario traditas ab æterno Sacerdote, ac Domino nostro Christo. Videmus igitur in vetustis anaglyphis et picturis Christianorum ita figurari traditionem clavium a Christo Domino factam Petro, ut in ejus pallio depositas repræsentent. Ita scilicet sculpserunt, Eusebio, et Hypatio coss., nempe anno æræ Christi 359, in sarcophago Junii Bassi, quem integerrimum e cryptis Vaticanis effossum iterum illa custodiunt ex adverso confessionis in basilica Vaticana. In vase argenteo sacri mini-

Digitized by Google

sterii, cujus meminimus in notis ad sanctum Urbanum, eodem plane typo claves cœlorum collocat Dominus in Petri pallio. Alia quoque exempla ejusdem symboli spectari possunt apud Alamannum de Lateranensibus Parietinis pag. 56, 61 et sequentibus : ubi occasione data exponendi idem emblema clavium pallio exceptarum a Petro apostolo, ita figurato in musivis, picturis, numismatibus et signaculis diplomatum, addit quoque testimonia Patrum, per quæ docemur id symbolum aptari Petro, ejusque successoribus in sede Romana. « Infinita vero sunt, inquit pag. 62, Patrum testimonia, quibus Petri claves Romanis pontificibus vindicantur. Ad rem modo est Theodori Studitæ illa Leonis III, et altera Paschalis I ejus successoris compellatio, quæ Græcis vocibus Latinas horum numismatum imagines declarat. Ἀκούσ, κλειδοῦχε τῆς οὐρανῶν βασιλείας, etc. Audi, claviger regni cœlorum, petra fidei, super qua fundata est Ecclesia catholica; Petrus enim tu es, qui Petri sedem ornas, et gubernas. » Ita alloquebatur pontificem Romanum Theodorus Studita, sua in epistola ad Leonem tertium. Et in alia ad Paschalem I, ita scribebat : « Τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, οὗ σὺ τὰς κλεῖς ἔδεξω, etc. Christi Evangelium cujus claves ab eodem Christo tu accepisti per apostolorum antistitem, et per eos, qui successive ad tuum usque antecessorem sacratissimum tuum caput præcesserunt, et de Romana Ecclesia Evangelium, idem pronuntiavit ibidem : κορυφαῖος θρόνος, ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς ἔθηκε τὰς κλεῖς τῆς πίστεως; primaria sedes, in qua Christus Dominus posuit claves fidei. »

In hoc igitur superhumerali seu pallio apostolici principatus symbolo antiquitas expressit emblemata maximæ potestatis per claves regni cœlorum in eo depositas a Christo Domino. Eidem pallio summi pontificis ætates ab apostolis proximæ apposuerunt additamentum orarii, seu limbi candidi aut fasciæ crucibus insignitæ : quam fasciam per oram pallii circumductam humeris, et ad pedes defluentem repræsentant antiqua musiva, et picturæ summorum pontificum a sæculo tertio, et quarto ad duodecimum. Pars vero ejusdem integumenti seu pallii ad occiput reflexa, quæ constituebat capitium sacerdotale, cum ornaretur eadem phrygiata fascia, retinuit idem ornamentum phrygii etiam quando capitium a pallio sejunctum constituit mitram quam dicimus pretiosam : retinente etiam pallio in ora anteriori ex collo, et humeris ad pedes descendente eumdem phrygiatum limbum : sub quo ad oscula principum sanctuarii excipienda manum porrigit hierarcha summus. Fascia vero crucibus phrygiata, quæ amoveri, ac removeri facilius posset, in sacro ministerio supra humeros et pectus aptata fuit, eaque retinuit nomen *palli*, cui aptabatur, et indicationem maximæ potestatis in munere sacerdotii : non secus ac *laticlavium*, insigne potestatis præsidis provinciarum, et magistratuum majorum apud Romanos, per eadem tempora, quod erat genus togæ clavo latiori seu limbo ex purpura ad oram intextum, nomen transmisit, et indicium amplioris illius potestatis, ad fasciam purpuream, circa finem secundi sæculi, et per subsequentes ætates supra humeros, et pectus eo loco assutam : quo loco sinus togæ colligere consueverant, et in humerum apte reflectere togati omnes cultum decentiorem professi, uti Quintilianus in libris de Oratore testatur, dum præcepta tradit componendæ coram magistratibus togæ, ut publici decoris ratio habeatur. Ea res fiet apertior in notis ad S. Cœlestinum, ubi afferenda reservamus antiqua documenta illius laticlavii ex purpura assuti supra humeros et pectus præsidis concilii, et provinciarum, inter cæteros assessores, ab illorum cultu togam suam distinguentis tali ornamento, in cæteris non apparente. Ætate autem Constantini usus fasciæ alicujus pectoralis ad laticlavii descripti formam accedentis communicatus invenitur pluribus judicibus

A uti constat ex anaglypho in ejusdem arcu triumphali Romæ præservato, in quo exhibetur septum cancellis tribunal principis apud basilicam in foro Trajani, sive in foro Palladio, cum astantibus principi judicibus, et magistratibus curiæ. Anaglyphi istius iconem protuli tomo superiori in notis ad S. Cornelium ubi indicavi, ab erudito præsule Joanne Ciampino idem anaglyphum exhiberi in libro de Cancellario, similiter interpretato potestatem aliquam attributam iis, qui gestamen illud pectorale præferunt valde proximum laticlavio præsidum provinciarum. In sacro itaque principatu sacerdotalis hierarchiæ perinde invenio communicatum a Romanis pontificibus usum pectoralis fasciæ suæ cruci.us insignitæ seu pallii pontificalis illis episcopis, quos provinciarum ecclesiasticarum præsules, seu metropolitas constituissent B. Petrus, aut cæteri apostoli, sive Petri successores in prima fundatione Ecclesiarum; vel etiam plenioris concilii præsides vice sua destinarent iidem Romani pontifices : quod præstitit in B Ambrosio Siricius et in Cyrillo Cœlestinus. Tessera igitur fuit quædam communicatæ a Romano pontifice amplioris suæ potestatis ejusmodi episcopis, ad regendam provinciam sive provincias, institutis, aut delegatis ad præsidendum nomine suo synodis plenioribus sacerdotum, ut vice sacra judicarent supra quam metropolitica jura permitterent, pallium illud, quod de beati Petri corpore sumptum, veluti ex ejus pontificali vitta pallioque depromptum rite accipiunt a Petri successoribus præsules metropolitæ, ut supra episcopos comprovinciales exerceant partem apostolicæ sollicitudinis, et potestatis. Hac igitur lege Marcus papa communicasse legitur insigne pallii episcopo Ostiensi, ut hic destinatus ad consecrandum electum pontificem Romanum excellere videretur hac honoris prærogativa supra episcopos comprovinciales uni Ostiensi attributa, quasi ipse apostolica vice fungeretur in collegio præsulum, sibi demandata a decessoribus illius, quem sacraret, et rata habita C ab eodem, qui per ipsius ministerium vellet in Ecclesiæ catholicæ summum antistitem ab eo consecrari.

Lin. 7. *Juxta Pallacinis.* Emendata lectio C, in marginem textus tomi I, scribens *Pallatinas.* Sed retinendum esse cognomen *Pallacinis*, etiamsi fortasse natum sequiori ætate per barbariem Latini sermonis docet vetus inscriptio apud Aringhium, tomo II Romæ subterraneæ, pagina 288, quæ ponebatur anno 343, Philippo et Salia consulibus, nempe sub Julio papa hujus Marci de quo agimus proximo successore : ubi ANTIUS dicitur LECTOR DE PALLACINE : ita enim legitur :

DEPOSITUS EST PETRUS VIII. IDUS
MARTIAS QUI VIXIT ANNIS XVIII
DE P. IN PACE PHILIPPO ET SALIA
COSS. DUO FRATRES
ANTIUS LECTOR DE PALLACINE
D DEP. XII. KAL. SEP.

CIACONH.

Linea 1. — *Sedit annos duos, menses octo, dies viginti.* Mendum est. Sedit namque sanctus Marcus menses octo, dies viginti et unum, ut testatur Hieronymus in Chronico, et Sozomenus lib. II, cap. 29. Creatus XVII Kalendas Februarii, quæ incidunt in diem XVI Januarii anni 336, Flavio Popillio Nepotiano, et Facundo VV. CC. coss.

Linea 5. *Pallio uteretur.* Pallium summi honoris, et potestatis plenitudinis index est. Cur autem ex lana ovium, vel agnorum confici soleret, non ex lino, bysso, aut bombycino, vel serico, magni honoris illud insigne, Isidorus Pelusiota rationem reddit lib. I, epist. 136, ad Herminium scribens : « Hoc, inquit, amiculum, quod sacerdos humeris gestat, et ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inveniamque humc-

Digitized by Google

ris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu, illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. » Mysterium igitur pallii ita Isidorus Pelusiota parum notum reseravit.

Linea 6. *Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit, et aliam in urbe Roma juxta Pallacinis.* Prima basilica nunc vocatur Sanctæ Balbinæ ad radices Aventini montis. Hanc Gregorius papa III restituit, ut habetur in Nicolai I Vita; ubi de cœmeterio S. Marci agitur. Altera, in frequentiori parte Urbis juxta Pallatinas anno Domini 336 fundata est. Hodie Sancti Marci titulo, a fundatore, vocatur. Hujus basilicæ meminit Adrianus I papa ad Carolum Magnum scribens, pro imaginibus, hoc modo: « A tunc usque hactenus sanctorum pontificum, videlicet Silvestri, Marci, Julii, miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quam in cæteris historiis, cum sacris imaginibus ornatis. »

PAGII.

Anno Domini 336.

Sanctus Marcus, natione Romanus, ex patre Prisco, post septendecim dierum interpontificium, sanctum Silvestrum excepit, ordinatus die decima octava Januarii anni 336 Dominicali, et festo cathedræ sancti Petri sacra. Liber Pontificalis ipsi acceptum fert, quod episcopus Ostiensis Romani pontificis consecrator pallio utatur. Postquam unica ordinatione, presbyteros quinque, et diaconos sex creasset, et episcopos per diversa loca septem, obiit die septima Octobris ejusdem anni, Damasi Chronico teste, post sedem mensium octo, et dierum viginti. Ejus quidem depositio notatur in martyrologio Hieronymiano ad diem sextam Octobris; sed id intelligi debet de aliqua ejus translatione eo die facta; die enim VII Octobris etiam memoratur in Sacramentario S. Gregorii. Sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina.

Tomo secundo Operum S. Athanasii, pag. 623 et seqq., referuntur epistolæ duæ, quarum prior hunc titulum præfert: « Epistola Athanasii et Ægyptiorum episcoporum ad Marcum papam pro exemplaribus concilii Nicæni, quia Ariani eorum exemplaria incenderant. » Posterioris titulus est: « Rescriptum Marci papæ de missione capitulorum Nicæni Concilii Athanasio, et omnibus Ægyptiorum episcopis. » Hæc autem ultima supponit Ægyptios dira Arianorum persecutione vexatos, dispendium passos esse Nicænorum canonum, qui una cum omnibus aliis libris ab iisdem incensi fuerant, quorum exemplar a Romana Ecclesia postulaverint. At persecutionem ab Arianis nullam passi sunt Ægyptii sub Constantini, sed tantum sub Constantii imperio. Deinde septuaginta canones a Nicæna synodo conditos asserit contra fidem Alexandrini codicis, a S. Cyrillo missi ad Africanos antistites, qui viginti tantum exhibebat. Præterea S. Athanasius anno trecentesimo trigesimo sexto, quo Marcus papa sedit, jam exsul agebat in Galliis: non potuit itaque Alexandria scribere ad Marcum Romanum pontificem, ut ipsum scripsisse hæc epistola supponit. Unde ea suppositionis indicia militant etiam contra priorem epistolam. Certe utramque ut purum ac putum figmentum rejicit Baronius; utraque enim consuta est ex variis sententiis Cœlestini primi, Attici Constantinopolitani episcopi, S. Leonis, et Agathonis.

Ex eo quod Anastasius scribit, sanctum Marcum Ostiensi episcopo Romani pontificis consecratori pallium dedisse, Ciaconius in Leone II, et Sigonius in Historia de regno Italiæ ad annum 682, scribunt, Ostiensem episcopum solum fuisse episcopi Romani consecratorem, usque ad Leonem II, qui a tribus episcopis, Ostiensi scilicet, Portuensi, et Veliternensi ordinatus est; sed in ejusdem Leonis pontificatu ostendemus, Romanos pontifices a tribus episcopis semper ordinatos fuisse, inter quos primum locum obtinebat Ostiensis, secundum Portuensis, tertium Albanensis: licet enim tam Leo II quam Joannes V ordinati fuerint ab Ostiensi, Portuensi, et Veliternensi episcopis; Veliternensis tamen non erat unus ex consecratoribus ordinariis, sed ideo tunc Ostiensi, et Portuensi additus, quia, ut ait Anastasius in Leone II, vacabat sedes Albanensis. Hic mos postea, quo tempore me latet, desiit, et alius obtinuit, scilicet ut prior episcoporum cardinalium, cum duobus aliis episcopis, ex senioribus, id muneris obiret. Augustinus Patricius lib. I, cap. 3, sect. 2 Rituum S. R. E. observat tamen suo tempore solam Sixti Quarti ordinationem factam esse, non a priore episcoporum cardinalium, sed a cardinali Rothomagensi, qui episcopus Ostiensis erat.

Primus, quem sciamus, ex episcopis, hoc honore affectus ut pallio uteretur, est episcopus Ostiensis, qui illud a Marco papa accepit. Pallium enim solis patriarchis, et archiepiscopis competit. Illud tamen postea Romani pontifices aliis episcopis concesserunt, vel intuitu meritorum, vel alia justa de causa. Siagrio episcopo Augustodunensi a Gregorio Magno concessum est, cujus exstat hac de re ad illum epistola 114, lib. VII, Actardo Nannetensi ab Adriano II, ut constat ex ejusdem pontificis epistola ad eum directa. Idem privilegium habuit Theodulfus Aurelianensis, et plures alii, de quibus legendus Bona cardinalis lib. I Rer. liturgic., cap. 24. num. 16, ubi addit, nunc eo uti, perpetuo privilegio, Lucensem, et Ticinensem episcopos in Italia, et Bambergensem in Germania. Romanus pontifex, cujus est super omnes Ecclesias summum jus, ac plenaria potestas, pallio semper et ubique utitur. Reliqui, tum archiepiscopi, tum episcopi eo uti non possunt, nisi intra ecclesiam, quibusdam et designatis diebus, cum missarum solemnia celebrant, idque ex antiqua consuetudine, quam indicat Gregorius Magnus lib. II, epist. 54, Joanni archiepiscopo Ravennati, et lib. IV, epist. 50, Virgilio Arelatensi.

Pallii origo in utraque Ecclesia Occidentis et Orientis antiquissima est. Baronius eam Marco papa antiquiorem putat, qui tamen in eo obiter corrigendus est, quod anno 430, num. 26, crediderit Cœlestinum papam ad Cyrillum Alexandrinum misisse insignia vicariæ potestatis, id est phrygium sive pallium, sive capitis tegumentum, quam *mitram* vocant, quod quidem refertur a recentioribus Græcis, sed sine veterum testimonio, et rejicitur a Joanne Garnerio in dissert. 2 de Synodis habitis in causa Nestorii, pag. 350. Isidorus Pelusiota, qui anno circiter 412 florebat, lib. I, epist. 136, ad Herminium, pallii meminit, deque ejus usu, et mystica ratione fuse disserit. Porro pallium est fascia lanea candida tribus circiter digitis lata, et in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo alia similis fascia ante pectus, alia deorsum ex opposito pendet, duæ super humeros demittuntur: quæ fasciæ purpureis crucibus sunt insignitæ. Ipsum autem pallium tribus aciculis, sive spinulis aureis alligatur. Fit ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die S. Agnetis in ejusdem ecclesia, via Nomentana, singulis annis offerri ad missam solemnem, et benedici solent, ac subdiaconis apostolicis consignari, et in aliquo monasterio sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in basilicam Vaticanam delata super corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur. De pallio plura idem cardinalis Bona laudatus, ex quo pleraque ex his excerpta.

Digitized by Google

XXXVI. SANCTUS JULIUS.

ANNO CHRISTI 336, CONSTANTINI 31.

50 *Julius, natione Romanus, ex patre* Rustico, [a] sedit annos 11, menses 2, dies 7. Fuit autem [b] *temporibus Constantii* hæretici filii Constantini, a consulatu *Fœlticiani et Maximi*. Hic [c] in multa tribulatione, [d] et exsilio [e] fuit mensibus 10, et post hujus Constantii mortem cum gloria est reversus ad sedem beati Petri apostoli. Fecit duas basilicas in urbe Romana, unam juxta forum, et aliam via Flaminia. Fecit autem et cœmeteria tria, unum via Flaminia, et aliud via Aurelia, atque aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit, ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia; et notitia, quæ omnibus pro fide ecclesiastica est, per notarios colligeretur, et omnia monumenta in ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur, sive causationem, vel instrumenta, aut donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes [f], aut manumissiones clerici in ecclesia per [g] scriniarium sanctæ sedis celebrarent. *Hic fecit ordinationes tres* in urbe Romana *per mensem Decembris, presbyteros decem et octo, diaconos quatuor, episcopos* per diversa loca novem. Qui etiam *sepultus est via Aurelia in cœmeterio Calepodii, milliario* ab urbe Romana *tertio, pridie Idus Aprilis, et cessavit episcopatus diebus* 25.

CATOLOGUS SUB LIBERIO.

Julius annos quindecim, mensem unum, dies undecim. Fuit temporibus Constantini, a consulatu Feliciani et Titiani, ex die VIII Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis Constantio V et Constantio Cæsare consulibus. Hic multas fabricas fecit: basilicam in via Portuensi milliario III, basilicam in via Flaminia milliario II, quæ appellatur VALENTINI [An forte est VALENTINUS cui Kalendarium sequens inscribitur. BUCHERIUS. *Quem vide.*], basilicam Juliam, quæ est regione VII juxta forum Divi Trajani: basilicam trans Tiberim, regione XIV juxta Callistum: basilicam in via Aurelia, milliario III ad Callistum.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, annos 15, m. 5, d. 17. [b] *B*, Constantini, et filiorum a Coss. Nepotiani, et Facundi, ad Constan. 5, et Gallum Cæs. [c] * multis tribulationibus. [d] * post m. tribulationes in exil. [e] *B. negat exsulem fuisse ad annos* 332. [f] *B*, obligationes; *C*, colligationes. [g] Scrinium, vel scrutinium sanctum.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod Freh.

Num. 50, *linea* 1, *A*, dies 6, *B*, 5. *linea* 3, *A B*, Maximini. *linea* 5, aliam via Flaminia, *B*, trans Tiberim. *linea* 12. *A B*, et ut clerici per scrinium sanctum celebrarentur. *linea* 14. *A*, 19.

Ex cod Reg Maz et Thuan.

Linea 1, sed. ann. 15, m. 2, d. 6. Fuit autem temporibus Constantis filii Constantini hær. a cons *linea* 3, Hic in multis tribulationibus in exsilio fuit. *linea* 4, Constantini m. cum rev. est ad. *linea* 5, Fecit autem Romæ basilicas 2, unam j. f. et al. via Flam. et cimiteria 3, un. via Fl., aliud via Aur. *linea* 7, quaml. et in p. a. nisi in eccl. tantum, et ut notitia q. o. pro fide est, p. n. c. et ut omnia m. in ecclesia per primicerium notariorum c. cel. sive cautiones, vel instr. *linea* 12, per scrinium sanctum cel. *linea* 13, in urbe Roma. *linea* 13, diac. 5. A *linea* 14, qui sep. est (*M.*, qui etiam). *linea* 15, *C*, 3 miliario ab urbe Roma, 2 Id. Apr.

Ex cod Thuano altero.

Linea 1, annos 14, m. 2, d. b. f. a. t. Constantini fil Const hær. *linea* 3, et Maximini. Hic. *linea* 3, et po. t h. Constantini. *linea* 5, Fecit d. b. unam. *linea* 7, et al. v. P. *linea* 9. Monumenta Ec. *linea* 10, sive cautiones. *linea* 12, per scrinium. *linea* 14, octo.

Apud Holsten et Schelestr.

Linea 1, *Flor et Vat*, annos XV. *linea* 3, *Flor Sec*, Maximini. *linea* 5, *Flor* unam in urbe Roma juxta Forum, altera trans Tiberim. *linea* 10, *Flor et Vat*, caustiones. *linea* 15, *Flor*, quarto.

Apud Peniam ex cod Cavensi.

Linea 2, Feliciani et Maximi. Hic in multas tribulationes et exsilio fuit. *linea* 7 et 8, in publico ageret, nisi ecclesiæ et notitia. *linea* 14, cymiterio.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 5. — *Fecit autem et cœmeteria tria.* Duplici ter intelligi potest hic locus, vel quod antiqua martyrum cœmeteria suis temporibus detecta Chri-

Digitized by Google

stianis fidelibus aperiri jusserit, vel quod loca subterranea, seu cryptas arenarias ad usum sepulturæ Christianorum adaptari mandarit. Utroque modo Julius potest dici fecisse cœmeteria. Quo autem modo ea fecerit, mihi compertum non est.

ALTASERRA.

Linea 8. — *Et notitia, quæ omnibus pro fide ecclesiastica est, per omnia colligeretur, et omnia monumenta in Ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur, sive causationes, vel instrumenta aut donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes.* Sæviente persecutione officium notariorum in Urbe erat gesta martyrum colligere : cessante persecutione, ne sine acta essent, eis tributum munus curandi notitiam rerum ecclesiasticarum, id est, conficiendi omnia acta ecclesiastica, quæ confecta referebantur ad primicerium notariorum, qui erat primus e septem, et dicebatur primicerius notariorum, ut primicerius dicitur præfectus minorum clericorum can. *Perlectis.* vers. *Ad primicerium*, dist. 25. Ad primicerium notariorum, inquam, referebantur omnia acta ecclesiastica, puta causationes, id est instrumenta quæ pertinent ad causas, seu judicia ecclesiastica, donationes, commutationes, traditiones, ex causa scilicet acquirendi dominii, puta emptiones, venditiones, testamenta vel delegationes : sic enim existimo legendum pro *allegationes*. Delegata sunt legata, vel quælibet novissimæ voluntatis judicia. Anastas. in Innocent. I : « In quo loco beatissimus Innocentius ex delegatione illustris feminæ Vestinæ, titulum Romanum constituit. » Augustin. de Tempor. serm. 76 : « Cæterum dispendium magnum est, cum tibi Dominus ad hoc dederit ut dispenses, ejus delegata non serves. » Optat. Milevit. advers. Donatist. lib. I : « Brevis auri, et argenti sedenti Cœciliano, sicut delegatum a Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. »

Aut manumissiones clerici in ecclesia per scriniarium sanctæ sedis celebrarent. Julius statuisse memoratur, ut manumissiones in ecclesia fierent apud scriniarium sedis apostolicæ : sed verius est ex constitutione Constantini hoc introductum, ut manumissiones fierent in ecclesia, l. I, c. *De his qui in eccles. manumitt.*, Cujus meminit Sozom. lib. III, cap. 9. Manumissiones fiebant in ecclesia apud episcopum, et apud gesta ecclesiæ insinuabantur, quo tutius esset libertatis beneficium. Augustin. serm. 2. de vit. com. Cleric : « Tamen de laboribus suis, antequam esset clericus, emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manumissurus est episcopalibus gestis. » Manumissiones in Urbe fiebant in ecclesia apud scriniarium sedis apostolicæ, quia referebantur in scrinium, id est, archivum ecclesiæ, cujus custodia est penes scriniarium sedis apostolicæ, cap. *Ad audientiam, de præscript.*

BENCINI.

Linea 3. — *Hic in multa tribulatione.* In martyrologio veter. Reginæ. Uti advertit Holstenius in animadversionibus ad martyrologium, consimilia leguntur : « Pridie Idus Aprilis, Romæ depositio Julii episcopi, et confessoris, qui Constantio Ariano filio Constantini decem mensibus tribulationes et exsilia perpessus, post ejus mortem cum magno decore ad suam sedem reversus est. » Julius nunquam actus in exsilium ; insuper damnato Julio adhuc per aliquot annos Constantius imperavit. Hæc, ut reor, erant antiqua gesta Liberii ; sive quæ in Liberio inseri debuerant in factis additionibus catalogis, et indiculis Romanorum pontificum ; ex scribentium vero oscitantia, sicuti in aliis pontificum gestis factum advertimus, in Julio insertum est. Hæc vero additio, si in Liberio addatur, expungantur reliqua, quæ de communione cum secta Rebaptizantium perperam, et falso inserunt. Sicuti a Julio expuncta veriora A gesta redduntur : sic Liberio restituta spectabiliora erunt gesta.

BINII ET LABBEI.

Linea 3. — *Hic in multa tribulatione, et exsilio mensibus decem.* Julium pontificem pro exsulibus episcopis Athanasio, Marcello, aliisque pluribus restituendis, multos labores impendisse, in dubium non vertitur ; ipsum vero aliquo tempore exsilium sustinuisse, præter Platinam, errorem libri Pontificalis sequentem, nemo, quod sciam hactenus, asseruit.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ.

Catalogns ætatis Liberii non solum exprimit consulatum Titiani, et Feliciani (celebrem epocham mortis Constantini Magni) quo consignatur primum Pascha pontificatus Julii ; verum etiam indicat diem notatam ejusdem sedis exordio, nempe 6 Februarii, quæ iisdem consulibus, anno 337, incidit in Dominicam B aptam in episcopali consecrationi. Error tamen irrepsit in summam temporis attributam Julio pontifici, quæ id eodem catalogo sibi non constat, cum præter annos solidos assignet mensem unum, et dies sex, eamque summam dinumeret, ex præfata die 6 Februarii, sive VIII. Idus Febr. usque ad pridie Idus Aprilis. Defectum mensis, in expressione summæ subtracti per librarios, emendant picturæ in basilica S. Pauli præservatæ, quæ duos menses distincte exhibent, expressos etiam in quatuor catalogis codicum Italiæ vetustiorum, et in Belgico Papæbrochii, necnon in Colbertinis fere omnibus, quemadmodum et in codicibus Anastasii. Verum et in picturis et in catalogis, qui menses exhibent correctos, vitiatus est numerus annorum ; cum undecim tantummodo videantur in his assignati Julio papæ, cui catalogus Liberianus et Felicianus attribuunt annos quindecim signatos etiam nota consulari ad consulatum scilicet Constantini Augusti V et Gallli C Cæsaris (Christi 352) ex memoratis coss. Titiano et Feliciano 337 : quibus terminis quindecennium integrum continetur. Conjectari ergo possumus, notas numerales nonnihil fuisse detritas in apographo, unde hanc epocham descripserunt tum librarius in catalogo quarti sæculi sub Liberio, tum auctor picturarum proximo sæculo per ætatem Leonis Magni

ex XV : I. VI. librarius catalogi expressit XI : II VI,
et auctor picturarum effecerit XI II VI.

Restituenda igitur epocha non tam ex figuris numerorum quam ex periochæ verbis expressis in catalogo Liberiano ex die VIII Idus Februarii, Titiano et Feliciano coss. (Christi 337), ad diem pridie Idus Aprilis Constantino V et Gallo Cæsare coss. (Christi 352), recte complexa annos solidos XV, mens. II, dies VI.

Comprobatur lectio catalogi ex alio opusculo quarti pariter sæculi (nempe ex *Depositione episcoD porum*) supra exhibito in Prolegomenis ex Bucherio ; ubi depositio Julii refertur ad eamdem diem, *prid. Idus Aprilis, via Aurelia, milliario* III *in Callisti* : ubi advertendum est, non esse intelligendum cœmeterium Callisti via Appia situm, sed cœmeterium viæ Aureliæ, in quo Callistus papa depositus fuit, cui nomen fuit cœmeterii Calepodii ab auctore, uti supra in num. Callisti declaratur.

Hac observatione restitutis epochæ notis numeralibus, cæteri quoque catalogi producti in Prolegomenis ad S. Julium in serie Pont. Rom., præsertim Italici, quos diximus fuisse descriptos ex picturis basilicarum, suam recipiunt integritatem, et assignantur anni quindecim, menses duo, dies sex, Julio pontifici.

Notæ historicæ.

Linea 3. — *Hic in multa tribulatione et exsilio fuit mensibus* X, *et post hujus Constantii mortem cum gloria reversus est ad sedem beati Petri apostoli.*

Digitized by Google

Card. Baronius ad annum 352 jure asserit, resecandum esse a sectione Julii hoc additamentum, perperam illatum in textum Bibliothecarii; cujus contextui cognoscitur repugnare. Cum enim Bibliothecarii textus attribuat B. Julio sedis annos undecim, menses duo, eamque temporis summam inchoet sub consulatu *Feliciani* (Christi æræ 337) cui *Maximum* collegam loco *Titiani* mendose assignat, consequitur, ut Julium pontificem vita functum sentiat anno 348, nec propterea superstitem fuisse Constantio Ariano, qui vitam produxit ad annum 361. In catalogis certe nihil prorsus invenitur de exsilio Julii papæ. Quare transcripta videtur apocope ex Actis Liberii papæ Julii successoris, et imprudenter apposita margini ab amanuensi loco non suo, unde alius descriptor æque imperitus inserendam putavit in textum marginali annotationi respondentem. Quod si exsilium fortasse toleravit mensibus decem sub Constantio Ariano pontifex Julius (cujus tamen indicia aliunde non suppetunt), reversio Julii ad sedem suam potius contigerit postquam *Constantius abierit*, quam postquam *excesserit vita* : et mendum fuerit in reddendo *ex quo obiit Constantius*. Cum legendum esset ex quo abiit Constantius, verum donec exsilium Julii aliunde non doceatur, proximior vero videtur sententia putans, ex Liberii successoris historia imprudenter excerpta hæc verba fuisse, vel aliquid detruncatum de exsilio beati Anastasii hujus sectionis beati Julii.

Linea 5. — *Hic fecit duas basilicas in urbe Roma, unam juxta forum*, etc. Hanc sacris picturis, et musivis decoratam ab eodem pontifice Julio affirmat Adrianus I in epistola ad Carolum Magnum, de cultu imaginum sacrarum, legenda in concil. general. edit. Labbæi, tomo VII, pag. 955, et in præcedenti edit. Binii, tomo III, sectione poster., pag. 126, col. ubi habetur : « Sanctorum pontificum Sylvestri, Marci, et Julii miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ tam in musæo, quamque in cæteris historiis cum sacris imaginibus. »

Linea 9. — *Et omnia monumenta in ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur*, etc., *vel instrumenta, aut donationes*, etc., *clerici in ecclesia per scriniarium sanctæ sedis celebrarent*. Ita præstitum fuisse per sæcula complura docent archiva Urbis, et Urbi proxima. Proferam exemplum undecimi sæculi ex Farfensi in tabulis signatis anno v Benedicti papæ [Septimi] et Henrici imperatoris III, indictione xv, qui sunt characteres anni 1017. In his tabulis archipresbyter et clerus diaconiæ sancti Eustachii cedunt D. Hugoni abbati domos positas Romæ regione nona, et cessio celebratur per scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ his verbis :

« IN N. D. D. SAL. N. I. X. (*In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi.*) Anno Deo propitio pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis, et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli V, et imperantis domini nostri Henrici a Deo coronati magni, et pacifici imperatoris anno ejus III, per indict. XV, mensis Januarii die 23. Certum est nos Petrum religiosum archipresbyterum venerabilis diaconiæ sancti Christi martyris Eustachii, qui appellatur in Platanis, seu Joannem secundum, atque Eustachium tertium religiosos presbyteros jam dictæ diaconiæ, consentiente in hoc nobis cuncta congregatione presbyterorum Dei eiusdem veri, diaconiæ sancti Eustachii hac die cessisse, atque tradidisse, etc., domos, etc., positas Romæ regione nona in Scorticlari inter Thermas Alexandrinas, et intra hos fines: Ab uno latere tenentem Benedictum presbyterum, qui est juris nostræ diaconiæ sancti Eustachii, et oratorium Salvatoris tui (qui supra) domine Hugo exigue abbas concambiator, etc. Quam scribendam rogavimus scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense, et indictione suprascripta XV. † Petrus archipresbyter de diaconia sancti Christi martyris Eustachii in hoc concambiat. Mm. (*Manu mea.*) † Joannes presbyter secundus mm ss. (*manu mea subsignavi*) † Eustachius presbyter tertius mm. † Benedictus presbyter mm.† Adrianus presbyter mm. Joannes Dei nutu judex. † Ego Georgius Domini gratia arcarius sanctæ apostolicæ sedis. † Marinus germanus domini Crescentii urbis Romæ præfecti. Ego Petrus scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ q. s. (*qui supra.*) scriptor hujus chartæ per tertium subscriptiones et traditionem factam complevi, et absolvi. »

Placuit inserere hoc documentum, non modo futurum specimen servatæ legis a sæculo quarto ad undecimum, celebrandi scilicet cessiones, et permutationes fundorum pertinentium ad Urbis ecclesias per scriniarium sanctæ sedis apostolicæ, cum subscriptionibus contrahentium, et judicium, ac notarii sanctæ sedis, et nobilis viri, qualis erat Germanus præfecti Urbis (et fortasse adhibebatur ut testis) unde constet de accurata administratione rerum ad titulos, ac diaconias Urbis pertinentium; sed etiam indicium futurum apud posteros consuetudinis nunquam intermissæ dividendi Urbem in regiones civiles XIV, ab Augusto institutas in Actis forensibus (quarum in nona sita est diaconia sancti Eustachii), et comprobaturum nomina *Thermarum Alexandri*, et *oratorii sancti Salvatoris*, notra etiam ætate præservata una cum *Platanis*, unde cognomentum accesserat diaconiæ sancti Eustachii *in Platanis* tunc appellatæ.

CIACONII.

Linea 3. — *Hic in multa tribulatione, et exsilio fuit mensibus decem.* Confutatur commentum istud; nam nec exsilium unquam subiisse legitur; et ipse obiit ante Constantini mortem : quæ quidem tum ex Græcis et Latinis scriptoribus, tum etiam ex Athanasio quivis clarissime potest cognoscere.

PAGII.

Sanctus Julius, natione Romanus, ex patre Rustico sanctum Marcum excepit, ordinatus die sexta Februarii, quæ anno trecentesimo trigesimo septimo in Dominicam incidebat. Eo sedente universus Oriens tumultuabatur ob hæresim Arianam, et Arianorum odium in S. Athanasium episcopum Alexandrinum. Anno trecentesimo quadragesimo primo celebratum est concilium Antiochenum, cui occasionem dedit dedicatio templi Antiocheni, quod a Constantino Magno inchoatum, sub Constantio absolutum est; unde Athanasius in libro de Synodis ait : *Antiochiæ novam synodum per causam Encæniorum coegerunt*. Quare Constantius imperator Arianus, prætextu hujus dedicationis, Orientis episcopos convocavit. Hanc synodum Arianorum conciliabulum credidit Baronius, et omnes alii post eum usque ad Schelestratium, qui in libro, quem edidit de sacro Antiocheno concilio, ostendit quadruplici titulo synodum Antiochenam impetitam fuisse. Primo, quod Arianorum conciliabulum fuerit. Secundo, quod Athanasium deposuerit. Tertio, quod fidem perverterit. Quarto, quod disciplinam ecclesiasticam impugnarit. Sed vir doctissimus ibidem ostendit hæc quatuor non convenire primordiis Antiochenæ synodi a nonaginta Patribus celebratæ, sed fini, aut novissimis Antiocheni conciliabuli, a quadraginta circiter Eusebianis celebrati, actis.

Cum vero ante illud concilium Eusebius Nicomediensis episcopus legationem misisset ad Julium Romanæ urbis episcopum, rogans, ut causæ Athanasii judex ipse esse vellet, Julius S. Athanasium et Eusebianos Romam evocavit : ubi postquam advenit Athanasius, Julius Elpidium et Philoxenum presbyteros suos in Orientem misit, Eusebianos ad synodum Romanam evocaturos. Eusebiani ab his Romam ad causam dicendam citati, audito nomine ecclesiastici judicii, adeo contremuerunt, ut ad solitas artes conversi, Julii presbyteros ultra diem synodo præfinitam a Julio, detinuerint, vanasque prætulerint excu-

Digitized by Google

sationes, quod metu Persici belli, Romam ipsis proficisci non liceret. Quare concilium Romanum jam antea indictum Julius celebravit anno 342. Huic adfuere quinquaginta episcopi, cura Vitonis Sylvestri pontificis in Nicæna quondam synodo legati. Ibi causa S. Athanasii ad examen vocata est, isque communione et episcopatu dignus judicatus, ut purus criminum, quæ ipsi affinxerant Eusebiani : lectæ sunt in concilio litteræ Eusebianorum ad Julium papam, synodi Antiochenæ nomine datæ, quæ stylo insolenti et contentioso erant scriptæ, et multiplicem adversus pontificem querelam continebant. His respondit ex concilii sententia pontifex, cujus epistola, quam refert S. Athanasius apologia II adversus Arianos, insigne est ecclesiasticæ disciplinæ promptuarium.

Marcellus Ancyranus episcopus, qui anno trecentesimo trigesimo sexto in synodo Constantinopolitana, in qua S. Athanasius exsulare jussus est, episcopatu depositus, et exsilio multatus fuerat, quique ad sedem suam reversus, iterum de hæresi accusatus, in dicto concilio Antiocheno damnatus fuerat, in hac synodo Romana coram Julio papa causam dixit, et innocens declaratus est; Athanasius quippe in epistola ad solitarios de eo scribit : *Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit :* sed communionem ante ipsi Julius non restituit, quam fidei professionem in scriptis illi tradidisset, quam refert Epiphanius hæresi LXXII. Verum est Baronium existimare, eam professionem fidei non esse eam quam Julius per omnia consentientem esse tradit Ecclesiæ catholicæ, quod licet in ea multa ad Arianorum impietatem confutandam reperiantur; tamen quod potissimum exigebatur a professore catholico, nomen *consubstantialis* in ea non legatur. Sed silentium illud Marcello minime vitio vertendum ; cum nullus eum accusaret, quod non crederet consubstantialitatem, quam subscripserat et defenderat in concilio Nicæno; sed tantum ei imputaretur error contrarius, Sabellianorum nempe et Pauli Samosateni. Porro licet Marcellus tam in hac synodo Romana, quam in Sardicensi, de qua mox absolutus fuerit, eum tamen ab hæresis suspicione liberare aliqui frustra contendunt, cum ab Athanasio, et postea ab omnibus hæreticus agnitus fuerit, ut videre est in critica Baroniana ad annum 347, et apud Schelestratium in dissert. III, de sacro concilio Antiocheno, cap. 5, ubi observatur ejus hæresim nonnisi post multos ab ejus obitu annos innotuisse.

Post synodum Romanam Eusebiani improba iterum audacia, in Ecclesiis perturbandis, insidiisque Athanasio tendendis, usi sunt. Quare Julius pontifex causam Athanasii ad Constantem imperatorem retulit, et commendavit, ut apud fratrem Constantium pro ejus in sua sede restitutione ageret. Constans ad Constantium fratrem hac de re scripsit, et ambo imperatores concilium Sardicæ, quæ urbs confinis est Illyrici, Mysiæ, et Thraciæ in annum trecentesimum quadragesimum septimum indixerunt, ut manifeste patet ex eadem Athanasii secunda apologia, ex ejus epistola ad solitarios, et ex ipsa synodica epistola Patrum synodi ad omnes episcopos. Huic synodo trecentos fere episcopos interfuisse auctor est Athanasius in dicta ad solitarios epistola. In ea S. Athanasius, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, et alii ab Eusebianis inique damnati, absoluti sunt. Epistola synodica ad Julium papam scripta, in qua illa verba notatu digna sunt, quibus egregie asseritur Romani pontificis primatus : *Hoc enim optimum et congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibuscunque provinciis, Domini referant sacerdotes.* Idem constat ex epistola synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, et ex epistola synodica ad omnes episcopos, quæ a S. Athanasio apologia II referuntur. Viginti canones ab ea synodo conditos numerant Græci; viginti et unum Latini. Tertius, quartus, et septimus canon jus appellationum in episcoporum causis asserunt Romano pontifici, *ad honorandam sancti Petri apostoli memoriam.*

Ex iis quidam asserunt, sed falso, jus appellationum ad Romanam sedem non confirmatum, sed institutum a concilio Sardicensi; nam hoc ipso quo Romanus pontifex est jure divino omnium episcoporum primus, et cæteris jurisdictione superior, ac Ecclesiæ caput, consequens est, ut ad ipsum episcopi, cum injuriam patiuntur, appellare possint. Quare jus appellationum episcopalium ad Romanam sedem pontificii primatus appendix est. Et revera, inquit Perronius cardinalis in Replica ad responsionem Magnæ Britanniæ regis cap. 3, si jus illud a concilio Sardicensi institutum esset, qua ratione Julius Romanus pontifex pluribus ante concilium illud annis hæc ad Eusebianos scripsisset : « Oportuit secundum canonem, et non isto modo, judicium fieri; oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, et non vulgares ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi apostoli ad fidem instruxerunt. Cur igitur et in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? Quapropter si istis hujusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. »

Petrus de Marca lib. VII de Concordia sacerdotii et imperii, cap. 3, existimat jus in Sardicensi synodo quæsitum episcopo Romano, diversum prorsus esse a judicio appellationis, nihilque aliud ei concessum, quam ut decernere posset causæ retractationem. Verum jam viris doctis observatum, synodum hanc non solum jus concedendi revisionem, sed potestatem judicandi appellationes ab episcopis depositis factas ad Romanam sedem, pontifici Romano asseruisse et confirmasse. Quæ contra hæc vir doctissimus affert, ab aliis confutata, ostensumque appellationum usum, tum in Ecclesia Orientali, tum in Occidentali post concilium Sardicense frequentem fuisse; ejusque initia perperam detrudi ab eodem præsule ad concilii Trullani tempora in Ecclesia Græca, et ad octavum sæculum in Latina. De his legendus Natalis Alexander sæculo IV. Porro canones in hoc concilio Sardicensi sancitos explicat Christianus Lupus in parte I decretorum et canonum synodorum generalium et provincialium.

Ursatius et Valens episcopi Pannonii, hic Mursiæ, ille Singindonis, qui in suspicionem Arianæ hæresis venerant, ideoque a synodo Sardicensi damnati fuerant, libellum supplicem porrexerunt synodo Mediolanensi eodem anno trecentesimo septimo congregatæ, quo Arii et Photini perfidiam damnabant, a qua suscepti sunt in communionem. Hæc synodus, quæ celebrata est præsentibus Julii papæ legatis, ut testatur S. Hilarius in fragmento de synodis, vel presbyteris Romanæ Ecclesiæ præsentibus, ut docet epistola concilii Ariminensis, habita est, ut in Photini episcopi Sirmiensis hæretici causam inquireretur, ut ibidem habet Hilarius. Numerosam fuisse synodum oportuit, cum de statu metropolitani episcopi, et de causa fidei ageretur. Prima autem Photini damnatio facta est in hac synodo Mediolanensi, et repetita a Julio papa in synodo Romana biennio post habita; et tandem in synodo Sirmiensi anno trecentesimo quinquagesimo primo, quadriennio post Mediolanensem, in qua ultima Photinus primo damnatus ac depositus est. Harum trium synodorum epochæ in critica Baroniana exacte discussæ.

Porro Photini hæresis hæc fuere capita. Primo : Deum solitarium esse, et more judaico confitendum effutiit, nullam Verbi divini, aut Spiritus sancti putans esse personam, sed unam esse Patris, et Filii, et Spiritus sancti operationem prædicans. Secundo : Christum initium accepisse ex Maria, et merum esse

Digitized by Google

hominem asseruit, quæ constant ex Epiphanio hæresi LXXI, Theodoreto, lib. III hæreticarum Fabular., et aliis.

Julius pontifex Sirmiensi synodo non diu supervixit; obiit enim die duodecima Aprilis anni trecentesimi quinquagesimi secundi, postquam sedisset annos quindecim, menses duos, dies sex, ut legitur in chronico Damasi. Sepultus est via Aurelia, in cœmeterio Calepodii, indeque postea translatus ad basilicam sui nominis, sive Sanctæ Mariæ trans Tiberim. Tribus ordinationibus mense Decembri, fecit presbyteros decem et octo, diaconos quatuor, episcopos præterea novem per diversa loca ordinavit.

Ex omnibus Julii papæ scriptis supersunt duæ tantum epistolæ ab Athanasio in apologia secunda relatæ; quarum altera ad Eusebianos, altera ad Ecclesiam Alexandrinam missa. Duæ vero decretales, quæ sub ejus nomine circumferuntur, quæque in editionibus conciliorum leguntur ad Orientales scriptæ, et epistola Orientalium ad ipsum Julium supposititicæ sunt, et consarcinatæ ex variis Latinorum scriptorum fragmentis a decretalium fabricatore.

Joannes archiepiscopus Nicænus in epistola de die Natali, quam Combefisius ex Græco transtulit, et adnotationibus illustravit, narrat Cyrillum Jerosolymitanum episcopum ad Julium pontificem litteras dedisse, quibus moneret impossibile esse ut in Epiphaniæ solemnitate triplicis solemnitatis memoria in sacris ac inter se distantibus locis perageretur, inter quas celebritates, cum Natalis Domini esset, ex Jacobi fratris Domini, sive traditione, sive permissione accidit ut Romæ optime re dicussa, et diligenti, quam adhibet supputatione adhibita, Natalis Domini verum diem in 25 Decembris incidere constaret: « Inque hunc modum, inquit, Julius Romanus patriarcha menses Hebræorum atque Romanorum composuit: a quo tempore cœpit Romana Ecclesia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris diem 25 Decembris, tradiditque celebrandam universis Ecclesiis. » Hinc addit D. Basilium non modo in suis Moralibus signasse Salvatoris Natalem diem 25 Decembris, sed Gregorio Nazianzeno in mandatis dedisse, *in synodo Constantinopolitana promulgari, ac celebrari 25 Decembris*, quanquam quidam non assenserint; tandem sub Arcadio et Honorio, dum hic Bizantium aliquando accederet, cooperante sancto Joanne Chrysostomo, et ex Cypro accersito sancto Epiphanio, definitum quoque in Oriente esse, ut eadem die 25 Decembris Natalis Domini celebraretur: quibus assensum et reliqui deinceps patriarchæ dederint. Sub Honorio autem festum Natalitium jam Romæ ritu solemni celebratum, ita narrat: *Romani sua die natale Domini celebrarunt, cum lectionibus perfectis, multisque troparis atque modulis.* Exstat hæc Joannis Nicæni epistola tom. II Auctarii bibliothecæ Patrum, pag. 311.

Hæc consonant cum his, quæ habet Gregorius Nyssenus episcopus, initio orationis funebris in S. Basilium fratrem, in qua, postquam locutus est de festis quæ præcesserunt Christi apparitionem, seu Natale, ita habet: « Sed primam celebritatem una cum aliis non numero: nam quæ propter divinam unigeniti Filii apparitionem per partum Virginis festivitas instituta est, ea non simpliciter sancta celebritas est, sed sancta sanctarum, et celebritas celebritatum. Igitur, quæ hanc consequuntur numeremus. Primum nobis apostoli et prophetæ spiritualis cœtus initium fecerunt, sunt autem hi: Stephanus, Petrus, Jacobus, Joannes et Paulus. Deinde post hos conservato ordine suo, pastor et magister præsentem nobis celebritatem auspicatur, » nempe Basilius, cujus festum Græci primo Januarii die celebrant, quem diem ex Gregorio Nysseno antecesserat apparitionis Christi *per partum Virginis festivitas*; post quam celebrabatur solemnitas S. Stephani protomartyris, quam proxime sequebatur apostolorum Petri Jacobi, Joannis et Pauli festivitas, quæ una eademque die agebatur, ut idem S. Gregorius nos docet in oratione *de laudibus S. Stephani*. Deinde sequebatur celebritas S. Basilii die prima Januarii. Eumdem morem de celebratione Natalis et Epiphaniæ in Ecclesia sua obtinuisse, testis est Gregorius Nazianzenus in orat. 49 in Epiphaniam, p. 632, ubi Nativitatis Domini, et magorum adorationis festivitatem, de qua peculiarem orationem habuit, ab Epiphaniæ festo diversam fuisse diserte affirmat: « At Christi quidem Nativitas apta solemnitate prius tum a festi duce, et auspice, tum a vobis atque adeo ab omnibus, tam qui in mundo versantur, quam qui in mundo sublimiores sunt celebrata est, etc. Nunc vero alia Christi actio, aliudque mysterium sequitur, » nempe Epiphania, quæ ideo post Nativitatem celebrabatur.

Joannis Nicæni narratio etiam confirmatur ex iis, quæ habet Chrysostomus in sermone 35 de Christi Nativitate, qui exstat tomo V ejus Operum, pag. 466, scilicet ante decem annos idem festum Natalis Domini, seorsim ab Epiphania, die 25 Decembris celebrari cœptum fuisse. Erat tum S. Joannes Chrysostomus, quo tempore eam orationem habuit, nondum episcopus, sed presbyter tantum Antiochenæ Ecclesiæ, ut ostendit Combefisius in notis ad laudatam Joannis Nicæni epistolam; sed sive orationem dixerit Antiochiæ, sive Constantinopoli, vix decennium præteriisse docet, ex quo Natalis Domini verus cognosceretur: *Et quidem*, inquit, *nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit.* Pergit deinde narrare ex Ecclesia Occidentis, in qua Natalitii diei antiqua traditio erat, in Orientalem, ita ejus celebritatem rediisse, ut non omnibus statim arrideret, Dominum mense Decembri natum esse: *Hic dies cum ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum, non ante multos annos transmissus.* Dicit postea dissensionem hujus rei inter doctos fuisse, aliis eam tanquam rem novam rejicientibus, aliis vero tanquam antiquitati etiam Orientalium consonam, sed jam diu antiquatam suscipiendam et restituendam contendentibus. Gretzerus quidem ad caput 8 Codini negat hanc homiliam esse S. Chrysostomi; eidem tamen validissimis argumentis astruunt, tam Casaubonus Exercitatione 2 in Baronium, quam Combefisius loco laudato. Videndus hac de re Florentinius in notis ad martyrologium Hieronymianum Exercitatione 2, pag. 195 et seqq., ubi etiam fuse disserit de pervigilio ejusdem festi. Legendus itidem Zacagnius in præfatione tomi I ad Collectanea monumentorum veterum Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ, num. 33, ubi existimat verba sancti Chrysostomi superius relata, intelligenda esse de Antiocheni patriarchatus Ecclesiis, in quibus Ægyptiorum more, una eademque die, Epiphaniæ et Nativitatis festum antiquitus agebatur. Non me latet Combefisium laudatum scribere Joannis episcopi Nicæni epistolam de die Natali novam esse, et fabulis plenam: sed quidquid hac de re sit, quæ ex ea superius retulimus, fabulis accensenda non sunt, cum confirmata quodammodo videantur ex duobus sanctis Gregoriis Nysseno et Nazianzeno, ac sancto Chrysostomo locis citatis.

Cæterum quo præcise tempore festum Natalis Christi celebrari cœperit, incertum omnino remanet. Certe Clementis Alexandrini ætate, ideoque sæculo secundo exeunte, vel nondum celebratum, vel peculiari diei affixum non fuisse, saltem in Ægypto ubi vivebat, et in provinciis vicinis, deduco ex libro I Stromat., ubi circa finem scribit: *Sunt autem qui curiosius Natali Domini non solum annum, sed etiam diem addunt, quem dicunt 28 anni Augusti, in 25 Pacon*, id est vigesimum diem mensis Maii, non vero diem decimum quintum, ut quidam volunt; mensis enim Pacon Ægyptiorum initium ducit a die vigesima sexta Aprilis nostri. Et paulo post:

Digitized by Google

Quin etiam dicunt ex iis aliqui eum natum esse 24, vel 25 *Pharmuti*, id est die decima nona, vel vigesima Aprilis nostri; mensis enim Pharmut Ægyptiorum incipit vigesima septima die Martii nostri. Ex quibus necessario inferendum videtur non solum natalem Domini peculiari diei affixum non fuisse, sed etiam non fuisse tunc celebratum, sicut celebratur ejus baptismus, quod tradit idem Clemens Alexandrinus ibidem : *Basilidis autem sectatores*, inquit, *ejus quoque baptismi diem celebrant, totam præcedentem noctem in lectionibus transigentes.*

Illud tamen certo constat priscis Ecclesiæ temporibus, et post Clementem Alexandrinum, festum Epiphaniæ idem fuisse ac festum Natalis Christi, quo scilicet Salvator noster mortalibus sese conspiciendum præbuit, et Epiphania tam Christi Natalem, quam adventum magorum, et Christi baptismum signasse, ut demonstrat Dionysius Gothofredus ex SS. Patribus in commentario legis 5 Theodosii Junioris *de Spectaculis*, anno quadringentesimo vigesimo quinto datæ. Festum autem Epiphaniæ celebrabatur, tam in Occidente, quam in Oriente mensis Januarii sexta die : de Occidente testatur Ammianus Marcellinus scriptor gentilis, lib. xxi, cap. 2 ; de Oriente vero testes sunt Epiphanius, lib. iii, et Cassianus, collat. lib. x, cap. 2, et quo tempore Chrysostomus habuit orationem primam in Pentecosten, tres tantum, præter Dominicum, dies festi colebantur, scilicet Pascha, Pentecoste, et Epiphania, seu natale Christi. Postea Constantinopolitani a Romanis edocti, quartum festum addidere, et diem Natalis a die Epiphaniæ distinxere, et quidem paulo post quam divus Chrysostomus prædictam orationem 1, in Pentecosten, quæ tomo V ejus Operum exstat, habuit. A Ab illo tempore Natalis Christi festivitas in Oriente mense Decembri celebrari cœpit, remanente tamen pristina, Januario mense, Epiphaniorum solemnitate. Sed aliæ tunc causæ illius appellationis et festivitatis reddi cœptæ; nam qui dies prius colebatur, vel celebrabatur ut Natalis Christi, jam cultus est ut baptismum ejus representans, et Magorum adventum. Qua de re legendus idem Chrysostomus in Oratione de Baptismo Christi, et Hieronymus, lib. 1 Comment. in Ezechielem. Hæc ex Gothofredo laudato, apud quem plura.

Hanc utramque celebritatem tunc fuisse divisam constat etiam ex laudata lege Theodosii Junioris imp. *de Spectaculis ;* in ea enim Natalem et Epiphaniam Christi diserte distinguit imperator. Hæc tamen institutio ab omnibus Orientalibus recepta non est. Nam Abulpharaius in historia Dynastiarum, p. 94, mentionem facit epistolæ anno quingentesimo quinquagesimo primo a Justiniano imperatore ad episcopos scriptæ, ex qua id nobis innotescit : « Anno, inquit, vigesimo quinto imperii sui, ad omnes ubique episcopos scripsit, ut festum Natalis celebrarent vigesimo quinto Canuni prioris (Decembris scilicet nostri) et Epiphaniam sexto Canuni posterioris (videlicet mensis Januarii) ; dictoque ejus paruerunt, exceptis Armenis : illi siquidem morem priorem retinuerunt, quo utrumque festum eodem die celebrant. » Porro Armeni, ut id obiter notem, qui Justiniani imperatoris decreto parere renuerunt, jam inde tempore Gregorii Illuminatoris circa Constantini Magni tempora fidem Christianam receperant, sed anno quingentesimo trigesimo sexto se ab Ecclesia abstraxerant, et Eutychianam hæresim profitebantur. Qua de re legendus auctor criticæ Baronianæ ad annum Christi 535.

XXXVII. SANCTUS LIBERIUS.

ANNO CHRISTI 352, CONSTANTINI 16.

51. *Liberius, natione Romanus, ex patre Augusto* [a], *sedit* annos 10 menses 7, *dies* 3. *Fuit autem* [b] *temporibus Constantii* filii Constantini usque ad Constantinum [c] Augustum tertium [d]. *Hic* [e] *exsilio deportatur a Constantio, eo quod noluisset hæresi Arianæ consentire*, et fecit [f] in exsilio annos duos [g], et *congregantes se sacerdotes cum consilio Liberii ordinaverunt in locum ejus* [h] *Felicem presbyterum* [i] *episcopum, venerabilem virum, et fecit concilium Felix, et invenit 2 presbyteros consentientes Constantio Augusto Ariano nomine Ursatium, et Valentem, et exegit* i [k] *eos in concilio quadraginta et octo episcoporum.* [l] *Post paucos* autem *dies zelo ducti Ursatius et Valens, rogaverunt Constantium Augustum, ut revocaret Liberium de exsilio, ut una tantum communione participarent*, [m] *extra* secundum baptismum. Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus, simul Ursatius et Valens venerunt ad Liberium [n]. Qui consensit præceptis Constantii,' ut *una participatio conveniret communionis* cum hæreticis tantum, ut non rebaptizarent. Rediens autem Liberius de exsilio [o], habitavit in cœmeterio sanctæ Agnetis apud germanam Constantii, ut quasi per ejus interventionem, aut rogatum rediret Liberius in civitatem. Tunc Constantia Augusta, quæ fidelis erat Domino Jesu Christo, noluit rogare Constantium Augustum germanum suum, quia senserat consilium doli. Eodem tempore Constantiusuna cum Ursatio, et Valente convocaverunt aliquos, qui ex fide Ariana erant, et quasi facto con-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *B*, annos 15, m. 4, d. 1. [b] *B*, Constantii, Juliani, Joviani, Valentiniani, et Valentis Imp a coss Constantii V, et Galli ad Lupicinum, et Jovinum coss. [c] *C*, Constantium. [d] *C*, Octavum. [e] *Vide Baron. ad annum Dom* 355. [f] *C*, fuit. [g] *C*, tres. [h] *B. probat ab hæresticis tantum electum, non consilio Liberii.* [i] *Baron. diaconum facit, loc. cit.* [j] * ejecit. [k] * damnavit. [l] *Vide Baron. anno* 357. [m] *B. negat Arian. tunc rebaptizasse, ad annos* 357. [n] *Liberii lapsus, de quo Baron. anno* 357. [o] *Baron. loco cit. id refellit.*

Digitized by Google

silio misit, et *revocavit Liberium* de cœmeterio sanctæ Agnetis, et ingressus Romam in ipsa hora *fecit* Constantius *concilium cum hæreticis simul etiam cum Ursatio et Valente, et ejecit Felicem de episcopatu, qui erat catholicus*; *et revocavit Liberium.*

52 *Ab eodem die fuit persecutio in clero, ita ut intra ecclesiam presbyteri, et clerici necarentur*, et martyrio coronarentur. *Qui Felix depositus de episcopatu, habitavit in prædiolo suo*, via Portuensi, *ubi et* [a] *requievit in pace* IV. *Kal. Augusti. Ingressus Liberius in urbem* Romanam IV *Nonas Augusti consensit Constantio* [b] *hæretico, non tamen rebaptizatus est* Liberius, *sed consensum præbuit*, et tenuit basilicam beati Petri apostoli et beati Pauli, et basilicam Constantinianam annos septem. Et persecutio magna fuit in urbe Romana, ita ut clerici et sacerdotes neque in ecclesias, neque in balnea haberent introitum. Hic Liberius ornavit de [c] platinis marmoreis petris sepulcrum sanctæ Agnetis martyris. Omnes itaque anni Felicis in ejus ordinatione dinumerantur. Hic fecit basilicam nomini suo juxta macellum [d] Libiæ. Hic fecit ordinationes duas in urbe Romana per mensem Decembrem, *presbyteros decem et octo, diaconos quinque*, episcopos per diversa loca decem et novem. Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria*, octavo Kalendas Maii, *et cessavit episcopatus diebus* [e] *septem.*

CATALOGUS SUB LIBERIO

Liberius fuit temporibus Constantini, ex die XI Kalend Junias in diem..... a consulibus Constantio V et Constantio Cæsare.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *causam persecut vide in Bar. l. cit. Baron anno 357 probat martyrem fuisse.* [b] *Non consensisse in hæresim probat Bar. l. cit.* [c] *C*, platoneis. [d] Liviæ. Basilica S. Mariæ Majoris, teste Baron. [e] *CB*, sex.

VARIÆ LECTIONES

Apud eumdem ex cod Freheri.

Num 51, *linea* 1, *B*, m. 3, d. 4. *linea* 3, *A B*, Constantium *A B*, annos 3. *linea* 4, *A*, tunc congregati sacerdotes. *B*, et congregans sacerdotes cum concilio eorum Liberius in locum suum ordinavit Felicem. *linea* 7, *A*, et ejecit. *B*, damnavit. *linea* 13, *A et B*, rebaptizarent : tunc revocaverunt Liberium de exsilio; rediens autem. *linea* 18 *A*, qui ex fece. *B*, sec a.

Num 52, *lin* V, *A*, ornavit de platoneis. *B*, latomis. *lin* 11. *A*, presb 19. *lin* 14, *A B*, diebus 6.

Ex cod Reg Maz et Thuan.

Num 51, *linea* 1, ex patre Ligusto, *sed correctum* Aug (*M*, Ligusto) : sed t annos 6, m. 3, d. 4. Fuit autem temp Constantis hær filii Constantini (*M*, temp Constantini hær). *linea* 4, et fuit in exsil. *edita lectio melior. linea eod* tres congregatis itaque sacerdotibus cum consilio eorum ordinaverunt episcopum Felicem presbyterum in loco ejus, virum venerabilem. Qui Felix fecit concilium cum episcopis 48, et invenit 2 presbyteros, Ursacium et Valentem, consentientes Constantio A., quos ab Ecclesia sequestravit. Post paucos autem dies ducti Ursacius et Valens zelo malo, rog C. A. ut revoc L. ab exsilio, et unam tantum communionem cum eo participarent secundum baptismum (*M*, id est secundum baptismum). Tunc missa auctoritate per Catholinum ag. in reb et simul vos. *linea* 12, ut una participatione communionis conveniret cum hæreticum tantum, ut non rebaptizarent. Tunc revocarunt Liberium de exsilio. Rediens autem Liberius habitavit in cimiterio S. Agn. apud germanam Constantii A. ut q. p. e. i. aut r. rediret in civitatem. Sed Constantia A. quia fid. e. D. nostro Jesu C. *linea* 18, convocavit aliquos q. e. f. A. erant, et facto concilio misit et r. L. de cim. S. Agn. et Felicem, qui erat catholicus, de episcopatu ejecit (*M*, et ingressus Romam in ipsa hora fecit Constantius A. concilium cum hæreticis, simul etiam cum Ursatio, et expulit Felicem de episcopatu, qui erat catholicus, et revocavit Liberium. Ab eodem d.)

A *Num* 52, *lin* 1, ab eodem die fuit pers in cl. ita ut intra ecclesias presbyt et diaconi (*M*, et clerici) nec et m. cor. Tunc Fel. *lin* 3, ubi req in pace IV kal A. Liberius IV. Non A. Romam ingressus cons C. h. non tamen rebaptizatus est Liberius (*M*, est hæreticus), sed præbuit assensum, et ten. *lin* 6, ac B. Pauli, nec non Constantinianam an. 7, et fuit magna persecutio in urbe Roma, ut cl. et sac neque in ecclesiis, neque in balneis hab. int. Hic L. ornavit de platoniis marmoreis sep S. Agnetis. Hic fecit bas. *lin* 10 m. Lidiæ. Omnes itaque anni Felicis in ejus ordinatione dinumerantur. Hic fecit ord 2 in urbe Roma. *lin ult*, dies 6.

Ex cod Thuan ult.

Num 51, *lin* 1, annos 6, m. 3, d. 4. f. a. t. Constantini f. C. usque ad Constantium A. *lin* 4, annos 3, congregans sacerdotes cum consilio suo Liberius o. *lin* 6, sentientes C. A. *lin* 7, et damnavit. *lin* 9, et unam tantum communionem p. *lin* 11, et simul Ursatium B et Valentem ven ad Liberium, qui Liberius cons præceptis ut una p. *lin* 13, ut non reb. Tunc revocarunt Liberium de exsilio. Rediens a. *lin* 14, S. Agnæ apud germanum Constantis Augusti. *lin* 15, Constantina A. *lin* 17, quia sens consilium cod *lin* 18, qui ex fece A. *lin* 18, B. Agnæ.

Num 52, *lin* 4, nonas A. qui etiam consentiens Constantio. *lin* 6, basilicas beati Petri et beati Pauli. *lin* 6, *et* 7 et pers fuit magna in urbe Roma. *lin* 8, platoniis m. sep S. Agnæ. *lin* 9, 10, denum. Hic fecit ord 2 in u. Roma p. m. Decembrem. *lin ult*, d. sex.

Apud Holstenium et Schelestratium

Num 51, *lin* 1, *Flor* 2, Ligusto. *Flor prim*, annos 6, menses 3, dies 4. *lin* 4, *Florent duo :* et congregans sacerdotes cum consilio eorum Liberius ordinavit in locum suum Felicem. *Anselmus :* Et congregati sacerdotes cum consilio Liberii. *lin* 7, *Ansel et Flor* damnavit eos, etc., *lin* 9, *Cass* ut unam tantum communionem participaret. *lin* 13, *Flor duo*, rebaptizaret. Hinc revocaverunt Liberium de exsilio. *lin* 15, *Flor*, Constantiam, lin 17, *Flor*, qui assenserat consilio doli. *In cod*, *Flor sec*, quoniam senserat consi-

Digitized by Google

lium. *lin* 18, *Vat et Flor*, ex fæce. *lin* 19, *Flor et* A *Vat*, Augustus.

Num 52, *lin* 4, *Codd mss*, Romana. *lin* 7, *Flor sec*, clerus. *lin* 8, *Flor et Vat*, de platomis marmoreis sepulcrum. *lin* 9, *Flor*, in hujus ordine. *lin* 11, *Flor*, v idus Septembris. *In antiquo Martyrologio S. Cyriaci*, IX Kal Octob. Romæ depositio S. Liberii episcopi.

Apud Peniam, ex cod Cavensi.

Num 51, *lin* 12, præceptis, ut una participatio. *lin* 14, in cymiterio. s. A. a. g. Constantii Aug ut quasi. *lin* 15, interrentionem, aut rogatu. *lin* 17, senserat consilium. Eodem. *lin* 18, de cymiterio.

Num 52, *lin* 4, in urbe Romana. *lin* 13, in cymiterio. *Ita fere semper mendose scribitur etiam in consequentibus, quod imposterum desinemus adnotare.*

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Num 51, linea 13. — *Tantum ut non rebaptizarent.* Arianos tempore Liberii papæ rebaptizasse eos, qui ex Catholicis ad sectam suam veniebant, manifestum fit ex hoc loco, quem auctor libri Pontificalis ex secundo catalogo descripsit. Quandonam autem cœperint rebaptizare Ariani, nondum innotuit. Verisimile tamen est, eos rebaptizandi morem a Donatistis accepisse, et Donatistas, ne amplius in Africæ angulo latitare dicerentur, ante Liberii tempora unionem cum Arianis iniisse.

ALTASERRA.

Num 51, linea 10. — *Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus, simul Ursatius et Valens venerunt ad Liberium.* Per agentes in rebus perferebantur litteræ et mandata imperatoris, et qui erant evocandi in comitatum principis, per eos evocabantur. Ambros. de Offic. lib. II, cap. 27 : « Legebatur rescripti forma, directio magistri officiorum statuta, agens in rebus immineb at. » Et Symmach. lib. VII, epist. 59: « Sacras mihi litteras Julius agens in rebus exhibuit. »

Num 52, linea 6. — *Et persecutio magna fuit in urbe Roma, ita ut clerici et sacerdotes, neque in ecclesias, ne que in balnea haberent introitum.* Ipsa erica persecutionis genus sub Constantio, interdictio ecclesiarum et balneorum. Christiani etiam meliorum temporum utebantur balneis, non deliciarum, sed valetudinis causa. Tertull. Apolog. cap. 41 : *Lavor honesta hora et salubri.* Joannes apostolus ipse non abstinuit balneo, verum aliquando balneum lavandi causa ingrediens. cum audiisset Cherintum intus B esse, statim foras se proripuit, ne lavaret cum hæretico, de quo Euseb. lib. III, cap. 22; lib. IV, cap. 15; Epiphan. in Panar. hæres. 30, art. 24. Post mortem matris, mœroris levandi causa, balneo se usum, de se testis est Augustin. Confess. lib. IX, cap. 12 : « Visum etiam mihi est, ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quod anxietatem pellat ex animo. »

Linea 8. — *Hic Liberius ornavit de platinis marmoreis vetus sepulcrum sanctæ Agnetis martyris.* Sepulcra martyrum et majorum ornari solebant crustis marmoreis. Unde memoriæ marmoratæ sæpius memorantur. Augustin. in psalm. XXXIII et XLVIII : « Platinæ sunt tabulæ marmoreæ. » Platonias vocat Anastas. in Damaso : « Ædificavit Platoniam, ubi corpora apostolorum jacuerunt, id est beati Petri et Pauli, quam et versibus ornavit. » Idem in Sixto III : « Cancellos argenteos supra platonias porphireticas, pensantes libras trecentas. » Et infr. eodem. : « Hic fecit platoniam in cœmeterio Calisti, via Appia, ubi nomina episcoporum et martyrum scripsit cum memoriis. » Idem in Leone III : « Super lilios ex metallis marmoreis platonias posuit. » Utrumque a Græco πλατύνω dilato, extendo. Cassiodor. 3 Variar. epist. 9 : « Supra memoratas platonias, vel columnas. »

BENCINI.

Num 51, linea 12. — *Qui consensit præceptis Constantii.* Mira hic intervenit gestorum corruptio, et circumstantiarum inordinata series, et chimerica rebaptizantium hæresis per Constantium promota, quæ omnia sicuti a coævis, et indubitatis scriptoribus aliena a vero ostenduntur, ita scioli cujusdam, aut in Liberium pessimæ animositatis additio autumanda. Hæc videntur conflata, et ex additionibus coordinata desumptis ex Luciferianorum, et schismaticorum sub Felice, et Ursicino calumniis in Liberium conflatis, quas quisquam collegit, et in margines catalogorum inseruit, et collecta imposuit, et gesta Liberii interpolavit. Quod certo probabitur, si priorem in Julio additionem ad Liberium pertinere dicamus. De exsilio enim Liberii et restitutione ibi loquitur, et ei convenit (etsi Julio perperam affingitur), quam additionem cum collector videret non concordare cum altera, quam in aliis Catalogis invenit, Julio tribuit priorem, et secundam imposuit Liberio, utramque B falsam. Si integra exstaret Vita Eusebii presbyteri, cujus tantum fragmentum exhibet Baluzius, forsitan nostra conjectura firmari posset (tom. II Miscellan. pag. 141). Interim tamen ex illis actis desumptam fuisse constat, dum inter exstantia monumenta nullibi legitur, nisi in fragmento Eusebiano, quod de communione et rebaptizatione hic dicitur. Fragmentum enim sic habet et incipit : « Eodem tempore quo Liberius de exsilio revocatus fuerat a Constantio Augusto hæretico, in eodem tantum dogmate, ut non rebaptizarent populum, sed una communione contaminarent plebem. » Hæc vero actis Liberii assuta sunt, et ad verbum desumpta ex Vita Felicis III, quæ exstat integra in pluribus codicibus Colbertinæ bibliothecæ, uti testatur Baluzius, et videtur conscripta ab Eusebio, dum plura legantur in fragmento Eusebiano, quæ in Vita Felicis. In his vero actis plura falsissima leguntur, præcipue quod Valens et Constantius dicantur presbyteri, cum certo essent C episcopi, et sententia depositionis exstans eos ab episcopatu removet. Nec tunc Romæ adesse poterant, sicut et Constantius, uti probant, qui Constantii gesta enucleatius expendunt. Imo in codd. laudatis Vitæ S. Felicis *Romani presbyteri*, Valens et Ursacius dicuntur, vocem vero *Romani* omisit interpolator horum actorum : sic enim utraque lectio habet.

Libri Pontificalis.	*Vita S. Felicis juxta Baluzii editionem.*
Et fecit concilium Felix, et invenit duos presbyteros consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Ursatium et Valentem, et exegit eos in concilio quadraginta et octo episcoporum.	« Et feci, concilium idem Felix, et invenit duos presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Ursatium et Valentem, et damnavit eos in concilio coram quadraginta et octo episcopis, qui fuerant congregati. Hic declaravit Constantium filium D Constantini hæreticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense juxta Nicomediam in Aquilone villa, et pro hoc declarato ejicitur S. Felix de episcopatu suo a Constantio Augusto filio Constantini Augusti. »

Collector gestorum Liberii et Felicis, seu potius interpolator verba desumpta ex Actis Felicis priora integra inseruit in Vita Liberii : illa vero verba, *Hic declaravit*, et reliqua, in Vita Felicis interposuit. Quæ vero falsa, inepta, et insulsa effutiat mendacia in Felice erunt recensenda.

Lin. 9. *In una tantum communione participarent.* Liber Pontificalis hæc ex gestis Eusebii, et Felicis desumens, Liberii lapsum in eo collocat, quod ipse factus est prævaricator in communicando cum hæreticis Arianis, et unam cum ipsis communionem ineundo,

Digitized by Google

non tamen in dogmate de rebaptizatione, atque, quod etsi Constantius, et perfidiæ socii dogmati adhærerent, Liberius ab eo erat alienus. De commento rebaptizationis in notis infra, interim ex promota lapsus causa initæ unius communionis cum Arianis per Liberium, suspicio orta, Acta hæc seu potius Eusebii et Felicis gesta vel ab aliquo Luciferiano, aut schismatico Ursicini assecla esse enucleata. Lucifero enim Calaritano occasionem præbuit se separandi a communione reliquorum lapsorum indulgentia, quæ episcopis Ariminensibus lapsis fuit concessa, prævaricationemque vocabant Luciferiani concessam communionem. Hæc primo a Liberio vulgatur et confirmatur in qua confirmatione tacite Luciferianos perstringit. Exstat inter Hilarii fragmenta prioris decreti pontificii editi confirmatio, in qua edicit Ariminenses sedi restitutos post editam ejurationem decreti Ariminensis, et fidei catholicæ professionem, et addit (Frag. 12. Eng. 1358): « Per quam professionem, etiamsi quibusdam leve, et remissum videtur, recuperet id quod per astutiam rectitatis fuerat amissum. » Et antecedenter dixerat : « Nec enim si aliqui forte, qui hoc studii gerunt, ratione provisum, destruere impudenter severiori censura hoc existimaverint, et novare, quod jam ex apostolica auctoritate munitum est de pietate. » Recolit ergo Liberius quod jam factum decretumque fuerat, et censurat eos, qui decretum *dixerant leve, et remissum*, quo Luciferianos inurit, qui, ut ibi legitur, proclamabant *non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt*. Faustinus, et Marcellinus, quibus astipulatur Gregorius presbyter, et alii Valentiniano Theodosio et Arcadio Augustis obtulerunt libellum precum, ubi Luciferianorum causam tuentur et episcopos quoquo modo Arianis communicantes (uti esse putabantur lapsi episcopi Ariminenses) adulteratæ veritatis catholicæ insimulant, et per eam indulgentiam Ecclesiam universam prævaricatam esse audacter asserunt, paucosque cum Lucifero retinere fidei puritatem, et simul affirmant quotquot subscripserunt Arianorum placitis prævaricatores esse habendos (tom. V, bibl. 81, pag. 654.) Ita enim propriam et catholicorum partem describunt. « Interea quia apud quosdam multitudo præponitur veritati, eo quod pauculos habeat sectatores, et ob hoc affligimur, quod in paucis sequimur inviolabilem fidem, et multos vitamus propter impias hæreses, et sacrilegas prævaricatorum subscriptiones, quid censetis in hac causa, o justissimi imperatores, et catholicæ fidei vindices, de his duabus partibus cui calculum datis? Una est pars in qua sunt multi episcopi : sed ubi sunt multi illic per prævaricationem sacra Christi fides violata est semper ante defensa, illic metu legis, Arii susceptæ impietas est, semper ante damnata. Uti vero paucissimi sunt, illic per exsilia, per cruciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem fides Christi vindicatur, et Arii impietas et omnis hæresis ut summum malum exsecrabiles sunt. » Discriminant itaque hos qui erant *nullificati merito hæresis*, *vel prævaricationis*, et prævaricatores omnes eos habent, qui etsi hæresim Arianam non amplecterentur, nihilominus quoquo modo cum Arianis communicabant. Hi itaque offensi Liberio, quem auctorem habebant damnationis Luciferianorum, confinxerunt Liberium cum Arianis communicasse, et tantum ab eis discriminari, quod dogma de rebaptizatione non tueretur, ut sic ostenderent Liberium indignum pontificem, sicuti et Damasum successorem, quem vicarium suum constituerat Liberius in exsilium deportandus, ut hoc pacto promoverent causam Ursicini, quem verum pontificem habebant. Quomodo ad suum phantasticum Romanum primatum vindicandum Donatistæ confinxere Marcellini lapsum, ut Melchiadis præcipue, et Silvestri in eosdem latas sententias infirmarent, et verum cathedræ Petri successorem ostenderent Victorem Garbiensem. Quæ conjectura firmatur ex illis verbis fragmenti Eusebiani, ubi Eusebius describitur interrogatus a Liberio coram Constantio, cum aiebat pag 141 : « Confidimus in Domino, quia fideles nos inveniet Christus, sicut et baptizati sumus, et benedictionem quam a beato Julio suscepimus tenemus. Liberius dixit : Nos cujus fungimur vice? nonne Julii anterioris nostri? » Ubi aperte ostenditur, Luciferianos dogmatizasse, per has communiones Ecclesiam defecisse, omnesque episcopos ut prævaricatores reputandos esse, ipsos vero communes ab ea noxa, quia a Julio consecrati, non a Liberio ; unde nostra conjectura manifesta deprehenditur. Hi itaque Felicem primo, deinde Ursicinum tuentes acta aut scripserunt, aut interpolarunt, atque hisce futilibus replerunt. Neque mirum quod tuto hæc vulgare potuerint, cum per ipsos circumventi imperatores ediderint favorabile rescriptum Cynegio præfecto prætorio datum, ubi sic eosdem commendant. (In PP. bib. 661.) « Tamen per Faustinum et Marcellinum plenissimos fidei sacerdotes interpellata clementia nostra, veriti sumus, nisi per nos nihil fuisset responsum petentibus, nos videremur annuere iis, qui divinæ legi, cui servimus contra propositum nostrum aliquid addidissent. Atque adeo ita utrumque moderamur, ut petitionem, quæ est oblata, veneremur, fidei autem nihil ex nostro arbitrio optemus, vel jubeamus adjungi. Nemo unquam tam profanæ mentis fuit, qui cum sequi catholicos doctores deberet, quid sequendum sit doctoribus ipse constituat. Et sane probabilis, et justa laudatio precum est, quæ omnem prope seriem hæreticæ superstitionis, quæ contraria est fidei catholicæ, ordinemque complexa est. Nam et unde orta, et quo auctore provecta fuisset, aperuit. » Gregorius porro, qui auctor est Vitæ Eusebii, ut in fragmento laudato in calce testatur ipse, erat, ut reor, ille qui in libello precum a schismaticis laudatur; an sit ille qui Beticus deinde factus episcopus, inter Luciferi asseclas recensetur, est alterius disceptationis locus. Interim satis erit notasse, ex hisce schismaticorum libellis confictam historiam et lapsum Liberii, traducti ut prævaricatoris per communionem initam cum Arianis, quorum tantum rebaptizationem rejecit. An per injuriam Liberio pontifici impositum quod communicaverit cum Arianis, videndi qui causam hanc ex professo retractatam dederunt.

Linea 10. — *Extra secundum baptismum.* Schismatici in Vita Felicis primi (et singulares sunt in hac narratione) Arianos Liberii tempore fingunt promovisse secundum baptismum, nempe rebaptizantes eos, qui ex catholicis ad illorum castra nomen dabant. Etenim, nec Athanasius, nec Hilarius, nec ullus ex aliis, qui ex professo errores Arianorum descripsere, eosdem insimulat de promota rebaptizatione. Primus qui inter Arianos errorem hunc divulgavit fuit Eunomius, et quidem post Liberii obitum, qui ex odio in Arianos priores, et semi-Arianos caput et dux factus eorum, qui dissimilitudinem in essentia Verbi cum Patre dogmatizabant, post annum 380, universim promovit rebaptizationem, et reordinationem omnium, qui sive ex religione catholica, sive ex aliis sectis ad ipsum adveniebant. Ita constat ex Philostorgio, qui Eunomianorum sub Theodosio gesta referens scribit l. x, c. 4, § 136 : « Eunomianos adeo a prædictis hæresibus sese secrevisse ut neque baptisma eorum, neque ordinationem admitterent. » Hinc et schismaticorum mendacium manifestatur; et unde orta ejusdem origo : simulque probatur interpolatio horum gestorum.

Linea 18. — *Revocavit Liberium de cœmeterio S. Agnetis.* Hæc desumuntur ex Actis Felicis, et paucis litteris mutatis hic inseruntur a consarcinatore Vitæ Liberii.

Linea 18. — *Ingressus Romam in ipsa hora fecit Constantius concilium.* A revocato Liberio Constantius

Digitized by Google

Romæ non erat. Dum enim Chronologi exactiores re-
dium Liberii statuunt ad annum 358, referuntque
scriptores Constantium eo integro anno constitisse
Sirmii, belloque adversus Quados Sarmatasque fuisse
illigatum, ac eodem anno concilium regressum, in quo
introierant Constantinopolim legati Persarum die VII,
Kal. Martii (ex Idacii Chron. ad an. 358) ad quos au-
diendos profectionem tandem paravit : inde falsitatis
Acta Felicis notanda, adeoque quæ ex illis Actis in-
terpolator Liberio assuere, nullo habito criterio non
est veritus, tum de Constantii mora in urbe, dum ex
exsilio regreditur, sicuti et de subsecuto concilio in
Constantii præsentia. Sed adsunt alia indubia argu-
menta, quod laudato anno Constantius Romæ non
fuerit, desumpta ex legum publicatione. In fine enim
anni 357 erat Mediolani, ubi edidit l. 5, sub tit. de
Maleficiis Cod. Theod. sicut et legem 14 de episcopis
ibi, quæ data est 9 Decembris, Mediolani. Ibidem
edidit legem 9 de cursu publico. Sirmium vero pe-
tiisse, ac ibi in anno extremo fuisse denotat lex 27
de Appellat. quæ Sirmii publicatur. Deliberasse
vero non Romæ, sed Sirmii Liberium ab exsilio re-
vocare tradit Philostorgius, dum gesta Constantii
prosequitur l. IV, c. 3, § 65 : « Ipse vero Sirmium
profectus ibi egit, ubi et Liberium episcopum urbis
Romæ a Romanis summopere expetitum ab exsilio
revocavit, flagitantibusque reddidit (l. XVI, pag
455). » Dubium omne evacuat Marcellinus, qui anni
357 Constantii moram in urbe describens, quodque
per triginta dies magnificentia urbis summopere de-
lectatus, addit : « Cupiens itaque augustissima om-
nium sede morari diutius imperator, ut otio puriore
frueretur, et voluptate, assiduis nuntiis terrebatur,
et certis, indicantibus Suevose Rhetias incursare
quoadusque Valeriam, et Sarmatas (latrocinandi
peritissimum genus) superiorem Mœsiam, et secun-
dam populari Pannoniam. Quibus percitus trigesimo
postquam est ingressus die IV Kal. Junias ab urbe
profectus, per Tridentinum iter in Illyricum festina-
vit. Unde misso in locum Marcelli Severo, bellorum
usu, et maturitate firmato, Ursicinum ad se venire
præcepit. Et ille litteris gratanter acceptis, Sirmium
venit. »

Num 52, linea 1. — *Ab eodem die fuit persecutio in clero.* Quæ interpolator hic apposuit, desumuntur ex fragmento Eusebiano, sic tamen ut omnis persecutio-
nis causa revocetur ad reditum Liberii, in Actis vero Eusebianis pejore errore auctor dicitur Constantius tanquam Romæ præsens, apud Baluz. pag. 142 : « Ab eodem die intra ecclesias jussu Constantii im-
peratoris quisquis inventus fuisset non sic confiteri, vel participari sicut Liberius, indiscussus gladio pu-
niretur. Quapropter in plateis, et in vicis, et in ec-
clesiis, sive in balneis gladio occidebantur, perse-
quente Constantio Christianos una cum Liberio. » Et liber Pontificalis paulo post : « Et persecutio magna fuit in urbe Romana, ita ut clerici et sacer-
dotes neque in ecclesias, neque in balnea haberent introitum. » A Luciferianis conficta mendacia, do-
cent Faustinus et Marcellinus, in libello supra lau-
dato, qui Romæ factam persecutionem asserunt, eam tamen nec Liberio, aut Constantio tribuunt, sed ex invidia populorum in Luciferianos; cum enim dixissent : « Ubi sunt multi, illic per prævaricatio-
nem sacra Christi fides violata est... illic metu legis Arii suscepta impietas est; » addunt mox : « Ubi vero paucissimi sunt, illic per exsilia, per cru-
ciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem fides Christi vindicatur. » Præterquam quod nullibi legitur apud scriptores profanos istiusmodi facta in Urbe persecutio : revincuntur etiam, dum asserta magna hæc persecutio exerceri non poterat nisi *in paucissimos*, ut ipsi Luciferiani testantur, respectu quorum vix pars conflictarum pœnarum poterat agi-
tari. Sed quod magis mendacissimum facit auctorem Eusebiani fragmenti, est quod addit in fine : « Mortuo autem Liberio, levatur Damasus, qui voce publica damnavit Liberium facta synodo cum episcopis viginti et octo, et presbyteris viginti quinque; et cessavit persecutio, non tamen multum tempus. » Quis vero has nænias credere audebit, cum ex actis Damasi constet Damasum constitutum vicarium a Liberio; et in ipso cœmeterio S. Agnetis S. Dama-
sus comes erat pontificis? Ex hisce lacunis prodiit interpolatio gestorum Liberii, indeque cordatus quis-
que cognoscet, non majorem fidem præstandam his interpolationibus, quam merentur vel fragmentum Eusebianum, aut acta S. Felicis, quæ conflantur a Luciferianis offensis Liberio, quem primum auctorem habebant indulgentiæ publicatæ pro lapsis epis-
copis Ariminensibus, quæque indulgentia occasionem dederat Luciferiano schismati.

Linea 8. — *Hic Liberius ornavit de platinis marmoreis petris sepulcrum S. Agnetis.* Dixerant schismatici presbyteri catholicos habere templa pretiosis marmoribus rutilantia. Jam enim per ipsum Constantinum templorum splendor invaluerat, præcipue per istiusmodi genera ornamentorum, nec Romæ tantum, verum et per reliquas orbis ecclesias. De Nectario refertur, quod creatus anno 381 Constantinopolitanus episcopus, congregare, quoad vixit, non desiit marmora ad vestiendum S. Anastasiæ templum. Quæ cum nesciamus quo casu deperdita, occasionem de-
dere calumniatoribus confingendi a S. Chrysostomo fuisse vendita. In synodo enim ad 7 apud Photium inter alias accusationes et hæc allata est : « Quod marmora S. Anastasiæ quæ Nectarius illi Ecclesiæ marmoribus ornandæ reliquerat, ipse vendidisset. »

BINII ET LABBEI.

Num 51, linea 5. — *Ordinaverunt in locum ejus Felicem presbyterum.* Liberium quod calumniantur hæretici, Arianæ hæresi infectum fuisse falsum est, siquidem nihil orthodoxæ fidei contrarium scripserit, aut docuerit. Cum Arianis commun cantem, Athana-
sium injuste condemnantem, fideique formulæ nomi-
ne *consubstantialis* carenti, quantumvis catholica es-
set, subscribentem peccasse, suspicionem hæreseos ju-
stam in foro exteriori incurrisse, justaque de causa a catholicis vitatum fuisse, libenter concedimus. Vi-
de Baron. ann 355, num 5 et seqq, et 357, num 46 et seqq; Bellarm de Rom pont lib IV, c. 9.

Linea 12. — *Qui consensit præceptis Constantii.* Per vim nimirum, tormenta, ac tædium exsilii in-
ductus.

Num 52. Linea 2. — *Martyrio coronarentur.* Tunc contigisse videtur, ut Eusebius Romanus presbyter a ministris Constantii intra cubiculum clausus, illic mensibus septem perseverans fame consumptus spiri-
tum exhalavit. Baron in mart notis die 24 Augusti.

Linea 4. — *Consensit Constantii hæresi, non tamen rebaptizatus est.* Hoc videtur indicare, quod etsi Liberius cum Arianis communicaverit, non tamen factus fuerit Arianus per secundum baptismum, quo solerent illi catholicos ad se deficientes iterum bapti-
zare. Sed hæc quidem superflua, et ab aliquo ad-
dita; nondum enim Ariani rebaptizabant: quin et Ecclesia hoc tempore non respuebat Arianorum baptismum, ut testatur S. Hieronymus adversus Luciferianos. Baron anno 357, num 41.

Linea 6. — *Persecutio magna fuit in urbe Roma.* Illi qui Liberio non communicabant, non tantum ab ecclesia, sed etiam a balneis publicis abstinebant, ne scilicet una cum illis lavarentur, ut qui scirent ex sententia Joannis evangelistæ, neque balnei lo-
tione cum hæreticis participandum esse; atque ideo in hos a magistratu sævitum est. Baron ann 357, num 58.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ

Liberii epocham incuntem ex catalogo ejusdem ætatis omnium vetustissimo tenemus inchoasse die XI Kalendas Junias Constantio Aug V et Constantio

Digitized by Google

Gallo Cæsare coss quo anno depositus etiam legitur in opusculo quarti sæculi Julius decessor prid. Idus Aprilis. Ibi nos destituit catalogus, antiquitatem suam hoc termino comprobans. Finem vero Liberii non minus certum reddit Libellus precum, Theodosio Augusto porrectus a duobus presbyteris Faustino et Marcellino, eodem quarto sæculo ad finem vergente: quem Baronius indicavit ad annum 367, edidit vero Schelestratius Antiquit. Ecclesiæ tomo I, lib II, cap 9, n. 2, ex Cod Vaticano 4903 unde pridem retulerat Panvinius hist Eccles tom I (Ms. in eadem bibliotheca Vaticana asservato), affirmans illum codicem uncialibus litteris scriptum asservari in bibliotheca monasterii S. Crucis de Avellana, et in illo legi ea quæ sequuntur: *Itaque octavo Kal. Octobris Gratiano et Daglaipho Coss. Liberius humanis rebus eximitur.* Pertinent autem consulatus Gratiani et Daiglaiphi ad annum Christi 366. Quare cum Liberius pontificatum Romanum iniverit anno 352, die XI Kal. Junias quo eligebatur (nisi legendum sit IX Kal. Junias die Dominica qua ordinabatur); et cum rebus humanis exemptus fuerit die 24 Septembris anni 366, Gratiano et Daiglaipho coss.; necesse fuerit ejusdem sedi attribuere annos quatuordecim, menses quatuor, dies duos.

Mirum igitur videri potest, quod ita certi cum sint termini pontificatus Liberii, nulla tamen epocha huic summæ respondeat ex collectis inter prolegomena Ibi attamen adnotavi, detrahi triennium exsilii, quo detinebatur Liberius a Constantio Augusto (cujus etiam temporis pars tribuenda est legitimo ejusdem successori S. Felici papæ et martyri, ut hac ipsa et sequenti sectione ostendetur) tum a picturis basilicæ S. Pauli, tum a catalogis numerantibus ejusdem sedis annos decem, menses septem, dies tres. Quin etiam Felice, de consilio Liberii suum in locum ordinato cum ipse in exsilium deportaretur, ut in hac Anastasii num. 52 diserte scribitur linea 9, *omnes anni Felicis in ejus ordinatione dinumerantur.* Et quamvis legitimus pontificatus Felicis *extendendus non sit ultra annum unum, menses tres, et dies duos*, ut ex dissert 2 Schelestratii, cap 9, indicavi eodem fol 105 in Prolegomenis col 2, attamen catalogus sub Felice quarto assignat Felici triennium solidum exsilii, quod adimitur Liberio. Bibliothecarius memorat biennium in exsilio exactum a Liberio antequam ejusdem suasione Felix ordinaretur. Linea 4, num 51 : « Hic exsilio deportatur a Constantio, quod noluisset hæresi Arianæ consentire, et fecit in exsilio annos duos, et congregantes se sacerdotes cum consilio Liberii, ordinaverunt in ejus locum Felicem presbyterum episcopum. » Huic biennio si addatur annus unus cum mensibus tribus, et diebus duobus Felici tributis, colligitur summa annorum 3, mens 3, et dierum 2. Hæc autem detracta ex annis 14, mensibus 4, diebus 2, numeratis ab inito per Liberium pontificatu ad ejus obitum ex documentis quarti sæculi

	14	4	2
	3	3	2
superstites relinquit annos	11 mens	1	0

Tribuunt picturæ S. Pauli et complures catalogi cum Bibliothecario pontificatui Liberii annos decem, menses septem, dies tres. Quare menses quinque, et dies viginti septem supra annos duos solidos ejusdem exsilio sunt assignandi.

Tum vero ex hisce annis exsilii	2 mens	5 dieb	27
et ex legitimo pontificatu Felicis	1	3	2
cum assignatis sedi Liberii	10	7	3
colligitur summa temporis ann	14 mens	4 dier	2

respondens intervallo temporis intercepto ex die 22 Mai anni 352, Constantio Aug. V et Gallo Coss, qua die S. Liberius inibat pontificatum ad diem 24 Septembris anni 366. Gratiano et Daiglaipho coss. qua rebus humanis exemptus fuit.

Quibus autem annis fuerit in exsilium pulsus quandoquidem in chronico Hieronymi et apud alios scriptores legitur Liberius iterato exsulare jussus) colligere possumus ex lin 3 hujus sectionis, ubi hæc habentur : « Fuit autem temporibus Constantii filii Constantini usque ad Constantinum Augustum tertium. Hic exsilio deportatur a Constantio quod noluisset hæresi Arianæ consentire : et fecit in exsilio annos duos, etc. » Illis in verbis *usque ad Constantinum tertium*, ubi legendum puto *usque ad Constantium tertium*, indicatur, ni fallor, consulatus tertius Constantii Galli cum Constantio Aug VII consule anno Christi 354. Occurrit consulatus iste pluribus in legibus utriusque codicis Theodosiani scilicet ac Justinianei (et quidem aliquando mendose signatus Constantini VII reddentibus loco Constantii VII) in chron Alexandr Fastis Flor Maj et Mi. Fastis Idatii, chronico Prosperi, Fastis Anonymi, et alterius Anonymi apud Bucherium de Præf Urbi collectis a Relando. Tum vero prioris exsilii lex contra Liberium scripta videtur. Et quidem anno 355, Arbettione et Lolliano coss. in exsilium pellitur Idibus Augusti, ut ex Actis pontificum antiquissimis collegit Panvinius videndus apud Schelestratium Antiq Eccles dissert 2, cap 9, n. 3, nempe post annos 3, menses 2, et dies 21, a suscepta ordinatione. Biennio post ab exsilio redux Felicem ex Archidiacono presbyterum, deinde pontificem reperisse dicitur contra jusjurandum a clero electum (ut refertur etiam in chronico cui nomen præfigitur Hieronymi) intrusum primo factione Arianorum, licet ipse catholicus esset. Varia deinde vicissitudine ab Ariano principe, et a senatu populoque Romano modo Liberius, modo Felix vexantur, et per vices pelluntur ex Urbe ac revocantur : quo tempore sive ex consensu Liberii iterum exsulis, sive ex rumore in Urbem perlato, quod is Constantio consensisse diceretur in admittenda formula Sirmiensi, electum jure fuisse constat successorem Liberi Felicem. Is in Cathedra apostolica legitime sedens mira firmitate fidei ita restitit Constantio, ut post annum solidum, menses tres, dies duos, legitimæ sedis ipsi attributos in picturis S. Pauli et in catalogis aliisque documentis, quæ retulimus in Prolegomenis, juxta nonnullos Urbe pulsus et clam morti traditus jussu Constantii dicatur die III, sive IV, Idus Novembris; ab aliis vero dicatur quidem expulsus ab Urbe, et pontificatu cessisse ad indicatum diem III Idus Novembris, sed vitam produxisse putetur ad annum 365, cum in libello precum Faustini et Marcellini obiisse narretur Valentiniano et Valente consulibus. Post obitum seu dimissionem Felicis cessavit episcopatus juxta catalogum Farfensem dies 37, nempe ex die 12 Novembris ad 20 Decembris; juxta Bibliothecarium vero (includentem fortasse terminos mortis Felicis et iteratæ electionis Liberii) cessavit dies 39, nempe ex die 11 Novembris ad 21 Decembris ejusdem anni 359. Tunc vero iterum electus die 21 Decembris Romanus pontifex Liberius tenuisse dicitur tres basilicas patriarchales Constantinianam, Vaticanam, et Paulinam per annos septem (sect. 52) nempe usque ad annum æræ Christianæ 366, quo vita cessit die 24 Septembris, Gratiano et Daglaipho coss.

Post iteratam electionem sedit ann	6 mens	9 dies	3
Sederat ante primum exsilium ann	3 mens	2 dies	21
summa est	9	11	24
a reditu ex priori exsilio ad secundam relegationem si addantur	0	7	9
quot fluunt ex II Augusti ad X Martii sequentis, fiunt anni	10 mens	7 dies	3

Attributi Liberio per catalogos Bergomensem et Colbertinos duos IV et VI consentientibus quoque picturis S. Pauli, ut supra retuli in Prolegom.

Erit itaque chronologia duorum pontificum Liberii et Felicis ex allatis documentis ita disponenda:

Anno 352, die Dominica 22 Maii ordinatur Rom. pont Liberius.

Digitized by Google

355. Idibus Augusti pellitur in exsilium Liberius.
356. die . . . intruditur Felix in sedem Romanam.
357. die IV. Nonas Aug redit a priori exsilio Liberius.
358. die 10. Martii exsulat iterum Liberius post mens 7, dies 9, a reditu numeratos, et cedit pontificatu.
358. Eligitur legitime successor S. Felix die VIII Aug.
359. S. Felix expulsus martyr sive occiditur, sive cedit pontificatu die XI Novembris.
359. Cessat episcopatus juxta Bibliothecarium per dies 39, ex XI Novembris ad XXI Decembris; juxta catalogum Bergomatem dies 37, ex XI Novembris ad XX Decembris.
359. die XXI Decembris iterum eligitur Romanus pontifex Liberius, qui Apostolicæ sedi præsidet usque ad obitum suum XXIV Septembris 366.
366. Gratiano et Daglaipho coss. diem claudit supremum S. Liberius XXIV Septembris, cum tenuisset Romanam sedem ab iterata electione sua annis ferme septem.

Notæ historicæ.

Num. 51, linea 1.—*Sedit annos decem, menses septem, dies tres.* Qua ratione colligatur hæc summa dixi paulo ante in notis chronologicis. In codice S. Marci Florent. legitur: *Sed ann* VI, *mens.* IV, *dies* III. Suspicor ex vetustiori exemplari desumptum ubi fortasse anni VI, mens VIII, dies III, exprimebantur; quæ summa tempus definit ab iterata electione ad finem vitæ Liberii, rotundo numero annorum septem signata per Bibliothecarium sectione sequenti.

Sessio ista Liberii interrupta per iteratum exsilium, abrupta per dimissionem, et consensum ab eo præstitum ad electionem Felicis, repetita denique per secundam electionem ad Romanam Sedem, reddit ejus tempora ita implicata; ut omnium pene historicorum et chronologorum calculos fugiat, aut certe patientiam fatiget ejusdem sedis chronologia. Accedit difficultas separandi in historia Liberii ea quæ prius gesta sunt a cæteris subsecutis post revocationem: ut ipse Annalium conditor Baronius ad annum 357 observat, complicanda sibi esse necessario priora cum posterioribus, ut idea resultet integra gestorum ab eo pontifice: cujus invictum robur in assertione catholicæ fidei, et morum sanctimonia a Patribus ætate ipsi æqualibus commendata fit manifesta, si prima cum postremis temporibus conferuntur. Quæ autem humanitus passus est medio intervallo, dum tædio affectus exsilii subscripsit sententiæ contra Athanasium, et formulæ dolose sibi porrectæ (licet a catholica fide non dissentienti) divelli nec ipsa possunt a serie plurium gestorum in aliis formulis subsecutis et ab illa diversis, quarum de subscriptione nota illi impingi non potest. Quare mirum videri minime debet, si paulo obscuriora et confusa Liberii gesta se nobis offerant hoc in Libro Pontificali: quæ apud historicos et chronologos diligentiores non sine permistione et implexione dissonni potuerunt. Ea tamen dilucidata reperiet lector prioribus curis apud Baronium ad annum præsertim 357, deinde apud Pagium juniorem in sectione Liberii, et fortasse nitidius apud Somier, in Historia dogmatica S. Sedis: uti experietur ex eo specimine notarum selectiorum, quæ ejusdem ex commentario hic afferuntur.

Num. 52, lin. 10. — *Hic fecit basilicam nomini suo juxta macellum Libies.* In Sixto tertio amplificatore basilicæ Liberianæ erit locus opportunior de illa agendi.

Linea 13. — *Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria.* Et complures pontifices ab ætate S. Marcelli usque ad Siricium conditi leguntur in hoc cœmeterio Priscillæ, nempe Marcellinus, Marcellus, Silvester, Liberius, Siricius, Cœlestinus. Aringhius, qui eosdem recensuit Romæ subterr. lib. IV, cap. 28, n. 10, advertit etiam ex epistola Adriani papæ ad Carolum Magnum constare, picturis decoratum fuisse hoc cœmeterium a Cœlestino. Subdit n. 12, a Paschali papa complurium ex iis reliquias in Urbem fuisse perlatas (quando fuerunt a Saracenorum et hæreticorum incursibus et injuriis vindicandæ) uti docent tabulæ marmoreæ in titulo S. Praxidis affixæ, ubi SS. pontificum Siricii et Cœlestini lipsana ipse deposuit: quorum et epigraphes sepulcrales, a Baronio et a Grutero etiam productas ostendit. Aliunde etiam novimus Cœmeterium Priscillæ fuisse celebre ætate Liberii ex solemni baptismo ibidem administrato per eumdem pontificem, dum Urbis ingressu prohiberetur: ita suadente Damaso cum universo cœtu presbyterorum ibidem collecto, uti ex Actis antiquis Liberii memorat idem Aringhius laudato libro IV, cap. 30 et 31, ubi illustrat partes cœmeterii Priscillæ dictas cœmeterium *Novellæ* et cœmeterium *Ostianum*. Hæc supra indicavi tomo II, in notis ad S. Marcellinum, pag. 259. Cæterum Damasus, qui superstite Liberio presbyter ejusque vicarius in Actis nominatur, deinde proximus successor fuit, in eodem cœmeterio Priscillæ, ubi decessorem Liberium condidit, ornavit versibus sepulcrum Marcelli papæ, legendis apud Baronium, in App. tom. III, pag. 309; Gruterum pag. 1172; Aringhium, lib. IV, cap. 28, n. 7.

CIACONII.

Linea 3. — *Hic exsilio deportatur a Constantio.* Mittitur in exsilium Liberius usque Berœam Thraciæ urbem ab imperatore, eo quod contra Athanasium subscribere, et cum Arianis communicare nollet.

Linea 5. — *Ordinaverunt in locum ejus Felicem.* Felix Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, procurantibus Arianis, et præsertim Acacio Arianorum principe in locum Liberii suffícitur: orthodoxus tamen, non Arianus; nam quod ad religionem attinebat, reprehensione caruit, licet cum illis, qui illam labefactare studebant, libere communicarit et in Athanasii damnationem subscripserit. Auctores sunt Hieronymus, de Script. Eccles. in Acacio; Theodoretus, lib. II, c. 10, Sozomenus, lib. IV, c. 10, aliique. Vivente autem S. Liberio non potuit Felix plusquam chorepiscopus esse delectus; ne unius catholicæ Ecclesiæ duo essent episcopi, et unius corporis duo capita turpiter eminerent.

Linea 8. — *Neque in ecclesias, neque in balnea haberent introitum.* Clerici enim et sacerdotes, qui Felici adhæserant, ab ecclesia ubi Liberius suos convocabat abhorrentes, etiam balneis publicis abstinebant, ne una cum illis lavarentur, ut qui scirent ex sententia Joannis evangelistæ nec balnei lotione cum hæreticis participandum esse.

PAGII.

Linea 3. — *A Constantio.* S Liberius, natione Romanus, ex patre Augusto, post duorum mensium et aliquot dierum interpontificium, pontificiam sedem ascendit, ordinatur die vigesima prima Junii, quæ an. trecentesimo quinquagesimo secundo Dominicalis fuit. Statim Orientales episcopi ipsum in partes suas pertrahere tentarunt, sed hic Orientalibus rescripsit, se iis consentire non posse diuque Athanasii causam damnare constanter recusavit. Quare ut imminentem, non tam adversus Athanasium, quam universam Ecclesiam catholicam, ac præsertim adversus Occidentales episcopos persecutionem, anno 353 ad Constantium imperatorem, qui, profligato Magnentio Arelate substiterat, legatos misit Vincentium Capuanum episcopum, Marcellum Campaniæ et alios nonnullos, quibus in mandatis dedit, ut ab eo concilium generale Aquileiæ celebrandum impetra-

Digitized by Google

rent, in quo prius de fide, tum de causa Athanasii ageretur.

Legatorum Liberii occasione concilium Arelate coactum est, in quo imperator, Ursacio et Valente episcopis Arianis, qui post concilium Mediolanense, de quo in Julio egimus, ad vomitum redierant, instigantibus, una cum Saturnino Arelatensi episcopo etiam Ariano, plerosque episcopos orthodoxos, et ipsum in primis Vincentium Capuanum, Liberii papæ legatum, Athanasii damnationi subscribere coegit; hic est ille Vincentius, qui in synodo magna Nicæna, Silvestri legatione functus est, quique etiam in magno Sardicensi concilio cum aliis episcopis judex sederat ad cognoscendam et judicandam Athanasii causam, et candidum, ut aiunt, calculum pro ejusdem absolutione, in urnam sæpe injecerat. Postea tamen adversus eosdem Arianos, pro tuenda fide catholica perseveravit infractus, ut de concilio Ariminensi loquentes dicemus. Solus ferme ex episcopis orthodoxis in conciliabulo Arelatensi, invicti animi specimen dedit Paulinus Trevirensis episcopus, qui ob fidem et Athanasii innocentiam, egregie fortiterque propugnatas, ab Arianis exanctoratus, et a Constantio in exsilium apud Phrygiam amandatus est, ubi anno 358, gloriosus confessor occubuit. Hujus conciliabuli historia deprompta est ex Liberii epistola ad Constantium, ex sancti Athanasii apologia prima, et aliis.

Parte alia Ariani episcopi numero circiter triginta Antiochiæ in synodo anno trecentesimo quinquagesimo quarto congregati, « ad omnes ubique constitutos episcopos litteras scripserunt, quibus affirmabant, Athanasium contra leges Ecclesiæ rediisse Alexandriam, non in synodo prius innocentem declaratum, sed per contentionem eorum, qui idem cum illo sentiebant : hortatique sunt, ut neque cum illo communicarent, neque ad eum scriberent, » ut scribit Sozomenus lib. IV, cap. 8.

Liberius, auditis iis, quæ prioribus a se missis legatis ad Constantium imperatorem, contigissent, aliam rursus legationem ad eumdem imperatorem anno trecentesimo quinquagesimo quarto misit. Legati autem ad tantum opus delecti sunt Lucifer episcopus Calaritanus in Sardinia, Pancratius Romanæ Ecclesiæ presbyter, et Hilarius ejusdem Ecclesiæ diaconus, quibus, ex mandato ejusdem pontificis, se adjunxit Eusebius Vercellensis episcopus, qui ad Constantium adhuc in Galliis agentem Liberii papæ epistolam detulerunt, quæ exstat in fragmentis sancti Hilarii et apud Baronium. Illi, quod postulabant, a Constantio obtinuerunt, convocationem videlicet concilii generalis in annum sequentem, trecentesimum quinquagesimum quintum.

Eo itaque anno, et quidem non multum affecto, scilicet ante finem mensis Maii, pauci ex Oriente episcopi, ex Occidente trecenti et amplius, ut testantur Socrates et Sozomenus, Mediolani congregati sunt. Lucifer Calaritanus atque collegæ, apostolicæ sedis legati, necnon sanctus Eusebius episcopus Vercellensis, prævidentes tyrannidem in hac synodo, a Constantio imperatore Ariano exercendam, ægre admodum ad illam accessere, et præcipue Eusebius, qui tamen duabus epistolis, quarum prior est Arianorum, posterior eorumdem legatorum, ad concilium evocatus, ad illud accessit, cum solidis diebus decem cunctatus esset, ut testatur sanctus Hilarius ad Constantium scribens. Hæ duæ epistolæ a Baronio ex Actis S. Eusebii, et ex tabulario Vercellensis Ecclesiæ editæ, exstant tomo primo conciliorum.

Eusebio Vercellensi et legatis apostolicis in ecclesiam et synodum admissis, Ariani, qui fidei Nicænæ eversionem, et omnium episcoporum, qui Athanasii damnationi non subscriberent, exsilia meditabantur, ab iis postularunt ut in Athanasium subscriberent; sed, ut subdit Hilarius laudatus, Eusebius respondit : « De sacerdotali fide prius oportere constare : compertos sibi quosdam ex iis qui adessent, hæretica labe pollutos; expositam fidem apud Nicæam posuit in medio : spondens omnia quæ postularent esse facturum, si pro fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanensis episcopus chartam primus accepit, ubi profiteri scribendo cœpit : Valens calamum et chartam e manibus violenter extorsit. » Tum Ariani, Mediolanensis populi, qui catholicam fidem egregio studio conservabat, metu, synodum ab ecclesia ad palatium transtulerunt. Ibi, ut ait Sulpitius Severus, lib. II Hist. sacræ, « Epistolam sub imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam : eo nimirum consilio, ut si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent : sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, et ipsa venialis; quia etiam tunc catechumenus sacramentum fidei meritio videretur potuisse nescire. Igitur lectam in ecclesia epistolam populus aversatur. »

Cum Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Pancratius et Hilarius, apostolici, in propugnanda fide et justitia, pectoris viri, damnationi Athanasii subscribere recusarent, Constantius imperator eos exsilio damnavit; et Hilarius, Ursacii, Valentis, et eunuchorum Constantii malis artibus, flagris immaniter cæsus est, ut discimus ex sancto Athanasio in epistola ad solitarios. Dionysius Mediolanensis episcopus, qui imprudenter Athanasii damnationi subscripserat, adjunctus postea in confessionis gloria apostolicis legatis, et cum eis in exsilium missus, ibidem mortuus est, in cujus sedem Constantius imperator Auxentium Arianum intrusit.

His non contentus imperator Liberium papam Mediolanum accersit, quo cum pervenisset, noluit damnationi sancti Athanasii, secundum imperatoris vota, assensum præbere; tum quod comperta ipsi esset sanctissimi illius antistitis innocentia, et Arianorum in eum invidia : tum quod fidem Nicænam per cuniculos peti videbat, cum strenuum ejus propugnatorem sanctum Athanasium persequebantur. Unde Constantio id ab eo extorquere conanti respondit Liberius : « Ego vero postulo, ut primum quidem generalis præcurrat subscriptio, quæ fidem Nicææ expositam confirmet. Deinde ut revocatis ab exsilio fratribus nostris, et in sedes suas restitutis, si ii qui tumultus in ecclesiis nunc excitant, apostolicæ fidei consentire visi fuerunt, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi et accusatus ipse et accusatores sunt, et defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus. » Hæc constant ex dialogo quem imperator cum Liberio habuit Mediolani, relato a Theodoreto lib. II Hist. eccles., cap. 16, in quo cedro dignæ sunt illæ voces, quibus Constantio exsilii minas intentanti respondit : *Fratribus qui Romæ sunt jam vale dixi. Potiores enim sunt ecclesiasticæ leges quam domicilium Romæ.* Aliquibus diebus elapsis cum imperator Liberium accivisset, neque is de sententia discederet, cum Beroeam Thraciæ relegari præcepit.

Elapso biennio a Liberii exsilio, Constantius Romam profectus est, ubi a matronis Romanis rogatus, ut eum ab exsilio redire juberet, ut ait Theodoretus lib. II, cap. 17. Imperator « cum episcopis suis re communicata, redditurum se eis hominem pollicitus est, si in eamdem cum episcopis suis concederet sententiam. » Liberius itaque et tædio victus, et desiderio impotenti recuperandæ sedis æstuans, vim etiam et verbera passus, et Athanasium damnavit, et formulæ fidei ab Arianis sibi oblatæ subscripsit; ideoque anno 358, ut ait Hieronymus in Chronico, Liberius *victor Romam ingressus est*, et quidem die secunda Augusti, ut habet Anastasius : *Ingressus Liberius in urbem Romam quarto nonas Augusti.* Nec dici potest ejus Romam reditum anno 357 contigisse, cum non ante ab exsilio revocatus fuerit, quam subscripserit formulæ, quæ conscripta est a

Digitized by Google

tertia synodo Sirmiensi anno 358 celebrata. Certe anno 357, mense Decembri, Liberius nondum Romæ erat cum lex 14 Cod. Theod. *de Episcopis*, data mense Decembri Mediolani, directa sit ad Felicem episcopum Romanum, ideoque Liberius sedi suæ nondum restitutus erat. Hæc porro formula cui Liberius subscripsit, videtur esse ea, quam Hilarius in fragmentis vocat perfidiam ab Arianis conscriptam, et quam Liberius catholicam vocat, ac a Demophilo sibi oblatam suscepisse se dicit in epistola ad Orientales.

Cum post tertiam synodum Sirmiensem anno trecentesimo quinquagesimo octavo, ut legere est in Critica Baronii, celebratam, in qua conscripta est illa fidei formula, cui Liberius subscripsit, non tam pax inter Orientales sanciri visa esset, quam inter ipsos nova emergere dissidia, Constantius imperator œcumenicam Arimini synodum indixit anno trecentesimo quinquagesimo nono celebrandam; sed eamdem, consilio Arianorum, duas in partes divisit; ita ut Orientales Seleuciæ in Isauria; Occidentales vero Arimini in Æmilia convenirent. Orientales quidem numero 160 Seleuciæ congregati episcopi, cum mutuis sese accusationibus divexarent, concilium in duas partes scissum est, et nova fidei formula ab Acacio Cæsareæ Palæstinæ episcopo prioris factionis duce edita, in qua, explosis vocabulis, *consubstantialis*, *et æquiconsubstantialis*, tanquam a Scripturis abhorrentibus, similitudinem Filii cum Patre fatebatur, verbumque *dissimile* anathemate damnabat, rejecta est ab alterius factionis episcopis semi Arianis, qui Filium Patri similem in substantia propugnabant, non vero sola voluntate, ut Acacius. Quare Acaciani discesserunt, semi-Ariani vero in ecclesiam convenientes, eos adesse recusantes abdicarunt et excommunicarunt. De his legendi sanctus Athanasius, lib. de Synodis; Socrates, l. II, cap. 31 et seq., Sozomenus, lib. IV, cap. 21, et Severus Sulpitius lib. II, qui scribit S. Hilarium Pictaviensem episcopum huic synodo adfuisse. Unde ipse Hilarius, quæ in ea gesta sunt accuratius narrat lib. contra Constantium.

Quadringentos episcopos Ariminensi concilio interfuisse auctor est idem Severus Sulpitius loco laudato. Episcopis in unum congregatis, lectæ sunt Constantii imperatoris litteræ, quibus jubebat ut solum tractaretur de fide. Valens et Ursacius Ariani, tertiam fidei formulam Sirmiensem in medium protulerunt, quæ Filium Patri similem secundum Scripturas docet; sed licet ea imperatori placuisset, a Patribus tamen rejecta est. Deinde Nicæna fides unanimi catholicorum antistitum suffragio probata; hancque ad omnia sufficere judicatum. Ursacius, Valens et alii quatuor episcopi Ariani damnati, et epistola synodica ad Constantium Augustum data, quam refert Athanasius lib de Synodis. Hanc epistolam Patres ad imperatorem per legatos mittunt, quos ut benigne suscipiat, orant. Supplicant denique ut episcopos, quos et gravitas ætatis, et paupertas affligit, in patriam reduci jubeat, ne ecclesiæ, absentibus episcopis, desertæ relinquantur. At Ursacius et Valens, qui legatorum orthodoxorum adventum prævenerant, ita imperatoris animum exacerbarunt, ut episcopi a concilio missi nullum responsum referre potuerint. Hæc omnia Arianorum artibus facta testatur Theodoretus, ut orthodoxos episcopos mora diuturniore fatigatos, tædioque oppressos, ad destructionem decretorum compellerent, quæ contra hæresim ejusque defensores ediderant. Sed catholici præsules, datis ad Constantium litteris, professi sunt nunquam se a priori proposito et sententia discessuros, idemque se concilii legatis in mandatis dedisse. Verum cum episcopi a concilio missi, compulsi essent ad Arianorum perfidiam subscribendam, atque cum ipsis communicandum, in eam prævaricationem non soli adducti sunt, sed et omnes pene orthodoxarum partium antistites de quorum lapsu legendi sanctus Athanasius in epistola ad Africanos et sanctus Hilarius in fragmentis et alii.

Liberius papa et Vincentius Capuanus episcopus, qui Arianorum sordibus antea labefactati visi fuerant, ad meliorem frugem conversi pro fide catholica intrepidi steterunt, et Arianorum perfidiæ subscribere recusarunt, ut patet ex epistola Damasi papæ et synodi Romanæ ad Illyrios a Theodoreto lib. II, cap. 22, relata, et ex legatione concilii Lampsaceni ad ipsum Liberium missa. Cum enim, defuncto Joviano imperatore, episcopi Hellesponti et Bythiniæ, aliique consubstantialitatis assertores concilium Lampsaci, quæ civitas est in Hellesponto, anno trecentesimo sexagesimo quarto celebrassent, in quo decreverunt doctrinam illam ratam fore, quæ Filium Patri substantia similem asserebat, celebrato concilio legationem miserunt ad Liberium papam, legatisque in mandatis dederunt, ut nequaquam cum Liberio de fide dissentirent, sed communicarent cum Ecclesia Romana, fidemque Consubstantialis ratam facerent. Legati Romam advenientes, concilii litteras obtulerunt, sed Liberius eas recipere nolebat, quod eos Arianæ hæreseos suspectos haberet. At illi se catholicos esse professi sunt, eique libellum obtulere, in quo verba ipsa Nicæni symboli conscripta erant. Hæc constant ex Sozomeno lib. VI, cap. 7 et ex Socrate lib. IV, cap. 4 et 11, quo in ultimo loco idem Socrates subjicit libellum a præfatis legatis Liberio traditum: quo profitentur se fidem catholicam tenere, servareque, quæ a sacrosancto concilio Nicæno confirmata fuerit, in qua vox consubstantialis, ad perversam Arii doctrinam expugnandam, sancte pieque posita est. Deinde, Arium, impiam ejus doctrinam et erroris fautores exsecrantur et damnant. Tertio, dicunt anathema nominatim fidei formulæ in concilio Ariminensi recitatæ, utpote quæ Nicænæ fidei repugnat. Quarto, exponunt fidem suam, quæ in omnibus Nicæna fides est. Isto libello Liberius legatos, tanquam sponsione obstringens, in communionem recepit, datisque litteris illos dimisit. Quod sane certum est de orthodoxa Liberii fide argumentum.

Sanctus item Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes narrat, Eusebium Constantii imperatoris Ariani eunuchum multa B. Petro munera obtulisse, sed Liberium ejusdem ecclesiæ custodem acriter increpasse, quod illa inferri in ecclesiam passus esset, ipsaque tanquam illicita et exsecranda ab Ecclesia projici mandasse. Verum quid hæremus, cum certissimum de orthodoxia Liberii argumentum nobis suppeditet Siricius papa in epistola quam ad Himerium Tarraconensem episcopum scripsit, de qua mox. In ea enim capite primo diserte asserit, non solum Liberium magna animi fiducia, Arianorum procaciæ perditissimis illis temporibus restitisse, Arianæ fidei formulæ in concilio Ariminensi recitatæ non subscribendo, ut plerique omnes scribunt, sed ulterius processisse, et concilium illud irritasse et cassasse. Siricii verba num. 15 recitata

Certe magnam fuisse in Ecclesia catholica Liberii famam, S. Ambrosii elogium prædicat, qui lib. III, de Virginibus, quem scripsit ad Marcellinam sororem, ait: « Quoniam quæ habuimus, digessimus superioribus libris duobus, tempus est, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior, » ubi postea intexit ejusdem Liberii sermonem habitum in ejusdem Marcellinæ spiritualibus nuptiis, cum se Deo perpetua virginitate dicaret. Sed, ut quæ sunt Ariminensis concilii absolvam, episcopis illius concilii, ob lapsum adeo lugendum hæreseos notam non esse inurendam dissertatione peculiari ostendit Natalis Alexander sæculo IV.

Liberius papa Ariminensi concilio cassato, generalia ad Christi fideles decreta misit, quæ quidem ad nos non pervenerunt, sed eorum mentio est in epistola Siricii papæ ad Himerium Tarraconensem episcopum anno trecentesimo octogesimo quinto scripta,

Digitized by Google

capite enim primo ita legitur : « Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris, eosdem denuo baptizare velle, quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum Arminense concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit : a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali separari sententia. » Hic tamen obiter observandum Gregorii Magni tempore hæreticos quidem in Occidente sola manuum impositione, sed in Oriente cum addito chrismate exceptos fuisse, ut videre est in ejus epistola 61, libri IX, ad Hibernos episcopos. Arianos per manuum impositionem in Ecclesia Romana recipi, asserit etiam Innocentius papa, in epistola 18, ad Alexandrum Antiochenum episcopum, cap. 3.

Postquam Liberius duabus ordinationibus mense Decembri presbyteros 18 et diaconos 5 fecisset; ac insuper episcopos 19 per diversa loca ordinasset, vitam cum morte commutavit die vigesima tertia mensis Septembris anni trecentesimi sexagesimi sexti, sepultus via Salaria, in cœmeterio Priscillæ. Annum et diem obitus non notat Chronicon Damasi, quod ante Liberii mortem exaratum ostendit spatium vacuum relictum, ad dici et anni numerum, quando Liberius moreretur, notandum. Annum mortis habemus ex Chronico Eusebii juxta editionem Pontaci, et ex præfatione libelli precum Marcellini et Faustini presbyterorum Luciferianorum, ad imperatores Valentinianum, Theodosium et Arcadium : ubi diem ejus sepulturæ notant, nempe diem vigesimum quartum Septembris, ut etiam habetur in Martyrologio Bedæ ; in Hieronymiano vero notatur dies mortis, nempe vigesimus tertius Septembris, sicuti et in antiquo Martyrologio sancti Cyriaci. Sedit itaque annos quatuordecim, menses tres et dies tres. Inter ejus epistolas una est *ad omnes episcopos*, altera *ad Athanasium et Ægyptios episcopos*, quæ a viris eruditis spuriæ reputantur, utpote consarcinatæ ex epistolis Siricii, Leonis, Martini primi, et aliorum.

SOMIER IN SS. JULIUM ET LIBERIUM.

Cur notas D. archiep. Somier in utriusque pontificis historiam, Julii scilicet ac Liberii, tradamus conjunctas accipiat lector ex causa Athanasii.

Occasione exilii in num. 50 *memorati visum est expedire, ut ex P. Pagio notæ præcedentes, et ex D. archiepiscopo Somier sequentes eligerentur, quæ ad exilium pertinent S. Athanasio indictum malis artibus Eusebianorum, qui ad concilium Antiochenum convenerant, et ea quæ pertinent ad nequissimi illius decreti revocationem, auctoritate Julii papæ insecutam : qui protectionem apostolicam tum Athanasio, tum Marcello Ancyrano, aliisque episcopis ob catholicæ fidei causam similiter expulsis constanter accommodavit. Inde enim poterit lector judicare, num periocha de exilio huic num. inserta, excepta fuerit ex gestis Liberii in margine transpositis imprudenter ab Amanuensi, an detruncata ejus verba et confuse commista ex narratione gestorum Julii in cognoscenda causa exilii, beato Athanasio, et Marcello Ancyrano inique decreti, ut alii suspicantur. Hæc igitur excerpenda duximus ex Hist. dogm. lib.* III, *cap.* 5.

IN JULIO.

Julius papa illustrem reddidit pontificatus sui gloriam, ob strenuam defensionem, et exercitam auctoritatem sedis suæ, necnon ob protectionem constanter impensam episcopis persecutionem passis A fidei causa tuendæ. Feliciter illi contigit, ut laborum suorum exitum prospero fine commendatum in omnibus ferme viderit, et proprium patriarchatum Occidentalem semper fidelem et obsequentem : bonam vero causam, licet in Oriente vexatam, hostium insidiis continuo superiorem ; hæreticos perpetuo confusos, incassum licet suffultos propriis artibus, et suprema potestate principum eos protegentium. Hæc scilicet ostendemus capitibus subsequenti. us.

Arianorum factio præcipuum sectæ suæ fulcrum semper experta est in Eusebio Nicomediensi, cujus propterea sociis nomen inditum est Eusebianorum. S. Athanasius episcopus Alexandrinus fuit scopus præcipuus, in quem torquerentur eorumdem tela, utpote qui zelo veritatis tuendæ, quam ipsi subvertere conabantur, cæteris anteiret. Nihil igitur intentatum reliquerunt Eusebiani dolosarum artium, scelerum, et calumniarum, ut in conciliabulo Tyrio illum deponi ab episcopatu obtinerent. Cum vero B sententiæ contra eumdem ab ipsis prolatæ minis evidens injustitia pateret, et idcirco sperare facile non possent ut illarum potestatum auctoritate firmaretur, quæ ad exsequendas decretas contra illum pœnas necessariæ cognoscebantur, eo malignitatis et astus pervenerunt, ut veriti non fuerint perduellionis crimen ipsi intentare datis ad Magnum Constantinum litteris, et hunc adigere ut inauditum pelleret in exsilium. Quod postea factum Constantinus ita excusabat, ut a se id præstitum fateretur, præservandi causa Athanasii, et ab hostium suorum invidia subtrahendi, potius quam puniendi criminis ullius causa, cum nullius reum peractum agnosceret : seque ad revocandum ab exsilio Athanasium paratum esse cum indicaret, morte præventus est. Tres Cæsares, qui in imperio successerant, patris optata perfecerunt ; *rejectis cum pudore Eusebianis, quorum mendacia refutabunt missi ab Athanasio legati* (S. Athan. *ad Solitarios*). Verum Eusebiani cum jactarent restitutionem Athanasii factam adversus lege C sacrorum canonum, ausi quoque sunt Pistum in ejus locum episcopum ordinare : quod vivente Constantino patre, nunquam attentaverant. Quin etiam veriti non sunt ad Julium Romanum pontificem scribere, *ut ipse decretorum Tyri de Athanasio sanctorum judex esset* (Sozomen. lib. III, cap. 7 Hist.) : et Pistus ipse contra Athanasium intrusus Romam se contulit ad causam suæ electionis tuendam. Verum istius defensores « cum pares non essent presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab his convicti refutatique essent; concilium indici a Julio postularunt, litterasque et ad Eusebianos, et Athanasium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti : ut coram omnibus justo judicio de causa cognosci posset. Tum enim se de Athanasio probaturos quod jam nequirent. » (S. Athan., *Apol.* 2.) Cum hisce legatis transmiserat Athanasius Romam epistolam synodicam episcoporum sui patriarchatus, per quam funditus evertebantur calumniæ Eusebianorum. Qui pro D Athanasio stabant *bona cum fiducia alacriter resistebant* adversariæ factionis artibus; ita ut his aqua hæreret, confusis omnino et elinguibus redditis. Julius neque Pistum passus est sibi præsentari, neque cum illo communicare voluit. Eusebianorum igitur ablegati, ut suæ causæ discrimen eluderent, causati se nondum satis habuisse spatii ad jura sua colligenda, supplicarunt pontifici Julio, ut concilium vellet indicere, in quo finis imponeretur ejusmodi controversiæ.

Romanus pontifex, etiamsi probe cognosceret ex primis collationibus, quæcunque adversus Athanasium compingebantur iniquis artibus esse contexta ; attamen providens, ut rem omnem funditus haberet perspectam, ne ut aliquando excipere quispiam, aut suspicari posset, se ab altera parte præventum, concilium, quod expetebant Romæ congregari mandavit, atque ut scribit Theodoretus lib. II, cap. 4 : *Ecclesiæ canonem secutus, et eos* (Eusebianos) *jussit*

Digitized by Google

Romam venire, et divinum Athanasium quo pro se in judicio responderet, vocavit. Eusebianorum missi, etiamsi concilium haberi impetrassent, ita subirati ac perculsi sunt de Pisto non admisso ad se sistendum prævalidis Athanasii rationibus, ita cum intruso agi suadentibus, ut inter legatos præcipui Macarius, Martycius et Hesychius, quamvis gravi valetudine afflicti de nocte profecti fugam repente arripuerint. In illam vero sententiam congregandi concilii eo firmius descenderat Julius, et in ea constantius perstabat, quo plures erant episcopi ab Eusebianis vexati perinde atque Athanasius. « Neque enim (ait sanctus Pater *Apolog.* 2) solum Athanasius et Marcellus episcopi cum querimoniis de illatis injuriis, sed et plurimi alii episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnice, Palæstina huc convenere. » Testatum legimus apud antiquos scriptores hanc Orientalium causam ad Romanum Julii papæ tribunal fuisse deductam post Antiocheni concilii cognitionem, *ipsomet Eusebio legatos ad Julium mittente, ut quæ adversus Athanasium decreta essent, rata haberet* (apud Phot. cod. 257 et 258). Quod etiam Socrates lib. II, cap. 11 affirmat. Id vero satis demonstrat, quam rata apud antiquos esset et inconcussa auctoritas suprema Romanæ sedis. Hoc enim exemplo ita eamdem confirmant episcopi in synodica concilii Italiæ ad Theodosium Augustum scribentes : « Jure et more majorum, sicut et sanctæ memoriæ Athanasius, et dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopi, et Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, et totius Occidentis confugisse concilium viderentur. »

Verum omissa hujus chronologiæ serie, id facto comprobatur præcipue, nempe ad Romani pontificis tribunal deferri causam controversam : Eusebianos submisse professos Romani pontificis sententiæ se parituros : S. Athanasium accersitum quantocius huc advenisse : « Eusebianis ad certam diem ut se sisterent judicio esse mandatum : eosque plurimum conturbatos, quod contra ipsorum spem Athanasius Romam se contulisset commentos fuisse futiles inanesque causificationes tergiversando » (ex S. Athanas. *Apol.* 2). Id planius exponam ubi prius amovero difficultatem, quam excitare aliquis posset de nonnullis vocibus veterum scriptorum, quibus abutuntur infensi auctoritati Romanæ sedis, ut insinuent lectoribus hanc delationem causæ ad Julii pontificis tribunal haberi oportere simplicem arbitri electionem ex consensu partis Eusebianæ ; Athanasium vero præter consensum in eumdem arbitrum, respexisse Romam tanquam asylum. Verum causæ natura si attendatur, si delectus documentorum a Julio conquisitus ad instructionem animi sui, si modus definiendi controversiam ab ipso adhibitus, hæc omnia abunde docent, judicium Julii pontificis fuisse exspectatum ex vi supremæ illius auctoritatis, quæ huic sedi demandata fuit a Christo Domino supra universam Ecclesiam. Tribunalia sunt revera asyli et loca refugii, quo se recipiant, et contra oppressiones præpotentium opem implorent debiliores et injuste vexati. S. Athanasius, ejusque socii persecutionem ab Eusebianis passi Romam se conferunt, non modo ut tutiori loco degant, et furori hostium se subtrahant, sed etiam ut jurium suorum legitimam attributionem a supremo judice consequantur. Ad hoc tribunal provocant una cum aliis Orientalibus non ut gratiam impetrent, sed justitiam ut reportent adversus perturbatores, juris ordine secuto, etc. Denique ipsemet Julius aperte declarat, jus controversiæ illius definiendæ ad se pertinere ; neque ipso inconsulto quidpiam posse legitime definiri. « An ignoratis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri posset ? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. » Ibidem ex epistola Julii papæ apud Athanas., paulo ante finem.

« Firmitatem animi, quam hic ostendit sanctus Julius in tuenda auctoritate suprema sedis apostolicæ, quomodo exercuerit in gestis subinde consecutis, exponit luculentius idem archiepiscopus Somier, cap. 6, 7 et 8, occasione concilii Sardicensis, quod a summo pontifice convocatum demonstrat : et ubi de appellationibus ad sanctam sedem jure interpositis, ac interponendis docte pro more suo disserit. Ejusdem selectiora hic attulisse sufficiat, quæ ad constantiam tanti pontificis in asserendo Romanæ sedis primatu et auctoritate supra cæteras, veluti specimen omnium consecutorum delibavimus. »

IN LIBERIO.

Linea 3. — *Hic exsilio*, etc. Ad exhibendam veram ac distinctam notionem pontificatus Liberii plura præstabimus. Primo exponemus ejusdem sollicitudinem pro fidei catholicæ defensione. Secundo loco indicabimus mala quæ perpessus est, ac persecutiones quas sustinuit, eadem de causa. Tertio per nos ostendetur, lapsum Liberii nihil derogasse sanctæ sedis auctoritati. Quarto denique palam fiet, eumdem relevatum ex eo quod humanitus passus fuerat, subinde evasisse vividiorem et utiliorem Ecclesiæ, quam deinceps plurima cum laude administravit.

Reperitur edita inter fragmenta operum S. Hilarii epistola sub Liberii nomine ad episcopos Orientales, in qua exprimitur, ab hoc pontifice excommunicatum fuisse beatum Athanasium, recusantem in Urbem venire ad respondendum accusationibus iterum ipsi intentatis circa finem præcedentis pontificatus. Compendium plurimum ex hac epistola cum mutuentur errori suo scriptores Protestantes ; monere oportet, quod evidenter constat ex omnibus antiquis monimentis, hanc epistolam non esse fetum Liberii. Baronius id invictis rationibus demonstrat Annalium tomo III, et plane constat eamdem dolose insertam fuisse ab Ariano quopiam operibus sancti Hilarii, ac substitutam loco alterius huic omnino contrariæ. Id enim manifeste colligitur ex iis, quæ ibi sanctus hic Pater subdit immediate, quæ ostendunt S. Hilarium tum temporis intime addictum fuisse partibus Athanasii. Nam litteræ ab Ægyptiis episcopis per ea tempora ad eumdem pontificem Romanum datæ petebant, non ut sedi suæ redderetur Athanasius, sed ut illum manuteneri in communione Ecclesiæ decerneret, qui a Julio decessore fuerat receptus.

Negari minime potest, Liberium sub initium sui pontificatus ab Orientalibus episcopis fuisse admodum sollicitatum, ut a communione arceret Athanasium. Sed cum ab Ægyptiis episcopis 75 eodem tempore litteræ supervenissent, quorum de Athanasio sententia prioribus Orientalium litteris repugnabat, utrasque communicavit clero suo Liberius, ac in synodo legi præcepit, et Ægyptiorum testimonio permotus, insinuavit etiam episcopis Italis : *Contra divinam legem visum fuisse cum Ægyptiorum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua* illius criminatoribus *præstare consensum* (epist. Liberii papæ *ad Constantium Augustum*). Et in hanc sententiam respondit.

Prævidit jam tum, ex Arianorum astu, qui apud imperatorem gratia pollebant, impendere Ecclesiæ horribilem procellam. In orthodoxi dogmatis constantia perstiterat et perstabat adhuc Occidens universus, vigilantia Romanorum pontificum ita præservante e proxima statione, huc ex centro, quod obtinent, circumpositas provincias a corruptione illa, quæ Orientem infecerat utpote remotiorem. Accedebat etiam tuendo Occidenti a contagione illius pestis religio principum Constantini et Constantii, qui hanc imperii partem in fraterna divisione sortiti, Nicænæ fidei, cui firmiter adhærebant, as-

Digitized by Google

sertam a se veritatem patrocinio tutabantur in sua præsertim ditione. Verum piis hisce principibus ante Constantium decedentibus cum universum imperium sub istius potestate redigeretur, exstinctis etiam tyrannis, qui nonnullas partes distraxerant; evidens erat, hunc principem solutum fraternis delinimentis, et æmulorum metu, libere prorupturum in effrenatam licentiam Arianismi solemniter profitendi, et ubique disseminandi. Erat præterea timendum, ne occulti si qui antea fuissent in Occidente, ejusdem hæreseos fautores, nacti principem illam aperte professum, impune ac libere deinceps exercerent easdem violentias, quarum theatrum unicum fuerat hactenus apertum in Oriente non sine aliqua moderationis consilii vicissitudine.

Ut hisce malis impendentibus occurret tempestive Liberius, legatos ad Constantium misit, qui post excidium Magnentii Arelate agebat. Hæc mandata legatis fuerant, Vincentio scilicet Capuano et Marcello in Campania pariter episcopo, ut obtinerent a principe assensum indicendi concilii apud Aquileiam. Constantium Arelate conveniunt, et congregatos ibidem complures episcopos, plerosque Arianos, qui nuper damnaverant Athanasium, jubente post eam sententiam principe, ne quis episcopus intra fines imperii positus communicaret cum Athanasio, exsilii lege inobedientibus etiam indicta. Legatorum postulata super concilii celebratione ne proferri quidem passus est Constantius. Quin eosdem minacibus verbis et hostilibus factis male habitos adegit ad injustum decretum propria subscriptione signandum contra Athanasium. Quanto id mœrore perceperit Liberius, declarant ejus litteræ mortem sibi ex eo dolore pene illatam fatentis.

In suo tamen consilio persistens pontifex, ut generale concilium indiceretur, quod unicum remedium esse ducebat avertendis ab Ecclesia malis, novam legationem adornat ad Constantium, ad quam adlegit Luciferum episcopum Caralitanum, Pancratium presbyterum, et Hilarium diaconum. Jussit, ut apud Eusebium Vercellensem præsulem notæ sanctitatis diverterent, eumque studio et observantia inviolabili erga Romanam sedem affectum adhibere curarent consortem muneris ejusdem legationis, et petitionis.

Addidit epistolam ad Constantium Augustum, non minus apostolicæ firmitatis indicem, quam debitæ erga principem observantiæ, ostendens necessitatem concilii tum ad finem imponendum causæ Athanasii, tum ad tuenda fidei dogmata, etc. In hac etiam manifestat quæ sint à potestatibus sæcularibus præstanda in conciliorum convocatione et celebratione eorumque decretorum executione. Auctoritatem nempe suam interponere debent pro publica pace tuenda, ut congregati ejus patrocinio gaudentes, juxta legum ordinem tranquille omnia discutere ac libere valeant definire : et quæ fuerint judicio sacerdotum Dei confirmata, adnitente auxilio principum a populis recipi obsequenter, et executioni demandare studeant.

Obtinuerunt a Cæsare posteriores legati concilii indictionem, quæ fuerat prioribus denegata. Mediolani synodum congregari permissum fuit : ubi interesse voluit princeps non tamen ecclesiasticæ libertatis tuendæ, sed ejusdem opprimendæ causa, et Arianismi substituendi in locum catholicæ doctrinæ. « Idcirco in locum ecclesiasticæ cognitionis (uti scribit S. Athanasius, epist. *ad Solitarios*) suum palatium tribunal earum causarum constituit, seque earum litium summum principem, et auctorem facit. » Et :... « Cognita Paulini, Luciferi, Eusebii, Dionysii episcoporum libertate... illos quidem in exsilium ejecit; concitatior autem in Athanasium factus, atrocius in eum edictum promulgat, nimirum et eum debere pœnas suas luere, et ecclesias Arianis tradi, iisque se liberum facere, ut agant, quid velint. » Quid ageret Ecclesiæ pastor et caput in tam difficili A temporum constitutione? Id unum ei superfuit præstandum, nempe gemere simul et consolari cum afflictis per epistolas, se participem reddere earumdem passionum pro Christi nomine, et ipsorum ex precibus per communem fidem ac spem præstolari gratiam et gloriam ad subeundum cum ipsis martyrium. Hæc certe præstitit in epistola *ad Confessores exsules*, in qua legimus : « Positus inter mœrorem absentiæ vestræ, et gaudium gloriæ... quæso ut me præsentem vobiscum esse credatis. Et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum sublevate; ut supervenientes impetus qui de die in diem cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possim, » etc.

Alterum quod pollicebamur circa Liberium nos præstituros erat ut ostenderemus, quantam persecutionum vim sustinuerit ab Arianis in eum concitatis. Neque enim diutius immunis fuit a tempestatibus B quas præviderat. Scriptores tum Christiani tum ethnici, qui earumdem meminerunt, id etiam testantur, sedis Romanæ auctoritatem in Ecclesia maximam in causa fuisse ut eamdem præ cæteris Ariani appeterent quam præ cæteris formidabant. Ammianus Marcellinus, lib. XV, post med. ita scribit : « Liberius Christianæ legis antistes a Constantio ad comitatum mitti præceptus est tanquam imperatoris jussis et plurimorum sui consortium decretis obsistens... Hunc (Athanasium) per subscriptionem abjicere sede sacerdotali paria sentiens cæteris jubente principe, Liberius monitus perseveranter retinebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare nefas ultimum sæpe exclamans; aperte scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum; tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Urbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti, quo non impetrato Liberius ægre, populi metu, qui ejus amore flagrabat, C cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari. »

S. Athanasius qui præ Marcellino multo penitius noverat factum ad causam suæ religionis, et suamet ad negotia pertinens, gesta ab Arianis contra Liberium, et a Liberio pro fide ac justitia adversus eos tuenda, plenius explicat in epistola ad Solitarios sæpe memorata : « Primum (inquit) nec Liberio quidem Romano episcopo pepercerunt (Ariani); nulla reverentia ducti, vel quod sedes illa apostolica esset, vel quod Roma metropolis esset Romanæ ditionis... neque recordari se eos apostolicos viros in suis litteris appellasse. Cum Liberium vidissent orthodoxum, et osorem quidem Arianæ sectæ, studiosum vero in hoc, ut cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impii cogitarunt. Si Liberium in nostram sententiam traxerimus; omnes brevi superabimus. Rem igitur ad imperatorem deferunt. Ille autem sperans per Liberium omnes se posse attrahere, mittit eunuchum quendam Eusebium cum litteris et donis, etc. D Episcopus contra verbis suadens quærebat quo modo hoc contra Athanasium posset fieri; quem non una, sed jam altera synodus probe ab omni crimine liberum pronuntiavit, et Romana Ecclesia cum pace dimisit. Non ita se habet ecclesiasticus canon, neque unquam accepimus talem a Patribus traditionem, quam et ipsi a beato et magno apostolo Petro acceperint, » etc.

Constantius, cum videret incassum cedere suos priores conatus « scribit Romam; rursumque palatini, notarii, et comites emittuntur, et litteræ ad præfectum, ut Liberium aut per dolum e Roma seductum in castra ad se mitterent, aut vim in eo persequendo adhiberent... Trahitur ergo Liberius ad imperatorem : quo cum pervenisset, magna quoque et ibi libertate dicendi usus est. » Idem ibi, Theodoretus nobis præservavit colloquii illius seriem, et Constantii ac Liberii sensus ita litteris commendavit lib. II, hist., cap. 16. Constantius : « Tantane

Digitized by Google

orbis terræ pars, Liberi, in te residet, ut tu solus homini impio subsidio venire et pacem terræ, ac mundi totius dirimere audeas? » Liberius : « Esto quod ego solus sim : non tamen causa fidei propterea fit inferior. » Constantius : « Unum est quod quæritur. Volo, ut tu Ecclesiarum communionem amplectaris, et deinde Romam redeas. Proinde consule paci, subscribe, ut Romam revertaris. » Liberius : « Jam fratres qui sunt Romæ valere jussi. Nam leges ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quam habere Romæ domicilium. » Biduo post in Berhoam Thraciæ relegatus fuit Liberius.

Dubitatum fuit apud antiquos scriptores, prout hodie quoque in ancipiti res est apud recentiores, num Felix diaconus Romanæ Ecclesiæ quem Arianorum factio curaverat in locum Liberii pulsi in exsilium pontificem creari, fuerit unquam legitimus pontifex. Utrinque producuntur gravissima gestorum momenta ad pondus utriusque sententiæ augendum. Citra erroris periculum affirmare hoc possumus, electionem Felicis plane illegitimam fuisse; cum certissimum sit sedem Romanam nullatenus vacasse per exsilium Liberii. Quod autem bona fide habitus fuerit per tempus aliquod pontifex Romanus Felix, quando scilicet ex facto externo Liberii subscribentis damnationi Athanasii, et cum ejusdem adversariis communicantis, persuasum aliquibus fuit Liberium a Nicæna fide descivisse; paulo post ex hominum mentibus assumpta opinio sublata est; cum cito Ecclesia perceperit, præsumptam in Liberio apostasiam falsa suspicione subniti : ita ut eumdem Liberium ad se reducem singularis lætitiæ significatione Roma exceperit, et summum pontificem perinde coluerit usque ad exitum ejus vitæ, ac prius habuerat et coluerat quam in exsilium pelleretur. Unde colligitur e pontificia auctoritate nihil deperditum, neque Romanæ sedis gloriam ullatenus imminutam ex lapsu Liberii : cujus historiam brevi examine jam prosequar, ut tertium illud a me propositum expediam.

Liberii constantia tædio tandem et calamitatibus exsilii labefactata est; uti testantur litteræ ab eo perscriptæ ad Vincentium Capuanum, et ad cæteros episcopos Campaniæ, ut reversioni suæ allaborarent, quæ leguntur apud Hilarium in fragmentis. Spuria tamen est illa et subdole conficta quæ sub nomine Liberii ad Ursacium, Valentem, et Ganinium data producitur a nonnullis, quippe quæ narret segregatum fuisse Athanasium a communione Romanæ Ecclesiæ per Liberium priusquam Liberius ad comitatum principis pervenisset : quod vidimus e diametro pugnare cum recitato testimonio ipsius Athanasii, et reliquis documentis apud Theodoretum in Historia.

Ariani ut Liberium inducerent ad condemnationem Athanasii, administrum fraudis suæ adhibuerunt Fortunatianum episcopum Aquileiensem, ob constantem adhæsionem Nicænæ fidei alias celebrem, quam tamen paulo ante deseruerat; necnon Demophilum Beroensem, apud quem Liberius exsulabat. Uterque istorum insinuavit pontifici, causam Athanasii nihil habere commune cum causa Ecclesiæ. Hujus propterea paci ne dum Orientis totius consulendum privati hominis negotio dimisso; quod autem attinet ad causam fidei, nihil esse conformius catholico dogmati quam formularium Sirmiensi in concilio ab universis Patribus subsignatum, qui eodem convenerant. Hæc igitur insinuata Liberio, acriter percito ab exsilii angoribus ac miseria, necnon a mortis comminatione jussu principis intentata, ita infirmarunt ejusdem constantiam, ut amoverit Athanasium a communione fidelium, juxta placitum ejusdem adversariorum, et formulario subscripserit sibi propositio : quod ex litteris ipsius Liberii ad Orientales et Athanasii ad Solitarios constat.

Nemo negaverit peccasse Liberium in subscribenda damnatione Athanasii nihil tale promeriti, et in admittendis ad communionem ejusdem hostibus. Verum hoc *conversationis fuit vitium non vero prædicationis*, uti Tertullianus (lib. *de Præscript.*) monebat de his quæ Paulus exprobaverat Petro. Hostes Athanasii occasionem quærentes eum persequendi et proscriptionis eidem parandæ, nunquam criminati sunt ejus fidem, licet vera illius persequendi causa in fidei professione quam oderant, resideret. Accusabant illum de illata vi, de concussionibus, de sortilegiis, de machinationibus adversus principem ac statum reipublicæ. Horum criminum causa (a quibus tamen longe abesse Athanasium Liberius noverat, aut nosse debuerat) eumdem innocentem injuste damnavit.

Quod autem attinet ad communionem cum Orientalibus initam, oportet advertere, a Liberio idcirco datam, quod Sirmiensem formulam subsignassent, prout ipse signavit tanquam actum catholici dogmatis. Sed præstat inquirere, qualis demum fuerit, quibusve terminis expressa hæc fidei formula, de qua nobis est sermo.

Tres fidei formulæ distinguuntur dictatæ apud Sirmium. Prima concepta est contra Photinum ejusdem loci episcopum, cujus initium est : *Credimus in Deum Patrem omnipotentem creatorem, et factorem omnium*, etc., *et in Unigenitum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum*, etc., *ante omnia sæcula ex Patre genitum, Deum de Deo, lumen de lumine*, etc. *Eos porro qui dicunt ex non ente, aut ex alio subsistente, et non ex Deo Filium extitisse, aut quod tempus, aut ætas fuit quando ille non erat, alienos a se censet sancta et catholica Ecclesia.* (Apud S. Athanas., lib. *de Synod.* Vid. S. Hilar. *de Syn. adv. Arian.*, qui eam recognoscit maxime orthodoxam.)

Secunda fidei formula contexta per Valentem, Ursacium ac Geminium, et ejusdem farinæ homines, declarat non esse utendum vocabulis *substantiæ* οὐσίας et consubstantialis ὁμουσίου vel *similis in substantia* ὁμοουσιοῦ dum loquimur de Filii Dei generatione, etc. « Nulli vero ambiguum *duci oportere*, Patrem majorem esse neque est quod quisquam dubitet, Patrem honore, dignitate, deitate, atque adeo ipso nomine paterno majorem esse. Filium vero Patri cum omnibus quæ illi Pater subjecit, subjectum esse. » S. Hilarius hanc vocat blasphemiam Osii et Potamii, libro *de Synodis*. (Vide et S. Athanas., *de Syn.*)

Tertia credendi formula Ancyræ contexta fuit, et inde perlata Sirmium, ut antidotum contraponeret veneno propinato in secunda ab Arianis. Continet igitur tertia catholicum dogma illis sententiis expressum quæ leguntur apud S. Hilarium, de Synodis adv. Arian. : « Filius Patris imago perfecta est. Perfecta similitudo tamen non efficit ut Filius sit Pater. Imago Patris Filius prædicatur per similitudinis veritatem, a substantia Patris cujus imago est, substantiæ diversitate non differt, » etc. S. Hilarius qui hanc formulam exhibet, appellat ejusdem auctores « Viros studiosos apostolicæ atque evangelicæ doctrinæ, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit, etc., qui constanter audacis perfidiæ impetum retuderunt . . . . Domino enim gratias, quod ignorationem per vos admonitus imperator agnovit, et errorem non suum, sed astantium, per has fidei vestræ sententias recognovit. »

Præter has formulas, alia quædam signata fuit apud Sirmium, ut Ariminum deferretur, quo scilicet loco decretum fuerat synodum celebrari. In hac Sirmiensi postrema post confessionem Filii a Deo geniti ante omnia sæcula, *ex solo Patre, quem Filium Deum de Deo similem Patri qui illum genuit*, affirmat, *secundum Scripturas*, subditur nomen *substantiæ* a Patribus simpliciter positum, cum a populo communiter ignoraretur, offensionem multis concitare. Quapropter e re videri ut removeatur, et

Digitized by Google

nulla mentio fiat hujus verbi « substantia cum de Deo loquimur : quia litteræ sacræ omnino substantiæ vel Filii, vel Spiritus sancti neutiquam meminerint. Filium tamen Patri per omnia similem dicimus : quippe cum Scripturæ sacræ illud asserant, docentque. » Ita describitur hæc postrema formula Sirmiensis apud Socratem, Hist. lib. II, cap. 29.

Certum est a Liberio nunquam subscriptam fuisse formulam secundam ex memoratis. Non enim Beroæ subscripsit ; cum illa quam ibi agens subsignavit porrecta Liberio fuerit per Demophilum contexta ab episcopis, quorum plurimi eidem adversabantur ; nempe Basilius Ancyræ, a quo constat esse proscriptam in synodo a se ibi celebrata ; Silvanus Tarsi, qui eam aperte oppugnavit in synodo Seleuciensi ; Cecrops Nicomediæ, aliique Orientales, quorum nomina præservata sunt nobis a beato Hilario (in fragmentis) eosque novimus fuisse tantum semi-Arianos. Novimus præterea Theodorum Heracleotam (ex illo numero fuerat) vita functum ante exsilium Liberii, adeoque ante conceptam formulam, quam scimus contextam post lapsum Hosii, exsulante Liberio. Denique compertum est a sancto Hilario, catalogum pertexente illorum qui eam dictaverant, neque Hosium, neque Potamium, neque Geminium memorari, qui procul dubio ei subscripserant.

Sed neque Sirmii agens Liberius dicendus est recepisse formulam illam secundam, et subscripsisse, quando illuc accitus est ab exsilio Beroensi, *rogatu legatorum, quos episcopi Occidentis miserant ad imperatorem* (teste Sozomeno, *lib.* IV, *cap.* 14) et Romam inde remissus. Nam rumore percitus, quem Ariani studiose excitaverant, divulgantes Liberium Antiochiæ agentem Hosii exempla fuisse secutum, et *Consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri*, hoc, inquam, falso rumore percitus Liberius fidei confessionem ipse dictavit, et ab episcopis universis tum Orientalibus tum Occidentalibus apud Sirmium tunc, versantibus subscribi fecit, *in qua eos qui Filium secundum substantiam, et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat.*

Tertiam pariter formulam neque apud Beroam, neque apud Sirmium signavit, ubi nondum conspecta fuerat in suo ad Urbem reditu. Nam Liberius Romam reversus intra Urbem receptus fuit (ex *Libello precum* Marcellini et Faustini, et ex Anastasio *in Liberio*) IV Nonas Augusti anno 357, et formula tertia apud Sirmium contexta et subscripta legitur, *Flavio Eusebio et Hypatio coss., ad* IV *Kal. Junii* (Socr. *lib.* II *cap.* 29, et Epiphan. *hær.* 75. *num.* 22) nempe vigilia Pentecostes anni 359.

Superest igitur, ut Liberius Beroæ constitutus dicatur subscripsisse tantum primæ ex formulis paulo ante expositis, quæ erat contra Photinum. Quod si apud Sirmium agens quidpiam aliud subsignavit, uti narrat Sozomenus, ab imperatore compulsus, suasu Basilii Ancyrani, aliorumque episcoporum in comitatu principis tunc degentium ; id profecto nihil fuit aliud (eodem Sozomeno testante *lib.* IV, *cap.* 14) quam complexus, seu collectio decretorum contra Paulum Samosatenum, et Photinum Sirmiensem, et formula fidei in Ecclesiæ Antiochenæ dedicatione edita : quæ scilicet collectio compacta fuerat ad evertendos errores quorumdam, qui simulatione hujus verbi *Consubstantialis* privatas hæreses suas constabilire tentabant.

Constat profecto decreta contra Paulum Samosatenum, blaspheme asserentem in Christo Domino unicam tantum naturam humanam, et contra Photinum paulo ante memoratum, esse orthodoxa. Idem sentiendum est de formula fidei apud Antiochiam vulgata in Ecclesiæ dedicatione, cujus Sozomenus meminit ; sive illam intelligat indicare, quam Eusebiani procuderant ante celebrationem synodi, ut catholicis fucum facerent, et a se removerent omnem A suspicionem fidei a nostra discrepantis (cujus typus legitur apud S. Athanasium de Synodis, *Esse unum Deum totius universitatis* in quem credant, *et in unum Filium Dei unigenitum, ante omnia sæcula existentem, et coexistentem cum Patre*, etc.); sive de illa loquatur, aut de duabus illis, quæ in eodem concilio dictatæ ac receptæ sunt unanimi consensu Patrum : quarum una apud sanctum Hilarium de synodis ita inchoatur : *Credimus in unum Deum Patrem*, etc., *in unum Dominum Jesum Christum Filium ipsius unigenitum Deum, per quem omnia*, etc. ; altera apud sanctum Athanas. de Synodis ita concipitur : *Credo in Deum Patrem*, etc., *et in Filium ejus unigenitum Deum Verbum*, etc., *Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia*, etc., *genitum ex Patre ante sæcula Deum perfectum ex Deo perfecto, et apud Patrem existere in persona*, etc. Quod si hæc secunda ex duabus postremis formulis nonnulla continet verba, quæ per ætatem S. Hilarii a pluribus putaB bantur sensum reddere a catholico diversum, puta cum *nomina Patris, Filii, et Spiritus sancti* dicebantur *propriam uniuscujusque nominatorum substantiam et ordinem, et gloriam diligenter significare, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum* (apud Hilar., *de Synodis*); Hilarius omnem tollit difficultatem, ostendens concilium illud Antiochenum non fuisse congregatum contra hæresim « ausam prædicare dissimilis substantiæ tres esse divinas personas; sed contra hæresim illam, quæ post Nicænam synodum in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet ascribere. Volens igitur congregata sanctorum synodus impietatem eam perimere.... ideirco tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas per substantias edocentes; non substantiam Patris, et Filii, et Spiritus sancti diversitate dissimilis essentiæ separantes. » In tertia vero formula hoc declaratur, dum dicitur *Filius apud Patrem existere in persona :* quemadmodum et apud S. Athanasium, lib. *de Synodis* nitidius exponitur, ubi C vox *hypostasis* adhibetur respondens voci *substantiæ* per Hilarium adhibitæ ad significandam *personam ; ut singulorum* (Athanasius) *propria persona* (ὑποστάσις) *ordo et gloria intelligantur ; adeo ut terni sint in ratione personarum, unus tamen per concordiam* (essentiæ). Obtinuit deinde communis loquendi usus ætate B. Augustini, saltem apud Latinos, ut fixa esset istorum terminorum significatio, et per vocem *substantiæ* intelligeretur *essentia;* neque deinceps permitteretur dici esse in Deo unam essentiam et tres substantias ; *sed unam essentiam vel substantiam, et tres personas* debeamus enuntiare. S. Aug. lib. VII de Trin., cap. 9 : « Sed quia nostra loquendi (Latine) consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur cum dicimus essentiam quod intelligimus cum dicimus substantiam; non audemus dicere unam essentiam tres substantias; sed unam essentiam vel substantiam; tres autem personas. »

Quod pertinet ad suppressionem vocis *consubstanD tialis*, quam exprobrant nonnulli papæ Liberio tanquam omissionem signi ac tesseræ distinguentis catholicos ab Arianis; observandum est, temporibus proxime consequentibus Nicænam synodum non fuisse mandatum, ut in formulis profitendæ fidei vox illa semper adhiberetur. Neque enim legitur in illa formula, quam Marcellus Ancyranus, Valens, et Ursacius Julio papæ obtulerunt. Non reperitur in altera, quam S. Ambrosius edi voluit a Palladio et Secundiano ad excludendam suspicionem Arianismi ipsis objectam in concilio Aquileiensi. Quemadmodum neque occurrit in prima aut in tertia ex dictatis apud Sirmium, neque in Antiochenis tribus quarum supra meminimus. Per illa igitur tempora expressio vocis non habebatur necessaria ad distinguendum sensum Catholicum ab heterodoxo. Quare nec Liberius ex omissione vocis nondum necessariæ in formula quam subscripsit, culpabilis est habendus de crimine hæreseos. Tanto autem longius distat

Digitized by Google

a Liberio hæc suspicio, quanto expressius denotat rem significatam, etiam omissa voce *consubstantialis*. Nam declarans in formula Sirmiensi, *eos, qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem negant, esse alienos ab Ecclesia*, asserit profecto ejusdem esse substantiæ Patrem ac Filium (quod idem valet ac dicere consubstantialem); nam imago perfecta, et omnimoda similitudo includunt unitatem substantiæ; cum similitudo per omnia non habeatur, neque perfecta sit, ubi admittitur differentia.

Confirmatur hæc immunitas Liberii a labe Arianismi, ex eo quod quicunque perfectam similitudinem substantiæ admittebant in divinis personis non idcirco recognoscebant tres deos. Consequebatur vero ex eorum placito, tres deos esse admittendos, si tres diversas substantias divinas in personis, et non unitatem substantiæ sive consubstantialitatem in ipsis recognovissent. Certe B. Athanasius concipiebat animo hanc necessariam sequelam, quando Arianis quibusdam objectabat frustra per ipsos rejici vocem *consubstantialis*, cum admitterent Filium esse imaginem a substantia Patris nullatenus differentem. « Si tu, Acaci et Eudoxi (ait in lib. *de Syn.*) non refugitis in Encæniis promulgatam fidem, et in ea scriptum est, Filium substantiæ Patris e se indifferentem imaginem, cur igitur Isauriæ scribitis: Iidicimus vocem *consubstantialem*? Si enim Filius secundum substantiam non est similis Patri, quomodo sine omni dissimilitudine imago Patris fuerit? »

Advertendum tamen est ne confundamus id quod Liberius gessit cum eo quod præstiterunt hæretici memorati. Liberius subscribit formulæ, ubi terminus *consubstantialis* non legebatur expresse; sed formulæ idcirco non deerat sensus orthodoxæ. Econtra Ariani, de quibus loquitur B. Athanasius, subscripserant formulæ notorie et palam hæreticæ, independenter a suppressione illius vocis ac termini. Liberius citra damnationem vocis *consubstantialis*, consentit, ne illa in professione fidei sibi oblata, et cæteroqui orthodoxa, exprimatur, ea ductus ratione, ne scilicet hæretici contra quos eadem professio erat abuti possent voce illa ad fulcimentum errorum suorum. Sed Ariani directe impetebant terminum *consubstantialis*; cum scopus illorum præcipuus esset subversio fidei circa mysterium, cujus vox illa ideam excitat propriam ac veram. Nihil per nos hic asseritur, cujus documenta non protulerimus.

Non negamus historia proditum esse, post reditum Liberii ad Urbem persecutionem in Ecclesia fuisse excitatam, cum cleri pars ab illo dissentiens neque in Ecclesiam neque in balnea vellet introire, si ibidem nosset degere fautores Liberii. Falsus nempe rumor percrebuerat, usque in Orientem propagatus, de Liberii defectione ad Arianas partes. Quare visum est compluribus zelo fidei tuendæ, a qua excidisse putabant Liberium, ab hoc recedere utpote exauctorato et ad Felicem antipapam se conferre, qui cum Arianis partibus renuntiasset, a quibus paulo ante steterat; et cum damnasset Constantium Augustum tanquam hæreticum; eamdem vocem cum Liberio subiit, ut nempe redderetur persecutionis ipsorum scopus, non secus ac presbyteri suæ communionis. Idcirco Romana Ecclesia in castigatione sui Martyrologii sæculo Redemptionis decimo sexto, duxit præservandos esse Felici titulos papæ ac martyris, quorum possessione fruebatur. Verum rumores illi contra fidem Liberii excitati quantocius evanuerunt, ita ut in posterum illum proinde honorarent, et sectarentur Romani, ac venerati eum fuerant et sectati quando in exsilium pellebatur.

Cæterum diræ et anathematismi contra Liberium intorti, qui reperiuntur inserti fragmentis Operum S. Hilarii, ejusdem fetus non sunt habendi. Nam præterquam quod liber ille lacunis scatet et mendis corruptus in locis pluribus; quis dixerit Hilarium tam injuste debacchari voluisse in Liberium propriæ sedi jam restitutum, atque ita gloriose defendentem Nicænam fidem, tam valide se opponentem Arianis, præsertim in rejiciendo et abrogando Formulario Ariminensi?

Quando autem sanctus Hieronymus (de Script. ecclesiasticis, cap. 97) memorat *a Fortunatiano detestabili compulsum Liberium, et fractum, et ad subscriptionem hæreseos compulsum*; et in Chron. affirmat: *Liberius tædio victus exsilii in hæreticam pravitatem subscribens*, etc., loquitur juxta rumorem de illo vulgatum, et vulgo receptum, ob communionem rescissam cum Athanasio, et cum Arianis initam, quasi eorumdem formulam recepisset. Sive etiam Hieronymo placuit appellare *hæreticam pravitatem* formulas illas a Liberio signatas, quæ licet suapte natura non essent hæreticæ, ab hæreticis tamen fuerant illi captiose propositæ, ut reliquarum usus aboleretur, in quibus fidei dogmata continebantur a se rejecta. His tantum formulis affirmari potest subscripsisse Liberium, recta sentientem, et orthodoxam fidem de Verbi divinitate professum etiam in illa omissione *consubstantialis*, cujus defectum supplebant additamenta proxime sequentia; licet Ariani studiose supprimerent dictionem nitide designantem veram ideam negati a se dogmatis; et satis profecisse ducerent ad sensim abolendam veritatis fidem in ea dictione comprehensam, si in posterum omitteretur.

Veteres idcirco scriptores non accusant Liberium tanquam fidei desertorem in subscribendo. Rufinus, Hist. lib. I, cap. 27, dubitat, num remissus in Urbem a Constantio fuerit Liberius, quod *acquieverit voluntati suæ ad subscribendum; an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus*. Sulpicius Severus sac. Hist. lib. II restitutionem Liberii concessam asserit *ob seditiones Romanas* ejus reditu compescendas. Socrates, lib. II, cap. 29, Liberium ab exsilio revocatum et Urbi redditum *quod populus Romanus, seditione conflata, Felicem illa Ecclesia ejecerat*. Theodoretus narrat inflexum imperatoris animum a nobilibus feminis Romanis decrevisse, ut uterque communiter (Liberius et Felix) illam Ecclesiam regeret. « Omnes uno ore vociferantur: Unus Deus, unus Christus, unus episcopus. Quibus vocibus cum pietate et justitia a pia plebe profusis, rediit episcopus Liberius. Felix tamen clam Roma se subducens in aliam urbem migravit. » Sozomeni testimonio paulo ante reddito de subscriptione Liberii apud Sirmium nihil derogante fidei Nicænæ addendum est illud ejusdem historici ibidem reddito de modo reversionis Liberii. « Imperator dat Liberio potestatem Romam revertendi. Atque episcopi Sirmii congregati scribunt litteras Felici, tum Romanæ Ecclesiæ antistiti, et clero ejusdem Ecclesiæ, uti Liberium recipiant: et ambo pariter sedem apostolicam administrent. . . Haud ita diu post moritur Felix; solusque deinceps Liberius Ecclesiæ illi præest. Quod quidem non sine divina providentia factum est, ne sedes Petri a duobus præsulibus gubernata (quæ est plane nota dissidii) et a sacrosanctis Ecclesiæ legibus aliena, ulla infamiæ nota aspergeretur. » Denique S. Athanasius, licet a Liberio derelictus in ejusdem defensionem strenue descendit, dicens: « Liberium post exactum in exsilio biennium fuisse inflexum, minisque mortis ad subscriptionem inductum. » Hanc ipsam vero violentiam ipsi intentatam asserit esse documentum aversionis Liberii ab Ariana impietate, et propensionis erga Athanasium. « Verum illud ipsum (ait) et eorum (Arianorum) violentiam, et Liberii in hæresim odium, et sonum pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus habebat, satis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem ejus sententiam extorta sunt, ea jam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habendæ sunt. » (Athanas., *epist. ad Solitarios.*)

Quartum a nobis in Liberio præstandum diximus

Digitized by Google

esse, ut ostendamus, quanta cum utilitate Ecclesiæ præfuerit Liberius ad sedem suam redux et relevatus a lapsu quem passus fuerat in subscriptione contra Athanasium.

Post Liberii regressum in Urbem, contigit Arimini conciliabulum celebrari. Neque enim concilii nomine donari potest conventus episcoporum, cujus neque convocatio, neque celebratio, neque exitus legitime processit. Imperator qui defensorem Ecclesiæ pro suo munere præstare debuerat, oblitus officium protectoris, assumebat partes pontificis et maximi sacerdotis sibi nullatenus congruentes : quare et concilium generale convocaverat ad easdem procellas sedandas, quas ipse excitabat, arrogans sibi regimen Ecclesiarum. « Dat mandatum (inquit Sozomenus *lib.* IV, *cap.* 15) ut decem episcopi ex partibus Occidentis, et totidem Orientis, quos concilium communi sententia deligeret, ad palatium suum una venirent, sibique, quæ decreta essent, exponerent ; ad eum finem, ut ipse non cognosceret solum, utrum convenienter Scripturæ sacræ inter se consensissent; verum etiam quid optimum factu videretur decerneret. » Deinde opportunum duxit, suadentibus Arianis Eudoxio, Acacio, etc., quorum consiliis utebatur, ut bifariam divideretur concilium : et orientales quidem episcopi Seleuciæ, occidentales vero Arimini convenirent. « Scribitque imperator episcopis (teste eodem Sozomeno ubi supra, necnon Athanas. *de Synod.*) ut primum de his, quæ in fide ambigua viderentur deciderent ; ad extremum causas episcoporum qui quererentur, disceptarent, deque criminibus accurate judicarent.... rebusque omnibus dijudicatis, decem utriusque partis ad aulam accederent, qui, quæ acta essent, ipsi renuntiarent. » Ita nempe et in præscribendis concilio legibus super materia et ordine judicii, necnon in judicati causa ad se pertrahenda supremi in Ecclesia judicis partes ipse assumebat.

Certum est Liberium papam neutri concilio astitisse ; quemadmodum est certissimum eidem convocationi non consensisse tam ridiculis conditionibus propositis ab imperatore Constantio. Sed neque opinari possumus, Vincentium Capuanum, quem dicunt interfuisse conventui Ariminensi, in eodem cœtu astitisse tanquam legatum sedis apostolicæ, quod recentiores nonnulli gratis assumunt. In utroque consessu agendi methodus ita erat aliena a regulis Patrum, ut credi minime posset synodus in Christi nomine congregata, nec proinde ex auctoritate illius qui vices Christi Domini in Ecclesia sua gerit. Missi ab Augusto per provincias *magistri officiales* (ut indicat Sulp. Severus, *Hist.* lib. XX) quidam etiam illorum illecti spe consulatus, si non ante collectos dimitterent quam in unam fidem consentirent, satellitum more non tantum accitos sed etiam tractos quadringentos et amplius episcopos occidentales Arimini congregarunt. Taurus vero ex illis magistris præcipuus veluti sub custodia detinebat præsules, ne quis illorum prius inde dilaberetur, quam in sententiam principis subscripsisset.

Et catholici quidem episcopi constanter egerunt, per aliquod tempus, præsertim Arimini, ubi numerus potior ex ipsis constituebatur. Verumtamen in ea statione lassati succubuerunt, et infelix documentum evaserunt posteritati ejus axiomatis, quod Spiritus Christi mentiri nescius in medio eorum non resideret ; cum sine Ecclesiæ capite congregati repræsentare minime possent corpus Ecclesiæ.

Quisquis itaque sanus et orthodoxus Ariminensi in cœtu supererat prævidit facile quo tenderent imperatoris consilia, et qualis futurus esset exitus convocationis. Catholici falsam Arianorum pacem nihil habentes, et promissam ab eorumdem protectore Ecclesiæ tranquillitatem, cito judicarunt, cum hostibus veritatis nullam iniri posse veram concordiam, cum nullam admissuri essent Ariani sine subversione justitiæ ; et aperte pronuntiarunt pro veteri fide per Nicænam synodum confirmata. Causam insuper reddunt ejus sententiæ, significantes pacifice agi non posse ab iis qui pacem tollunt : et contra eosdem jure clamaturas Ecclesias cæteras, præsertim Romanam. « Nam quomodo pacifice agere poterunt (scribunt in *epistola ad Constantium* Patres Ariminenses ; apud S. Athanas., *de Synodis* et Sozomen. *lib.* IV, *cap.* 17) qui pacem tollunt? Sed potius inde contentionem turbationemque, tum reliquis civitatibus, tum Romanæ urbi oborituras. » Ubi notandum est per reliquas Ecclesias ibi a Patribus significari eas, quarum ex delegatione nemo aderat in illo conventu, uti non aderant ex Romana.

Veram fuisse episcoporum conjecturam probavit eventus. Tædium moræ Ariminensis diuturnæ, artes adversariorum, exsilii metus, et malorum quæ intentabantur a principe, inflexit animos ad subscribendum formulæ æquivocis verbis contextæ, unde Ariani postea mutuati sunt præsidium erroris sui ad veram Ecclesiæ doctrinam eliminandam. Roma non defuit suis partibus valide se opponendi novitatibus perniciosis ; et Liberii successor in sua Synodica ad Illyricianos (apud Theodoret., lib. II, cap. 22) asseverat quod « numerus quantumvis magnus episcoporum qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit, neque episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus exspectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis episcopatum integre gesserat, neque aliis eidem consentientibus. »

Hæc Liberii constantia contra eum accendit iterum Arianorum persecutionem. Potestatem ab imperatore obtinuerant compellendi omnes episcopos ad subscribendum fidei formulæ a se contextæ ; eos vero qui resisterent Ecclesiis exturbandi. Exordium licentiæ fuit contra episcopum Romanum Liberium, cui necesse fuit in cryptas martyrum sese recipere, ubi clerus eum conveniebat, ad deliberandum de Ecclesiæ necessitatibus. Secundæ hujus expulsionis ac recessus Liberii veteres meminerunt, præcipue Sozomenus, qui veram ejusdem epocham etiam signat, licet alii scriptores minus accurati perperam illam confundant cum priori exsilio pontificis apud Beroam.

Nonnihil temporis hoc in latibulo duxit Liberius, donec electus imperator Julianus in ipso imperii exordio permisit episcopis a Constantio decessore suo expulsis aut in exsilium actis reditum ad proprias sedes.

Prima Liberii cura in hac malacia fuit amnistiam generalem edicere et concedere episcopis, qui ab Arianis circumventi captioso eorumdem formulario subscripserant. Encycl cam igitur epistolam dedit ad episcopos per Italiam, ubi edisserens ad apostolicam auctoritatem suam pertinere, ut omnia moderate perpendat, et in malorum auctoribus condemnandis misericordiæ non obliviscl, præsertim erga eos qui præoccupati ignorantia cum admisissent errorem, apostolicis vocibus excitati ab illo, resipiscerent. Hos enim restitui mandat propriis sedibus. *Verum si aliquis nolit converti... auctori perfidiæ perfide deputatus Ecclesiæ catholicæ spiritali vigore plectatur* (epist. Liberii *ad episcopos Ital.*, apud Hilarium, in fragm.).

Eodem tempore habita est synodus Alexandriæ, ubi pariter declaratum fuit, ad consecutionem veniæ esse admittendos et in dignitatibus Ecclesiæ quas obtinebant manutenendos esse qui non auctores fuissent, sed necessitate ac violentia compulsi. *Visum est*, inquit, *illis quidem esse ignoscendum et in cleri locum restituendos* (vid. epist. Athanasii *ad Ruffium* apud concil. Nicæn. II, actione 1). *Quemadmodum hæc et Romam scripta sunt, Romanamque Ecclesiam omnia comprobasse constat.*

Credendum est, visitationes Ecclesiarum Orientis, quas tunc obierunt Eusebius Vercellensis episcopus, et Lucifer Calaritanus, et actus jurisdictionis ab

Digitized by Google

utroque exercitu de apostolicæ sedis mandato et auctoritate haberentur. Lucifer Calaritanus cum Antiochiam pervenisset, *dissidentibus adhuc partibus* (ut ait Ruffinus, lib. I, *Hist.* cap. 27) *præproperus catholicum et sanctum virum, ac per omnia dignum sacerdotio Paulinum episcopum* in ea sede *collocavit*, etc. *Eusebius Vercellensis partes Orientis peragrans* (scribit Socrates, *lib.* III, *cap.* 7) *infirmos fide, instar præstantis medici, ad integram valetudinem restituit; doctrina ecclesiastica instruxit, erudivitque*, etc. *Postremo* (ut narrat Greg. Nazianz., *Orat. in laud. Basilii*) *aderant episcopi quidam ex Occidente, qui orthodoxos omnes ad suas partes pertrahebant.* Episcopi simplices tanta conari, et exsequi profecto non potuissent, nisi auctoritate superiori muniti, quæ haud alia esse potuit, quam Romanæ sedis. Ita etiam judicare necessarium est ex iis quæ S. Gregorius Nazianzenus retulit *in Monodia* ita scribens : « Luciferum et Eusebium episcopos ex urbe Roma Cæsaream missos fuisse, ad seditionem, quæ in Ecclesia Cæsariensi orta fuerat, sedandam. »

Hanc etiam auctoritatem apostolicæ sedis recognoverunt semi Ariani orientales, qui legationem a lornarunt ad Liberium, ad consequendam unionem cum orthodoxis. Cognoscentes se impeti ab Arianis, prætulerunt consilium accedendi, seu simulandi, uti ait S. Basilius, accessum ad fidem Romanam, id potius fore judicantes, quam communicare cum eisdem hæreticis : « Mittunt Hypatianum oratum (Sozom. *lib.* VI, *c.* 7) ut sibi de doctrina fidei rite constituenda in unum conveniendi potestas permitteretur. Qui cum venisset ad Valentinianum, et episcoporum postulata ei exposuisset, respondit ille : Sibi quia unus e laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere; et ideo sacerdotes et episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsim per se, ubicunque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant. Quo responso ad legationem Hypatiani dato, Lampsaci concilium cogunt. » Ex eoque concilio tres episcopos in Occidentem ablegant cum mandatis sequendi per omnia doctrinam ac sensus Liberii papæ, recipiendi communionem Ecclesiæ Romanæ, et subscribendi doctrinæ *consubstantialis Filii*. Quæ ita narrantur a Socrate, lib. IV, cap. 11 : « Ili metu, imo potius vi in angustias adducti, de civitatibus suis alter ad alterum legatos mittere, significareque sibi necessario confugiendum, tum ad fratrem imperatoris, tum ad episcopum Romanum : illorum fidem potius amplexandam, quam ut cum Eudoxio communicarent. Itaque Eustathium, etc., mittunt, illisque in mandatum dant, ut cum Liberio neutiquam dissentiant, sed communicent cum Ecclesia Romana, fidemque *consubstantialis* ratam faciant. » Nec dissentit Sozomenus, lib. IV, cap. 10, hæc memorans : « Scribuntque litteras tum ad Liberium episcopum Romanum, tum ad reliquos episcopos Occidentis; utpote qui fidem ab apostolis ductam ratam firmamque tenerent; et præ cæteris deberent religioni prospicere : ut legatis suis, quantum in ipsis situm esset, subsidio esse, et cum ipsis consilium de rebus agendis inire vellent, exponerentque quid ad statum Ecclesiæ constituendum optimum factu videretur. » Eustathius vero Sebastenus, unus ex tribus legatis, ad sanctam sedem proficiscebatur, ut restitueretur episcopatui, a quo fuerat in concilio depositus, teste S. Basilio, epist. 74 : « Eustathius episcopatu ejectus, propterea quod in Melitena synodo depositus esset, viam sibi ipsi per quam restitueretur, excogitavit : eam videlicet, ut ad vos proficisceretur. »

Hæc omnia profecto sunt certa testimonia recognoscendi puram doctrinam, et auctoritatem regendi cæteras depositam esse apud Ecclesiam occidentalem, atque adeo apud Romanam sedem, a qua unica recipit hoc privilegium supra Orientalem.

Liberius primum litteras a legatis oblatas « recipere noluit (ait Socrates, *lib.* IV, *cap.* 11) : nam eos sectæ Arianæ fautores esse dixit..... Cui illi respondent, se pœnitentia ductos veritatem agnovisse, Filium in omnibus Patri similem confiteri; atque illam vocem *similem* nihil a *consubstantiali* discrepare. Quæ cum dixissent, Liberius postulat ab illis, ut opinionis suæ declarationem scriptis mandarent. Illi libellum ei obtulere in quo verba in fidei formula Nicææ edita comprehensa, fuere præscripta, etc. Quod si quis post hanc fidem a nobis expositam, aut contra nos, aut contra illos qui nos miserunt, aliquod crimen adduxerit, cum tuæ Sanctitatis litteris ad orthodoxos episcopos quos tua pietas probaverit, veniat : et coram illis nobiscum de eo disceptet : et si quid offensum esse constiterit, in auctorem illius vindicetur. »

His peractis pontifex eos ad communionem admisit, et redeuntes in patriam litteris commendatitiis instruxit datis ad episcopos orientales, in quibus gratulatur de eorumdem reversione ad Ecclesiæ unitatem, et ad fidem apostolicæ sedis, aliarumque Ecclesiarum occidentalium. Concludit epistolam declaratione anathematis in illos prolati, qui persisterent in Ariana impietate, et Arii sectatorum.

Peculiarem vero epistolam Liberius dictavit pro Eustathio, in qua mandabat eumdem restitui sedi suæ Melitenæ, cujus testis est locuples S. Basilius in epist. 74, dum ait : « Quæ vero sint illi (Eustathio) a beatissimo episcopo Liberio proposita, et ad quæ consenserit nobis clam est, nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur. »

Cum in Orientem reversi fuissent legati, episcopi qui sub Joviano imperatore Valentiniani ac Valentis decessore synodum habuerant Antiochiæ ad tuendam doctrinam *consubstantialis*, Tyanæ celebrarunt concilium, ubi Liberii litteræ et episcoporum occidentalium recitatæ sunt. Singularem vero lætitiam Patribus attulerunt, ita ut subinde darent encyclicam ad universas Orientis Ecclesias, hortantes ut apud eas diligenter legerentur decreta Ecclesiæ occidentalis et Liberii aliorumque episcoporum epistolæ a legatis perlatæ. Hortantur, ut advertant numerum episcoporum occidentalium, qui eamdem scripserant multo majorem esse summa illorum qui Arimini convenerant. Suadent ut suæ communionis doctrinam recipiant : ut scripto declarent se in posterum ab illa non recessuros, et ut ad diem certam Tarsi in Cilicia conveniant ad concilium. In hoc vero concilio perlectis Liberii litteris, Eustathium restituentibus, ad suum episcopatum Sebastenum illico admissus fuit.

Per idem tempus magnas ciebat turbas in Oriente suborta controversia de Spiritus sancti divinitate : cujus rumor Romam perlatus cum fuisset, visum est Liberio decisionis sententiam proferre : qui mox ad Orientales Ecclesias judicium transmisit, cum monito, ut eadem sentirent cum Ecclesia occidentali, docente tres divinas personas consubstantiales esse, ac æqualis gloriæ : sive ut Sozomeni verbis utar lib. VI, c. 21, et Niceph. Callisti lib XI, cap. 30, « ut una cum sacerdotibus et episcopis Occidentis Trinitatem et consubstantialem, et gloria æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverunt : hæcque controversia finem habere visa est. »

Liberius itaque tot rebus a se præclare gestis memoriam sui reliquit Ecclesiæ cum vita migraret in primis pretiosam. Tres viri magnæ sanctitatis qui illi superstites fuerunt præclarum de eo testimonium litteris prodidere. Sanctus Ambrosius eumdem appellat sanctum, et sanctæ memoriæ virum (lib. III, *de Virg.*). Sanctus Basilius epist. 74; et Sanctus Epiph. hæres. 75, beatum, et beatissimum nominant. Inter sanctos autem referunt Martyrologia Bedæ et Vandalberti.

Digitized by Google

XXXVIII. SANCTUS FELIX II.

ANNO CHRISTI 355, CONSTANTINI 19.

53. *Felix* [a], *natione Romanus, ex patre Anastasio*, sedit anno uno, mensibus duobus. *Hic declaravit Constantium* filium Constantini *hæreticum et secundo rebaptizatum* ab Eusebio Nicomediensi juxta Nicomediam in Aquilone villa [b], et per hoc declaratum ejusdem Constantii Augusti filii Constantini, præcepto [c] *martyrio coronatur* et capite truncatur. *Hic fecit basilicam via Aurelia* cum presbyterii honore fungeretur. Et in eadem basilica emit agrum circa locum, quem obtulit ecclesiæ, quam fecit, *milliario ab urbe* Romana 2. *Hic fecit ordinationem* unam per mensem Decembris, *presbyteros* 21, *diaconos* 5, *episcopos per* diversa *loca* 19. *Qui etiam* passus est in civitate Corana [d] *cum multis clericis et fidelibus, occulte juxta muros Urbis ad latus* [e] *formæ Trajani* 3 *Idus Novembris, et exinde* raptum *est corpus ejus noctu* a presbyteris et clericis, *cum Damaso presbytero*, et sepultum est *in supradicta* ejus *basilica*, quam ipse construxit via Aurelia, 12 *Kalendas Decembris*, milliario secundo in pace. *Et cessavit episcopatus* diebus 39 [f].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Baron ad ann cit probat non potuisse esse Rom episcop.* [b] *Bar ad ann* 357 *negat hanc causam mortis Felicis.* [c] *Hæc pugnant cum dictis in Liberio.* [d] *C*, Corona. *B*, Cora. [e] *C*. Lacus. [f] *38.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod Freheri. A

Num 53, *lin* 1, *A*, mens 2, *B*, mens 3, d. 2. *lin* 3. *A*, ab Eusebio Nicodem *B*, episcopo juxta. *lin* 10. *B*, muros Urbis allatus est, et exinde rapuerunt corpus ejus Christiani cum Damaso. *lin* 13, *A*, XII. Kal Decemb *B*, XVII Kal. *lin* 14. *A B*, diebus 38.

Ex cod Reg Maz et Thuan.

Lin 1, sedit annum 1, m. 3, d. 2, *lin* 2, et secundo baptizatum (*M*, rebapt) ab Eus Nicomediense episcopo i. N. *lin* 3, villa. Hoc declarato ab eodem Constantino præcepto Constantii A. filii Constantini senioris martyrio cor *lin* 4, quam fecit. Hic fecit ordinationes in urbe Roma per m. D. *lin* 8, 19. Qui etiam capite truncatus cum multis clericis et fidelibus infra muros Urbis ad latus formæ Turgann 3 Id. N. exinde rapuerunt (*M*, et exientes r.) corpus ejus Christiani cum Damaso presbytero, et sepelierunt in basilica supradicta ejus via Aurelia 12 Kal D. milliario 2 ab urbe R. et cess episc dies 38 (*M*, via A.), 17 Kal Dec in pace. Qui cum passus esset in civitate B Corana, exinde captum est corpus ejus a presbyteris et clericis, et sepultum in basilica, quam ipse construxit via Aurelia 12 Kal Dec milliario 2 ab urbe Roma, et c. ep. d. 38.

Ex cod Thuano altero.

Lin 1, annum 1, m. 3, d. 5. *lin* 4, decl ab eodem Constantii præceptum Augusti filium Constantini A. mart c. *lin* 6, et ad eandem basilicam. *lin* 6, quam fecit. Hic fecit ordinationem in urbe Roma. *lin* 9, Corana 3, Id. N. et e. r. e. c. e. a. presb et a. cl. et sep in b. *lin* 13, Kal D. in mil 2, et cess. ep. d. 38.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin 1, *Flor sec*, Felix junior. *lin* 1, *Flor et Vat* mensibus III, diebus II. *lin* 3, *Monbritius* : et pro hoc declarato ejicitur sanctissimus Felix de episcopatu suo a Constantio Augusto filio Constantini. Hic fecit, etc. *lin* 8, *Hæc agnoscit Anselmus Lucensis. Codex tamen Florentinus omissis nonnullis ita legit :* Qui etiam capite truncatus est. *lin* 10, *Flor* Trajanæ. *lin.* 9, *Flor* et exinde rapuerunt corpus ejus noctu Christiani cum Damaso presbytero et sepelierunt. *lin* 12, *Flor et Cass* XVII Kal.

Apud Peniam, ex cod Cavensi.

Lin 3 et 4, declaratum ab ejusdem Constantii præcepto Augusti filio Constantini,

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 2. — *Et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi juxta Nicomediam in Aquilone villa.* Quæ auctor libri Pontificalis hoc loco affirmat de baptismo Constantii, Eusebius et D. Hieronymus in Chronicis referunt de baptismo Constantini, eum scilicet in fine vitæ ab Eusebio Nicomediensi baptizatum fuisse in Aquilone villa. Qua de re alibi agimus.

BENCINI.

Linea 2. — *Hic declaravit Constantium.* In vita Felicis apud Mombritium verba hæc cum illis aliis antecedentibus, quæ leguntur in vita Liberii ad verbum inserta sunt; ibi enim postquam narrasset Liberii in exsilium deportationem, et Filicis substitutionem addit : « Felix utpote vir catholicus, et timens Deum, et justus homo fecit concilium, et invenit duos presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Ursatium et Valentem et damnavit eos in concilio coram quadraginta et octo episcopis qui fuerant congregati. Hic declaravit Constantium. » Quid egit actorum interpolator? Priorem periochen, ablatis illis verbis primis, imposuit inter acta Liberii. Hæc vero, *hic declaravit Constantium*, etc., inseruit in vita Felicis. Sed falsitatis revincuntur gesta Felicis, quia annis 357 et seq. Valens et Ursacius Romæ non erant, cum eo tempore promoverent Sirmienses formulas editas anno 357 et 359. Formulæ enim priori Sirmii

Digitized by Google

editæ subscripserunt Ursacius et Valens ex Hilario de synodis his verbis : « Perfidiam autem apud Sirmium descriptam... Hi sunt qui conscripserunt : Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, etc., » et alteram similiter ibidem conditam in lib. adv. Constantium appellat, *deliramenta Osii, et incrementa Ursacii et Valentis.* Eosdem annis illis Sirmii fuisse docent Socrates, l. II, c. 21, et alii. Perseverasse Ursacium et Valentem ambos Sirmii promovere perfidiam ad ann. 359, probat epistola Germinii, ubi agit de tertia formula Sirmii edita anno 359. (in frag.) « Nam sub bonæ memoriæ Constantio imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem imperatoris, præsentibus Georgio episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ, Pancratio Pelusinorum, Basilio episcopo tunc Ancyritano, præsente etiam ipso Valente, et Ursacio, et mea parvitate, post habitam usque in noctem de fide disputationem, et ad certam regulam, etc. » Eadem habet Epiphanius Hær. 73, quæ est semi-Arianorum num. 22, ex quibus falsitatis nota hæc perioche inurenda, sicut et firmatur prior observatio de commentitia Constantii mora in Urbe; cum ab anno 357, ab ejus fine ad annum 359, quousque edita est ultima Sirmiensis formula Romæ non adfuerit, sicut nec esse poterant Valens et Ursacius Constantii perpetui assessores dictis annis.

Ibi *et secundo rebaptizatum.* Schismatici in vita Felicis commenta augentes addunt, a Constantio dogma de rebaptizatione inductum, et quod magis est, ipsum ab Eusebio Nicomediensi in villa Aquilone rebaptizatum, ejusdemque jussu Felicem, a quo hæreticus fuerat declaratus, addictum martyrio. Quæ falsa esse nemo non videt. Certum est enim anno 357 Constantium non fuisse baptizatum. Testis oculatus, et universa Constantii gesta trutinans Hilarius affirmat quod eo anno, quo edita est prima Sirmiensis formula, episcopi Sirmienses « fefellerunt ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, et credendi formam Ecclesiis nondum regeneratus imponeret (in lib. *de Syn.*, p. 1194). » Deinde si tempore Liberii et Felicis promovisset imperator dogma de rebaptizatione, Hilarius in libris adversus Constantium, defensatæ pravitatis memoriam insectari minime destitisset. Philostorgius pariter qui secta Eunomianus, quique rebaptizationem omnium sectarum promovere debuerat, si Constantius rebaptizatus vere fuisset, minime narrationem omisisset de istiusmodi Constantii rebaptizatione ad præsidium propriæ perfidiæ, qui tamen simpliciter baptizatum asserit, inquiens de Constantio (*lib.* VI, *c.* 5.) « Cum pervenisset is ad Mygsucrones, morbo correptus, et exinde ab Euzoio baptizatus, imperium cum vita, synodosque ad impietatem reliquit. » Unde næniarum farrago in actis Felicis a Mombritio publicatis apparet, e quibus interpolator hæc desumens inseruit catalogo Romanorum pontificum.

Linea 3. — *Ab Eusebio Nicomediensi :* putidissimum mendacium ejusdem notæ ac asserta rebaptizatio. Eusebius enim Nicomediensis denatus est an. 342, ubi ostendit Valesius in notis ad lib. II soc. c. 13, et Constantius baptizatur anno 361. Euzoium vero baptizasse Constantium, nedum Philostorgius asserit, sed etiam sanctus Athanasius lib. de Syn., pag. 698, et Socrates, lib. II, cap. ult.

Linea 3-4. — *Et per hoc declaratum :* supponitur hic, quod inter rebaptizationem, et mortem Constantii intercesserint tempora, unde innotuerit Felici rebaptizatio, qua cognita, concilium Romæ indixerit, et declaravit hæreticum Constantium. Insuper alii intercesserint menses, in quibus Constantio perlatus rumor, iterum miserit qui Felicem martyrio coronarent. Quæ falsa esse declarant adducta, dum a recepto baptismo moritur Constantius; unde Felix neutiquam hæc agere poterat superstite Constantio, ut hic asseritur.

Linea 4. — *Martyrio coronatur :* Fragmentum Eusebianum conscriptum post Liberii obitum reticet martyrium, et solius exsilii mentionem facit, dum inducitur Eusebius hæc Constantio et Liberio improperans : « Quantum ad vos, insania diaboli, et invidia superstitionis vestræ, ut Felicem episcopum, quem vos non tacuistis Catholicum et Dominum Jesum Christum invocantem purum sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exsilio direxistis, qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat. » Cum enim fragmenti auctor Eusebii gesta, et Felicis commendare instituisset, et testatur se scripsisse post mortem Liberii, qui Constantio damnato per aliquot annos supervixit, cum Felicis martyrium contingere debuisset superstitibus Constantio, et Liberio, non reliquisset prærogativam hanc adnotare. Cum vero tantum exsilium memoret, et de Felicis martyrio altum sit silentium, exinde merito dubitandum de asserto hic martyrio Felicis. Deinde hæc declaratio facta a Felice, qua Constantium uti hæreticum enuntiat, uno eodemque contextu facta supponitur in gestis Felicis apud Mombritium, adeoque anno 357, quando in exsilium Liberius ducitur, nihilominus eodem anno Constantius per 30 dies Romæ commoratur, ut ex Marcellino vidimus; ante finem vero ejusdem anni Mediolani Constantius legem 15, de episcopis in Cod. Theod. edidit, quam Felici episcopo Romano direxit. Unde constat Constantium nec potuisse rebaptizari eo anno, nec ei offensum Felicem, cui legem imperator misit. Cum reliquis itaque quisquiliis reputanda hæc additio desumpta ex actis Felicis per schismaticos, ut reor, Luciferianos confictis. Proindeque additiones ut omnino importunæ ab utrisque gestis expungendæ, veluti ab inscio interpolatore additæ antiquis catalogis Rom. pontificum : unde sequenda narratio de Felicis obitu, quæ habetur in Liberio, ubi dicitur. « Qui Felix depositus de episcopatu habitavit in prædiolo suo via Portuensi, ubi requievit in pace. » Cui concordat Philostorgius, qui cum dixisset Liberium ab exsilio fuisse revocatum, addit (ubi supra) : « At Felicem, qui medio tempore Romæ episcopus ordinatus fuerat, sese recepisse dignitatem equidem episcopatus gerentem, nulli vero de cætero ecclesiæ certæ præpositum. » Luciferianos porro putasse, quod omnes episcopi Ariminenses, fuerint lapsi, et communicaverint quolibet modo cum Arianis, adeoque illos, nec esse episcopos, nec ab ipsis ordinatos fore suscipiendos, sed Ecclesiam inde evasisse Antichristi synagogam probat Luciferianus, ille interlocutor in dialogo adversus Luciferianos edito a sancto Hieronymo, qui eosdem sugillat uti declamatores *caninæ eloquentiæ* in omnes catholicos episcopos tunc exstantes. Exinde factum, ut in fine fragmenti Eusebiani schismaticus, ut reor, Luciferianus addiderit mendacissimam calumniam de Damaso publica voce Liberium hæreticum denuntiante, ut suis gregalibus ostenderet, Liberii decretum de recipiendis lapsis Ariminensibus flocci esse faciendum, utpote ab hæretico conciliariter damnato profectum. Qua arte Felicis acta a Mombritio edita conficta etiam esse cordatus quisque facile affirmabit. Quid vero dicendum de episcopatu Felicis? Adeundus Pagius in critica ad Baronium.

BINII ET LABBÆI.

Linea 4. — *Martyrio coronatur :* Felice defuncto, nullus in locum ejus subrogatus est. Nam Liberius abrupta penitus, quæ recipiendæ sedis causa intercesserat, Arianorum communione, ab omnibus legitimus Romanæ Ecclesiæ pontifex, ut fuerat ante, cognitus et acceptus est. Risu igitur potius quam redargutione dignum est recentiorum quorumdam historicorum, quos libenter sequuntur Magdeburgenses, commentum, dicentium Felici secundo fuisse

Digitized by Google

suffectum Leonem quemdam Arianum, in sanctum Hilarium parum æquum, quem sero ad synodum accedentem, in pœnam humi considere jusserit : atque ideo eadem a Deo vindice, qua Arius, pœna multatum una cum visceribus animam efflavisse. Sed cum omnium antiquissimorum testimonio Leo I tempore concilii Chalcedonensis sederit; cumque nulla mentione hujus rei facta, omnes omnino, Liberio et Felice defunctis, Damasum substituerint; non historiam, sed fabellam esse scias a recentioribus forte excogitatam, quod falso opinati fuerunt, Liberium, Felice secundo expulso, instar Leonis in catholicos sæviisse. Vide Baron. ann. 357. num. 69, Bellarm. lib. IV. de Rom. pont. cap. 9.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ.

Picturæ via Ostiensi in basilica S. Pauli, et catalogi Italici atque exteri supra recensiti in Prolegomenis consentiunt in tribuendo legitimæ sedi Felicis annum 1, menses 3, dies 2. Solus catalogus sub Justiniano solidum triennium assignat Felici, detritis sequentibus numeris; ut suspicio sit, ab amanuensi confusas unitates mensium cum præcedenti unitate sub columna annorum, ita ut ex I, III male interpunxerit III, I... sive etiam detrita unitate annum indicante, ternarium mensium qui sequebatur retulerint descriptores codicis ad numerum annorum. Si vero auctor catalogi triennium Felici ascripsit, attribuit biennium exsilii decessoris Liberii, et confudit cum anno legitimæ sessionis Felicis subinde insecutæ, post electionem peractam de consensu ejusdem Liberii, vacuam cathedram sua dimissione reddentis. In notis chronologicis ad numerum 51 vitæ Liberii, prolata sunt documenta, quæ spatium certum definiunt legitimi pontificatus Felicis anno uno, mensibus tribus, diebus duobus; sive capite truncatus fuerit jussu Constantii IV Idus Novembris ob assertionem catholicæ fidei, ut codex Ocriculensis enuntiat, sive eamdem ob causam a memorato principe prope Urbis muros ad latus formæ Trajani fuerit capite plexus die subsequenti, nempe III Idus Novembris, et subinde a clero sepultus curante Damaso presbytero, die XII Kalendas Decembris, ut Bibliothecarius affirmat lin. 12 hujus numeri; sive etiam exsulare tum jussus, et ultro cedens pontificatu vitam produxerit ad consulatum Valentiniani et Valentis, ut exponunt in libello precum Faustinus et Marcellinus presbyteri (quo tamen in libello complura a schismaticis hisce presbyteris conficta opinatur Baronius ad ann. 357, n. 48, et Papebrochius, in conatu chronologico-historico ad Vitas pontificum, in S. Felice dissert. 9.) et indicare videtur Bibliothecarius num. 52. lin. 3. in Liberio. Quocunque modo hæc testimonia concilientur, spatium sedis legitimæ Felici attributum in picturis Paulinis, et in codicibus memoratis Anastasii et aliorum, clauditur anno I, mensibus III, diebus II ex die 8 Aug. 358 ad 10 Decembris 359, ubi supra exposuimus in fine notarum chronologicarum ad vitam Liberii.


Notæ historicæ.

Linea. 2. — *Hic declaravit Constantium filium Constantini hæreticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi.* Iteratus iste baptismus, quem per calumniam Arianorum translatum fuisse multi nobiscum opinantur (in notis ad Silvestrum tomo II, pag. 293) ex Vita Constantii filii in Vitam Constantini patris, etiamsi a Bibliothecario attribuatur Constantio; attamen a pluribus, et gravissimis scriptoribus negatur. Horum agmen ducit Baronius ad annum 357, num. 49. Scriptor eminentissimus non modo refragatur asserto Libri Pontificalis; sed contrarium evinci putat et firmari apertis testimoniis Patrum Constantio Augusto æqualium, quales fuere Athanasius e Græcis, et e Latinis Hilarius. Apud hunc redarguitur in libro de Synodis audacia Constantii, *qui nondum regeneratus credendi formam præscribere auderet Ecclesiis.* Difficultatem Baronii de iterato baptismo Constantii promovent illa, quæ Pagius in ejus critica congerit ad annum 324, n. 5, ut contra sententiam Baronii constituat baptismum fuisse a magno Constantino susceptum, cum terminus vitæ instaret Nicomediæ. Verum de baptismo Romæ administrato per beatum Silvestrum (non autem Nicomediæ per ullum episcopum) Maximo Constantino, quod totis octodecim aut 20 annis ante ipsius obitum cum eodem principe una perceperunt Helena mater, et ii qui erant de genere Constantini (συγγενεῖς αὐτοῦ) nec non amici plures ac familiares ex historia Joannis Malalæ, ac vetustiori ex Chronographo per ipsum adducto, aliisque documentis videmur satis firmasse Baronii sententiam contra Pagium tomo II in notis ad Sylvestrum pag. 293. Quæ autem de iterato baptismo Constantini a nonnullis proferebantur, ostendimus falso affirmari, et diximus ea videri potius translata ab Arianis fraudulenter ex gestis Constantii ad vitam Constantini.

Verum hic nodus alter proponitur dissolvendus de iterato baptismo Constantii; contra quem principem S. Hilarius scribens quinquennio ante quam Arianus ille imperator vita excederet (alii autumant etiam tardius) aperte dicit *nondum regeneratum* suffragante etiam Athanasio in libro de Synodis; unde cognoscitur catechumenus perstitisse Constantius non modo grandævus, sed morti jam proximus. Vix autem credibile videtur hos Patres, qui toties viderant et allocuti fuerant Constantium, baptismi illius pridem suscepti (juxta eos qui rebaptizatum putant) ignaros fuisse. Dissimulari non potest momentum gravissimum objectæ auctoritatis. Verum et contraria perpendere oportet studiosum veritatis. Mature igitur perpensa ratione temporum assignandorum baptismo Constantii, et hujus principis Ariano afflatu quo apud amitam imprudenter involvebatur, post obitum vero patris acrius incendebatur ex consuetudine presbyteri ejusdem sectæ familiaris Constantiæ sororis Constantini (de quo Socrates, *Hist.* lib. I, cap. 19, et lib. II, cap. 2, necnon Theodoretus, l. II, cap. 3) non est difficile captu, cur a nonnullis dicatur rebaptizatus Constantius, ab aliis vero habeatur etiam postremis vitæ temporibus tantum catechumenus et nondum regeneratus.

Diem et annum Constantii emortualem tenemus tradente Socrate in fine libri II. *Decessit* (inquit) III *Idus Decembris Tauro et Florentio consulibus*, nempe anno ætatis Christianæ 361, ætatis vero suæ 45. Suffragantur Hieronymus, et cæteri scriptores, qui natum asserunt die 6 Augusti Gallicano et Basso coss, hoc est anno 317, uti Cangius ostendit in familiis Byzantinis. Supra in notis ad Silvestrum vidimus, baptismum a Constantino Magno susceptum Romæ una cum matre, et reliquis sui generis referendum esse ad annum 319 : quo ex Illyrico Romam rediens tertio ex Fausta filio Constante augebatur. Cum fuerint baptizati οἱ συγγενεῖς una cum patre Constantino, filii quoque (hi enim præ cæteris erant συγγενεῖς *sui generis*) sacramento baptismi fuerint donati. Quemadmodum igitur Constantii soror, et Crispus ex priori conjuge Minervina filius numerantur inter baptizatos cum Constantino illa a Bibliothecario in Silvestro num 45, iste a Theophane apud Cangium, pag. 44, ita et filii ex Faustæ conjugio nati fuerint sacro fonte una cum patre perfusi. Crispum comprobant in Christo regeneratum complura documenta, et nummus a nobis productus tomo I, quem hic denuo exhibendum curamus, signatus pluribus notis religionis Christianæ.

Digitized by Google



Numus Crispi Caes. ex Musæo Princip. Burghesii, olim Fulvii Ursini.

Constantinus et Constans ex eadem matre Fausta fratres Constantii, necnon sorores ex eodem conjugio Constantina, et S. Constantia, et junior Helena cum fuerint unda salutari perfusi in tenera ætate; quidni et Constantius in patris baptismo jam bimulus ? Sancta enim Constantia una cum amita ejusdem nominis baptizata legitur a beato Silvestro in æde S. Agnetis; quæ scilicet amita multo ante Constantini mortem decessit. De baptismo igitur administrato vel infanti, vel puero Constantio dubitare vix possumus. Ipsius deinde inconstantia in suscepta fide, imo et aversio subinde consecuta a cœtu cathólicorum in causa, ut arbitror, fuit, cur eodem volente, ac de industria dissimulante dubitatum postea sit, præsertim in Oriente ubi imperavit, de illius baptismo, ex quo Ariani presbyteri colloquia nova illi studia, et amitæ Constantiæ infuderunt. Dilata susceptione alterius signaculi confirmationis (obtentu fortasse paterni exempli, de quo supra, aut simulato studio illud percipiendi postquam pleniori catechesi redditus foret instructior) sensim dilapsus a Catholicis ritibus abstinuerit quoque a mysteriis catechumenum se professus. Quæ consecuta sunt ipso imperium administrante per annos 24 et quod excurrit (ab adepta vero Cæsarea dignitate 30) contra catholicos præsertim episcopos, satis declarant scriptorum testimonia, sub illo principe cum Hieronymo deplorantium : *Orbis terrarum se Arianum esse miratus est.* Mirum itaque videri non debet, si orbis terrarum sub ejusdem imperio catholicam fidem tot in provinciis ferme oblitus, susceptum in pueritia baptismum principis, et diuturna aversione sacrorum ab eo de industria dissimulatum, in Oriente ignoravit, et illum adeuntes episcopi, ac videntes per annos quadraginta catechumenum profiteri, pariter ignorarunt. Romana vero Ecclesia, quæ gesta suorum pontificum, et Magni Constantini, dum hic moraretur, diligenter scripta evolvebat, eaque non modo codicibus, sed etiam marmoribus perennius incisa tot in ecclesiis per ipsum fundatis, ac dotatis asservabat, et hominum memoriæ tenacius impressa retinebat, non ita facile oblivisci potuit collatum Constantino Magno ejusque liberis sacramentum. Quare salva Patrum auctoritate, illa scribentium de principis professione inter catechumenos, quæ videbant ab ipso geri palam et prædicari, deneganda non est fides Romanis, primum ejusdem pueri baptismum ex documentis archivorum tenentibus, et appellantibus iteratum baptismum illum, qui eidem conferebatur morti jam proximo, ætatis anno 45 ab Euzoio episcopo Ariano ad Antiochenam sedem paulo ante provecto, cui Eusebium ejus factionis gregalem substituit error amanuensis. Multo est difficilius notum universis baptismum Arianæ impietatis a principe morti proximo postulatum et perceptum componere cum laudibus illi post mortem tributis a S. Gregorio Nazianzeno. Has tamen composuit Baronius ad annum 361, n. 21 et seq., præsertim vero 31 cum excusatione, *quod Gregorius ignorans facti putaverit pœnitentem.* Si factum igitur Augusti morientis publica in luce, suaque in vicinia gestum ignorare potuit Gregorius Nazianzenus, atque ex Ariano pœnitentem putare, cum scriberet quadriennio ab ejus morte nondum exacto; nemini mirum videri debet, quod totis quadraginta annis, ut minimum elapsis a priori baptismo infanti aut puero Constantio in Occidente collato, Athanasius et Hilarius rescire id non valuerint, quod princeps in Oriente degens se accepisse non profiteretur, aut inaniter sibi puero collatum fortasse opinabatur, ex quo secesserat ad partes Arianas.

Hæc dicta sunt ad libranda utriusque sententiæ momenta antequam de præsumpto errore Bibliothecarii, ac de fide monimentorum super iterato baptismo Constantii testantium quidpiam severius statuatur. Cæterum declaratio attributa Felici papæ adversus Constantium refertur ad hæresim Arianam ab hoc principe assertam. Id enim expressit tantum inscriptio vetus reperta una cum corpore S. Felicis II in Ecclesia SS. Cosmæ et Damiani, de qua Baronius ad annum 357, n. 1, Aringhius, aliique corpus S. Felicis papæ et martyris qui damnavit Constantium. Quod additur in textu Bibliothecarii de iterato baptismo; cum iteratio contigerit post mortem hujus Felicis papæ II, referendum non est ad hujus declarationem, sed ad exprimendum conceptum historici : ut sensus sit : « Hic (Felix II) declaravit hæreticum habendum esse Constantium (licet nonnulli excusarent) qualem exitus demonstravit; cum iteravit baptismum suadente Eusebio Nicomediensi administratum ipsi ab Euzoio Ariano ad sedem Antiochenam paulo ante promoto. »

Linea. 5 — *Hic fecit basilicam via Aurelia*, etc., et lin 11. *Corpus ejus*, etc., *sepultum est in supradicta basilica, quam ipse construxit via Aurelia milliario secundo.* Adjacet locus cœmeterio Calepodii non longe ab Ecclesia S. Pancratii, via Aurelia : de quo videndi Panvinius, Aringhius et Boldettus, lib. II, c. 18 obs. ad cœmet. Corpus inde translatum ad titulum SS. Cosmæ et Damiani intra Urbem, concessa ta

Digitized by Google

men parte inclusa sub Gregorio VII, cum aliis reliquiis intra tabulam marmoream, quæ constituebat mensam altaris in consecratione sacelli S. Pastoris a fundamentis tunc renovati cum ipso titulo : quæ tabula nunc affixa visitur parieti intra sacellum S. Petri, postquam opere magnifico ab Excell. Cajetanorum familia excitatum est novum sacellum S. Pastoris. Inscriptio autem Benedicti titularis ejusdem Ecclesiæ sub Gregorio VII, talis est:

Tempore Gregorii septeni præsulis almi
Presbyter eximius præclarus vir Benedictus
Moribus Ecclesiam renovavit funditus istam
Quam consecrari sacer idem Carquedonalis
Ejusdem sacræ fecit sub tempore papæ
Augusti mensis septem novemque Kalendis.
Nomine pastoris, præcursorisque Joannis.
De cruce veste Dei locus hic est sanctus haberi
Cui pars de sancti sociatur veste Joannis (Evangelistæ
Martyris et Stephani papali nomine primi
Martyris et papæ Felicis honore secundi
Nec minus Hermetis præfecti martyris Urbis
Et Tranquillini Marci Marcel iqueani.
Horum reliquiis constat locus iste celebris.
Hinc et multorum, possemus nomina quorum
Dicere, si tabula locus illis esset in ista
Nos meritis horum redeamus ad astra polorum.

CIACONII.

Linea. 1. — *Felix natione Romanus*, Felicem a Romanorum pontificum numero Ciaconius expungit ob rationes superius adductas, n. 51.

PAGII.

Sanctus Felix II, natione Romanus, ex Patre Anastasio Liberio, cujus erat diaconus, anno trecentesimo quinquagesimo quinto, ut vidimus, in exsilium pulso, ordinatus est pontifex Romanus, et quidem ab Arianis hominibus in Constantii palatio, cum non posset a catholicis : sedit que annos plus minus tres, usque ad diem vigesimum nonum mensis Junii anni trecentesimi quinquagesimi octavi, quo die depositus dicitur ab episcopatu in auctiori catalogo, veterum pontificum, quatuor nempe diebus ante Liberii ingressum in urbem Romanam, qui, ut diximus, die secunda Augusti ejusdem anni contigit : *Felix depositus*, ut habetur in illo catalogo, *de episcopatu, habitavit in prædiolo suo a die* III *Kalendas Augusti*. Marcellinus et Faustinus, schismatici, presbyteri Romanæ Ecclesiæ, in præfatione precum, quas exhibuerunt Theodosio imperatori, scribunt : *Tertio anno rediit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit ; Felix notatus a senatu et populo de Urbe propellitur*, et postea addunt : *Post annos octo* (ex quo Roma pulsus est Felix) *Valentiniano et Valente coss.* (id est anno Christi trecentesimo sexagesimo quinto) x *Kalendarum Decembrium defunctus est Felix*. Illis autem presbyteris, licet alias mendacissimis, tuto hac in re fides adhiberi potest, cum ea narrent, quæ in conspectu totius Urbis gesta erant.

Controvertitur an Felix vere fuerit pontifex Romanus. Perronius cardinalis in sua ad Magnæ Britanniæ regem responsione, Bellarminus in defensione Felicis papæ, et Henschenius in appendice tomo III SS. mensis Aprilis subjecta, ostendunt Felicem verum fuisse pontificem, quod in antiquo pontificum catalogo, imo et in Libro Pontificali legatur, dum Liberius in exsilium duceretur congregasse *se sacerdotes cum consilio Liberii* et ordinasse *in locum ejus Felicem*. Unde in inscriptione sarcophagi ejusdem Felicis anno 1582, sub Gregorio XIII, in æde SS. Cosmæ et Damiani reperti, legitur : *Hic jacet corpus S. Felicis papæ et martyris, qui Constantium hæreticum damnavit*. Nec dici potest id intelligendum de Felice primo, hic enim, ut in ejus pontificatu diximus, martyrium passus non est, cum ante persecutionem Aurelianeam ad Deum migrarit. Quia tamen quæ de Felicis secundi martyrio tradit Anastasius et ex eo Ado, aliique Martyrologii, fabulosa videntur, et Marcellinus ac Faustinus laudati, eum morte naturali defunctum tradunt, dicendum cum auctore Criticæ Baronii, Felicem II ideo martyrem appellatum fuisse, quod multa pro Christo pertulerit, idque ex modo loquendi prioribus Ecclesiæ sæculis usurpari soliti, non vero quod ejus causa occisus fuerit. Unde Fronto canonicus regularis ordinis sancti Augustini scribit, exstare Litanias in codice ms. a septem, aut octo sæculis exarato, in quibus Felix II in numerum pontificum refertur, cum *sancti* ac *confessoris* nomine. Licet autem Patres concilii Sirmiensis ad Felicem episcopum et ad clerum urbis Romæ scripserint, ut Liberium redeuntem susciperent, utque ambo simul, scilicet Felix ac Liberius episcopatum administrarent, quod idem Constantium imperatorem statuisse refert Theodoretus lib. II, cap. 17 : certum tamen est ex eodem Theodoreto ibidem, et ex libello precum Faustini Marcellini laudato, Liberio Romam redeunte, Felicem alio se contulisse, et in prædiolo suo habitasse; ubi defunctus est. Christianus Lupus in parte quinta ad dictatum Gregorii VII, aliique viri docti e contra contendunt Felicem II non fuisse verum pontificem. Utraque opinio suos patronos, suasque rationes habet, nihilque certi de hac controversia dici potest, sed illud certum, Felicem ut martyrem coli in Breviario et Martyrol. Romanis, die mens. Julii, quemadmodum in Martyrologio Adonis, aliique, et in Sacramentario S. Gregorii legi officium in *Missa S. Felicis et pontificis*. De Felicis episcopatu Romano, ejusque martyrio legendus Papebrochius in Conatu Chronico-Historico, ubi et plura ab auctore Libri Pontificalis relata, rejicit.

XXXIX. SANCTUS DAMASUS.

ANNO CHRISTI 367, VALENTINIANI ET VALENTIS III.

54 *Damasus, natione Hispanus, ex Patre Antonio*, sedit [a] annis decem et octo, mensibus duobus, diebus decem, et cum eodem ordinatur sub contentione Ursicinus. Et facto consilio sacerdotum constituerunt Damasum, quia fortior et plurima multitudo erat, et sic constitutus est Damasus, et Ursicinum ejecerunt ab urbe, et constituerunt eum Neapoli episcopum. Et mansit Damasus in urbe Romana præsul in sede apostolica. *Fuit* autem [b] *temporibus Juliani*.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, an 17, m. 3, d. 4. *Vide Baron anno Domini* 367. [b] *B*, Valentiniani, et Valentis, et Valentiniani junioris, et Theodosii a Coss. Lucipini, et Jovini ad Ricimerem, et Clearchum.

Digitized by Google

Hic *fecit basilicas duas*, *unam* juxta theatrum[a] sancto Laurentio, et aliam *via Ardeatina*, *ubi requiescit* in catacumbis, et[b] ædificavit platoniam, ubi corpora apostolorum jacuerunt, id est beati Petri et Pauli, quam et versibus ornavit. Hic multa corpora sanctorum martyrum requisivit, quorum etiam[c] concilia versibus decoravit. Hic constitutum fecit de Ecclesia.[d] *Hic accusatus* est invidiose et incriminatus *de adulterio*, *et facta synodo*, purgatus est *a quadraginta quatuor episcopis*, qui etiam *damnaverunt Concordium et Calixtum diaconos accusatores*, et projecerunt *de Ecclesia*. Hic constituit titulum in urbe Romana, scilicet basilicam quam ipse construxit, ubi et donavit patenam argenteam pensantem libras 15[e], scyphum anaglyphum[f] pensantem libras decem; calices ministeriales argenteos quinque pensantes singuli libras tres; coronas argenteas quinque pensantes singulæ libras octo; canthara cerostrata ærea pensantam libras 16; domos in circuitu basilicæ præstantes solidos quinquaginta quinque[g]; possessionem Papyrianam territorio Ferentino cum adjacentibus[h] antiquis, præstantem solidos[i] ducentos et viginti, et trimisium; possessionem Antonianam in territorio Casin. præstantem solidos centum et tres; balneum juxta titulum præstans solidos septem et viginti[j]. Hic constituit, ut psalmos diu noctuque canerent per omnes ecclesias: qui hoc præcepit presbyteris et episcopis, vel monasteriis. *Hic fecit ordinationes* in urbe *quinque per mensem decembris presbyteros* 31, *diaconos* 2, *episcopos per* diversa *loca sexaginta duos*. Qui etiam *sepultus est* via Ardeatina *in basilica sua*, III *Idus Decembris* juxta matrem suam, et germanam. *Et cessavit episcopatus per dies* 31.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] dedicavit. [b] *Vide Baron ad ann* 384, *quid sit Platonia*. [c] *C.* conchylia, et sepulcra. [d] *Vide Baron ad ann.* 367. [e] *C*, 20. [f] *C*, argenteum. [g] *C*, 355. [h] *C.* attiguis. [i] 120 et tremissem. [j] *Baron loc cit in negat.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod. Freh.

A

Num 54, *lin* 10, *AB*, requirens invenit, quæ etiam versibus declaravit 39 (*A*, 47) episcopis expurgatus. *lin* 16. *A*, lib 15. *B*, 20. *Addit B*, amam argenteam pens lib 15, scyphum etc. *lin* 18, *A*, aurea 16. *B*, canthara cerostata ærea 16. *lin* 19. *AB*, 155. *lin* 20, *AB*, attiguis. *A*, præstantem solid 122. *B*, solid 120 et tremissem. *lin* 23. *B*, 26. *lin* 26. *A*, 65. *lin* 27. *AB*, n id.

Ex cod. Reg. Maz. et Thuan.

Lin 1, sedit annos 18, m. 3, dies 11. *lin* 3, sub cons Ursinus. *lin* 4, et plurima cum eo mult e. et sic c. est Dam. Ursinum vero ejecerunt ab u. et Neapolim constituerunt episcopum. *lin* 6, in urbe Roma. *lin* 7, juxta theatrum, quod S. Laurentii vocatur nomine. Aliam via Ard. *lin* 8, et dedicavit Platoniam, ubi corpora sanctorum apost. *lin* 9, vers ornavit. Hic multa corp martyrum req et invenit, quorum etiam tumbas versibus exornavit (*M*, quorum etiam tumbas et martyria versibus decoravit). Hic invidiose de adulterio incriminatum, et facta syn. *lin* 14, in urbe Roma basilicam q. i. c. ubi et hæc dona obtulit: patenam arg pens lib 20, amam arg pens lib 15, scyphum arg anaglyphum pens lib 10, coronas argenteas. *lin* 16, calices ministeriales arg pens lib 10, canthara cerostrata ærea ib. domus in circuitu basilicæ præst sol 155, possessionem P. in t. F. cum adjacentibus adtiguis pr. sol 120 et trimisium. *lin* 22, cassino. *lin* 23, solid 28. Hic constituit ut psalmi diu noctuque canerentur per o. eccl quique hoc præcepit presb. *lin* 25, in urbe Roma. *lin* 28, et germ 3 id. Dec et cess ep dies 31.

B

Ex cod. Thuano altero.

Lin 1, sedit ann 18, m. 3, d. 11, et cum e. ord sub intentione Ursinus. *lin* 4, et Ursinum egerunt ab u. et c. e. Neapolim ep. *lin* 6, in urbe Roma p. in S. A. eodem tempore fecit bas 2, juxta th. S. Laurentio, et aliam in catacumbis, ubi jacuerunt corpora S. apostolorum Petri et P. in quo loco platoniam ipsam, ubi jacuerunt corpora sancta versibus exornavit. *lin* 10, hic m. c. f. m. r. et invenit, quorum etiam versibus declaravit. *lin* 11, de Eccl. Hic constituit accusatus invid accusatum de adulterio. *lin* 13, Calistum diacones. *lin* 16, lib 20, amam argenteam pens. lib 15, scyph anaglisim. *lin* 18, cereostata. *lin* 19, sol 155, Possessio Papiranam. *lin* 21, attiguis. *lin* 21, sol 120 et tr. Possessio A. *lin* 23: Hic fecit ord in urbe Roma 5. *lin ead* sex d. Hic constituit, ut psalmi d. n. canerentur. *lin* 24, monasteriis. Qui etiam sep. *lin* 28, germanam suam, et cess ep. d. 31.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin 2, *Cass et Flor*, mens 3, *lin* 3, *Flor duo*, Concilio. *lin* 5, *Codd mss.*, Roma. *lin* 8, *Flor duo*, et in catacumbis, ubi jacuerunt corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in quo loco platoniam ipsam, ubi jacuerunt corpora sancta, versibus exornavit. *lin* 10, *Flor sec*, et invenit. *lin* 14, *Vatic*, in urbe Roma basilicam. *lin* 20, *C.* vel.

Apud. Peniam ex cod. Cavensi.

Lin 2 *et* 3, sub intentione. *lin* 16, scyphum anaglyphatum; *alia lectio interlinearis superaddita*, *anaclifum*. *lin* 21, fol cxx et trimisium. Poss Antonianam territ Cassinum præst fol cm.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 7. — *Juxta theatrum.* Scilicet Pompeii.

ALTASERRA.

Linea 23. *Hic constituit ut Psalmos diu noctuque canerent per omnes ecclesias, qui hoc præcepit presbyteris, et episcopis vel monasteriis.* Idem de Damaso Sigebert. in Chronic. ad ann. 382. Falso Damaso tribuitur institutum de canendis psalmis diu noctuque in ecclesiis, quia hoc institutum erat a primordiis surgentis Ecclesiæ. Sed Damaso acceptum ferri potest Psalterium, quod secundum LXX interpretes in omnibus ecclesiis canebatur ab Hieronymo emendatum, a Damaso canendum Gallicanis ecclesiis traditum : unde Gallicanum dictum est ; a Romanis retento psalterio secundum LXX interpretes : unde Romanum dictum est ; et hoc est quod ait Sigebertus loco proxime laudato : « Hoc Psalterium Damasus papa rogatu Hieronymi, in Gallicanis ecclesiis cantari instituit, et propter hoc Gallicanum vocatur, Romanis Psalterium secundum LXX retinentibus sibi, propter quod Romanum vocatur. »

BENCINI.

Linea 11. *Hic constitutum fecit de Ecclesia.* Consueta phrasi Liber Pontificalis Romanorum pontificum constitutiones innuens omittit constituti argumentum. Verum hocce Damasi laudatum constitutum, ut reor, illud censendum, quod edidit, cum Gratianus, Valente fidei Nicænæ hoste infensissimo e vivis sublato, ut occurreret Orientalibus ecclesiis sub Constantio, Juliano Apostata, et Valente miserrime a variis sectis deformatis, edictum vulgavit, quo decrevit ecclesias cujuslibet civitatis ab iis regendas, qui communione cum Damaso concordarent. Quapropter Damasus celebrem emisit Tomum, seu fidei professionem, quam per Paulinum direxit Meletio Antiocheno, qui primus cum 150 et amplius episcopis orientalibus eidem subscripsit anno 378 in concilio Antiocheno, et deinde reliqui in concilio Constantinopolitano. Hujus fragmenta primus edidit Holstenius in collectione Romana parte priori. De ea agunt PP. Chalcedonenses in aurea ad Marcianum allocutione, et nos fusiori calamo id probatum dabimus in commentariis ad eamdem allocutionem, quam, Deo annuente, publici juris faciemus.

Linea 23. — *Hic constituit ut Psalmos diu noctuque canerent per omnes ecclesias.* Alternatim nempe, cum jam psalmorum cantus Romæ, et per orbis ecclesias ab apostolico ævo fuisset inductus, et ab omnibus frequentatus, uti erudite probat cardin. Bona in tract. de Psalmodia. Alternis autem vocibus recitationem facere Antiochiæ paulo ante hæc tempora invexerant Flavianus et Diodorus monachi, qui usus per Orientem propagatur. De quo Theodoretus cum de monachis illis agit, inquit in Historia ecclesiastica (l. II. cap. 24) : « Noctu dieque ac pietatis studium sedulo omnes excitasse, eosque primos psallentium choros in duas partes divisisse, hymnosque Davidicos alternis canendos tradidisse. Quæ res Antiochiæ primum cæpta ubique pervaserit, et ad ultimas orbis terræ partes pervagata sit. » Cum vero addat episcopis universis id intimasse, videtur inde S. Ambrosium in suam Ecclesiam usum induxisse, quod indigitat S. Augustinus, dum referens acta circa annum 387 hæc habet (l. IX Confess. c. 7) : « Non longe cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, et exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater hominem sanctum Ambrosium prosequeretur, hæresis causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Exsulabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. » Alternatim vero concinisse docent verba, quæ subdit : « Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium A partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est. » Qui ritus Orientalis erat supra descriptus. Morem porro alternatim cantandi diu noctuque et per horas sæpius commemorat Cyrillus in Vita S. Sabæ apud Cotelerium (tom. III. Mon. græc. Aug. 242) cum varia exercitia monachorum describit, præcipue psalmorum determinatis horis peragendam recitationem actam laudat n. 37 : « Alia vero nocte egressus est e spelunca sua beatus Sabas, solusque ad torrentem incedebat psalmos Davidicos per versus recitans. »

BINII ET LABBÆI.

Linea 2. — *Cum eodem ordinatur sub contentione Ursicinus.* Cum a majori parte Damasus presbyter Felicis et Liberii post Ariminense concilium vicarius electus fuisset, pars adversa id indigne ferens, aliquanto tempore post Ursicinum pseudo-pontificem creat, atque basilicam Sicinii occupat : « Quo ea B facta, inquit Rufinus, lib II, c. 10, tanta seditio imo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca. »

Linea 4. — *Ursicinum ejecerunt ab Urbe ;* auctoritate scilicet Prætextati Urbis præfecti.

Linea 8. — *Ædificavit platoniam.* Platonia est pavimentum tabellis marmoreis variis figuris decore stratum. Vide Baron, ann. 384, n. 17.

Linea 11. — *Hic accusatus est invidiose.* Schismatici cum legitimam pontificis ordinationem nulla hostium invidentium calumnia labefactare possent, eademque imperatori et magistratibus nota essent, ad falsas easdemque turpissimas accusationes conversi sunt, ut patet ex litteris, Valent. virum sanctissimum, et purissimum adulterii accusarunt, quem S. Hieronymus epist. 50 virginem Ecclesiæque virginis doctorem appellat.

Linea 23. — *Hic constituit ut psalmos*, etc. Consuetudo illa ecclesiastica conveniendi ad ecclesiam, C et diu noctuque psallendi, antiquissima est, apostolorum institutione ad nos derivata. Unde quod hic scribitur a Damaso institutum ut die noctuque psalmi in ecclesia canantur, falsum est, et ab aliquo superadditum, nisi hæc de forma quadam psallendi ab ipso præscripta explicemus. Baron, ann 384, n. 20.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ.

Epocha B. Damasi constabilita fuit documentis synchronis et autographis, quæ supra exhibuimus tomo II, pag 67 et seqq necnon 106, in Prolegomenis. Cum enim S. Liberius vita functus esset die XXIV Septembris, Gratiano et Daglaipho coss, uti supra demonstratum est in ejusdem chronologia, cessavit episcopatus dies septem, uti Bibliothecarius enumerat in fine Liberii. Kalendis igitur Octobris iisdem coss æræ Christi 366, quæ dies incidit in D Dominicam, ordinatus Damasus exordium cœpit sui pontificatus : quem cum perduxerit ad diem XI Decembris anni 384, Recinere et Clearcho coss, ut Prosper ejusdem æqualis testatur in chronico, et confirmant ecclesiæ tabularia producta in Prolegomenis tomi II, p. 68, consequitur, ut anni solidi decem et octo, menses duo et dies decem sint ejusdem sedi tribuendi : quot illi assignant picturæ superstites in basilica S. Pauli, et catalogi, aliique codices numerati in iisdem Prolegomenis, fol 106.

In catalogo Felicis IV facile cognoscitur error amanuensis : qui unitatem exemptam e columna annorum transtulit in proximam columnam mensium, et scripsit :

	Ann.	mens.	dies
Damasus sedit	XVII.	III.	X.
cum deberet scribere	XVIII.	II.	X.

Consulenda sunt documenta relata pag. 67 eorum-

Digitized by Google

dem Prolegom. ubi epocha Damasi luculenter ostenditur.

Notæ historicæ.

Linea 2. — *Sub contentione Ursicinus. Et facto consilio sacerdotum constituerunt Damasum*, etc., *et Ursicinum ejecerunt ab Urbe, et constituerunt eum Neapoli episcopum.* Ex codice Anastasii Florentino produxi inter Prolegom. tom. II, fol. 61, catalogum episcoporum Ecclesiæ Neapolitanæ, ubi Ursus numeratur episcopus XIII et dicitur æqualis ætati S. Damasi, et in eodem episcopatu sedisse traditur annos quatuor. XIII. *Ursus episcopus sedit annis* III. *Fuit temporibus Damasi papæ, et Valentiniani et Gratiani impp.* Sunt qui contendant hunc ipsum *Ursum* haberi oportere eumdem ac *Ursicinum*, aliis *Ursinum* dictum et in contentione Romæ ordinatum adversus Damasum. Nituntur autem testimonio Joannis diaconi (Neapolitanæ Ecclesiæ diaconum putant plerique Joannem) id ipsum affirmantis. Negant alii cum Baronio ad annum 381, quos inter est Ughellus in Italia sacra; tum quod nomen diversum sit; tum quod Ursicinus ille per factionem ordinatus, ac deinde relegatus in Gallias, turbas excitet contra Damasum etiam post annos quindecim a Damasi electione; tum denique ex eo, quod factionis illius asseclæ, nempe Marcellinus et Faustinus presbyteri in supplici libello quippiam non memorent de Neapolitano episcopatu, ipsi, ut supponitur collato. Legitur quidem apud Baronium ad ann. 368 rescriptum Valentiniani et Valentis Augg. signatum secundo consulatu eorumdem Augg. pridie Idus Junias, in quo permittitur sectatoribus Ursicini, ut ubicumque voluerint absque religionis injuria degant, eisdem tamen interdicta sola urbe Roma. Quare nonnullis componi posse videtur quadriennalis ille episcopatus Ursicini apud Neapolim, donec inde pulsus, ac relegatus in Gallias, superstes sit, et aptus ad turbas miscendas post annum quintum decimum pontificatus B. Damasi. Verum in eo rescripto cum nihil statuant imperatores de Ursicino in schismate ordinato post Damasum, ægre censent traduci posse illam principum indulgentiam ad auctorem præcipuum factionis, ita ut non modo prohibitus non sit prope Urbem degere, sed etiam assumi potuerit per legitimum pontificem Damasum, sive ejus de consensu per comprovinciales episcopos, aut per clerum Neapolitanum ad regimen illius Ecclesiæ. Quod autem attinet ad testimonium Joannis diaconi post complura sæcula ab illo dissidio nati, contendunt illum scriptorem hallucinari facile potuisse ex affinitate nominum *Ursi* et *Ursicini*, et proximitate ætatis utriusque, et gesta duorum miscere potuisse non minus quam nomina. Ex Joanne autem diacono transcriptam nonnulli putant in Librum Pontificalem hanc periocham; quæ attamen cum omittatur ab Henschenio, indicat in quibusdam codicibus illam desiderari: ubi scilicet exprimitur ordinatio Ursicini sub contentione, sed nihil de Neapolitano episcopatu ipsi collato subditur

Linea 6. — *Fuit autem temporibus Juliani.* Ecce aliam periodum aut periodi colon, desumptam ex actis Liberii depravatis, ut quidam suspicantur. Julianus imperator jam obierat v Kal. Julii anno 363, constante Vita Liberii; quare triennium solidum intercedit inter Juliani obitum, et electionem Damasi papæ Kal. octobris anno 366. Erat quidem Damasus presbyter Liberii papæ vicarius constitutus temporibus Juliani, si eadem acta respicimus, sed nondum ad episcopatum promotus. Ad Julianum vero Apostatam, non ad Constantium Arianum referenda videtur expeditio illa contra barbaros, quam minæ consequuntur Liberio intentatæ juxta eadem Acta: *quod victor revertens carnes ejus volucribus cœli et bestiis terræ immolaret.* Illarum quoque meminit S. Joannes Chrysostomus adversus Gentes, ut observat Baronius ad annum 363, necnon S. Hieronymus in chronico, S. Gregorius Nazianzenus Orat. II in Julianum, et historicus Theodoretus lib. III, cap. 18. Tunc vero Damasus presbyter et Liberii vicarius suadet Liberio, ut baptismum administret in cœmeterio Ostriano. Ex his igitur actis breviator aliquis contraxisse videtur hunc versum, in quo memorat Bibliothecarius Damasum fuisse temporibus Juliani. Addere debuerat fuisse tunc presbyterum vicarium, et nondum episcopum ac successorem Liberii; quod illi postea contigit elapso triennio post mortem Juliani, Romanum imperium moderante Valentiniano.

Linea 7. — *Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum S. Laurentio, et aliam via Ardeatina.* Basilicam S. Laurentii ad theatrum Pompeii complures illustrant scriptores. Ejusdem historiam pleniorem propediem edi exspectabamus ab ill. ac rev. præsule Fonseca ex canonicatu ejusdem basilicæ nuper promoto per S. D. N. Benedictum XIII ad episcopatum Ecclesiæ Æsinæ. Theatri Pompeiani ex ruinis, et adjunctæ curiæ (in qua Cæsarem dictatorem confossum fuisse ferunt) effossas traduxit columnas in magnificis ædibus cancellariæ apostolicæ ornantes basilicam, necnon statuam Magni Pompeii hodie asservatam in lectissimo Musæo Clementis marchionis Spadæ. Inscriptionem prope basilicam egestam in qua nomen Genii nomen Theatri Pompeiani legimus apud Gruterum fol. 111, n. 8. Extensum vero theatrum fuisse circa aream hodie dictam Campum Floræ docent ingentes columnæ paucos ante annos repertæ in fundamentis ædium proximarum card. Pii Carpensis, indeque protensis domibus ad vicum a fabris ferrariis denominatum: ubi scenam theatri fuisse excitatam colligimus ex magnificis epistyliis marmoreis ibi passim effossis a fronte ecclesiæ S. Andreæ de Valle ad exitum ejusdem vici respondentem aream S. Caroli ad Catinarios, ubi pariter fragmenta columnarum ingentium ex lapide porphyretico nuper detecta magnificentiam veteris structuræ confirmant. Sequebatur enim porticus perducens ad diaconiam S. Angeli ab hodierno foro Piscario dictam, quam regionis partem arcus et inscriptio hodie superstes Septimi Severi et Caracallæ cultu splendidiore ornatam sub iisdem Augustis fuisse probat. Porticum Joviam sub Diocletiano dictam in reparatione indicat inscriptio ibidem reperta de qua Gruterus fol. 111, n. 6. In opusculo octavi sæculi de regionibus urbis Romæ, edito per illustrem antiquitatis vindicem Mabillonium in Analectis, cui iterum cuso et notis adaucto locum tribuimus in Prolegomenis hujus nostræ editionis Anastasianæ. Num. 1 legitur progressus viæ a *porta S. Petri ad S. Paulum.* In illo autem progressu post titulum S. Laurentii (*in Damaso*, uti expressius indicant sectiones 2 et 3) sequitur *Theatrum Pompeii*: deinde subditur: *et per porticum usque ad S. Angelum, et templum Jovis* [scilicet *Capitolini*] ut ibidem monuimus.

Hanc igitur basilicam S. Laurentii a conditore B. Damaso fuisse decoratam sacris imaginibus et historiis docet Adrianus papa in epistola ad Carolum Magnum, inserta Actis synodi Nicænæ secundæ apud Binium tomo III, parte post. pag. 126, in fine col. 1, et apud Labbæum tom. VII, columna 955.

Consecrationis vero ejusdem basilicæ per S. Damasum peractæ (quod fortasse antiquissimum est hujusmodi ritus documentum genuinum) edidi testimonium num. 35 in præfatione tomi primi repertum inter vetusta marmora ab Alexandro cardinali Farnesio collecta, qui S. Laurentii titulum S. R. E. Vicecancellarius obtinuit, eamque basilicam structuris plurimis præsertim ad aram maximam et ornamentis decoravit. Illa in tabella marmorea leguntur incisæ litteræ:

T . I . X . N . EGO ꝗAMASI
VS VRB̄ ROME EP̄S AN
C ꝗOM̄ V C̄OSECRAVI
N . R . D . f M . f . PA . S . PE

Quas ita exponendas censeo. *Titulus in Christi nomine ego Damasius urbis Romæ episcopus hanc domum consecravi nona regione dedicatam septembri mense S. Paulus S. Petrus.*

Damasi et Damasii nomen promiscue sumptum fuisse pro arbitrio varie pronuntiantium, sive pro imperitia quadratarii in marmoribus, et amanuensium ac librariorum in codicibus, tum in hoc lapide observavi, tum in vetustis libris lectionariis basilicæ Liberianæ intra Urbem, et Ocriculensis Ecclesiæ in Sabinis *nona regione* ex Augustæis, quæ dicebatur *Circus Flaminius*. Constitutum fuisse basilicæ hujus ambitum ad Theatrum Pompei satis novimus ex P. Victore. Eamdem regionem protensam ad diaconiam S. Eustachii, atque ita appellatam in publicis tabulis, quæ signabantur sæculo etiam undecimo, vi imus supra in notis ad S. Julium. Dedicatio ejusdem basilicæ Laurentianæ, in Damaso nuncupatæ, cum recolatur Kalendis septembris, ita signata in tabulariis recentibus ac vetustis, consentit cum lapidis inscriptione. Denique siglæ postremæ ſ P A. ſ P E neminem dubitare sinunt, quin exprimant nomina SS. apostolorum Petri et Pauli, et apposita sint loco signaculi, Ecclesiæ Romanæ pontificibus familiaris, tum in diplomatibus, tum in rerum sacrarum custodia. Ante annos viginti cum jussu Clementis XI recluderetur capsula reliquiarum reperta in altaris loculamento sub Ara maxima diaconiæ S. Mariæ in Dominica, ubi reperta fuit magna pars ossium S. Balbinæ cum plumbea lamella orbiculari inscripta litteris : CORPVS S. BALBINAE VIRG. in operculo capsulæ custodientis alias reliquias a virginis ossibus diversas observabantur expressæ imagines SS. apostolorum Petri et Pauli; neque enim ullum signaculi indicium adhibebatur frequentius in vitreis pateris ad sacrum ministerium paratis, et ad colligendum sanguinem martyrum, eorumque loculis apponebatur, quam duo capita ac nomina eorumdem apostolorum. Qua etiam de causa nomen Pauli, hoc in lapide præmissum nomini Petri, indicat variatum pro arbitrio sculptoris locum, ut in vitreis orbiculis observant Aringhius, Fabrettus, Bonarota, sive sinistrorsum positum, ut in plumbeis Bullarum signaculis tum vetustis, tum recentibus conspicimus.

Pars adversa hujus marmoreæ tabellæ ostendit nomina sanctorum, quorum reliquiæ de more fuerunt sub altaris mensa reconditæ in ejusdem ecclesiæ consecratione.

hic re QUIESCIT CAPUT
SCTI CRESCENTINI. M.
ET RELIQUIE S SU PANT

Hic requiescit caput sancti Crescentini martyris, et reliquiæ sancti Superantii.

Sanctus Crescentinus miles Romanus fuit, cujus corpus absque capite translatum fuisse legitur Urbinum anno salutis nostræ 1068, sub Maynardo episcopo ejusdem civitatis, qui illud impetraverat a Fulcone Tiphernate antistite. Passus vero fuerat Crescentinus sub Diocletiano Kal. Junii, qui etiam dicitur Crescentianus, ut in officio ejusdem Romæ, ac Fani impresso anno 1657, ex concessione sac. Rituum congregationis. Eadem die in martyrologio vetustissimo Antuerpiensi occurrit Romæ passio SS. Juventii, Ciriaci, et Superantii, quem martyrologia Florentinii et Corbeiensis cœnobii vocant Exuperantium, uti idem Florentinus retulit Kal. Junii.

Quisquis igitur hanc tabellam titularem dedicationis ecclesiæ, et signaculi sacrarum reliquiarum, quas Damasus papa collocabat sub altari basilicæ dedicatæ, confert cum syngrapha membranacea ab episcopo ecclesiam consecrante de more includenda cum sacris lipsanis sub mensa altaris, videt profecto ritum a majoribus institutum in hac sancta Romana Ecclesia per sæcula quatuordecim et quod excurrit a B. Damaso ad ætatem nostram constantissime retineri. Dum hæc scribo Ss. dominus noster Benedictus papa XIII, ante dies quatuor, nempe die Dominica 17 septembris hujus anni 1724, solemni ritu dedicans basilicam titularem SS. duodecim Apostolorum, a fundamentis instaurari cœptam sub Clemente XI, qui primarium ejus lapidem collocaverat die 27 feb. anno 1702, hanc inclusit epigraphen :

« Anno Domini 1724, die 17 mensis Septembris, Dominica 15 post Pentecostem, festo Impressionis sacrorum stigmatum in corpore S. Francisci. Ego Benedictus XIII, catholicæ Ecclesiæ episcopus, jam Fr. Vincentius Maria card. Ursinus ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Beneventanus, consecravi ecclesiam hanc in honorem SS. XII Apostolorum et altare hoc ad nomen et memoriam SS. apostolorum Philippi et Jacobi, et reliquias SS. MM. Donati et Severini in eo inclusi; et singulis Christi fidelibus hodie plenariam indulgentiam, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus annos quinquaginta et totidem quadragenas de vera pariter indulgentia in forma pariter consueta concessi. Hæc est prima ecclesia, et altare hoc primum cum ipsa a me licet immerito, anno pontificatus mei primo consecratum, præter alias ecclesias CCCLVI, altaria fixa MCCCCLXIII, et portatilia DCXX, quæ cum cardinalatus et archiepiscopatus honore insimul fungerer sacris eisdem ritibus solemniter dedicavi. »

Alteram basilicam ab eodem Damaso papa fundatam extra Urbem via Ardeatina evertit clades communis compluribus aliis sacris ædificiis suburbanis, quando scilicet colluvie barbarorum inundante, et castra metante circa Urbem, non modo spoliata, sed pl ne diruta et solo æquata fuerunt pleraque suburbana sacraria ab agiomachis ; ita ut providentia pontificum præcavente injurias, quas illi inferebant passim sacris lipsanis martyrum extrahenda sibi esse duxerint pastores optimi complura corpora SS. martyrum et confessorum et intra Urbem transferenda, ne impiorum manibus dispergerentur. Hac vero occasione etiam corpus beati Damasi, quod in eadem basilica extra muros a se fundata quieverat (uti leginus hoc in num. 54, lin. 7 et 8) translatum fuit ad illam priorem basilicam Laurentianam dictam in Damaso a suo conditore : ubi religiose asservatur et colitur infra aram maximam intra altare in hypogæo ecclesiæ constitutum.

Linea 8. — *Ædificavit platoniam, ubi corpora apostolorum jacuerunt.* Iisdem verbis retulit Ado Viennensis in Chronico, quemadmodum observat Cangius in Lexico med. et inf. latinitatis, verbo *Platonia*. Ibi exponens *ideam*, hac voce significatam, probat per illam indicari pretiosa marmora in tabulas subtiles dissecta, quibus magnificenter convestiuntur ædes internæ, non secus ac supra, in Liberio, num. 52, lin. 8 : « Hic Liberius ornavit de platinis marmoreis petris sepulcrum S. Agnetis martyris. »

Linea 10. — *Quorum etiam concilia versibus decoravit.* Concilia martyrum dicta sunt apud veteres sacra cœmeteria, ubi martyres sepeliebantur, quemadmodum observat Baronius in notis ad martyrol. Rom., die 23 Junii, et Boldettus, de sac. Cœmet., lib. II, cap. 19, pag. 585, ex Actis S. Stephani pp. et ex Hieronymo in epitaphio Nepotiani. Complures epigraphes a se dictatas incidi curavit B. Damasus in sacris cœmeteriis, et in ecclesiis supra ipsa cœmeteria excitatis : quas passim produxit in Annalibus card. Baronius, collegit vero Martius Milesius, ediditque una cum operibus ejusdem pontificis quæ supersunt. Ex iis nonnullæ adhuc spectantur intactæ, ut in cryptis Vaticanis inscriptio fontis, in basilica S. Sebastiani via Appia epigraphe S. Eutychii martyris, alia in pavimento tituli SS. Silvestri et Martini in montibus, quarum in singulis nomen Damasi incisum legitur.

Linea 11. — *Hic constitutum fecit de Ecclesia.*

Digitized by Google

Quid intelligat Bibliothecarius nomine *constituti de Ecclesia* clarius aperit sequenti num. in Siricio, lin 2, ubi legimus : « *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, vel contra omnes hæreses, et dispersit per universum mundum, ut in omnis Ecclesiæ archivio teneatur ob impugnationem contra omnes hæreses.* » Solent nempe scriptores Libri Pontificalis nomine *constituti de Ecclesia* a Romanis pontificibus editi significare constitutionem apostolicam ad fidem aut ad mores pertinentem. Quas autem constitutiones ediderit Damasus tum in quatuor Romanis conciliis in Urbe habitis, tum in approbatione synodi œcumenicæ Constantinopolitanæ ita sunt celebrata scriptis antiquorum et recentium historicorum, et apte collecta apud Baronium, Binium, Labbæum in Annalibus et Conciliis, ac in notis Pagii et Somier, ut indicari tantum hic debeant summa capita rerum præcipuarum. In primo igitur concilio Romano per Damasum celebrato sub initium sui pontificatus, anno 367 : « Valens et Ursacius, cæterique manifesto Ariani damnati sunt, » quemadmodum Athanasius ad episcopos Africanos perscribit : « Gratias habendas ejusdem Damasi pietati, et cæteris, qui Romæ convenerunt, quod Ursacio et Valente cum sociis suis ejusdem sententiæ ejectis, concordiam Ecclesiæ conservarint. » Tertio snæ sedis anno alterum concilium in Urbe habuit Damasus, in quo Auxentius Mediolanensis episcopus Arianus depositus, et Ursicinus schismaticus damnatus est. Hujus concilii synodalis epistola superest ad episcopos Illyrici data. Romana synodus tertia sub Damaso, cui Petrus Alexandrinus episcopus interfuit, damnavit hæresim Apollinaris episcopi Laodiceni ex fidei Nicænæ propugnatore in hæresum auctorem mutati, ejusque discipulum Vitalem a factiosis intrusum in sedem Antiochenam perculit anathematismis eadem occasione iteratis contra Arium, Sabellium, Macedonium, Eunomium et Photinum. Videnda epistola Damasi pp. ad Orientales apud Theodoretum, lib v, cap 10. Præsentia Petri Alexandrini ostendit post annum septimum regiminis hanc synodum a Damaso celebratam. Quarta demum synodus Romana, quam œcumenicam Damasus indixerat, excusationes admisit Orientalium, agnoscentium per legatos a concilio Constantinopolitano ad Damasum missos Romani pontificis auctoritatem, qua eos ad synodum suam œcumenicam jure convocabat, ut in epistola synodica ad eumdem data testantur apud Theodoretum, lib v, cap 9, referenda ad annum 382, ubi causantur discrimina suarum Ecclesiarum ab hæreticis imprudentia, si Romani itineris causa ab iisdem longius abessent. Eadem synodus Romana præmisso sui primatus testimonio veterum patriarchalium sedium ordinem confirmavit, Alexandrinæ scilicet, atque Antiochenæ, non numerata Constantinopolitana ; licet Græcorum quorumdam ambitus contendat adjectam fuisse appendicem canonibus synodi Constantinopolitanæ de secundo sessionis loco tribuendo episcopis illius sedis. Hos tamen refellit Baronius ad annum 381. Et licet a Baronio dissentiat uterque Pagius in germanitate canonis asserenda, attamen concludit Pagius Junior in Damaso, n. 14, his verbis : « Sed quidquid sit, certum est illum canonem ab Ecclesia Romana receptum non fuisse, ac diserte probatum ante Innocentium III, qui in concilio Lateranensi IV, can. 5, sedem Constantinopolitanam inter patriarchicas secundo loco numerat, propriamque ei asserit secundam a Romana dignitatem. »

Hæc igitur tum de fide asserta, tum de disciplina Ecclesiæ a Damaso constituta agnoscenda sunt in brevissimo illo comate Bibliothecarii : « Fecit constitutum de Ecclesia. »

Linea 11. — *Hic accusatus est invidiose*, etc. Erat alterum in concilio gestum a Damaso superius adjiciendum. Verum illud referri minime debuit inter constituta de Ecclesia ; cum fuerit peculiare ejus factum, voluntaria scilicet purgatio pontificis in concilio adversus calumnias factiosorum. Vide notas Somier. Id unum observandum adjiciam, nempe audaciam prorsus effrontem ejusdem sæculi hæreticorum et schismaticorum adversus viros sanctissimos perinde effrenem fuisse in Oriente, ac in Occidente. Ibi enim intentavit crimina stupri et magicæ artis Athanasio ; Basilio vero et Gregorio Nazianzeno calumniam hæresis, quam uterque strenue persequebatur (vide Baron, ad ann 371). Nec mitior fuit erga Hieronymum in suspicione probrosæ consuetudinis cum sanctis feminis, quas Romæ et in Syria ad Christianas virtutes instituebat, aut in hæreseos nota illi turpiter inspergenda, qui molleus erat hæreticorum. Pro ingenio itaque suo calumnias machinari non destitit adversus Damasum, non modo violatæ pudicitiæ murmur insinuans, sed etiam mussitans de thurificationis ac traditionis impietate, quam ipsi communem cum Marcellino, Marcello, Melchiade, Silvestro, fuisse mentiti sunt illi, quos Augustinus refellit in libro de Baptismo contra Petilianum, cap 16. Illorum maledicta compressimus cum sancto doctore in notis ad Marcellinum, cui quantum deferre oporteat etiam in, Marcellini innocentia tuenda, præteribi productas auctoritates, documento esse potest S. D. N. Benedicti XIII, dissertatio inserta synodico Beneventano, et publici juris facta, dum eidem Ecclesiæ Beneventanæ archiepiscopus præesset, inscripta *De corpore S. Bartholomæi*, fol. 73.

Linea 12. — *Balneum juxta titulum.* In propugnatione jurium parochialium ejusdem basilicæ S. Laurentii in Damaso, cujus inter canonicos numerabar, edita anno 1706, art II, sect I, n. 6, observabam in titulis antiquissimis urbis Romæ ad eorumdem fundationem ut plurimum delecta fuisse loca, ubi aquarum copia suppeteret ad baptismum per immersionem de more celebrandum, cum tituli fundarentur « tanquam diœceses propter baptismum et pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, et sepulturas martyrum, » ut supra vidimus in Marcello, num 31. Quare et in primævis titulis adnotabam reperiri proximas thermas, aut erogationes aquarum, imo et in pluribus adhuc superesse thermarum rudera. Pastoris titulus, sive sanctæ Pudentianæ, apostolorum hospitio celebris situs est in thermis Novati. Titulus S. Priscæ in Aventino thermas et musivum illas adornans adhuc ostendit in hypogæo. Adjacet thermis Titi aliud hospitium apostolorum, ubi postmodum Eudoxiæ titulus fuit erectus : quibus etiam jungitur titulus S. Clementis. Thermis vero Diocletiani proxime adhærent tituli tres, nempe S. Caii papæ, S. Susannæ virginis, et S. Cyriaci : et Antonini thermas totidem ferme attingunt, nempe S. Balbinæ, SS. Nerei et Achillei dictus Fasciolæ, et S. Sixti, qui et Tigridis appellatur, ubi et piscina. Ad erogationem aquæ Marciæ hinc S. Eusebii, inde SS. Silvestri et Martini, qui etiam nominatur equitii. Ad aquæ Virginis ductus S. Marcelli : prope naumachiam Transtiberinam S. Chrysogoni et S. Cæciliæ, ubi etiam thermarum tumuli conspiciuntur. Quare et in Damasi titulo balnei proximitas quæsitam opportunitatem demonstrat fontis baptismi in eodem aperiendi, cum huic potissimum muneri destinarentur tituli Romanæ Ecclesiæ, uti supra indicabam in notis ad S. Dionysium.

Linea 14. — *Hic constituit titulum in urbe Roma, scilicet basilicam, quam ipse condidit.* In notis ad S. Cletumnon pauca collegi de numero titulorum XXV primum constituto, ita mandante apostolorum principe, eoque custodito per successores tempore persecutionum, deinde aucto ad XXVIII in pace Ecclesiæ per Silvestrum, Marcum, Julium, Damasum, dum numerus basilicarum amplificatus proxime fuisset per Liberium. Ibi etiam egi de partitione vicium sacerdotalium cleri Romani, et assignatione titularium septem ad sacra mysteria certo ordine et serie per-

Digitized by Google

agenda in singulis basilicis ex iis quas posteri dixerunt patriarchales, utpote referentes imaginem Ecclesiæ universæ in hac Romana sede cunctarum matre et principe constituta per Petri cathedram, ad legitimos successores in illa considentes jus summi sacerdotii transmittentem. Licet autem complura contulerim tum in Cleto tum in Dionysio circa augmentum ecclesiarum patriarchalium in Urbe paulo ante celebrationem synodi œcumenicæ Constantinop. sub Damaso, attamen ad nitidiorem conspectum illius systematis exhibendum nonnulla hic addere videtur opportunum, ne minus perspicue explicata a scriptore brevitati consulente confusionem pariant ulterius progressuris.

Dixeram itaque reperiri septenarium numerum antiquitus attributum ex episcopis et presbyteris cardinalibus constituentibus principes sacerdotii una cum diaconis, septenario pariter numero universitatis indice definitis, in hac sancta Ecclesia Romana singulis ejusdem basilicis patriarchalibus ad sacra mysteria dietim peragenda per vices sacerdotales, certo ordine per hebdomadem reversuras, non secus ac in Ecclesia Mosaicæ legis viginti quatuor vices sacerdotales statis temporibus recurrebant, de quibus I Paralip. cap. XXIV. Addidi Ecclesiam Christianam tum ex gentibus, tum ex circumcisione collectam hoc incrementum amplitudinis habuisse supra angustos limites Ecclesiæ Mosaicæ, ut orbem terrarum universum ad verum Dei cultum colligeret in unitate quidem unius fidei et congregationis fidelium sub uno capite sed non uno in loco divina ministeria obeuntium. Triplicem enim Deus voluit eminere sedem ampliori potestate donatam per principem apostolorum : et ex his præcipuam esse Romanam, cui privilegium supra cæteras singulare contulerat, nempe in corpus Ecclesiæ universum exercere plenitudinem potestatis. Nexus iste catholicus hierarchiæ unum spiritum Christi demonstrans, a quo membra universa animata unius capitis sub imperio reguntur, visus est ita excellere sapientibus, architectis Christiani corporis compagem curantibus, ut in Ecclesia Romana omnium principe constituta nunquam destiterint illius imaginem tum mentibus tum oculis exhibere. Quod igitur Petrus impresserat vestigium in fundatione titulorum XXV successoribus proximis demandata, unde agnosci possent in una Ecclesia collectæ omnes vices sacerdotales, illud fideliter retinuerunt cæteri usque ad Silvestrum pontifices, qui eumdem numerum repararunt, quoties a persecutoribus minueretur. Fundamentis Ecclesiæ Romanæ per tria priora sæcula ita firmiter jactis et solidatis, dum inter cryptarum angustias pretiosi lapides cœlestis istius Jerusalem comprimerentur, pax tandem Ecclesiæ reddita sub Constantino ansam dedit educendi ex hypogæo structuram Ecclesiæ, eamdemque exponendi oculis omnium magnificentius in regiis molibus basilicarum. Cura tamen potior ea semper fuit, ut materiem superaret opus, et aptitudo mysterii vinceret structuræ dignitatem, nempe indicaret, quemadmodum Ecclesia loquitur operis sui sapientissima interpres, « quantum temporariis proficeret spatiis, tantum augmenti a Deo poscere spiritalibus incrementis. »

Quarto igitur sæculo fundatæ per Constantinum, dedicatæ per Silvestrum potiores basilicæ Romanæ sno non caruere mysterio. Illud exposuit Innocentius III, et Innocentii decessores longe antiquiores facto comprobarunt in harmonica illa partitione basilicarum ac titulorum, quæ sedem Romanam Dei et Agni esse monstrarent inter patriarchales orbis Christiani thronos veluti centrum unitatis, et typum universitatis catholicæ positam, et omnium Ecclesiarum coronas concordi a seniorum choro sive ab ordinata sacerdotum hierarchia Christo oblatas materno sinu suo colligentem. Ideam illam Ecclesiæ universalis in hac Romana ita expressam supra retulimus tum verbis Innocentii III, in notis ad S. Dionysium, tum cardinalis Rasponi in notis ad S. Cletum, quare huic diutius non immorabor.

Reddenda tantum est ratio qua tribus præcipuis sedibus orbis Christiani, Petri auctoritate fundatis cum late patenti spatio jurisdictionis, responderet imago congrua in tribus præcipuis basilicis Romanis ætate Constantini Magni constructis, dum esset titulorum numerus priscus ille XXV a beato Petro præscriptus Cleto et retentus a successoribus usque ad Silvestrum; et quærendum cur paulo post ætatem Silvestri numerus titulorum cum esset auctus ad XXVIII, basilicæque duæ superadditæ tribus illis præcipuis imaginem trium patriarchatuum referentibus obtinuissent suas vices septenarias titularium presbyterorum, et viderentur referre, juxta sententiam Innocentii III et card. Rasponi, duas alias sedes honorifico jure patriarchatibus ferme æquatas, licet nulla jurisdictione nova donatas quarto et quinto sæculo ex ætate concilii Constantinopolitani primi ad ætatem concilii Chalcedonensis; cur, inquam, in quinario isto numero basilicarum septenaria titulorum attributione gaudentium referri posset imago quinque illarum sedium ex placito pontificum Romanorum, cum Romani pontifices a Damaso ad Leonem, nempe a concilio Constantinopolitano ad Chalcedonense obsisterent auribus duarum sedium Constantinopolitanæ et Hierosolymitanæ ordinem æqualem affectantibus cum primario illo censu trium patriarchalium a Petro fundatarum Romæ, Alexandriæ et Antiochiæ. Pugnare enim videntur invicem conatus vetans, ne antiquus trium patriarchatuum numerus augeatur, et concessio designans in imagine orbis Christiani non tres tantummodo sed quinque sedes cæteris thronis episcopalibus dignitate sua præferendas.

Ut ab hac postrema comparatione incipiam depellere speciem præsumptæ contradictionis, præmonuit opportune auctor doctissimus et veteris ac novæ disciplinæ illustrator Thomassinus, distinguendum esse jus honorificum considendi digniori loco, utendi certis insignibus, et hujusmodi decora specie, peculiarem in Ecclesia reverentiam erga certas sedes indicante, distinguendum (inquam) esse a jure potestatis exercendæ tum cogendo, tum dirigendo integras provincias, exarchatus, ac diœceses tanquam subjectas. Restiterunt acriter pontifices Romani quarto præsertim et quinto sæculo perturbationi hujus secundi juris, cohibentes audaciam præsulum Constantinopolis et Hierosolymæ, si quidpiam attentarent alienæ potestatis tum directivæ tum coactivæ pertinentis ad tres illos patriarchatus veteres et primarios Petri auctoritate fundatos Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ. Vetabant transgredi fines Patrum. Vindicationem surrepti juris hujusmodi antiquis sedibus decernebant, a Damasi præsertim ætate ad Leonem Magnum, quando gradatim usurpari intelligerent, potissimum a Constantinopolitanis episcopis, potestatem primum Heracleensis metropolitæ, deinde jurisdictione exarchatus Ponti, tum Alexandrinæ et Antiochenæ sedis, postmodum etiam Romanæ per illam seriem gestorum, quam Thomassinus luculenter exponit parte p., lib. p., cap. 10, dum ausus recenset Hilarii, Attici, Sisinnii, et successorum. Huic perturbationi veteris potestatis valide restiterunt Romani pontifices, suis etiam legatis ad concilium id mandatum tradentes, « quo jubebantur vetare, vetandoque irritare quidquid novæ rei molirentur episcopi, quæ vel detrimento esse possent apostolicæ sedi, vel Ecclesiis aliis in alias incremento, » ut ibidem collegit, n. 14, Thomassinus, ex sessione 15 concilii Chalcedonensis.

Sed illud jus honorificum ab hoc longe diversum, quod sola attributione dignioris loci in confidentio post Romanæ sedis antistitem aut legatos, sicut nuda tituli præcellentia donabat episcopos tum Hierosolymæ, tum novæ Romæ, ita indulgenter permiserunt summi pontifices a conciliis decerni, ut eorumdem

Digitized by Google

legati non modo jussi non sint illud irritare, sed etiam juxta decreta semel indultum semper vigere contenderint. Quapropter in synodo Chalcedonensi legatus papæ Paschasinus conqueritur de non attributo in pseudo-synodo Ephesina digniori loco episcopo Constantinopolitano supra Alexandrinum et Antiochenum, quibus præponi Anatolium spectabant omnes et comprobabant in Chalcedonensi. Ea de re satis egimus in notis ad Dionysium ubi observavimus cum Thomassino perinde factum a Nicæna synodo cum episcopo Hierosolymitano, cui canone 7, indulsit, « ut habeat consequentiam honoris salva metropoli (Cæsareæ) propria dignitate. » Unde factum est, ut salva jurisdictionis integritate tribus germanis sedibus patriarchalibus a Petro auctore fundatis, Hierosolymitanæ in Nicæno concilio, Constantinopolitanæ in ibidem celebrata synodo honorificentiæ gradus patriarchalibus illis ferme suppar decerneretur; neque ulla esset repugnantia pontificum Romanorum in communicatione proximi a se fastigii, modo nulla fieret accessio potestatis surreptæ a tribus patriarchalibus, quibus antiqua jura præservari jubebant intacta.

Hac igitur præservatione jurisdictionis, et potestatis in illis constabilita, et figurata tribus in basilicis Romæ præcipuis Lateranensi, Vaticana, Paulina, nihil impediebat Damasum ac successores, quin imagines quoque duarum illarum sedium nominetenus et honoris titulo accensitarum ordini trium patriarchalium spectandas proponerent in Ecclesia Romana, orbis Christiani systema integrum fidelibus exhibente.

Num autem sedente Damaso, aut post obitum Damasi, a successoribus instituta sit illa partitio, et assignatio sex cardinalium episcoporum ad quotidianas vices in Lateranensi basilica peragendas, implente summo pontifice septimam seu primam die Dominico, nec non XXVIII presbyterorum cardinalium in quatuor septenarias vices pro numero quatuor basilicarum a Lateranensi proximarum, de quibus loquitur ex antiquis ritualibus utcrque cardinalis Baronius et Rasponus, non ita facile decerni potest. Ex Damasi quidem additamento completus fuit numerus Kalorum XXVIII, dum ille basilicam S. Laurentii a se constructam « constituit titulum in urbe Roma, » ut legimus linea 14 hujus num. cum ante Damasum *supra* XXV, veteres titulos additus fuisset sub S. Silvestro titulus equitii, et sub Marco alter ejus de nomine dictus in Palacinis. Damasi autem ætate addictos jam fuisse aliquot episcopos et presbyteros et moachos psalmodiæ cum clero intra ecclesias urbanas decantandæ colligitur ex hoc ipso num. in quo enuntiatur, lin. 23: « Hic constituit, ut psalmos diu noctuque canerent per omnes ecclesias: qui hoc recepit presbyteris, et episcopis, vel monasteriis. »

Quantum igitur assequi conjectura possum, videntur ecclesiæ Lateranensi, utpote omnium principi, et in qua veluti in episcopio suo resideret ex ejus fundatione Silvester, assignatus hebdomadarius honor sacris operandi summo pontifici et episcopis cardinalibus, quos ætas posterior idcirco appellare consuevit etiam episcopos Lateranenses. Inter hos vero numeratum lego anno 1158 episcopum Tiburtinum sub Innocentio II, in antiquo lapide ecclesiæ S. Stephani prope muros civitatis Poli nunc attributa RR. PP. Scholarum Piarum, et affixo parieti sinistrorsum in ingressu ecclesiæ: cujus lectio integra hic dabitur (cum plura contineat memoratu digna) et cum vitiis contra reg. orthographiæ, propriis ejusdem ætatis.

« Anno Dominicæ Incarnationis 1138, precibus domini Oddonis comitis, et Joannis æpiscopi archipresbyteri hujus sanctæ æcclesiæ, et aliorum fidelium Dei, dominus Guido cardinalis æpiscopus Lateranensis, ut sanctæ Tiburtinæ æcclesiæ, in undecimo die mensis Martii æcclesiam istam cum duobus altaribus ex reliquiis sanctorum martyrum Celsi, Tyburtii, Stephani papæ, et aliorum sanctorum consecravit, magnum altare honore beati protomartyris Stephani, et beati Nycolai, et altare de portico ad honorem beate Marie semper virginis, et beati Thome apostoli, et beati Egidii confessoris, et constituit, ut in omni anno in dedicatione ujus quicunque cum devotione venisset ad dedicationem istam habeat annum unum dimissum de sua penitentia, et quartam partem de venialibus culpis, et ex quinque aut plurium annorum habeat unum penitentiæ, et reliqui anni sint sibi dimissi, et quartæ partis de venialibus culpis. »

Denominatio igitur ista episcoporum Lateranensium hoc in lapide memorata, et concordans cum Ordine Romano per Baronium et Rasponum cardinales producto ad ostendendam assignationem officii hebdomadarii ab episcopis peragendi in basilica omnium primaria, demonstrat continuatum ejusmodi ritum usque ad sæculum Christi duodecimum. Exordium vero illius ex quarto sæculo esse repetendum, imo ex ipsa fundatione basilicæ episcopos in Lateranensi patriarchia fuisse cum summo pontifice commoratos complura suadent ejusdem ætatis exempla. Nam Constantini Magni in comitatu episcopos nonnullos semper adlectos tradit Eusebius, quos voluit esse sibi et commensales, et assessores, et ipsis in itineribus socios, lib. I de Vita Constantini, cap. præsertim 42, ita inscripto: *Honores episcopis delati.* Multo autem erat decentius, ut summi pontificis lateri adhærerent episcopi aliquot suburbani, quorum præsentia propriis parœcis non subtrahebatur in tanta Urbis vicinia, cum astare censeantur propriis ecclesiis amplissimarum parœciarum præsules multo remotiores ab earumdem extremis, licet in mediullio residentes. Ad hæc apostolorum principis exempla in Urbe adhibentis episcopos adjutores, et successorum consuetudo in proximis apud se diutius retinendis, et in advocandis ad limina apostolica certis annorum spatiis etiam longe dissitos, uti facilitatem comparavit Constantino Romæ commoranti ex vicinis saltem habendi contubernales in suis ædibus, ita eamdem facilitatem reliquit Silvestro in ædibus sibi a Constantino donatis retinendi Lateranenses istos sacris secum operaturos. Sex autem ut legerentur qui septenarium cum summo pontifice numerum implerent per singulas hebdomadæ ferias juxta vicem divina mysteria expleturi, congruit id quoque ætati S. Vestri: a quo hoc ipsum institutum ferunt, ut dies septem hebdomadis a festo diei Dominicæ proximo succedentes feriarum nomine donarentur, unde intelligeret clerus quotidie sibi cessandum a sæcularitur curis, ut uni Deo vacarent adlecti in sortem Domini. Ejusdem ætatis atque usus sunt Kalendaria hebdomadariis litteris apud Christianos prænotata, quæ per Bucherium sunt edita una cum paschali Latinorum cyclo a card. Norisio nuper illustrato, ut plane constet, quidquid pertinet ad septenarias partitiones divini ministerii, post paceam Ecclesiæ redditam in propatulo expositi, id ad Silvestri ætatem aut illi proximam esse referendum. Præmonstraverat autem antiquissima institutio apostolica Hierosolymis in VII diaconis, Romæ in pari numero diaconorum, subdiaconorum, regionum et notariorum, Asiæ in VII episcopis juxta septem spiritus Dei solio astantes, et septem candelabra Apocalypseos, hunc numerum præ cæteris aptum divino ministerio, cum adhibitus sit ad indicandam universitatem ex quo rerum Conditor operum suorum periodum hoc ipso dierum numero definivit.

Equidem non negaverim tres episcopos a principe apostolorum Romæ adhibitos, ut ferunt, adjutores una cum XXV presbyteris titularibus, quos vidimus de illius mandato per Cletum constitutos in Urbe, æquare exacti quatuor septenarias vices. Quare si trium sedium patriarchalium a Petro institutarum imago in hac Ecclesia Romana exhiberi debuit per tres basilicas primarias, et quarti throni Hierosolymitani titulotenus consequentiam honoris adepti in Nicæna synodo Silvestri cura typum expressisset

Digitized by Google

in quarta basilica, numerum vicium sacerdotalium complebatur aptissime per tres episcopos, e sex proximioribus Urbi selectos, et per XXV presbyteros priori originis summæ exacte respondentes. Similis deinde honor in synodo Constantinopolitana delatus episcopo illius sedis uti quintam basilicam requirebat ad ejus imaginem cum cæteris repræsentandum, ita etiam quinti septenarii numerum deposcebat ad ministerium sacrum in ea perficiendum. Quintus vero septenarius habetur ætate Damasi quando tituli excreverant ad XXVIII, si duplicatus trium proximorum episcoporum ternarius cum summo hierarcha omnium capite ac principe colligatur. Recte autem talis episcoporum chorus soli basilicæ Lateranensi assignabatur quæ sedem refert Romanam; cæteris vero addicebantur septenaria presbyterorum, ut dignitas primæ sedis a reliquis non æquari cognosceretur etiam ex gradu sacerdotum majorum in illa minorum in his divina mysteria celebrantium. Quare hujusmodi partitionem referri par est vel ad ætatem Silvestri, vel ad ætatem Damasi tum ex argumentis supra indicatis, tum ex providentiæ cura post concilium Constantinopolitanum maxime necessaria adumbrandi figuris, Ecclesiæ universæ systema exhibentibus, primatum Romanæ sedis supra cæteras. Cessat igitur quælibet suspicio contradictionis in admittenda figura trium patriarchalium jurisdictione antiqua gaudentium, et duarum posterioris additamenti, titulotenus obtinentium consequentiam honoris per concilia generalia delati, eaque figura jungenda sub Damaso cum istius repulsione constanti attentatæ invasionis duarum ad usurpanda jura trium patriarchalium, cum in figura ita ordinata semper emineat privilegium Romanæ, supra universas primatum exercentis, et in officio continentis reliquas, salvaque jura esse jubentis tribus illis a Petro constituta in permissione honorifici tituli aliis communicati.

Linea 23. — *Hic constituit ut psalmos diu noctuque cancrent per ecclesias : qui hoc præcepit presbyteris, et episcopis, vel monasteriis.* Falso id affirmari putat ab auctore Libri Pontificalis Pagius Junior, n. 22, quasi asserat primum auctorem illius instituti fuisse Damasum, cum duo cardinales doctissimi Baronius et Bona comprobent multo ante Damasum in orientali et occidentali Ecclesia viguisse morem psalmos decantandi in liturgia diurna et nocturna. Venia tamen impetrata ab erudito scriptore, putaverim nihil contrarium antiquitati et consuetudini nocturnæ ac diurnæ psalmodiæ, ipsis exordiis nascentis Ecclesiæ merito assertæ, hic affirmari a Bibliothecario. Iste enim hic loqui videtur de disciplina per Damasum constituta in omnibus cleri urbani collegiis psallendi statis vicibus, certoque de ritu adhibendo per diurnas et nocturnas preces in basilicis, titulis et monasteriis, cum universa quæ in hoc num. leguntur ex lin. 14 ad ejus finem pertineant ad negotia hujus Ecclesiæ Romanæ peculiaria, non ad generalia omnium orbis Ecclesiarum. Videtur itaque Damasus partitus fuisse vices sacerdotales ex Ordine Romano obeundas in omnibus sacris ædibus, intra Urbem et in Urbis episcopatu, sive in regione suburbana sitis, nempe in basilicis, titulis, diaconiis et monasteriis, ac cœmeteriis, partim per episcopos sibi assistentes, partim per presbyteros, clerum urbanum, et monachos, et assignasse dictim certos psalmos, versiculos, antiphonas nocturnæ ac diurnæ liturgiæ, assumpto in hujus curæ partem studio Hieronymi, cujus nonnulla monita ab exemplis ac traditionibus Ecclesiæ Hierosolymitanæ petita huc transtulit, uti docemur ex lib. VII, epist. 64 Magni Gregorii, quam observavit laudatus card. Bona de Divina Psalmodia cap. 16. Quod si autem idem cardinalis monet, caute in telligendum esse idem assertum B. Gregorii; cautela intelligendi in hoc adhibenda est ut ea quæ Damasus Hieronymum consulens ritibus antiquis Ecclesiæ Romanæ restituit vel adjecit, [illegible] guantur a cæteris per Damasum, vel per decessores aut successores pariter adjectis, aut restitutis ex nova aut ex veteri disciplina apostolicarum quarumvis ecclesiarum, quæ summorum pontificum providentiæ viderentur ex usu, et congruentia præ cæteris futura in hac Ecclesia Romana. Hoc enim sæculo quarto, quo pax fidelibus reddita publicum sacrorum nostrorum usum faciebat, episcoporum vigilantia hanc agendi libertatem nacta non destitit asserere propriis in Ecclesiis veteres consuetudines a viris apostolicis rite inductas, easque dirigere ad certas regulas, quæ communi Ecclesiæ universali praxi non repugnarent : quam praxim ut a collegis perciperent opportunitas conciliorum generalium effecit. Cum igitur in Ægypto Athanasius, in Oriente Basilius, et Joannes Chrysostomus suas consuetudines ordinarent ad usus liturgicos propriis in episcopatibus ac diœcesibus : ita etiam B. Damasus hoc in Romano episcopatu præscribere voluit certum ordinem præsertim in psalmodia retinendum, et assignare ex assertione hujus Libri Pontificalis episcopos, presbyteros, et ex monasteriis Romæ tunc accrescentibus cœnobitas, qui Romanis in basilicis, ac titulis divinas laudes perdiu et in nocturnis vigiliis rite canerent ac frequentarent. Consequens enim erat, ut pace Ecclesiæ reddita dum magnificentia principum sanctuarii et imperii augebat numerum, molem et ornamenta sacrarum ædium, religio quoque et sollicitudo tantorum præsulum prospiceret ordini, numero, vicibus, et officiis ministrorum, ac ritibus certis, quibus divina munia persolverentur. Qua vero ratione sub Damaso præsertim completus redderetur numerus ille basilicarum ac titulorum, qui aptæ partitioni per septenarias vices universitatis mysterio accommodatas maxime responderet paulo ante explicatum fuit.

Verum id quod potissimum præstitit Damasus in psalmodia ordinanda (de qua hic num. loquitur) fuit emendatio exemplarium sacri textus divinæ Scripturæ curata per Hieronymum ad Italicam versionem collatam cum Græca LXX interpretum, ut ipse Hieronymus testatus est in posteriori præfatione ad psalterium, quando post annos aliquot adornavit ex Hebræo fonte aliam versionem hortatu Paulæ et Eustochii. Versatus enim Romæ ferme per triennium postremum vitæ Damasi (id est ex anno 382 ad finem 383) ut ipse narrat in epist. 99 ad Asellam, tum illud præstitit ad restitutionem Italicæ versionis ex LXX, tum alia multa contulit hortatu Damasi ad procurationem divini cultus. Illa complexus est Marianus Victorius in Vita Hieronymi, præfixa editioni Romanæ operum ejusdem S. doctoris, his verbis : « Non tantum hæc omnia Romæ manens procuravit, et cuncta ecclesiæ munia ut honeste ac sancte peragerentur effecit : sed quidquid etiam boni vel Antiochiæ aqua Petrus apostolorum princeps Romam venerat, vel Hierosolymæ, ubi ecclesiam quoque idem fundavit, et Jacobo gubernandam postea reliquit, esset, ut Romæ quoque, ubi Petri sedes manet, observaretur, procuravit : eo instante Alleluia, ut testatur D. Gregorius, secundum Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudinem, et secundum Antiochiæ usum in fine omnium psalmorum Gloria Patri Romæ cantari cœptum est. Eo emendante Roma legendos canendosque in ecclesia LXX. interpretum psalmos suscepit. Ipse Testamentum Novum, quod Romana postea semper legit Ecclesia, Damaso rogante, e Græco tunc primum correxit. Ipse martyrum fines, qui in ecclesiis recitantur, primus, ut Cassiodorus, Usuardus, Adoque testantur, in unum sub brevitate collegit. » Hucusque Marianus de Hieronymo. Communem autem Damaso laudem ac Hieronymo reddunt in hac procuratione et ordinatione psalmodia, ac delectus sacrorum rituum, vigiles curæ pontificis tum in his Hieronymo demandandis, tum in aptandis his, et compluribus aliis ad usus quotidianos cleri Romani, quæ ab apostolicis

Digitized by Google

undique conferrentur ad Urbem per sanctos præsules huc accitos, aut susceptos hospites ab eodem Damaso. Consideranti certe mihi Petrum Alexandrinum sedente Damaso non modo in Urbe apud eum fuisse, sed etiam adfuisse tertio ex conciliis Romæ per Damasum celebratis, et Paulinum Antiochenum hospitem pariter ab eo susceptum cum Hieronymo, et complura ejusmodi lumina insignium orbis Ecclesiarum, quæ utrisque cœtibus clericorum et monachorum præfulgebant, et leges dabant, Eusebium dico Vercellensem, Hilarium Pictaviensem, Epiphanium Salaminæ episcopos, dubium superesse non potest de asserto per Bibliothecarium Damasi studio in pluribus stabiliendis ex ritu ac disciplina majorum, quæ partem non modicam ordinis Romani constituunt, locupletatum deinde a successoribus, præsertim Leone, Gelasio, et Gregorio Magno. Idem suadet cura Damasi singularis tum in providendo per expertissimos Romanæ Ecclesiæ presbyteros disciplinæ in provinciis etiam reliquis sancte retinendæ, tum in imitandis singulorum episcoporum exemplis ad excolenda studia, quæ Dei cultum respicerent ac promoverent. Primum illud apparet ex delectu presbyteri Simpliciani, ex titulo Romano cui præerat transmissi ad Ambrosium ex catechumeno creatum episcopum Mediolanensem, ut eidem veluti director curæ pastoralis et magister adesset, qualem Augustinus testis oculatus expertum se fuisse testatur Confessionum libro VIII, cap. 2, per Baronium productus ad annum 375. Alterum vero perspicue colligitur ex Damasi opusculis quæ supersunt, collatis cum sanctorum præsulum, et scriptorum libris ejusdem ætatis. Hoc scilicet sæculo Nazianzenus carmine complectebatur mysteria fidei, et gesta sanctorum, ut apud Christianos litterarum studia conföverentur, quæ feralibus edictis suis Julianus evertere nitebatur. Carmine complexus fuit etiam Damasus. Hymnos passim hac ætate conscribebant in Ecclesia Orientali Ephrem Syrus, in Ægypto Synesius, in Occidentali vero Paulinus Nolæ, Hilarius Pictavorum, Ambrosius Mediolanensium antistes. S. Basilius Magnus tum liturgiam ordinabat clero et sacerdotibus, tum precum et vivendi regulam monasteriis. Joannes Chrysostomus suos pariter liturgicos ritus redigebat in codicem. Psalmos enim certos assignabat pernoctationibus, et pompis funeralibus defunctorum, hymnorum modulationes diluculo; sacras stationes in ecclesiis statuebat, in monasteriis indicabat angelicarum acierum choros, in cœnobiis virginum greges Mariam imitantium, Davidici psalterii censo absolvendo, et sui cantici laudibus cumulando, ut ipse diserte scribit Homilia VI de Pœnitentia relatus a venerabilis memoriæ cardinali Thomasio in præfatione ad Psalterium. Has profecto leges, ac studia non negligebat Damasus, dum vices sacerdotales in Urbe distribueret aucta basilicis a se fundatis, et Hieronymum presbyterum adhibebat ad insinuandas monasticæ vitæ consuetudines Romanis viris ac feminis (et quidem illustribus) Christianæ perfectionis ardore succensis, cujus præclaros typos habebant præ oculis in tot sanctissimis Patribus Ægyptiis, Palæstinis, Syris, Græcis, Latinis, a Damaso non semel excitis ad celebranda in Urbe concilia. Hinc nempe evenit, ut ardor ille cœlestis, qui sub Damaso cœperat, cum Urbis clerus, studiosi viri, et virgines ac matronæ nobiles utriusque Testamenti libros exciperent emendatos ad codices genuinos jubente Damaso, et declaratos exponente verbis Hieronymo, ac moribus comprobante tum ipso, tum Paulino, tum Hilario, Eusebio, Epiphanio, ardor, inquam, ille cœlestis non deferbuerit sub proximis successoribus Siricio, Anastasio, Innocentio, sed impulerit sanctas mulieres Paulam, Eustochium, Gracchorum stirpem, sobolem Scipionum, aliosque cœtus innumeros nobilium virorum ac feminarum, qui rudimenta sanctioris vitæ sub eo pastore Romæ susceperant, ad ea profitenda Hierosolymis.

Debemus itaque curæ Damasi pastorali non quidem primam institutionem decantandi psalmos, quæ in Ecclesiæ Christianæ fundatione ab ipso Domino ac Magistro universorum suis discipulis commendata semper in eadem viguit; aut primam efformationem versiculi doxologiæ *Gloria Patri*, quæ expressa jam pridem reperiebatur; sed partitionem illam, ac distributionem per certas vices pensi diurni atque nocturni ejusmodi laudum divinarum, singillatim assignati ex præcedenti consuetudine, et imposterum decantandi ex codicibus emendatis cum delectu hymnorum, versuum, collectarum, episcopis, presbyteris, clericis, monasteriis tunc in Occidente succrescentibus indicto per Damasum, ex hujus Pontificalis libri assertione: cui mores, et historia ejusdem ætatis maxime suffragantur.

Linea 27. — *Sepultus est via Ardeatina in basilica sua.* Ibidem quievit, donec ad alteram basilicam sui tituli intra Urbem transferretur: quod contigit antequam S. Adrianus primus tectum ejusdem renovaret, ut infra leginus num. 324. Ibi asservatur sub ara maxima in altare confessionis sive hypogæi, concesso ejus capite sacros. Basilicæ Vaticanæ cujus in secretario inter selectas reliquias colitur.

CIACONII.

Linea 2. — *Et cum eodem ordinatur sub contentione Ursicinus.* Eodem anno in schismate pontifex acclamatus est Ursicinus; dissensio enim, quæ cœperat in Liberio, et Felice, in clero Romano ex substitutione Felicis (licet Liberius eam componere studuisset, recipiens in clero, atque uniens cum aliis eos qui ordinati fuerant a Felice) latenter serpens, novi pontificis occasione recanduit. Dum alii ex parte Felicis, ex parte vero Liberii alii conarentur ordinare pontificem.

PAGII.

Sanctus Damasus, Hispanus, Antonii filius, post dierum septem sedis vacationem Liberio successit, ut ait Anastasius, ordinatus die prima Octobris anni trecentesimi sexagesimi sexti, quæ erat dies Dominica. Sed ejus electio turbata est ab Ursicino Romano diacono, qui in schismate electus est contra Damasum legitimis suffragiis electum, ut mox dicetur.

Linea 3. — *Et facto consilio sacerdotum.* Ipso sui pontificatus initio, et ante finem anni trecentesimi sexagesimi sexti, aut saltem initio anni trecentesimi sexagesimi septimi synodum Romæ celebravit adversus Ursicinum antipapam, et adversus Valentem et Ursacium, aliosque hæreticos jam damnatos, cujus synodica a conciliorum collectoribus inter acta synodi Illyricianæ perperam relata, ejus enim hæc est inscriptio: *Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, episcopi Italiæ in Domino æternam salutem.* In ea scribunt episcopi illi, se concilii Ariminensis recisionem mittere, subduntque: « Auctores autem hæresis Arianæ vel Aetianæ Valentem et Ursacium, cæterosque eorumdem consortes, non nunc esse, quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse manifestum est. » Ideo autem ea synodica ad Illyrios missa, quia Valens Mursi, Ursacius Singidonis in Illyrio ante depositionem, episcopi fuerant. Unde sanctus Athanasius in epistola ad Africanos, ait: « Gratias habemus et illius pietati (nempe Damasi) et cæteris, qui cum ipso fuerunt episcopis, quod Ursacio et Valente cum sociis suis ejusdem sententiæ ejectis, concordiam Ecclesiæ conservarint. » Numerosam fuisse illam synodum deducitur ex eadem Athanasii epistola; in ea enim ante laudata verba legitur: « Sufficiunt scripta Damasi comministri nostri dilecti et magnæ Romæ episcopi, et tam multorum cum ipso congregatorum episcoporum. » Porro eam synodum initio pontificatus Damasi coactam, probatur ex eo quod auctor libelli synodici scribat Damasum, ubi

Digitized by Google

pontificatum adeptus est, *confectum synodum* congregasse; et certe S. Hilarius, qui anno trecentesimo sexagesimo septimo obiit, ejus synodicam inter fragmenta recitat.

Linea 11. — *Hic constitutum fecit de Ecclesia.* Secundam synodum Damasus Romæ coegit adversus Auxentium Arianum in sedem Mediolanensem intrusum, et quidem anno trecentesimo septuagesimo secundo, cujus synodi epistolam synodicam ad episcopos Illyrios scriptam referunt Theodoretus lib. II, cap. 22, Sozomenus lib. VI, cap. 23, et Nicephorus lib. XI, cap. 51. Huic synodo interfuere episcopi tantum nonaginta tres *ex rescripto imperiali*, ut habetur in epigraphe synodicæ collectionis Romanæ ab Holstenio publicatæ. Pluribus in ea actum est *de consubstantialitate Spiritus sancti cum Patre*, ut legere est in laudata synodica et in fragmentis epistolæ Damasi ei subjectis in eadem collectione Romana et ex ea tomo II Concil. editionis Labbæi pag. 895. Unde hæresis Macedonianorum in Occidente primum damnata est in hoc concilio Romano; nam quod quidam aiunt eam primum proscriptam in Occidente a Patribus concilii Illyriciani, subsistere non potest, cum constet synodum Illyricianam, post acceptam hujus secundæ synodi Romanæ sub Damaso epistolam synodicam, congregatam esse, ut legere est in critica Baronii.

Hæc Macedonianorum hæresis proscripta est postea in concilio œcumenico Constantinopolitano primo, de quo infra. Ejus autem hoc fuit initium. Eusebio Nicomediensi sedis Constantinopolitanæ invasore defuncto, Macedonius ab Arianis anno trecentesimo quadragesimo secundo illius Ecclesiæ episcopus ordinatus est; sed cum propter multa crimina anno trecentesimo quinquagesimo nono exauctoratus esset, novam hæresim condidit, asserens Spiritum sanctum non ejusdem cum Patre et Filio honoris participem, sed utriusque ministrum esse, ac creaturam; unde non solum in hac, sed etiam in quarta synodo Romana sub Damaso, de consubstantialitate Spiritus sancti actum, et in hac ultima dicti sunt anathematismi contra plures hæreticos, et nominatim contra Macedonianos : « Anathematizamus, inquit Damasus in epistola quam ad Paulinum ex hac synodo misit, Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, sed nomen. » Et infra : « Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam esse, aut per Filium factum, anathema sit..... Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem unum regnum atque unam voluntatem ac veritatem, anathema sit..... Si quis non dixerit Spiritum sanctum adorandum ab omni creatura, sicut et Filium et Patrem, anathema sit. » Hæc porro secunda synodus Romana præcipue contra Auxentium coacta, videtur esse effectus monitionis factæ Damaso papæ a S. Athanasio, qui ex synodo Ægyptiaca, quam anno trecentesimo septuagesimo primo celebravit, ad Damasum scripsit, ut constat ex ejusdem Athanasii epistola ad Africanos, in qua ait scripsisse se ad Damasum *contra Auxentium invasorem Mediolanensis Ecclesiæ*, et mirari se *cur nondum depositus ejectusque sit ex Ecclesia.*

Tertia a Damaso Romana synodus anno trecentesimo septuagesimo quinto habita, cui Petrus Alexandrinus episcopus, sancti Athanasii successor, interfuit, de qua Sozomenus lib. VI, cap. 25, loquens de duobus Apollinaribus patre et filio, hæc habet : « Primus Damasus episcopus urbis Romæ, et una cum illo Petrus Alexandrinus antistes, cum hanc hæresim (scilicet Apollinaristarum) latius serpere intellexissent, concilio Romæ congregato, eam ab Ecclesia catholica alienam esse decreverunt. » Ad hanc synodum non referuntur anathematismi adversus Arianos, aliosque hæreticos ex epistola Damasi papæ a Theodoreto lib. V, cap. 11, recitati, ut credit Baronius; neque epistola Damasi, quæ incipit : *Quod debitam apostolicæ sedi reverentiam exhibet*, quæ recitatur ab eodem Theodoreto l. V, c. 10, non est enim epistola synodalis hujus concilii, ut etiam Baronius, et alii post eum arbitrati sunt; sed est epistola decretalis ipsius Damasi diu post scripta, ut notavit Valesius in notis ad Theodoretum. Denique in libello synodico de hac tertia synodo Romana legitur : « Petrus (postquam Alexandria ejectus fuit) Romam contendit : eoque recepto, papa Damasus Romæ divinam et sanctam synodum convocavit. Quæ amentem illum Apollinarium, Stephanumque ejus discipulum (legendum Timotheum, qui Apollinaris discipulus fuit) et Latronem Lucium anathemate notavit, » ex quibus etiam constat Apollinaris hæresim in Occidente primum a Damaso papa damnatam.

Porro patriarcha Apollinaris hæresis fuit, quod naturam nominis in Christo semiplenam putavit, hoc est animam carentem, cujus vicem supplebat corpori Verbum ipsum caro factum. Secundo, Apollinaristæ asserebant corpus Christi divinitati consubstantiale esse, ex quo sequebatur passibilem esse divinitatem Verbi, et revera crucifixus et mortem esse perpessam. Tertio asserebant Verbum divinum carnem ex Virgine non sumpsisse, sed ex cœlo attulisse. Quarto, divinam ipsam Verbi substantiam in carnem conversam esse effutiebant. Tandem circa Trinitatem erravit Apollinaris, quosdam dignitatis gradus excogitans, magnum scilicet, majus, et maximum; ut magnus Spiritus sanctus, major Filius, maximus Pater diceretur. Alia Apollinaris delira apud natalem Alexandrum sæculo IV legenda.

Quartam indixit Damasus Romæ synodum anno trecentesimo septuagesimo octavo, tam adversus varios hæreticos, quam adversus episcopos e factione Ursicini antipapæ. Quare cum in epistola sive synodali sive decretali Damasi a Theodoreto lib V, cap 10, relata, dicat Damasus : « Quid depositionem Timothei a me denuo postulastis? qui et hic judicio sediis apostolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinorum urbis episcopo, depositus est una cum magistro ipsius Apollinare, » apparet jam antea Apollinarem et Timotheum anno trecentesimo septuagesimo quinto in concilio Romano tertio fuisse damnatos, ideoque hanc Damasi epistolam ad hoc quartum concilium Romanum esse referendam. Ad hanc pariter synodum referuntur anathematismi adversus Arianos, aliosque hæreticos ex epistola Damasi ad Paulinum Antiochenum episcopum, dum esset Thessalonicæ, missa, a Theodoreto lib V, cap 11, recitati. In libello enim synodico post narratam Valentis imperatoris mortem, quæ die nona Augusti anni trecentesimi septuagesimi octavi contigit, legitur : « Gratianus filius (scilicet Valentiniani, de quo locutus fuerat) Occidentis et Orientis imperator factus, pios episcopos ab exsilio revocavit. Quo tempore beatus etiam Damasus, sacram Romæ convocavit synodum adversus Arianos, Pneumatomachos, et alios plurimos hæreticos; expositamque definitionem divinorum capitum, Thessalonicam ad Paulinum misit, quæ ex divina dispensatione ubique maxima perfecit, et Trinitatis homousion adorandum esse omnibus persuasit. » Ad hanc synodum Romanam referenda quæ diximus de Macedonianis in secunda Damasi Romana synodo.

Hujus synodi quartæ Patres ad Gratianum et Valentinianum imperatores scripserunt de damnatione schismaticorum et factione Ursicini, quorum epistola refertur tomo II Conciliorum editionis Labbei, cum rescripto Gratiani Augusti, juxta illius epistolæ relationem, dato ad Aquilinum Urbis vicarium; licet enim Ursicinus anno trecentesimo septuagesimo quarto Valentiniani imperatoris judicio in Gallias relegatus fuisset, ipse tamen, ejusque exemplo nonnulli episcopi Ecclesiis incubabant, et contemptis cognitoribus, vel fugatis, plures ex ea factione Ecclesias suas retinebant. Quare supe-

Digitized by Google

ratores jubent sententias in seditiosos alias latas exsecutioni mandari. Hic porro locus se offert de Ursicini schismate sermonem habere.

Ursicini schisma contra S. Damasum.

Ursicinus, Romanus diaconus anno trecentesimo sexagesimo sexto, mortuo Liberio papa, Romanam Ecclesiam nefando schismate turbavit, ordinatus est enim episcopus contra Damasum legitimis electum suffragiis, et multos ex clero, populoque Romano suas in partes pertraxit. Ex quo tam atrox seditio orta est, ut si Ammiano Marcellino lib. XXVII fides, in basilica Sicinini uno die 137 cives occisi sint. Cum vero schismatici legitimam pontificis electionem convellere non possent, ad calumnias conversi, sanctissimum virum Damasum adulterii accusarunt, quem S. Hieronymus epistola L ad Pammachium, virginem, Ecclesiæque virginis doctorem appellat, et cujus integerrimos mores antiqui ecclesiasticæ Historiæ scriptores, Socrates, Theodoretus, et Sozomenus prædicant.

Exstinguendo Ursicini schismati catholici imperatores auctoritate sua adlaborarunt; Prætextatus enim Urbis præfectus sub Valentiniano Augusto eum Roma expulit Ammiano laudato teste; rescriptumque ab eodem imperatore accepit, quo jubebatur basilicam a schismaticis occupatam Damaso restitui, eosque etiam Urbe pelli. Præterea, ut mox dictum est, Valentinianus, ut Ecclesiæ paci consuleret, Ursicinum in Gallias exsulem misit, unde revocatus est ea lege, ut nec Romam, nec in suburbicarias regiones, nec ipse, nec schismatis fautores pedem inferre possent. Valentiniano mortuo Ursicinus Romanam sedem iterum invadere conatus est: episcopi in schismate ordinati, et catholicorum antistitum judicio exauctoritati, quas invaserant Ecclesias retinuerunt, quo factum ut Gratianus Augustus Ursicinum in Gallias expulerit, et ad petitionem Patrum synodi quartæ Romæ sub Damaso celebratæ schismaticorum insolentiam lata lege cohibuerit, ut constat ex synodica illius concilii, et ex rescripto Gratiani, de quibus supra.

Linea 5. *Et mansit Damasus.* Eidem imperatori supplicavere Patres concilii Aquileiensis anno trecentesimo octogesimo primo, præside S. Ambrosio Mediolanensi episcopo celebrati, epistola quæ exstat tomo II Conciliorum, quaque imperatores obsecrant, ne Ursicino sedem Romanam post damnationem repetere molienti, faciles aures præberent. Postea tamen mortuo Damaso, Siricius non sine tumultu, ab Ursicino excitato, in ejus locum subrogatus est, ut ibidem dicemus. Cæterum auctor Libri Pontificalis, ipso fatente Baronio, falso scribit Ursicinum, postquam Roma pulsus est, consecratum fuisse Neapolitanæ Ecclesiæ episcopum, cum ex Gratiani et Valentiniani Junioris rescripto anno trecentesimo septuagesimo octavo emanato, constet eum tunc longinquo exsilio multatum; nec Marcellinus ejus partiarius in libello, quem Theodosio imperatori obtulit, aut ullus veterum scriptorum id referant.

Concilium Constantinopolitanum primum, generale secundum.

Anno Damasi papæ decimo quinto, Theodosius imperator episcopos Orientis Constantinopolim convocavit, præcipue adversus Macedonii hæresim, inconsulto Damaso, qui ideo legatos ad illud concilium non misit, qui ejus nomine eidem præessent. Unde ist ad concilium per se non est habitum pro œcumenico, sed tantum ex postfacto, Damaso nempe hanc illi suo consensu dignitatem et auctoritatem tribuente. Licet enim ecclesiasticæ regulæ synodos facere, et decreta in Ecclesiis sancire absque Romanorum pontificum auctoritate vetent; non prohibent tamen absque ejus auctoritate, nationales synodos, vel totius etiam Orientis concilia convocari, quæ œcumenica quidem non sunt vi convocationis ab imperatoribus, patriarchis, vel metropolitanis facta; A eorum tamen auctoritatem consequuntur, si Romani pontificis assensus accedat.

Anno trecentesimo octogesimo, Damasus concilium Romæ indixerat ad discutiendam Maximi Cynici, qui thronum Constantinopolitanæ Ecclesiæ invaserat, causam; quod cum Orientales episcopi detrectassent, iterum anno trecentesimo octogesimo primo Italiæ episcopi post concilium Aquileiense, Theodosium imperatorem rogarunt, ut Romæ generalis synodus Orientalium simul et Occidentalium congregaretur. Ad quam convocati a Damaso episcopi Orientales, moram suam Constantinopoli excusarunt, quod ob suarum Ecclesiarum discrimen in Oriente detenti, Romam proficisci non possent temporis angustias insuper causati: agnoscentes nihilominus Romani pontificis auctoritatem qua eos ad suum concilium jure convocabat, ut legere est in eorum epistola synodica, quæ data est ab episcopis Orientalibus Constantinopoli anno trecentesimo octogesimo B secundo iterum congregatis, dum synodus Romæ agebatur: in qua synodica relationem eorum quæ anno trecentesimo octogesimo primo in concilio œcumenico gesta decretaque fuerant per legatos ad Damasum et Occidentales episcopos mittunt. Hæc synodica refertur a Theodoreto lib. v, cap. 9.

Centum itaque et quinquaginta Orientales episcopi, præside Timotheo Alexandrino mense Maio anni trecentesimi octogesimi primi synodum œcumenicam celebrarunt, in qua Maximus Cynicus Constantinopolitanæ sedis invasor abdicatus est, et sedes sancto Gregorio Nazianzeno confirmata, cui tamen studio pacis nuntium remisit. Unde in ejus locum Nectarius, vir ex ordine senatorio, adhuc catechumenus, eodem in concilio suffectus est. Secundo, Macedonii, Apollinaris, et Eunomii confixæ sunt hæreses, editumque adversus illas fidei symbolum, quo Nicæna fides magis exposita fuit et confirmata. De hæresibus Macedonii et Apollinaris locuti sumus, de priori quidem in secunda, de posteriori C vero in tertia synodo Romana sub Damaso. De Eunomii episcopi Cyziceni blasphemiis legendus Baronius tomo IV Annalium. Tandem canones Ecclesiarum administrationem spectantes editi. Septem Græci collectores exhibent. Tres duntaxat editos fuisse longe probabilius est: alios vero in altera synodo Constantinopolitana alio tempore sancitos, huic concilio ascriptos fuisse ab iis, qui codicem Ecclesiæ Græcæ composuerunt.

Canon tertius, qui est de secundo episcopi Constantinopolitani in ecclesia loco, et honoris primatu post Romanum, commentitius non est, ut putavit Baronius; cum antiqui omnes codices, et collectiones omnes antiquæ mediæ ætatis et posteriorum sæculorum illum contineant; et præterea Socrates lib. XII, cap. 15, illum conditum testentur. Illum autem canonem tertium secundo non adversari, imo nec illo aliquid derogatum fuisse juribus Ecclesiæ Alexandrinæ videre est in critica Baronii ad annum trecentesimum octogesimum primum. Sed quidquid sit, certum est illum canonem ab Ecclesia Romana receptum non fuisse, ac diserte probatum ante Innocentium III, qui in concilio Lateranensi IV, canone 5, sedem Constantinopolitanam inter patriarchicas secundo loco numerat, propriamque ei asserit, secundam a Romana dignitate.

Concilium finitum fuisse die nona mensis Julii colligitur ex eo quod canones illum diem præferunt; certe die trigesima ejusdem mensis Theodosius dedit legem 3 codicis Theodosiani *de Fide catholica*, in qua mentio est Nectarii episcopi Constantinopolitani in concilio ordinati; ex qua, et ex lege 8 ejusdem codicis *de Hæreticis* deducitur, eo die jam concilio finem impositum fuisse. Statim atque celebratum est concilium, ejus confirmationem Patres ab imperatore Theodosio postulaverunt, non quod eam concilio œcumenico necessariam existimarent, sed ut hac

Digitized by Google

ratione imperatorem astringerent ad fidem protegendam, hæreticos profligandos, necnon ad canonum observantiam suis etiam legibus impetrandam.

Patres postea concilii Constantinopolitani, sequenti anno trecentesimo octogesimo secundo celebrati, ut jam dictum est, de rebus in synodo œcumenica decretis synodalem per epistolam monuerunt Damasum papam, quæ apud Theodoretum lib v, cap 9, inscripta est : « Dominis charissimis et religiosissimis fratribus et comministris Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Ascholio, Anemio, Basilio et reliquis sanctis episcopis, qui in magna urbe Roma collecti sunt, » etc. Ea epistola Patres, eorum quæ acta fuerant in synodo œcumenica, et quorum relationem mittunt, confirmationem postulant, cum aiunt : « Quibus tanquam canonice ac legitime apud nos constitutis, vestram quoque reverentiam gratulari hortamur, intercedente spiritali charitate : et Domini timore, omnem quidem affectum comprimente; ecclesiarum autem ædificationem privatæ erga singulos benevolentiæ et gratiæ præponente. » Hæc synodica missa est Damaso per tres episcopos, Cyriacum, Eusebium, Priscianum. In ea causam cur Romam vocati non adiissent, explicarunt, et œcumenicæ synodi, quam superiori anno Constantinopoli celebrarant, acta Romano pontifici recognoscenda miserunt, quæ ab eo confirmata sunt. Quo ex tempore ea tanquam per apostolicam sedem approbata summæ semper veneratioui fuere.

Quod attinet ad Constantinopolitanum symbolum, illud statim ac prodiit, ab omnibus Græcorum Ecclesiis in Nicæni locum, nomine tamen non mutato, suffectum est. Unde omnes Constantinopolitana posteriores synodi et Patres, quoties de Nicæno symbolo loquuntur, passim intelligunt Constantinopolitanum; neque tamen Constantinopolitanum, sed Nicænum vocant. Etiam hodie nos quod ad missarum solemnia cantamus, Nicænum dicimus, cum tamen sit Constantinopolitanum, ut observavit Lupus tomo I Concil., cap. 4, ubi addit in Ecclesia urbis Romæ servatum fuisse antiquum morem recitandi symbolum apostolorum, quod nulla hæresis ibi sumpserit exordium. Eodem jure symbolum apostolicum sine additamento retinuerunt Ecclesia Africana, Italica, Gallica, Latinæ omnes, ut liquet ex Augustino, Chrysologo, aliisque Latinis episcopis, qui istud solum leguntur catechumenis tradidisse. Cum enim Theodoreto, Sozomeno, atque Socrate testibus, Ariana hæresis Illyrici fines transire nunquam valuerit, apud Europeos nova professionis tessera opus non fuit. Excipiendæ tamen sunt Hispaniarum Ecclesiæ quæ a Gothis, Arianis, Vandalis et Suevis pervasæ et possessæ. sicuti trinam baptismatis mersionem in unicam, ita apostolicum symbolum in Nicænum mutaverunt, id est Constantinopolitanum, ut clare habetur in tertia synodo Toletana anno quingentesimo octogesimo nono celebrata, in qua consilio Recaredis Hispaniarum regis statuitur : « Ut per omnes Ecclesias Hispaniæ et Galliciæ secundum formam Ecclesiarum Orientalium concilii Constantinopolitani symbolum recitetur. » Imitatæ id postmodum sunt quædam sub Carolo Magno Gallicanæ Ecclesiæ; aliæ tamen, ac ipsa capella regia imitari non sunt ausæ, donec a Leone III veniam impetrassent. Nam Romana Ecclesia necdum sub Joanne octavo eamdem cantandi consuetudinem receperat; postea tamen, ne a subditis sibi Hispaniarum et Galliarum Ecclesiis, morem hunc deponere nolentibus, dissonaret, illud symbolum intra missarum solemnia cantavit.

Edmundus Martene lib I, de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap I, art II, num 10, existimat post concilium Constantinopolitanum primum catechumenis, antequam baptizarentur, traditum esse symbolum Nicænum, quod probat ex concilio Constantinopolitano sub Menna, anno quingentesimo trigesimo sexto celebrato, ubi actione 5 legitur : « Nam specialiter symbolum trecentorum decem et octo sanctorum Patrum, in quo baptizamur, ipsæ tres sanctæ synodi consone confirmarunt. » Sed cum, ex dictis, Constantinopolitanum symbolum in Nicæni locum subrogatum fuerit, nomine non mutato, in hoc et aliis locis ab eo citatis suspicor sermonem esse de symbolo Constantinopolitano, quod dicitur Nicænum, quia illo Nicæna fides magis exposita fuit et confirmata. Unde ipsemet Martene fatetur in vulgato ordine Romano, in ordine Gelasiano, in Pontificali Salsburgensi, in vetustissimo codice Rhemensi annorum 900, et in primo ordine Scrutinii Codicis Gellonensis notari Constantinopolitanum symbolum non Nicænum. Et sane convenientius videtur Constantinopolitanum catechumenis traditum fuisse, ut de divinitate Spiritus sancti edocerentur, quæ in Nicæno clare expressa non erat, ut fuit in Constantinopolitano.

Symbolum porro Constantinopolitanum tale est : « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis : et incarnatus est ex Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est : crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus : et tertia die resurrexit secundum Scripturas : ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris; inde venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et glorificandum : qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum, et vitam futuri sæculi. Amen. »

Damasius papa multis pro Ecclesia exantlatis laboribus ad Deum migravit die decima mensis Decembris anni trecentesimi octogesimi quarti, post quam annos octodecim, menses duos, dies decem sedisset. Diem mortis nobis conservavit S. Hieronymus in Martyrologio : annos, menses et dies sedis Auctius Chronicon veterum pontificum : annus vero mortis deducitur ex epitaphio Siricii ejus successoris ab annotatore Baronii relato ex quo constat Siricium anno 384 pontificatum adeptum esse. Quinque ordinationes fecit mense Decembri presbyterorum triginta unius, diaconorum novem : episcopos vero sexaginta duos per diversa loca consecravit, et via Ardeatina in sua Basilica sepultus est, plures enim martyrum basilicas erexit, plurium sepulcra versibus exornavit, sibique ipsi epitaphium edidit. Inter sanctos miraculis clarus recensetur et inter scriptores ecclesiasticos.

Sanctum Hieronymum Stridoniensem in scribendis epistolis, et in ecclesiasticis negotiis adjutorem habuit, ejusque jussu idem Hieronymus Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit. Hic in libro de Scriptoribus ecclesiasticis de eo scribit : « Damasus Romanæ urbis episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque et brevia opuscula heroico metro edidit, et prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus est. » Ejus opera a Martio Milesio Sarazanio collecta; sed epistola VIII, quæ dicitur scripta *Stephano archiepiscopo concilii Mauritaniæ et universis episcopis Africanæ provinciæ*, supposititia est, ut ostendit subscriptio : *Data Flavio et Stilicone V. V. C. C. coss.* Flavius enim Stilico unus et idem est, qui anno 400, Aureliano collega, consulatum gessit, et iterum anno

Digitized by Google

405, collega Anthemio. Præterea prænotatur epistola : « Damasus servus servorum Dei, atque per gratiam ejus episcopus sanctæ Ecclesiæ urbis Romæ, » cum tamen ante Gregorium primum pontifices Romani non sese *servos servorum Dei* in epistolis appellarent.

Liber etiam Pontificalis, seu Pontificale tomis Conciliorum insertum Damaso perperam tribuitur, ut inter eruditos convenit. Nec denique Hieronymi ad Damasum, et Damasi ad Hieronymum epistola inter opera Damasi numeranda, ut ostendit Schelestratius in secunda parte Antiquitatis illustratæ. Quoad catalogum veterum pontificum, quo usque ad Liberium, in quo desinit, usi sumus, quique Chronici Damasi nomine a nobis appellatus est, Damasi partum non esse recte vidit Baronius, sicuti et falsum esse quod de eo in Libro Pontificali legitur, eum nempe constituisse ut psalmi, diu noctuque in ecclesiis canerentur, quasi primus sacri illius moris fuerit auctor; ut enim probat Bona cardinalis cap 16, de divina Psalmodia, in Ecclesia Occidentali, hunc alternatim per antiphonas modum instituit S. Ambrosius, quem Damasus apostolico decreto stabilivit. Qua de re plura apud eumdem Bona legenda, ubi et pag 458, ait caute intelligendum esse quod Gregorius Magnus lib VII, epistola 64, apud Baronium scribit, Damasum nempe papam ex B. Hieronymi traditione accepisse, ut ad imitationem Jerosolymitanæ Ecclesiæ, Romæ concineretur *Alleluia*. Non enim, inquit Bona, cœpit eo tempore in Ecclesia Romana cantari *Alleluia*, sed cum tempore tantum Paschali cantaretur, tunc sancitum est, ut etiam extra illud frequentaretur.

Ait insuper loco laudato Bona, pag 447, multos doctores alioquin fide dignissimos legem canendæ doxologiæ, *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat*, etc., in fine psalmorum ad Damasum papam referre, a quo hac de re sanctionem editam aiunt divo Hieronymo suadente. Sed isti decepti sunt ob epistolam Hieronymi ad Damasum, quam nos adulterinam esse diximus. Concilium Vasense seu Vasionense secundum, sub Felice IV, anno 529, celebratum canone 5, statuit, ut in Ecclesia post gloria, dicatur, *sicut erat in principio*, adversus eos, qui Dei Filium a tempore cœpisse blasphemant. Damasus non est etiam auctor decreti de Scripturis divinis, et opusculis sanctorum Patrum quæ in Ecclesia catholica recipiuntur, seu decreti *de libris recipiendis et non recipiendis*, licet in collectione Cresconiana, librariorum errore, decretum illud Damasi nomen præferat; quia plerique opusculorum in eo memoratorum auctores, post Damasum vixerunt et scripserunt. Qua de re plura in Gelasio.

SOMIER.

Linea 2.— *Ordinatur sub contentione Ursicinus*, etc. *lin* 11 : *Hic accusatus est insidiarum*, etc.

Hujus historiæ seriem exacte prosequi ducimus necessarium, ut ora obstruantur inimicorum Romanæ sedis, qui captare nituntur inde occasionem imprimendi animis hominum falsam ideam circa ejusdem sedis auctoritatem.

Nunquam dubitari jure contigit, quin electio Damasi ad summum pontificatum omnino legitima fuerit et rite peracta. S. Hieronymus, qui tum Romæ agebat, et rhetoricæ operam dabat quando electus fuit Damasus, in suo chronico ad annum 369, scribit : « Damasus XXXV Romanæ Ecclesiæ ordinatur episcopus, » et Rufinus æqualis eorumdem temporum hist lib II, c. 10, ait : « Damasus post Liberium per successionem sacerdotium in urbe Roma susceperat. » Omnes antiquæ historiæ de hujusmodi facto conveniunt. In Socratis lib IV, cap 24, legimus : « Damasus Liberio in episcopatus Romani administratione successit. » Apud Theodoret, lib V, c. 2 : « Hic Damasus episcopus Romanus fuit, in illius Ecclesiæ administratione successor Liberii : vir sane propter vitæ præstabilis ornamenta insignis : qui doctrinam apostolicam assidue tutatus est. » Sozomenus lib VI, cap 22, tradit : « Mortuo Liberio Damasus Ecclesiæ Romæ sedem capessit. In qua electione Ursacius diaconus competitor ejus fuit, qui suffragiis præteritus iniquo animo tulit. »

Ursinus quidem hic a Rufino dictus et a Marcellino Ursicinus « prælatum sibi non ferens Damasum in tantum furoris erupit, ut persuaso quodam satis imperito et agresti episcopo, nempe Paulo Tiburtino, collecta turbulentorum, et seditiosorum hominum manu in basilica, quæ Sicinii appellatur, episcopum se fieri extorqueret, legibus, et ordine, et traditione perversis. » Rufin, Hist l. II, c. 10.

Schismatica hæc ordinatio tumultus excitavit ac cædes in Urbe non modicas : ad quas avertendas Romani magistratus de jure Damasi non dubitantes, antipapam exsulare cogunt : « pulsoque (cum asseclis) Ursicino (ait Ammianus Marcellin, lib XXVII) alta quies pari jam proposito civium Romanorum aptissima adolescebat. » Verum non diuturnam reddere tentarunt ejus factionis asseclæ, qui nacti apud Valentinianum Augustum patrocinatores suarum precum, ea conditione copiam redeundi impetrarunt, ut pœnas graviores subirent, si novi tumultus per eosdem excitarentur. Et cum impotenter proclives reperti essent in eosdem motus, iterum in Gallias relegati sunt; erepta seditiosorum sociis unica ecclesia, quæ superfuerat ipsorum habendo conventui. Marcellinus, ethnicus licet auctor, refert, magistratum qui Romæ tunc gerebat, Prætextatum pariter ethnicum, *justa veritati suffragia pulso Ursicino contulisse*.

Interea Damasus sua usus auctoritate pontificia ad schisma abolendum damnationis sententiam protulit in auctorem et in complices criminis. A communione fidelium eosdem removit; et in concilio quod Romæ habuit tertio sui pontificatus anno ad deponendum Auxentium Mediolanensem contra eosdem non destitit iterare sententiam antea prolatam. De his nempe decretis apostolicæ sedis loquitur imperator Valentinianus rescribens Ampelio præfecto Urbis, et Maximino vicario V. P. (vide apud Baronium ad ann 371) super schismaticis memoratis.

Ad faciliorem exsecutionem parandam Ecclesiæ legibus sanxerat Valentinianus, causas reliquorum episcoporum esse a Romano pontifice judicandas : siquidem causas fidei, necnon de regimine ecclesiastico ad ejusdem ordinis viros pertinere : ita ut sacerdotes de sacerdotibus judicarent. Vide S. Ambros epist XIII, ad Valentinian, imo apud Baron, ad ann 386, epist XXXI, S. Ambrosii et Collect. concil. tomo II, ann 378.

Mortuo Valentiniano, Ursicini et suorum inquietum ingenium nova machinamenta contra Damasum struxit, adhibitis calumniis. Cum vero cognoscerent neque de ipsius doctrina, neque de regimine male administrato ullas facile processuras, de ejusdem privatis moribus falsum rumorem disseminarunt. Verum calumniis cito detectis, Ursicinus in Gallias pridem relegatus, cohibitus fuit arctius Coloniæ Agrippinæ intra angustiorem secessum : et Isacem remotus Hispaniæ angulus titulo damnationis inclusit. Uti Gratianus et Valentinianus Augg. in rescripto ad Aquilinum vic ord enuntiant.

Damasus attamen suæ conscientiæ testimonio satis securus, cum posset illo contentus irritum conatum despicere accusatorum, aut sola declaratione innocentiæ suæ publicæ quoque opinioni de se consulere, quemadmodum a successoribus sublinde præstitum non semel legimus, maluit se innocentem probare in concilio, ac in conspectu comitatus imperatoris. Multum interest hic demonstrare hujusmodi factum Damasi nihil præjudicii intulisse juribus inconcussis summi sacerdotii Romanæ sedis, inviolabiliter id obtinentis, ut in terris a nemine judicetur.

Digitized by Google

Non est cur aliunde quæramus asserti demonstrationem, cum abunde suppetat in ipso Romano concilio Damasi de quo agimus : a quo juste prolatum dicimus testimonium potius quam decretum de probitate atque heroicis virtutibus sancti pontificis; tum etiam in rescripto Augustorum Gratiani et Valentiniani II, jubentium vicario necnon præfectis prætorio Galliæ atque Italiæ (vid Baron ad ann 381) ut auctoritate adhibita, sententias a Romani episcopi judicio prolatas valide sustinere et exacte mandare debitæ exsecutioni non omittant.

Concilium de quo nobis est sermo, in quo scilicet Damasi innocentia plène perspecta et publico encomio celebrata est contra calumnias schismaticorum, dedit epistolam synodicam ad imperatorem, in qua præmissis gratiarum actionibus, eidem principi persolutis ob assertam in suis etiam legibus Romani pontificis auctoritatem judicandi de cæteris episcopis, conqueruntur de Ursicino, ac de nonnullis episcopis depositis per Damasum, qui exemplo sui antesignani schisma in Ecclesia confovebant. Asserunt, huc tendere perditorum hujusmodi schismaticorum consilia, et fraudes, « ut dum causam dicit qui in omnes judex fuerat constitutus, nemo esset qui de lapsis, vel de factiosis posset episcopatus invasoribus judicare. » (Epist. syn. concil. Rom. ad Gratian.) Perspicuum reddunt, voluisse in hoc rerum statu suopte ingenio pontificem « severioribus se dare judiciis sacerdotum » . . . ita ut « vir sanctus (inquiunt) vestræ magis conferre pietati quam sibi præstare desideret, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare. » Subdunt sequi Damasum voluisse exemplum sui decessoris Silvestri papæ, « qui a sacrilegis accusatus apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. »

Imperatores in rescribendo magistratuum desidiam mertem et inofficiosam culpant, ac *desidiam judicum, qui religionem inquietari* (*quam nos*, inquiunt, *jure veneramur*) *patienter accipiunt*, et in hanc socordiam refundunt causam hujusmodi tumultuum ac malorum. Tum de schismaticis subdunt : « Hinc illi insectatores sanctissimæ sedis, non solum Dei numine, quod satis erat, sed etiam judiciorum examini exploratum mentis sanctissimæ virum, ut etiam divo Patri Valentiniano est comprobatum, turpissimis calumniis episcopum Damasum inquietare non veriti; postquam desperaverunt posse percelli, populum, pro quo ille divinitati obses est, inquietant. » Præcipiunt itaque, ut factiosi ita turbantes quietem civitatum ab illis expellantur, et centum milliariis ab urbe Roma arceantur. « Quicunque autem judicio Damasi, etc., condemnatus fuerit; et qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, ab illustribus viris præfectis ad episcopale judicium remittatur, sive a proconsulibus, vel vicariis, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat, etc., vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus episcopus judices dederit, sine dilatione contendat . . . Quod si metropolitani episcopi, vel cujuscumque sacerdotis iniquitas est suspecta, aut gratia, ad Romanum episcopum, vel ad concilium quindecim finitimorum episcoporum accersitum liceat provocare : modo ne post examen habitum, quod definitum fuerit integretur. »

Hoc igitur modo imperatores solemni declaratione et expressa lege recognoverunt jus in Romano pontifice situm judicandi de episcopis, et provocationis recipiendæ ad suam apostolicam sedem; quod jus antea palam et authentice recognoverat Ecclesia universa in synodo Sardicensi.

Linea 11. — *Hic constitutum fecit de Ecclesia.*

Funesta quædam contagio ita infecerat præcipuas Orientis Ecclesias, ut sedes Antiochena, Alexandrina, et Constantinopolitana eodem tempore schismate laborarent, quo turbabatur etiam in Occidente Romana.

A Subortum fuerat schisma Ecclesiæ Antiochenæ sedente Romæ Liberio. Eudoxius enim Arianus episcopus cum sedi patriarchali Antiochenæ quam occupaverat prætulisset Constantinopolitanam (vide Socr. lib. II, c. 34) ditiori patrimonio dotatam, ejusdem factionis asseclæ stabiliverunt in throno Antiocheno Meletium olim Sebastenum, tunc vero Berrhœensem episcopum. « Nam fama et existimatione ejus futurum putabant (ait Sozomenus lib. IV, cap. 27) ut non modo incolas Antiochiæ, verum etiam urbes finitimas, et maxime olim Eustathianos, qui ita de Deo, sicut concilium Nicænum tradiderat, sentiebant, omnino ad suam sectam attracturos. » Rufinus addit Hist. lib. I, cap. 24, translationem Meletii factam contra leges sacrorum canonum.

Ubi vero se cognoverunt Ariani sua exspectatione frustratos (nam Meletius pro Nicæna fide se stare diserte professus est) Constanti imperatori auctores fiunt ejus expellendi in exsilium, eique substituendi B Euzojum, aperte Arianum, et unum ex præcipuis discipulis Arii. Veteres inter Antiochenos catholici, qui *consubstantialis* fidem constanter servaverant, quos appellabant Eustathianos, Meletii declaratione nihil permoti recusaverant eumdem episcopum recognoscere, et cum illis qui eidem adhærebant communicare, « duplici nomine; tum, quod Meletius ipse Arianorum suffragiis fuisset ad sacerdotii functionem delectus (ait Socrates loco cit.), tum quod ejus sectatores ab illis baptismi lavacrum recepissent. »

Lucifer Calaritanus ita constitutam reperit Ecclesiam Antiochenam, quando post decessum imperatoris Constantii eamdem visitavit (uti supra diximus in notis ad Liberium). Speravit reconciliari posse et in unum cœtum convenire utrosque catholicos Eustathianos et Meletianos, « si talis eligeretur episcopus (scribit Rufin. lib. I, c. 27) erga quem non una plebs, sed utraque gauderet. Quare præproperus catholicum quidem, et sanctum virum, ac per omnia dignum sacerdotio Paulinum episcopum collocavit. » Verum Meletiani eumdem recipere detrectarunt; ita ut schisma per annos plures productum fuerit, utrisque partibus in locum decedentium ad novam procedentibus electionem.

Sanctus Basilius certiorem fecit S. Damasum papam de hujusmodi tumultibus, simul etiam scribens ad B. Athanasium epistola 52, his verbis usus : « Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret, et sententiam suam expromat. Et quoniam difficile est, ut communi ac synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in hac causa usus viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos, verum juxta ad hoc quoque accommodos, ut mansuetudine et felicitate ingenii eos qui distorti et obliqui apud nos sunt, corrigant, apte ac dispensatorie sermonem attemperantes, omniaque secum habentes quæ in Arimino, ad ea rescindenda, quæ illic per C vim et violentiam gesta sunt. »

In epistola vero ad Damasum, num. 220, quem appellat Patrem colendissimum, exponit amplitudinem regionum illis motibus perculsarum, et remedium a S. Sede Romana exspectandum. « Quidquid, inquit, ab Ægypto ad Illyricum usque protenditur, vehementi tempestate, et fluctuum agitatione percellitur... Horum certe malorum remedium esse unicum arbitramur miserationis tuæ visitationem sollicitudinemque... Eo descendimus, ut per litteras nostras aliquantulum solatii nobis facereamus, si vos excitati tandem iis, nostri susciperetis curam, et quosdam ejusdem nobiscum confessionis huc mitteretis : qui discordantes inter se partes vel conciliare, vel Dei Ecclesias revocare ad amicitiam, et unionem possunt; vel saltem eos propalam manifestos reddere, qui fluctuationis istius causæ erant : de cætero vobis omnibus liquere queat, ad quorum demum communionem accedere debeatis. »

Digitized by Google

B. Hieronymus, in ea provincia degens, quem acriter sollicitabant ad se adjungendum palam partibus Paulini, aut Meletii, aut cujusdam Vitalis quem Apollinaris latenter hæreticus, de quo loquendum nobis erit inferius, eligi curaverat tertium episcopum a nonnullis catholicis a Meletiano cœtu divulsis; sanctus, inquam, Hieronymus ad B. Damasum scribens his utitur sensibus (*epist.* 57) : « Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio..... Nec possum sanctum Domini tot interjacentibus spatiis a sanctimonia tua semper expetere; ideo hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor, et sub onerariis navibus parva navicula delitesco. Non novi Vitalem; Meletium respuo; ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est Antichristi est... Dignare scripta transmittere: simul etiam cui apud Antiochiam debeam communicare, significes. » Et epist. 58 : « Hinc enim falsis præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit; hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat..... Ego interim clamito : Si quis cathedræ Petri jungitur meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes..... Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, etc., ut mihi litteris tuis apud quem in Syria debeam communicare significes. »

Damasus Paulinum prætulit, eumdem Antiochenum episcopum appellans in epistolis. Neque enim illius fides adhuc erat suspecta Romanæ Ecclesiæ; competitorum vero suspicioni erat obnoxia.

S. Basilius Meletio imprimis addictus, incassum ad magistratus Antiochenos, aliosque perferri cum epistolis suis per illas curavit, falsa circumferri contra eumdem asserens in Occidentem; et ad Athanasium, ut Romano judicio sedes Antiochena deferretur Paulino. Frustra decedenti e vita Meletio successor dabatur Flavianus, contra concordiæ pactum a Paulino et Meletio signatum, ut alterutro decedente, qui superstes ipsorum esset teneret cathedram Antiochenam; et contra suffragium B. Gregorii Nazianzeni (carm. 1,) indignati Orientalium propensioni ad schisma. Damasus papa in concilio Romæ a se habito Paulinum manuteneri in possessione susceptæ dignitatis decernit, datis etiam ad ipsum litteris synodalibus, quas e contra Flaviano nunquam direxit, nec ratos habuit titulos huic delatos a suffragatoribus. « Quin et episcopos, qui illum ordinarant, pro excommunicatis habebant Romanus pontifex, et cum eo multi sacerdotes Occidentales » ait Sozomenus lib. VII, cap. 11. Vide epistolas 10, 272, 321, 325, 349. S. Basilii.

Ecclesia Alexandrina post obitum S. Athanasii crudelius vexata est a schismate quam Antiochena. Petrus electus fuerat, et unanimi consensu receptus tam a clero, quam a magistratibus, et a populo. De electione sua scripserat Damaso, a quo per diaconum Romanæ Ecclesiæ recepit litteras *consolationis, et communionis* (ex Theodoreto l. IV, cap. 20). Ariani, qui S. Athanasium pacifice tandem permiserant in sua sede tot annos persecutionis cum vita absolvere, ferre non poterant successionem Petri, utpote ab ipso antea designati. Armata manu hunc extrudunt, collocato in ejus locum Lucio quodam hac mente ab ipsis antea ordinato. Petrus Romam se recepit tanquam in asilum honorabilem, ac totum adversus furorem Valentis imperatoris et ipsius ministrorum, a quibus una cum Lucio pseudoepiscopo dira quæque exercebantur contra catholicos Alexandrinos. Postquam persecutio defervit, « Petrus Roma cum litteris Damasi episcopi Romani reversus eo (Alexandriam) erat : quæ quidem et Omousios fidem confirmabant, et Petri creationem » (ait Socrat. lib. IV, cap. 30). *Populus igitur illis confisus expellit Lucium; Petrum autem in ejus locum introducit.*

Per eadem circiter tempora Ecclesia Constantinopolitana a quadraginta ferme annis gemente sub tyrannide Arianorum, qui eam sedem invaserant, pauci qui supererant in regia urbe catholici orthodoxorum antistitum in ea vicinia sitorum præsidio fulti S. Gregorium Nazianzenum eo perduxerant. Ille obnixis utrorumque precibus ac suasionibus, divinoque in primis spiritu impulsus ad eam expeditionem (ut in ejus Vita narrat Gregorius presbyter) per biennium aut triennium felici successu illum agrum Dominicum excoluit, citra assumptionem illius episcopatus. Interea Maximus quidam Cynicus clientes sibi cum conciliasset, sanctum vero Gregorium demeruisset specie probitatis eximiæ, quam astutus hypocrita mentiebatur, ita se insinuaverat ut episcopus per obreptionem fuerit ordinatus. In suas partes pertraxerat complures episcopos, ipsumque Petrum Alexandrinum, de quo Nazianzenus alludens ad Petri negationem a fletu subsecutam ita loquitur (oratione in Maximum): « Factum est, ut Petrus etiam me abjuraret : ac fortasse non flet quidem amare, ut peccato medeatur. »

Verum Damasus de Cynici hujus intrusione certior factus, ita vigili cura et laboribus constanter impensis profecit (quod testabantur complures ejus epistolæ Nicolai primi ætate nondum deperditæ) ut Constantinopoli expelleretur. « Maximus postquam multum a Damaso papa, sicut ejus ad diversos epistolæ indicant, laboratum est, Constantinopoli pulsus est. » Epist. Nicol. ad Mich. imp. Synodus œcumenica quæ subinde celebrata ibidem fuit (Sozom. lib. VII, c. 2), declarat, hunc Maximum neque esse, neque unquam fuisse episcopum; et cum prius legisset ad eamdem cathedram S. Gregorium, deinde, hoc recusante, Nectarium; Patres concilii ad Damasum perscripserunt, tum temporis concilium in Urbe celebrantem, obsecrantes in sua synodica, ut ratum habere vellet et gratanter dignaretur accipere quidquid gestum atque sanctum fuerat juxta leges sacrorum canonum. Imperator quoque Theodosius confirmationem illius electionis per missos suos a Damaso postulavit, uti scribit Bonifacius I in epist. ad episcopos Illyrici : « Clementissimæ recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum episcopis, formatam huic a sede Romana dirigi regulariter deposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret. »

Non deerant alibi quoque schismatici per diversas provincias, qui ad Urbem ablegarent, imo constabilire tentabant Romæ episcopos e suis sectariis, simios agentes veræ et catholicæ Ecclesiæ, cujus gloriæ apicem Petri sedes non modo illustrat sed etiam roborat. Tales vero mimos se præbuerunt Luciferiani, ac Donatistæ. Beatus Damasus omnem movit lapidem, ut has quoque oves errantes ad unitatem revocaret. Optatus Milevitanus scribens contra postremos, ostendit ex novitate falsitatem ipsorum Ecclesiæ, fundamento destitutæ, cum in Petro non solidetur : cujus cathedræ successio episcoporum non interrupta characterem ostendit certum veracis Christi Ecclesiæ. « Nec Cæcilianus recessit a cathedra Petri, vel Cypriani; sed Majorinus, cujus tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat. » (Optat. Milev. l. I). Idem lib. II subdit : « Inter dotes cathedra est prima. Videndum ubi prior sederit. In urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam : in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur : ut cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alterum collocaret. Sedit prior

Digitized by Google

Petrus, cui successit Linus, etc. Liberio Damasus; cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris, protensus de mendacio, non de radice veritatis.

« Hæc in cæteris patriarchatibus Ecclesiæ Damasus exercebat conscius juris a Christo Domino Romanæ sedi per apostolorum principem attributi, nempe ut sit depositaria fidei divinæ. Quantum sub Damaso celebratum fuerit tum a Patribus tum a principibus hoc axioma, ad hunc locum pertinet explicare; ut intelligatur nitidius vis compendiosæ illius narrationis, *fecit constitutum de Ecclesia*, tum in Damaso, tum in decessoribus ac in successoribus a Bibliothecario persæpe adhibitæ. Caput 16 libri in domini archiepiscopi Somier idem axioma ita sub Damaso viguisse demonstrat. »

Gratianus post mortem Valentis dum Romani orbis habenas solus moderaretur, « Imperii totius quasi primitias omnium gubernatori Deo obtulit (scribit Theodoretus lib. v, c. 2 et 3). Nam conscripsit legem, qua jubebat, tum pastores ejectos in exsilium redire, suisque gregibus restitui, tum sanctas ecclesias tradi his, qui Damasi communionem amplexarentur. Hic Damasus episcopus Romanus fuit... Ut autem lex quam dixi modo majorem haberet auctoritatem, misit cum ea ducem Saporem. Eo adventante Antiochiam, cum legem Gratiani ostendisset, Paulinus se a partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoque affirmat, morbo erroris sui occultato, Apollinaris... » Theodoret. lib. v, cap. 2 et 3. Trifariam igitur divisa cum esset Ecclesia Antiochena, singuli qui partibus præerant Paulinus, Apollinaris, Meletius se a Damaso stare profitebantur. Paulinus valide sua jura tuebatur. Apollinaris, errores suos occultans, non minus acriter pugnabat pro sua electione. Flavianus cliens et fautor Meletii ut constabiliret illius jura cujus sub patrocinio degebat, contendit demonstrare neutrum ex illius adversariis seu competitoribus gaudere communione Romani pontificis, cum Damasi doctrinam non sequerentur. Quare apud Theodoretum loco indicato Flavianus ita interrogat Paulinum, duce audiente : « Si Damasi communionem, o amice, amplecteris, nobis tuæ et illius doctrinæ consensun cognationemque manifesto commonstra, et ecclesias capesse, sicut lex jubet. » Deinde ita Apollinarem alloquitur : « Demiror, o amice, te non solum tam impudenter velle veritati repugnare, cum certo scias, Damasum, virum sane admirabilem, affirmare perfectam nostram naturam a Deo Verbo sumptam esse : verum etiam contrariam opinionem docere... Damasi doctrinam amplectere, et sacrosanctas ecclesias capesse. » Res eo recidit, ut aperte cum constitisset, Paulinum ac Meletium nullam aliam fidem admittere, quam Romanam, ab hac vero elongatum longe recedere Apollinarem, hic ab omni Ecclesiæ Antiochenæ ministerio recedere jussus sit, duobus autem orthodoxis, Paulino ac Meletio, paci ut consuleretur, annuente etiam Augusti delegato, permissum fuerit antistitem gregis portioni præesse, quæ singillatim alterutrum sequebatur. Vide Theodoret. ibi cap. 3 et 4.

Theodosius quoque imperii consors a Gratiano assumptus segnior non fuit in zelo pro sacra doctrina ostendendo, cujus sequestrem sciebat Romanam sedem, promulgata ea celebri lege ad populum Constantinopolitanum, quæ in codice Theodosiano legitur (tit. de Fide cath. l. II) : « Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat : quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ episcopum, virum apostolicæ sanctitatis, hoc est, ut secundum apostolicam, evangelicamque doctrinam Patris et Filii et Spiritus sancti unam deitatem sub pari majestate, et sub pia Trinitate credamus, » etc.

Ne autem opinetur quis hujusmodi leges universo imperio præscriptas, et per omnem Christi Ecclesiam receptas respicere singularem Damasi personam a suo charactere pontificali sejunctam, neque referri ad sedis illius privilegia quam tenuit; ne, inquam, quis hæc opinetur, producendi sunt testes omni exceptione majores, et æquales illorum temporum, qui diserte confirmant, auctoritati hujus augustæ sedis jus illud insitum ad credentes ita confirmandos in fide. Sunt autem SS. Hieronymus et Ambrosius. Ille in epistola 57 ita scribit : « Quoniam vetusto Orieus inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, et desuper textam minutatim per frustra discerpit... ut difficile ubi fons signatus, et hortus ille conclusus sit, possit intelligi : ideo mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam : inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi, » etc.; et in epist. 58 Damasum ita rogat, præmissa notione dissidiorum in Oriente : « Hinc enim præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit : hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monacherum circa manentium antiqua in me furit auctoritas. Ego interim clamito : si quis cathedræ Petri jungitur meus est... Mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. » Tritum et illud est ejusdem Patris consilium ad Demetriadem epist. 8 : « Cognovi in quibusdam adhuc vivere, et pullulare venenata plantaria : illud te pio charitatis affectu præmonenda puto, ut S. Innocentii, qui apostolicæ cathedræ, et supradicti viri successor et filius est teneas fidem, nec peregrinam, quantumvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. » Nec minus celebre illud est effatum, quod protulit lib. III in Rufinum : « Scito Romanam fidem apostolico ore laudatam ejusmodi præstigia non recipere; etiamsi angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari. »

Sanctus vero Ambrosius Damasi pariter ætati æqualis ita scribit in I ad Tim. cap. 3 : « Ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus... Illic necesse est dicatur domus Dei, et veritas. » Facile hinc assequimur sententiam tanti Patris circa auctoritatem et characterem illius, quem respicit tanquam directorem, et arbitrum infallibilem veritatis. Hæc siquidem verba declarant ideam privilegiorum sedis, non vero peculiarem effectum virtutis ex viri moribus profectæ. Ita autem sensisse et intime affectum fuisse Ambrosium de Romanæ sedis privilegio, ut fidei ac veritatis sit promicanda et sequestris, perspicue cognoscimus et ex eis quæ protulit cum retulisset fratrem suum B. Satyrum, ex naufragio præservatum, atque ad littus appulsum in regione a schismaticis frequentata. « Advocavit ad se episcopum, inquit, percunctatusque ex eo est, utrumne cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret, » etc. (de obitu fratris circa medium). Perinde igitur erat per Satyrum et Ambrosium cum catholicis episcopis, et cum Romana Ecclesia sentire.

Confirmat autem Ambrosius hos sensus, quando in synodica ad Damasum eumdem appellat « fidelem custodem Dominici gregis, dignum quem Domini oves audiant, et sequantur... Credant symbolo apostolorum, quod Romana Ecclesia intemeratum semper et custodit et servat. » Ibi etiam pontificem Romanum vocat Doctorem episcoporum et conciliorum. « Sed quid plura apud Magistrum, et Doctorem? » cujus judicio se conformet : « Jovinianum, Auxentium, etc., quos sanctitas vestra damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos. »

Verum de judicio hæreticorum de causis omni-

Digitized by Google

modo cum potestate exercito per Damasum, et sententia damnationis in eos prolata documenta illustria jungamus.

Synodica epistola, quam B. Athanasius una cum nonaginta episcopis sui patriarchatus secum in concilio sedentibus dedit ad episcopos Africanos nobis præservavit memoriam alterius synodi, quam B. Damasus sub initium sui pontificatus Romæ celebravit ad exstirpandam Arianam perfidiam. Ex hac epistola cognoscimus frequentem fuisse numerum Patrum ibidem congregatorum, ut veritas fidei de consubstantiali Verbo ab ipsomet Domino apostolis tradita, et per apostolos Ecclesiæ in synodo Nicæna illam solemniter professæ, constabiliretur. Docemur, maximam adhibitam curam in eo concilio, ut illi detegerentur qui hæresim indicatam fovcrent, et quicunque in eamdem fuissent prolapsi. Percipimus denique ex eadem epistola, decreta Damasi papæ in eodem concilio prolata sufficere ad confirmandum Ecclesiæ fidem. « Sufficiunt quidem scripta Damasi (ait Athanasius et cum eo synodus Ægyptiorum in ea synodica) comministri nostri dilecti, et magnæ Romæ episcopi, cæterorumque tot numero ibidem congregatorum : nihiloque minus sufficiunt scripta aliorum conciliorum, quæ partim in Gallia, partim in Italia habita sunt, ad adstruendam eam quæ in nobis est fidem, quam Christus largitus est et apostoli prædicarunt, et Patres qui Nicææ undequaque ex nostro habitabili orbe convenerant, tradidere : summa propter Arianos adhibita cura, ut qui in eam hæresim lapsi essent resurgerent, et auctores ejus deprehenderentur. » Colligitur inde, a Damaso perscriptum fuisse ad Athanasium de judicio a se contra Arianos prolato, ac de Valentis et Ursacii depositione. « Gratias habemus et illius pietati, et cæteris qui Romæ convenerunt, quod Ursacio et Valente cum sociis suis ejusdem sententiæ ejectis, concordiam catholicæ Ecclesiæ conservarint. »

Episcopi patriarchatus Alexandrini dum gratias agunt Damaso papæ de rebus pro Ecclesia gestis, eidem querelas deferunt contra « Auxentium invasorem Mediolanensis ecclesiæ, eumque significant non solum in communione esse Arianicæ sectæ, sed præter hoc multorum scelerum reum esse, quæ designavit cum Gregorio socio suæ impietatis : mirantur pæ cur nondum depositus, ejectusque sit de Ecclesia. » Ibi.

Iis Ægyptiorum querelis cum accessissent delationes ab episcopis Galliarum ac Venetiarum, significantes, Auxentium hunc, atque alios nonnullos, non modo infectos esse Ariana labe, sed etiam novam hæresim procudisse contra Divinitatem Spiritus sancti; confestim Damasus indixit Romæ concilium episcopos diversarum nationum advocans. Ibi Auxentius damnatus. Ibi excommunationis sententia contra hostes consubstantialis et divini Spiritus prolata est. Ibi declaratum fuit nullius synodi quantumvis numero episcoporum ingenti constaret, ratam sententiam futuram, aut ullo robore præditam, cui non accedat consensus pontificis Romani, cujus sententia est præ cæteris omnibus exspectanda. « Numerus episcoporum qui erant Arimini in unum congregati præjudicii vim habere non debet : præsertim cum formula illa composita sit, neque episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus exspectanda erat, neque aliis eidem consentientibus. » Synodica concil Rom ad Illyric episc apud Theodoret l. II, c. 22, et apud Sozom. lib. VI, c. 23.

Hæc nos addiscimus ex allegata synodica Romani concilii sub Damaso, quam Illyriciani præsules deinde per manus tradiderunt Asianis, et Phrygibus, aliarumque provinciarum episcopis, significantes in suo libello (ap. Theodoret. lib IV, c. 8) eamdem ad se perlatam Roma quæ est caput imperii, ab ipsis cum Egidio collega ad eos missi, *ut discat, utrum vestra prædicatio ita se habeat an non.* Imperator Valentinianus, ejusque frater Valens, qui nondum perversus fuerat ad Arianam impietatem sectandam, illi adjunxerunt legem, epistolæ in morem dictatam, ut recipi curarent ea, quæ in utroque concilio Romano et Gallicano fuerant decreta. « Nos autem non aliter sentimus, atque duo concilia : quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia. » Epistola Valentiniani imp ad Asianam diœces apud eumd Theodoretum lib IV, c. 7.

S. Basilius tum suo tum aliorum orthodoxorum Orientalium episcoporum nomine defert ad tribunal Occidentalis Ecclesiæ tres antesignanos factionum, tanquam ad illam auctoritatem, quæ sola possit opem ferre in discrimine per hos sectarios intentato. « Non est autem (ait S. Doctor) quod aliunde opem exspectemus, nisi per vos Dominus, a quibus sincere colitur, curationem miserit. Improba quidem et impudens Arianorum hæresis manifeste ab Ecclesiæ corpore divulsa proprio immoratur errori, parumque nos lædit, propterea quod illius impietas omnibus nota est. Qui vero ovium pellem induti, mansuetudinem ac placiditatem externe quidem simulant, interne vero gregem Christi crudeliter lacerant; et hoc nomine, quod ex nostro gremio progrediuntur, simpliciores facile lædunt, ii sunt perniciosi illi, et qui non ita facile caveri possunt. Quos per vestram diligentiam omnibus Orientis Ecclesiis publicari, ac manifestari petimus; ut vel recta ingredientes, sincere nobis conjuncti sint; vel si perversi esse perrexerint, pestem suam sibi ipsis solis contineant; ne posthac per incautam communionem morbum suum vicinioribus affricare possint, » *S. Basil epist* 74.

Tres isti factionum principes, accusati a S. Basilio, erant Eutaschius Sebastenus, Paulinus Antiochenus, et Apollinaris. Eustachius, qui auctoritate Liberii papæ restitutus fuerat episcopatui Sebasteno, cum Romæ fidei professionem, uti diximus, præstitisset, in Arianismum fuerat relapsus, imo et illorum hæresim complexus fuerat, qui divinitatem sancti Spiritus pernegabant. Hic per summam impudentiam recriminari ausus est B. Basilium et adversus fidem magni doctoris intentare calumniam (ut Basilius testatur epist 74). Verum divinæ ultioni cito subjacuit, justo ejus decreto infelicem exitum vitæ expertus. Paulinus Antiochenus accusabatur de admissa doctrina Marcelli Ancyrani et de hæresi confundente divinas tres personas. Hujusmodi tamen accusatio nihili Romæ habita minime impedivit, quin ab Ecclesia Romana semper judicatus fuerit legitimus Antiochiæ episcopus Paulinus, excluso Meletio quem tolerabat sanctus Basilius; et quin sedis apostolicæ mandato suspecti de fide in ejus Paulini manibus fidei professionem de more jurarent.

« Apollinaris scripsit et de resurrectione quædam fabulose, imo judaice composita, in quibus nos dicit iterum ad cultum a lege præscriptum reversuros... Deinde et de incarnatione... » S. Basil epist 74 et 77. « Mentem ab Christi incarnatione dimovere, eumdemque carnem cum anima duntaxat suscepisse, mentem vero nequaquam asserere... Apollinaris Laodicenus hujus dignitatis auctor ac propugnator exstitit. » S. Epiph hær 87. Vide Theodoret lib V, c. 3. Hanc hæresim Damasus damnavit in concilio Romæ habito; et illius auctorem Apollinarem deposuit, una cum Timotheo ejus discipulo. Cum vero post ejusmodi judicium hæresiarcha ejusque sectatores simularent apud catholicos ab ea sententia se alienos, et in communione Romanæ sedis versari gloriarentur; Orientales episcopi ea de re ad Damasum præscribentes rogabant, ut damnare ac demonere vellet hujusmodi sectarios. Vitalis præ cæteris, quem Apollinaris episcopum creaverat suæ factionis apud Antiochenos, jactans Romanæ communionis esse participem, delatus cum fuisset apud beatissimum Damasum (scribit S. Greg Naz epist 2 ad Clodon) adactus est ad eumdem se conferre in Urbem et fidem suam scripto exponere : quod ita præstitit,

Digitized by Google

ut prima fronte sana et recta videretur; nam verbis attexta fuerat ita accommodatis ad ideas diversas, ut sectæ suæ erroribus velandis, æque ac veritati catholicæ exprimendæ servire posset.

Respondit itaque Damasus Orientalibus episcopis in hanc sententiam apud Theodoret lib v, cap 10 : « Quod vestra charitas debitam sedi apostolicæ reverentiam tribuit, filii honoratissimi, vobis quoque ipsis maximo sane honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia, in qua sanctus apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula quæ suscepimus tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur; tamen conſitenur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse... Sciatis velim, fratres, nos Timotheum illum profanum Apollinaris hæretici discipulum, cum impio suo dogmate jampridem abdicasse; et ob eam causam credimus reliquias ejus nihil imposterum momenti habituras... Itaque quid est, cur abdicationem Timothei a me rursus requiratis, qui etiam hic judicio sedis apostolicæ, Petro quoque episcopo Alexandrino præsente abdicatus est una cum magistro suo Apollinari? » .

Cum igitur suscepta fuisset a Damaso professio fidei per Vitalem præstita, nihil decrevit de ipsius persona; sed eumdem remisit cum litteris ad Paulinum Antiochenum episcopum, ut judicaret an sincere ageret. « Per filium meum Vitalem, (inquit apud Baron. Annal. ad ann. 373, n. 5), ad te rescripta direxeram, tuæ voluntati, et tuo judicio omnia derelinquens : et per Petronium presbyterum breviter indicaveram, ne in articulo profectionis jam ejus aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiæ copulari tua cautio probanda differret, fidem nostram misimus non tam tibi, qui ejus fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est nobis per te voluerint sociari, dilectissime frater. Quapropter si supradictus filius meus Vitalis, et qui cum eo sunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in ea expositione fidei subscribere. »

Formula fidei a Damaso transmissa ad Paulinum anathema dicit eis « qui profano ore dicere audent Spiritum sanctum per Filium factum esse, anathema denuntiat omnibus, qui non libere prædicant Spiritum sanctum unius et ejusdem tum essentiæ, tum potestatis cum Patre et Filio, » etc., apud Theodor. lib. v, cap. 11. Fuit vero hæc formula veluti Lydius lapis, per quem hæretici a catholicis discernerentur. Vitalis, nec non alii subscribere huic formulæ recusarunt. Atque ita Romæ detecta ipsius in errore pertinacia, anathemate perculsus fuit una cum ejusdem farinæ hominibus versipellibus, non attenta priori illa subdola professione, quam scripto consignatam obtulerant.

Illustrem quoque reddidit fidei suæ zelum B. Damasus, et auctoritatem sedis suæ contra hæresiarcham Priscillianum, ejusque asseclas.

Horum hæresis erat breviarium seu complexio errorum sectæ Manichææ et Gnosticæ. S. Epiphanius videtur indicare originem ejusdem hæreseos dum narrat (hæres. 26, ad fin.) delatos a se juventutem florente in Ægypto ad episcoporum notitiam nonnullos cœtus infames, in quibus injuriam honestati suæ inferre cum tentassent qui eo convenerant, episcoporum vigilantia expulsi ac dispersi fuere. Unus ex his facinorosis nomine Marcus Memphites in Gallias secedens, complures seduxit nobiles præsertim feminas, illectas voluptatis illecebris, quibus sua dogmata condiebat. Hispanias quoque infecit, ubi per illustrem feminam, et per rhetoricæ artis professorem, qui primi fuerant ejus discipuli, validam manum collegit sectariorum, quibus Priscillianus præpositus nomen dedit (vide S. Hieronym. in Is. cap. XLIV). « Hic, juxta descriptionem Severi Sulpicii Hist. lib. II, familia nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus. Felix profecto, si non pravo studio corrupisset optimum ingenium. Prorsus multa in eo animi et corporis bona cerneres : vigilare multum, famem ac sitim ferre poterat, habendi minime cupidus, utendi parcissimus. Sed idem vanissimus et plus justo inflatior profanarum rerum scientia : quin et magicas artes ab adolescentia eum exercuisse creditum est. Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium, plurescque populares auctoritate persuadendi, et arte blandiendi allicuit in societatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxa fide, et ad omnia captioso ingenio catervatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis speciem ore et habitu prætendens, honorem sui et reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiæ istius tabes pleraque Hispaniæ pervaserat : quin et nonnulli episcoporum depravati, inter quos Instantius et Salvianus, Priscillianum non solum consensione, sed sub quadam etiam conjuratione susceperant. Quo Adyginus episcopus Cordubensis ex vicino agens comperto, ad Idatium emeritæ ætatis sacerdotem refert. Is vero sine modo et ultra quam oportuit Instantium, sociosque ejus lacescens facem quamdam nascenti incendio subdidit : ut exasperaverit malos potius quam compresserit. Igitur post multa inter eos, et digna memoratu certamina, apud Cæsaraugustam synodus congregatur : cui tum etiam Aquitani episcopi interfuere. Verum hæretici committere se judicio non ausi. In absentes tum lata sententia, damnatique Instantius, et Salvianus episcopi, Helpidius et Priscillianus laici, » etc. Secta ad confirmandas vires suas contra synodum Cæsar-Augustanam Priscillianum etiam laicum, sed principem malorum omnium episcopum ordinat. Cum vero episcopi catholici a Gratiano principe edictum impetrassent ad hæreticos e civitatibus ac provinciis expellendos; Priscillianus ejusque asseclæ episcopi Romam se contulerunt, « ut apud Damasum urbis ea tempestate episcopum objecta purgarent. Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit (Sulpic hist lib II,) ubi tum ab imperitis magnifice suscepti sparsere perfidiæ semina : maximeque Elusanam plebem sane tum bonam, et religioni studentem pravis prædicatoribus pervertere, » etc.

Complures ex antiquis Patribus eorumdem errores percensent. Videndus de iis S. Augustinus de hær cap 70, S. Hieronym adv Pelag ad Ctesiph, Orosius ap. S. Aug in consult de error Priscill, S. Aug contra mend, S. Leo epist 93 ad Turib, etc. Sequitur Sulpicius loco indicato : « Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æque adversantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertere consilia, ut, quia duobus episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserunt largiendo et ambiendo, ab imperatore cupita extorquerent : ita corrupto Macedonio tum magistro officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis quæ prius decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius et Priscillianus repetivere Hispanias, » etc.

Quod attinet ad Damasum, is constanter tum illis restitit, tum novo hæresum monstro, Helvidio appellato, contra virginitatis evangelicæ consilium insurgenti, et per horribilem blasphemiam auso contra intemeratæ semper Virginis Mariæ emovere tetrum illum afflatum quo perculit aures catholicæ Ecclesiæ, affirmans eamdem post Christum Dominum divini Spiritus operatione conceptum, et illæsa virginitate in lucem editum, filios a S. Josepho sustulisse. Contra hunc infamem hæreticum beatus Hieronymus, qui tunc Romæ agebat, stylum assumens pro Deipare virginitate perpetua librum edidit præclarissimum : quem declarat a papa Damaso, *viro egregio, et erudito in Scripturis, et virgine ipso Ecclesiaque virginis doctore, repertum immunem ab omni reprehensione.*

His igitur editis a Damaso specimibus infracta

Digitized by Google

constantiæ contra hæreticos, et apostolicæ auctoritatis suæ in Ecclesiæ catholicæ doctrina asserenda, et ecclesiasticis judicis exercendis, respondent cætera ejusdem auctoritatis pontificiæ experimenta, quæ dedit in convocatione œcumenici concilii Constantinopolitani, quæ a neotericis nonnullis in dubium audacter revocata, strenue asserta et confirmata producit D. archiepiscopus Sonier, lib III, cap. 18, A suæ Hist dogmat sanctæ sedis. Nos temperamus a pluribus inde repetendis in notas hujus num, quem satis illustrant hactenus inde excerpta. Eodem vero capite collecta reperies quæ de vicariis apostolicis per Illyricum a Damaso constitutis scitu digna illustrare possunt historiam ecclesiasticam earumdem regionum.

XL. SANCTUS SIRICIUS.

ANNO CHRISTI 385, VALENTINIANI 10, THEODOSII 7.

55 *Siricius, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit* [a] *annos* 15, menses 11, dies 25. *Hic constitutum fecit de* omni *Ecclesia*, vel contra omnes hæreses, et dispersit per universum mundum, ut in omnis Ecclesiæ archivio teneantur ob impugnationem [b] contra omnes hæreses. Hic *constituit*, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum [c]. Hic Manichæos, quos exsilio deportavit, [d] hoc constituit, ut non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret sanctum corpus Dominicum vexari. Hic constituit ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione Monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius, ut jejuniis, et orationibus maceratus, et probatus sub omni examinatione usque ad ultimum diem transitus sui, et ob humanitatem Ecclesiæ viaticum eis largiretur. *Hic constituit hæreticum sub manu impositionis* recipi, præsente cuncta Ecclesia. *Hic fecit ordinationes quinque* in Urbe per mensem Decembris, *presbyteros* 31, diaconos 16, *episcopos per* diversa *loca triginta et duos.* Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria*, nono *Kalendas* [e] *Martias, et cessavit episcopatus per dies* 20.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B, ann* 13, *m.* 1, *d.* 14, *a Coss. Arcadii Aug. et Bautonis, ad Honor* IV *et Eutychian.* [b] C. oppugnat. [c] *Vide Baron tom II Annal de fermento.* [d] *Vide Baron tom V ad ann* 398. [e] *C,* VIII *Kal.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod. Freheri.

Num 55, *lin* 3. *AB.* archivo. *lin* 7. *B*, in urbe, quos etiam. *lin* 10. *B*, ei communicarentur. *lin* 13. *AB*, ei largiatur. *lin* 16. *AB*, triginta quinque. *lin* 16 *et* 17, VIII Kalend.

Ex cod Reg Max et Thuan.

Lin 3, et exparsit per univ m. ut in omnium (*M*, omni) ecclesiarum archivis teneretur ob oppugnationem contra omnes (*M*, omnis) hæreses. *lin* 6, qui nomin ferm (*in ora cod Max*, hinc comprobatur quod Ecclesia primitiva consecrabat in fermento. *V. sup in Vita Zephirini*). Hic invenit Manichæos in Urbe, quos in exsilium deportari jussit, et constituit ut non participarent c. f. communionem, (*M*, communione). *lin* 9, vexari (*M*, vexare). Hoc quoque constituit ut si q. *lin* 12, trans sui ob human eccl viaticum ei in fine tradatur. Hic constituit hæreticum sub manus impositione rec. *lin* 14, in urbe Roma. *lin* 16, VIII Kal. Mart.

B

Ex cod. Thuan. alt.

Lin 1, ann 15. Hic c. *lin* 3, exparsit p. u. m. ut in omni ecclesiæ archivo teneretur ob. opp. *lin* 5, ni cons. *lin* 6, hic invenit M. *lin* 9, vexare. *lin* 12, sui ob. h. *lin* 16, octavo Kal *lin ult* episc dies 20.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin 3. *Cass et Flor* sparsit. *lin ead.*, archivio. *lin* 5. *Flor.*, Nisi qui consecratum episcopi designati suscepit. *lin* 7, *Flor addit* in Urb. *lin* 12. *Flor sec*, ut. *lin* 13. *Flor*, sub manus impositione reconciliari. *lin* 9. *Flor*, octavo calendas Maii.

Apud Peniam ex cod. Cavensi.

Lin 1 *et* 2, ex patre Tyburtio, sedit ann XV, m. XI. dieb XXV, *lin* 3, et exparsit. *lin* 3 *et* 4, archivo teneantur ob oppugnationem contra omnes hæreses. *lin* 6, hic invenit Manichæos, quos exsilio deportavit.

C

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 10. — *Nisi tantum relegatione monasterii.* Cum Manichæorum hæresis non modo pravissima, sed etiam obscena fuerit, nullam leviorem pœnam illis Siricius imponendam censuit, quam perpetuæ pœnitentiæ in monasterio peragendæ : unde duo quædam consequuntur, et monasteria ante Siricium fuisse, et gravioribus delictis pœnitentiam perpetuam impositam fuisse; cum hoc tamen moderamine, quod in ultimo constitutis viaticum concederetur.

Digitized by Google

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia vel contra hæreses, et dispersit per universum mundum, ut in omnis Ecclesiæ archivio teneantur ob impugnationem contra omnes hæreses.* Constitutiones pontificias contra hæreticos in archivum omnium Ecclesiarum referri, a Siricio statutum, ut omnibus notæ essent. Constitutiones et epistolæ pontificiæ servantur in archivo Ecclesiæ Romanæ. Hieron adv Rufinum lib II : « Si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ chartario non requiris? » Anastas in Cœlestino : « Hic fecit constitutum de omni Ecclesia, quod hodie archivo Ecclesiæ tenetur reconditum. » Idem in Leone : « Iterum multas epistolas fidei misit beatissimus Leo archiepiscopus, quæ hodie reconditæ in archivo tenentur. » Gelasii libri adversus Eutychem et Nestorium in archivo Ecclesiæ custodiæ causa repositi. Anastas in ejus Vita : « Hic fecit et libros adversus Eutychem et Nestorium, qui hodie in bibliotheca et Ecclesiæ archivo reconditi tenentur. » Chirographum, id est sententiam anathematis dictam contra Dioscorum schismaticum in archivo Ecclesiæ reposuit Bonifacius II, de quo Anastas in ejus Vita : « Quem chirographum archivo Ecclesia reclusit, quasi damnans Dioscorum. » Synodus Romana habita per Martinum in archivo Ecclesiæ posita. Anastas in Martino : « Quæ synodus hodie archivo Ecclesiæ continetur. » Idem in Joanne V : « Quorum chirographus archivo Ecclesiæ detentus est. »

Linea 4. — *Hic constituit ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Siricii decretum est, ne quis presbyter missam celebraret priusquam ab episcopo suscepisset fermentum, id est panem fermentatum benedictum; et hoc est fermentum quod ex instituto Melchiadis mitti solebat ab episcopo per Ecclesias in symbolum communionis Ecclesiæ. Ejusdem ritus insigne vestigium exstat apud Innocentium I, epist. ad Decentium : « De fermento vero quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ vestræ intra civitatem sint constitutæ, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam, vobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a vestra communione maxime illa die non judicent separatos, quod per parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, sed presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam. » Olim in Orientali Ecclesia eucharistia in festo Paschæ transmittebatur per alias Ecclesias, quod vetuit synod Laodicen can 14.

Linea 9. — *Hic constituit ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius.* Statutum Siricii ne Manichæi conversi recipiantur ad sacram communionem, nisi in vitæ exitu, et in monasteria pœnitentiæ causa detrudantur. Familiaris clericorum fuit pœna, detrusio in monasterium pœnitentiæ causa, can *Si episcopus*, 50 dist, can ult, 55 dist can *Si quis clericus*, can *Dictum*, 81 dist can *Clerici*, 23 qu. 8. Eadem pœna usus est Innocent I in Cataphrygas. Anastas in Innocent « Et multos Cataphrygas in Urbe invenit quos exsilio et monasteriis relegavit. »

BENCINI.

Linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, vel contra omnes hæreses.* Verba hæc, et eorumdem expressio firmant factas animadversiones de modo explicandi pontificias constitutiones, quarum argumenta etsi minime individuentur, nihilominus denotare editas constitutiones spectantes ad Ecclesias, vulgatas ut generalia Decreta. Istiusmodi erat hoc constitutum Siricii ad *omnes Ecclesias* spectans, ejusque materia respiciebat omnes hæreses. Qua occasione id editum impræsentiarum expendendum, ut firmior evadat hæc ecclesiastica observatio, et in antecedentibus, et subsequentibus libri pontificalis gestis sæpius laudantibus constituta pontificia, omissa plerumque eorumdem argumentorum memoria explicantur quomodo intelligenda veniant. Constitutum itaque Siricii, quod contra *omnes hæreses per omnem Ecclesiam* vulgatum hic asseritur; censendum illud est, quod pontifex Siricius edidit, Theodosio patrocinante, et Romæ præsente anno 388, pontificatus anno v, cum imperator triumphum ageret de devicto Maximo tyranno. Consuetum enim erat imperatoribus in quinquennalibus, decennalibus, et vicennalibus festa instituere, et sicuti populum largitionibus aut similibus solemnitatibus allicere, et munerare, sic ad imperii felicitatem sacrificia indicere, et religionis puriora obsequia promovere : ita et in triumphis actitabant. Hinc persecutiones in Christianos in diebus istis agitatæ, ut egit Diocletianus ex supra animadversis. Cum religionem Christianam suscepit Constantinus, et cum ipso sequentes imperatores, Christianæ religionis in iisdem diebus accuratiorem culturam, et privilegia promovere assueti erant. Constantinus enim M vicennalia agens, quæ ad diem VIII Kal Augusti inciderant ex Sosomeno, ut Ecclesiam ab Arianorum labe purgaret, concilii Nicæni celebrationem promovit, et in ipsa festivitatis pompa hæc cum episcopis egit. « Cum hæc a concilio ita decreta essent, forte accidit, ut Vicennalia Constantini eodem tempore celebrarentur : est enim hic mos Romanis, ut decimo quoque anno uniuscujusque imperatoris publicam agant festivitatem. Commodum igitur adesse tempus existimans imperator, episcopos, qui synodo interfuerant ad convivium invitavit, donisque convenientibus honoravit. » Sic Constantius in quinto quinquennali ad multiplices de fide disceptationes componendas, Orientales Seleuciæ, Occidentales Arimini cogendos voluit. Quod similiter egit Antiochiæ anno 341, et Sardicæ anno 347. Theodosius vero in singulis suis victoriis nihil antiquius habuit, quam Deo datori, et benefactori per religionis uberiorem proventum offerre istiusmodi largitiones, edicta salubrima edendo, vel ad Ecclesiæ restaurationem, vel ad perdendos idololatras, et hæreticos. Anno enim 380, Alanis devictis, Hunnisque cum Gothis, et Thessalonicæ baptizatis, illico legem edidit adversus hæreticos, qui diversarum sectarum in qualibet Orientis civitate plures Ecclesias obtinentes, catholicis summam invidiam faciebant. Decrevit itaque ut solus episcopus, qui Damasi communionem, et fidem amplecteretur, in civitate qualibet resideret, et a reliquis Ecclesiæ auferrentur. « Cunctos, ait in lege imperator, populos quos clementiæ nostræ regit temperamentum in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio usque nunc ab ipso instituta declarat. . . Hanc legem sequentes, Christianorum catholicorum nomen jubemus amplecti : reliqui vero dementes hæretici nominis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum, Ecclesiarum nomen accipere : divina primum vindicta, post etiam motus nostri, quam ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. » Ad legem editam subsecutam catholicorum episcoporum restitutionem et Ecclesiarum, hæreticorumque expulsionem describit Philostorgius tunc Constantinopoli degens anno ætatis vigesimo, dum scribit. « Quod Theodosius imperator prope Sirmium cum barbaris congressus (eo quippe statim ut imperium cepit necessitate id exigente profectus est) belloque victor, inde Constantinopolim magnifice concessit : iisque qui ὁμοούσιον profitebantur Ecclesiarum curam demandavit; Arianos vero, et Eunomianos urbe expulit : e quibus erat et Demophilus, » etc., et reliqui recensentur primipili hæresum tunc

Digitized by Google

inundantium, qui e sedibus suis expulsi et a- A momenta ab hæreticis in collectione Constantinopolitana penitus convellenda. Potuit Theodosium impellere etiam Maximi tyranni obtestatio, Siricio rescribentis, ad ejusdem postulata, se in animo concepisse exstirpare hæreses, modumque imponere dissensionibus. Exstat epistola, in qua hæc Maximus Siricio denuntiat. « Accepimus litteras sanctitatis tuæ, quæ nobis fuere gratissimæ, quæque plane et nomini sacerdotis, et dignitati Urbis splendidissimæ convenirent. Fidei vero catholicæ, de qua Clementiam nostram consulere voluisti, quo majus circa me, et speciale divinitatis experior, hoc me confiteor curam habere majorem; quo videlicet ad imperium ab ipso statim salutari fonte conscenderim, et cui in omnibus semper conatibus, atque successibus Deus fautor asseruit, cujusque hodie, et ut spero, perpetuo protector, et custos esse dignetur..... Cæterum id nobis animi, et voluntatis esse profitemur, ut fides catholica, procul omni dissensione submota, et concordantibus universis sacerdotibus, et unanimiter Deo ser- B vientibus, illæsa, et inviolabilis perseveret. » Etenim si anno anteriore Siricius cum Maximo hæresum exstirpationem promovit, promiseratque tyrannus; cum Theodosio pio, et victore Romam agente anno sequente, et promovisse, *et constitutum adversus omnes hæreses* promulgasse certum erit; eoque magis quod ab anno 380 ad 392 tot leges ediderit, et editas exsequi elaboraverit ad omnes hæreticorum conatus infringendos, quod revera egit, et florentissime fides refloruit: impetravitque eodem tempore Siricius a Theodosio, ut idolorum fana Romæ destruerentur ex Prospero in Chronico, et S. Augustino.

Linea 3.— *Dispersit per universum mundum.* Theodosio patrocinante, potuit Siricius constitutum provinciis omnibus intimare, sicuti Damasus adhuc hæreticæ pravitatis ducibus, et protectoribus viventibus, suum tomum in Orientem direxit, directumque ab episcopis subscriptum est. In ea autem circumstan- C tia erant assueti Romani pontifices *pro potentiori* principalitate, et cura omnium Ecclesiarum encyclicas dirigere, quibus quid esset credendum, quidve refugiendum declarabant. Quomodo ex Lirinensi Stephanus per ea verba in controversia rebaptizationis episcopis rescripsit, *nihil novandum, sed quod traditum est retinendum.* In eadem sollicitudine perseverantes successores, ut suis locis dicemus, fidei formularium, quod *regulam* vocabat ea Ætas, aut *Tomum*, per provincias episcopis dirigebant, cum eo onere, ut unus qui receperat, proximiori intimaret. Quod servatum esse præter alia in concilio Hispani, eo, quod quidam Toletanum I numerant, constat ex his verbis inter Acta: « Incipit Regula fidei catholicæ contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianistas quam episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, et Betici fecerunt, et cum præcepto papæ urbis Romæ Leonis ad Baleonium episcopum Galiciæ transmiserunt. » Reliquas fidei D regulas a pontificibus transmissas vide in seq. notis.

Ibid. *Ut in omnis Ecclesiæ archivo teneantur ad impugnationem contra omnes hæreses.* Ex hac ecclesiastica diligentia olim religiose custodita, ut epistolæ encyclicæ in archivis Ecclesiarum reservarentur, puto factum, ut collector harum Vitarum omiserit recensere Constitutionum argumenta, cum hæc in codicibus encyclicis reservarentur. Ita vicissim episcoporum subscriptiones editæ constitutioni additæ dirigebantur ad sedem apostolicam, quæ in archivis reponebantur. Quod in fine fragmenti Holsteniani de tomo Damasi subscripto ab Orientalibus ibi notatur. De custodia vero constitutionum apostolicarum, forsitan in codice aliquo collectarum, et intimatione, uti de re usitata, scribit Zosimus Hesychio Salonitano episcopo: « Unde miramur, ad diligentiam tuam statuta apostolicæ sedis non fuisse perlata. » Et Innocentius I exigit ab episcopis, ut probent hæc non fuisse intimata, scribens Luxuperio

ibi vagantes describuntur: ex quo magis roborata manet prior animadversio in Damaso facta de edito fidei constituto ab eodem pontifice, occasione alterius edictus a Gratiano emanati. Et cum Ecclesiarum Orientalium episcopi adessent Damasi fidem, et communionem sequentes, Theodosius alia lege emissa post annum 380 decrevit, ut in posterum nullus in Orientalibus provinciis episcopus haberetur, nisi qui communicaret cum episcopis illis, fidem et communionem Damasi profitentibus. Cum enim l. 3 ejusdem tit cod Theod enumerasset episcopos catholicæ communionis, proprio nomine addit: « Omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fide communionis dissentiunt, ut manifestos hæreticos ab ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum pontificium facultatemque permitti. » Etsi vero per synodum Constantinopolitanam œcumenicam anno 381 celebratam videretur provisum Ecclesiis Orientis; nihilominus vociferantibus illis, et novam audientiam exspectantibus ex indulgentia permisit conventum; advenerantque Constantinopoli anno 383 hæresum duces, et inter hos Eunomius, qui perfidiæ suæ prolixiorem expositionem edidit, quam refert Valesius in notis ad Socratem pag 61, et Baluzius in nova concil collectione. Collectio habita est eo anno, mense Junii, et de ea idem Socrates l. v, c. 10, Sozom lib vii, c. 12, et eum vidisset eorumdem perfidiam contumacissimæ mentis propositum, alteram legem edidit, in qua sic eos coercendos decrevit. « Omnes omnino quoscunque diversarum sectarum error exagitat, id est, Eunomiani, Ariani, Macedoniani, Pneumatomachi, Manichæi, Encratitæ, Apotactitæ, Saccophori, Hydroparassatæ nullis circulis coeant, nec ad imagines ecclesiarum parietes privatos ostendant; nihil vel publice, vel privatim, quod catholicæ sanctioni officere possit, exerceant. » Repetiturque anno 384 nova alia lege, sic ut ab eo tempore cum idololatria repressi jacerent conatus hæreticorum, qui ab anno 319 usque ad 383 Ecclesiæ sinum dilaniaverant. Ad has itaque varias fidei formulas, quas in Constantinopolitana collectione obtinerant hæretici, necessarium erat, ut puriori et catholica occurreret Ecclesia, et singulis opponeret opportuniora remedia, ad radicitus convellendam perfidiam. Obstabat interim Justina imperatrix contumacissime adhærens Arianis, et ex odio in catholicos concepto reliquis sectis. Verum hæc damnata anno 388 quo etiam anno, prospero eventu imperator, de Maximo tyranno faustam victoriam reportavit, Romamque extemplo ingressus est triumphum de diversis hostibus acturus. Ibi Siricium ad tractatum, fideique formulam adversus cunctas hæreses emittendam impulisse credibile est. Hanc laudari a libro Pontificali, et tunc editam, etsi forte perierit, aut lateat, rerum enarratarum series evincit. A devicto Maximo Romam adiisse refert auctor Miscellæ, qui post bellum cum Maximo addit: « Tunc igitur: D imperator Valentinianus, et Theodosius peracta victoria Romam venere. » De Romano adventu, actisque in Urbe a Theodosio plura habet Pacatus in Panegyrico Romæ dicto occasione triumphi. Ab eo momento omnem operam locasse ad fidei catholicæ restitutionem testatur Rufinus tunc vivens, qui Maximi in Gratianum machinationes referens deinde addit. « Affuit Theodosius propter regni fidem bonitatisque, ac beneficiorum Gratiani memor: et in vindictam totius viribus Orientis insurgens ultus est sanguinem justum. Valentiniani quoque impia inter hæc mater defuncta, fidem catholicam, quam ipsa violaverat, et regnum, tyrannide depulsa, restituit. Atque ipse, postquam Romam illustri triumpho invectus est, ad propria rursus regna remeavit. » Congruentissimum aptissimumque tempus aderat, ut Siricius, Theodosii zelum promovens, constitutum ederet adversus omnes hæreses, ad fidei formulas, ac

Digitized by Google

Tolosano : « Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticæ vitæ pariter, et disciplinæ, quæ ab episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse. » Probationem, inquam, exigit Innocentius, cum diligentissima esset sedis apostolicæ hæc sollicitudo, quod testatum reliquit idem Innocentius Rufo Thessalonicensi sic commonitum faciens : « Nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam, satis ut decebat, manifestavimus. » Cum vero id denuntiatum habebant cura metropolitanorum episcopi, tenebatur metropolita de subsecuto episcoporum obsequio pontificem commonere, quod declarat Innocentii successor Bonifacius eidem Rufo scribens : « In notitiam singulorum, ad quos ante jam scripsimus, quem deberent tramitem custodire, nostras te epistolas protulisse, dixisti ; quibus debitum se commendare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi. » Ait id *debitum* esse profluens ex *sacra traditione*. Unde liquet quomodo bene hic animadversum, has pontificias constitutiones in archivis Ecclesiarum reservari. Professiones porro istiusmodi, et subscriptiones sive synodicarum, sive encyclicarum epistolarum in archivis reservatæ grande erant veritatis argumentum. Hinc cum Africani episcopi Sirmiensem perfidiam communi calculo damnassent, ac priores perfidiæ duces Ursacium, et Valentem, totius Tragœdiæ Sirmiensis auctores, has subscriptiones eripere ex archivis Africanarum ecclesiarum obnitebatur, Constantius miserrime tunc circumventus a perditissimis episcopis Ursacio, et Valente. Tyrannicum impetum ita Hilarius in libro adversus Constantium sugillat : « Subtraxisti enim voluntati tuæ Orientales episcopos, neque solum voluntati tuæ, sed et violentiæ. Mandas tibi subscriptiones Afrorum, quibus blasphemiam Ursacii, et Valentis condemnaverant, reddi, Renitentibus comminaris, et postremum ad diripiendum mittis. Quid ? existimas Christum nonnisi per litteram judicare, et ad arguendam voluntatem agere chartula Deum ? aut quod semel scriptum est, et per te violenter abreptum, id de conscientia posse divinæ potestatis aboleri ? »

Linea 4.— *Hic constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum.* Cum Melchiade, et Zepherino coincidit constitutio. Siricius tamen videtur, quod decretum pro circumstantia temporum extenderit ad universam Ecclesiam. Equidem hanc consuetudinem post Siricium usurpatam docet decretalis laudata Innocentii I supra, ubi pontifex respondet Decentio Eugubino, qui pontificem interrogaverat, an Eucharistia sicuti presbyteris ecclesiarum civitatis dirigebatur, sic et sacerdotibus extra urbem per parochiam constitutis esset mittenda. Unde certo supponit hanc consuetudinem ex Siricii decreto fuisse per Ecclesias vindicatam. Opportuna vero censenda est hæc constitutio in ea circumstantia, in qua Oriens, Occidensque eousque variis hæreticorum turbis fœdatus, et in majori cujuslibet Ecclesiæ collocato catholico episcopo, hæreticis antistitibus expulsis, ut presbyteri reliquarum Ecclesiarum rectores cum episcopo catholico dignoscerentur esse in una fidei, et communionis professione ; voluit Siricius, ut nonnisi de consecrata Eucharistia ab episcopo designato acciperent, veluti ex certa tessera unitatis reliqui sacerdotes dignoscendi. Quod etiam firmare videtur verbum *designati*, seu episcopi catholici, qui eo tempore expulsis aliis variarum sectarum episcopis in eadem civitate degentibus, ex professione Tomi Damasi, aut Siricii, soli erant designati ut sedem obtinerent. Vocem vero *designati* episcopo competere ostendunt alii cod., ubi vox *loci* omittitur : Praxim hanc apud reliquas Ecclesias observatam docet epistola Latini Latinii, quam in suo Hierolexico vulgavit Carolus Macri. Specialem vero hanc missæ tesseram se legisse videtur Siricius, cum in reliquis clerici reliquarum sectarum in ecclesiis catholicorum convenirent, sed non in participatione eucharistiæ. Id adverterat Philostorgius, qui Arianas consuetudines recensens, asserit eos cum catholicorum cœtu in ecclesiis convenire consuetos, nunquam vero in participatione sacrificii. Sic enim ille : « Etsi Ariani sententiis differentibus ab his qui omousios prædicabant; attamen et precibus, et hymnis, e consultationibus, aliisque fere omnibus, præterquam mystico sacrificio cum his communicare. » Eo vero loci agere Siricium de participatione eucharistica deducitur ex altero Siricii decreto in libro Pontificali, quod immediate subditur, ubi apparet pontificem loqui, seu librum Pontificalem de eadem eucharistica participatione, assignando nempe cui danda, et quibus deneganda. « Hic in Manichæos, quos exsilio deportavit hoc constituit, ut non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret corpus Domini vexari. » Hæc agere potuit Theodosii Romæ præsentis adjutorio cujus mora Romæ ad tres annos fuit protracta. Quo tempore edidit legem in cod Theod sub eodem tit exstantem, ubi sic : « Hi qui sævi dogmatis retinent principatum, hoc est, episcopi, presbyteri, diaconi, atque lectores, et qui clericatus velamine Religioni maculam conantur infligere, vel cujuslibet hæresis, aut erroris nomine constituti, ex funestis conciliabulis, sive intra urbem, sive in suburbanis esse videantur, omnimode propellantur. »

Linea 6. — *Quod nominatur fermentum.* Nicetas Nicomediensis archiepiscopus ex hoc loco, et altero Melchiadis obnitebatur probare, in primitiva Ecclesia materiam Eucharistiæ esse panem fermentatum. Anselmus episcopus Havelburgensis Lotharii legatus ad Joannem Comnenum respondit : « Constitutum hoc Romanorum pontificum Melchiadis, et Siricii non de fermentata hostia, sed de Eulogiis potius intelligendum videri, quæ singulos Dominicos dies per Ecclesias distribui jubentur. » Plures Anselmi expositionem sequuntur : sed errant ; cum in adductis locis manifeste panis consecratus vocetur, et Innocentius I, qui Siricii constitutum declaravit, non de cœremoniali eulogiarum distributione intelligendum esse dixit, sed de consecrato pane, dum rationem assignat, cur ab episcopo per parochias presbyteris constitutis Eucharistia non sit mittenda, « quia non longe portanda sunt sacramenta : nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, et presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam. » Neque vox *fermentum* Græcorum errorem juvat, cum non dicatur, panem esse fermentum, sed *consecratum* episcopi *nominari fermentum*. Quia nempe persecutionis tempore, ne dignosceretur Eucharistia, *fermentum* indigitabant, et ideo hic dicitur, *quod nominatur fermentum*, nempe apud fideles, per vocem eam intelligentes Eucharistiam.

BINII ET LABBEI.

Lineæ 6 et 7. — *Hic Manichæos, quos exsilio deportavit*, etc. Hæc adversus Manichæos pontifex constituit, ideo quod a catholicis difficulter discerni possent. Secreta enim duntaxat conventicula habuerunt seque perjuriis, et mendaciis interpositis catholicos esse affirmarunt. De mendaciis hæresi, ac perjurio convicti, pœnitentiam simulate agentes, suamque hæresim exteriore actu detestati interius Manichæi esse perseveraverunt : ne detegerentur, catholicorum ecclesiam frequentantes cum iisdem sacram Eucharistiam participarunt. Jure igitur meritoque deprehensi, exsilio mulctati, vel si pœnitentiam agerent, ad participandam sacram Eucharistiam in fine vitæ duntaxat admissi fuerunt.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ.

Chronologia nostra pontificia portum jam tenet. Ex quo enim fixit certum terminum vitæ S. Damasi die XI Decembris anno 384, non minus cer-

Digitized by Google

tum exordium delegit successoris Siricii ejusdem in epistola Decretali ad Himerium Tarraconensem, quæ ab omnibus recipitur tanquam genuina; consignata vero est III Idus Februarii Arcadio et Bautone consulibus, hoc est æræ Christi communis anno 385. Cum Siricius hac in epistola respondeat litteris, ab Himerio paulo ante datis ad Damasum decessorem, sumatque responsionis exordium a recenti sua successione; manifestum fit, hoc ipsum exordium successionis Siricii post obitum Damasi ad Romanam sedem esse referendum ad aliquam diem interceptam inter mortem Damasi XI Decembris 384, et XI Februarii 385, qua litteræ consignantur. Bibliothecarius et catalogi memorant post obitum Damasi vacasse diebus 31. Electio igitur Siricii ad Romanum pontificatum incidit in diem XII Januarii 385, quæ fuit Dominica, apta tum ordinationi, tum enthroni mo (ἐνθρονισμῷ) episcoporum. Ut autem enthronismo potius quam ordinationi attribuam, suadent vetusta documenta, confirmata tum ex Chronico Prosperi Aquitani æqualis illius ætatis, in quo initium episcopatus Siricii refertur ad eumdem consulatum Ricimeris et Clearchi, quo Damasus vita functus est; tum ex Chronico Marcellini comitis, in quo consignatur consulibus proxime præcedentibus Merobaude II et Saturnino, qui pertinent ad annum 383. Conciliantur autem hæc duo asserta, si supponamus, Siricium ex presbytero quidem ordinatum Episcopum anno 383, consulibus Merobaude iterum et Saturnino, ipsius episcopatui assignatis a Marcellino; nec non dicamus anno proximo 384, Damasi emortuali Ricimere et Clearcho consulibus vicarium Damasi Siricium supplevisse officia pontificalia, et fortasse ordinationem quoque habuisse mense Decembri, quo Damasus mortalitatem explebat, ut immortalitate frueretur. Esse autem ita referendam epocham episcopatus Siricii ad annum solidum ante mortem Damasi (sive illius ætatis incommodis relevandis, sive ad aliquam ecclesiam proximam Urbi urgendam fuerit ordinatus, unde ad Romanam vocatus sit, non secus, ac aliique hoc sæculo ex una ad aliam sedem, Ecclesiæ utilitate ita poscente, migrasse leguntur) evincit comparatio certi termini duorum pontificum proxime consequentium, nempe S. Anastasii, et S. Innocentii, in quo desinunt picturæ superstites ex Leonianis in basilica S. Pauli. Ad eam comparationem ita proceditur.

I. S. Innocentii terminus redditur certus ex indubitato exordio sedis Zosimi successoris statuendo paulo ante festa Paschalia anni 417, Honorio Augusto XI et Constantio II consulibus: quæ festa celebrata sunt die XXV Martii; die vero XII mensis ejusdem depositio Innocentii occurrit in vetustissimis martyrologiis; et ab obitu ipsius sedem vacasse diebus XXI Bibliothecarius et catalogi affirmant.

II. Litteræ Paschasini ad Leonem Magnum de re Paschali datæ, editæ vero apud Bucherium cum canone Victorii pag. 75 hoc testantur: « Tempore piæ recordationis domini mei, prædecessoris apostolatus vestri Zosimi anno consulatus Honorii Augusti XI et Constantii bis, cum declinatur, ne X Kalendas Maii die Pascha teneretur, celebratum esse VIII die Kalendas Aprilis. » Is annus æræ Christi communis 417, cujus anni Pascha in eadem epistola semel et iterum affirmatur celebratum esse sub Zosimo. Si Zosimi electio et ordinatio statuatur die Dominica XI Martii ejusdem anni; isque pontifex auspicatus fuerit a pietatis officiis erga decessorem, curando ejusdem exsequias die proxime consequenti, quæ fuit XII Martii, donec in cœmeterium transferretur ad Ursum Pileatum V Kalendas Augusti (ex Bibliothecario in fine num. 58); epochæ omnes ab Anastasio asserte, et a catalogis, et a picturis a S. Siricio ad S. Innocentium adamussim conveniunt; et ostendunt, ordinationem Siricii ad episcopale munus referendam esse cum Chronico Marcellini ad diem Dominicam XXIV Septembris anni 383, Merobaude et Saturnino coss.; ejusdem vero evectionem ad Romanum pontificatum post mortem Damasi diebus 31 pariandam esse cum die Dominica XII Januarii anni 385. Ex die vero ordinationis episcopalis Siricii constituta ad XXIV Septembris anni 383, si numerentur episcopatus anni quindecim, menses undecim, dies viginti quinque expressi tum in picturis S. Pauli, tum in omnibus fere catalogis potioribus (in Prolegom.); completur vita et pontificatus Siricii anno 399, Theodoro et Eutropio coss. die XIX Septembris. Vacasse dicitur sedes ab ejus obitu dies viginti (Biblioth. in fine num. hujus 55). Electio igitur et ordinatio Anastasii successoris incidit in diem Dominicam IX Octobris ejusdem anni 399.

Pontificalis epocha Anastasii, ut in sequenti num. ostendam, definitur annis duobus et diebus viginti quinque seu viginti sex. Obierit itaque S. Anastasius circa diem III Novemb. anni 401. Post ejus obitum Bibliothecarius enumerat vacationis Apostolicæ sedis dies viginti. Quare electio et ordinatio S. Innocentii successoris refertur ad diem Dominicam XXIV Novembris ejusdem anni.

Numeri denique annorum quindecim, mensium undecim, et dierum viginti omnium evidentissimi in postrema illa imagine S. Innocentii, quæ claudit seriem ex Leonianis superstitem in basilica S. Pauli, comprobantur consensu catalogorum et codicum fere omnium, aut certe præcipuorum (in Proleg.), et ostendunt statuendum esse finem ejusdem pontificatus ac mortalis vitæ anno 417, Honorio Augusto XI, et Constantio II coss., die XIV Februarii: a qua numerandi cum sint juxta Bibliothecarium dies viginti duo vacationis sedis usque ad electionem Zosimi successoris; pervenitur ad diem IX Martii, tribuendam electioni Zosimi, quem biduo post ordinatum, nempe die Dominica Passionis XI Martii, die 25 ejusdem mensis jam pontificem Pascha celebrasse affirmat Paschasinus æqualis ejusdem temporis in epistola ad S. Leonem Magnum. Postera vero die ipsius ordinationis, nempe XII Martii exorsus Zosimus a pietatis officiis erga decessorem curaverit illam priorem Innocentii depositionem, quam invenimus consignatam eadem die XII Martii vetusto in martyrologio Florentini, aliisque supra indicatis. En summam temporis et ordinem epocharum oculis compendiosius subjectum.

	ANNI.	MENSES.	DIES.		ANNO.	MENSE.	DIE.	LITT. DOMINICALIS.
Ex ordinatione Siricii statuenda numer.	15	11	25	(Ex Pict. Catalogis et Biblioth.)	383	Sept.	24	Dominica A.
			20	Vacat sedes ex Biblioth.	399	Sept.	10	Obitus Siricii.
Electio Anastasii. .	2	0	26	(Ex Pict. et Cat. et scriptoribus.)	399	Oct.	9	Ordin. Anast. die Dominica B.
			21	Vacat sedes ex Biblioth.	401	Nov.	3	Obitus Anastasii.
Electio Innocentii et ordinatio.	15	2	20	(Ex Pict. Biblioth. et Catalogis.)	401	Nov.	24	Ordin. Innoc. die Dominica 24.
			22	Vacat sedes ex Biblioth.	417	Febr.	15	Obitus Innocentii.
Electio Zosimi et ordinatio.					417	Mart.	9	Electio
					417	Mart.	11	Dominica G. ordinatio Zosimi.
Summa. . . .	33	5	14					

Digitized by Google

Hæc summa annorum triginta trium, mensium quinque et dierum quatuordecim, quæ colligitur ex epochis trium istorum pontificum ita signatis in picturis et catalogis et ex vacationibus sedis recensitis Bibliothecarium solo biduo distat ab exacta numeratione temporis ex die ordinationis episcopalis Siricii XXIV Septembris 383, ad diem electionis Zosimi IX Martii 417. Quod biduum addendum est vacationi sedis post obitum Innocentii, ut summa proveniat omnino exacta, et fortasse detritum fuit ætatis vitio in membranis codicum. Quare ex omnibus confirmatur distributio temporis, et epocharum assignatio ita ordinata.

Hujus vero intervalli terminum incidere in annum æræ Christi communis 417, signatum consulatu Honorii XI docent litteræ Paschasini, quæ Paschalis diem, uti diximus, referunt celebratam VIII Kalendas Aprilis : cui dies Dominica et utriusque Luminaris positio suffragantur.

Est alius etiam cæteris character anno proximo, Christi scilicet 418, publice spectatus, et ab historicis memoratus, qui rectam hujus chronologiæ rationem confirmat. Sequitur enim in fastis post consulatum XI Honorii collega Constantio II, quibus signatur annus 417, ejusdem Honorii Augusti Consulatus XII, gestus cum Theodosio Juniore Augusto VIII, indictione I, anno 418. Huic indictioni et consulatui assignat Marcellinus in Chronico defectum solis, et cum Marcellino chronicum Siculum vulgo dictum, indicante diem Idacio nempe XIV Kalendas Augusti : ad quam diem et annum per tabulas astronomicas ostenditur a Petavio Romæ spectabilis digitorum 11 et semis, post meridiem minutis 26; et a Calvisio Rhemis conspiciendus digitorum 12, hora 1, et minutis 20 ante meridiem. Cum igitur initium Zosimi collocet Marcellinus sub consulatu Honorii XI et Constantii II, indictione XV, manifestum est pariari per ipsum cum anno æræ Christianæ 417, ad quem Paschasini quoque testimonio refertur paulo ante Pascha, eodem anno celebratum XXV Martii. Utrumque igitur extremum summæ annorum supra collectæ, atque in tres pontifices dividendæ juxta numeros annorum, mensium ac dierum singulis attributos in picturis Leonianis, et in catalogis, cum demonstretur evidens ex characteribus certis per historicos et chronologos memoratis; recte etiam distributa dicenda est juxta partitionem paribus testimoniis comprobatam summa temporis intra eadem extrema intercepti.

Nunc quoniam de summa constat, quærendum est de partibus, ut demonstretur, singulis pontificibus ex illo ternario esse propriam jure attributam. Præstat ab Innocentii termino, tot documentis demonstrato, recedere in anteriora tempora, et singulas epochas, ex numeris superstitibus in serie Leoniana jam definitas, cumulatis probationibus confirmare.

Ut finis regiminis S. Innocentii constabilitus est ex initio Paschalis Zosimi successoris, et annus æræ Christi et consulatus indubitatus redditur ex motibus Luminarium in solis eclipsi spectatis; ita exordium sedis Innocentianæ observatione non dissimili solidatur. Adnotavit Petavius de Doctr. temp. lib. II, cap. 50, ex Idacii Fastis et Chronico aliam Solis Eclipsim Arcadio V et Honorio V, coss. consignatam die III Idus Novembris feria II (emendat recte scribendo III) quam tabulæ astronomicæ eadem die produnt Romæ hora 3 ante meridiem digitorum 10 et semis : eamque pertinere demonstrant ad annum æræ Christi 402. Idem Chronicon Idacii quo anno retulit cum eclipsi consules V Augustos fratres Arcadium et Honorium, refert exordium Innocentii : cujus quoque pontificatus epocham sub iisdem consulibus collocant Prosper et Marcellinus, tum quia primum Pascha sui pontificatus iisdem coss. celebravit; tum quia Marcellinus per indictiones procedens quæ a Septembri mense incipiunt numerari, attribuit coss. gesta ejus anni quo magistratum A ineunt, et menses Autumni præcedentes cum illis consociant. Cæterum dicendus est Innocentius in cathedra Petri sedisse diebus circiter quadraginta antequam consulatum quintum gerere inciperent duo Augusti fratres. Arcadius et Honorius, nempe Christi anno 401, die XXIV Novembris : ut integra sit ejusdem pontificalis epochæ summa annorum XV, mensium II, ac dierum XXI, comprobata tum ex picturis S. Pauli, tum aliis ex documentis; quæ jam produximus tomo II in Prolegom. fol. 107.

Perstricta igitur utraque meta consulatuum, ad quos referebatur pontificatus Innocentii I, tentanda sunt etiam vestigia certa, quæ ad initium decessoris deducunt, nempe Anastasii.

Hujus vero exordii characterem, una cum termino Siricii papæ ante ipsum proxime defuncti, nobis præservat concilium Toletanum primum, notatum æra Hispanica 438. Pagius ad annum 400, num 4, excusat Idacium, quod idem referat ad annum Abrahami juxta suam putationem 2716, seu æræ Christi B 399, quasi peccantem contra fidem Aetorum, nisi annos suos inconstanter deducat modo ex Kalendis Septembris, modo ex Octobris initio. Pace tanti viri affirmaverim, annum ab Idacio ejus temporis æquali recte signatum de more indictionum deduci ex Kal. Septembris, et pariari cum æræ Christianæ communis anno 399; cum hunc ipsum indicet æra Hispanica 438, deducta ex anno Periodi Julianæ 4675, Urbis conditæ juxta nostras tabulas 715, ex Paschalibus ejus anni, uti demonstravimus tomo II in Prolegomenis, et nostra in chronologia, retrahente consulatum duorum geminorum ac superiores cæteros per annum solidum ex certis demonstrationibus temporum, per eclipses, aliaque documenta firmatis. Acta Patrum mense Septembri post habitum ipsis Kalendis concilium, quæ consequuntur III Nonas, et VIII, ac III Idus ejusdem mensis æra Hispanica 438, dico esse ad hunc ipsum annum vulgaris æræ 399 referenda. C Neque enim id est contra fidem Actorum; imo rebus gestis ita convenit adamussim, ut Siricii papæ obitus, et apostolicæ sedis vacatio post eos dies proxime consecuta cognoscatur post easdem Idus Septembris, et expressa intelligatur in litteris concilii datis ante notionem Toleti redditam electi successoris intra mensem Octobris. Siquidem iisdem Actis subjectum exemplar definitivæ sententiæ, quam Patres tulerunt paulo post, rebus mature perpensis, et post præstitam reis patientiam ad resipiscendum, exprimit Siricium jam vita functum fuisse, cum eumdem nominet *sanctæ memoriæ Siricium papam*; et ostendit notitiam successoris nondum fuisse ad concilium perlatam. Nam conditiones dum præscribit recipiendis ad communionem pœnitentibus, recenset inter cæteras, ut exspectentur rescripta Romani pontificis, nec non responsa Mediolanensis episcopi Simpliciani successoris Ambrosii tum in episcopatu, tum in delegatione Summi pontificis ad eam causam cognoscendam. Et Simplicianum quidem exprimit nominatim; D Romanum vero pontificem, utpote nondum electum quando illa sententia scribebatur (aut certe Toletanis Patribus nondum de electione post obitum Siricii certioribus redditis) nominare cum nequeant uno et altero loco, eadem generica formula semper indicant Patres, « papa qui nunc est. » Verba sententiæ sunt : « Exspectantes pari exemplo quid papa qui nunc est, quid S. Simplicianus Mediolanensis episcopus, reliquique Ecclesiarum rescribant sacerdotes. » Et paulo infra : « Constituimus autem, priusquam illis per papam, vel per sanctum Simplicianum communio redditur, non episcopos, non presbyteros, non diaconos ab illis ordinandos. »

Ex hisce formulis papæ nomen non indicantibus cognoscitur dictatum exemplar sententiæ post Acta superiora mensis Septembris sede apostolica adhuc vacante, sive ante notitiam electionis Anastasii ad Patres perlatam per autumnum anni 399. Latente æra Hispanica 438, recte per Idacium numerata, et

Digitized by Google

respondente nostra in Chronologia demonstratis.

Recte igitur et ista procedunt cum epocha pontificis Anastasii, consignata in picturis basilicæ S. Pauli, et in catalogis, eidem tribuente annos duos, et dies 26 supputandos ex die 9 Octobris anni 399, ad diem 3 Nov. 401. Quod attinet vero ad alteram depositionem ad Ursum Pileatum, illa cura curata fuit pro temporis opportunitate, et constructionis in cœmeterio ad Maium sequentem, uti memorat Bibliothecarius.

Trium itaque pontificum istorum anni, menses, dies, Paulinis in picturis expressi, erunt conformes documentis chronologiæ, ex eclipsibus et consulatibus deductæ, nec non ex actis publicis conciliorum, ita si disponantur.

ÆRÆ CHRISTI.

Anno	*Mense*	*Die*	
383.	Sept.	21.	Dominica A. Ordinatio Siricii ad episcopatum, non tamen ad Romanum.
384.	Dec.	11.	Obitus S. Damasi. Vacat sedes usque ad diem 31 Decembris.
385.	*Kal. Januar.*		Successio Siricii in sede Romana.
399.	Sept.	19.	Obitus Siricii ab ejus ordinatione Episcopali annis xv, mensibus xi, diebus xxv. Vacat sedes dies xx.
399.	Octob.	9.	Dominica B. Ordinatio et successio Anastasii papæ.
401.	Nov.	3.	Obitus Anastasii post sedem annorum ii, et dierum xxvi. Vacat sedes dies 20.
401.	Nov.	24.	Dominica F. Ordinatio et successio Innocentii.
417.	Febr.	14.	Obitus Innocentii post sedem annorum xv, mens. ii, dierum xx. Vacat sedes dies 22.
417.	Mart.	9.	Electio Zosimi, ejusque ordinatio die Dominica 11 Martii G. lit. Dom.
418.	Dec.	6.	Obitus Zosimi postquam sedisset annum unum, menses viii, dies xxv. Depositio ejusdem vii. Kal. Januarii.

Notæ historicæ.

Linea 1. — *Sanctus Siricius.* S. Optatus Milevitanus seriem continuatam pontificum Romanorum a beato Petro apostolo ad Siricium attexit lib. ii his verbis : « Ergo cathedra unica, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus : Lino successit Clemens, etc. Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius. »

Lin. ead. — *Sedit annos* 15, *mens.* 11, *dies* 25. Ita distincte legitur in picturis basilicæ S. Pauli, ubi litteræ sunt integerrimæ, et evidentes in hoc pontifice : consentientibus etiam catalogis Italiæ vetustissimis quatuor aliisque productis inter Prolegomena tomi II, fol. 106. In picturis basilicæ S. Petri disjectis sub Paulo V, Grimaldus notarius deperditos ferme colores cum offenderet (quod ex ejusdem verbis apparet relatis fol. 72 et 74), licet epochas tantum sex pontificum *exempli causa* reddere conaretur, ita absumpta reperit litterarum vestigia ut punctis tantummodo indicaverit cæterorum lacunas, et solius Sirici annos, menses, ac dies reddiderit. Quare mirandum non est, si ejus in mensibus 11, viderit tantummodo medietatem superiorem denarii in littera 10, et pro illa obtruserit quinarium 5 et in expressione dierum quinarii litteram 5 omnino deperditam post 20 reticuerit. Scripsit enim *Siricius sedit ann.* 15, *mens.* 5, *dies* 20, cum ex integra epigraphe in Paulina basilica præservata perspicue legatur : SIRICIUS SED. ANN. XV. M. XI. D. XXV. Hæc vero mirifice confirmant errorem innocentem illorum hospitum, qui raptim transcripserunt in suos catalogos pontificales vitiata exempla numerorum, etiamsi consulerent autographas basilicarum Romanarum picturas, ubi veri depicti fuerant antiquitus numeri, sed longo sæculorum senio ferme oblitterati, aut ex pavimento adspicientibus obscurati pulvere, et lucis vividioris defectu, uti suo loco jam ostendi.

Linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, vel contra omnes hæreses.* Antiquissima Decretalium epistolarum Romanæ sedis pontificum, quæ hodie supersit, et citra controversiam genuina a criticis habeatur, est illa Siricii papæ, quam scripsit ad Himerum Tarraconensem. De illa consule utrumque Pagium, et illustrissimum Somier archiepiscopum Cæsariensem in notis ad hunc pontificem. Summa capita ejusdem indicabo, et istorum in Notis partes, quæ prædicta epistolæ Siricii capita singillatim illustrant.

Respondens itaque Siricius consultationibus ad decessorem suum Damasum ex Hispania transmissis, ut leges disciplinæ Ecclesiæ servandas traderet, utitur quidem jam constitutis per eumdem Damasum, aliosque decessores suos, sed ubi opus sit veteribus illis suarum præsidia adjungit ab omnibus Ecclesiis observanda. Ita vero fit, ut hæc una Siricii Epistola præservet nobis tum memoriam tum partem non modicam aliarum a superioribus pontificibus editarum, quæ vitio ætatis interciderunt.

Ostendit autem et a Liberio similia emanasse Decreta generalia, a quibus recedere fas nulli sit, qui nolit a Christi corpore episcopali sententia separari : et ante Liberium docet ab ejus decessoribus et suis pro temporis opportunitate, ac necessitate fidei aut disciplinæ tuendæ decreta similia fuisse condita et in provincias transmissa tanquam leges pontificias ab omnibus observandas. Vide in Notis Somier exordium Decretalis Siricii, ubi docet ad hæreditatem Romanæ cathedræ pertinere, ut auctoritas condendæ regulæ, cui sacerdotes omnes obtemperent, a Petro apostolo sibi in ea succedentibus tradita una cum cura totius gregis, integra perseveret.

Qua vero diligentia providerit Siricius singulis partibus orbis Christiani sive Ecclesiæ in Orientem et Occidentem diffusæ dum curas apostolicas utrobique exercet providentissimus pastor, luculenter percipitur ex Notis tum Pagii, tum Somier. Quæ in Hispaniam contulerit circa disciplinam, vide apud Pagium num. 11 apud Somier, ex pag. 2 ad 5. Quæ proviserit in Africa fidei causa et disciplinæ, Pagius num. 3, 4 et 5; Somier a pag. 3 ad 7 prosequitur. Quæ Mediolanensi sedi subjectis dederit ad exstinguendam hæresim Joviniani; quæ in Illyrico perfici mandaverit, tum in Bonosi erroribus iterum configendis, tum in vicariatu apostolico ibidem constituendo, petantur ex Pagio, numeris 6, 7, 8; a Somier vero, lib. iv, cap. 3, pag. 15. Quæ insuper statuerit pro Antiocheni throni provinciis, et oriente universo liberando a Flaviani schismate, et invasione, contracta eleganter reperis apud Pagium num. 12; apud Somier, cap. 2, fusius vero pertractata apud Baronium in Annalibus, et Florentinium in Martyrologio Vetust. ad diem 26 Novembris, fol 1001, ubi hujus pontificis sanctitatem etiam a beato Hieronymo commendatam fuisse probat laudatus Florentinius, et utrumque sanctum virum mutuæ existimationis testimonia sibi vicissim dedisse, quod nonnulli scriptores non assequebantur. Quod attinet ad codices antiquitate præstantes ubi leguntur epistolæ decretales Siricii, in Monasterio tituli S. Crucis ad Hierusalem in urbe, cod. 800. Denique ea quæ Romæ peregit Siricius sive ad eradicandas ethnicæ superstitionis reliquias, sive ad asserendam sedis apostolicæ dignitatem, vide apud Somier cap. 3, a pag. 18 ad 21.

Linea 5. — Exhibetur exemplum ex præstantioribus. *Denique consecratum episcopi*, etc., *quod no-*

Digitized by Google

minatur fermentum. Fermenti nomine tum hic, tum in epistola Innocentii primi ad Decentium intelligi sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, manifestum est. Eadem de acceptione memorata epistola Innocentii, vide Mabillon Musæi Italici tomo II, pag. 1, ad ordinem Romanum : ubi ejus libri *Ordinis Romani* antiquitatem probat ex hac ipsa significatione *Fermenti*. Quantæ vero antiquitatis fuerit hæc appellatio, colligi potest ex iis, quæ tomo præcedenti contulimus, in Melchiade, secuti Schelestratium *de disciplina arcani*. Præ omnibus tamen aperuit nitide veram acceptionem eucharistici sacramenti hoc in nomine Fermenti Ven. Card. Thomasius in Not. ad Antiquum, lib. Missarum in cap. Evang., num. 160. Et alia acceptio vocis *fermenti*, qua indicantur *eulogiæ*, seu panes non consecrati, licet benedictione donati a sacerdotibus. De his videndus Macer in Lexico, et auctores per ipsum indicati.

Linea 9. — *Constituit ut si quis conversus de Manichæis*, etc. De Manichæorum subdolis artibus in simulanda catholica religione, et de vigilantia Siricii in eorumdem fallaciis detegendis et reprobandis agit Somier, pag. 7, tomi II. Affectaverant illi jam pridem hanc falsam similitudinem in jejuniis sub Melchiade : a quo pariter providendum fuit, ut a catholicis distingui possent. (Vide notas nostras in Melchiadem.)

Linea. 10. — *Nisi tantum relegatione monasterii*. Schelestratius opportune hic observat monasticæ professionis incrementa in Occidente spectata sub pontificatu Siricii. In Oriente vero cum multo ante fundari et frequentari cœpissent monasteria, non destiterunt hac ipsa ætate Siricii strenuam operam navare in provinciis, ubi fluctuabat plurimorum fides, ab hæreticorum fraudibus eximenda. Solus Maronitarum monachorum cœtus per hanc ætatem a B. Marone abbate collectus in Syriæ colle ab ethnicorum superstitionibus expiato Apamæam inter et Emesam prope Orontem fluvium tot colonias emisit ascetarum ibi educatorum, qui monasteria complura subinde erigebant per Orientem; ut fides catholica tractu temporis per eas provincias vexata ab asseclis Macedonii, Apollinaris, Nestorii, Eutychetis, et Jacobi, aliisque ab hæreticis, Maronitarum istorum opera incorrupta inter eos servaretur, et perinde foret Catholicum dicere inter Syros, ac Maronitam. Videndus ea de re Pagius pag. 120, num. 46, observ. Hist. ad Vitas pontif. Rom. Jure igitur statuit Siricius, ut Manichæorum ab errore ad Ecclesiam catholicam revocati, cautionem constantiæ in fide catholica perpetuam præstent inclusi intra monasteria, dum pœnitentis vitæ disciplinam ibidem addiscunt, ubi fides catholica universarum virtutum exemplis solidata, specimen edit instructum omnibus præceptis et consiliis Evangelicæ sanctimoniæ.

Linea 16. — *In cœmeterio Priscillæ via Salaria*. Unde asportatas fuisse reliquias ejusdem a Paschali primo, et reconditas in titulo S. Praxedis una cum aliorum SS. pontificum ibi recensitorum lipsanis die 20 Julii, indict. x, Christi scilicet anno 817, docet antiqua tabula marmorea prope sacellum S. Zenonis affixa in eadem ecclesia. Ejusdem epigraphem sepulcralem Baronius retulit.

CIACONII.

Lineæ 6 et 7. — *Manichæos quos exsilio deportarit*, etc. Secreta collegia Manichæos habuisse in Urbe; sed tum Siricii papæ studio, tum principum legibus, exagitatos, ac undique pulsos esse traditur.

Linea 16. — *Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria*. Ita habent Indices omnes. Licet apud Bedam v Kal. Decembris Siricii ponatur obitus.

PAGII.

Linea 2. — *Hic constitutum fecit*. Ipso sui pontificatus initio, tertio Idus Februarii anni trecentesimi octogesimi quinti celebrem illam *ad Himerium Tarraconensem episcopum* epistolam scripsit, qua ejus relationi ad Damasum missæ respondet, quæque quindecim capitibus constat, quibus ecclesiastica disciplina restauratur, et in ea decreta observari vult non tantum in provincia Tarraconensi, sed et in Carthaginensi, Bætica, Lusitana, atque Gallæcia. Hæc prima est Decretalium Romanorum pontificum, quam eruditi passim tanquam veram agnoscunt, primaque quæ in antiquis Ecclesiæ Latinæ Collectionibus legitur.

Constans est et indubitata apud eruditos sententia, sacramentum baptismi primis Ecclesiæ sæculis in solis Paschæ et Pentecostes solemnitatibus administratum fuisse. Cui consuetudini cum Hispani addidissent, non solum diem Natalis Christi et Epiphaniam, sed etiam apostolorum, Martyrumque dies festos, Siricius in dicta ad Himerium epistola, non solum auctoritate sedis apostolicæ fretus, sed omnium etiam ecclesiarum consuetudinem in medium adducens, ea de re commotus, in hæc verba scribit : « Sequitur deinde baptizandorum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis et emendanda confusio, quæ a nostris consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur; ut passim ac libere in Natalitiis Christi, seu Apparitionis, nec non et apostolorum, seu martyrum festivitatibus, innumeræ, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur : cum hoc sibi privilegium et apud nos, et apud omnes ecclesias, Dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat; quibus solis per annum diebus, ad finem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta. » Hæc in dictæ epistolæ secundo decreto, de quo et vide dicenda in Leone. De primo autem decreto, quod est de Arianis non rebaptizandis vide dicta in Liberio.

Anno trecentesimo octogesimo sexto, mense Januario Siricius Romæ synodum octoginta episcoporum celebravit in basilica S. Petri, cujus exstat epistola synodalis ad episcopos Africanos data *Romæ in concilio episcoporum octoginta, sub die* VIII *Idus Januarii, post consulatum Arcadii Augusti, et Bautonis virorum clarissimorum consulum*. Novem capitulis Siricius papa in hac synodo constitutis, ecclesiasticam disciplinam in Africa collapsam restituere conatus est. De Novatianis ac Montensibus primo cautum, ut venientes ad Ecclesiam per manus impositionem conciliarentur. Per Montenses intelligit Donatistas, qui ita dicti sunt, quod Romæ primum ecclesiam suam in monte habuerint. De hoc decreto vide dicta in Liberio. Monuit præterea, ne sacerdotes atque diaconi conjugati, cum ordinati essent, cum uxoribus permanerent. Cujus decreti meminit Innocentius papa in epistola ad Exuperium episcopum Tolosanum. Auctor Criticæ Baronii anno 418, num. 66, ait in concilio Carthaginensi quinto anno 398 celebrato, cum de incontinentia clericorum referretur, placuisse Patribus, episcopos, presbyteros et diaconos ab uxoribus abstinere *secundum priora statuta*, id est juxta definitionem conciliorum antecedentium. Verum cum magna esset clericorum Afrorum incontinentia, duæ Siricii epistolæ, ex quibus altera ad nos non pervenit, in concilio Zellensi anno 418 coacto, relectæ sunt, et juxta earum præscriptum, decreta iterum aliquot disciplinæ capita, quorum summam retulit Ferrandus in Breviatione Canonum Ecclesiæ Romanæ, cap. 60. De canone 9, in quo Siricius hortatur presbyteros ad continentiam, legendi Marca, lib. I de Concordia, cap. 8, et Schelestratius in Dissert. 3 de Ecclesia Africana, cap. 12.

Has duas ad Himerium Tarraconensem, et ad episcopos Africanos epistolas, Papebrochius in conatu Chronico-Historico ad Catalogum veterum pontificum adulterinas suspicatur, sed de earum since-

Digitized by Google

ritate dubitandi locum non esse ostendit Criticæ Baronianæ Auctor tomo primo, qui, et tomo secundo posteriorls epistolæ sinceritatem ex Schelstratio et Natali Alexandro astruit contra Quesnellum, qui in dissertatione 15 ad Opera S. Leonis Magni, tam eam epistolam, quam concilium Zellense, in quo recitata fuit, suppositilia perperam credit.

Linea 3. — *Et dispersit per universum mundum.* Pugnavit certe Siricius contra Manichæos et Priscillianistas in pluribus cum eis sentientes; cumque omnes radicitus, Romæ præsertim, evellere non posset, legem a Theodosio Magno impetravit, ut secularibus pœnis tollerentur, quod etiam conjectatur Baronius anno 389, num. 64. Pugnavit etiam contra Flavianum Antiochenæ sedis minus legitimum occupatorem, et synodo inobedientem, iterato datis ad imperatorem litteris, et Capuana ob id synodo indicta, eodem Baronio ibidem num. 68 teste. Denique Jovinianum Christianorum Epicurum damnavit, sicuti et Bonosum Sardicensem episcopum, ut mox dictum est. Plura suppeditabit Florentinius citatus adversus omnia Siricio objecta.

Postquam Siricius pro fide et pro eradicandis gentilitatis reliquiis, a Theodosio Magno lege impetrata, ut idolorum fana Romæ destruerentur, quod eo sedente factum esse Prosper in Chronico et Augustinus testantur, plurimum desudasset, ad Deum transiit die 26 Novembris.

Linea 4. — *Contra omnes hæreses.* Anno trecentesimo octogesimo secundo Jovinianus monachus e monasterio Mediolanensi, in quo sub catholico nomine, et habitu monastico aliquandiu delituit, egressus, quam solute et impure vixerit, Hieronymus egregie describit lib. 1 contra Jovinianum, cap. 2, addens hunc hæresiarcham sensisse virgines, viduas, et maritatas ejusdem esse meriti; renatos plena fide in baptismo, a diabolo non posse subverti: nullum esse abstinentiæ ciborum meritum: omnium, qui baptismum servaverint, esse unam in regno cœlorum remunerationem. Omnia peccata paria esse dicenat Jovinianus ex S. Augustino lib. de Hæresibus, ex quo et habemus, eum eo impietatis adactum esse, ut negaret sanctissimam Deiparam Mariam in partu Virginem fuisse, sed reliquarum more feminarum corruptam. Cum autem illos errores Romæ spargeret, nonnullas sanctimoniales, quarum de pudicitia suspicio nulla præcesserat, in nuptias dejecit. Pammachius senator, S. Paulæ gener, eum ad Siricium pontificem detulit, ut constat ex epistola 50 S. Hieronymi ad eumdem Pammachium fidei catholicæ ardentissimum propugnatorem data. Quare Jovinianus a Siricio damnatus est et extra Ecclesiam ejectus in synodo Romana, ut constat ex epistola secunda Siricii ad Ecclesiam Mediolanensem data, et transmissa per legatos Crescentem, Leopardum, et Alexandrum, qui ejusdem hæreseos, ac hæreticorum damnationem, in concilio Mediolani celebrando, procurarent. Siricii epistola et legatis honorifice exceptis, S. Ambrosius Mediolani concilium congregavit, in quo secundum Siricii judicium, Jovinianus ejusque sectatores damnati sunt, ut constat ex synodica illius concilii epistola, quæ inter S. Ambrosii epistolas legitur. Sed an Jovinianus in concilio Mediolanensi anno 390 coacto, vel in alio damnatus fuerit, incertum.

Bonosus Sardicensis episcopus Christum purum hominem asserens, duosque in Salvatore filios agnoscens, æternum unum, alterum temporalem: asserens præterea Deiparam Virginem, a partu Christi, alios suscepisse liberos, ab Anysio Thessalonicensi et cæteris Illyrici episcopis, quibus fuerat a synodo Capuana, circa annum 389 celebrata, causæ illius cognitio demandata, damnatus est. Ejus errorem damnavit etiam Siricius pontifex, ut constat ex ejus epistola ad Anysium et cæteros episcopos per Illiricum constitutos. Marius tamen Mercator in Dissertatione ad 12 anathematismos Nestorii, illum hæresiarcham a Damaso prædamnatum scribit; quod ita intelligendum censet Garnerius in Notis ad illam dissertationem, quod damnatus fuerit Bonosus a Damaso, sub nomine tum Marcelli, tum Photini, quorum hæresim renovavit: illi enim in synodo Romana, ex qua professio fidei ad Paulinum Antiochenum missa est, proscripti sunt, de qua synodo Romana anno 378 celebrata in Damaso egimus. Sed licet id verum sit, quia tamen hæresis Photini in tribus conciliis sub Julio, nempe Mediolanensi, Romano, et Sirmiensi, jam ante Damasum damnata fuerat, si ad hæresim Photini Marius Mercator respectum habuisset, non a Damaso, sed a Julio Bonosum prædamnatum dixisset; unde ad solam Marcelli hæresim respexit Mercator, revera enim hæresis Marcelli, et consequenter Bonosi qui eam renovavit, damnata est in illo Concilio Romano sub Damaso his verbis apud Theodoretum lib. v, cap. 11: *Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, unum ante sæcula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine.* Photiniani nihilominus dicti sunt postea Bonosiaci, ut liquet ex Audentio episcopo Hispano, qui, ut refert Gennadius, lib. de Scriptor. ecclesiast., cap. 14: « Scripsit adversus Manichæos et Sabellianos, et Arianos, maxime quoque speciali intentione contra Photinianos, qui nunc vocantur Bonosiaci, » etc.

Linea 4.—*Ut nullus presbyter missas*, etc. In Libro Pontificali de Siricio hæc leguntur: « Hic constituit ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. » Decretum a Melchiade papa editum ex eodem Libro Pontificali, in eo pontifice retulimus, in quo etiam de fermento agitur, quæ Baronius anno 313, numero 49 et seqq., de Eulogiis, seu pane benedicto intelligenda censuit nomine fermenti. Sed nunc inter eruditos convenit, tam in illis duobus decretis, quam in alio, de quo in Innocentio primo loquemur, agi de primitivæ Ecclesiæ consuetudine, qua episcopus ad urbis presbyteros, qui sacrificio diebus Dominicis adesse non poterant, sacramenta mittebat, ut observavit Schelstratius in Opere de disciplina Arcani, cap. 7, art. 5. Vide dicta in Melchiade, et dicenda in Innocentio, ubi Melchiadis et Siricii decreta fusius explicantur.

Linea 9. — *Ut si quis conversus de Manichæis*, etc. Idem libri Pontificalis auctor aliud decretum a Siricio editum scribit hoc modo: « Hic constituit, ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius, ut jejuniis et orationibus maceratus, et probatus sua omni examinatione, usque ad ultimum diem transitus sui, et ob humanitatem Ecclesiæ Viaticum eis largiretur. » Ad quæ verba Schelstratius in parte I Antiquitatis Illustratæ, pag. 463, ait: « Cum Manichæorum hæresis non modo pravissima, sed etiam obscena fuerit, nullam leviorem pœnam illis Siricius imponendam censuit, quam perpetuæ pœnitentiæ in monasterio peragendæ: unde duo quædam consequuntur, et monasteria ante Siricium fuisse, et gravioribus delictis pœnitentiam perpetuam impositam fuisse; cum hoc tamen moderamine, quod in ultimo constitutis viaticum concederetur. »

Linea 16. — *Qui etiam sepultus est*, etc. De ejus sanctitate Baronius dubius, eum in Romano Martyrologio non reposuit, ad quod motus est tum propter rationes jam dictas, tum quod non probaret Siricium exemplo Damasi in conscribendis epistolis Hieronymi opera usum non fuisse, neque hunc, ut par erat, fovisse. Certe negari non potest Hieronymum a Siricio, initio pontificatus, non magni factum; quod plures romani clerici, invidia et odio in sanctum doctorem flagrantes, persecutionem in eum moverint, ac grave aliquod crimen sancto viro imposuerint, id enim ex illius epistolis colligitur, et monet Baronius anno 385, num. 8. Nec difficile erat, magis quæ in eum illos irasci, qui palam eos redarguebat, dum

Digitized by Google

Romæ esset, et in epistolis ad amicos post discessum datis, vehementer exagitabat, dum *Pharisæorum senatum* vocabat, et apertis verbis inscitiæ, atque pravorum morum arguebat. Quare Siricius criminosis relationibus adversus Hieronymum forsitan circumventus, ad sedandos tumultus illum Romæ non retinuit, sed sanctorum locorum et studiorum ardore inflammatum permisit Jerosolymam regredi. Accessit, quod sanctus doctor in Jovinianum vehementer calamum stringens, ita virginitatem extulisse visus est, ut matrimonium quodammodo damnare crederetur. Quod licet ab ejus mente prorsus abhorreret, illa tamen communis tunc Romæ fama fuit. Unde Pammachius Romæ pariter coactus est exemplaria Opusculorum adversus Jovinianum subtrahere, quod S. Hieronymus, epistola 52, ad ipsum Pammachium, prudenter et amanter factum laudavit.

Siricium etiam in sanctum Paulinum episcopum Nolanum minus æqui animi fuisse deducit Baronius, ex ejusdem sancti epistola prima, nunc ordine quinta ad Sulpitium Severum, in qua dolens, dum Romæ fuit, zelotyporum incendia clericorum, addit : « Sed plenius indicare potuerunt conservi nostri pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici papæ superba discretio. » Ex his, inquam, Siricium Paulino infensum deducit Baronius, vel quod illum inter suos clericos computare noluerit, vel aversatus fuerit, quia repente ex laico Paulinus vir consularis et senatorius in Hispania, presbyter, quamvis coactus, evaserit. Sed facile potuit ex eodem penu clericorum et curiæ Romanæ Paulinus criminari apud Siricium, et invidiam in eum conflare, ut in Hieronymum, quod jam monachus, contra laxioris vitæ clericos declamaret. Sed vere etiam fatendum est Paulinum ex humana ratione optimum semper non fuisse hominum, et eorumdem morum æstimatorem, dum Siricium superbæ discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiæ simplicitatis et innatæ bonitatis quodammodo coarguit; et quanquam sanctitate morum Paulinus polleret, minus acris ingenii reputari potest, dum de unoquoque bonum præsumens, quemadmodum et Siricius, etiam Rufinum Aquileiensem, ex Palæstina cum pace et amplexibus Hieronymi discedentem, magni fecerit; Vigilantium, in longo Hispaniarum itinere, non agnoscens, laudaverit; et Melaniam Origenistarum errorum antesignanam, sanctam dixerit, et pluribus laudibus cumulaverit, ut animadvertit Baronius anno 397, num. 3. Cum ergo hæc sanctitati Paulini non obfuerint, ex eodem capite, quæ Baronius notavit, Siricii sanctitati non detrahunt. Sed de Siricii sanctitate plura Florentinius laudatus; quibus addo mirum videri non debere, quod Siricius fidem adhibuerit iis, quæ contra S. Paulinum et S. Hieronymum a clericis Romanis dicebantur, vel e contra; cum S. Bernardus Clarævallensis abbas, cujus tanta fuit existimatio apud reges et summos pontifices, innocenter adhæserit factioni contra S. Willelmum electum et consecratum episcopum Eboracensem, quem epistola 234 *Idolum Eboracense*, et epistola 360 *pestem communem* appellat, quia magni ac piissimi viri falsis relationibus quandoque decipiuntur. Sed sicut criminationes adversus Willelmum Eboracensem excogitatæ, non obstitere, quominus Honorius III eum Sanctorum Catalogo ascriberet, ita dicendum, scripta a sancto Paulino in Siricium ejus sanctitati nequidquam obfuisse. Cum Siricio finem Chronici Eusebiani supplemento imponit D. Hieronymus.

SOMIER.

Linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia.* Somier, Hist. dogmatico ecclesiast. cap. 1, n. 8, in fine. Postquam conquestus est de negligentia metropolitanorum circa ordinationes, prohibet diaconatum et presbyteratum bigamis conferri : ac declarat, decreta sua in his quæ agenda aut evitanda decernunt leges, fore Ecclesiæ universæ : *Quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus*, etc. Declarat rigide punitum iri ab apostolica sede illos metropolitas, qui legibus hujusmodi non paruerint : et ostendit ecclesias omnes, utpote membra illius corporis cujus Romana caput est, teneri ejusdem capitis leges noscere et eisdem obtemperare. « Scituri posthac omnium provinciarum summi antistites, quod si ultra quemquam contra canones, et interdicta nostra provexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam..... De quibus ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis retuli-ti .... ineitamus, ut hæc, quæ ad tua consulta rescripsimus, in omnium episcoporum nostrorum perferri facias notionem : non solum eorum, qui in tua sunt diœcesi constituti; sed etiam ad universos Carthaginenses, ac Bæticos, Lusitanos, atque Gallicos, vel eos qui in vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis..... Quanquam statuta sedis apostolicæ nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum; utilius tamen, si ea per unanimitatis tuæ sollicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur : quatenus et quæ a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia cautela et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus imposterum excusationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obstruatur, etc.

Epistola Siricii ad omnes orthodoxos, respicit disciplinam sanctarum ordinationum, quam hic pontifex jubet ab omnibus ecclesiis observari. Et ipse quidem in exordio declarat, omnium ecclesiarum curam sibi esse demandatam, etc.

Sub Siricii pontificatu celebratum fuit tertium concilium Carthaginense cujus canon 26 decernit : « Ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid ejusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus. » Decretum hoc nationalis concilii referri non potuit ad episcopum Romanum, uti novatores aliqui contendunt; sed tantummodo respicere potuit episcopos Africæ, qui jurisdictione sua complectebantur aliquot provincias illam portionem efformantes patriarchatus Occidentalis, quæ suberat primati Carthaginensi. Id evidenter ostenditur ex canone 26 ejusdem concilii, ubi etiam metropolitanus respectu suffraganeorum provinciæ suæ dicitur episcopus primæ sedis. *Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cujusque provinciæ*, etc., et cap. 2, pag. 11.

Constabilita hisce curis disciplina animum adjecit Siricius ad tollendum schisma, quod tandiu vexabat Ecclesiam Antiochenam. Sub præcedenti pontificatu retulimus originem illius schismatis, cum adversus pacta conventa inter Paulinum et Meletium, quorum uterque regebat portionem gregis a qua pastor agnoscebatur, ita ut uno ex iis decedente, is qui superesset integram assumeret auctoritatem, assecla Meleti post ejus mortem Flavianum substituerunt. Sedes Romana, quæ hanc electionem damnaverat, ratam habuerat electionem Evagrii, qui Paulino successor electus fuerat. Siricius primo ea de re scripsit ad imperatorem Theodosium, mox etiam præsentem allocutus (venerat quippe Romam Theodosius triumphi causa ob victoriam de Maximo tyranno partam) ita peroravit contra Flavianum, ut imperator in Orientem cum redisset Flaviano præceperit Romam se conferre, et judicium causæ suæ exspectare in concilio Capuano : quod declinaverit Flavianus, etc. Sanctus Ambrosius scriptor æqualis, et qui plurimum laboravit in hujusmodi causa judicanda, in Epist. 9, libri 1, data ad Theophilum Alexandrinum, quem cum Ægyptiis episcopis judicem sublegerat synodus Capuana, exponit artes subterfugii a Flaviano adhibitas « Habeat quod metuat Flavianus : ideo refugit examen, etc. Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum, Romanæ sacerdotem Eccle

Digitized by Google

sit, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententiæ, ut cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur. »

Ex hac Ambrosii epistola complura addiscimus. 1. Flavianum studuisse, ne causa assecutæ a se Antiochenæ sedis discuteretur, cui plurimum diffidebat. 2. Concilium Capuanum hoc judicium remisisse ad Theophilum Alexandrinum, et ad episcopos ejusdem patriarchatus. Hic vero oportet animadvertere, hoc minime fieri potuisse, nisi cedente sanctæ sedis auctoritate, idcirco communicata concilio Capuano; cum potestas delegandi sit actus jurisdictionis, qui exerceri non potest nisi a superiore. 3. Flavianum contendisse judicium eludere adhibita sæculari protestate. 4. Hanc fuisse mentem Capuanæ synodi Patrum, ut salva partium communione lis illa dirimeretur. 5. Oportuisse ut sedes apostolica id approbaret quod a judicibus probatum fuisset, ut executioni mandaretur sententia.

Linea 4. — *Contra omnes hæreses.* Somier ibi pag. 18. Certissimum est sanctum pontificem Siricium Romæ damnasse hæresim Joviniani, et curasse ut Mediolani quoque, ubi exorta fuerat, proscriberetur. Sectarii monasticam vitam ibi professi Romam se contulerunt, ut scripta sua erroribus ejusmodi inspersa in urbe disseminarent. *Continentiam enim prævertentes blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt* (uti epistola Siricio ascripta ad PP. Eccl. Mediol. memorat), docentes virginitatis professionem non præstare conjugio; Deiparam virginem quidem ante partum, sed a partu virginem non perseverasse : et jejuniorum praxim damnabant. Delati tamen sunt hujusmodi blasphemiarum et errorum auctores ad Siricium papam, cui et scripta sectariorum obtulerunt fideles ipsi genere optimi, religione præclari, qui deferebant. Siricius coacto Romani cleri concilio solemni sententia damnavit Jovinianum ejusque sectatores, utpote docentes dogma contrarium doctrinæ sedis apostolicæ, quæ eadem est ac legis Christianæ : *ac declaravit divina sententia et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.* Observatione dignum prorsus est, quod Romanus pontifex ita de sua decisione loquitur, uti Hierosolymitanum concilium sub apostolis congregatum de propriis decretis enuntiabat : *Visum est Spiritui sancto et nobis. Divina sententia et nostro judicio.* Pontifex ad Ecclesiam Mediolanensem transmisit judicii sui legem, ut eamdem susciperet et custodiret.

Hoc illa obsequenter præstitit, indicto statim concilio. Nam Patres qui ad illud convenerant in synodica epistola ad pontificem Romanum data affirmant, jam ejusdem sententiam secutos damnasse pariter sectarios illos cum suis erroribus. In eadem epistola testantur se agnoscere in Siricio pastorem universalem totius Ecclesiæ, « qui fideliter commissam sibi januam et pia sollicitudine Christi ovile custodiat : dignus quem oves Domini audiant, et sequantur..... Credatur symbolo apostolorum, quem Ecclesia Romana intemeratum semper custodit..... Sed quid plura apud magistrum atque doctorem..... Itaque Jovinianum, Auxentium, etc., quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos. »

Maximus, qui sedente ad clavum Ecclesiæ Siricio, Imperium Gratiano eripuerat, respondens litteris ejusdem papæ, quibus ei demandabat Ecclesiæ catholicæ defensionem, et fidei ejusdem professionem ab illo exigebat, eumdem appellat Patrem charissimum, et virum apostolicum, plane respondentem nomini sacerdotis et dignitati urbis splendidissimæ. *Fidei vero catholicæ, de qua clementium nostram consulere voluisti, me confiteor curam habere majorem, Pater charissime*, etc. In alia vero epistola, quam ipse Maximus antea dederat ad Valentinianum Augustum, hunc removet ab adhærendo perversis novatorum consiliis in præjudicium catholicæ fidei, constabilitæ et confirmatæ ex pluribus sæculis in Italia, Africa, Galliis, Hispaniis, et Romæ præsertim quæ orbis princeps effecta est non minus titulo veræ religionis quam causa imperii. « Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt, hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa venerabilis, cujus etiam in hac parte principatus est. »

XLI. SANCTUS ANASTASIUS.

ANNO CHRISTI 398, ARCADII ET HONORII 4.

56 *Anastasius, natione Romanus, ex patre Maximo*, sedit [a] annos duos, dies viginti quatuor. *Hic constituit ut quotiescumque Evangelia* sancta *recitantur*, [b] *sacerdotes non sederent*, sed curvi starent. Hic fecit constitutum de Ecclesia. Hic fecit basilicam, quæ dicitur Crescentiana in regione secunda, in via [c] Mamertinia, in urbe Roma. Et hoc constituit nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographum propter Manichæos. *Hic fecit ordinationes duas* per mensem Decembris, presbyteros novem [d], *diaconos quinque*, *episcopos per* diversa *loca* undecim [e]. Qui vero *sepultus est* in cœmeterio suo *ad Ursum pileatum* v *Kalendas* Maii, *et cessavit episcopatus dies* 21.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B, ann* 4, *m.* 1. *d.* 15, *a Coss Honor IV et Eutych ad Honor et Arcad. V.* [b] *Vide Baron ad an. Dom* 402, *pag* 159. [c] C. Mamurtina. [*] Mamurrina. [d] C. B. octo. [e] C. B. decem.

Digitized by Google

VARIAE LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod. Freh.

Num 56, *lin* 2, *A* d. 27, *B*, 26. *lin* 2 et 3. *B*, recitarentur. *lin* 5. *AB*, via Mamortina. *lin* 7. *A*, chirographa. *lin ead AB*, quia eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe Roma. *lin* 8. *B*, presbyteros 19.

Ex cod. Reg. Max. et Thuan.

Lin 1, sed ann. 3, m. 2, d. 10. (*M*. ann 3, d. 10). *lin* 2, ut quotienscumque. *lin* 5, via Mamutina in u. R. Hic constituit n. r. *lin* 6. in cl. honore s. (*M*, ut ed.) nisi q. epis designarent chirographa. *lin* 7, hic fecit ord. 2 in urbe Roma. *lin* 9, loca 10 (*M*, 5), qui etiam sepultus est in cimit.

Ex cod. Thuano altero.

Lin 1, sed ann 3, d 10. *lin* 5, Mamortina ib. ut A nulla r. *lin* 6, nisi qui. E. d. cyrographa, qui et eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe R. Hic fecit ord in urbe R. *lin* 9, qui etiam sep. est in c.

Apud Holsten. et Schelestrat.

Lin 1, *Cass*, Ann 3, d. 27. *lin* 5. *Florent duo :* Et hoc constituit, ut nullum clericum transmarinum, nisi sui episcopi designaret chirographum, quis susciperet. Quia eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe Roma. Hic fecit ordin, etc. *Lin.* 8, *Flor. XIX.*

Apud Peniam, ex cod Cavensi

Lin 5, in via Mamertini. *lin* 9, in cymiterio suo ad Ursum pileatum v Kal Mag.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic constituit ut quotiescunque sancta Evangelia recitantur, sacerdotes non sederent, sed cernui starent.* Anastasii decretum est, ut, cum legitur Evangelium, clerici starent. Cum legitur Evangelium, stamus, ut illo habitu corporis ad iter compositio significemus, nos esse paratos ad sequendum Deum ejusque fidem Evangelio testatam. Hunc morem fuisse Orientalis Ecclesiæ testis est Jo. Chrisost. de divers. utriusque Test. loc. ferm. de Circo. In Orientali Ecclesia, cum Evangelium legeretur, cerei accendebantur. Hieronym. ad Vigilantium : « Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. » Idem servatum Romæ. Anastas. in Leone III. « Fecit lucernas fusiles duas ex argento purissimo, et hoc constituit, ut Dominicorum dies vel in sanctis solemnitatibus hinc inde juxta lectorium consisterent, et ad legendum sacras lectiones luminis splendore refulgerent. »

Linea 5. — *Et hoc constituit nulla ratione transmarinum hominem in Clericatus honorem suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographum, propter Manichæos.* Ab Anastasio propter Manichæos qui maxime valebant in Africa, statutum ne clerici ordinarentur sine chirographis, id est litteris commendatitiis quinque episcoporum. can. *Transmarinos*, 98 dist., quod repetitum est a Gregorio I et Alexandro III, can. *Afros*, ead. dist., cap. 1 *de Cleric. peregrin. non ordinand.*

Linea 9. — *Sepultus est in cœmeterio suo ad Ursum Pileatum.* Id nomen fuit vico in quo fuit cœmeterium Anastasii, sumptum forte ab Urso Pileato, qui erat pro insigni. Tabernæ circa forum signis distinctæ erant. Quintil. 6. Inst., cap. 3. *Digito demonstravit imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam.* Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum. In scuto Mariano fuisse imaginem Galli exerentis linguam, addit Plin. lib. xxxv, cap. 4. *Talem*, inquit, *ostendens in tabula pictum inficetissime Gallum exerentem linguam.* Ludi causa signa ponebantur, quæ risum moverent, ut nihil mirum sit hoc loco, Ursum Pileatum quasi servum manumissum signi causa visum esse. Innocentium I in eodem cœmeterio ad Ursum Pileatum sepultum refert Anastas. in ejus Vita in fine. Ejusdem cœmeterii ad Ursum Pileatum meminit Anastas. in Nicolao I : *Nec non et cimiterium eadem via ad Ursum Pileatum restauravit.* Vicus Ursi Pileati fuit in regione quinta Urbis seu Esquilina. Sext. Ruf. de Regionib. Urb. Similiter in regione quarta Urbis fuit locus dictus *ad albas Gallinas*, cujus meminit Sextus Rufus in libello de reg. Urb. Et Gregor., lib. II, epist. 17 : *Domum positam in hac Urbe regione quarta juxta locum qui appellatur Gallinas albas.* Forte a B Gallinis albis quæ erant hoc loco insignis vice. Villa Cæsarum quæ erat ad Tyberim juxta nonum lapidem via Flaminia, dicta est *ad Gallinas*, quod ibi servaretur proles gallinæ albæ, quam prætervolans aquila ex alto abjecit in gremium Liviæ Drusillæ sedentis sub dio, de qua Plin., lib. xv, cap. 30

BENCINI.

Linea 3. — *Hic constitutum fecit de Ecclesia.* Origenianum dogma per quosdam invectum dispersumque malis artibus censendum constitutionis Anastasianæ a Libro Pontificali laudatæ argumentum. Occasionem dederat Theophili episcopi Alexandrini epistola denuntiativa errorum Origenianorum, et artis quorumdam monachorum qui fraudulenter per domos sese introducentes venenum propinabant. Ad constitutionis dictæ memoriam spectant duæ epistolæ Anastasii pontificis, quarum mentio occurrit apud ecclesiasticos scriptores, et de his S. Hieronymus in apologiis adversus Rufinum, qui inter antesignanos C Origenistarum numeratur, prolixe agit. Adversus Rufinum epistolam comminatoriam, et peremptoriam edidisse pontificem ita Hieronymus scribit. *Et tantum Romanæ Urbis judicium fugis, ut magis obsidionem barbaricam, quam pacatæ Urbis velis sententiam sustinere.* Tergiversationes Rufinianas deinde pandit, ut judicium eluderet Rufinus, et inter has una erat, quod Hieronymus epistolam pontificiam confinxerit, qua occasione alterius Anastasianæ epistolæ memoriam refricat, qua pontifex Orientalibus scribens, errores Origenis insectabatur. Ita Hieronymus loco cit. : « Esto præteriti anni ego epistolam finxerim : recentia ad Orientem scripta quis misit? quibus papa Anastasius tantis se ornat floribus, ut, cum ea legeris, magis te velle defendere incipias, quam nos accusare. » Dirigitur itaque scriptum pontificium ad Orientales, in qua plaga monachorum arte virus disseminatum erat. De quo judicio Justinianus imperator scribens Mennæ Constantinopolitano hæc habet. « Audiamus et sanctum D Theophilum episcopum Alexandriæ ex sermone ad quosdam monachos scripto, qui Origeni assentirentur; sic enim dicit : Quare anathematizamus Origenem, cæterosque hæreticos, exemplo nostro, et Anastasii sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobilissimi populi dux creatus est, quem et universa beatorum Occidentis episcoporum sequitur synodus, quæ accepit, et probavit Alexandrinæ Ecclesiæ sententiam ad impium latam. » *Eamdem laudat S. Hieronymus et constituti celebritatem sic commendat, Pammachio scribens :* « Prædicationem cathedræ Marci evangelistæ, cathedra Petri apostoli sua prædicatione confirmet. Quamquam celebri sermone vulgatum sit beatum quoque Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis hæreticos persecuturum : ejusque litteræ doceant, damnatum in

Digitized by Google

Occidente, quod in Oriente damnatum est : cui multos precamur annos, ut hæreseos rediviva plantaria per illius studium longo tempore arefacta moriantur. » *Et Demetriadi pariter sic. Pene præterii, quod vel præcipuum est.* « Dum esses parvula et sanctæ et beatæ memoriæ Anastasius episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem fidei, quæ apostoli voce laudata est, polluere, et labefactare coacta est. Sed vir ditissimæ paupertatis, et apostolicæ sollicitudinis, statim noxium perculit caput, et sibilantia hydræ ora compescuit. Et quia vereor, imo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere, et pullulare venenata plantaria; illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui apostolicæ cathedræ, et supradicti viri successor et filius est, teneas fidem. » Porro has Anastasianas constitutiones per orbem Christianum disseminatas fuisse, et per has Origenistas insectatos observavit Hieronymus hæc Rufino objectans. *Quid facient epistolæ Theophili episcopi? Quid papæ Anastasii in toto orbe hæreticum persequentes?* Ex his colligendum datur, quod conciliis Alexandrino, et Cyprio, quæ pontificatus hujus tempore adversus Origenistas acta sunt, etiam Romanum est adjungendum, juxta verba S. Hieronymi supra laudata. *Quem et universa beatorum Occidentis sequitur synodus*, cujus memoria omissa est ab editoribus conciliorum. Hoc vero concilium celebratum primo Romæ fuisse, deinde constitutum directum per provincias in particularibus synodis sub singulis metropolitanis intimatum, et subscriptum hæc suadent. 1. Quia examen instituit quod solemni more in conciliis habebatur, et examinis causam dedit zelus Marcellæ, uti diserte testatur Hieronymus in epistola ad Principiam virginem, quæ est Marcellæ viduæ epitaphium : in qua cum laudasset Anastasium, et ejus conatus adversus Origenistas, sic de examine subsecuto. « Dicas, quid hæc ad laudem Marcellæ? damnationis hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, et postea ab hæretico fuerant errore correpti; dum ostendit multitudinem deceptorum; dum impia περὶ ἀρχῶν volumina, quæ emendata manu Scorpii monstrabantur, dum acciti frequentibus litteris hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi; tantaque vis conscientiæ fuit, ut absentes damnari, quam præsentes coargui malucrint. » Quæ gesta conciliare institutum examen ostendunt. Occidentales vero episcopos commonitos damnationem ab Anastasio editam suscepisse, et subscriptionibus roboratam populis intimasse, testatur idem Anastasius in epistola data Joanni Hierosolymitano episcopo in qua et meminit editæ Constitutionis, atque quod eamdem episcopis denuntiaverit, præcipue Venerio inter præcipuos Occidentalis tractus primati, ex epistola edita a Garnerio inter opera Mercatoris, ubi pontifex : *Damnationis autem epistolam fratribus nostris Venerio, et Chromasio scripsimus.* Huic specialiter Acta conciliaria recensita in epistola synodica damnationis ita commemorat ibidem. *Quare nosce qualem epistolam ad fratrem, et coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura scriptam parvitas nostra transmiserit.* Quid vero cum reliquis Orbis episcopis egerit per encyclicas damnationis denuntiativas; et quomodo imperatoris edicta sint subsecuta sic ibi : « Mihi certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos, portesque populi mei per quæque spatia diversa terrarum diffusa, quantum possim, litteris convenire : ne qua profanæ interpretationis origo subrepat, quæ devotas mentes immissa sui caligine labefactare conetur. Illud quoque quod evenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum principum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocetur; damnandumque sententia principum, quem lectio rerum profana prodiderit. Hactenus sententiæ meæ forma processerit. » Inter Origenistas Primopilum Rufinum saltem inter Occidentales ad examen pontificium evocatum esse, nedum Hieronymus in Apologiis adversus ipsum editis affirmat, verum testis accedit Rufinus in epistola ad Anastasium. Hæc itaque Romana synodus, ejusque gesta strictim notata tribuerunt occasionem dicendi, et hanc fuisse coactam solemniter, et de ea verificari verba libri pontificalis adducta : *Hic constitutum fecit de Ecclesia.* Et cum hocce constitutum tunc esset celeberrimum obviumque inter reliqua Codicis pontificii constituta, collectori visum est illud innuere, relinquendo argumentum. Unde optime scripserat in duplici synodo sub Anastasio, et Theophilo, Occidentali, et Orientali damnatos Origenistas : « Ergo beati episcopi, Anastasius, et Theophilus, et Venerius, et Crematius, et omnis tam Orientis, quam Occidentis catholicorum synodus, qui pari sententia, quia pari spiritu, illud hæreticum denuntiant populis. »

Linea 5. — *Et hoc constituit, nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi* (nomine transmarinorum Afri intelligebant Italos, sicuti Romani ipsos Afros). Sæpius id advertere licet apud S. Augustinum, et concilia Carthaginensia ejusdem ævi, ubi vox repetita occurrit. Qui itaque clerici advenientes Romam, ad officia ecclesiæ non admittebantur, nisi cum testimoniali episcoporum, unde subditur linea 6.

Linea 6. — *Nisi quinque episcoporum designarent chirographum*, non cunctorum, quinque, et ut reor eorum episcoporum, qui robur chartis ecclesiasticis tribuebant; erantque primas, metropolitanus, senior in provincia, diœcesanus, et proximior in civitate, quando proprius obierat. Has enim consuetudines in Ecclesia Africana invaluisse, ostendit codex canonum ejusdem Ecclesiæ.

Linea 7. — *Propter Manichæos.* Africa tunc Manichæorum turbam patiebatur : hi ne detegerentur, etiam perjurio interveniente, simulabant ad libitum religionem : de qua hypocrisi plura habet S. Augustinus lib. xxvi de Moribus Manichæorum. Hinc Siricius decessor decreverat, ut similis hominum pestis nunquam admitteretur ad communionem *nisi probatus sub omni examinatione.* Cum enim clerici juxta gradum advenientes invitarentur, ut cum clero interessent sacrificio, et Manichæorum clerici religionem simularent; hinc Anastasius voluit et decrevit, ut omnes clerici ex Africa advenientes testimoniales afferrent subscriptas ab uno ex laudatis episcopis, ne sacrilega interveniret participatio. De simulatione Manichæorum in sacrorum participatione loquitur, eamque damnat iterum Leo Magnus, qui ita fideles omnes admonuit. « Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent : quod ideo vestræ notum facimus sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines, et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur. » Reliqua ibi legantur, quæ de moribus Manichæorum adducit S. Pontifex.

BINII ET LABBEI.

Linea 2. — *Hic constituit ut quotiescunque Evangelia sancta recitantur sacerdotes non sederent, sed curvi starent.* Occasio hujus decreti sanciendi hinc fluxisse videtur : Tempore Anastasii Romæ inter presbyteros, et diaconos gravis contentio oborta fuit. Hi enim administrantes res ecclesiæ, supercilio elati, presbyteros spernebant. Presbyteri autem in eosdem insurrexere, atque ex consuetudinis Romanæ Ecclesiæ præscripto, ipsis sedentibus, eos stare debere contendebant. Sed eousque contentio pertinax progressa est, ut etiam cum stantes dia-

Digitized by Google

coni coram populo legerent Evangelium, præsbyteri tamen minime sessione exsurgerent. Anastasius itaque hoc factum merito detestatus, hujusmodi decreto emendandum esse putavit.

BLANCHINI.

Notæ chronologicæ.

Præter ea, quæ supra constituimus de Epocha pontificali S. Anastasii, eam deducentes ex coss. Theodoro ac Eutropio (Christi 399 die Dominica, 9 Octobr.) eamque perducentes ad coss. Vincentium et Fravittam (Christi 401, diemque 3 Novembris) duo sunt expendenda scriptorum testimonia, quæ temporis summam colligunt primo ex Christi sæculo, ad coss. hujus ætatis; atque adeo possint admodum illustrare Chronologiam pontificiam consulari ita connexam.

Primum testimonium petitur a S. Augustino lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 53 et 54, numerante annos 365, ex Idibus Maii duobus Geminis coss. (quinquagesimo scilicet die post Dominicam resurrectionem, sive in festo Pentecostes ab exordio prædicationis apostolicæ) ad Idus Maias in consulatu Honorii et Eutychiani.

Pagius ad annum 398, n. 4 observat, hanc supputationem Augustini non suffragari chronologiæ Baronianæ, nec suæ: sed calculos male subductos ostendere se putat a beato doctore; cum a consulibus duobus Geminis, sive ponantur cum Baronio ad annum æræ Christi communis 31, sive ad 29, cum Pagio ad ann. 398, summa 365, non constet. Perpenso attamen universo contextu capitis 53 et 54 beati Augustini, colligitur, sanctum doctorem recte inferre contra paganos ex putata juxta illorum assumptiones mensura temporis ab ipsis definiti ex mendaci dæmonum responso ad terminum cultus Christiani. Commenti enim fuerant Ethnici. « Nescio quos versus Græcos tanquam consulenti cuidam divino oraculo effusos (ait cap. 53) ubi Christum quidem ab hujus tanquam sacrilegii crimine faciunt innocentem: Petrum autem maleficia fecisse subjungunt, ut coleretur Christi nomen per 365 annos: deinde completo memorato numero annorum sine mora sumeret finem. » Commenti ejusmodi causam ibidem refert. « Cum enim viderent tot tantisque persecutionibus religionem Christianam non posse consumi, sed his potius majora incrementa sumpsisse; » ad mendacia oracula a se contexta confugerant inanium deorum cultores: ut falsa exspectatione, ac prædictione ruinæ nostræ superstitionum suarum asseclis fucum facerent, ac vanam spem lactarent: quorum propterea dolo ut redarguat, et funditus vertat S. doctor, ostendit in duobus illis capitibus 53 et 54 quacunque ratione ac methodo eosdem annos 365 dinumerent, sive a Christi Domini baptismo, sive a passione, et ab adventu Spiritus sancti, ulterius extendi minime posse, quam ad consules anni 398, Honorium et Eutychianum. Subdit vero, consulatu proxime consecuto Manlii ac Theodori, nempe Christi 399 (cui alligandum esse ostendi exordium Anastasii papæ de quo agimus): non modo, inquit, Christiana sacra non desiere, « sed in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africæ Gaudentius et Jovius comites imperatoris Honorii XIV Kalendas Apriles falsorum deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt. » Legitima et evidens est illatio Augustini contra Ethnicorum præsumpta, et mendacia, quocunque tandem ex termino desumerent exordium maleficiorum ab ipsis de B. Petro confictorum, et illius summæ annorum 365, quos ad eversionem religionis nostræ præscripserant. Hanc autem summam observat Pagius variari non posse; cum ab omnibus exemplaribus operum B. Augustini referatur, nulla variante lectione eamdem in dubium revocante. Eam ita retinendam suadent consuetæ superstitiones, tum Mithræ apud paganos, tum Gnosticorum apud hæreticos, ab iisdem fontibus haustæ, et per ea tempora renovatæ a Juliano, quæ Solis idololatriam sub mystico illo numero 365, notis in dictionibus ΑΒΡΑΣΑΞ et ΝΕΙΛΟΣ expressam, falso spoponderant sectatoribus suis ita dementatis victoriam reportaturam de cultu Christiano. Mens igitur Augustini est demonstrare, annos 365 omnino esse absolutos in consulatu Honorii et Eutychiani, quacunque mensura etiam luxata uterentur factorum et consulum; nam ultra eum terminum non procedere seriem indicatam annorum 365, quod oppido verum est. Sin autem quæramus, quonam ex anno petenda sint exordia indicatæ summæ temporis ut exacte compleantur anni 365, in consulatu anni 398, deducenda erunt utique ab illa fidei nostræ illustri amplificatione et promulgatione, quæ gentibus ostium aperuit ad Christi gratiam percipiendam, non ex somniata Petri Magia, sed ex cœlesti visione eidem exhibita, quæ Cornelium centurionem ad eumdem perduxit, et apostolorum principem invitavit ad fundandam cathedram Antiochenam, ubi primum discipuli cognominati sunt Christiani. Nostra Chronologia supra explicata et probata, statuit eum annum æræ Christi communis 33, cui si addantur 365, provenit annus 398, consulatum referens Honorii et Eutychiani, indicatus ab Augustino, tanquam terminus, a falsa ethnicorum exspectatione præfixus ad eversionem divini cultus Christianorum, sed nostræ religionis novo et luculento triumpho nobilitatus, quæ tunc temporis vidit publico imperatorum decreto eversa esse Charthagine sub proximis consulibus templa inanium deorum, quando ridiculi oraculorum ejusmodi artifices supremam diem et exitium sacris nostris comminabantur.

Alterum testimonium illustrans Chronologiam Anastasii papæ pertinet ad annum postremum sæculi quarti consule Stilicone: petitur vero a Sulpicio Severo eorumdem temporum æquali, ita scribente: *Dominus crucifixus est Fusio* (Fufio) *Gemino, et Rebellio* (Rubellio) *Gemino consulibus. A quo tempore usque in Siliconem Consulem sunt anni* 372. Exactissime respondet summa temporibus a chronologia nostra ordinatis. Si enim anno 28 æræ Christi communis et bissextili, cui duos Geminos consules et Christi passionem attribuimus cum Victorio Aquitano, et cum Patribus passim referentibus ad VIII Kal. Aprilis eodem consulatu passionem Dominicam, adjeceris annos 372, a Sulpicio inde collectos ad consulem Stiliconem; proveniet annus æræ Christi communis 400 Anastasii papæ secundus, cui consulatus Flavii Stiliconis et Aureliani ex omnium nostri temporis chronologorum sententia debetur.

Notæ historicæ.

Linea 1. — *Anastasius*, etc. S. Augustinus, epist. 164 ad Gratiosum, recenset seriem pontificum Romanorum a B. Petro usque ad hunc de quo agimus, Anastasium.

Lin. 3. — *Hic fecit constitutum de Ecclesia.* Lex ista quam toti Ecclesiæ proposuit est Origenistarum justa damnatio. Originem illius erroris habes in notis Somier et Pagii. Delatus fuerat Siricio papæ a S. Epiphanio Joannes episcopus Hierosolymitanus, quod ex Origenis libris inscriptis *περὶ Ἀρχῶν* (*de principiis*) decerpsisset errores aliquot, et insinuasset Christiano populo. Continebantur octo præcipuis capitibus, quæ singillatim enumerat S. Hieronymus epist. 61. Rufinus Aquileiensis (vide notas Pagii in Anast. n. 2, et in Siricium 11, acerrimus defensor Origenis, ut cosdem errores Romæ disseminaret, latinitate donaverat libros Origenis enuntiatos, et vulgaverat anno 398, aureo poculo Romanis venenum propinans. Dum hujusmodi hæresis Origeniana nondum erat patefacta, Rufinus obtinuit a Siricio papa litteras communionis. Detectis autem non multo post eisdem perniciosis doctrinis, ac delatis ad apostolicam sedem, quam Anastasius implebat, datum fuit Hieronymo apud Orientales agenti negotium li-


Digitized by Google

deliter reddendi Latine libros Origenis *de principiis*, ut ipse testatur in epistola 64 ad Oceanum. Quæ inde secuta sint, leges tum in notis Pagii, n. 2 et 3, tum in notis Sonier, cap. 4. Summa est. « Anastasius libros Periarchon proscripsit, (Pag. n. II.) Ruffinum interpretem castigavit, populos terruit edictis Principum, et Joannem Jerosolymitanum Episcopum Ruffini, atque Origenis fautorem arguit, serioque monuit, ne sibi pateretur illudi ab homine erroris defensore. Hæc constant ex celeberrima illa, et Apostolici vigoris Epistola, ab Anastasio papa ad prædictum Joannem Jerosolymorum episcopum data, in qua sic loquitur pontifex : *Origenis quidem scripta et errores damnarimus : interpretem vero, cum non satis neque sua Præfatione ad libros Origenis, neque apologia ad nos missa, se purgaverit imo forte iisdem erroribus reipsa consentiat, Romam ad judicium sedis apostolicæ vocavimus, et renuentem venire eadem sententia involvimus. Damnationis autem epistolam fratribus nostris Venerio* (Mediolanensi) *et Chromatio* (Aquileiensi episcopis) *scripsimus.* »


Hujus epistolæ antiquissimum exemplum inter præclarissimos codices nono Christi sæculo collectos a Pacifico sanctæ Ecclesiæ Veronensis archidiacono servat archivum ejusdem cathedralis : cujus specimen characteris ducimus esse hic exhibendum, ut plane constet, quam genuinis documentis comprobentur gesta pontificum, quorum epistolas codicibus tantæ antiquitatis insertas possumus exhibere.

Specimen characteris aliquot codicum antiquitate præstantium inter complures in Cathedrali ecclesia Veronensi asservatos in Archivo, et Bibliotheca Reverendissimi Capituli.

N° 1. Ex codice membranaceo litteris capitalibus scripto, in quo diversæ SS. Patrum epistolæ. N° XXIII legitur hæc S. Anastasii papæ ejus nominis primi :



N° 2. Ex codice in membranis pariter scripto, ubi sunt libri XXXV *S. Greg. Magni in Job : cujus characteris forma exhibet initia librorum simillima Augustino Petaviano apud Mabillon, p. 353, n°, contextus vero librorum assimilat diplomata Clodovei apud eumdem.*



Digitized by Google

Imitatio scripturæ, qua exaratus est codex, olim in Bibliotheca Justelli, nunc in Bodleiana Oxoniensi asservatus, ex quo ipse Justellus anno 1615 edidit Canones ecclesiæ Africanæ

Post Consulatum.

N° 3.

GLORIOSISSIMORUMIMPERATORŪ
HONORII·XII. ET THEODOSII·VIII·AA
VIII·KAL·IUNIAS KARTHAGINE
IN SECRETARIO BASILICAE FAUSTI &c
CUM AURELIUS PAPA UNACUMULEN

Vetustatem ferme supparem observamus in membranis conciliorum Ecclesiæ Africanæ, olim pertinentibus, ut accepi, ad Christophorum Justellum, nobilem in primis, pium, ac doctum editorem codicis canonum Ecclesiæ Africanæ ante annos 110, nunc vero asservatis in bibliotheca celebri Oxoniensi : quarum specimen inde per me exceptum anno 1713 placet adjungere. Membranarum notitiam attingam num. proxime consequenti S. Zosimi. Præstat vero conjuncta hic exhibere cum specimine codicis Veronensis hæc monimenta gestorum ejusdem ætatis, nempe conciliorum Ecclesiæ Africanæ, a quibus adornata fuit legatio ad eumdem Anastasium papam, de quo agimus, impetrandi causa interpretationem apostolicarum constitutionum super clericis a Donatistarum schismate recedentibus, et admittentibus in clerum catholicum recipi, et adnumerari. De his quoque vide notas Pagii, et Somier.

Linea 4. — *Basilicam, quæ dicitur Crescentiana, in regione secunda in via Mamertina.* Cum de loco cœmeterii ad Ursum Pileatum aliquid statuere conati simus, a nobis requiritur, ut indaginem hujus basilicæ Crescentianæ non negligamus. Designatur ejusdem locus in regione secunda ecclesiastica : quæ complectebatur tres ex quatuordecim ab Augusto institutis. II et VIII et XI nempe *Cœlimontium*, *Forum Romanum*, *et Circum Maximum*, uti cum Nardino statuimus, in Prolegomenis.

In [illegible] regionis extensione difficilis redditur loci [illegible] licet difficultatem videatur minuere [illegible] *Mamertinæ*, quam Nardinus docume[illegible]pius ostendit constituendam in radicibus c[illegible]itolini versus fora Augusti et Trajani, ex arcu Septimii Severi, et carcere S. Petri (dicto etiam Mamertino) procedendo ad titulum S. Marci : attamen basilicæ illius Crescentianæ altum silentium apud scriptores conditoris ætatem consecutos nos vetat quippiam certe de eadem proferre. Gothorum proxima invasio, et Urbis direptio, quemadmodum alia complura, ita etiam recens illud ædificium fortasse vastaverit. Nec mirari debemus, si illius constructionis vestigia confusa sint inter Urbis ruinas; cum ex trecentis ac pluribus ecclesiis, quas in Urbe numerat Ordo Romanus a Cencio Camerario scriptus sæculo XII, (vid. apud Mabillonium Musæi Italici tomo II, pag. 192) plures decades illarum hodie interciderint sive solo æquatæ, sive in alios usus conversæ monasteriorum, et hospitalium, aut diversos titulos consecutæ ex novis constructionibus. Probabilius igitur est hanc basilicam fuisse sitam non longe a Foro Romano in tractu procedente ex xenodochio S. Mariæ *Consolationis* dictæ versus ecclesiam S. Martinæ, ubi viæ Mamertinæ appellatio non est omnino deperdita.

Linea 9. — *Qui sepultus est in cœmeterio suo ad Ursum Pileatum.* Duplex cœmeterium hoc nomine celebratum apud veteres distinguunt sacrarum cryptarum diligentes enarratores Bosius, Aringhius, Boldettus, et cum illis Florentinius in vet. Martyrol. ad diem XII Martii et ad XXI Decembris, ubi legitur depositio S. Innocentii hujus Anastasii proximi successoris, consentientibus etiam vetustis codicibus Vaticanis ibi ex Aringhio indicatis, *qui ad Ursum Pileatum via Portuensi* depositum memorant utrumque pontificem, Anastasium, et Innocentium : id est primo sepultos via Portuensi ad cœmeterium Ursi Pileati extra Urbem : deinde translatos ad aliud cœmeterium intra Urbem Ursi Pileati nomine pariter insignitum, sed a priori plurimum dissitum, utpote circa ecclesiam S. Bibianæ in Exquiliis. Horum quoque pontificum reliquias a Sergio II, in titulo Equitii ex nostro Bibliothecario num. 491, conditas novimus cum aliis pluribus sub sacro altari in nova dedicatione illius tituli, a fundamentis per eumdem pontificem restituti. Verum illa sacra lipsana non dicuntur tunc extracta a cœmetrio via Portuensi, sed tantummodo collocata sub altari in dedicatione. Quare ex diversis cœmeteriis et ecclesiis tum urbanis tum suburbanis decerptas esse intelligendum est reliquias illas, seu partes corporum plurium sanctorum, qui ibidem indicantur. Quocirca non repugnat affirmare, ad ecclesiam sanctæ Bibianæ primum reposita fuisse corpora sanctorum pontificum Anastasii et Innocentii cum a cœmeterio viæ Portuensis dicto ad Ursum Pileatum intra urbem illata sunt, ne paterentur injurias a Saracenis, agrum Romanum devastantibus, et quidem cum aliis plurimis sanctorum martyrum et confessorum pari ex periculo inde eximendis, et ad eamdem ecclesiam reconditis, quorum in antiquo lapide, numerus ingens exponitur, unde fortasse nomen cœmeterii ad Ursum Pileatum eidem ecclesiæ una cum sacris tot cœlitum reliquiis communicatum fuisse, nonnulli opinantur; deinde post aliquot ætates a Sergio II aliisque pontificibus Romanis ex novo illo cœmeterio Ursi Pileati intra Urbem portiones sacrorum ossium petitus occasione dedicationum altarium et ecclesiarum. Quod autem attinet ad nomen *Ursi Pileati* utrique cœmeterio inditum, video intramœnianum hoc S. Bibianæ situm fuisse *ad vicum Ursi Pileati* memoratum a Sexto Rufo Urbis regione V, uti Nardinus observat lib. IV, cap. 2, pag. 162. Quare ab extramœniano illo ad viam Portuensem jus nominis mutuari vix potuisse videtur. Indicabo tamen occasionem denominatis, quam suspicor adhæsisse cœmeterio alteri ex altero. Hanc mihi suggerit inscriptio vetus tabulæ marmoreæ asservatæ in archivo basilicæ Vaticanæ Ursi illius togati, qui vitrea pila primus lusit sub Vero principe ex disjecto sive sepulcro sive simulacro, et cænotaphio petita, et adhibita ad substernendum areæ sepulcrali Christiani hominis (ut pas-

sim contigit sequioribus sæculis) conditi prope aram maximam veteris basilicæ Vaticanæ, quod testatus est Grimaldus notarius in Ephemeride demolitionis veteris basilicæ ad ejus Acta scribenda deputatus, ita referens folio CLXIII.

« Ursi togati vitreæ pilæ lusus repertoris, in eoque temporibus Cæsarum usque ad miraculum excellentis elogium, quod marmorea tabula incisum statuæ, quam ejus rei gratia meruerat, primum subjectum erat : quæ tabula postmodum cum hominis Christiani sepulcrali arcæ substrata fuisset, dum sternendo pavimento prope aram maximam basilicæ Vaticanæ fundamenta jacerentur, effossa est anno 1591, et asservatur in archivo ejusdem basilicæ. »

Vixit Ursus tempore Veri imperatoris.

URSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAXIMVS CLAMORIBVS
THERMIS TRAIANI THERMIS AGRIPPAE ET TITI
MVLTVM ET NERONIS SI TAMEN MIHI CREDITIS
EGO SVM OVANTES CONVENITE PILICREPI
STATVAMQ. AMICI FLORIBVS VIOLIS ROSIS
FOLIOQ. MVLTO ADQVE VNGVENTO MARCIDO
ONERATE AMANTES ET MERVM PROFVNDITE
NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CAECVBVM
VRSVMQ. CANITE VOCE CONCORDI SENEM
HILAREM IOCOSVM PILICREPVM SCHOLASTICVM
QVI VICIT OMNES ANTECESSORES SVOS
SENSV DECORE ADQVE ARTE SVPTILISSIMA
NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TER CONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SAEPIVS
CVIVS LIBENTER DICOR EXODIARIVS.

Hunc igitur Veri libertum *Ursum*, quem *togatum* describit epigraphe postquam assecutus libertatem fuerat et togam a patrono Vero ter consule, etiam *pileatum* fuisse necesse est ab alio libertatis indicio, et ritu *pileum* imponendi. Statua illi posita cum hac inscriptione, et cum recensione ejusdem inventi pilæ vitreæ lusoriæ in vico ad Exquilias intra urbem prope Thermas Titi ibi memoratas, plebi, ut arbitror, ansam dedit vicum ab illa statua *Ursi pileati* vulgo nominandum (quemadmodum nunc a *Pasquilli* vulgo dicti statua quæ gladiatoris est in regione Parionis nomen obtinet via prope circum Agonalem) etiam dum scriberet Festus. Id certe vero similius videtur, quam Ursi feræ simulacrum pileatum imagi ari, quale hodie ex sequioris sæculi sculptura ibi diffractum jacet. In Exquiliis ad bivium ex castello Aquæ Martiæ, passim dicto ex Trophæis Marii, perducens ad S. Bibianæ et ad S. Crucis ecclesias, olim collocatum fuisse marmor vetus, subinde translatum ad porticum S. Bibianæ in quo scriptum legimus, « hæc est via, qua itur ad locum, qui vocabatur antiquo tempore Ursi Pileati, et moderno tempore monasterium Sanctæ Bibianæ, in quo loco fuerunt sepelita quinque millia ducenta sexaginta, etc., corpora sanctorum martyrum, » etc. Testatur sæpe commendatus Can. Boldettus in observat. ad Cœmet. lib. II, cap. 18, pag. 537, qui etiam asserit, nulla subterrancarum cryptarum vestigia se unquam detegere potuisse quantavis diligentia adhibita circa eamdem ecclesiam, submissis etiam fossoribus hujusmodi indaginis peritis in puteum adjacentem. Jure itaque constituit, cœmeterium illud constructum ex materia tunc fuisse, quando locus quærebatur aptus ad recipienda corpora sanctorum ex cryptis suburbanis Christi martyrum : quemadmodum et in titulo SS. duodecim apostolorum, et in collegiata ecclesia S. Mariæ ad martyres cœmeteria aliquando memorantur reliquis sanctorum insignita. Quinimo scite observat, conceptaculis martyrum constructis in eisdem sacris ædibus communicari nomen cœmeteriorum unde illæ fuerant illuc asportatæ; nam titulo SS. apostolorum aptatum est nomen *cœmeterii Aproniani*, quando ex hujus nominis cœmeterio via Latina sito multæ sanctorum reliquiæ illuc perlatæ sunt. E contra ex certo Ecclesiæ loco, quo reliquiæ ab uno vel a pluribus cœmeteriis in eam perductæ recondebantur, nomen emersit novi cœmeterii, ut in S. Mariæ ad martyres evenit, quando sub initium septimi sæculi, Phoca imperante, a S. Bonifacio IV plurium cœmeteriorum sacra lipsana in ejusdem dedicatione ibi fuerunt deposita; nonnunquam vero novi cœmeterii nomen veteri designando adhibitum fuit, cujus in locum subrogabatur ad contutanda sanctorum corpora. Hoc in sanctæ Bibianæ ad Ursum Pileatum contigisse ostendit observatio ejusdem scriptoris, qui a Cencio Camerario ita circumscriptum monet, *Cœmeterium ad Ursum Pileatum ad sanctam Bibianam*, et commemorat inter martyres certos et insigniores ibi reconditos Simplicium, Faustinum, ac Beatricem quorum sacra corpora et inscriptionem antiquam altare nostræ basilicæ Liberianæ obtinuit ex æde Sanctæ Bibianæ et hodie retinet, deductos fuisse a Simplicio papa ex via Portuensi, teste Baronio ad annum 1123. Quare cœmeterio viæ Portuensis perinde potuit Ursi Pileati nomen aptari, ut intelligeretur, Ursi Pileati ad sanctam Bibianam cœmeterium illos complecti martyres, qui ex priori ad viam Portuensem ita exspoliato effodiebantur. Hæc dicta sint ad indicandam occasionem recentium cœmeteriorum in Urbe, in qua mortuum sepeliri prioribus æræ Christianæ sæculis Romanorum lege prohibebatur, et ad elucidandas nomenclaturas utriusque cœmeterii ad *Ursum Pileatum*, ubi sanctos pontifices Anastasium et Innocentium depositos fuisse memorant antiquæ Ecclesiarum tabulæ, et noster Bibliothecarius.

CIACONII.

Linea 1. — *Anastasius*, etc. *Sedit annos duos.* Quem, ut ait Hieronymus ad Principiam, diu habere Roma non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur : nam haud multo post ejus obitum Roma a Gothis capta fuit.

Linea 5. — *Via Mamertinia.* Mendum est : dici enim debet Mamurrina, ab ædibus Mamurri ibi locatis.

PAGII.

Linea 3. — *Hic fecit constitutum de Ecclesia.* Jam in Siricio diximus Rufinum Aquilejensem Origenis acerrimum defensorem, ejus errores Romæ disseminasse, ejusque libris Periarchon [illegible]te donatis aureo poculo Romanis venenum [illegible]. Eam ob causam S. Hieronymus Rufi[illegible]tationis perspectam fecit perfidiam, et [illegible]nem coarguit, data ad Pammachium [illegible]epistola LXV. Hieronymi criminationes apo[illegible]plici depellere conatus est Rufinus, cui duplicem quoque apologiam sanctus Hieronymus opposuit. Contentione effervescente, et Romanos, aliosque toto orbe Christianos diversa in studia distrahente, Anastasius pontifex Romanus Origenis errores hæreseos nota inussit, ut testatur Theophilus Alexandrinus in epistola ad quosdam monachos, quam Justinianus profert in Tractatu ad Menam, et S. Hieronymus lib. II Apologiæ, cap. 6. Rufinum præterea ad causam dicendam Romam vocavit; qui frivolis excusationibus pontificis citationem eludens, fidei professionem ad ipsum misit. Quare Anastasius libros Periarchon proscripsit, Rufinum interpretem castigavit, damnavit Origenem auctorem, populos terruit edictis principum, et Joannem Hierosolymitanum episcopum, Rufini atque Origenis fautorem arguit, serioque monuit, ne sibi pateretur illudi ab homine erroris defensore. Hæc constant ex celeberrima illa, et apostolici vigoris epistola ab Anastasio papa ad prædictum Joannem Hierosolymorum episcopum data, in qua sic loquitur pontifex : « Origenis quidem scripta, et errores damnavimus : interpretem vero, cum non satis, neque sua præfatione

Digitized by Google

an libros Origenis, neque apologia ad nos missa, se purgaverit, imo forte iisdem erroribus reipsa consentiat, Romam ad judicium sedis apostolicæ vocavimus, et renuentem venire eadem sententia involvimus. Damnationis autem epistolam fratribus nostris Venerio (Mediolanensi) et Chromatio (Aquileiensi, episcopis) scripsimus. »

De harum certe litterarum sinceritate dubitari non potest, cum S. Hieronymus lib. II Apologiæ primæ adversus Rufinum scribat, datas ab Anastasio litteras, quibus Origenem toto orbe prosequeretur; iisque acceptis Venerium Mediolanensem, et Chromatium Aquileiensem coegisse synodos, in quibus *pari sententia, quia et pari spiritu*, hæreticum Origenem denuntiaverunt populis. Damnatum præterea a se Rufinum Anastasius papa satis ostendit his postremis epistolæ verbis : « Ipse denique viderit, ubi possit absolvi. » Paulo ante, hæc verba in ea leguntur : « Illud quoque quod evenisse gaudeo, tacere non potui : beatissimorum nostrorum principum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocetur, damnatumque sententia principum, quem lectio rerum profana prodiderit, hactenus sententiæ meæ forma præcesserit. » Ad quæ verba Garnerius in notis ad eam epistolam tomo I operum Marii Mercatoris pag. 109 relatam, ait : Imperialium rescriptorum adversus Origenistas meminit Hieronymus his verbis, Apologia I adversus Rufinum : « Imperatorum quoque rescripta, quæ de Alexandria et Ægypto Origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt. » Hanc porro Origenis et Rufini damnationem contigisse anno quadringentesimo primo, eodemque epistolam illam ab Anastasio papa datam probat Annotator Baronii eo anno num. IX et seqq.

Eodem anno quadringentesimo primo ex concilio Carthaginensi missam ad Anastasium papam legationem refert Baronius, postquam celebratum est aliud concilium itidem Carthagine Idibus Septembris ejusdem anni ex omnibus Africæ provinciis; prius enim celebratum fuerat XIV Kalendas Julias, quam ultimam synodum monitu ejusdem Anastasii indictam esse censet. Cum autem utraque synodus eodem anno coacta fuerit, sub unius concilii *Quinti* nomine exhibetur in Collectione veteri. De utraque synodo legendus Marca in Dissert. de veter. Collect. con cap 8 et 9, et Schelstratius in diss. III de Ecclesia Africana cap 10, qui plura notant de canonibus in iisdem synodis editis. Addit Baronius desiderari litteras quas [illegible] ex scripsit ad episcopos Africanos.

Liber [illegible] de S. Anastasio scribit : « Hic constituit [illegible] cumque Evangelia sancta recitantur [illegible] in sederent sed curvi starent. » Huic [illegible] us credit occasionem dedisse contentionem, quæ his temporibus Romæ presbyteros inter et diaconos oborta erat : hi enim administrantes res Ecclesiæ, presbyteros spernebant ; presbyteri autem in eosdem insurrexere, atque ex consuetudinis Ecclesiæ Romanæ præscripto, ipsis sedentibus, eos stare debere contendebant. Sed eo usque contentio progressa est, ut etiam cum stantes diaconi coram populo legerent Evangelium, presbyteri tamen assurgere non dignarentur, ad majorem diaconorum humiliationem : quod Anastasius pontifex decreto emendavit, si libro Pontificali fides sit adhibenda.

SOMIER.

Linea 3. — *Hic fecit constitutum de Ecclesia.* Nempe in causa Origenistarum : de qua ita Somier lib IV. Hist. dog. S. Sedis lib. IV in fine capitis 3, et cap 4.

S. Hieronymus in epist. ad Pammachium et in Apol. contra Rufinum enarrat, Joannem episcopum Hierosolymitanum delatum fuisse apud Siricium papam a S. Epiphanio tanquam fautorem errorum Origenis : et Rufinum iisdem erroribus imbutum ita callide se transformasse, ut ab eodem pontifice litteras communionis obtinuerit, quibus ubique utebatur. Sub Anastasii pontificatu fraus detecta est, ejusque auctor proscriptus a sede apostolica.

Origenismus, de quo hic maxime agitur, octo capitibus præcipuis constabat, super quibus Joannes Hierosolymorum episcopus a S. Epiphanio accusabatur tanquam ex operibus Origenis decerptis. Eosdem errores Rufinus advexerat ab Oriente. *Octo tibi quæstionum capita objecta sunt*, ait S. Hieronymus (*epist* 61) : *Primum : Incognitum est dicere quòd possit Filius videre Patrem*, etc. Antequam Romæ ad sententiam procederetur contra Rufinum de iisdem delatum, consueta in ejusmodi negotiis providentia sedes apostolica instruxit causam. Datæ sunt ad Hieronymum in Oriente agentem litteræ, quibus ab eo petebatur fidelis versio libri Origenis *de Principiis* seu *Periarchon* : cujus scilicet legitimum sensum nosse intererat plurimum ; cum Rufinus de illo perverse reddito accusaretur. Auditi sunt complures, qui cum a Rufino suos in errores pertracti fuissent, ad sanam Ecclesiæ doctrinam subinde redierant. Ipse pontifex Anastasius non semel ad Rufinum perscripsit, mandans ut se sisteret ante tribunal apostolicum, purgaturus objectam sibi falsæ doctrinæ communionem. His præmissis, Anastasius solemni sententia Origenismum proscripsit, quemadmodum S. Hieronymus in epist ad Pammachium et Marcellam exposuit : « Quanquam celebri sermone vulgatum sit beatum quoque papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis hæreticos persecutum, ejusque litteræ doceant damnatum in Occidente quod in Oriente damnatum est : cui multos imprecamur annos, ut hæreseos rediviva plantaria per illius studium longo tempore arefacta moriantur. »

Anastasii definitionem adversus Origenismum ea qua par erat obedientia et alacritate receperunt Ecclesiæ Mediolanensis et Aquileiensis, ad quas illa perscribebatur, mox orbis Christianus universus eadem veneratione et gaudio suscepit.

Rufinus variis technis inutiliter rem protelans, apologiam suam et fidei professionem ad Anastasium papam tandem transmisit, confidentiæ quidem plenam, sed jejunam ejus detestationis errorum, quæ ab illo præ cæteris exspectabatur : « Æquum putavi, inquit, ut litteris meis satisfacerem beatitudini tuæ, non ut de sancta mente tua, quæ velut quoddam Dei sacrarium aliquid iniquum non recipit, maculam suspicionis abstergerem ; sed ut æmulis adversum me forte oblatrantibus baculum quemdam tibi confessionis meæ, quo abigerentur offerrem. » Verum pontifex animadvertens per illam apologiam non satis purgari Rufinum a contagio errorum Origenis, quorum causa institutum erat judicium, contumacem ita percullit sententia damnationis, uti exprimitur in litteris ab eodem Anastasio datis ad Joannem Hierosolymitanum : in quibus de Romanæ Ecclesiæ constantia in depositi fidei tuendo præclarum habetur testimonium : « Hæc igitur mente concessi, quod qui Urbis nostræ populis de translata Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus velut nebulam exsitans injectam, fidem apostolorum, majorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus illum voluisse dissolvere. Approbo si accusat auctorem, et exsecrandum factum populis prodit, ut justis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama constrinxerat. Si vero interpres tantorum malorum erroribus contentum præstat, et legenda impia dogmata prodit in populos, nihil aliud sui opera laboris exstruxit, nisi ut propriæ velut mentis arbitrio hanc quæ sola, et quæ prima apud catholicos Christianos vera fides jam ab apostolis usque ad tempus præsens tenetur, inopinatæ titulo assertionis everteret. Absit hæc ab Ecclesia Romana nequaquam catholica disciplina. Nunquam profecto eveniet, ut aliqua hoc admittamus ratione, quod jure meritoque damnamus. Qua-

Digitized by Google

propter in toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omnino non posse quæ Ecclesiam maculent, probatos mores evertant, aures circumstantium vulnerent, jurgia, iras, dissensionesque disponant, » etc. Qui de rebus ecclesiasticis scribunt deberent profecto hos illustres characteres auctoritatis pontificiæ præ oculis habere aliisque proponere, potius quam truncata testimonia aut ambigua, quæ in vulgus spargere inepte student, ad illam contra fas omne deprimendam.

Linea 5. — *Constituit nulla ratione transmarinum hominem ad clericatum suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographum, propter Manichæos.* Somier ibi cap. v, anno 401 : Duo concilia Carthagine celebrata sunt, primum XVI Kal. Junii, et alterum Idibus Septembris, in quibus testimonia illus[illegible]us.

[illegible]nastasius cum Venerio Mediolanensi, A aliisque episcopis in concilio considentibus vetuerant in clerum catholicum recipi clericos Ecclesiæ Donatistarum, licet schismati renuntiarent. Verum Africani Patres Carthagine ad concilium collecti XVI Kal. Junii, Ecclesiarum Dei per Africam constitutarum necessitatem extremam reputantes, ut clerici eisdem darentur, legatos et litteras ad S. Anastasium mittunt, necnon ad Venerium, ut de disciplina decreti nonnihil remitterent, donec ab inopia ministrorum Ecclesiæ Africanæ relevarentur. *Litteræ mittuntur ad fratres et coepiscopos nostros, et maxime ad sedem apostolicam*, etc. Ex his testimoniis patet, ab ecclesiis Africanis recognosci transmarino in tractu, in Italia, potestatem superiorem, a qua leges sibi dari posse fatentur, illisque parendum sibi esse sentiunt omnimode, ac promittunt, ut hic, adamussim observandis circa Donatistas. *Cætera vide in notis Pagii.*

XLII. SANCTUS INNOCENTIUS.

ANNO CHRISTI 402, ARCADII ET HONORII 8.

57 *Innocentius, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annos quindecim, menses* duos, *dies* viginti [a]. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum, et de Judæis, et de paganis, et multos Cataphrygas in urbe invenit, quos exsilio et monasteriis [b] relegavit. Et hic invenit Pelagium, Cœlestium hæreticos, et damnavit eos. Et hoc constituit, ut qui natus fuerit de Christiana, denuo per baptismum renasci debeat, hoc est baptizari, quod Pelagius damnabat [c]. Eodem tempore dedicavit basilicam sanctorum Gervasii et Protasii, ex devotione testamenti cujusdam illustris feminæ Vestinæ laborantibus presbyteris Cusicino [d], et Leopardo, et diacono Libyano. Quæ femina suprascripta testamenti paginam sic ordinavit, ut basilicam sanctorum martyrum ex ornamentis, et margaritis, venditis justis æstimationibus construeretur, et constructa est usque ad perfectum. In quo loco beatissimus Innocentius ex delegatione illustris feminæ Vestinæ titulum Romanum constituit, et in eodem Dominico loco [e] obtulit patenas argenteas duas, pensantes singulæ libras viginti; coronas argenteas duodecim, pensantes singulæ libras quindecim; amas argenteas duas, pensantes singulæ libras viginti; pharum cantharum argentum unum, pensans libras 22; cerostrata argentea quatuor pensantia singula libras triginta quinque; turrem argenteam cum patena, et columba deaurata pensantem libras triginta; ad ornatum baptismi [f], cervum argenteum fundentem aquam, pensantem libras viginti quinque; *vas ad oleum chrismatis argenteum, pensans libras quinque; vas aliud ad oleum exorcizatum, pensans libras quinque; patenas duas ad chrisma, pensantes singulæ libras quatuor; scyphum argenteum anaglyphatum* [g], *pensantem libras decem; scyphum alium argenteum, pensantem libras decem; calices argenteos quinque, pensantes singuli libras tres; calices argenteos baptismi numero tres, pensantes singuli libras duas; et alia dona multa largitus est; aquæmaniles argenteas, pensantes singulæ libras* 16; *pharacanthara ærea sexdecim, pensantia singula libras decem; item pharæcantharæ æreæ cerostratæ* [h] *in gremio basilicæ numero viginti, pensantes singulæ libras quadraginta.*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, mens 1, d. 10, a coss. Arc et Honor 5 ad Honor 11 et Constantium 2. [b] *CB*, in exsilio monasterii. [c] Baron : *non verbis sed reipsa, quia negabat pecc orig.* [d] *C* Ursicino. [e] *C*, eadem domo. [f] *C*, Bap isterii. [g] *C*, anaglyphum. [h] cerostrotæ.

Digitized by Google

58 *Domos juxta basilicam Libyanam, præstantem solidos* 32 [a]; *domum in clivo salutis balnearium* [b], *præstantem solidos* 88, *et trimisium* [c]; *possessionem Corras* [d] *in territorio Clusino, præstantem solidos septuaginta unum, et trimisium; possesstonem Corvianam in territorio Clusino, præstantem solidos octuaginta octo; possessionem Fundanensem in territorio Fundano, cum adjacentibus attiguis* 15, *præstantem solidos centum octuaginta unum, et trimisium; possessionem Figlynas in territorio Casinate, præstantem solidos sexaginta tres* [e], *et trimisium; possessionem Antonianam in territorio Clodiano, præstantem solidos quadraginta* [f] *duos; possessionem Amandani, quam donavit illustris femina Vestina consobrinæ suæ, in territorio Vegetano, præstantem solidos quadraginta sex et trimisium; domos Emeriti in clivo mammori* [g] *intra Urbem juxta basilicam, præstantem solidos sexaginta duos; domum in clivo Patricii arbitratam domum juxta basilicam in vico longo, quæ cognominatur ad lacum, præstantem solidos octuaginta duos; domum ad cathedram lapideam florianam, præstantem solidos quinquaginta octo; pristinum* [h] *in vico longo, quod* [i] *cognominatur Castorano, præstans solidos sexaginta unum; balneum in vico longo, quod cognominatur Templum, præstans solidos quadraginta; siliquas tres, uncias portæ Nuntanæ* [k] *tres, præstantes solidos septem et decem et trimisium* [l]. *Hic constituit* [m] *Sabbato jejunium* [n] *celebrari, quia Sabbato Dominus in sepulcro positus est, et discipuli* ejus *jejunaverunt.* Hic constituit basilicam beatæ Agnetis martyris a presbyteris Leopardo, et Paulino cum sollicitudine gubernari, et [o] regi, et ornari. Et ex dispositione Vestinæ tituli suprascripti presbyteris est concessa potestas. *Hic fecit ordinationes quatuor per* mensem *Decembris, presbyteros* 30, *diaconos* 12 [p], *episcopos per* diversa *loca quinquaginta quatuor.* Qui etiam *sepultus est ad Ursum pileatum,* v *Kalendas* Augusti, *et cessavit episcopatus* per *dies* 22.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C, 85. [b] C, Balneatæ. [c] C, tremissem. [d] C, Sarras. [e] C, 58. [f] C, 62. [g] C. Mamuri. [h] C, Pistrinum. [i] C, qui. [k] Numentanæ. [l] C, 22, et tremissem. [m] *Vide Baron ad annum* 417. [n] CB, sollicite, et digue [o] C. tegi. [p] CB, 15

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod. Freh.

Num 57, *lin* 2 *B*, dies **21**. *lin* 5. *AB*, Cœlestinum *lin* 9. *A*, Ursicino, *B*, Ursino. *lin* 16. *A*, libras, 25. *B*, 21. *lin* 17. *AB*, cerostata. lin 18. *AB*, libras 25. *lin* 19. *AB*, baptisterii. *lin* 26. *B*, aquamaniles argenteos. *lin* 28, fara canthara ærea cerostata *A B*.

Num 58, *lin* 1, 2, *A*, solidos 30. *B*, 75 et tremissem *ibid. A*, balneum in eodem loco juxta templum Mamuri, præstans solidos 35. *B*, loco Mamori, præstans sol 32. *lin eisd B*, domus in clivo salutis balneata. *A*, solid, 78. *B*, 77. *lin* 4, *A*, possessionem horas. *B*, possessio Corbiam, *lin ead*, *AB*, 79. *lin* 6, *A*, 180. *lin* 7 *et* 8. *AB*, sol 58. *lin* 9, *AB*, illustris femina. *lin* 11, *AB*, Mamurtini. *lin ead*, *B*, solidos 42. *lin* 15, *A*, qui cognominatur Castoriani. *lin* 17, *B*, uncias tres. *AB*, solidos 25. *lin* 20, *A*, quorum dispositione potestas tituli supradicti Vestinæ presbyteris concessa est. *lin* 24, *B*, dies 23.

Ex cod. Reg. Maz. et Thuan.

Num. 57, *lin* 2, dies 21 (*M*, d. 31). *lin* 3, Cat invenit, quos in ex. in monast rel. Hic inv. Pelag et Cœlestinum hær et d. e. et constituit ut q. n. f. de Christiano de uno nascatur per baptismum (*in ora Regii cod*, hoc est baptizetur, quod Pelagius damnabat). *Hæc non sunt in cod Maz.* Hic constituit Sabbato jejunium celebrari, quia Sabbato Dominus in sepulcro jacuit, et discipuli jejunaverunt. Hic dedicavit basilic. *lin* 9. Ursicino et Leupardo (*M*, Ursiano). *lin* 9, quæ femina religiosa est p. Sic ord. ut basilica SS. mart. A ex ornam et margaritis (*Maz*, margaretis, *ut in cod Thuano semper*) ejus construeretur, venditis scilicet justis æstimat. et constructa usque ad perfectum consummaretur. In quo loco beatus Innoc. *lin* 13, et eidem loco hæc dona obtulit. *lin* 15, 20 amas argenteas tres pens singulæ lib 20, cor arg. 12. p. s. *lin* 16, pharum cantharum 1 p. *lin* 17, cerostrata (*M*, cerostata), *lin* 18, lib 25, turrim arg. *lin* 19, baptisterii. *lin* 20, vas ad oleum crisme *lin* 22, libr 3, scyphos arg anaglyphos 2 pens sing libr 10, cal arg. bapt 3, pens sing lib 2 (*Maz*, lib 5), patenas argenteas 2 ad crisma pens sing lib 3, scyphos argent anag 2 pens sing. *lin* 25, cal argent 6, aquamanules argenteas (*M*, argenteos) p. s. 15, fara canthara ærea cerostrata) M, cerostata in gremio basilicæ 20 pensantia singula lib 40.

Num. 58, *lin* 1, Domus juxta basilicam Blianam præst sol 85 (*M*, 35) et trimissum (*M*, trimisium). Balnea in eodem loco juxta templum Mamuri (*M*, Mamurci) B præst sol 32. Domus in clivum salutis balneatæ, præst sol 81 et trimissum (*M*, sol 77 et trimissum). Possessionem Soras in territ Clusino, præst sol 79. Possessionem in territorio Fundano, cum adjacentibus adtiguis 15 præst sol 181 (*M*, 171 et trimissium). Poss F. i. t. c. præst sol 58 et tr. Possessionem Amandum, quam donavit illustri feminæ Vestinæ cons suæ in territ. Vegentano, præst sol 46 et trimisium. Possessionem Antonianam in territ Ludiano. præst sol 72. Domum Emeriti in clivum Mannutim intra urbem Romam, juxta basilicam, præst sol 72. Domum in clivum Patricii arbitrata, præst sol 60.

Digitized by Google

Domum juxta basilicam in vicum longum, quæ cognominatur ad Lacum, præst sol 82. Pistrinum in vico longo, qui cognominatur Castorini, præst sol 61. Balneum in v. l. quod cognom Templus, præst sol 60. Domum ad cathedram Florianam, lapideam, præst sol 53, siliquas 3, uncias 3. Portæ Numentanæ, præst sol 21 et trimisium. Hic constituit basilicam B. Agnetis m. a. pr. L. et P. gubernari, et eorum sollicitudine regi et ornari. Similiter dispositionis tituli supradictæ Vestinæ ab eodem presbyteris est com pot. *lin* 21, in urbe Roma per m. D. *lin* 24, est in cimiterio ad Ursum pileatum. A

Ex cod. Thuan. altero.

Num. 57, *lin* 2, d. 22. *lin* 3, et m. C. inv q, exilio monasterii r. et inv *lin* 6, denuo nasci per bapt hoc est. *lin* [illegible]cino. *lin* 10, suprascripti t. *ibid* ut et basi[illegible]ex o. construeretur venditis justis æstim et [illegible], Romæ c. in e. D. obt. *lin* 16. farum c. una[illegible]lib 22, cereostata. *lin* 18. lib 25. *lin* 19, ornatum b. *lin* 25, lib 3, f. a. anaglyphum. *lin* 26, libras 2. B

Num. 58, *lin* 1, præst sol 85 et trimisium. Balneum in eodem loco juxta templum Mamuri, præstans sol 32. Domus in clivum S. balneata, præst sol 77 et tr. Possessio Soras territorio C. Possessio c. t. cl. pr. sol 79. Poss Fundanensis terr Fr. *lin* 6, 58 et trim. Possessio Amandini q. d. illustris feminæ Festinæ c. S. terr Vegetano, pr. sol 46 et tr. Possessio Antoniana terr Lodiano, præst sol 66. Domus Emeriti in clivum majori intra urbem Romam i. b. *lin* 13. Domus ad cathedram lapide Floriana. *lin* 14, Pistrinum *lin*. 15, Castorani p. s. 51. *lin* 17, Mamertinæ, præst sol 22 et trim. *lin* 18, discip jejun. Hic constituit ut bas B. Agnæ. *lin* 20, tegi et orn quorum depositione tituli supradicti Vestinæ p. c. p. *lin* 21, hic f. o. 4 in urbe Roma per m. d. *lin* 22, pr. 30. Qui etiam sepultus est in cim ad V. *lin* ult., episc d. 22.

Apud Holsten. et Schlestrat.

Num. 57, *lin* 2. *Flor*, dies XXI. *Lin* 4. *Flor duo*, in quos exilio monasterii relegarit. *Lin* 8. *In Flor sec deest* testamenti. *Lin* 9. *Flor*, Ursicino. *Flor sec*, Ursino. *Lin* 12. *Flor deest* loco. *Lin*. 16 *Flor*, aureum.

Num. 58, *lin* 20, *Flor duo:* ornari eorum dispositione tituli suprascriptæ Vestinæ presbyteris concessa potestate. *lin* 22, *Flor duo*: Diaconos XVII. *lin* 23, *Flor sec*, in cœmeterio ad Ursum pileatum Kalena.

Apud Peniam ex cod. Cavensi.

Num. 57, *lin* 5, et Cœlestinum hæreticos, et dampnavit eos. *lin* 6, renasci, hoc est rebaptizare, quod Pelagius dampnabat. *lin* 9, presbyteris Ursicino et Leopardo. *lin* 10, ut basilicam sanctorum martyrum ex ornamentis et margaritis construerent, venditis justis æstimationibus. *lin* 12, et constructa est usque ad perfectum basilica. *lin* 18, pens lib XXV.

Num. 58, *lin* 20, gubernari, et tegi, et ornari eorum dispositione, titulum superscriptæ Vestinæ presbyteris concessa potestas.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Num. 57, linea 3. — *Et de regulis monasteriorum.* Undenam desumpserit auctor Libri Pontificalis, quod Innocentius primus decretum ediderit de regulis monasteriorum, me penitus latet, nihil enim hac de re in secundo Catalogo tempore Justiniani imperatoris concinnato. Notat autem ad hæc verba Lucas Holstenius: *Hinc apparet imperitia scriptoris.* Attamen miratus sum, hominem eruditum hæc animadvertisse: a Damasi enim ætate monachi Romam venerant ductore D. Athanasio, Romanasque virgines et matronas monachorum instituta docuerat D. Hieronymus, adeo ut Innocentius primus, qui diu post Damasum floruit, de regulis monasteriorum statuta edere potuerit, præsertim cum Siricius Innocentii prædecessor, ab hæresi Manichæorum revertentes in monasteriis ad agendam pœnitentiam recludi voluerit, ut supra annotavimus. C

ALTASERRA.

Num. 57, linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum.* Innocentius I regulas dedit monachis quæ desiderantur. Per id tempus Augustinus regulam dedit sanctimonialibus. Testem ipsum habemus epist. 109, qua continetur regula. Ante Siricium monachi erant extra clerum. Siricius I monachos in clericos ordinari optavit et voluit, can. *Monachos* 16. quæst. 1. D

Linea 25. — *Calices argenteos baptismi numero tres, pensantes sing. libras.* Innocentius obtulit calices argenteos baptismi causa. In ecclesiis erant calices dicati baptismo, id est, ad tribuendam sacram communionem baptizatis, quia baptizati statim a baptismo admittebantur ad sacram communionem sub utraque specie, ut moris erat ea ætate. Tertull., de Pudicitia, cap. 9: *Annulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur.*

BENCINI.

Num. 57, linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia.* Summatim deinde recenset quæ Innocentius decrevit, unde cum veluti de re manifesta id efferat collector harum additionum catalogis factarum, earumdem constitutionum argumenta propterea non assignavit, quia obvia in codice aliquo earumdem erat reservata memoria. Quod esset proprius codex Innocentianus, vocatus ab ipso *Liber regularis*, ubi hæc constituta continentur, probare videntur verba ejusdem Innocentii ad Vitricium Rothomagensem ipso in limine epistolæ scribentis: « Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, et consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis ecclesiis præsident, regularem hunc librum, quasi didasculum, atque monitorem sedulo insinuare, ut et nostros cognoscere, et ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. »

Linea 3. — *Et de regulis monasteriorum.* Heterodoxi, aliquique etiam ex nostris importunam hanc additionem arbitrantur, qua asseritur cœnobia tunc multiplicata, cum prorsus nulla censeant in Urbe fuisse monasteria; verum ingens Fanorum destructio per Theodosii legem datam Bæmii potuit occasionem præbere, ut in [illegible] orerentur collegia sita apud eadem fana, domus [illegible] amplas pro sodalium antistitum receptacolo fuisse Romæ, nemo est, qui vel primis labiis eruditionem degustarit, et ignoret. Celeberrimum inter hæc erat Saliorum. Erant et qui *vocabantur fratres*, et horum inscriptiones ostendunt loca, et sodalitium, quas viri docti illustrarunt. Exstitisse tunc in Italia monachos docet epistola, quam tunc senex scripsit ad Paulinum S. Hieronymus *de institutione monachi*. Apertius exprimitur in epistola 16 ad Principiam, ubi sic: « Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, et rus electum pro solitudine, multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri. ..gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ. »

Linea 4. — *Monasteriis relegavit.* Quod antea de Manichæis decreverat Siricius, unde usus eorumdem probatur. Exsilii, et relegationis pœnæ facilius exsequi poterant, ea temporis circumstantia, cum post annum 388 Theodosii leges erant promulgatæ, quæ hæreticis omnibus exsilia et relegationes imponerant.

Vid.: *et in. Invenit Pelagium.* Hæc omnia unica

Digitized by Google

periodo recenset Liber Pontificalis, quo ostendere videtur, et illa in libro Constitutionum reservari. Dicitur autem quod *invenerit Pelagium et Cœlestium*, id est per epistolas familiares episcoporum, aliorumque primo cognitorum, deinde per synodicas eorumdem, ac tunc tandem *damnavit*. Erant epistolæ familiares quasi excitativæ epistolæ ad aliquid agendum : has a synodicis discriminat S. Augustinus epistola data Paulino, sive Bonifacio, sic quod synodicæ inscriberentur *relationes ad sedem apostolicam*, alii ad Innocentium. Sic post initium : « Missæ sunt itaque hac de re ex duobus conciliis Carthaginensi, et Milevitano relationes ad sedem apostolicam..... scripsimus etiam ad beatæ memoriæ papam Innocentium, propter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi aliquanto diutius de ipsa causa egimus. Ad omnia ille nobis rescripsit eodem modo, quo fas erat et oportebat apostolicæ sedis antistitem. » Sicuti enim erant epistolarum directarum discrimina, ita eodem modo pontifex convenientia respondebat. Qua distinctione occurrerunt catholici in celebri collatione, cum prolatæ essent Mensurii primatis Carthaginensis epistolæ ad Secundum Tigistanum, nam teste S. Augustino in breviculo c. 13 in fine dicitur : *Hæ litteræ Mensurii et Secundi donec legendo terminarentur, catholici patienter audierunt, quamvis testati fuerint, eas esse familiares, nec ad causam Ecclesiæ pertinere.* Discrimen nempe ex consuetis epistolarum notis colligentes. Hæresiarcharum itaque detectio facta est per epistolas familiares ; auctoritativa vero damnatio subsecuta est ad petitionem episcoporum post factas relationes ad sedem apostolicam. Carthaginensis enim synodus, et Milevitana, discusso negotio in relationibus synodicis certiorem fecerunt pontificem, ut ipse sua auctoritate, et summo jure firmaret gesta conciliaria. Aiunt enim in relatione synodica Patres Carthaginenses : *Censuimus hujusmodi persuasionis auctores Pelagium, et Cœlestium anathematizari oportere.* Ea nempe ratione, ut emanata a sede apostolica auctoritas ab universo orbe recipiatur, quod innuunt sequentia synodicæ verba. « Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam etiam perversitate corrigenda. » Eodem sensu Milevitani PP. in sua synodica : « Quia te dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris, » etc. Et reliqua quæ adducuntur, ubi assignatum discrimen probatum apparebit. Quam explicationem roborat Prosper in carmine de ingratis, cum de Pelagianis :

> Pestem subeuntem prima recidit
> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo quidquid non possidet armis
> Religione tenet

Eodem sensu incesserant Patres concilii Hierosolymitani sub Joanne, qui teste Orosio in Apologia, ubi cap 2, 3 et 4 gesta referens, disceptationis finem sic profert : « Joannes episcopus novissimam tandem postulationem, intentionemque nostram, ut ad beatum Innocentium papam Romanum fratres et epistolæ mitterentur, universi quod ille decerneret secuturi.... universi in hanc sententiam consensimus : gratiarum actione celebrata, pace facta, et consummata ad pacis testimonium oratione discessimus. » Et si hæc Acta Jansenius suppositicia dicat, Garnerius tamen dissert 2 ad Marium Mercatorem, notis lib 1 Hist Pelag, c. 7, et novissime PP. Benedictini in præfat ad tom X Operum S. Augustini ea vindicant a tali nota. Quid egerit Innocentius manifestum est, dum sententiam in hæresiarchas protulit.

Lin. 6. — *Denuo per baptismum renasci debeat.* Primum errorem Pelagianorum proscribit pontifex per hæc verba, dum illi negantes peccatum originale, consequenter inutilem pro eo remittendo putabant baptismi collationem. Erat error hic veluti cæterorum omnium basis, quem ita in præfatione libri subnotationum proponit Marius. « Progenitores humani generis Adam, et Evam mortales a Deo creatos, nec quemquam posteriorum sui prævaricatione transgressi læsisse, sed sibi tantum nocuisse, seque mandati reos apud Deum fuisse, alterum penitus nullum. » Declaravit itaque Innocentius baptismum institutum ad remittendum peccatum originale, nec Christianum reputari, nisi qui peccato originali mortuus per baptismum renascatur. Unde quæ a Zozimo Cœlestii proscripta propositio erat : *Infantes, etiamsi non baptizentur, habent vitam æternam.* Ex commonitorio Mercatoris.

Lin. 8. — *Ex devotione testamenti cujusdam illustris feminæ Vestinæ...* Quæ hic recensentur facta ex rerum mobilium largitione, et deinde possessiones Ecclesiæ attributas infra numeratas, potuit Liber Pontificalis ex tabulis eruere exstantibus in ipsa Ecclesia, ubi plerumque, et testamentum, et dona Ecclesiæ oblata, et benefactores recensentur : uti in præfatione tomi prioris enucleavit clar. editor, natus ad profanam et sacram eruditionem illustrandam. Apud gentes hæc numerica, donorum, et bonorum largitio in tabulis incisa reperitur. Plura exhibet Gruterus ; nos selegimus eam, quæ mutilata Smyrnæ inventa est, propria Smyrnensis Gymnasii, ubi et Lucii Vestini mentio occurrit, et sic in fragmento : « Sub hujus prætura polliciti sunt, Cl. Bassus certaminum præses Nemesinm palatium tegere ; Fuscus opus facere Minarum VIII. Chertsiphron Asiarcha Portos ad Palmetum, Lucius Pompeius in Palmetum min. V. Lucius Vestinus eam palatii partem tegere, quæ curiæ proximat, et ostia ænea facere, Smaragdus Prytanis Fortunæ fanum exstruere in Palmeto Claudianum inaurare tectum loci ungendis senatoribus destinati. Et alii in templi pulvinar (seu locum supplicandi) columnam cum capitelo tortili. Nymphidia sacerdos summa, Cl. Artemilla, Cl. Polla, Cl. Niceta, Theudianus, Stephanophorus II, Fl. Asclepa, Isidorus Sophista, Antonia Magna minam I, Cl. Ariston, Albidia Magna minam I, Cl. Hedia minam I, Cl. Charis minam I, Cl. Leontion minam I, Cl. Aurelia columnas Siricius : tortilibus in Palmetum III. Qui nuper affluere Judæi minam I, Metrodorus Nicanoris filius. Dicenus in Palmetum denariorum VII, CIC. S. Murrnus, et Cilianus minas II. Et quæ accepimus a domino Cæsare Adriano per Antonium Pelomonem, secundum nempe Senatus Consultum, quo tempore bis editui eramus, certamen sacrum, immunitatem, theologos, hymnorum cantores, miriades centum quinquaginta, columnas in ungendi locum Synnadeas DCCIII. Numidicas XX. Porphiriticas XC, sed constructum est etiam Solarium a Sexto pontifice Maximo. » Hæc erat prioris ævi diligentissima benefactorum memoriæ conservandæ cura, quam meliori instituto reformantes Christiani locum dederunt, et inde liber Pontificalis, sive additorii labore, et studio collecta rudera, in libris, marmoribus, inscriptionibus et similibus pro memoria reservaret.

Num. 58, lin. 19.—*Presbyteris Leopardo et Paulino cum sollicitudine gubernari, et regi, et ornari.* Prior hic occurrit mentio plurium presbyterorum regentium eamdem Ecclesiam ; et quidem cum potestate, uti declarant sequentia verba. *Et ex dispositione Vestinæ, tituli suprascripti presbyteris concessa potestas.* Unde etiam colligendum videtur, quod cum in vitis singulorum pontificum assignatur numerus diaconorum, et presbyterorum, id tantum intelligendum de ordi-

Digitized by Google

natione facta personarum ad dignitatem et designationem ecclesiarum, seu titulorum, non vero quod tantum eas personas ordinaverit, et non alios. Etenim cum plures recenseantur presbyteri, et major ordinatorum diaconorum numerus non excedat septenarium, inde esset arguendum, quod assumpti presbyteri antecedenter non fuerint diaconi, quod a moribus Ecclesiæ omnino alienum est. Deinde certum est quod subdiaconi acolythi, et lectores essent in Ecclesia Romana, uti testatissimum facit epistola Cornelii ad Fabium, et nihilominus non recensetur eorum ordinatio. Ordinabantur itaque et alii cum iis, quos pontifices deputabant ad curam Ecclesiarum, ut adessent plures suo tempore assumendi ad dignitatem vel presbyteratus, vel diaconatus Ecclesiæ Romanæ, reliquis persistentibus in proprio ministerio. Quod hic clare designatur, ex eo quia Leopardus [illegible] Paulinus (omnino legendum Ursicinus) antea simplices erant presbyteri, et ex Vestinæ dispositione potestatem habuerunt basilicæ S. Agnetis, quæ potestas explicatur hic per illa verba *gubernare, regere, et ornare*, et facti sunt presbyteri tituli S. Agnetis, seu dignitatem illam obtinuere. Habuisse vero curam reddituum, possessionum, fundorum, etc., infra notabitur, et hic certo supponitur.

BINII ET LABBEI.

Num. 57, linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia.* Id est decretum ad universalem Ecclesiam pertinens.

Lin. 4 et 5. — *Invenit Pelagium et Cœlestinum.* De qua condemnatione S. Prosper adversus Collatorem ex verbis Zosimi papæ hæc refert : « Constituimus in Pelagium et Cœlestium per venerabilem Innocentium de beatissimi apostoli sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiam Dei, » etc.

Lin. 6 et 7. — *Baptizari, quod Pelagius damnabat.* Pelagius epistola sua ad Innocentium scripta, ut habet August. de Peccato orig., cap. 17, conquestus est se calumniose hac in re infamari. *Dicit*, inquit Augustinus prædicto loco, *se ab hominibus infamari, quod negaret parvulis baptismi sacramentum, et absque redemptione Christi aliquibus regna cœlorum promittat.* Unde quod hic dicitur Pelagium baptismum infantulorum negasse, sic accipiendum est quod si non verbis, reipsa tamen damnasse videri poterat, dum peccatum originale cujus gratia baptismus necessarius est infantibus, negaret.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Non est cur addam plura ad confirmandam epocham sedis beati pontificis Innocentii ejus nominis primi ; cum satis demonstrata sit in num. 55 S. Siricii : ubi trium pontificum tempora sunt perspicuis documentis.

Unum discrimen superest numerationis hac in epocha ab Idacii Chronico dispungendum : quod plures chronologi pridem notarunt. « Idatius episcopus (ait Card. Noris, *Hist. Pelag.* lib. I, cap. 11, pag. 72) qui juvenis sub Innocentio vixit, initium et finem pontificatus Innocentii duplici charactere cœlesti signat : Anno *Arcadii octavo solis facta defectio tertio* Idus Novembris *feria II. Romanæ Ecclesiæ XXXVIII habetur episcopus Innocentius.* Altera etiam eclipsi designat annum obitus ejusdem. *Honorii* (Anno) 24 *solis facta defectio die* XIV *Kal. Augusti, qui fuit V Feria. Romanæ Ecclesiæ XXXIX præsidet episcopus Zosimus.* Initia Innocentii recte statuuntur anno octavo Arcadii (cum Honorio fratre die 17 Januarii ann. 395 imperare cœpit) nempe ann. 402, etc. Tria emendat cardinalis doctissimus in textu Idacii. Primo feriam utriusque eclipseos solaris : quarum priorem in Idus Novembris feriæ III non secundæ nomine donandam ostendit. Similem correctionem adhibendam monet cum chronologorum præcipuis, Petavio præsertim, in feria alterius eclipseos solaris anni 402, die XIV Kalend. Augusti, ubi V pro VI feria est perperam enuntiata. Alterum erratum Idacii est in numero successionis assignando. Ostendit enim card. Norisius, Innocentium dici oportere XXXX pontificem a B. Petro in Romana cathedra, Zosimum vero XLI, quam emendationem dicimus ex æquo necessariam. Tertium vero quod exhibet corrigendum in anno inchoati regiminis ab Innocentio, dum electum putat Norisius anno 402, non admittimus, postquam compertum fuit Anastasium ejus decessorem vita perfunctum ante exitum anni 401 (uti paulo ante probatum fuit, et confirmari potest per adducta in Annalibus Pagii ad ann. 402, n. 16 et 17 necnon ad 417, n. 4, licet de die mortis cum hoc non consentiam) : non vero circa finem Aprilis anni 402, uti senserunt scriptores præteriti sæculi quibus adhæsit Norisius, nondum edito Martyrologio veteri per Florentinium. Ex hoc rursum addiscimus, depositionem [illegible] papæ referri ad 12 Martii, uti ex plu[illegible]rologiis collegit Pagius senior ad annum 417, n. 6, et aliquam ex translationibus ejusdem relatam pertinere ad diem 28 Junii, qua colitur. Nos dispositionis non immutata ab asserta in his Martyrologiis, obitum ejusdem ex documentis antea productis in notis Chronologicis ad Siricium retulimus ad diem 14 Febr. ann. 417, quo anno successisse Zosimum, et Pascha celebrasse jam constat. Unitatem itaque addendam numero utriusque feriæ apud Idacium admittimus cum Norisio. Annum octavum Arcadii alligari etiam potuisse apud eumdem cum primo Innocentii priori in trimestri anni 417, ante Pascha contendo ex consueta methodo Chronologorum illius ætatis passim referentibus annos imperatorum, præsertim Orientalium, ad flexum indictionis mense Septembri, annos vero pontificum Romanorum ad epocham Paschalis festi per ipsos celebrati. Cum igitur successisset Innocentius Anastasio circa finem anni 401 ; in proximo Paschate anni 402, labebatur adhuc primus annus ejusdem sedis : quo etiam tempore signari potuit octavus Arcadii, connotando indictionem ab ejus octavo inchoatam et in Paschate 402 adhuc labentem. Siquidem Theodosius Arcadii pater diem objectat XVI Kalendas Febr. anno 394, labente indictione VII, quæ cœperat ex mense Septembri 393, et patri Theodosio tribuebatur cujus vita constante inchoaverat. Sequens autem indictio VIII, quæ exordium sumpsit per Septembrem anni 394, afficiebat annum primum tunc labentem imperantis Arcadii. Quare post annos septem inde evolutos, nempe Septembri anni 401, numerari cœpit indictio XV, tunc pariata cum octavo regiminis Arcadii et diffunderida usque ad Septembrem anni 402. Annus igitur Romanus 402 Kalendas Januarii obtulit signatas indictione pariata cum octavo Arcadii et cum primo anno Paschali Innocentii, qui secundum Pascha nondum celebraverat sui pontificatus. Hac igitur ex putatione temporis Paschalis in pontificibus, et indictionalis in imperatoribus fit, ut annus octavus Arcadii parietur apud Idacium cum primo Innocentii, et Arcadii vigesimus quartus cum primo Zosimi, qui successit Innocentio ante Pascha anno 417.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 57, linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia*, etc. Constitutiones præcipuas Innocentii tribus ejusdem epistolis decretalibus contineri Pagius observat ex n. 3 ad 18. Prima signatur XV Kalendas Mart. coss. Honorio Augusto VI et Aristæneto, nempe anno Christi 404, et inscribitur ad Victricium episcopum Rothomagensem. Data est secunda X Kalend. Martii Stilicone iterum et Anthemio coss. (anno 405) ad Exuperium episcopum Tolosanum. Tertia XIV Kalend. Aprilis Theodosio Aug. VII et Palladio coss. (Christi 416). De reliquis ejus decretalibus vide

Digitized by Google

ipsius numerum XIX. Supersunt aliæ Innocentii epistolæ præter decretales, quas Pagius expendit numeris subsequentibus.

Lin. 3. — *Et de regulis monasteriorum.* Mirum profecto est reperiri cordatos viros, qui regulas monasteriorum ab Innocentio perscribi minime potuisse contendant; cum intelligatur ex libris SS. Patrum tum in Oriente, tum in Occidente hac eadem Innocentii ætate præcipuas monachorum regulas fuisse dictatas. Ut vero sileam de Orientalium monachorum legislatoribus Innocentio æqualibus, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Athanasio, Cyrillo, inter Occidentales monachorum magistros solus Hieronymus phalangem ostendit in Gallia : ubi Rustico monacho indicat Exuperium Tolosanum episcopum tanquam magistrum, ad quem decretalis illa celebris ab Innocentio dabatur, paulo ante a nobis memorata : et cum Exuperio demonstrat sanctum doctumque pontificem Proculum : *qui viva*, inquit, *et præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat.* In Gallia Hilarius, in Gallia Martinus monachorum scholas aperuerunt, et regulas tradiderunt ætate Hieronymi et Innocentii. Eucherius, Maximus, Lupus, una cum Hilario jam memorato, easdem addiscebant sub Honorato in insula Lerinensi prope Massiliam, ut probat card. Norisius, Hist. Pelag. lib. II, cap. 1. Quid plura? singuli propemodum episcopi cœnobitarum ferme vitam inter clerum suum hoc tempore instituebant. Ita nempe Augustinus in Africa, Patricius in Hibernia, apud Antissiodorenses Germanus, apud Nolanos Paulinus, aliique passim. Vide notas Schelestratii et Pagii 11, ad hunc num.

Lin. 3 et 4. — *Et multos Cataphrygas in Urbe invenit, quos exsilio et monasteriis relegavit.* Cataphrygum hæresis, a Montano ex Phrygia disseminata, inter cæteros errores de Divinis personis impie sentiebat, ut ex epistola 54 S. Hieronymi docemur. Quare eorumdem baptisma tum a concilio Laodiceno, tum a Nicæno rejectum Baronius ostendit ad annos 314 et 325. Horum e grege superstites fuisse in Urbe constat ex aliegata epistola Hieronymi; cum insussurasset Marcellæ quidam Montani sectator testimonia ex Evangelio Joannis ad suam hæresim detorta. Contra hos igitur insidiatores catholicæ religionis apostolica Innocentii cura judiciorum auctoritatem exercuit. Quare Socrates Hist. Eccl. lib VII, cap. 9, scribit : *Anastasium deinde excepit Innocentius : qui quidem primus Novatianos Romæ degentes persequi cœpit, multasque eis ecclesias ademit.* Contumaces exsilio multavit : resipiscentes monasteriis inclusit (uti Hieronymus indicat epist. 4 ad Rusticum), ut ibi possent juxta probatas SS. Patrum regulas austerum vitæ genus colere sub præpositi obedientia sibi plurimum profuturum quicunque superstitiosa Montani jejunia antea sectati non modo irritas, sed etiam invisas Deo pœnas de se sumpsissent. Nec defuit prope Urbem per hæc tempora monasterium; cum extra portam Angelicam primo ab Urbe lapide constructum monasterium, *Pineti* nomine dictum et a Rufino descriptum, ostendat card. Norisius, Hist. Pelag. pag. 19 in fine capitis 2.

Lin. 4 et 5. — *Et hic invenit Pelagium et Cœlestium hæreticos, et damnavit eos.* Vindicias litterarum et gestorum Innocentii contra iniquas censuras Erasmi et Vossii vide susceptas, et feliciter præmissas ante duodecim sæcula ab Augustino in locis per eminentissimum Norisium productis ex libris ejusdem Patris, Hist. Pelag. l. I, c. 11.

CIACONII.

Num. 57, linea 1. — *Innocentius natione Albanensis.* In Martyrologio Romano martyr legitur. Quo nomine is fortasse appellatus est ob admirabilem virtutem, summam constantiam cum martyrum fortitudine comparandam, quam in omni pro fidei defensione, A proque Ecclesia tuenda, certamine præstitit, ut res ejus gestæ indicant, præclarumque testimonium dant Chrysostomus, Palladius Helenopolitanus, illius discipulus, Theophilus Alexandrinus, S. Hieronymus in epist. ad Demetriadem, S. Augustinus in multis epistolis et in lib. contra Julian. Patres præterea concilii Carthaginensis, et Milevitani.

Num. 58, lin. 23. — *Sepultus ad Ursum Pileatum.* Corpus S. Innocentii sepultum ad Ursum Pileatum, ad S. Bibianam, postea translatum fuisse ad titulum Equitii, id est S. Martinum et Sylvestrum in montibus, docet vetus inscriptio ibidem posita.

PAGII.

Num. 57, linea 2. — *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum.* Ad quæ verba Holstenius notat inde apparere imperitiam scriptoris libri Pontificalis. Sed Schelestratius in Nota ad illa verba B miratur hominem eruditum hæc animadvertisse : a Damasi enim ætate, inquit, monachi Romam venerant ductore divo Athanasio; Romanasque virgines et matronas monacharum instituta docuerat divus Hieronymus, adeo ut Innocentius I, qui diu post Damasum floruit, de regulis monasteriorum statuta edere potuerit; præsertim cum Siricius Innocentii prædecessor, ab hæresi Manichæorum revertentes, in monasteriis ad agendam pœnitentiam recludi voluerit, ut in Siricio num. 10 diximus. Unde Innocentius in epistola ad Victricium episcopum Rothomagensem, statuit decreto decimo, propositi sui tenaces, et monasticæ disciplinæ observatores esse monachos qui ad clerum promoventur.

Non me latet heterodoxos dictam Innocentii ad Victricium Rothomagensem epistolam sugillare, vel etiam penitus rejicere; quod in ea quædam sint decreta, quæ de verbo ad verbum continentur in epistola Siricii. Sed cum decreta 12 et 13 ejusdem Innocentii epistolæ, de quibus loquuntur heterodoxi, C citentur ex epistola Innocentii in concilio Turonensi III, anno 566 vel 567 celebrato, et ibi approbentur, et Innocentius melius facere non potuerit quam majorum instituta tradere, nemo jure dubitaverit de illa decretali epistola Innocentii, quam Dionysius Exiguus inseruit integram in Codice Ecclesiæ Romanæ, sicuti nemo dubitaverit de epistola Siricii, a concilio Zellensi, et a Ferrando laudata.

Hanc decretalem epistolam ad Victricium scripsit Innocentius papa anno quadringentesimo quarto, eaque eum monet, ut illam episcopis suffraganeis et vicinis Ecclesiis notam faciat, ut cognoscatur quæ sit Romanæ Ecclesiæ praxis. Innocentius epistolam illam *Librum Regularem* appellat, qui alius esse non videtur ab iis decretis, quæ adeo epistolæ ipsi conjuncta sunt, ut illius partem constituere videantur. Tredecim decreta in ea continentur, quorum tertio statuit, causas clericorum, tam superioris, quam inferioris ordinis ab episcopis provinciæ judicari, se- D cundum Nicænos canones, « sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri. » Duodecimo statuit « eas, quæ Christo specialiter nupserunt, et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant, de sæculo recesserit : et eas, quæ vivente adhuc viro, alteri nupserint, haberi adulteras, nec eis concedendam esse agendæ pœnitentiæ licentiam, nisi unus ex eis fuerit defunctus. » Decimo tertio tandem et ultimo decreto statuit : « Pœnitentiam aliquanto tempore iis esse agendam, quæ nupserint, postquam in proposito virginitatis semper mauere promiserant, etiamsi velatæ non fuerint. » Cætera decreta in tomis Conciliorum legenda.

Secunda Innocentii decretalis epistola anno quadringentesimo quinto data est ad Exuperium Tolosanum episcopum, et septem decreta seu canones

Digitized by Google

continet. Primo clericos incontinentes, nempe sacerdotes et diaconos omni honore ecclesiastico privandos decernit : et sanctissimam cælibatus legem a Siricio decessore ipsis positam confirmat. Septimo librorum canonicorum indicem describit, eosque ab Ecclesia receptos velut sacros et divinos testatur et pronuntiat : quem indicem cum legant Calviniani et Lutherani, se ab Ecclesiæ veteris sensu et fide, quoad numerum librorum canonicorum, agnoscent alienos; non enim Innocentius sententiam solum suam exponit, sed Ecclesiæ doctrinam et traditionem ab apostolis ad sua tempora derivatam, et in Romana Ecclesia conservatam.

Sed, ut ad dictam Innocentii ad Decentium Eugubinum epistolam redeam, ex ea Arcani disciplina primis Ecclesiæ sæculis caute custodita probatur; cum Innocentius ad catholicum episcopum scribens, ne quidem de forma consecrationis, sed nec et de forma confirmationis scribere voluerit; capite enim 3 de hoc ultimo sacramento loquens, ait : *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere;* de qua ideo disciplina hic agendi locus se offert. Notum est illud Augustini tractatu 96 in Joannem : *Catechumenis sacramenta fidelium non producuntur;* et illud magni ejusdem Ecclesiæ doctoris : *Nesciunt catechumeni quid accipiant Christiani.* Notum quoque est illud Chrysostomi, homilia 27 in Matthæum : *Eucharistiæ mysterium..... initiati solummodo noverunt.* Et illud Catechesis prioris Cyrilli Jerosolymitani ad baptizandos : *Scinnt initiati vim hujus poculi; scietis vos quoque paulo post.* Apud ipsas philosophorum sectas diu ante Christi adventum observatum fuisse, ut profani procul a sacris arcerentur ostendit Schelestratius laudatus ex Jamblico lib. II de Vita Pythagoræ, cap. 82, et ex Clemente Alexandrino, lib. V Stromatum.

Porro inter omnes convenit eam disciplinam pro catechumenis, Judæis et gentibus observatam fuisse, non vero pro fidelibus seu baptizatis, quibus cuncta religionis catholicæ mysteria absque ulla verborum ambage exponi poterant. Putabant enim Patres sequendum grave illud Christi mandatum apud Matthæum cap. VII : *Non esse dandum sanctum canibus, nec margaritas projiciendas esse ante porcos.* Cum vero sancti Patres unanimi voce ex verbis Christi relatis disciplinam Arcani introductam fuisse asserant, liquet eam ex traditione apostolica provenisse: neque enim communis ille Ecclesiarum consensus ex decreto alicujus particularis vel generalis concilii ortum duxit, sed omnes per orbem Ecclesiæ eamdem disciplinam observarunt, absque eo quod certo quodam tempore ea cœpisse reperiatur : Quare juxta D. Augustini regulam, hæc una est ex eis, quæ ex traditione apostolica ad nos pervenere.

Protestantes Arcani disciplinam apud orthodoxos in mera rituum occultatione olim sitam fuisse dicunt. Sed complura sunt sanctorum Patrum testimonia, ex quibus luce clarius monstrari potest, antiquam Ecclesiæ disciplinam non solum in symbolis sacramentorum, eorumque ritibus, sed etiam in rebus per ipsa significatis, seu contentis, occultandis viguisse. Exstat celeberrimum totius Italiæ testimonium, quod Julius primus suo nomine ad Eusebianos transmisit, et contra eosdem urget Athanasius in Apologia secunda. Non solum enim accusant Eusebianos, quod de calice et mensa sermonem habuissent in præsentia præfecti, assistentibus tum ethnicis, tum Judæis; sed quod coram iisdem, præsentibus quoque catechumenis, *quæstionem de sanguine et corpore Christi habuissent.* Quæ his verbis totius Ægypti episcopi in synodica ad omnem sub cœlo Ecclesiam deplorant : *Coram ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesia, de calice, de mensa Domini, de sanctis sanctorum habuere.* Nam per sancta sanctorum intelligenda sunt sacramenta corporis et sanguinis Christi, quæ gentilibus, Judæis, catechumenis, occultanda, non publicanda erant.

Deinde Schelestratius ex Origene lib. I contra Celsum probat eamdem de mysterio Arcani disciplinam in Ecclesia tam quoad dogma quam quoad ritus receptam fuisse. Ibi enim enumerat Origenes dogmata quæ palam prædicabantur, ut Incarnationis, Passionis, Resurrectionis Dominicæ. Non loquitur autem de sanctissimæ Trinitatis mysterio, neque de sacramento Eucharistiæ, neque de aliis sacramentis, quod illa ex iis essent, quæ non communicabantur quibusvis, adeoque circa quæ disciplina Arcani observanda erat, prout de mysterio Eucharistiæ tractaturus, homilia 13 in Exodum disertis verbis præmonuit. Chrysostomus etiam, homilia 40 in primam ad Corinthios epistolam, profitetur se non audere loqui de forma baptismatis et symbolo quibus sanctissimæ Trinitatis mysterium exponitur: *Non audeo*, inquit, *propter eos qui non sunt initiati : ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos audiunt, vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quoad ejus a me fieri poterit, tecte et adumbrate*, etc. Sanctus etiam Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 6 agens de mysteriis in Symbolo contentis, ait : « Hæc mysteria sacramentaque fuse patefacit Ecclesia ei, qui ex catechumenis excedit; nec moris est gentilibus exponere : non enim gentili cuiquam de Patre, et Filio, et Spiritu sancto mysteria declaramus, neque palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, ut fideles qui rem tenent, intelligant, qui non tenent, non lædantur. »

Ex hac Arcani disciplina provenit, quod primis Ecclesiæ sæculis nulli tractatus de septem sacramentis, quorum nostris temporibus tam frequens mentio, scripti sint. Dicunt quidem Protestantes, antiquiores Patres a commentariis de septem sacramentis abstinuisse, quod numerum illum sacramentorum non admiserint. Sed id ex orientalis schismaticæ, et occidentalis orthodoxæ Ecclesiæ consensione facile refellitur. Neque enim Orientales schismatici cum orthodoxis Latinis in unam eamdemque sententiam ab octingentis annis conspirassent, nisi illam a majoribus accepissent. Alia itaque ratio quærenda. Cum tractatus de septem sacramentis eduntur, necesse est illorum ritus exponere, materiam et formam quibus conficiuntur determinare; dogma ipsum de omnibus ad sacramentorum consecrationem et administrationem spectantibus minime celare. Quæ tamen prisca Ecclesiæ disciplina oculis et auribus gentilium, Judæorum et catechumenorum religiose occultabat; quorum profanationem metuentes antiqui, ab iis abstinebant in sermonibus, et sibi cavebant, neque in scriptis de iis agebant. Contra vero, postquam sexto Ecclesiæ sæculo disciplina illa abolita fuit, frequens sacramentorum memoria non tantum apud Græcos, sed etiam apud Latinos, saltem a Caroli Magni tempore; apud Græcos vero post tempora Photii, qui in sua bibliotheca ex Jobio monacho *septem sacrosancta Christi Ecclesiæ mysteria* celebrat. Disciplina itaque Arcani in causa fuit, quod sex primis Ecclesiæ sæculis, catholici scriptores a tractatibus de sacramentis abstinuerint, rarius et obscurius de iis scripserint, neque de eorum numero recensendo solliciti fuerint. Quæ omnia occasione Decretalis Innocentii papæ ad Decentium Eugubinum, ex Schelestratio in Dissertatione laudata excerpere libet, ubi res esse nobis visum est; ex ea enim disciplina complures Patrum sententiæ, quas Protestantes contra catholicos adducunt, exponi possunt. Porro quo circiter tempore ea disciplina, tam in Oriente, quam in Occidente desierit, dicemus in pontificatu Eugenii papæ primi.

Est et alia decretalis Innocentii epistola ad Felicem Nuceranum episcopum, quinque canonibus constans, et altera ad Macedoniæ episcopos, quas omnes ecclesiasticæ disciplinæ testes locupletissimas esse perspicuum est. Earum omnium canones in Collectione conciliorum legendi. Quoad Decretalem quam

Digitized by Google

dedit ad synodum Toletanam, ut collapsæ in Hispaniis disciplinæ mederetur, præsertimque vitiis ordinationum, in quibus canones impune violabantur, ea data non est ad Toletanam synodum Stilicone consule celebratam, ea enim pertinet ad annum 400 quo Anastasius, non Innocentius sedebat; sed ad aliam synodum Toletanam, sedente Innocentio coactam, cujus acta perierunt.

Sedente Innocentio magnus anno quadringentesimo tertio Constantinopoli tumultus excitatus est, schismaque in Ecclesiam invectum, ob Eudoxiæ Augustæ, Arcadii imperatoris uxoris odium in S. Joannem Chrysostomum episcopum Constantinopolitanum, quod orationem habuisset ad populum, quæ omnium generaliter mulierum vituperationem continebat. Augusta enim illatam sibi contumeliam putans, curavit ut synodus adversus eum convocaretur, ad quam *præcipue ii confluxere, qui Joanni variis de causis erant infensi*, inquit Socrates lib. VI, cap. 15. Conventus ille dictus est *ad Quercum*, Suburbium Chalcedonis. Theophilus episcopus Alexandrinus ei præfuit, adfuerunt episcopi triginta sex. In eo Joannes depositus est, et ab imperatore in exsilium amandatus, ex quo paulo post jussu imperatoris revocatus, rogatusque a populo, ut in episcopali cathedra sederet, ac pro more solito pacem apprecaretur, reposuit: *Id judicium decreto fieri debere, et oportere ut ii, a quibus condemnatus esset, mutata sententia ipsum absolverent*, ut refert Socrates citatus cap 16. Sciebat enim in concilio Antiocheno 341 habito, hoc decretum factum esse: *Episcopus a synodo depositus, si sacra celebrare ausus fuerit, redeundi potestatem non habet*. Quare nolebat sedem suam recuperare sine majoris synodi judicio, ut canonem Antiochenum, quocunque sensu exponeretur, observasse videretur. Tandem tamen ad preces populi acquievit. Baluzius in sua editione Conciliorum hujus synodi historiam texuit, ab auctore conscriptam, qui tum assiduus erat divo Chrysostomo, a Palladio nimirum Helenopolitano episcopo, cujus dialogum de Vita Chrysostomi nunc habemus sanum et integrum beneficio Emerici Bigotii.

Anno quadringentesimo quarto nova synodus Constantinopoli coacta, in qua S. Joannes iterum depositus, et ab Arcadio imperatore iterum exsilio multatus. In ea synodo lectus est canon 4 dicti concilii Autiocheni, quem Theophilus episcopus Alexandrinus, præcipuus Chrysostomi adversarius miserat, in quo legebatur: « Si quis episcopus aut presbyter injuste, sive juste depositus, ex se ipso absque synodo in Ecclesiam redierit, hic jam excusationis non habeat locum, sed omnino expellatur; » cum tamen canon concilii Antiocheni advertum illud *injuste* non contineat. Chrysostomus duplici responso usus est; ac primo quidem conatus est ostendere se se canoni Antiocheno satisfecisse; deinde cum nec sic quidem adversariorum calumniam effugeret, respondit objectum canonem non ad Ecclesiam catholicorum, sed ad Ecclesiam Arianorum pertinere, quia scilicet canon a Theophilo productus, alius omnino erat a canone concilii Antiocheni. Canon enim Theophili editus erat non a catholicis episcopis Antiochiæ congregatis, sed a solis Eusebianis post synodum Antiochenam in odium Athanasii. Unde Georgius patriarcha Alexandrinus vocat canones a Theophilo transmissos *adulterinos et falsi nominis scripturas*. Qua de re plura Schelestratius in Dissert. 5 de concilio Antiocheno, cap. 6.

Chrysostomum, postquam sede dejectus est, ad Innocentium papam appellasse constat ex epistola Honorii imperatoris ad Arcadium in Oriente imperantem apud Baronium anno 404, num. 80 et seqq., ubi refert tum Chrysostomum, tum Theophilum ipsum legatos ad Innocentium misisse, qui ejus super judicio in Chrysostomum lato sententiam referrent: « Missi, *inquit*, ad sacerdotes Urbis æternæ, atque Italiæ utraque ex parte legati. Exspectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplinæ. Integrum nempe esse debuerat nec quidquam novari, dum definitio deliberata procederet; cum interea mirum quo idam præcipitum festinationis exarsit, ut non exspectatis litteris sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione consulti; non examinatis rebus, in exsilium traderentur antistites, animadversioni prius addicti, quam sententiam judicii episcopalis experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi, quorum exspectabatur auctoritas (*nempe pontificis Romani et ejus assessor m*) pacifica Joanni communione permissa, faciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum. »

Sententiam vero depositionis a Theophilo Alexandrino, ejusque consortibus anno quadringentesimo tertio, in synodo ad Quercum latam, rescidisse et irritum misisse Innocentium, liquet tum Palladii, tum Innocentii ipsius testimonio. Palladius quidem in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi scribit: « Ad hæc rescripsit beatus Innocentius papa, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum, atque irritum esse decrevit, dicens, oportere conflari aliam irreprehensibilem synodum occidentalium et orientalium sacerdotum, cedentibus concilio amicis primum, deinde inimicis; neutrarum quippe partium ut plurimum rectum esse judicium. » *Innocentius vero epistola* 31 *ad Theophilum, quam idem Palladius recitat*: « Frater Theophile, *inquit*, nos et te, et fratrem nostrum Joannem, communionis nostræ esse decrevimus, sicuti et in prioribus litteris aperte satis expressimus, et nunc in sententia nostra et voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescunque scripseris, nisi debitum sequatur, conveniensque judicium, propter ea quæ magno cum dedecore gesta sunt, possibile non est a Joannis communione discedere. »

Nec de judicio tantum Theophili, anno ut diximus 403 lato, ad Romanum pontificem appellavit Chrysostomus sed etiam de judicio, quod alii episcopi, incentore Theophilo, in illum anno 404 tulerunt. Cum enim episcopi, Chrysostomi hostes, eum iterum damnassent, ille Innocentii tribunal iterum appellavit, ut significant illa ejus verba in epistola ad Innocentium, prout refertur a Palladio: « Scribite, precor, et auctoritate vestra decernite, hujusmodi inique gesta, nobis absentibus, et judicium non declinantibus, nullius esse roboris. Porro qui talia gessere, eos Ecclesiæ censuræ subjicite. Nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, ecclesiis nostris jubete restitui, ut charitate frui, et pace cum fratribus nostris consueta possimus. »

Sententiam in hoc secundo judicio adversus Chrysostomum latam æque rescidisse Innocentium, his rationibus demonstrat Natalis Alexander in parte II sæculi IV, dissert 27. In Dialogo Palladii Theodorus Romanæ diaconus Ecclesiæ refert verba Commonitorii ab Innocentio dati legatis, quos a suo latere misit Constantinopolim, ut adessent synodo, quam ad istius causæ pleniorem disceptationem, et ultimam definitionem fieri peroptabat. In hoc enim Commonitorio hæc inter alia leguntur: « Non oportere Joannem judicium aggredi nisi illi prius Ecclesia, communioque redderetur, ut omnis dilationis occasione sublata, sua sponte concilium ingredi posset. » Præterea Theodoretus lib V, cap 34: « Episcopi Occidentis, inquit, non prius cum episcopis Ægypti, et Orientis, et Bosphori, atque Thraciæ communicare voluerunt, quam nomen illius sanctissimi viri, (nempe Joannis Chrysostomi) in tabulas, in quibus nomina episcoporum mortuorum continebantur, retulissent; atque Arsacium ejus successorem ne salutare quidem dignati sunt. » At decernere non potuit Innocentius ut nomen Chrysostomi decreto concilii Orientalis ex tabulis Ecclesiæ ex-

Digitized by Google

punctum eisdem restitueretur, nisi rescissa sententia quæ in illum lata fuerat.

Hinc Innocentius Alexandrum Antiochenum patriarcham, et Acacium Berrhoensem episcopum apostolica communione prius non donavit, quam memoriæ Chrysostomi fecissent satis, ejusque nomen in sacra diptycha retulissent, ut patet ex epistola 17 Innocentii ad Alexandrum, et ex epistola 19 ejusdem Innocentii ad Acacium Berrhoensem, idem decernentis. Hinc Gelasius papa ad episcopos Dardaniæ scribens, epistola 13, Chrysostomum solius sedis apostolicæ judicio absolutum testatur absque ulla synodo. Denique Facundus lib VI docet Chrysostomi damnationem ab Innocentio fuisse rescissam. Quæ probatio ex appellatione Chrysostomi deprompta, eo majoris est roboris ad probandum appellationum usum post concilium Sardicense, quod ejus causa non esset fidei, sed meræ disciplinæ. Quare non admittenda distinctio, quam aliqui viri eruditi excogitarunt inter causas fidei, et ecclesiasticæ disciplinæ : dum priores ad sedem apostolicam semper deferri potuisse, per appellationem episcoporum dejectorum confessi sunt; non autem posteriores. Hunc enim usum invaluisse in Ecclesia tam Orientali, quam Occidentali, pluribus post concilium Sardicense sæculis, demonstrat Natalis Alexander laudatus.

Advertendum tamen cum eodem viro erudito parte I, sæculi V, cap 4, de Conciliis Nationalibus et Provincialibus, art 2, Innocentium eam Chrysostomi appellationem decretorio judicio voluisse in synodo œcumenica judicari, omnemque dedisse operam, ut ea congregaretur, propter periculum schismatis imminens, si cum solis Italiæ, aut totius etiam Occidentis episcopis causam tam gravem judicaret. Cum enim Orientalium maxima pars episcoporum, Arcadius imperator et Eudoxia imperatrix, Chrysostomum ut legitime depositum haberent, Arsacium que, ac deinde Atticum in ejus sedem intrusos, ut legitimos antistites Constantinopolitanos venerarentur, timendum erat, ne Orientis Ecclesia communionem cum Occidentali penitus abrumperet, si Romanus pontifex Arsacium, ac deinde Atticum invasores Constantinopolitanæ sedis in ordinem redegisset, ac in Theophilum, aliosque episcopos ipsi nequitia et iniquitate consiliorum fœderatos, canonum quos impune violaverant, severitatem distrinxisset : sed provisorio nihilominus decreto, synodum prædatoriam ad Quercum rescidit Innocentius; ac tandem decretorio, cum œcumenicæ synodi celebrandæ nulla spes superesset, orientales compellens ad memoriam Joannis Chrysostomi inter Constantinopolitanos episcopos in Ecclesiæ dypticha restituendam, nec prius suspensam redintegrans cum Orientalibus communionem, quam id exsecutioni mandassent; pluribus deinde probat communionem Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali suspensam potius fuisse, quam abruptam, nec ad schisma usque negotium illud processisse : sed solum formatarum litterarum commercium fuisse interturbatum.

Linea 5. — *Et damnavit eos.* Sub Innocentii pontificatu contra eam hæresim coactum est concilium Carthaginense anno quadringentesimo decimo sexto, in quo Pelagii et Cœlestii ejus discipuli errores anathemate confossi sunt. Statim synodus quoque Numidiæ Milevi celebrata, cui interfuit Augustinus, exemplo synodi Carthaginensis eosdem errores damnavit, licet Patres utriusque synodi Pelagii ac Cœlestii personæ pepercerint, forsan quia in synodo Diospolitana in Palæstina anno quadringentesimo decimo quinto habita Pelagius absolutionem sufflaratus fuerat, vel potius per crebra mendacia damnationem declinaverat; nam synodus Diospolitana ab Augustino aliisque celebratur, veluti prima de hac hæresi victoria, cum tantum absit, ut in ea absolutus fuerit Pelagius, ut potius suo semet ore damnarit, A quod frequenter Pelagianis exprobrat Augustinus.

Utraque illa synodus, nempe Carthaginensis et Milevitana, discusso negotio, relationem misit ad Innocentium papam, ut ipse sua auctoritate firmaret, quod episcopi censuissent de damnando Pelagio et Cœlestio, eorumque hæresi. Retulerunt, inquit Marca in Dissert de Veter Collect canon, cap 14, ad papam Innocentium, ut ipse summo jure decernat. Hæc enim sunt verba synodi Carthaginensis : *Censuimus hujusmodi persuasionis auctores, Pelagium et Cœlestium anathematizari oportere.* Definiunt quid agendum videatur, sed non pronuntiant : id summæ sedi reservant, cujus auctoritas per universam Ecclesiam expansa porrigitur. Quod docent sequentia verba : « Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam etiam perversitate corrigenda. » B Eodem tendit synodica concilii Milevitani, quæ episcoporum culpæ imputandum fore ait, si quæ sunt suggerenda sedi apostolicæ pro Ecclesiæ commodo tacuerint. Quapropter de nova hæresi ad Innocentium rescribunt, ut ipse pastoralem diligentiam magnis periculis adhibeat : « Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, abhibere digneris. Nova quippe hæresis et nimium perniciosa tentat assurgere inimicorum gratiæ Dei. »

Præter synodicas conciliorum Carthaginensis et Milevitani epistolas, quinque episcopi, scilicet Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius, ac Possidius alias litteras familiares communi nomine eidem Innocentio scripsere, quibus Pelagii causam apud illum exponere, asserentes ipsius Innocentii præsertim interesse, huic tanto malo mederi, propterea quod in Urbe plurimi essent Pelagiani dogmatis sectatores. Augustinus in epistolis ad Valentinum 215, alias 47, et 186, alias 106 ad Paulinum, eas litteras non synodicas, sed familiares appellat. In priori quidem, quando ait : « Quod scriptum est ad papam Innocentium Romanæ urbis episcopum in concilio provinciæ Carthaginensis, et de concilio Numidiæ, et aliquanto diligentius a quinque episcopis, » etc. In posteriori vero quando num II, ait : Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. »

Ad laudatas conciliorum Carthaginensis et Milevitani synodicas, et epistolam familiarem quinque episcoporum rescripsit Innocentius papa sexto kalendas Februarii anni quadringentesimi decimi septimi. Et primo quidem Patres dictorum conciliorum laudat, tum quod olim in hac causa pronuntiassent, nempe adversus Cœlestium, tum quod nunc venerationem debitam sedi apostolicæ conservent, eam consulendo, et omnia ad ejus judicium referendo, quod a Diospolitanis Patribus omissum miratur Innocentius, qui postea addit discussam fuisse ab episcopis quæstionem, hæresim quoque damnatam, sed nondum promulgatam sententiam, quæ decreto sedis apostolicæ procul dubio egebat, ut omnes teneret. Tandem Innocentius post longam disputationem duo quædam constituit, ac primum quidem nefarium Pelagii dogma condemnat, ut regulæ fidei contrarium : *Quisquis ergo huic assentiens videtur sententiæ, in quo dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se catholicæ fidei, et beneficius profiteatur indignum*, inquit in epistola ad synodum Carthaginensem. Deinde auctores hæreseos a communione se-

Digitized by Google

parat, donec resipiscant, quos nominatim appellat in rescripto ad concilium Milevitanum : « Quare Pelagium Cœlestiumque, id est inventores vocum novarum, quæ, sicut dicit Apostolus, ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem, eosque interim Dominico ovili non recipi, quoad ipsi perversæ vitæ, quam secuti sunt, tramitem deserere voluerint. »

Quia vero quinque episcopi superius nominati epistola familiari eum monuerant, Pelagii causam a pluribus in urbe foveri, et Diospolitanam synodum ab eo delusam ambigua gratiæ significatione, adjicientes quoque consilium suum, ut aut Pelagium Romam evocaret, aut cum eo litteris ageret, ut responderet quam intelligeret gratiam; huic epistolæ respondit Innocentius, ut refert Marca laudatus, nescire se an in Urbe sint, qui Pelagii doctrinæ faveant, saltem latere, nec similia jactare; quod attinet ad purgationem Pelagii in Oriente actam, habere se quidem gesta episcopalia a laicis hominibus ad se perlata, sed dubitare an vera sint. Nullam Innocentius Actorum Diospolitanæ synodi rationem habet, Pelagiumque non habet pro absoluto et purgato ab accusatione, quam Gallicani episcopi instituerant, etsi a synodo Diospolitana absolutus fuisset. Noluit autem Pelagium Romam evocare, aut cum eo per litteras agere, ut monebant quinque episcopi, sed suo ipsius libro convictum communione privavit.

Nefas putabit aliquis et alienum a judiciorum ordine, prosequitur Marca, inauditum hominem damnare. Sed si quis expendat veterem usum, inveniet sceleris alicujus, homicidii puta, per testes convictum, statim communione abstentum, nulla admonitione prævia, qua vocaretur ad se purgandum; ut censura illa coactus, ad episcopum accederet, aut innocentiam suam probaturus, aut confessione crimen agnoscens, beneficium pœnitentiæ petiturus. Quod tanto accuratius observandum erat in hæreseos crimine, quanto diligentius huic morbo occurrendum. Recte itaque et juxta vetustum illum morem subjungit Innocentius de Pelagio loquens : « Qui si confidit, novitque non nostra dignum damnatione, quod dicat jam hoc se totum refutasse quod dixerat, non a nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolvi, » scilicet ab excommunicatione, qua illum Innocentius percellit.

Garnerius has omnes epistolas ab Innocentio in Africam missas, in aliqua synodo Romana ab eo coacta, datas putavit in Dissertatione de synodis in causa Pelagianorum habitis, hoc fundamento nixus, quod prædecessoribus, sive successoribus ejus solemne fuerit, decretales epistolas, de dogmatibus præsertim, in concilio scribere, et inde in universum orbem mittere. Quod idem censet Marca lib. VII, de Concordia cap. 12, num. 5. Sed quia hujus synodi Romanæ nullus Antiquorum meminit, neutri hac in re assentitur Baronianæ criticæ auctor, dicens Augustinum lib. IV ad Bonifacium cap. 12, respondentem ad Pelagianos, qui postquam a Zosimo papa damnati fuissent, provocabant ad concilium, scribere : « Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur : quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit : cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit. Multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic imprecabari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. » Imo ipsi Pelagiani, postquam ab Innocentio, et postea a Zosimo hæretici declarati sint, de Romanis clericis tantum questi inveniuntur, ut videre est apud Augustinum lib. II ad Bonifacium cap. 3 et seq.

Prosper in carmine de Ingratis, innuit sedem apostolicam primam fuisse, quæ damnaverit Pelagianam hæresim, his versibus :

> Pestem subeuntem prima recidit
> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
> Religione tenet. Non segnior inde Orientis
> Rectorum cura emicuit :

Non facile est explicare hos versus, cum Aurelius Carthaginensis episcopus anno quadringentesimo duodecimo, quinquennio ante Innocentium, Pelagianam hæresim proscripserit. Varii viri eruditi et inter eos Baronius et Garnerius in diversas hac de re sententias abierunt, quibus omissis existimo veriorem esse Marcæ opinionem, qui in dissert. de veter. Collect. canonum cap. 15 ita difficultatem solvit; arbitratur enim, a sede apostolica primum Pelagii atque Cœlestii dogma proscriptum, tanquam catholicæ fidei contrarium generali decreto. Nam Carthaginensis synodus sub Aurelio repulit quidem Cœlestium a presbyterio et ab Ecclesiæ communione, quod errores spargeret. Sed hæc erat privata in eum hominem censura, quam ille appellatione ad Romanam sedem sese elusisse putabat, ipsique adeo Africani ad eam referendum tunc quoque censuerant, a qua proinde totius rei definitio exspectabatur. Itaque Prosper non immerito Romanæ sedi primam Pelagianæ hæreseos damnationem tribuit.

Majus negotium facessit quod subjungit Prosper, Palæstinorum episcoporum in Oriente judicio, id est synodi Diospolitanæ, dogma quoque Pelagianum condemnatum, quod cum actum fuerit anno quadringentesimo decimo quinto et rescripta Innocentii ad synodos Africanas promulgata sint anno quadringentesimo decimo septimo, primi videntur episcopi illi hac de re decrevisse. Sed facilis est responsio, inquit Marca laudatus; Pelagium illi non condemnarunt, absolverunt per ignorantiam facti; et quamvis gratiam Christi probarent, seque illius vindices gererent, non damnaverunt ignotos sibi per Pelagii versutiam errores. Eorum itaque cura profuit Ecclesiæ ad asserendam gratiam, sed nullo eorum decreto hæresis ignota proscribi diserte potuit. Gravior est quæ procedit ex unico apud Prosperum verbo difficultas, a qua se eruditissimus Petavius expedire non potuit. Videtur enim significare, post damnatam Pelagii hæresim, in Oriente Palæstinos episcopos judicasse, *Inde Orientis rectorum cura emicuit*, cum certum sit judicium Diospolitanum antecessisse duobus annis Romani pontificis decretum. *Inde* hoc in versu non tempus, ut putant, sed locum significat. Scribebat Prosper in Occidente, et habita ratione climatis ait : *Inde Orientis rectorum cura emicuit;* ac si diceret : *Hinc* in Occidente pestis adversus gratiam recisa est, et *Inde* in Oriente ejus quoque rei curam gesserunt episcopi Palæstini. Quæ omnia ex Marca exscripta. Qui plura de hæresi Pelagiana volet, legat Marcam laudatum, cardinalem Norisium in Historia Pelagianorum, Garnerium in dissertationibus ad Marium, Mercatorem et Auctorem criticæ Baronianæ, ex quo præcipue superiora narravimus.

Post Siricium Anastasius, ac dein Innocentius vicariam suam potestatem episcopo Thessalonicensi per Illyricas provincias commisere. De Anastasio constat ex epistola Innocentii ad Anysium Thessalonicensem data, in qua apud Holstenium in Collectione Romana id diserte asserit. Innocentius autem, Anysio mortuo, eam commisit Rufo ejusdem sedis episcopo de sede apostolica bene merito, his verbis apud eumdem Holstenium ibidem pag. 48 : « Divinitus ergo hæc præcurrens gratia ita longis intervallis disterminatis a me Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causasque, si quæ exoriantur, per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ et Cretæ, Daciæ ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, et Prævali Ecclesias Christo Domino annuente censeam. Vere enim

Digitized by Google

ejus sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus sollicitudinem; non primitus hæc ita statuentes, sed prædecessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio et Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt. » Paulo post addit : « Arripe igitur, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas Ecclesias, salvo eorum primatu, curam; et inter ipsos primates, primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est, finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus. »

Hic non omittendum Innocentium multas ecclesias Novatianis Romæ degentibus ademisse. Socrates enim lib. VII, c. 9, scribit : « Anastasium deinde excipit Innocentius : qui quidem primus Novatianos Romæ degentes persequi cœpit, multasque eis ecclesias ademit. » Cœlestinus postea omnes alias ecclesias eis abstulit, et eorum episcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit, ut in eo pontifice dicemus.

Linea 19. — *Cervum argenteum ad fundendum aquam.* Liber Pontificalis, præter superius initio hujus pontificatus narrata, scribit : Innocentium fecisse *ad ornatum baptisterii cervum argenteum ad fundendam aquam pensantem libras quindecim* : quia scilicet, cum benedicta semel aqua multitudini baptizandorum, quæ ad plura hominum millia, in magnis præsertim civitatibus exsurgebat, sufficere non posset, statim ut pontifex baptizandum in sacrum fontem mergere cœperat; deducta per canales aqua in ipsum continuo influebat. Fecit, et ex eodem Anastasio, vas ad oleum chrismatis argenteum pensantem libras quinque, et alia quædam apud ipsum legenda. Porro hæc fecit in ecclesia SS. Gervasii, et Protasii, quam dedicavit.

SOMIER.

Num. 57, linea 2. — *Constitutum fecit de omni Ecclesia.* Somier lib. IV, cap. 6, pag. 37.

Pontificatus Innocentii ejus nominis primi abundat eventibus, quæ testatam faciunt sanctæ sedis auctoritatem. Definitiones de fide ab hoc pontifice prolatæ contra hæreses et hæreticos ætate sua subortos, leges disciplinæ ab eodem constitutæ in Ecclesiis sui patriarchatus Occidentalis, judicia ab *ipso* exercita in causis episcoporum aliorum patriarchatuum, quos constituunt Orientales Ecclesiæ, illam auctoritatem demonstrant. Ordiamur ab actibus jurisdictionis ab ipso exercitis supra Orientales Ecclesias, supra illas scilicet, quæ primæ contra auctoritatem sanctæ Romanæ sedis turbas excitarunt.

Notum est, S. Joannem Chrysostomum episcopum Constantinopolitanum injuste depositum fuisse in conciliabulo ad Quercum factione Theophili episcopi Alexandrini imperialis aulæ favore subnixi. Primum ea de re nuntium Romam perlatum est per clericum Alexandrinum a Theophilo missum cum litteris ad Innocentium, ut certiorem hunc faceret de Joannis depositione. Pontifex Theophili temeritate, et facti indignitate perculsus ne responso quidem dignandas esse censuit ejusmodi litteras facti seriem non exponentes. Post diem tertium tres aliæ epistolæ ipsi sunt redditæ, una a Joanne Chrysostomo, altera ab episcopis quadraginta ipsi adhærentibus, tertia a clero Constantinopolitano perscriptæ, quas episcopi quatuor, ac diaconi duo ab ipso Joanne ad eum legati detulerant. Ex his epistolis plenam notitiam Innocentius percepit rerum factarum in conciliabulo ad Quercum, et perturbationum inde consecutarum. Chrysostomus in suis significabat omnia expositum iri nitidius ab illustribus ablegatis, ut quantocius consulere sanctitas sua posset afflictis Ecclesiæ rebus. « Verum ea quæ perperam fiunt, inquit, non solum deploranda, sed et corrigenda sunt : et ideo A charitatem vestram obsecro, ut provocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quo mala hæc sistantur. » Inter remedia proponit et enixe rogat, ut scripto declaret, auctoritate sua a se irritum et inane reddi judicatum illud, quod contra absentem justoque judicio se sistere non recusantem injuste pronuntiatum fuit : iniquos judices pœnis canonicis multandos decernat : litteras communionis nunquam interruptæ cum apostolica sede ac cæteris, sibi concedat, et ecclesiæ suæ restituat expulsum. « Auctoritate, inquit, vestra decernite, quod hæc tam inique facta, et absentibus nobis, et non declinantibus judicium non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem qui inique egerunt, pœnæ ecclesiasticarum legum subjaceant. Nobis vero, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei, litteris vestris, et charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet et antea societate fruebamur, frui concedite, et ecclesiis nostris jubete restitui. »

B « Ad hæc rescripsit beatissimus papa Innocentius, ait Palladius, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum, atque irritum esse decernit : dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem synodum Occidentalium, et Orientalium sacerdotum, cedentibus concilio amicis primum, deinde inimicis. Neutrarum quippe partium, ut plurimum, rectum esse judicium.

« Paucis post diebus advenit Petrus quidam Theophili presbyter una cum martyrio Ecclesiæ Constantinopolitanæ diacono, ipsius epistolas deferens, et quædam simul commentariola, in quibus videbatur Joannes a triginta sex damnatus episcopis, ex quibus viginti novem Ægyptii, septem alii ex aliis regionibus erant. Ea commentaria cum legisset papa Innocentius, comperissetque, neque culpas esse graves, neque præsentem Joannem fuisse, neque in faciem reprehensum, insaniam Theophili magis ac magis exhorruit, quod contra absentem adeo sævam immitemque sententiam evomuisset. His igitur a se C dimissis cum litteris gravibus, » etc. Paulo post Romam advenit Theotechnus, presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, afferens litteras ab episcopis stantibus pro Joanne, qui frequentes in concilio fuerant numero viginti quinque circiter aut triginta, et Innocentio significabant expulsum fuisse ab Arcadio Augusto Joannem e sua sede Constantinopolitana, et relegatum Cucusam. Innocentius universis illis episcopis litteras communionis transmisit, et ut patienter adversa tolerarent rogavit : dolens levamen a se præstari non posse quod vellet, validissimis adversariis conatus suos oppugnantibus. A suo tamen conspectu removit emissarium episcoporum factionis adversantis Chrysostomo, struendarum calumniarum causa adventantem, ne responso quidem dignatus ejus temeritatem.

Venerunt denique in Urbem episcopi ac presbyteri complures, aliique ecclesiastici viri suis ab ecclesiis expulsi ob servatam communionem D Joannis. « Venit secundo Demetrius episcopus Pessinuntis, ait Palladius, qui peragrato Oriente prædicaverat communionem Ecclesiæ Romanæ cum episcopo Joanne, testibus papæ Innocentii litteris : afferens epistolas ab episcopis Cariæ, quibus Joannis amplectuntur communionem : ab Antiochenæ ibidem Ecclesiæ presbyteris, ubi Romanorum sequuntur disciplinam, laudantes integritatem judicii, et ordinationem apud se factam de Porphyrio ut illicitam, ac nefariam exsecrantes. »

Innocentius tam Joanni, quam cleri sui fidelibus ipsi adhærentibus respondit. Illi quidem, ut constanter ageret pro justitia, « cum conscientia bona firmum revera munimentum sit adversus omnes casus immeritos, » etc. His vero significat seipsum cruciari cum illis. « Declarat Atticum, in sedem Joannis expulsi, violenter intrusum, contra Nicænos canones, ejusque ordinationem irritam : se autem multum deliberare, quomodo synodus œcumenica congregari

Digitized by Google

possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus conopiri possint. »

Revera pontifex ad Honorium scripsit, et impetravit, ut mandaretur episcopis Occidentalibus, ut ad synodum convenirent. Concilium in Italia habitum. « Congregati Italiæ episcopi imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Thessalonicæ concilium fieri, quo facilius possent utræque partes Orientis et Occidentis concurrere. His inflammatus imperator episcopo quidem Romano scribit, ut mittat episcopos quinque, presbyteros duos Romanæ Ecclesiæ, diaconum unum, qui ipsius ad fratrem epistolas ferrent. » Innocentius hac legatione adornata una cum litteris Honorii ad Arcadium commonitorium adjunxit Occidentalium episcoporum, quo mandabatur ut Joannes episcopus non antea judicio se sisteret, quin prius in propria sede constabilitus foret, et communioni cum omnibus Orientalibus restitutus. « Accepto commonitorio Occidentis concilii (totius Occidentis *ait Palladius*). Erat autem commonitorium hujusmodi : Non oportere Joannem judicium ingredi, nisi illi prius ecclesia communioque redderetur, ut omni dilationis occasione sublata sua sponte concilium ingredi posset. »

Recentiores nonnulli vocem illam *Commonitorium* reddunt *Instructionem*. Quo revera sensu accipi solet ac debet in quibusdam casibus; quemadmodum accipitur dum quis ablegat aliquem, et memoriæ causa methodum rerum agendarum illi de scripto tradit, ne mandatorum obliviscatur. Hic tamen *Commonitorium* sonat idem ac *legem* a mandante præscriptam ut exsecutioni mandetur tanquam quid consultum ac deliberatum ab illo qui potestatem decernendi ac jubendi habet, quo sensu ab auctoribus passim accipitur. Casus iste speciatim citatur a Du Cange in Lexico inter plures ejusdem significationis.

Hoc præliminare judicium manifesta est comprobatio illius jurisdictionis, quam Occidentalis Ecclesia obtinet supra Orientalem. Cur autem Occidentalis ita præpollet Orientali, nisi quia pontifex Romanus, qui utrique præest, sedem suam obtinet in Occidente ?

Adversarii Joannis certiores facti de legatione, ut eam frustrarentur, legatis in itinere insidias struunt, eosque injuriis affectos re infecta redire cogunt, abreptis violenter litteris quas deferebant.

Chrysostomus ab exsilio suo hæc gesta percipiens secundam epistolam dedit ad Innocentium : « Perpetuas, inquit, gratias agimus vobis quod paternam erga nos benevolentiam declarastis. Nam quantum in vestra pietate situm fuit, jam res omnes sedatæ, et emendatæ et sublata omnia scandala fuissent, gauderetque Ecclesia tranquilla et sincera pace, et essent plane secunda omnia, neque contemptæ leges, neque violatæ Patrum constitutiones forent. « Convertitur deinde ad precandam pro hostibus propriis clementiam piissimus exsul, ne segregentur a cœtu fidelium; ea scilicet causa permotus qua prævidebat plurimum periculi omnibus Ecclesiis inde consecuturum, cum universus ferme orbis in partes adversas divideretur. « Ne affligantur, inquit, neque e cœtu abjiciantur, considerata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud ferme Orbis totius est. »

Hostes Chrysostomi miris in itinere malis et calamitatibus affectum sanctum antistitem maturato exitu vita defungi curant. Ferunt Innocentium papam illius mortis nuntio percepto Arcadium Augustum et Eudoxiam segregasse a communione fidelium : quod factum alii negant, præsertim critici recentiores, qui supposititias esse litteras ejus rei testes arguunt ex vitiosa Chronologia aliisque characteribus documenti non genuini.

Quidquid statuatur de postremo hoc asserto certum est a beato Innocentio nunquam desertam A Chrysostomi causam etiam post ejus obitum. Justitiam enim quam viventi administrari plenario in concilio non permisit mors Joannis accelerata, palam ejus memoriæ præstari Innocentii constantia evicit. Pro statione enim sua vir apostolicus strenue decertans, nulli Orientalium se communicaturum edixit, qui contra Chrysostomum certarent, nisi œcumenica in synodo putrida membra eorum qui ista gesserre, curarentur. « Est autem hæc (ait Palladius), Ecclesiæ Romanæ sententia, non communicare in finem usque Orientalibus episcopis, maximeque Theophilo, donec Dominus universalis synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra quæ ista gesserunt. » Frustra enim Patres Africani concilii pro Orientalibus intercedebant. Neque Innocentius, neque ullus Occidentalium episcoporum animum induxit ad concordiam ineundam cum episcopis Ægypti, et Orientis, et Bosphori, atque Thraciæ, neque cum Antiocheni patriarchatus, priusquam in diptychas ecclesiasticas nomen Chrysostomi non retulissent, in quas de more episcoporum in communione Ecclesiæ decedentium nomina referebantur. B

Alexander Antiochenus antistes primus omnium exsecutioni mandavit hanc sedis Romanæ jussionem (Theodoreto attestante lib. 5, c. 35). Cum enim defuncto Porphyrio, qui fuerat Chrysostomo infensus, electus fuisset successor, confestim adornata ad Innocentium legatione ita « pacem postulavit et meruit, ait Innocentius (epist. 140 ad Bonif.) ut Evagrianos suis ordinibus ac locis intemerata ordinatione quam acceperant a memorato (Evagrio Porphyrii decessore, et pro Chrysostomo stante) susciperet.... Promittens ipsius civitatis episcopus frater meus Alexander nomen episcopi memorati (Joannis) inter quiescentes episcopos recitaturum. Cui rei nos noveris tradidisse manus, frater charissime, et eos in nostra viscera recepisse : ne diu membra, quæ requisierant sanitatem, ab unitate corporis haberentur aliena. »

Eodem Alexandro intercedente, Acacius quoque C Berrhoensis antistes ea lege ad optatam communionem decernitur admittendus, si Alexandri exempla secutus « omnes inimicitias, omnem æmulationem tam de nomine S. Joannis mirandi episcopi, quam de omnibus ejusdem communionis participibus de sua animositate longe abigat, etc., et omnia quæ his actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum, ore proprio ut communicantem convenit, fatearis », ait Innoc. (Ep. 19. ad Acac.)

Acacius huic legi obtemperans non modo pro se consecutus est gratiam ab Innocentio, sed etiam pro Attico Constantinopolitano laboravit, eumdem ad parendum suadens apostolico decreto. Pro ejusdem receptione scripserat etiam e Macedonia episcopus Maximianus : cui ita respondit Innocentius (*epist.* 166) : « Communio suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, jam esse detersas, et profitenti conditiones pacis impletas. Fidem facimus, et magno tramite omnibus eamdem (pacem) postulaturis ostendimus, si modo quæ discussa sunt atque completa etiam ipsi se pro suo loco fecisse, vel complesse aliquando monstraverint, communionemque, ut isti (Antiocheni) legatione solemniter destinata sibi rogaverint adhiberi. Exspectamus ergo et professionem memorati de completis omnibus conditionibus, quas diversis temporibus prædiximus, et petitionem communionis; ut recte et petenti, et probanti se eadem mereri, reddamus. » Tempus diu trivit Atticus, missis etiam legatis, donec memoriæ Chrysostomi justa non redderet; non ante obtinere potuit pacem, quam Joannis nomen in Tabulas retulisset. « Atticum autem, ait Theodoretus, lib. 5 cap. 34, qui succedebat Arsacio, quique sæpe legatos ad eos miserat, sæpeque pacem postulaverat, postea tandem cum Joannis nomen in tabulis scripsisset receperunt. »

Dum hæc ad Innocentio geruntur ad tuendam aut reparandam in Orientalibus Ecclesiis unitatem, pari D

Digitized by Google

sollicitudine invigilat in Occidente tum disciplinæ apostolicæ per decretales epistolas conservandæ, tum fidei catholicæ puritati a Cœlestii ac Pelagii contagionibus arcendæ ac liberandæ : ut triplici ex cura unitatis, disciplinæ, ac fidei per ipsum ubique terrarum exercita revera dicatur a Bibliothecario ; *Fecit constitutum de Ecclesia.* De prima unitatis cura hactenus actum est in Notis Somier. De duobus proximis quæ sequuntur extraximus ex ejusdem Hist. dogm. lib. IV, cap. 8, 9. »

Ex cap. 7 circa disciplinam Victricio episcopo Rhotomagensi in Galliis « Romanæ Ecclesiæ normam magnopere postulanti digestas vitæ et morum probabilium disciplinas transmittit Innocentius (*epist.* 2) suis litteris, per quas advertant Ecclesiarum regionis, inquit, vestræ populi, quibus rebus et regulis Christianorum vita in sua cujusque professione debeat conteneri : qualisque observatur in urbis Romæ ecclesiis disciplina. Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, et consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis ecclesiis præsident regularum hunc librum quasi didascalicum, atque admonitorem sedulo insinuare : ut et nostros cognoscere, et ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. . . Hæc sunt quæ deinceps intuitu divini judicii omnem catholicum episcopum expedit custodire, » etc. Inter regulas cæteras hanc refert de gravioribus causis ad sedem apostolicam referendis : « Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit (Sardicensis) et beata consuetudo exigit, post judicium episcopalem referantur. »

Ad Exsuperium Tolosanum (*epist.* 3) sua Decretali præter disciplinæ normam, canonem quoque scribit utriusque Testamenti librorum, e numero excludens apocryphas scripturas, quæ falso inscriptæ circumferebantur nominibus apostolorum.

Patribus concilii Toletani ex Hispania rescripsit super ordinationibus. Ad episcopos Macedoniæ direxit Decretalem de aliquot regulis sacramentorum. Aurelio Carthaginensi Africæ primati edicit : « Hæc velim cuncta recitanda per omnes Africanas Ecclesias scripta dirigas. » Decentio Eugubino ista commemorat de traditionibus Romanæ Ecclesiæ. « Quis nesciat, aut non advertat id, quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc quoque custoditur, ab omnibus debere servari ; nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum ? Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse dubium non est : ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. » Felicem Nucerinum commendat, quod more majorum hinc repetenda esse duxerit dubiarum rerum definitionem. « Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta majorum ; omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput, atque apicem episcopatus referre : ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod et nos libenter accipimus, et dilectionem tuam memorem canonum approbamus (*epist.* 4). » Et ut cæteras prætermittam, zelum disciplinæ requirit a Joanne episcopo Hierosolymitano (*epist.* 32), ita illum monens, ut defensioni monasteriorum studeat impensius. « Vide, frater, antiqui hostis insidias, et spiritu boni rectoris pervigila ; ut hæc quæ ad nos opinione magis, quam accusatione manifesta delata sunt, vel corrigantur, vel retundantur : ne jus ecclesiasticum de labefactatis causis eum, qui non defenderit, præstare compellat. »

Referri potest inter constituta de disciplina etiam vicariatus apostolici per Illyricum iterata declaratio et confirmatio. Collata primum fuerat a S. Damaso potestas vicaria Romanæ sedis supra complures Illyrici provincias S. Ælio episcopo Thessalonicensi : quo decedente S. Anysus successor similem potestatem obtinuit a quatuor Pontificibus Romanis, Damaso, Siricio, Anastasio, et Innocentio. Anyso vita functo sublegitur Rufus successor : cui eamdem potestatem detulit Innocentius. Utraque collatio Innocentii legitur in epistolis, quarum exemplum superest in Actis concilii Romani tertii sub Bonifacio ejus nominis papa secundo. « Dilectissimo fratri Anyso Innocentius. Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir (Anastasius) ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda : meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem te decet recognoscere. Neque enim fas erat, ut aut ego contra tantorum bonorum virorum judicium venire tentarem, quorum in locum successisse dignoscor, aut tuo merito, cui præclari viri tantam gratiam auctoritatis hujusce contulisse videntur, aliquid denegari videretur. Præ me itaque fero, ut hoc ipsum etiam meæ parvitati reservatum recognoscam, ut pari judicio, similique forma, et bonis adæque, et tuæ charitati tribuam quod mereris. Dilectissimo fratri Rufo Innocentius. Ita tota miseratione mirabilis Paulus Tito quæ curet apud Cretam, Timothæo quæ per Asiamdi sponat, commisit : ut sacrarum epistolarum lectione cognoscimus. Divinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis disterminatis a me Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ, gravitatique tuæ committendam curam, causasque si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, et Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, et Prævali Ecclesias Christo Domino annuente censeam, etc. Accipe itaque, dilectissime frater, nostra vice supra dictas Ecclesias, salvo earum primatu curam : et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus. Licitum autem, et apostolicæ sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce, ut cum aliqua Ecclesiastica ratio vel in tua, vel in memoratis provinciis agitanda, cognoscendaque fuerit, quos velis episcoporum socios quibuscunque de Ecclesiis assumas tecum : quorum et fide et moderatione quidquid necessitas, causaque flagitaverit, optimus dividas arbiter, et præcipuus : quippe a nobis lectus definias intercessor, » etc.

Ex cap. 99 circa fidem constitutorum damnatio cognoscitur Pelagianæ hæreseos a duobus Africæ conciliis expetita.

Octo præcipua errorum capita constituebant summam hæreseos Pelagianæ, « ut non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, » quemadmodum perscribunt Carthaginensis concilii Patres ad Innocentium in sua synodica. Hos errores fuisse primum a Romana sede proscriptos docet auctor æqualis S. Prosper carmine de Ingratis cap. 2 :

> Pestem subeuntem prima recidit
> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo quidquid non possidet armis
> Religione tenet.

Pestis, seu sectæ Pelagianæ nomine, a Roma primum recisæ seu damnatæ, hic Prosper intelligit Jovinianum, Rufinum, et Evagrium Ponticum, quorum

Digitized by Google

errores a Damaso et Siricio damnatos, iterum suscitavit Pelagius : ita nos docente Hieronymo præf. lib. IV in Jeremiam : « Cum subito hæresis impassibilitatis et impeccantiæ, quæ olim in Origene, et dudum in discipulis ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, et Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere : et non solum in Occidentis, sed et in Orientis partibus sibilare.

Primum itaque judicium directe institutum ac prolatum contra Pelagii sectam proprie dictam de nomine auctoris, et Cœlestii ejusdem socii, fuit in Africano concilio celebrato anno Christi 412, cujus Acta deperdita supplet aliud concilium post quinquennium ex eadem provincia Carthagine congregatum, ita scribens in sua Synodica ad Innocentium : « Pelagium et Cœlestium auctores nefarii erroris advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium super Cœlestii homine, hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. »

Marius Mercator recenset quæ subinde peregit Cœlestius. « Episcopi, inquit, regionis illius restiterunt Cœlestio, et jusserunt, ut eadem condemnaret, quia essent hæretici sensus. Sed Cœlestius nullo modo acquiescens, quinimo resistens actis eisdem, ecclesiastica communione privatus est. A qua sententia ad Romani episcopi examen credidit appellandum : qua mox ipse appellatione neglecta Ephesum, Asiæ urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum presbyterii petere. »

Post annos aliquot, Pelagius, qui se receperat in Orientem, delatus est concilio Diospolitano in Palæstina. « Contra gratiam Dei Pelagianam sententiam, ait S. Augustinus (*epist.* 107), pectore quidem ficto, sed tamen catholicos judices timens Pelagius ipse damnavit, etc. Fefellit judicium Palæstinum ipse Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam vero Ecclesiam, ubi eum notissimum esse scitis, fallere usquequaque non potuit, quanquam et hoc fuerit utrumque conatus, » addit S. doctor de Pecc. mer. et remis. lib. II, cap. 8 et 9.

Paulo post concilium Diospolitanum in Palæstina duo celebrata sunt in Africa, scilicet Carthaginense et Milevitanum : ubi hæresis illa cum suis auctoribus damnata fuit. Patres Carthaginenses in sua synodica ita alloquuntur Innocentium : « Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus ; ut statutis nostræ mediocritatis, etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam etiam perversitate corrigenda... Et innumerabilia, quæ de scripturis omnibus, si colligere velimus, tomus non sufficit. Et veremur, ne apud te illa commemorando, qui majore gratia de apostolica sede prædicas, inconvenienter facere videamur. » Milevitani quoque episcopi similia ferme complexi de erroribus a se damnatis pari veneratione confirmationem postulant a se gestorum. « Sed arbitramur, inquiunt, adjuvante misericordia Domini Dei nostri Jesu Christi, quæ te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuæ, de claro Scripturarum lumine depromptæ, [illegible] eos, qui tam perversa, et perniciosa se[illegible] esse cessuros : ut de correctione potius eorum [illegible]ur, quam contristemur interitu, domine [illegible] »

Innocentius itaque rescribens laudat « servata antiquæ [illegible]is exempla, et ecclesiasticam disciplinam una[illegible] nostræ religionis vigore, non minus nunc, inquit, [illegible]n consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum A referendam approbastis esse judicium : scientes quid apostolicæ sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, a quo ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda : vel id vero quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda : quod illi non humana sed divina decrevere sententia, ut quiquid, quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret : ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronunciatio firmaretur : indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent. His præmissis confirmat sententiam concilii et damnationem hæreseos ejusdem profert. Similibus ferme sensibus ac methodo respondet Milevitanæ synodi Patribus : Diligenter ergo B et congrue apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiæ rebus quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam..... Qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent : præsertim quoties fidei ratio ventilatur, » etc. Deinde procedit ad confirmanda concilii acta, et ad hæresum damnationem.

Præter has synodicas litteras, etiam peculiares a nonnullis Patribus, præsertim a quinque episcopis (quorum e numero fuit Augustinus) recepit Innocentius. Insinuabant, ut Pelagium Romam accerseret, et cogeret ad abjurandam hæresim, ac scripta sua, ubi illa continebatur, anathematizanda. Verum Innocentius respondit, satis a se declaratum quid ipse protulerit tum de erroribus contra Dei gratiam, C tum de recta damnationis sententia contra eosdem a conciliis lata. Pelagium oportere, sive innocens esse contendat, sive pœnitens fateatur delictum, ad sedem apostolicam se conferre, purgandi sui causa aut veniam consequendi. Neutrum vero præstiturum, nisi anathematizet errores ita ab Ecclesia proscriptos. « Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere, agendum est, quatenus vel his possit subveniri, quos non suus, sed hujus magis error induxit. »

Commendat plurimum Innocentii responsa Augustinus. « Ad omnia nobis ille rescripsit, ait (*epist.* 106), eodem modo quo fas est, atque oportebat apostolicæ sedis antistitem. »

Sanctus doctor profecto diversa ac meliora sentit, quam recentiores nonnulli, qui audent affirmare, usurpata fuisse ac sibi attributa jura ab Innocentio, quæ sedi suæ minime debeantur. Ejusdem egregii Patris ac doctoris morigera erga sanctam sedem agendi ratio plane diversa pariter est a praxi quam D actu usurpant indicati recentiores, qui tamen se Augustini discipulos esse jactant. Recusant hi per incredibilem pertinaciam obedire apostolicæ definitioni germano, et solemni, si unquam alias, auctoramento munitæ et comprobatæ; cum is, quo se doctore gloriantur institutos, solemniter declaret in sermone ad populum Ecclesiæ suæ palam recitato (serm. 2 *de Verb. apost.* in fine) : « Acta duorum conciliorum Africæ, quorum paulo ante meminimus, Romam fuisse transmissa, ut a sede apostolica confirmarentur : et responsa inde venisse : atque ita causam esse finitam. »

Digitized by Google

XLIII. SANCTUS ZOSIMUS.

ANNO CHRISTI 417, HONORII 13, THEODOSII 12

59 *Zosimus, natione Græcus, ex patre Abrahamio, sedit annum unum, menses* octo, *dies* viginti quinque [a]. *Hic* multas *constituit* Ecclesias [b] : et fecit constitutum, *ut diaconi lævas tectas haberent de palliis linostimis, et per parochias* concessa [c] licentia cereos benedici [d]. Et jussit [e] ut nullus clericus poculum in publico propinaret, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum. *Hic fecit ordinationem unam* in Urbe *per mensem Decembrem, presbyteros decem, diaconos tres, episcopos per* diversa *loca octo.* Qui etiam *sepultus est juxta corpus beati Laurentii martyris via Tiburtina* VIII [f] *Kalendas* Januarias [*al.* Junias], *et cessavit episcopatus* per *dies* 11 [g].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, mens 4, d. 7, a Coss Honorii 11 et Constantii 2, ad Honor 12 et Theodosii *B*. [b] Hic multa constituit in ecclesia *C B*. [c] *C*, concessit. [d] *C B*, cereum Paschalem. [e] *B C*, ut nullis clericis p. in p. propinaretur. [f] *C*, 7. [g] *Baron uno die.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 59, *lin* 2, *B*, multa Ecclesiæ constituit. *lin* 6, *B*, ordinationes fecit in urbe Roma. *lin* 9, *A*, dies 10.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, Abramio q. ann 1, m. 3, d. 12. *lin* 2, Hic multa constituit in Ecclesia, et f. c. *lin* 3, linostumis. *lin* 3 *et* 4, par. comessa est l. c. b. Hoc quoque constituit, ut n. cl. *lin* 6, in urbe Roma per m. D. *lin* 8, est via Tiburtina, juxta c. B. L. m. VII Kal et cess episc d. 11.

Ex codice Thuano altero.

Lin 2, m. 3, d. 11. et multa constituit in Ecclesia. *lin* 3, læva tecta h. *lin* 3 *et* 4, per parrochiam c. l. ce- A reum b. et præcepit, ut n. cl. in populum publicum propinaretur, nisi tantum cellæ fid. *lin* 2, Hic fecit ordinationes per m. D. *lin* 4, VII Kal J. et cess episc d. 11.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin 2, menses tres, dies duodécim. *Ita Flor. lin* 3, *Flor*, hic multa constituit Ecclesiæ. *lin* 8, *Cass et Flor*, cereum. *lin* 4, *Flor*, VII Kalend.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 1, patre Abramio. *lin* 3, ut diacones læva recta haberent de palleis linostimis. *lin* 4 *et* 5, ut nullus clericus in populo publico propinaretur, nisi tantum cellæ fidelium, maxime clericorum.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Lin. 2 *et* 3. — *Et fecit constitutum, ut diaconi lævas tectas haberent de palliis linosthinis.* A Zosimo constitutum, ut diaconi in læva gestarent mappulas, quæ pallia sunt lintea seu linea, can. *Illud.* 93 dist. Hodie manipulum appellant.

Lin. 3 et 4. — *Et per parochias concessa licentia cereos benedici.* Zosimo tribuitur constitutum de benedicendo cereo Paschali. Idem Sigebert. ad ann. 417 : « Zosimus papa decernit cereum Sabbato sancto Paschæ per ecclesias benedici. » Inde Sabbato Paschæ cereus solemniter benedictus accenditur. Leo Ostiensis chronic. Cassinens. lib. III, cap 31 : « Argenteam columnam supra basim porphyreticam statuit, supra quam cereus magnus, qui Paschali Sabbato benedicendus est, solemniter imponeretur. »

Lin. 4 et 5. — *Et jussit ut nullus clericus poculum in publico propinaret, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum.* Zosimi decretum, ne clerici tabernam seu cauponam ingrediantur, edendi vel bibendi causa. Idem vetuit synod. Carth. IV, can. 27, nisi necessitas causa in itinere, can. *Clerici* 44, *dist. Clericis quoque non licet cauponam exercere.* Synod. VI in Trull. can. 9.

BENCINI.

Linea 2. — *Hic multas constituit Ecclesias.* Legendum cum Baronio, aliisque : *Hic multa constituit* B *in Ecclesia.* Loqui enim de editis constitutionibus, non vero de ecclesiarum constructione, verba sequentia declarant, cum addatur, *et constituit*, quæ est ejusdem periodi, et argumenti index. Quod in Cœlestino repetitur : *Hic fecit multa constituta, et constituit.* Animadvertendum vero, quod prima verba exprimentia constituta, non indicato Constitutionum argumento, fidei, aut morum erant generalia decreta, in codice obvio in archivis Ecclesiæ reservato, ut infra in Cœlestino, contenta; cumque cunctis manifesta, omittitur distincta memoria : cum vero additur, *et constituit* assignata in particulari materia constitutionis, id factum reor, quia erant particularia constituta, aut in codice illo minime reservata. Codicem vero Constitutionum exstitisse suo loco probabitur. Inter vero fidei constituta a Zosimo edita primum obtinet locum solemnis illa proscriptio errorum præcipue Cœlestii, quos damnavit, et cum tergiversaretur hæresiarcha, celebrem tractoriam ad omnes orbis episcopos, ut ait Cœlestinus in epistola ad Galliæ episcopos, dedit, ubi dogma Pelagianum damnavit. Capitula, tergiversationes, damnationem, ac missam ad episcopos a pontifice tractoriam breviter sed accurate digessit in suo Commonitorio Marius Mercator. Ibi vero cum priora narrasset, sic de damnatione, et promulgatione sententiæ : « Atque ob hoc a beatæ memoriæ prædicto Zosimo episcopo scriptis amplissimis vel longissimis prædamnatus est : in quibus et ipsa capitu-

Digitized by Google

la, oe quibus accusatus fuerat, continentur, et omnis causa tam de Cœlestio suprascripto, quam de Pelagio magistro ejus graviore videntur esse narrata (quorum scriptorum et nos hic habemus exemplaria) et Orientales Ecclesias, Ægypti diœcesim, et Constantinopolim, et Thessalonicam, et Hierosolymam similia eadem scripta transmissa esse suggerimus. » Ad has patriarchales, vel primatiales sedes constitutiones apostolicæ dirigebantur, ut per ipsos suffraganeis notificarentur, ut supra observatum est. *Longissimis et amplissimis* scriptis omnia Pelagianorum delicia damnata esse cum dicat Marius, lucem tribuit laudatis verbis, quod Zosimus *multa constituit de Ecclesia*, quia nempe omnes errores profligari curavit. Unde prosequitur Marius. « Quæ omnia suprascripta capitula (antecedenter enim quinque errores recensuerat) continet illa beatæ memoriæ episcopi Zosimi epistola, quæ Tractoria dicitur, qua Cœlestius, Pelagiusque damnati sunt, quæ et Constantinopolim, et per totum orbem missa subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata, » etc. Et S. Prosper Innocentii, et Zosimi sententiarum editarum rationes exponens scripsit: « Tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ sociis ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit, quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam Palæstinorum episcoporum synodum coacervavit : quando Africanorum conciliorum decretis beatæ memoriæ papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit antistitum, etc., *et Gennadius*, Innocentius urbis Romæ episcopus scripsit decretum Occidentalium, et Orientalium Ecclesiis datum. Post quem successor ejus papa Zosimus latius promulgavit. » Videndus Augustinus in libris contra Julianum Cœlestii asseclam. Inter hæc constituta, crediderim fuisse de Appellationibus ad sedem apostolicam, quæ nunc agitari incœpta est, et sub Bonifacio successore majori contentione recruduit.

BINII ET LABBÆI.

Lineæ 3 et 4. — *Per parochias concessa licentia cereos benedici.* Zosimus hoc tantum constituit, ut idem cereus, qui in majoribus duntaxat basilicis incendi soleret, æque singulis parochiis concederetur. Benedictionem enim cerei paschalis in Ecclesia antiquiorem esse docet Prudentius, qui de eo hymnum cecinit. Baron. anno 418, n. 27.

Linea 6. — *Per mensem Decembrem.* Prosper in Chronico docet sedisse annum unum, menses novem, dies novem, ideoque a die XVIII Martii anni 417 ad XXVI Decembris 418.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Initium Zosimi demonstratum ex epistola Paschasini pertinere ad consulatum Honorii Augusti XI, Christi anno 417, quo Pascha ipse celebravit VIII Kalend. Aprilis, deducitur ex die ordinationis Dominica XXV Februarii. Quare et in Chronico Marcellini signatur iisdem consulibus. Terminus vero perducendus est ad consulatum proxime consequentem Honorii XII, ac Theodosii Jun. Octavum, Christi 418, celebrem ex Africanis conciliis, quorum Acta iisdem coss. prænotantur. Illorum Actorum insignem codicem asservat bibliotheca Oxoniensis, scriptum capitalibus litteris, olim in bibliotheca Christophori Justelli custoditum, ex quo editionem ille adornaverat codicis canonum Ecclesiæ Africanæ ante annos 110, uti superius retuli. Inde partem editam a Justello describere mihi permissum fuit, dum anno 1713, die XXVI Januarii deductus perhumaniter a viris clarissimis Gardiner vicecancellario, et Joan. Hudson bibliothecario, editis geographis veteribus et nova Josephi Flavii versione celebri apud eruditos, A illustria monumenta viserem antiquitatis Græcæ ac Latinæ in marmoribus Arundellianis, circa theatrum Scheldonense positis, et nummos veteres insignis illius cimeliarchii, necnon præstantissimos codices lectissimæ bibliothecæ pro lubitu evolvendos ac describendos mihi concederent viri clarissimi, ad bene de hospitibus merendum semper intenti : quemadmodum etiam Londini permiserant excell. com. Thomas de Pembroke, et præclari equites Fountaine et Germain in domesticis cimeliarchiis, et quidem maximi pretii, quæ possident; in Regia vero bibliotheca, et Cottoniana humanissimi illarum custodes: qui omnes inclytæ nationis Anglicæ singularem in hospitem benevolentiam, et studium erga litteras, quod fueram jamdiu expertus, amplissime cumularunt. Horum igitur beneficio expressum specimen characteris illorum codicum, ad concilia Africana sub Innocentio et Zosimo celebrata pertinentium apponendum curavi, ad fidem documentorum chronologiæ et historiæ pontificalis copiosius astruendam. B Codicis enim antiquitas attingit procul dubio octavum, aut nonum sæculum; ut imago illius characteris collata cum Mabillonii exemplaribus in re diplomatica apertum facit.

Consensus catalogorum vetustiorum, Farfensis, et Cavensis, ac trium Colbertinorum 1, 4, 5, cum aliis perantiquis in attribuenda sede anni unius, mensium octo et dierum viginti quinque (solo Bergomensi ex quatuor selectis Italiæ mensium numerum unitate minuente, fortasse ex errore amanuensis) suadet, ut Bibliothecario assentiamur, eamdem summam numeranti : et figamus B. Zosimo vitæ mortalis terminum et immortalis initium die XIII Decembris; depositionem vero post X vel XI dies consecutam assignemus XXV, vel juxta alios codices XXVI Decembris, eodem cum Anastasio, qua etiam die colitur illius memoria.

Sedis vacationem paucis admodum diebus productam non modo Bibliothecarius asserit, qui vel II. C vel XI definivit, sed etiam comprobat vetustum martyrologium Florentinii : in quo ordinatio successoris Bonifacii consignatur die XIX Decembris, indicantis eodem anno 418 diem Dominicam littera Dominicali E. Si vacatio sedis biduo tantum extensa fuit, electus Bonifacius XV Decembris distulit ordinari ad alteram Dominicam : sin diebus XI electus in pervigilio Nativitatis Dominicæ ordinationem episcopalem receperit proxima Dominica infra Octavam Nativitatis XX Decembris, ut Bibliothecarius tradit, et vetus Martyrologium. Inde autem peti oportere epocham sedis Bonifacii ostendam numero proximo.

Non desunt pontificio ministerio Zosimi, licet brevi intervallo temporis definito notæ chronologicæ illustres, præter enumeratas. Eclipsis enim solis die XIX. Julii feria VI recensetur a Marcellino comite sub consulatu Honorii XII ac Theodosii VIII, suffraganti- D bus aliis chronologis et historicis : quam tabulæ astronomicæ pariter jungunt eidem anno Christi 418.

Idacius in Chronico sub eodem anno XXIV Arcadii et Honorii, quo eclipsim præfatam memorat, addit Periocham, quæ non modo illustrat annum eventu celebri, licet infausto, terræmotus Palæstinam quassantis, sed etiam indicat mandata esse litteris gesta Zosimi. Durante (inquit) episcopo quo supra (Zosimo Romanæ Ecclesiæ XXXIX per ipsum enumerato, « gravissimo terræmotu sancta in Hierosolymis loca quassantur, de quibus in gestis ejusdem episcopi scripta declarant. »

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Hic constituit multa in Ecclesia.* Ex multis a Zosimo constitutis pauca retulit Bibliothecarius, eaque non elegit, quæ videri debent præcipua. Fortasse quia ejusdem gesta scriptis esse mandata noverat cum Idacio. Ea vero sunt datæ ad Africanos Patres epistolæ, imo, et ad universos episcopos super Cœlestii, et Pelagii causa, necnon ad episcopos Gal-

Digitized by Google

harum de privilegiis Ecclesiæ Arelatensis; constitutio vicarii apostolici in tribus earumdem provinciis : iterata damnatio Pelagii et Cœlestii post fugam eorumdem qua se subtraxerant a Romanæ sedis judicio, cum huic se sistere juberentur. Ea quæ de transmarinis appellationibus inchoata sub Zosimo sunt, perficienda a Bonifacio successore, et his similia videri utique debent multo ampliora et graviora, quam constitutiones de pallis linostimis diaconorum, de cerei benedictione per parochias, ac de vetito clericis usu publice propinandi. Quanquam enim et ista digna fuerint pontificia cura, et memoratu atque usu posteritatis, adeoque merito recenseantur a Bibliothecario; attamen illa quæ fidei catholicæ conservandæ, quod caput est omnium, et ordinatæ hierarchiæ officiis ac juribus administrandis in sacerdotio reticere omnino non debuit.

Deserenda tamen mihi non est excusatio hujus præteritionis. Duo autem præ cæteris perpendi velim, vel ut rationabili animadversioni fiat satis, vel ut occasio aperiatur defectus, non sine aliqua censura dissimulandi. Primum est, a diversis bibliothecariis pro tempore singulorum pontificum gesta fuisse collecta, et strictim indicata, ut collectio ipsa referret potius breviarium actorum aut spicilegium, quam historiam. Hinc aliquibus placuit illa omnino præterire, quæ majoribus tomis inserta jam tenebantur, aut integrum codicem justæ molis de se constituerent, utpote locum habitura in aliis elenchis decretalium epistolarum, aut similibus in aliam classem digestis, ubi expedite inveniri poterant. Hanc regulam consectatus est ille qui B. Gregorii Magni periochen hoc in libro contexuit. Integros enim libros duodecim ejusdem epistolarum subtiçuit, licet alias lucubrationes sancti doctoris enumeraret. Illos enim putavit ad epistolarum regesta pertinere potius, quam ad epitomen Vitæ. Non secus præstitit auctor hujus periochæ ad Zosimum spectantis. Noluit hoc in breviario gestorum ejus pontificalium Decretales ejusdem epistolas singillatim enumerare, utpote notas ex alia collectione canonum, seu regularum et decretalium summorum pontificum. Illa vero minutiora decreta prosequitur, quæ ratus est difficiliori indagine repertum iri in crassioribus tomis omnium epistolarum. Aliis vero collectoribus et bibliothecariis diversa sententia sedit : quibus visum est indicare nominatim etiam illa, quæ fusius tractata reperiebantur in gestis conciliorum, et regulis ac libris Patrum. Hinc hæresum damnatio, et provinciarum partitio, et hujusmodi gesta grandiora pro singulorum arbitratu, et idea diversa propriæ scriptionis exprimuntur.

Alterum ex observandis est, librum hunc Pontificalem natum fuisse ex catalogis Ecclesiæ Romanæ, uti ostendimus cum Schelestratio, aliisque in Prolegomenis, et subinde adauctum a posteris insertione illarum notitiarum, quæ ad peculiarem usum et historiam hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ referebantur. Hinc observantur collectores illi studiose intenti ad recensendas fundationes, dotes, ornamenta basilicarum, titulorum, et cœmeteriorum Urbis, aut circa Urbem, et ordinationes presbyterorum ac diaconorum in illis ministerio fungentium, et ritus in illa vigentes, ac per illam transmissos ad alias Ecclesias hujus patriarchatus Occidentalis, licet aliquando adjungantur etiam decreta omnibus Ecclesiis orbis Christiani per ipsum indicta, necnon gesta ad statum totius Christianæ reipublicæ pertinentia. Non secus evenit hac nostra ætate in libris diurnis, sive sacris ephemeridibus Romanorum pontificum, qui per ejusdem S. sedis sacr. cæremoniarum magistros dictantur de more, aut per notarios, et rerum consistorialium curatores conscribuntur. Licet enim in utrisque recenseantur ex instituto ea quæ potissimum pertinent ad ritus et actus pontificales in urbe exercitos a summo totius Ecclesiæ hierarcha, aut in locis, ubi eum versari contingat; integrum tamen est illarum Ephemeridum auctoribus inserere gestis ejusmodi tum ea quæ pertinent ad hunc episcopatum, ad hanc provinciam, et ad hunc patriarchatum diœceseos Occidentalis, tum cætera quæ spectant ad universalem Ecclesiam toto orbe diffusam, et leges, legationes, constitutiones a summo pontifice Petri successore ad illius regimen editas; sive etiam unice prosequi ea tantum, quæ ad sacras cæremonias, aut rerum consistorialium summam tantummodo referuntur.

Hæc semel indicata occasione hujus numeri ad pontificatum Zosimi pertinentis, aptanda erunt cæteris, quando observetur pro lubitu ejus Bibliothecarii, qui tunc scribebat, alicubi recenseri facta unius generis, quæ alibi reticentur. Refundenda est illa varietas styli, et electionis in propensionem, et curam diversam ingenii eorum, qui pontificiæ bibliothecæ, scriniisque publicis, et archivo præerant, per varias ætates.

Linea 3. — *Ut diaconi lævas contectas haberent de palliis linostimis.* Id ante constituerat Silvester. Vide num. 35, et notas Alteserræ ad eum locum. His tamen ex notis laudati viri quæstio suboritur, num pallia illa linostima ad lævam a diaconis adhibenda, dicenda sint *mappulæ*, quas hodie *manipulos* dicimus, seu potius *oraria*, quæ nunc *stolæ* frequentius appellantur. Utrumque comprehendi putatur ab Alteserra illo in decreto Silvestri per Zosimum renovato. Rem fusius pertractat Dominicus Macri in Lexico sacro, verbo *Linostima*, ubi de orariis quoque intelligendum putat his argumentis : « Pallam linostimam (inquit) quam S. Silvester papa diaconibus concesserat, Gavantus putat fuisse manipulum, sed hic etiam subdiaconibus communis est. Ego tamen existimo fuisse *stolam*, quam Græci *orarium* dixere, de quo suo loco; et quam ipsi super sinistrum humerum deferunt; cujus anteriorem partem ad brachium revolvunt, ac pendentem relinquunt posteriorem partem. Idem observant Carthusiani; sed hi Latino ritu ad dextrum latus ligant, ac longiorem partem in brachio ad instar manipuli stringunt : quæ opinio antiquissima sanctorum Petri et Pauli imagine confirmatur, quæ ejusdem S. Silvestri papæ fuerat, ac magna veneratione in basilica Vaticana conservatur : in cujus inferiori parte idem summus pontifex est depictus cum assistentia duorum diaconorum Constantinum baptizans, diaconi vero induti antiquo *colobio*, quorum in humeris pendet stola, sive manica, quæ revera non alia esset nisi *linostima palla*. Confirmatur secundo hæc nostra opinio verbis Rodulphi prop. 23, ubi de hoc Silvestri decreto agens inquit : Ut diaconi dalmatica uterentur in ecclesia, et *palla* linostima eorum læva tegeretur. Ergo stola est, quæ ad lævam antiquitus, tanquam in parte tunc, ut dictum est in dicta bulla, nobiliori pendebat. Etymologia vero acute ab aliquibus traditur ex Græco λινοστῆμον, id est *lini stamen*, fortasse ad differentiam stolæ, quæ lanæ staminis in illis sæculis erat. » Addit Carolus Macri Dominici frater in auctario notarum, quod palla linostima videatur fuisse orarium, sive stola : et ex eo posse nos conjicere, quod vestem illam talarem Medorum, quam Herodotus lib. VII, Xenophon lib. VIII, Plutarchus in Alexandro, Arianus lib. IV et VI στολήν vocant, Q. Curtius lib. III, *pallam* appellat, et Horatius sat. 2, lib. I, *pallam* pro fascia sumpsit inquiens :

Ad talos stola demissa et circumdata palla :

et Seneca in Troad. 25 :

Cingat tunicas palla solutas.

Hæc adnotata eruditorum virorum efficiunt, ut vestium sacerdotalium novæ legis affinitatem agnoscamus cum ornamentis sacerdotalibus a Deo præscriptis in lege veteri : quam affinitatem in Prolegomenis cum pertracta verim quantum satis fuit ad genus universum intelligendum in

Digitized by Google

omni cultu ad ministerium altaris pertinente, satis erit hic perstringere illa, quæ ad propria diaconorum insignia referuntur per hunc numerum.

Vidimus igitur ex B. Hieronymo, et ex Josepho per ipsum producto in epistola ad Fabiolam, Mosaicæ legis sacerdotes habuisse communia cum pontificibus, una cum pileolo rotundo, seu tiara semisphærica, tria alia indumenta, quæ sunt : « 1. Linea feminalia seu braccæ. 2. Linea tunica talaris ad instar militarium camisiarum corpori astricta. 3. Cingulum, seu baltheus ad instar pellis colubri textus subtegmine cocci, purpuræ, hiacynthi, et stamine bissino, quem baltheum digitos quatuor latum, et thoraci circumligatum inter umbilicum et pectus, et ex una parte ad crura dependentem observat Hieronymus; cum ad sacrificia cursu expeditiore opus esset consuevisse in lævum humerum retorqueri. »

Hujus baltei Levitici quemadmodum mensura retenta est in *stola*, quam dicimus diaconalem, apud Christianos Levitas; ita et ejusdem retorsio in sinistrum humerum expressa cernitur in collocatione, ita ipsis demandata, tum a Silvestro supra num. 35, tum hic a Zosimo. Superponitur enim humero sinistro tum in Latina Ecclesia, tum apud Græcos. Et his quidem libera pendet posterior pars, et ad crura descendit; pars vero anterior alligatur brachio : nostris autem Latinis ministerii causa liberius exercendi pars pendula per retinaculum aut nodum circa cingulum colligatur ad latus dexterum; et brachio sinistro loco circumplicandi aliud extremum ejusdem institæ, segmentum similis latitudinis veluti ex longiori fascia aut balteo decisum ita duplicatur ut inseri possit sinistro cubito, quod ornamenti genus appellamus *manipulum*. Ita etiam *pallium* nostrorum pontificum majorum, seu fascia illa index amplitudinis potestatis, quæ usque ad decimum sæculum circa humeros aptata utroque extremo suo anterius e pectore, retrorsum e dorso ad pedes usque defluebat, ut omnia vetusta musiva Romanis in basilicis ac titulis præservata demonstrant, postquam experimento compertum est, in ascensu ac descensu graduum altaris ac throni pontifici celebranti occasionem cæspitandi ac labendi non semel præbuisse, ut alio in num. infra dicemus, decurtari cœpit providenter, donec ætate nostra vix infra costas pertingat. Ita expeditum magis, et a lapsus periculo immune citra mysterii aut decoris imminutionem reddit pontifici ministerium. Hæc igitur de figura; nunc de materia diaconalis illius ornamenti a Silvestro et Zosimo iteratis decretis constabiliti.

Lineam pallam diaconis gestandam in sinistro humero præscripsit Silvester : lineam pariter, seu lineis staminibus et filis intextam (quod est *linostimum*) constituit Zosimus, ea scilicet ex causa, quod lini materies ita esset addicta sacerdotalibus indumentis, ut in singulis propemodum locum haberet. Nam et braccæ sunt lineæ; lineæ tunicæ talares; et ex byssino filamento, hoc est subtilissimo lino baltei sacerdotalis ac Levitici tela contexta. Unde et pontificum nostrorum vittæ cum inunguntur, et episcoporum mitræ quando summo pontifici assident lineæ adhibentur.

Causam talis indumenti diaconis præscribendi tum ætate Silvestri, tum Zosimi, nemo felicius aperiet, quam Chrysostomus Zosimi ætatem attingens. Ejus testimonium in homilia de filio prodigo retulit Goar in Euchologio p. 11 ad ordinat. Græcorum num. 23: « Nostis, inquit, spiritales delicias qui eas degustastis, et recordamini tremendorum mysteriorum divini sacrificii imitantium angelorum alas tenuibus lineis stolis, quæ sinistris humeris impositæ sunt, et qui in Ecclesia discurrunt. »

Præter hanc stolæ diaconalis originem a Levitici ministerii balteo in humerum sinistrum reflexo, a novi quoque fœderis exordio repetunt symbolum expositores sacrorum rituum, ipsasque lineas mappulas in sinistro brachio gestandas ex lege Ordinis Romani VI apud Mabillon, necnon pallas linostimas a diaconis ad lævam adhibendas ex hoc num. et ex superiori 35 uti monebam in notis ad S. Stephanum. Ex illo scilicet linteo ac symbolo ministerii proficisci putant, quo Pontifex vere maximus Christus Dominus præcingi voluit cum instituret novæ legis sacrificium et sacerdotium. Quare indicavimus etiam ante Silvestrum hasce lineas vestes, et alias sacras fuisse attributas nostris Levitis et sacerdotibus, cum exponeremus decretum a Stephano papa et martyre conditum, ne sacerdotes ac Levitæ sacras vestes adhiberent in usu quotidiano, sed intra Ecclesiam tantummodo ad ministerium altaris. Quænam igitur causa fuerit decreti condendi sub Silvestro et Zosimo, inquit, si ante Silvestrum Stephanus constituerat de sacris vestibus sacerdotum ac diaconorum, et inter has erant lineæ pallæ, et oraria Christi Domini ex linteo desumpta? Causam assequemur, si respexerimus ad ampliorem cultum vestium sacrarum, latius explicatum post redditam Ecclesiæ pacem sub Silvestro per Constantinum. Per illam ætatem trabeæ consulares, ac regia purpura, et palmatæ vestes ac triumphales, passim oblatæ a principibus fidem Christi professis regali ejusdem sacerdotio, rite dedicabantur Deo per pontifices, aptantes supra easdem insignia crucis Christi, et Pallio apostolico laneo non dedignantes contegere aurea et phrygiata ornamenta vestium regiæ gazæ, ita devote in sacrarium illatæ ab Augustis, sese ac regna Christo subdentibus. Consultum itaque cum fuisset dignitati veterum symbolorum Pontificalium in ornamentis majoris sacerdotii, consultum pariter esse voluerunt Silvester et Zosimus Levitici muneris insignibus primævæ institutionis, nempe lineis mappulis humero de more apponendis etiam in assumptione dalmaticarum auro et purpura contextarum in pace Ecclesiæ. Quin etiam tanta fuit constantia non deserendi veterum hujusmodi pallarum sive orariorum et limborum sacrata symbola, ut ad altaris ministerium diaconis neque tunc licuerit neque nunc liceat sine illo ornamento sisti, etiam illis diebus, quibus dalmaticæ sunt deponendæ : neque subdiaconis pateat accessus ad munus sui ordinis obeundum in sacrificio, nisi lineis illis induti sint, et mappulis ad lævam instructi, etiamsi tunicas extimas et pretiosas certis diebus deponant in ministerio. Qui plura his de ornamentis desiderat, consulat ea quæ contulimus in Prolegomenis de cultu vestium sacrarum.

Lin. 7 et 8. — *Sepultus juxta corpus beati Laurentii via Tiburtina* VIII *Kalendas Decembris.* Certe post diem V Nonas Octobris in vita egisse dicendus est; cum supersint ejusdem litteræ ea die signatæ et inscriptæ *Commonitorium ad presbyteros Ravennæ, Honorio XII et Theodosio Coss.*, nempe anno Christi 418. Leguntur in codice membranaceo noni aut decimi sæculi Romæ custodito in bibliotheca tituli S. Crucis ad Jerusalem, de quo egimus paulo ante pag. 35, ubi hanc epistolam alia præcedit, a Zosimo data *ad Hæsitium episcopum Salonitanum* nono Kalend. Martias eodem consulatu.

CIACONII.

Linea 1. — *Natione Græcus.* Non ut quidam dixerunt Cappadox Cæsariensis, sed Reatinus ex magna Græcia nunc Calabria dicta.

PAGII.

Linea 2. — *Hic multas constituit ecclesias.* Alia lectio : *Hic multa constituit in Ecclesia.* Cœlestius, audita Innocentii morte, ex Oriente Romam statim advolavit, ut testatur Marius Mercator in Commonitorio his verbis : « Prædictus tamen Cœlestius etiam hinc (nempe Constantinopoli) ejectus ad urbem Romanam sub sanctæ memoriæ Zosimo episcopo, tota festinatione perrexit. » Ubi Romam per-

Digitized by Google

venit, Zozimus papa in sancti Clementis basilica concessum habuit, et quidquid ad eam usque diem, in ejus causa actum fuerat, excussum est, introductusque etiam Cœlestius, ac lectus libellus, quo fidem suam testabatur, ut scribit Zosimus in epistola ad Aurelium et universos episcopos Africæ, anno quadringentesimo decimo septimo data, in qua consules leguntur, sed dies et mensis desiderantur. Cœlestii professio Zozimo visa est catholica, non quod, quæ dogmata Cœlestii continebat, ipse approbaret; sed quod apostolicæ sedis judicium amplecti se paratissimum ille exhiberet. « In homine acerrimi ingenii, inquit Augustinus, lib II contra duas epistolas Pelagianorum c. 3, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. » Non putavit tamen Zosimus, ejus libellum sibi debere sufficere, sed variis interrogationibus ejus animum exploravit, ut liquet ex laudata Zosimi ad episcopos Africanos epistola. Nec tamen Cœlestium excommunicationis vinculis, quibus innodatus erat, absolvendum esse judicavit : « Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinalis sententiæ lenitate concessus est, » inquit Augustinus lib II de Peccato originali, cap 7, quod Aurelio, cæterisque episcopis Africanis per litteras Zosimus significavit *datas* XI *Kalend Octob.* ejusdem anni 417. Illis litteris sanctos illos præsules durius increpuit, dolens Pelagii, ac Cœlestii vices, qui cum catholica saperent, hæreseos damnati fuissent.

Postquam Zosimus pro Cœlestio scripsit ad episcopos Africanos, Pelagius suam quoque epistolam, qua hæresis crimen a se depelleret, misit cum adjuncta fidei professione, in qua sincere quid crederet, quidve respueret, sese declarare prædicabat. In ea, Cœlestium imitatus, ea capita, quorum nemo ille postulabat, multis disputat, sed ubi ad baptismi quæstionem venit, « Baptisma, inquit, unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, asserimus esse celebrandum. » Quæ verba nihilominus ipsum ad originalis culpæ confessionem non astringebant. Sic neque exprimebat qualem gratiam agnosceret necessariam, et ex eis quæ Augustinus de Pelagianorum fraudibus tradit, intelligimus illam fidei expositionem, in qua nihil prorsus videtur nisi orthodoxum, januam eorum omnibus erroribus patefacere. Ea tamen accepta Zozimus scripsit ad episcopos Africanos supra citatam epistolam XI Kalend Octobr datam, in qua ait, liquido purgare se Pelagium, ac fidem suam tanta perspicuitate exponere ut locum malignis interpretationibus nullum relinqueret. Verum culpam, quam Zosimus imprudens admiserat, postea correxit, ideoque Augustinus eum, quantum in se fuit, excusavit.

Episcopi Africani, acceptis Zosimi papæ litteris, anno quadringentesimo decimo octavo duo concilia celebrarunt, quorum primum S. Augustinus Africanum semper appellat, licet Carthagine celebratum fuerit. Ei docenti decem et quatuor episcopi interfuerunt. Ex eo obtestatio ad Zosimum papam missa; graviter in ea expostulabant Patres concilii adversus Zosimum, quod post habito, et Africanæ Ecclesiæ, et Romanæ per Innocentium judicio, quo finita Cœlestii causa fuerat, ad novum eam examen revocasset. Deinde cum intelligerent ex epistolis Zosimi, hunc ad Pelagium, Cœlestiumque absolvendos festinare, nisi accusatores Romam occurrerent, et suæ accusationis capita probarent : obtestatorium libellum interposuerunt, quo suum sibi jus servari postulabant, et ut nihil de sententia in utrumque illum prolata immutaretur; sed in eodem cuncta relinquerentur statu, saltem donec unum e suis Romam mitterent cum idoneis causæ instrumentis, quibus hæreticorum artes aperirentur, docereturque quam legitime et canonice damnati essent. Ex eo itaque concilio omnia gesta in causa Cœlestii ad Zosimum missa sunt.

Cum eo loco res esset, Zosimus examinatis, quæ hactenus adversus Cœlestium tam Romæ, quam in Africa facta fuerant, eum ad pleniorem audientiam, summumque judicium vocavit; sed hæresiarcha cum artes suas patere, nullumque superesse tergiversandi modum videret, sese examini subduxit. Cujus fuga ubi innotuit, continuo lata in eum ac Pelagium decretoria sententia, scriptaque universis mundi episcopis a Zosimo grandis illa epistola, quam Tractoriam Marius Mercator vocat, et cujus aliqua tantum nobis fragmenta restant. Hæc Mercatoris hac de re in Commonitorio verba : « Episcopis vero ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat exponentibus : missis etiam gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatur ad audientiam pleniorem, ut quæ promiserat, festinaret implere, id est, ut damnatis prædictis capitulis, sententia Afrorum pontificum, qua fuerat communione privatus, absolveretur; non solum non adfuit, sed etiam ex memorata Romana urbe profugit : atque ab hoc a beatæ memoriæ prædicto Zosimo episcopo scriptis amplissimis vel longissimis perdamnatus est; in quibus et ipsa capitula, de quibus accusatus fuerat, continentur, et omnis causa tam de Cœlestio suprascripto, quam, de Pelagio magistro ejus praviore videtur esse narrata (quorum scriptorum et nos hic habemus exemplaria), et ad omnes orientales Ecclesias, Ægypti diœcesim et Constantinopolim et Thessalonicam, et Hierosolymam, similia eademque scripta ad episcopos transmissa esse suggeremus. »

Zosimus Tractoriam suam et gesta synodi Africanæ ad Honorium imperatorem Ravennæ agentem misit, petens, ut Cœlestius omnesque Pelagiani Urbe pellerentur, et toto Christiano orbe tanquam hæretici haberentur. Iis acceptis Honorius rescriptum emisit, quod Baronius ex codice monasterii sancti Vedasti anno 418. Annalibus inseruit, postea Salmasius, Usserius lib de Britannic Eccles primordiis, Baluzius in Appendice ad Salvianum, et nuper Garnerius partim collatione editorum, partim Mss. ope correctius dedit in dissert 3 de Constitutionibus imperatorum editis in causa Pelagianorum. In eo rescripto ad Palladium Præfectum prætorio Italiæ directo Honorius ait : *Illustris tua auctoritas victura in omne ævum lege nos statuisse cognoscat, ut pulsis ex Urbe primis capitibus dogmatis exsecrandi, Cœlestio atque Pelagio, si qui hugus de cætero sacrilegii sectatores, quibuscunque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursus proferre sermonem, a quocunque correpti ad competentem judicem perrahantur.* Imperiale edictum jussione sua prosecuti sunt præfecti prætorio Junius Quartus Palladius Italiæ, Monaxius Orientis, et Agricola Galliarum, qui decreto suo, quod adhuc exstat, jussere Pelagium, et Cœlestium ex Urbe ejici, omnesque istorum erroris convictos facultatibus suis spoliari, ac perpetuo multari exsilio. Honorii rescriptum dicitur *datum pridie Kalend. Maias, Ravenna, D. D. N. N. Honorio XII et Theodosio VIII AA. CC.* ideoque anno 418, post mensem scilicet, et aliquot dies, quam Zosimus tertiam ad Afros epistolam die XXI. Martii scripsisset, qui ideo intra illud tempus, et Cœlestium postremo ad judicium vocavit, et tractoriam suam adversus Pelagianos ad universos orbis episcopos dedit.

Episcopi Africani Carthagine in concilio, quod a D. Augustino plenarium dicitur, congregati Zosimi Tractoriam receperunt, et epistolam gratulatoriam ad ipsum scripserunt, qua, de Pelagianorum damnatione, Zosimo, ut par erat gratulati sunt. Hujus Epistolæ, et Zosimi Tractoriæ mentio est cap 8 capitulorum, quæ epistolæ Cœlestini Papæ ad episcopos Galliarum, subjici solent. Cœlestinus, cui illa capitula attribuuntur, ait : « Quod omnia studia, et

Digitized by Google

omnia opera, ac merita sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quod ipse donaverit : in quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos, ait : « Nos autem instinctu Dei (omnia « enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde « nascuntur) ad fratrum, et coepiscoporum nostro- « rum conscientiam universa retulimus. » Hunc autem sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eumdem virum scriberent : « Illud vero quod in litteris, « quas in universas provincias curasti esse mitten- « das, posuisti, dicens : Nos tamen instinctu Dei, » etc. Sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollant humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter, fidenterque dixisti : « Ideo utique, quia præparatur voluntas a Domino, « et ut boni aliquid agant paternis inspirationibus « suorum ipse tangit corda filiorum : quotquot enim « spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt; ut nec no- « strum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis qui- « busque voluntatis humanæ singulis motibus magis « illius valere non dubitemus auxilium. » Ita Cœlestinus. Laudatam epistolam ab Africanis episcopis in concilio plenario congregatis, ubi Zosimi Tractoriam recepere, scriptam esse oportet, cum Zosimus sub finem anni quadringentesimi decimi octavi vivere desierit, nec aliud ante mortem ejus in Africa concilium congregatum fuerit.

Lin. 3 et 4. *Ut diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis, et per parochias concessa licentia cereos benedici.* Zosimo tribuit liber Pontificalis, quod licentiam benedicendi per singulas parochias cerei Paschalis concesserit. Quod non ita intelligendum est, inquit cardinalis Baronius, quasi Zosimus cerei Paschalis usum primus instituerit, sed illud tantum a Zosimo institutum, ut idem cereus qui in majoribus tantum basilicis incendi soleret, æque singulis parochiis concederetur : antiquiorem enim fuisse in Ecclesia ejusdem cerei benedictionem, docet Prudentius, qui de eo hymnum composuit.

Idem liber Pontificalis asserit eum constituisse, ut diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis. Nomine hujus pallæ intelligenda est stola diaconalis ex lino, et lana contexta, quam diaconi in humero sinistro deferunt, ad differentiam sacerdotalis, a collo ante pectus pendentis. Hic autem usus jam a tempore concilii Laodiceni anno circiter trecentesimo sexagesimo tertio celebrati, invaluerat, ut diaconi stola uterentur in sacris ministeriis. Canone enim XXXII statuitur subdiaconos cum orariis assistere non debere, et canone XXIII, lectores, cantoresque cum orariis agere officium suum non debere. Ad quem ultimum canonem auctor anonymus in notis ad conciliorum canones observat, lectoribus, et aliis uti orariis fuisse prohibitum, ne ordinum gradus confunderentur : orarium autem idem fuisse ac stolam seu, ut alii volunt, sudarium, quo os absterge-retur, quod tandem in manipulum evasit. Verisimilius tamen esse orarium hic sumi pro stola, quæ olim latitudine sua humeros tegebat, et cujus oram tantum retinuimus, quæ circa collum defertur : Græcis in hoc a Latinis discrepantibus, quod apud illos ante pectus, et retro, crucis in modum, orarium illud decussetur.

SOMIER.

Linea 2. — *Hic multas constituit ecclesias.* Alia lectio : *Hic multa constituit in Ecclesia.* Nemo nobis testari potest securius quid egerit Zosimus in causa Pelagianorum, quam ipsemet in suis litteris, et S. Augustini de ipso redditum testimonium. Zosimi epistola III talis est : Zozimus Aurelio, et universis per Africam, etc. « Magnum pondus examinis magna desiderat; ut non sit rebus ipsis quæ geruntur inferior libra judicii. His accedit apostolicæ sedis auctoritas, cui in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem quamdam sanxere reverentiam... Cœlestius presbyter nostro se ingessit examini, expetens, ea quæ de se apostolicæ sedi aliter quam oportuit essent inculcata, purgari. . . Posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in sancti Clementis basilica. . . Omnia igitur, quæ prius fuerant acta discussimus. . . Intromisso Cœlestio, libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti, utrum hæc quæ scripsisset, corde loqueretur, an labiis, sæpe numero exploravimus. » S. Augustinus testatur Cœlestium in professione fidei, quam obtulit Zosimo, declarasse, « si forte ut hominibus, quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur. » S. Aug de Pec orig cap 6. : « Insuper etiam Cœlestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis sedis apostolicæ, id est Innocentii papæ litteris, crebra interlocutione constrinxerit. » Id. contra 2 epist Pelag lib II, c. 3 : « A vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus; sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est. » Id. de Pecc orig cap 8.

Pelagius quoque non seguiter litterarum remedia conquisiverat ad eludendam, si fieri posset, Romani pontificis diligentiam in causæ istius cognitione. Scripserat enim ad Innocentium fidei suæ professionem, mutuatus ex apostolico symbolo veras sententias, neque aperte illis permiscens errores suos, quin et libertatem arbitrii asserens, et nos semper indigere divino auxilio : et universa ita concludens : « Hæc est fides, papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus et tenemus. In qua si minus perite, aut parum caute aliquid forte positum est, emendari in primis cupimus a te, qui Petri et fidem, et sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur; quicunque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit. » Ad hæc, addiderat etiam Prailus Hierosolymorum episcopus suas epistolas ad Zosimum, quibus carpebat accusatores Pelagii et Cœlestii, et ita obsequentem Pelagium ostendebat sedi apostolicæ, ut lectis palam litteris commendantis et commendati, qui aderant Romanæ Ecclesiæ viri sancti vix lacrymis præ gaudio temperarent, ait Zosimus (ep. IV). Interea inter Romanam et Africanam Ecclesiam litteris ultro citroque datis suspendebatur judicium pontificis, donec pleniora documenta afferrentur e Patribus Africanis, quibus communicaverat Zosimus ea quæ transmissa fuerant a Pelagio et Cœlestio. « Quamvis enim, ait Zosimus, epistola X ad Aurelium, Patrum traditio apostolicæ sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus, Ecclesiastica disciplina Petri nomine, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvit, etc. Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra posset retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus, dantes hoc fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus al quid, quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos, sicut ipsi per litteras dicitis, fuerit accusatus : et ad nostram, qui se assereret innocentem non refugiens judicium ex appellatione pristina, venerit sedem, accusatores suos ultro deposcens, et quæ in se crimina per rumorem falso dicebat illata

Digitized by Google

condemnans, etc. Idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas quas superius vel litteras vestras accepimus, immutasse : sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris litteris vestræ indicavimus sanctitati; ut illa, quæ a vobis ad nos missa erat, obtestatio remaneret. »

Ad causæ hujus definitionem deventum tandem fuisse per sedem tum plures auctores ostendunt, tum præ cæteris S. Augustinus (contra 2 epistolam Pelagii lib. II, cap. 3) scribens præsules Africanos suasisse Zosimo, ut contentus non esset consensu generico, quem litteris Innocentii præstare se jactabat Cœlestius, sed speciatim ab eo requireret, « ut aperte anathematizaret quæ in suo libello prava posuerat : ne si id non fecisset, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena a sede apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat, eum librum esse catholicum, quam emendata propter illud, quod se papæ Innocentii litteris consentire ipse responderet. Tunc ergo cum ejus præsentia poscerctur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis, vel correctio delucesceret, et nulli ambigua remaneret, se subtraxit, et negavit examini. »

Hac igitur methodo cum astutia simulantis promptitudinem ad parendum et se sistendum judicio fuisset detecta, testantur S. Augustinus (epist. 47, *ad Valentinum* et epist. 157, *ad Optatum*), S. Prosper (lib. contra collat.) Marius Mercator (*commonit. ad Theodos.*) aliique, non modo prolatam fuisse contra Pelagium et Cœlestium damnationis sententiam etiam a Zosimo, sed hunc circularibus litteris ad universos totius orbis episcopos datis curasse, ut in omnium notitiam a se decreta pervenirent. Legendus præ cæteris Paulinus Ecclesiæ Mediolanensis diaconus in libello, quem eidem Zosimo in gratiarum actionem obtulit, ubi seriem judicii ac sententiæ contra Cœlestium a se delatum a Zosimo prolatæ, post priorem ab Innocentio profectam, describit. « Ego Deo et Christo Domino gratias ago, quod Ecclesiæ causam ita agi voluit, ut sedes apostolica, a qua oportuit ore duorum pontificum hæresim condemnari, ea damnanda præcepit, quæ a me Cœlestio fuerunt objecta. »

Quo autem pacto approbata fuisset antea in Cœlestio voluntas emendationis, qua de pluribus dubitans instrui se velle asserebat, non vero falsitas dogmatis, quam profiteri tunc non declarabat, A ostendit S. Augustinus lib. II ad Bonif., cap. 3.

Zosimus in encyclica ad episcopos jusserat, ut illa condemnans Pelagianos ab omnibus subscriberetur, indicta refractariis pœna depositionis (ex Mario Merc. in *Commonit.*). Honorii Augusti lex huic pontificiæ constitutioni ita se præbuit adjutricem in causa fidei, ut accusationem publicam ubique locorum institui, exsilii pœnam in rebelles decerni mandaret.

Experti sunt tum pontificiæ, tum imperialis potestatis justam coercitionem Julianus episcopus Eclanensis, aliique septemdecim, qui subscribere recusantes, a sede apostolica sunt ejus communione privati, et ab Augustorum judicibus sunt in exsilium pulsi, ut ex Zosimi II epistola constat.

Quæ hactenus prosecuti sumus Zosimi constituta ad Ecclesiæ universalis regimen ipsi concreditum pertinere noscuntur. Quæ autem peculiaria in regionibus patriarchatus Occidentalis ordinavit, ea sunt primatus trium provinciarum per Gallias, nempe B Viennensis, Narbonensis I et Narbonensis II, confirmatus episcopo Arelatensi, cui fuerat etiam ante collatus, adjecto vicarii apostolici munere per Gallias universas (*epist.* 5 *et* 6). Hesychio Salonitano in sua Decretali (*epist.* 1) præscribit ut in sua provincia Dalmatiæ eadem observentur de ordinationibus decreta, quæ ad Gallias, Hispanias, et Africam transmisit.

In Africanis provinciis compiura etiam statuit. In Byzacenam increpat episcopos, quod laicorum judiciis non vereantur subdere sacerdotes.

In Mauritaniam Cæsariensem Augustinum se conferre impulit ob terminandas Ecclesiæ necessitates (ex Possidio in Vita Aug. cap. 14 et ex epist. S. Aug. 157 ad Optatum) cum de causa Donatistarum, et de appellationibus ad sedem apostolicam agebatur. De his videndum est concilium Carthaginense VI, cap. 2 : « Injuncta nobis sunt a sede apostolica aliqua..... Hoc est de Nicænis canonibus ut observentur. » C Sardicensis concilii canon erat, de quo ibi agebatur, licet Nicænus canon appellaretur a pontifice, eo quod illa duo concilia, Nicænum et Sardicense, junctim uno in libro completa (cum et Nicænorum explicatio in Sardicensibus haberetur) Nicæni nomine passim venirent, ea præsertim ætate ac pluribus consecutis. Reverentiam quam debuerant Zosimo se professos testantur Patres Africani in sua synodica ad Bonifacium Zosimi successorem, ut in subsequentibus ostendetur.

XLIV. SANCTUS BONIFACIUS.

ANNO CHRISTI 419, HONORII 15, THEODOSII 12.

60 *Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo presbytero, sedit annos tres, menses* quatuor, *dies* tredecim [a]. *Hic sub contentione cum Eulalio ordinatur* una die, *et fuit dissensio in clero* mensibus septem, et per dies quindecim [b]. Eulalius vero ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius autem in basilica Juliæ. Eodem tempore audiens hoc Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum sederent Ravennæ, retulit Honorio Augusto Mediolani sedenti, eodem tempore ambo Augusti missa auctoritate hoc præceperunt, ut ambo exirent civitatem. Qui dum compulsi exissent, habitavit Bonifacius in cœmeterio sanctæ Felicitatis martyris via Salaria. Eulalius vero in civitate Antii ad sanctum Hermen. Veniente autem proximo die Paschæ, præsumpsit Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiniana, et introivit Ur-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, ann 5, minus 2 mensibus, et 3 dieb a Coss Honor XII et Theod VIII, ad Marmanum et Asclepiodorum Coss. [b] Vide Baron ad ann Domini 418, in fine.

Digitized by Google

bem, et baptizavit, et celebravit Pascha in basilica Constantiniana. Bonifacius vero, sicut consuetudo erat, celebravit baptismum Paschæ in basilica sanctæ martyris Agnetis. Hoc audito Augusti utrique miserunt, et [a] ejecerunt Eulalium: et missa auctoritate revocaverunt Bonifacium in Urbem, et constituerunt Episcopum. Eulalium vero miserunt foras in Campaniam. Post annos tres, et menses octo defunctus est Bonifacius. Clerus autem et plebs petierunt Eulalium revocari, quod tamen non consensit Eulalius, Romam reverti. Qui etiam in eodem loco Campaniæ post annum mortis Bonifacii, defunctus est. *Hic Bonifacius constituit, ut nulla mulier, vel monacha* [b] *pallia sacrata contingeret, aut lavaret, aut incensum poneret in ecclesia, nisi minister : nec servum clericum fieri, nec obnoxium curiæ, vel cujuslibet rei.*

61 Hic fecit oratorium in cœmeterio sanctæ Felicitatis, juxta corpus ejus, et ornavit sepulcrum sanctæ martyris Felicitatis, et sancti Livanii [c], ubi et posuit hæc : Patenam argenteam, pensantem libras viginti ; scyphum argenteum pensantem libras decem ; amam argenteam, pensantem libras tredecim ; calices minores argenteos duos, pensantes libras quatuor ; coronas argenteas tres, pensantes libras quindecim. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, presbyteros tredecim, diaconos tres, Episcopos per diversa loca sex et triginta. Qui etiam sepultus est in cœmeterio sanctæ Felicitatis martyris, via Salaria, octavo Kalendas Novembris ; et cessavit episcopatus per dies novem.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Vide Baron. ad an.* 419. [b] *Pallam sacratam.* [c] C, *sylvani.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod. Freh.

Num 60, *lin* 1, *A*, menses 8, *B*, mens 5 ; *lin* 4, *A*, Juliana ; *lin* 9, *AB*, Antiochi.

Num 61, *lin* 2, *A*, Silvani. *lin* 4, lib 16. *B*, 14. *lin* 5, *A*, lib 8, *et post* lib 5. *lin* 6, *A*, presbyt 16, *B*, 14. *lin* 8, *AB*, juxta corpus S. Felicitatis.

Ex cod. Reg. Maz. et Thu.

Num 60, *lin* 1, mens. 8, d. 7, *lin* 3, mens. 7, d. 15, Eulalius ordinatus est in bas C. Bonif vero in basil Julii ; audiens hoc Placidia. *lin* 6 et 7. sedenti eodem tempore ambo Augusti m. a. præceperunt, ut ambo electi ex. c. qui cum pulsi exirent. *lin* 9, civit Anthio ad S. H veniente autem die pr. P. *lin* 11 et 12, in urbem Romam. *lin* 17, Clerici autem et plebs petierunt Eulalium in Urbem revocari. Ipse tamen non consensit in urbem Romam reverti. Verumtamen post annum mortis Bonifacii defunctus est Eulalius in eodem loco Campaniæ. Hic Bonifacius constituit ut n. m. aut monach pallam sacratam contingeret, aut l. vel in c. p. in eccl nisi tantum minister, nec servum clericum fieri.

Num. 61, *lin* 1, S. Felic martyris et S. Silvani, ubi et posuit hæc dona : pat. *lin* 3, lib 13, scyphum argenteum, pens lib 10, coronas arg 3, p. s. lib 15, calices minores 2, pens sing lib 4. Hic fecit ordinationem 1 in urbe Roma per m. D. *lin* 7, qui etiam A sep est, via Salaria, juxta corpus S. Felicitatis mart. *lin pen* episc dies novem.

Ex cod. Thuano altero.

Num 60, *lin* 1, Jucundo p. s. ann 3, m. 8, d. 7. Hic sub intentione c. E. *lin* 3, septem, d. 15. *lin* 4 in bas Julii. *lin* 8. qui cum pulsi ex. *lin* 9 ; Antio ad. S. H. Veniens autem dies proximus P. *lin* 14, Agnæ. *ibid.* elegerunt E. *lin* 16, foris. *lin* 17, clerus, vel populus p. Er. mox Romam se reverti. Qui tamen in e. *lin* 20, pallam sacratam.

Apud. Holstenium et Schelestrat.

Linea 1, *Flor.*, menses VIII. *Flor sec* IX, *Romualdus* VII, *Flor et Cass*, dies VII. *linea* 3, *Flor*, mensib VIII. *linea* 4, *Romuald*, Julii. *linea* 8, *Flor et Romuald*, pulsi. *linea* 14. *Vat*, et erigerunt Eulalium 252 episcopi. *linea* 15, *addit Flor*, alii episcopi. *linea* 17, *Flor et Cass*, populus. *linea* 20, *Romuald*, pallam sacratam.

B *Num* 61, *lin* 2, Silvani. *lin* 4, cal m. 2. *lin* 6, unam in urbe Roma p. m. D. *lin ult* episc d. 9.

Apud. Peniam ex cod. Cavensi.

Num 60, *lin* 1, sedit ann III, m. VIII, d. XIII. Hic sub intentione. *lin* 10, veniens autem proximus dies. *lin* 18, d. e. Eulalius.

Num 61, *lin* 2, *codd*, Silvanii. *lin* 7 et 8, *Flor secund*, in cœmeterio juxta corpus S. Felicitatis.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Num. 60, lin. 13.—*Celebravit baptismum Paschæ.* Licet urgente necessitate semper baptizare licuerit, baptismus tamen extra necessitatem tantum bis in Ecclesia solemniter olim conferebatur, vigilia nimirum Paschatis, et Pentecostes. Unde hoc loco baptismus Paschæ vocatur, ut a baptismo Pentecostis distinguatur.

ALTASERRA.

Num. 60, lin. 21.—*Nec servum clericum fieri, nec obC noxium curiæ vel cujuslibet rei.* Bonifacii decreto vetitum, ne servi, vel obnoxii curiæ, id est, curiæ municipali, vel rationibus publicis, admittantur in clerum. Idem constitutum variis sanctionibus Cæsareis, et pontificiis, L. *Officiales.* L. *Si quis.* C. *De episc. et cleric.* can. 1. *Et.* per totum. 51. dist. can. *Legem.* 53. dist. can. 1. *Et* per totum 54. dist.

BINII ET LABBEI

Num. 60, lin. 1.—*Bonifacius.* In lege doctissimus, bonis moribus comprobatus, acclamatione totius populi,

Digitized by Google

et plurium Optimatum, invitus pontifex elegitur, et consecratur.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Ad consules Monaxium et Plintham referri exordium Bonifacii papæ paulo ante dixi: cujus ordinatio in vetusto martyrologio Florentinii consignata præcessit per triduum Kalendas Januarii annum 419 aperientes in processu eorumdem consulum. Testis æqualis eorumdem temporum est Prosper in Chronico editus castigate a Schelstratio Antiquit. Eccl. pag. 466, ubi hæc leguntur:

Monaxio et Plintha coss. Romanæ Ecclesiæ quadragesimus episcopatum agit Bonifacius. Huic suffragatur epistola ipsius Bonifacii ad episcopos Galliæ data Idibus Junii Monaxio consule, et altera ad Rufum Thessalonicensem eodem consulatu signata XIII Kalend. Octobr. apud Holstenium. Prioris exemplum legitur in laudato codice biblioth. S. Crucis ad Jerusalem ita subscriptum: *Data sub die Idus Junias Monaxio viro clarissimo consule* quam alia subsequitur triennio post directa *Hilario episcopo Narbonensi*, cujus initium: *Difficile quidem fidem querimoniis commodamus:* finis vero: *Data V Idus Febr. DD. NN. Honorio XIII et Theodosio X, consulibus Augg.*

In colligenda summa temporis quo sedit Bonifacius, discrepare videntur scriptorum etiam veterum sententiæ, numerum mensium ac dierum diversimode statuentes, ut apparet ex variantibus lectionibus ad textum Anastasii. Verum observant opportune critici diligentiores, hanc differentiam mensium ac dierum supra triennium solidum ipsi tributorum esse referendam in illius schismatis menses, quibus Eulalius falsa insinuatione Symmachi apud Honorium Augustum Ravennæ agentem subnixus, disputabat de electione cum Bonifacio. Chronologiæ illius dissidii collectæ in notis Pagii Junioris a num. 2 ad 11 invenitur, et omne discrimen tollit. Tres menses, aut quatuor impensos fuisse admittendum est ad diluendas calumnias Eulalii et Symmachi: quo tempore jussus fuit Bonifacius abstinere a pontificiis muneribus in Urbe exercendis: donec pluribus Honorii litteris Ravennæ datis usque ad diem III nonas Aprilis (quod refert Baronius ad an. 418) sedis Romanæ pacificam possessionem adeptus fuit Bonifacius, expulso Eulalio. Aliqui propterea codices tribuerunt sedi Bonifacii a legitima electione cleri, ut par erat, supra annos tres, menses octo dies tredecim. Alii vero menses tres et dies tredecim supra triennium: qui videntur ex aliquo principis rescripto epocham illam inchoare. In martyrologio Florentinii depositionis dies constituitur IV Septembris: quod exacte pariatur cum summa temporis a codice B. definiti ex die ordinationis XXIX Decembris si dies legantur septem expresse numerati in catalogo codicis Palatino-Vaticani annorum 865, quem dedimus in Prolegomenis, ex Schelstratio, et in pluribus exemplis operis Anastasiani, ab utroque Pagio indicatis. Ita enim ex ordinatione Bonifacii, consignata, ut vidimus, die XXIX Decembris, deducentibus epocham novi pontificatus constat ratio exacta mensium, ac dierum septem huic pontifici assignatorum supra triennium solidum.

Quam illustre addatur hoc triennale regimen Bonifacii ex litteris Patrum et conciliorum, indicant notæ aliorum ac nostræ, quas consule.

Superest, ut ostendam, cur anno 422, potius quam 423, mortem Bonifacii consignem; licet eam differendam putaverit ad 423 cardinalis Norisius, historiæ et chronologiæ illustrator lib. primo historiæ Pelag. cujus capiti 22 hæc præfigit in titulo: *Moritur Honorius imperator, ac postea Bonifacius papa.* Exordium vero capitis tale est: *Obiit anno 423, die XV Augusti, Honorius imperator:* et quintum post versum *subdit: die vero XXV Octobris Bonifacio etiam pontifice mortuo, Cœlestinus subrogatus fuit.* Deferrem auctoritati tanti scriptoris, nisi Prosper, et Marcellinus comes, qui tunc supererant, aliter indicarent. Marcellinus ita digessit in Chronico gesta sub consulatu Asclepiodoti et Mariniani. *Indict.* VI, *Cœlestinus Romanæ Ecclesiæ* XLI, *antistes creatus est: vixit annos novem.* Tum cæteris ejusdem anni eventibus enarratis, postremum illud enuntiat, Honorii scilicet mortem. Nec dissimiliter Prosper in Chronico sub iisdem coss prius memorat initium Cœlestini, scribens, *Romanæ Ecclesiæ quadragesimus primus præsidet Cœlestinus annis novem, mensibus decem, diebus quindecim;* deinde refert Longobardorum secundum regnasse Lamissum, et anni gesta concludit morte Honorii, et tyrannide Joannis. Æqualium igitur scriptorum testimonia non modo non præponunt Honorii obitum morti Bonifacii, sed initium pontificatus Cœlestini præferunt morti Honorii. Porro si mense Augusti obiit Honorius (de quo dubitare non licet tum ex historicorum testimoniis adductis per Ducange in Constantinopoli Christiana, tum ex legibus codicis Theodosiani datis hoc consulatu, nempe VI Idus Aug his coss l. LXI, de Hæreticis, et lege XIX, de Appellationibus, et lege V lib XI, de conl donat collata cum præcedenti, et l. VII, de inoffic Test, tit 19, lib II); et inter prima hujus anni gesta refertur initium sedis Cœlestini, qui die XXV Octobris pontificatum auspicatus est; profecto debemus colligere, Octobrem illum spectasse ad indictionem sextam, qua labente consulatum inierunt Kalendis Januarii Asclepiodotus et Marinianus ære Christi 423; cum inchoasset mense Septembri anni 422, nempe paulo ante pontificale initium Cœlestini. Rursus ex annis novem, mensibus decem, diebus quindecim. Cœlestino tributis colligitur electio ejusdem anno 422. Differri enim non potest ejusdem obitus ultra ætatem anni 432. Quare si anni decem, et menses decem, et quod abundat eidem tribuendi sunt; non potest exordium sedis desumi ex anno 432, sed necessario alligandum est anno 422.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 60, lin. 5.—*Audiens hoc Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto dum sederent Ravennæ, retulit Honorio Augusto Mediolani sedenti.* Ne quid obscuritatis offundatur historiæ ab implicata expressione nominum Placidiæ et Valentiniani ejus filii, cui titulus Augusti hoc in numero maturius tribuitur, quam par sit; observandum est Placidiam Augustam Theodosii Magni filiam, et duorum imperatorum sororem (Arcadii et Honorii) post obitum prioris mariti Athaulsi Gothorum regis uxorem datam Constantio Patricio Christi anno 416, Theodosio VII et Palladio coss ex hoc genuisse Valentinianum tertium VI Nonas Julii Christi 418, Honorio XII et Theodosio VIII, coss (Prosper in continuat Chron Euseb) Bonifacius electus est Romanus pontifex anno proxime procedenti ad finem vergente, scilicet XXIX. Decembris Christi 418, qua etiam die schismatico-rum factio in Lateranensi patriarchio collocabat Eulalium, agente tunc apud Ravennates Placidia cum marito Constantio, in consortium imperii et Augustæ dignitatis adlecto, sive anno eodem Monaxio et Plintha coss ut habet Idacius, ex observatione Besoldi castigata per Rupertum pag 426; sive anno 420, cujus exordia procedunt cum schismate Eulalii. Quandiu vivit Honorius (vixit autem ad XVII Kalendas Septemb anni 423, Asclepiodoto et Mariniano coss) Valentinianus puer Augustam dignitatem non obtinuit, quam pater Constantius ab Honorio acceptam retinuerat ad supremum vitæ diem II Septembr 421. Valentinianus post obitum patrui Honorii a Theodosio Juniore patrueli suo Cæsar et Augustus dictus fuit XVIII Octobr anni 425, delato illi imperio Occidentali. Quare textus Bibliothecarii ne turbet historiam ita est intelligendus, ut in electione Bonifacii papæ Placidiam exhibeat una cum filio Valentiniano adhuc infante Ravennæ commorantem, non vero

Digitized by Google

cum eodem tanquam Augusto sedentem, sed potius cum Constantio marito, cui Augusta dignitas eodem anno collata fuit. Placidia igitur Honorii soror, et Constantius Placidiæ maritus ad eumdem Honorium Augustum perscribunt de schismate Eulalii : quem ab utroque Augusto post festa Paschalia jussum Urbe excedere cum narret hoc num lin 14, cognoscimus hos Augustos legem exsilii Eulalio indicentes esse Honorium et Constantium.

Linea 20. — *Ut nulla mulier vel monacha pallia sacrata contingeret, aut lavaret, aut incensum poneret in ecclesia.* Decretum huic non dissimile editum a Sotere, ejusque condendi causam indicatam vide num. 12, ad S. Soter, cum scilicet Marcionis hæresis ad ministerium altaris admitteret mulieres ejusdem sectarias. Renovandi ejus decreti hanc occasionem fuisse arbitror sub Bonifacio. Post pacem Ecclesiæ redditam sub Constantino in progressu sæculi quarti cum instituta monastica florere in Urbe cœpissent, ut supra explicuimus in Damaso, et virgines Deo sacræ rudimenta quædam monasteriorum fundare et incolere statuissent, tum etiam regulas certas, sicuti in Oriente a Basilio Magno, per Africam ab Augustino (*epist* 109), ita et in Occidente ab Innocentio aliisque Patribus accepissent, monente Altaserra in notis ad Innocentium, Siricius monachos in clericos optari voluisset (can *Monachus* 16, q. 1) factum est, ut etiam virgines illæ Deo sacræ admitterentur ad matriculam distributionum Ecclesiæ cum clero percipiendam, utpote curæ episcopi commendatæ. Unde et *canonicæ* aliquando appellantur apud Chrysostomum virgines illæ sub certa regula castitatem professæ. Vide Thomassinum vet ac novæ Eccl. disciplinæ parte I, lib III, cap 42, num 12, quemadmodum et piæ feminæ, quæ fidelium sepulturis operam dabant cantantes cum acolythis canonem Ecclesiæ consequebantur. Vide eumdem Thomassin ibi cap 51, n 7. Ne igitur ex ratione canonis, atque ex adjunctione cum clero inferiori in psallendo posset illis aliquando subrepere opinio, aut ambitus paris ac sibi cum clero delatæ destinationis ad aliquod altaris ministerium, ad omnem erroris hujusmodi et ambitus originem et occasionem radicitus exstirpandam, censuit Bonifacius in memoriam revocanda, et nitide confirmanda esse decreta suorum decessorum, *ne ulla mulier vel monacha pallia sacra contingeret.*

Num. 60, linea 7. — *Qui etiam sepultus est in cœmet S. Felicitatis via Salaria.* Vir clarissimus falsitatis arguit Bibliothecarium ex Ciaconio. « Cum, inquit, ex Ciaconio constet cœmeterium S. Felicitatis fuisse proximum Callisti via Appia, ubi hodie exstat sacellum ejusdem martyris, in quo legitur inscriptio Bonifacii papæ I confessoris, et loculus ejus suspicitur, ubi quondam depositum fuit ejus corpus. » Veniam tamen indulgebit illustris auctor, si vindicandum assumam Bibliothecarium certis ex documentis, quæ demonstrant cœmeterium S. Felicitatis via Salaria constitutum, nec repugnant depositioni primæ Bonifacii papæ via Salaria : quemadmodum huic non repugnat translatio ejusdem posterior ad cœmet. Callisti via Appia, divisis etiam reliquiarum partibus inter diversas ecclesias Urbis, ubi custodiuntur et coluntur.

Cœmeterium igitur Sanctæ Felicitatis situm esse via Salaria eique adjacentes fuisse ecclesias S. Silvani martyris, et sancti Bonifacii papæ et confessoris non modo hic docet biographus, sed etiam monet in Vita S. Adriani papæ, num 345. Restaurata ab ipso fuisse eadem et proxima cœmeteria, basilicas, et ædificia. « Cœmeterium vero Sanctæ Felicitatis via Salaria una cum ecclesiis S. Silvani martyris, inquit, et S. Bonifacii confessoris atque pontificis uno cohærentes loco miræ restauravit magnitudinis. Sed et basilicam S. Saturni in prædicta via Salaria positam una cum cœmeterio sanctorum Chrysanthi et Dariæ renovavit, atque cœmeterium S. Hilariæ innovavit, imo et cœmeterium Jordanorum, videlicet sanctorum Alexandri, ac Vitalis et Martialis martyrum, seu sanctarum septem virginum a novo restauravit. Pariterque in eadem via Salaria cœmeterium S. Silvestri confessoris atque pontificis, aliorumque sanctorum multorum in ruinis positum renovavit. » Quo in texu emendandum puto errorem amanuensis his in postremis versibus, ita fortasse legendis : *imo et cœmeterium Jordanorum, videlicet sanctorum Alexandri, ac Vitalis, et Martialis* martyrum, seu sanctorum VII FF. (pro quibus, ut arbitror, siglis imperitus descriptor substituit VII VV. pro *septem fratrum* exponens *septem virginum*) *a novo restauravit.* Hæc enim nomina sanctorum Alexandri Vitalis et Martialis sunt trium ex septem fratribus martyribus, iisdemque filiis S. Felicitatis, ut constat ex actis inter Sincera et selecta recusis a R. P. Ruinart : qui etiam observat, in vetustissimo martyrologio Buchriano ad quartum Christi sæculum pertinente eadem nomina, et reliquorum fratrum, eamdemque depositionem consignari his verbis : « Sexto Idus Julii, Felicis et Philippi in Priscillæ : et in Jordanorum Martialis, Vitalis, Alexandri : et in Maximi Silani (*lege* Silvani) (hunc Silvanum martyrem Novati furati sunt) et in Prætextati, Januarii. » Nos in Prolegomenis edidimus cum nota marginali Bucherii, asserentis *sunt septem filii sanctæ Felicitatis :* ubi etiam pro *Novati furati sunt*, jure putat legendum esse, *Novatiani furati sunt.* Hæc igitur via Salaria ad primum ab Urbe lapidem tria sunt cœmeteria sibi proxima, *Priscillæ, Jordanorum, et Maximi :* in quibus sex fuere depositi ex filiis S. Felicitatis ; cum primus e septem, nomine Januarius depositus fuerit in cœmeterio Prætextati via Appia. Vide etiam vetustum capitulare Evangeliorum, et notas venerabilis card Thomasii ad mensem Julium pag 183. Septem filii S. Felicitatis dicti erant, I Januarius, II Felix, III Philippus, IV Silvanus, V Alexander, VI Vitalis, VII Martialis. Solus ex his Januarius sepultus legitur via Appia in cœmeterio Prætextati ; Felix et Philippus in Priscillæ ; Martialis, Vitalis et Alexander in Jordanorum, Silvanus in Maximi cœmeterio. Hoc autem cœmeterium Maximi constitutum esse via Salaria circa primum ab Urbe lapidem tum alia documenta probant, tum fragmentum marmoreæ tabulæ ibidem effossum in vinea D. Joan Baptistæ Sintes Medici ante annos decem, mihi ab eodem donatum una cum pluribus ejusdem cœmeterii Christianorum inscriptionibus : quarum nonnullæ exhibent de more consulatus, quibus depositi fuerunt fideles ibidem memorati. Tabula vero illa, cujus typum hic exhibendum curavi, præter epigraphen detruncatam (cum pars marmoris desideretur) quæ ostendit ex eleganti characterum forma ætatem satis cultam, qualis apparet aliis in monumentis tertii a Christo sæculi, exhibet etiam duas figuras considentes in sedibus, quibus pulvinaria instrata sunt. Adduntur figuris nomina, uni Maximus, alteri Secundinus. Inter utramque figuram eminet sedes ornatior et sublimior cum postergali fulchro, cui nemo insidet. Hanc opinor esse episcopalem cathedram. Ad dexteram sedis illius Maximus considet, vir barbatus, et tunica indutus, et pallio. Ad lævam vero Secundinus imberbis, tunicatus pariter, et palliatus similiter sedet. Maximus exertam manum dexteram elevat more sacerdotis benedicentis, duobus quidem digitis, indice scilicet et medio extensis, cæteris vero complicatis ad volam ; ita ut videatur Maximus presbyter hic exhiberi Christianorum conventum agens cum Secundino, et ad cœmeteria martyrum sacra officia celebrans per cœmiterii illos antelucanos, de quibus Plinius scribit ad Trajanum lib x, epist 97. Certe Maximus eodem ritu benedictionem impertitur, eodemque modo assidet digniori loco prope sedem episcopalem quo presbyter hebdomadarius nobis in choro considentibus, et ad matutinas preces lectionem inchoantibus benedictionem pronuntians signum crucis efformat manu.

Digitized by Google



Maximum presbyterum et martyrem in persecutione Decii memorat Bibliothecarius, tum in Vita S. Fabiani num. 21, tum in gestis S. Cornelii num. 22. In S. Fabiani ita scribit : « Et post passionem ejus (quæ contigit Decio iterum et Crato coss., Christi 250) Moyses et Maximus presbyteri, et Nicostratus diaconus comprehensi sunt, et in carcerem missi sunt. Eodem tempore supervenit Novatus ex Africa et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam confessores, postquam Moyses presbyter in carcerem defunctus est, qui fuit ibi menses XI, sicut et multi fuerunt. » Tum in Vita S. Cornelii hæc addit : « Hoc facto confessores, qui se separaverant a Cornelio cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi, et facti sunt confessores fideles. » An Maximus iste presbyter et confessor fidelis cum Moyse presbytero sub Cornelio, nempe Christi anno 252, superfuerit adhuc per sexennium, et in persecutione Valeriani anni 258 martyrium subierit, quando propositum fuit edictum, a S. Cypriano memoratum epistola 82, *episcopi, presbyteri et diaconi in continenti animadvertantur*, ita ut idem sit presbyter Maximus, de quo Martyrologium Romanum agit die x Novembris et in persecutione Valeriani coronatum asserit, mihi non liquet. Ætas certe consentit cum typo litterarum et delineationis in hoc marmore expresso.

De *Secundino* autem martyre, hac eadem via Salaria deposito, aut certe culto una cum SS. Cyriaco diacono, Largo et Smaragdo, ac sociis, translatis deinde ex via Salaria ad Ostiensem per S. Marcellum, videndus in Martyrologio vetustiori Florentinius ad diem VIII Augusti : ubi collatis codicibus Pisano, Antuerpiensi, Corbeiensi, et reginæ Sueciæ (nunc Vaticano) viam utramque recensentibus (Salariam et Ostiensem) ita scribit : « Jam ergo quæ in libris nostris et Corbeiensi martyrologio apparet confusio facile tollitur ; cum SS. martyres et sepulti et venerati sint tum via Salaria, tum Ostiensi : » quod scilicet ex Salaria, ubi prius depositi fuerant, nonnulli eorum subinde fuerint translati ad Ostiensem per beatum Marcellum.

Maximi ergo cœmeterium, et sanctæ Felicitatis, ejusque filiorum via Salaria, situm circa primum ab Urbe lapidem, et instauratum ab Adriano I, fuit locus depositionis sancti Bonifacii papæ et confessoris ejus nominis primi ; cujus corpus translatum deinde fuisse ex illo arenario ad aliud cœmeterium via Appia, exemplo tot aliorum martyrum et confessorum inde translatorum, uti memoravi, nihil repugnat asserto Bibliothecarii, primam ejus humationem indicanti ad cœmeterium S. Felicitatis via Salaria, ubi tot reparationes vivens ipse construxerat.

« Supra monebamus in notis ad Zosimum, desiderari non semel in hac Anastasiana collectione decreta potiora quæ in libris, alterius argumenti descripta, et nota cum haberentur ; putavit fortasse breviator hujusmodi Vitarum, non esse hic repetenda. Præter causas ibi indicatas præteritarum constitutionum, aliam suggerit Vita Bonifacii : in qua Bibliothecarius non recenset gravissimis de rebus tum in causa fidei, tum de disciplina decretoria judicia, et leges a Bonifacio latas per suas tractorias, tum in Pelagio ac Cœlestio damnandis, tum in vicariatibus apostolicis constituendis. Hæc eadem fidei ac disciplinæ capita cum Bonifacii decessores pertractassent, et prosecutus postea sit ejusdem successor Cœlestinus, satis esse duxit collector Vitarum (ut arbitror) indicare in alterutris sectionibus constitutiones tunc editas, quarum in collectione cæteræ continebantur. Nobis vero opportunum videtur secernere cujusque pontificis proprias ex notis eorum qui diligenter id perfecerunt, præsertim Pagii, et Somier, de more hic exscribendis. Ex opere tamen archiepiscopi Somier compendii causa summam dictorum contrahemus, citra necessitatem verbum verbo reddendi. »

CIACONII.

Num. 60, linea 2.— *Hic sub contentione cum Eulalio*

Digitized by Google

ordinatur una die. Schisma ortum est Bonifacium inter et Eulalium. Symmachus autem, præfectus Urbis, in Eulalium propensus, sinistre causam Bonifacii Honorio imperatori, tunc Ravennæ agenti, retulit, ita ut Eulalium, meliora jura assecutum, ipsumque rite, et legitime ordinatum, Bonifacium vero spurium, et illegitimum fore, et relatione falsa Symmachi, eum quod se tyrannice intrusisset, expellere, sicque paci consulere, et ecclesiasticæ disciplinæ prospici debere, diceret. Sed re vere nota, atque comperta Honorius imperator adversus Eulalium rescribens Bonifacio favit : hunc ad sedem restituit, illumque expulit ab Urbe.

Linea 9. — *Felicitatis martyris.* Juxta corpus illius.

PAGII.

Num. 60, lin. 15. — *Missa auctoritate revocaverunt in Urbem.* Bonifacius in sedem suam restitutus, pacifice sedens, egit apud Honorium imperatorem, ut Ecclesiæ paci in futurum prospiceret, ne schismate novo post suum obitum scinderetur. Sanctissimi pontificis votis annuit religiosus imperator, edixitque, si duo per ambitum electi fuissent, nullum ex his fore pontificem : « Sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum, nova ordinatione, divinum judicium, et universitatis consensus elegisset. » Id constat ex rescripto Honorii ad Bonifacium apud Baronium anno 419, num. 12. Quo tempore Eulalius una cum suis apud Antium, non longe ab Urbe exsul agebat, in ecclesia S. Hermetis opperiens obitum Bonifacii, longa ætate et mala valetudine fracti et debilitati. Verum ipsum Eulalium Nepesinæ Ecclesiæ postmodum factum fuisse episcopum scribit auctor libri Pontificalis.

Non solum Bonifacius Ecclesiæ paci in futurum prospexit, sed etiam contra Pelagianos ab Honorio constitutionem obtinuisse videtur, cum Prosper contra Collatorem cap. 41 scribat : « Sanctæ memoriæ Bonifacius, piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis. » Hujus constitutionis meminit ipse Honorius in epistola, v *Idus Junias Ravennæ* ad Aurelium Carthaginensem episcopum data, qua significat sese constitutionem, quam anno 418 dederat adversus Pelagium atque Cœlestium renovasse, simulque sanxisse, ut quisquis eos, ubicunque terrarum ageret, sciens non denuntiaret, aut expelleret, ipsemet in exsilium pelleretur. Quæ constitutio ad Aurelium cum prædictis litteris missa, ad nos non pervenit. Aurelius hac accepta, litteras ad episcopos Byzacenæ provinciæ, atque Arzugitanæ dedit Kalendis Augusti, in quibus constitutionem imperatoriam ab epistola sibi directa secernit, eosque omnes ad subscribendum Cœlestii et Pelagii damnationi cohortatur, quod Honorius in dicta epistola jubet.

Valde refert hujus epistolæ verba notare. Non enim alias unquam, inquit Garnerius in dissert. III ubi actum est de profligandæ hæresi, præcessit ulla, quod sciamus, constitutio principum Christianorum, de conveniendis universis episcopis, sive qui defuissent concilio, in quo fuisset, aut condita fidei formula, aut damnata cum auctoribus hæresis; sive etiam, qui in sua singuli sede quiescerent, neque suspecti haberentur nomine hæresis, ut subscriberent latæ ab Ecclesia in aliquem hominem sententiæ. Nulla certe in toto codice Theodosiano est, nullaque apud scriptores rerum ecclesiasticarum : quæ enim jactantur de Eusebio et Theognide in causa Ariana, habent speciem longe diversam. Hæc igitur constitutio censeri potest merito exemplar consequentium plurimarum. Lex autem subscribendi sancita est sacerdotali primum, deinde imperiali auctoritate, ut patet ex laudatis numero superiori Prosperi de Bonifacio verbis, aliisque ejusdem sæculi scriptorum testimoniis, ab eodem Garnerio in dissert. de subscriptionibus ex actis in causa Pelagianorum recitatis.

Sicut porro in causa Eutychiana, non alia fuit fidei formula, quam epistola S. Leonis *de Incarnatione* ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum; ita nec in Pelagiana, alia fuisse videtur, quam Zosimi papæ Tractoria ad universos totius orbis episcopos; quod cum alii non obscure, tum Marius Mercator in Commonitorio clarissime testatur his verbis : « Hæc omnia suprascripta capitula, ut jam superius dictum est, continet illa beatæ memoriæ episcopi Zosimi epistola, quæ Tractoria dicitur, qua Cœlestius, Pelagiusque damnati sunt, quæ et Constantinopolim et per totum orbem missa, subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata, cui Julianus et reliqui ejus complices subscribere detrectantes, consentaneosque se, nolentesque eisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi, atque exauctorati, ex omni Italia deturbati sunt. »

Linea 21. — *Nec servum clericum fieri vel obnoxium curiæ.* Bonifacio sedente, Theodosius Orientis imperator anno quadringentesimo vigesimo primo *pridie Idus Julii* rescriptum dedit, quo jura episcopatus Constantinopolitani, ad Illyricum quoque extendit, ideoque Illyricianam diœcesim Romano pontifici aufert, et transcribit in jus patriarchicum regiæ civitatis. Sed, ad postulationem Honorii patrui, Theodosius eamdem legem rescidit anno 422, ut patet ex rescripto ejusdem Theodosii ad epistolam Honorii, quæ publicavit Holstenius in collectione Romana pag. 81 et seqq. Ea autem lex data fuerat ad instantiam episcoporum Illyricianorum; ait enim Theodosius in rescripto ad Honorium : « Omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota statuimus observari, quod prisca Apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur. Super qua re secundum formam oraculi perennitatis tuæ ad viros illustres præfectos prætorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri. »

Cum Rufus Thessalonicensis episcopus, et sanctæ sedis per Illyricum vicarius Bonifacium papam de quibusdam disciplinæ ecclesiasticæ capitibus consuluisset, et Bonifacius ad ejus consulta respondisset ex auctoritate sedis apostolicæ, Rufus passus est contradictionem a nonnullis provinciarum illarum episcopis, dum exsequi curaret Bonifacii mandata. Quare enim Rufus ad Bonifacium rescripsisset, ne sibi infaustum harum constitutionum exitum imputaret, Bonifacius, ut illum magis excitaret ad conservandum debitam sedi apostolicæ reverentiam, vices ei suas, ut factum fuerat a superioribus pontificibus, delegavit litteris ad ipsum datis XIII *Kal. Octob. Monaxio v. c. cons.* ideoque anno 419, quæ exstant apud Holstenium pag. 54.

In litteris illis Bonifacius non exprimit, quæ fuerint illa constituta, quæ recepta non sunt a quibusdam partium illarum episcopis. Quare ea aliunde repetenda sunt, et quidem ex aliis ejusdem Bonifacii epistolis, ex quibus colligitur Rufum ad eum retulisse, episcopos illos, se inconsulto, synodum Corinthiacam indixisse, pro retractanda causa Perigenis, qui Patrensis episcopus ordinatus, quoniam ejus civitatis incolæ illum admittere recusabant, in metropolitana sede Corinthi constitutus fuerat a summo pontifice. Addiderat etiam Rufus vicariatum sibi concessum in contemptum venisse, hunc que etiam in sui personam redundare. Rescripsit ergo Bonifacius nova tentamenta episcoporum Illyricianorum, quæ vetustati contraria erant, valere non posse, nec causas a sede apostolica definitas retractari in provinciis : statum Perigenis Corinthiorum metropolitæ, nulla posse penitus ratione turbari, et concilia intra Illyricum congregari non

Digitized by Google

posse extra conscientiam Rufi, adeoque hunc honorandum propter apostolicam vicem, absque quo non liceat episcopos ordinare per illas provincias.

Sollicitum præsertim habebat Bonifacium, inquit Baluzius in supplemento ad librum v Marcæ de Concordia cap. 24 causa Perigenis, charitate sane erga hominem sedi apostolicæ addictissimum, sed præcipue propter convulsam ab episcopis Illyricis Romani judicii definitionem, qui post illud, eam causam rursus judicare moliebantur in concilio Corinthiaco, ut videre est in epistola ab eodem Bonifacio ad episcopos per Illyricum v *Idus Martii* data anno 422, et ab eodem Holstenio recitata. Dupliciter enim in hoc peccabatur adversus sedis apostolicæ majestatem. Primo, quod eam causam retractare præsumerent, quæ supremo Romani pontificis arbitrio judicata fuerat. Deinde, quod eam synodum celebrare cogitarent, præter consensum Rufi episcopi Thessalonicensis, qui vicarius erat Romanæ sedis per omnes Illyrici provincias. Hæc duo capita complexus est Bonifacius, in epistola ad Rufum, eadem die qua præcedens data; nempe v Idus Martii. « Ad synodum quæ dicitur illicite congreganda de causa fratris nostri et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum, nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, proximo convenire se citra suam conscientiam minime debuisse, deinde de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursum, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari. »

Adeo alte insederat hæc causa animo Bonifacii, ut ad episcopos Illyricos, qui ad synodum Corinthiacam conventuri erant, prædictas litteras scribens, aperte comminatus abstentionem sui, si Perigenis causam iterum ad discutiendum in medium adducerent, cujus honor dubius et incertus per regulas omnino esse non posset, post sententiam Romani pontificis : « Congregetur ergo, inquit, ut redeamus ad causam hujus injuriæ, synodus, cujus dilecto consultum semper superhabens concilii recognoscat arcanum : et fiet quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris et coepiscopi nostri Perigenis honor dubius et incertus, quem in sedem Ecclesiæ supradictæ nostra sententia collocavit. » Et infra : « Convenientes, ut decet, fratres, ne quis volens in nostra communione durare, fratris et consacerdotis nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat, cujus sacerdotium apostolus Petrus semel jam Spiritus sancti suggestione firmavit. »

Displicebat itaque Bonifacio papæ episcoporum Illyricianorum audentia, qui concilia congregare præsumebant citra conscientiam Rufi. Nam Innocentius papa ei concesserat, ut quoties causa aliqua eveniret, quæ congregationem sacerdotum requireret, posset quos vellet episcopos, de quibuscunque Ecclesiis evocare, et cum eis controversias definire. Sed ultra hoc constituit Bonifacius, ne liceret episcopis Illyricianis convenire, id est concilia celebrare contra conscientiam ejusdem Rufi. Quare cum inaudisset episcopos illos synodum indixisse apud Corinthum pro retractanda causa Perigenis, commotus et *exagitatus*, ut ipse ait in eadem epistola, propterea fuit, synodumque non aliter celebrari mandavit, quam ex auctoritate Rufi, electionem vero Judicum a Rufo faciendam esse : « Sane quoniam servandus accusatori locus est, inquit ibidem Bonifacius, ne audientiam penitus incitare videamur, si quid ab eodem, postquam episcopus nostris est auctoritatibus constitutus, contra disciplinam et propositum sacerdotis fertur admissum, coepiscopus noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum cæteris fratribus, quos ipse delegerit, negotium curabit audire, ad nostram relaturus omnia notitiam quæcunque cognitioni ejus rerum cursus et ordo monstravit. » Porro valuisse apostolicæ sedis auctoritatem circa Perigenem, ex eo liquet, quod semper is dignitate sua potitus sit. Bonifacium vero statuisse, ut ordinationes episcoporum citra conscientiam Rufi celebrari non possent, ostendunt eadem epistola ad episcopos Illyricianos, aliaque ab eodem Bonifacio ad episcopos Thessalos eadem die data.

Bonifacius Narbonensis Ecclesiæ jura a Zosimo decessore suo imminuta, epistola 3 ad Hilarium Narbonensem scripta restituit, et Patroclum Arelatensem episcopum, ad cujus preces Zosimus Narbonensem Ecclesiam Arelatensi subjecerat, quique Lutubensi Ecclesiæ, in Occitania inferiori, ad Narbonensem provinciam spectanti, episcopum ordinaverat, coercuit, Nicænorum canonum exsecutionem imperans, quibus statutum erat, ut singulis provinciis proprius metropolitanus præesset.

Cum clerici Valentinæ civitatis Maximum episcopum variorum criminum, et Manichææ præsertim hæreseos reum ad Bonifacium papam detulissent, ad quem noverant majores causas ex Ecclesiæ disciplina referendas, pontifex epistola 2 ad episcopos Galliæ hujus negotii cognitionem septem provinciarum episcopis demandavit : *Decrevimus*, inquit, *vestrum debere intra provinciam esse judicium, et congregari synodum ante diem Kalendarum Novembrium*; jure tamen relationis ad sedem apostolicam servato, ad quam ab ipsis conciliis nationalibus poterat appellari.

SOMIER.

Num. 60, lin. 2. — *Hic sub contentione cum Eulalio*, etc. Electio Bonifacii ejus nominis primi ad Romanam sedem turbata est intrusione Eulalii hujus Ecclesiæ archidiaconi. Inter prima certamina, quæ utrinque excitaverunt studia partium, Honorius imperator præventus erat a fautoribus Eulalii. Major tamen ac sanior pars cleri Romani, quæ Bonifacium elegerat, libellum supplicem obtulit imperatori, *ut removeri juberet priora constituta*, nempe rescripta quæ dederat, atque Eulalium evocaret ad comitatum, hoc est Ravennam accerseret, ubi Honorius residebat : quo pollicebantur papam Bonifacium cum suis sacerdotibus adventurum. Libenter suscepit oblatam petitionem Honorius. Neque tamen attribuit sibi ecclesiastici hujusce judicii potestatem.

Quin ex diversis provinciis advocaturum se rescripsit episcopos; *ut rem deductam in dubium absolvat nobis coram disceptatio plurimorum* (Rescript. Honorii ad Symmachum).

Verum Eulalii attentata (a Biblioth. descripta hujus num., lin. 10) judicii episcopalis necessitatem substulerunt. Expulsus enim ab Urbe fuit Eulalius jussu principis, veluti refractarius per Symmachum præfectum Urbi; et Bonifacius in Urbem reductus plaudente populo tanquam legitimus pontifex, cum ordines *omnes divino judicio, et majestatis vestræ acquieverunt voluntati*, ut idem præfectus ad Honorium rescribit.

In Africa tamen causarum sub Zosimo inchoatum examen prosequebantur episcopi in concilio nationali Carthagine collecti ex provinciis 17 coram legatis a Zosimo missis.

Quod attinet ad appellationem episcoporum ad sedem Romanam, papa Zosimus ejus tuendæ causa produxerat quintum canonem Sardicensis concilii sub nomine Nicæni; cum per ea tempora, uti ante diximus, hæc duo concilia unicum haberentur, tum ex causis supra relatis, tum etiam ne verum concilium per catholicos Sardicæ celebratum confunderetur cum conciliabulo ab Arianis inito Philippopoli : quæ res Africanis non satis erat explorata. Alipius, unus ex concilii Patribus negabat in actis Nicæni concilii decretum illud minime inveniri. Quare petenda esse duxerant exemplaria Nicænæ synodi, tum ab episcopo Bonifacio postulandum, *ut dignaretur ad easdem Ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti concilii Nicæni secundum ejus scripta*

Digitized by Google

proferre possent. Interea dum exspectantur, se observaturos jussa Bonifacii per legatos producta.

Actum quoque fuit de appellationibus presbyterorum. Qua in causa cum protestaretur Faustinus S. sedis Legatus ejusdem sedis juribus minime derogandum, Aurelius Carthaginensis episcopus dixit: « Præter ipsa quæ promisimus actis, necesse est etiam ut nostræ parvitatis litteris sancto fratri et consacerdoti nostro Bonifacio singula quæ tractamus plenissime intimemus. » (Concil. Carth. VI, cap. 5.) Quod non modo præstiterunt, sed juxta exemplum superiorum synodorum sub Zosimo sanctæ sedis supra Africanas Ecclesias potestatem luculenter exposuerunt, arbitrio Romani pontificis relinquentes vel delegare cum potestate cognitionis suos missos, vel provincialium episcoporum judicio litem dirimendam relinquere, etc.

Ex dictis igitur constat, jus appellationum ad Romanam sedem ab Africanis Patribus non fuisse negatum, sed de modo ejusdem juris prosequendi et exercendi fuisse disputatum, cum legati Romani protulissent caput 4 et 5 Concilii Sardicensis: « Si aliquis episcopus, etc., scribatur Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium, det Judices, cap. 4 et cap. 5. Alter episcopus in eadem cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Romani episcopi determinata. »

Jura etiam vicariatus apostolici per Illyricum a se constitui et sua, in causa Perigenis episcopi, Corinthiis petentibus ab se concessi, prævia remissione cognitionis cum suffragio ad episcopum Thessalonicensem vicarium suum in eo tractu constitutum, constanter defendit, quando factiosi promotores novæ jurisdictionis per Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopos usurpatæ (occasione legis editæ a Theodosio principe per quam Illyrici provincias a Romano patriarchatu divulsas Constantinopolitani præsulis judicio attribuebat) Corinthii concilium indixerant inconsulto vicario apostolico de Perigenis causa judicaturum. Qua fortitudine ac vigilantia his ausibus se se opposuerit Bonifacius, et Rufum Thessalonicensem similiter affectum contra usurpatorum violentiam confirmaverit, testantur epistolæ per ipsum datæ, tum ad eumdem Rufum tum ad cæteros episcopos Macedoniæ, quæ leguntur apud concil. Rom. III sub Bonifacio II. « Beatus apostolus Petrus (inquit) cui arx sacerdotii Dominica voce concessa est, in immensum gratulationis extollitur, quoties prævidet concessi sibi honoris a Domino intemeratæ se pacis filios habere custodes. Et in alia ad eumdem epistola: « Quapropter, frater charissime, fretus jam dudum a te auctoritate subscripta contra inimicas turmas idoneus Dei minister armare... Non patitur ille sedis suæ perire privilegium, te laborante, piscator... In cæteros contumaces jus concessæ potestatis exerce... Ad synodum, quæ dicitur illicite congreganda, de causa fratris nostri, et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse: deinde de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari... » necnon in subsequenti epistola ad Rufum eumdem et cæteros episcopos Macedoniæ scribit: « Nemo unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. »

Præter has epistolas, Bonifacius legatos etiam direxit ad Honorium principem, ad impetrandam ejus defensionem, qua usurpationes et præjudicia a Græcis intentata averterentur. Honorius ad Augustum Imperii collegam Theodosium litteras dedit, quibus obtinuit ut rescripto posteriori illud irritaret, quod Illyriciani in fraudem jurium Romanæ Ecclesiæ prius impetraverant, cui plenam fruitionem atque usum antiquæ potestatis præservat. « Omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota statuimus observari quod prisca apostolica disciplina, et canones veteres eloquuntur. Super qua re secundum formam oraculi perennitatis tuæ ad viros illustres præsectos prætoris Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri, ne venerabilis Ecclesia sanctissimæ Urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit imperium. (Rescript. Theodos. A ad Honorium A.) »

Hujusmodi lex inseri debuit corpori juris, loco alterius per hanc abrogatæ. Sed compilatorum versutia id solerter curavit, ut quidquid Romanæ Ecclesiæ proficuum animadverterant id excluderent a sua collectione, quo Constantinopolitanæ usurpationes confidentius venditarent ac foverent

XLV. SANCTUS CŒLESTINUS

ANNO CHRISTI 423, THEODOSII 16.

62 *Cœlestinus, natione Campanus*[a], *ex patre Prisco, sedit annos*[*] novem, *mensem* unum, *dies* novem[b]. *Hic fecit* multa constituta, et constituit, *ut centum quinquaginta psalmi David ante sacrificium psallerentur* antiphonati[c], *quod ante non fiebat, nisi tantum*[d] recitabantur *Epistolæ Pauli apostoli, et sanctum Evangelium, et sic missæ* fiebant. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia, maxime et de regione[e] quæ hodie[f] archivio Ecclesiæ tenentur reconditæ. Sic dedicavit basilicam Juliæ[g], in qua obtulit post ignem reticum[h] patenam argenteam pensantem libras quindecim; scyphos argenteos duos pensantes singuli libras octo; amas argenteas duas, pensantes singulæ libras de-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C. B*, Romanus. [b] *B, ann* 8, *m.* 5, *d.* 3, *a Coss. Mariniani et Asclepiodi ad Ætium et Valerium Coss.* [c] *C*, antiphonatim. [d] *C*, sed tantum. [e] *C*, de religionibus. [f] *C*, quod reconditum. [g] *C*, Juliam. [h] *C*,

Digitized by Google

cem ; candelabra argentea duo [a], pensantia singula libras triginta; cantharas cerostratas æreas 14 [b], pensantes singulæ libras triginta; item coronas argenteas decem, pensantes singulæ libras 10. Ad beatum Petrum [c], apostolum Pharum cantharum, pensantem libras viginti quinque ex argento purissimo. Cantharas argenteas cerostratas in gremio basilicæ viginti quatuor, pensantes singulæ libras viginti

Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros 32, *diaconos* 12, *episcopos per* diversa *loca* 46 : *qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria* VIII Idus *Aprilis, et cessavit episcopatus* per *dies* 21 [d].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C, 7. [b] C, 24. [c] C Paulum. [d] C, 20

VARIANTES LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 62, *lin* 1, *AB*, annos 8. *B*, menses 10. *lin* 3. *AB*, antiphonatim *lin* 6. *B*, de religione, quod hodie *lin* 6. *et* 7, tenete reconditum *A*, Julianam *B*, Julii. *lin* 7, *A*, Geticum et Geticum. *lin* 8, *A*, *B*, libras 25. *lin* 10, *A*,*B*, calices minores argenteos 5 pens sing lib tres, aquamaniles argenteas, pens. sing lib 10. *lin ead*, cantharas cerostrata ærea 24 *B*, 38. *lin* 12, *B*, Paulum apostolum; *A*, Paulum. *lin* 15, *B*, presbyt 22.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 62, *lin* 1, nat Camp vel Romanus ex p. S. ann 8, m. 10, d. 17. *lin* 3, antiphonatim quod ante non fiebat, sed tantum Epistola B. Pauli recitabatur, et f. m. f. et constituit graduale post officium ad missam, (*M*, missas) cantari. Hic fecit c. d. o. eccl maximæ de regionibus q. h. in archivo eccl t. r. Hic (*M*, et) dedicavit bas Juliam, in qua post ignem celicum obtulit hæc dona (*M*, post ig. zelari o.) patenam arg pens lib 25 *lin.* 9, lib 10. calices minores argenteos, pens sing lib 4 (*M*, 6) aquamanules 2 pens sing lib 10, candelabra arg 2 pens sing lib 30; cantharas cerostrata ær. 24, pens sing lib 30, coronas arg. *lin* 13 *et* 14, lib 25, cantharas cerostrata ærea 24, pens sing lib 20. Hic fecit ordinationes 3, in urbe Roma per m. D. *lin* 16. loca 42, *lin* 17, episc dies 21 (*M*, 22).

A *Ex codice Thuano altero.*

Num 62, *lin* 1, nat Romanus, ex p. P. S. ann 8, m. 10, d. 17. Hic multa constituit f. *lin* 3, antiphonatim *lin.* 4, nisi tantum Epistola B. Pauli apost recitabatur, et S. E. et sic missa celebrabatur. *lin* 6, et mox de religione, quæ h. archivo *lin* 7, Julii, in qua o. p. i. Zeacum *lin* 8, lib 25. *lin* 10, decem, calices arg nteos minores 5 pensan sing lib 4; aquamaniles argenteos pensan singul lib 10; candel arg 2. pens sing lib 30; cantharas cereostata ærea 23. *lin* 13, cantharas arg cereostata *lin* 13 *et* 14, lib vig ad B. Paulum apostolum, pharum cantharum argenteum. pens lib 25; cantharas cereostata 24, pens sing lib 20, Hic. f. ord in urbe Roma per m. Dec presb 33, diac 12, episc per div loca 43. *lin* 17, episcop d. 21.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num 62, *lin* 1 *et* 2, *Flor et Romuald*, annos IX, menses X, dies XVII. *lin* 6, *Flor*, de religione *lin* 7, B *Flor*, Julii. *lin* 8, *Flor* 25. *lin* 10, *Flor addit* calices argenteos V, pensantes singuli libras III; aquamaniles argenteas pens lib X. *lin* 15, *Florent*, ordinationes IV.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 4, recitabatur Epistola beati Pauli apostoli. *lin* 6, archivo Ecclesiæ.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 2 et 3.—Ut 150 *psalmi David ante sacrificium legerentur.* Lucas Holstenius notat in margine, *ante Canonem. Romualdus intelligit introitum Missæ.* In quo tamen nunquam 150 psalmi cantati sunt, sed pars unius psalmi tantum. Unde hunc locum de matutinis quis rectius intelligere posset, in quibus per anni circulum omnes fere psalmi David antiphonatim canuntur. Desumpsit auctor hæc verba ex secundo catalogo, a quo nonnihil differt catalogus Palatino-Vaticanus, in quo legitur ut antiphona ante sacrificium caneretur : quo loco aliqua verba desiderantur. Neque introitus ex psalmis Davidicis antiphonatim olim canebatur a clero in ecclesiis ; sed matutinum, instituente id Cœlestino, ut ex Libro Pontificali colligitur.

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic fecit multa constituta, et constituit, ut centum quinquaginta psalmi David ante sacrificium psallerentur antiphonatim, quod ante non fiebat, sed tantum recitabantur epistolæ Pauli apostoli, et sanctum evanglium, et sic missæ fiebant.* Idem refert Sigebert. ad ann. 426.

Linea 13 et 14. — *Cantharas argenteas cerostratas in gremio basilicæ viginti quatuor pensant. sing. libras viginti.* In gremio basilicæ, id est in choro seu medio ecclesiæ. Anastas. in Silvestro : *Canthara cerostrata in gremio basilicæ argentea quinquaginta.*

BENCINI.

Linea 3. — *Psalmi David ante sacrificium psallerentur antiphonatim.* Quidam intelligunt Cœlestinum constituisse, ut psalmis præmitterentur antiphonæ : alii ut ex psalmis in introitu missæ antiphona selecta recitaretur, quod in catalogo Palatino-Vaticano reperitur, ubi in Cœlestino legitur : *Constituit ut antiphona ante sacrificium caneretur.* Verum arbitror, S. pontificem constituisse, ut per universam hebdomadam psalmi dividerentur cuilibet diei assignato certo eorumdem numero, et in ecclesiis canerentur. Olim enim die sabbati, et Dominica collectæ fiebant, C uti apparet ex Cassiano, Palladio, aliisque qui recensent servatos ritus a monachis. Pontifex etiam dividere potuit psalmorum numerum, qui matutino tempore essent recitandi, et quidem alternatim, et qui ante sacrificium. Occasionem constitutionis, et inducendæ consuetudinis habere potuit ex Arianorum prava consuetudine, qui ut populos inficerent, hymnos composuerunt, in quibus perfidia Ariana erat immista. Hos vero noctu intra parietes alternatim canebant in civitate, mane deinde procedentes turmatim ad ecclesiam extra portas (ex Theodosii enim constituto hæreticis adimuntur ecclesiæ in civitatibus anno 388) eodem ritu utebantur. Socrates enim Arianorum Constantinopoli degentium consuetudines recensens, ita ad rem : « Singulis hebdomadis quoties dies festi occurrebant (Sabbatum intelligo ac diem Dominicam, quibus collectæ in ecclesia agi

Digitized by Google

solent) ipsi intra civitatis portas, circa porticus publicas congregati, hymnos apte ad Arianam hæresim compositos, alternatim sibi respondentes, canebant, idque majori noctis parte faciebant : diluculo vero easdem antiphonas canentes, per mediam Urbem incedebant, et extra partem egressi, proficiscebantur ad locum, in quo collectas celebrant. »Ad horum compescendam proterviam potuit singulis diebus inducere psalmorum cantum in ecclesia alternatim instituendum, ut verbis psalmorum, qui Christum annuntiant infringeret hymnorum hæreticalium modum, et errorum silvam.

Linea 5. — *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia, maxime et de regione.* Melius verisque legendum cum aliis codicibus : *de Religionibus.* Ad formulas vero Libri Pontificalis intelligendas, animadvertendum superius dixisse. *Hic fecit multa constituta, et constituit*, omittens *de Ecclesia*, ut ubique in antecedentibus et sequentibus reperitur, etsi materia constitutionis omittatur; quod factum est, ut ostenderet priora statuta fuisse particularia, posteriora vero de fide, et moribus ad Ecclesiam universam spectantia. Item priora plerumque recenset, utpote in epistolis particularibus aut similibus scriptis edita, posteriora vero quia in codice constitutionum, et penes Ecclesiarum archiva retenta, adeoque nota et manifesta; et quæ sacerdotes ignorare non poterant, exinde argumenti retractati omissa est mentio. Cœlestinum vero constitutiones edidisse plures de regionibus seu de fide, præcipue adversus Pelagianos, Nestorianos et schismaticos Orientales notum est. Hæresiarcham enim Cœlestinum, novantem consuetis machinationibus priora hæreticalia instituta, compescuit, præcipue cum moliretur obtinere audientiam, et retractatum editarum sententiarum Innocentii et Zosimi, nedum compescuit audaciam, sed ex tota Italia expulit Prospero teste. « Venerabilis memoriæ pontifex Cœlestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi, adeo et præcessorum suorum statuta, et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. » Deinde cum Julianus sociique Nestorium convenissent, quem sciebant Cœlestino Cyrilloque offensum, quia impiis plusitis, quæ animo conceperat, ac tuebatur, obsisteret, tunc synodum Romanam coegit anno 424 aut 425, uti ostendit Garnerius in dissertatione de Synodis coactis in causa Pelagianorum, ibique iterato Pelagianos et vetera et nova eorum placita damnat, Zosimi Tractoriam confirmat, ac non recipiendos decernit, nisi per explicitam ejusdem professionem et subscriptionem. Acta hæc conciliaria a pontifice directa ad Patres Ephesinos communi calculo recepta fuere, uti testantur Patres actione 5 : « Perlectis in sancta synodo commentariis Actorum de depositione impiorum Pelagianorum et Cœlestianorum, quæ a pietate tua de ipsis decreta, et constituta sunt judicavimus, et nos ea solida firmaque permanere debere. » Adversus sane Pelagianos decertasse S. pontificem, præter epistolam ad Galliæ episcopos, docent etiam quæ Prosper in Chronico commemorat, ut ad annum 429 : « Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed actione Palladii diaconi papa Cœlestinus Germanum Antissiodorensem episcopum vice sua mittit, et deturbatis hæreticis, Britannos ad catholicam fidem dirigit. » Socium habuit Lupum Trecensem episcopum, de quo Anonymus in ejus vita ad annum 428, quando episcopus eligitur, addit : *Exacto biennii spatio cum sancto Germano contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est.* Quid adversus Nestorianos, schismaticos Orientales, et Semipelagianos egerit, manifestum est, ac proinde certum, Cœlestinum multa constituta de religionibus dedisse. Nomine vero constitutionis *de Religionibus*, denotari fidei decretum pro usu ejusdem temporis constat ex synodica concilii Romani, laudantis verba Rescripti imperatorum Valentiniani et Gratiani. « De reliquis Ecclesiarum sacerdotibus episcopus Romanus habeat examen : ut de religione religionis pontifex cum consortibus judicaret. »

Linea 6.—*Quæ hodie archivio Ecclesiæ tenentur reconditæ.* Probant hæc verba, et firmant superius dicta, hæc nempe fidei apostolica decreta, quia in codice obvio et in archivis reservato contenta, propterea in libro Pontificali non fuisse expressa. Ita et de epistolis decretalibus S. Leonis dicitur infra : *Quæ hodie reconditæ in archivio tenentur.* Obvia fuisse, et Romæ et in archivis sedium patriarchalium, et aliarum decreta generalia reservata certum facit Acacius Simplicio pontifici scribens de decretis emanatis a sede apostolica pro Ecclesia Alexandrina, quæ et in Romanis et clarissimis archivis custodiri asserit. « Sicut in nostris archivis inventum est, et de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere quæ in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino episcopo Romam ad alterutrum sunt relata. » Anastasius papa cum in Ruffinum commonitoriam dedisset, et ut vim eluderet Ruffinus, calumniaretur ab Hieronymo confictam, ad calumniam evertendam, inter alia sic Ruffinum compellit. *Si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ chartario non requiris?* Et notas certas inditas hisce epistolis docent S. Hieronymi sequentia verba : « Ipsius esse (Anastasii nempe) adversum te epistolam, et orbis agnoscit, et authenticam in manus tuas venisse convincimus : et mirror quo pudore, imo qua impudentia negas quod verum esse ambigis. » Diligentia vero apostolicæ sedis in his epistolis dandis, et reservando exemplari cum Notis iisdem describitur a Nicolao I in epistolis datis ad Michaelem imperatorem, causamque diligentiæ assignat, ne falsarentur ab improbis.

Linea 7. — *Post ignem Reticum.* Codex Flor. Bibl. S. Marci legit Geticum. Videtur indicare *post cladem urbi illatam* anno 410 *a Getis* (quos etiam Gothos dicimus) sub Alarico. Diligentissima erat cura pontificum ad instauranda quæ abrepta fuerant, præsertim sacra vasa ad ministerium Ecclesiæ pertinentia. Hinc in Leone : *Hic renovavit post cladem Vandalicam omnia ministeria sacra argentea, per omnes titulos conflata.*

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Cœlestinus.* Auctoritate hujus pontificis Britannia, Scotia et Italia a Pelagiana ; Orientales Ecclesiæ a Nestoriana hæresi sunt expurgatæ ; Burgundiones et Hilerni ad fidem Christi conversi. Quam inepte itaque unus Laurentius Valla Grammaticus, ecclesiasticarum rerum plane ignarus, Cœlestinum papam, qui primus omnium Nestorium Romæ damnavit, et per legatos ab œcumenica synodo Ephesina æque ejiciendum curavit, ejusdem Nestorii hæresibus infectum fuisse asseruerit, nemo non intelligit. Hæc ex Prospero Beda, Baron. ann. 423 et seqq.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Cœlestini, Xysti et Leonis æra pontificia demonstratur ex die Natali sive ordinatione Hilarii, qui Leoni successit. In Actis concilii Romani anni 465, coss. Fl. Basilisco et Herminerico, et in epistola Hilari iisdem coss. data, cum referatur anniversaria dies ejusdem ordinationis episcopalis ad 19 Novembris quadriennio ante illud concilium (quippe coss. Severino et Daglaifo anni 461 ejus initium signatur a Marcellino in Chronico, una cum morte Majoriani Augusti, quam Severino consule contigisse constat etiam ex epistola II Sidonii, lib. I), ex illa die Do-

Digitized by Google

minica 19 Novembris 461, natali cathedræ Hilari, attributo unicuique ex ejusdem decessoribus recedendo in anteriora usque ad Bonifacium, spatio temporis illorum sedis in monumentis expresso, et imputato vacationi sedis intervallo dierum singillatim attributo post ipsorum decessum, summa temporis constat. Sunt autem hæc spatia et intervalla in Anastasio aliisque scriptoribus recensita.

ex-			ANNI.	MENSES.	DIES.	
4	Septembr.	422	Obitus Bonifacii. Vacat sedes.	0	0	9	Bibliothecarius.
12	Septembr.	422	Ordinatio Cœlestini, qui sedit.	7	10	9	Bibliothecarius.
21	Julii. . . .	432	Obitus Cœlestini. Vacat sedes.	0	0	29	Bibliothecarius.
10	Aug. . . .	432	Succedit Xystus per.	8	0	19	Bibliothecarius.
29	Aug. . . .	447	Mors Xysti III. Vacat sedes.	0	0	12	Bibl. in Cod. Flor. S Marci.
8	Septembr.	440	Ordinatio S. Leonis m., qui sedit.	21	1	26	Bibl. et reliqua Documenta
4	Novembr.	461	Obit S. Leo m. Ejus autem depositio dilata ad diem 10 quæ in Martyrol. Flo. eatinh eadem die legitur.				Vide notas.
10	Novembr.	461	Eligitur S. Hilarus, cum sedes vacasset.	0	0	7	Bibliothecarius.
			Summa tem oris.	39	2	12	
			Addatur annis. . .	422	0	0	
			Fit summa. . . .	461	2	12	

Ex die igitur 4 Septembris anni 422, qua vitam mortalem deseruit S. Bonifacius, numerentur anni solidi 39, menses duo et dies 12, juxta computum præcedentem rite collecti : provenit numerationis terminus dies 4 Novembris anni 461 postremus vacationis sedis post obitum Leonis Magni. Dies vero subsequens 19 Novembris insignita littera Dominicali Aptissimum tempus parat ordinationi B. Hilari, quam ipse ea die quotannis recolere consueverat ex Actis concilii et epistola ejusdem pontificis jam memorata.

Præter extrema hujus summæ temporum, quæ ad amussim conveniunt cum documentis, pariantur etiam epochæ intermediæ S. Xysti III et S. Leonis Magni, ut infrà ostendam in singulis eorumdem num. Quare hac de partitione et assignatione, sibi ubique constante, resultat epocha Cœlestini optime constituta.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Hic fecit multa constituta;* et lin. 5 : *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia maxime et de religionibus, quæ hodie archivio Ecclesiæ tenentur reconditæ.* Palam est, bibliothecarium Romanæ sedis hic et in aliorum pontificum sectionibus indicare tantummodo voluisse ex aliis Romanæ Ecclesiæ codicibus esse petendas constitutiones ac decretales epistolas eorumdem summorum pontificum, et potiores sanctiones de fide ac cæteris negotiis gravioribus editas in conciliis, vel transmissas ad provincias; cum hoc in Breviario vitarum collecto ad formam veterum catalogorum pauca quædam susceperit deliberanda, quæ ad hujus Ecclesiæ Romanæ peculiarem statum et ornatum pertinent : cujusmodi sunt tituli, ac basilicæ hic fundatæ ac dotatæ, et donis auctæ; ordinationes hic habitæ, aut cætera hujusmodi. Majora autem opera ad universæ Ecclesiæ statum ac regimen pertinentia, ut plurimum indicantur breviter generica illa clausula, *fecit constitutum de Ecclesia.* De Cœlestino affirmat : *Hic fecit multa constituta.* Multa certe tum in conciliis Romanis, tum in Ephesino contra Nestorium; tum in Italia, Anglia et Africa contra Pelagianos ac Novatianos; tum in decretalibus epistolis de disciplina editis, de constitutione metropolitarum singularium per provincias, de promovendis ad episcopatum, aliisque pluribus : quæ cum recenseantur in Notis illustr. domini Somier archiepiscopi Cæsariensis, et Pagianis collecta, in nostris non sunt repetenda. De ecclesiis quas in Urbe Cœlestinus ademit Novatianis, vide Socratem, *Hist. eccl.*, lib. VII, cap. 11.

Linea 2. — *Hic fecit, ut centum quinquaginta psalmi David ante sacrificium psallerentur antiphonatim.* Quid sit psalmum canere *antiphonatim* exponit præ omnibus doctissime ac nitidissime venerab. mem. card. Thomasius, producens hunc ipsum Bibliothecarii locum tum in præfat. ad Responsorialia et Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ pag. 21 et seqq., tum in disquisitione veterum rituum ad cantum missæ, præfixa Antiquis libris missarum Romanæ Ecclesiæ pag. 10 et seqq. In præfatione indicata ad Respons. et Antiphon. præmissa notione *antiphonæ*, ut sit vox reciproca, qua bini cantorum chori cantum alternant, distinguit veterem ritum, a Davidis ætate inductum in Ecclesia Mosaica canendi psalmos alternatim per choros cantorum tres, Cahathitarum sub Heman, Gersonitarum sub Asaph, Meratitarum sub Ethan. (*I Par.* cap. VI) derivatum vero inde ad Ecclesiam Christianam : in qua observat ex Hist. Eusebii lib. II, cap. 17, antiquissimis temporibus frequentiorem usum fuisse canendi psalmos *Responsorios*, choro scilicet integro respondente uni præcentori : tum ait pag. 22 : « Primi qui psalmos binis choris concinendos instituere, fuerunt Flavianus et Diodorus S. Athanasio æquales. » « Isti namque primi (ut scribit Theodoretus episcopus Cyri apud Hist. Tripart., lib. V, cap. 32) in duas partes chorum psallentium dividentes ex successione Davidicam melodiam cantare docuerunt : et hoc in Antiochia primitus fieri cœpit; et dispersum ad terminos totius orbis usque pervenit. » Vide S. Basilium epist. ad clericos Neocæsarienses; Sidonium lib. V epist. 17; Cassiodorum in psalm. 33, n. 3, et alios passim.

« Sub ejusmodi alterni cantus genere is maxime ecclesiastico ritu comprehenditur, quo alternant quidem chori melodiam, non unum tamen eumdemque psalmum vel canticum ex successione concinunt. Sed unus quidem chorus psalmi alicujus versus modulatur, alter vero aliquid aliud præter ipsum psalmum vel canticum per versus singulos intercinit. Hoc porro quod sæpius repetitur ab altero choro, generali usu Ecclesiæ antiphona apud Latinos, apud Græcos autem Troparium antiphoni appellatur. Est igitur in hac significatione antiphona, canticum aliquod contractius breviusque, sive verborum jus a complexio sui intercalaris sententia, quam chorus choro alteri psallenti respondens intercinit. Quo de genere antiphonarum loquitur Socrates lib. VI, c. 8, non de psalmorum alterno concentu, quem Flavianus et Diodorus instituere primi, ut supra vidimus ex Theodoreto. Qui quam facillime Socrati conciliatur prædicta ratione; quam sibi conciliationem expetebat afferri vir doctus Petrus Gussanuillæus presbyter in Præfatione ad Antiphonarium S. Gregorii. Sic autem scribit Socrates ex veteri interpretatione Epiphanii Scholastici, Hist. Tripar. lib. X, cap. 9 : *Dicendum tamen est, unde sumpsit initium ut in Ecclesia antiphonæ decantentur. Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius post apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsis degebat apostolis, vidit angelorum visionem quomodo per antiphonas sanctæ Trinitati dicebant hymnos. Isque modum visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ et ex hoc ad cunctas transivit Ecclesias.* Socratem autem antiphonæ appellatione hymnum aliquem compositum alterne resonantem intellexisse, argumento esse potest : quod,

Digitized by Google

quæ de S. Ignatio narrat, ejus fuisse generis indicet, ac cæterarum antiphonarum ab Arianis primum Constantinopoli usurpatarum, et a S. Joanne Chrysostomo vicissim postea inter catholicos institutarum. Ariani enim suas antiphonas ex Ariano dogmate compositas decantabant : frequenterque hanc impie decantabant : *Ubi sunt qui dicunt trina virtute unum;* catholicorum contra antiphonæ, hymni erant Homousion prædicantes. Vide cap. 10 Historiæ Tripartitæ.

« S. Ambrosius primus instituit antiphonas in Ecclesia Mediolanensi, inquit enim Paulinus in ejus Vita : *Hoc in tempore primo antiphonæ, hymni et vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem Ecclesia verum per omnes pene provincias Occidentis manet.* Quod S. Augustinus confirmat lib. 9, Confess., c. 7. *Tunc hymni et psalmi ut canerentur, secundum morem Orientalium partium ne populus mœroris tædio contabesceret institutum est.* Quibus sententiis eam vim esse arbitror, ut non solum psalmi alternis cantarentur, verum et hymni aliquot sive eclogæ sacrarum cantionum, alterno concentu responderentur. Nam hymni eo loco non veniunt ea sacra carmina, quibus auctore præcipue Ambrosio hodie utimur. Eorum enim usus nullus est apud Orientales, eo modo quo usurpantur a nostris Occidentalibus. Quare hymnorum nomine, censeo accipiendas esse sacras illas cantiunculas, quas Paulinus antea antiphonas appellaverat, ita ut priori vocabulo canendi modum, posteriori vero id quod cantabatur, explanaverit.

« Antiphonarum usum Ecclesia Romana, quantum ex antiquis scriptoribus haberi potest, S. Cœlestino papæ acceptum refert; vide eruditiss. Henschenium in Actis sanctorum 10 Aprilis die 6, pag. 544. Semel autem acceptum constanter retinuit, ut ex libro diurno Romanorum pontificum tit. 7, et Antiphonarii S. Gregorii tum missæ tum officiorum plane docemur. De antiphonarum usu apud cæteras Occidentis Ecclesias consulenda sunt variarum concilia veterum nationum, constitutionesque antiquæ monachorum; properandum est enim ut id prosequamur, quod Ecclesiasticorum rituum scriptores minus clare pertractarunt, quam par erat, circumstantias, inquam, antiphonarum, modum scilicet ritumque illarum in ecclesia concinendarum.

« Antiphona itaque, ut dicebamus, est versus aliquis sive sententia intercalaris, quæ una cum psalmi canticive versibus, sive aliquot sive omnino omnibus decantatur intercalari concentu, eodem prorsus ordine, quo ecclesiastica responsoria cantantur. Cum ea ratione a responsorio antiphona differat, quod in responsoriis chorus uni cantori respondeat, in antiphonis vero chorus unus alteri choro succinat; et in responsorio quidem unus cantor versus intercinat, intercalante semper choro responsorium; in antiphona vero chorus alter concinat versus, altero choro antiphonam reciprocante. Rabanus de Institut. clericorum, l.b. I, c. 33 : *Inter responsoria et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus dicat versum, in antiphonis autem alternent versibus chori.* »

Quando igitur pontifex Cœlestinus instituit in S. Ecclesia Romana psalmos antiphonatim canere, ut legimus in hoc num., consequitur, ut in dispositione divini officii precum nocturnarum ac diurnarum operam non modicam ipse posuerit; cum psalmi antiphonatim decantati universas ferme partes pervadant pensi quotidiani a clero in Dei laudibus exigendi.

Linea 5. — *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia*, etc. *Quæ hodie archivio Ecclesiæ tenentur*, etc. Reliquæ constitutiones hujus beati pontificis quærendæ sunt in decretalibus ejus litteris, actisque conciliorum. Earumdem epistolarum vetusta exempla supersunt in sæpe memorato codice tituli ac monasterii S. Crucis ad Hierusalem in Urbe dicti. Signata est consulibus Florentio et Dionysio ad diem XII Kalend. Augusti (nempe anno Christi 429) illa, quam scribit *Cœlestinus universis episcopis per Biennensem* (hoc est Viennensem) *et Narbonensem provinciam constitutis*, cujus initium est : *Cuperemus quidem*, etc. In conciliis vero celebris illa est, quæ in Ephesino producta ab ejusdem legatis actione secunda ostendit qualem quantamque curam gereret beatus pontifex omnium orbis Ecclesiarum. « Arcadius episcopus et Romanæ Ecclesiæ legatus dixit: Præcipiat vestra beatitudo, sancti, et cum omni veneratione nominandi papæ Cœlestini apostolicæ sedis episcopi litteras Urbis allatas recitari ex quibus vestra beatitudo cognoscere poterit, qualem omnium Ecclesiarum curam gerat, » etc. Eam consecutæ acclamationes Patrum satis ostendunt : « Omnes reverendissimi episcopi simul acclamaverunt : Hoc justum judicium. Novo Paulo Cœlestino, novo Paulo Cyrillo, Cœlestino custodi fidei, » etc. Datæ sunt autem litteræ illæ Cœlestino VIII Idus Maii, Basso et Antiocho coss. nempe anno Christi 431.

Acclamationes Patrum concilii Ephesini quæ celebre testimonium reddunt eximiæ Cœlestini curæ in fidei catholicæ veritate tuenda commendant etiam firmitatem plane apostolicam in veteri disciplina consolidanda, et Romanæ sedis auctoritate exercenda ad universum Christianum populum et populi Christiani principes, Ecclesiarum scilicet omnium pastores in officio continendos. Quare primatus ejusdem sedis ita luculenter ejus in judiciis et legibus assertæ illustre præ cæteris monumentum in titulo S. Sabinæ musivo opere expressum illa ætate dedicandum putavit Petrus presbyter titularis : quod adhuc integerrimum superest, et antiquissimum habetur ex Christianis musivis ita præservatis per sæcula duodecim. Ediderc complures, et cum figura æri incisa protulit præsul sacræ antiquitatis studiosissimus Jo. Ciampinus, tomo priore. Visitur in illo inter cætera expressa *Ecclesia ex gentibus, et Ecclesia ex circumcisione* : quarum in utraque cum Petrus apostolus cathedræ suæ principatum instituerit, ita etiam hæres cathedræ et auctoritatis Cœlestinus exercere non destitit in conciliis generalibus jura tueri. Epigraphe supra easdem figuras eminens et parietem universum convestiens de Cœlestino, primatum hunc splendide administrante, et constanter tuente, ita loquitur :

> Culmen apostolicum cum Cœlestinus haberet
> Primus et in toto fulgeret episcopus orbe, etc.

Verum de his consule quæ in prolegomenis hujus tomi præmisimus de primatu Romanæ sedis splendide asserto per hæc sæcula, quæ hoc ipso tomo complectimur tum ex dissertatione præliminari archiepiscopi Somier, tum ex nostris observationibus ibi productis.

Linea 7. — *Hic dedicavit basilicam Juliæ.* Intra patriarchicum Lateranense quærendam esse hanc basilicam docuit card. Rasponus de Laterau. Patriarch. lib. IV, cap. 14, pag. 352. In codice, inquit, antiquo Rituali, in quo de Romani imperatoris coronatione agitur, hujus basilicæ frequens admodum est mentio, habeturque Constantem imperatorem ad Urbem delatum pregressum die Sabbati ad Lateranum in basilica Julia accubuisse. Observat etiam lectum fuisse paulo ante in nom. 60 S. Bonifacii, in eo schismate quod ejus electioni infensi fautores Eulalii suscitarunt, Bonifacium creatum fuisse pontificem in basilica Julia; Eulalium a factiosis electum in Constantiniana. Hanc igitur basilicam Juliam habendam esse autumat sacellum patriarchii Lateranensis situm in vicinia oratorii et sacelli S. Silvestri, quod a pontifice Julio conditore nomen acceperit. Quod enim *juxta Forum* condita dicatur a Julio papa ejus basilica, id nihil impedit quominus intelligatur de hac ipsa *juxta Forum Lateranense*

Digitized by Google

excitata. Ita enim sitam describit Bibliothecarius in Siricio, num. 158, monente eodem Raspono et Famiano Nardino : ubi post mortem Cononis vacante sede apostolica, pars cleri eligebat Theodorum archipresbyterum, qui tenuit interiorem partem palatii Lateranensis ; Paschalis vero archidiaconus ab alia factione ad pontificatum productus *occupavit exteriorem partem patriarchii ab Oratorio S. Silvestri, et basilicam domus Juliæ, quæ supra Campum respicit.* Hinc etiam tollitur difficultas duplicis appellationis basilicæ Julii, et basilicæ Juliæ huic oratorio attributæ, quæ negotium facesserat cardinali Raspono loco indicato ; cum satis evidenter appareat ab hoc testimonio Bibliothecarii appellari a Julio papa conditore tum *basilicam Julii*, tum *basilicam Juliæ*, nempe *domus Juliæ* cujus erat portio et membrum. Cum enim S. Silvester dono Magni Constantini accepisset ædes Lateranenses, a se incolendas et a successoribus pontificibus, ita eas ordinare suscepit, ut aptarentur usibus cleri secum degentis. In octimestri pontificatu, quo Marcus Silvestrum excepit vix ullum perfici potuit additamentum. Julius vero papa Marci successor amplificavit ædes a Silvestro acquisitas accessione novæ domus Juliæ, sive paterna ex hæreditate ad se pertinentes cum Romanus esset Julius, sive pretio comparatas, sive in fundo sui juris a fundamento constructas. Non secus evenit in pontificio palatio Vaticano partes ejusdem diversas ab illis pontificibus appellari, qui easdem pro tempore sui regiminis fundarunt aut excoluerunt, nempe Innocentianas, Borgianas, Clementinas, et Sixtinas. Illis igitur ædibus patriarchio per Julium adjectis nomine domus Juliæ oratorium quoque inclusit dictum *basilicam domus Juliæ*, uti nunc amplissima sacella Sixtinum et Gregorianum in Vaticano, et Paulinum in Quirinali pontificum palatio retinent nomina fundatorum, et insigniora habentur præ cæteris minoribus sacellis intra eadem palatia excitatis per diversos pontifices pro usu secretiori suo aut comitatus Palatini : quæ pariter a conditoribus nuncupamus, nempe a S. Pio V, a Sixto V, a Clemente VIII, a Paulo V, usu a decessoribus recepto juxta commodiorem cujusque pontificis praxim orandi, et private litandi, aut sacra pignora recondendi prout opportunitas temporis suadebat ; unde supersunt oratoria Hilari, Joannis, Theodori *intra* ambitum patriarchii Lateranensis inclusa. Verum hoc de argumento exempla superaddere minime necessarium est : cum præsules ferme singuli propriis in ædibus episcopii consuetudinem eamdem retineant.

Linea 12. — *Ad beatum Petrum apostolum pharum cantharum pensantem libras* 25, *ex argento purissimo ; cantharas argenteas cerostatas in gremio basilicæ* 24, *pensantes singulæ libras viginti.* Nomen, et figuram hujusmodi supellectilis sacræ ad luminaria in basilicis sustinenda deduci posse reor ex antiquo marmore elegantissimæ sculpturæ, quod visitur Albani in hortis olim Sabellorum principum, nunc vero hæredum claræ memoriæ card. Paulutii ex celebri Domitiani villa, ut arbitror, superstes. Genus candelabri in illo exhibetur, ostendens cur *canthari* et *phari* nomina conjungantur. Cantharus est vas ansatum, ad vinum continendum ut plurimum adhibitum, crateris amplissimi speciem præseferens, poculum Baccho et Herculi attributum a Græcis, et a Latinis ethnicorum auctoribus. Figura vasis persimilis est propatulæ ollæ orbiculari ad ignem quoque in aulis magnatum per hiemem retinendum adhibitæ, quæ ex argento ductili parari soiet hodieque, et a veteribus perinde adhibebatur : ut memini me adnotasse Neapoli in quodam vetusto anaglypho elegantis sculpturæ asservato inter complura eruditæ antiquitatis monumenta in atrio domus principum Caraffensium, ubi comites Bacchi exhibentur ferulas passim gestantes et symbola in ejusdem orgiis adhibita ; duo vero ex iis A ignem ferculo impositum præferunt in cantharo hujusmodi ansato, ad usum sacrificii adhibendo. Quare et in compluribus sacrificiorum imaginibus vasa exprimuntur crateribus patulis et cantharis affinia, quæ imponebantur tripodi ad carbones continendos, supra quos litaretur. Verum usus ollæ hujusmodi manubriatæ seu cantheri ad noctis tenebras flamma perenni illustrandas in festorum apparatu nocturno, uti frequens veteribus fuit, ita nostris quoque temporibus non omittitur, cum picis, olei, sævi, aut pinguis liquaminis affusione collustrandæ sunt viæ. Pyrotechnis dicuntur *padelle*, quæ vulgari plebis usui in pace, aut militarium operationum in bello adhibentur. In sacris vero ædibus, ubi pretiosæ materiæ cerearum facum, aut balsami ære admisti ardere solent per sacras vigilias ex veteri Ecclesiæ consuetudine, pretiosa quoque fulcra ad eosdem ignes et luminaria sustinenda comparantur : candelabra scilicet ex ære aut argento cereis candelis et intorticiis B supponuntur ex edito lumen quaquaversum emissuris. Alia vero fulcra perinde editiora paranda erant antiquis ad continendum balsamum, oleumque nardinum, ac ceram in hujusmodi vasis manubriatis seu cantharis colliquatam ; quæ fulcra *phari* nomen obtinuere, ex imitatione turris illius Alexandrinæ percelebris, quæ portum illustrabat ignibus de ipsa suspensis. Ex utraque igitur voce *phari* quæ fulcro, convenit, et *cantheri*, quæ aptatur vasi ad materiam flammæ alendam superne imposito, *pharacantharæ* dicta sunt candelabra excelsa liquatam cum balsamo ceram oleumque nardinum, et alias odoratas species in descriptis vasis sustentatura, ut in figura anaglyphi Albanensis videre licet. Aliis vero candelabris sustinentibus ceram, in teretes cylindros efformatam, quos cereos dicimus, sive candelas, nomen *phari* potius quam *pharacantheri* convenit. Quare et in hac sectione distinguuntur candelabra a cantharis et a pharacantharis. Obiter hic observare liceat a C Magno Constantino provisum fuisse huic usui nocturni luminis per sacras vigilias in ecclesiis adhibendi, dum ipsa in fundatione basilicarum Urbis et sacri fontis Lateranensis inter cæteras species annuas, quas provinciæ et fundis ipsis attributi præstare debent, enumerantur olei nardini, et balsami libræ aliquando tercentæ, præter ceras. Usum indicat in Silvestro, num. 36, versu 50, ubi hæc legimus inter donaria basilicæ Lateranensi assignata : « In medio fontis columnas porphyreticas, quæ portant phialam auream, ubi candela est, pensans ex auro purissimo libras 52, ubi ardet in diebus Paschæ balsamum lib 200, nixum vero ex stippa amianthi. ». Usus balsami ad lumen perenne, non secus ac in veteri sanctuario nostri figuram exprimente cucharistico sacramento enutriendum servat pontificium sacellum : in quo clerici ad id muneris deputati liquatam cum balsamo ceram metallicis phialis orbicularis figuræ infundunt in morem lucernæ candelabro Veteris Testamenti affixæ, licet in celebrandis D divinis officiis candelæ adhibeantur.

Linea 16. — *Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria.* Unde postmodum ejus reliquiæ a Paschali papa collectæ ac translatæ sunt intra Urbem, et in titulo S. Praxedis repositæ, uti sæpe memoratum marmor in eadem ecclesia affixum indicat, divisæ subinde a successoribus inter plures ecclesias, præsertim S. Pauli basilicam extra muros via Ostiensi.

CIACONII.

Linea 4. — *Quod non ante fiebat.* Perfecta enim epistola et Evangelio finis sacrificio imponebatur. Refert Martinus Casinus : *Judica me, Deus, et discerne causam meam*, quod in principio sacrificii dicitur Cœlestini inventum fuisse. Missæ quoque Graduale idem pontifex ordinavit.

PAGII

Linea 2. — *Hic fecit multa constituta ;* et linea 4.

Digitized by Google

— *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia.* Sanctus Cœlestinus, decessorum suorum vestigiis inhærens, Pelagianorum conatus infregit, eosque tota Italia expulit. Illi quidem singulos quosque Romanæ Ecclesiæ præsules, sub eorum pontificatus initiis subdole tentare sueti, iisdem artibus in Cœlestini gratiam irrepere tentarunt, at illum decessoribus longe infestioren. experti sunt. Ubi enim sub Bonifacio extra centesimum ab Urbe lapidem, ex Constantii imperatoris decreto a Baronio anno 420, num. 2 relato, licet pertineat ad annum 421, quo Constantius imperator dictus est, degere jussi sunt, Cœlestinus procul ab Italiæ finibus eos rejecit, ut docet Prosper lib. contra Collatorem, cap. 41 : « Venerabilis memoriæ pontifex Cœlestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestinus, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi, adeo et præcessorum suorum statuta et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. » Hinc Patres concilii Ephesini parte II, act. 5 : « Perlectis in sancta synodo, inquiunt, commentariis Actorum de depositione impiorum Pelagianorum, et Cœlestianorum, et quæ a pietate tua de ipsis decreta et constituta sunt, judicavimus et nos ea solida firmaque permanere debere. » Garnerius in dissert. de Synodis in causa Pelagianorum habitis, putat anno 424 aut 425 coactam a Cœlestino Romæ synodum adversus episcopos Pelagianos, qui formulæ fidei a Zosimo præscriptæ subscribere pertinaciter detrectabant; sed sicut tempus synodi illius, ita et synodus valde incerta.

Non solum ex Italia, sed etiam ex Britannia Pelagianam hæresim eliminare conatus est Cœlestinus; Prosper enim in Chronico sub consulibus anni quadringentesimi vigesimi noni, scribit : « Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed actione Palladii diaconi papa Cœlestinus Germanum Antissiodorensem episcopum vice sua mittit, et deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem dirigit. » Eam autem legationem S. Germanus suscepit collega sancto Lupo episcopo Trecensi, cujus vitam Anonymus scripsit, in qua ait : *Exacto biennii spatio* (ab episcopatu nempe Lupi anno 428 ad eum evecti) *cum sancto Germano contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est.* De hac Germani legatione legendus Constantius presbyter in ejus Vita apud Surium ad diem 30 Julii, et Beda lib. I, c. 17.

Anno postea quadringentesimo trigesimo primo Cœlestinus Scotis episcopum dedit eumdem Palladium diaconum, cujus suasu sanctum Germanum in Britanniam miserat; scribit enim idem Prosper sub illius anni consulibus : *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a papa Cœlestino Palladius, et primus episcopus mittitur*, quod etiam habet Beda lib. I, cap. 13, dicens id contigisse anno Theodosii Junioris octavo, a morte nempe Honorii imperatoris deducto. Magna controversia est, Hibernos inter et Scotos de Palladii apostolatu, Hibernis, quos certum est a veteribus *Scotos* appellatos fuisse, contendentibus ad suam insulam Palladium missum; contra vero Scotis, seu, ut nunc loquimur, Scoto-Britannis illum sibi vindicantibus. Difficultatem auget Prosper lib. contra Collatorem, cap. 41, de Cœlestino papa scribens : « Nec segniore cura ab hoc eodem morbo (nempe Pelagiana hæresi) Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani, et ordinato Scotis episcopo, dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam. » Romani *barbarorum* nomine designabant gentes omnes a sua ditione et cultu alienas, ideoque hæc Prosperi verba, *fecit etiam barbaram Christianam*, aliqui de Scotia, aliqui de Hibernia interpretantur. Qua de re legendi Usserius in lib. de Britann. Eccles. Primordiis, cap. 16; Alfordus in Annalibus Britannicis ad annum 431, aliique scriptores Anglici et Hiberni, qui inter se de hac Palladii missione digladiantur.

Sed quidquid sit de hac controversia, certum est, et inter omnes convenit, circa hæc tempora sanctum Patricium in Hiberniam missum, et Hiberniæ apostolum appellandum esse. Ei enim Hiberni debent, quod patria sua facta sit *sanctorum insula* et litterarum, scientiarumque fuerit aliquando gymnasium. Nam quamvis nonnulla Christianæ doctrinæ semina ante eum in Hibernia sparsa fuerint, et ideo sanctus Palladius *ad Scotos in Christum credentes* missus dicatur, conversæ tamen Hiberniæ decus et titulus uni debetur Patricio, per quem non pauci aliqui atque ex vulgo homines, sed reges et principes, populique gregatim salutari tincti baptismate, jugo fidei submisere cervices. Ipse sanctam Brigidam velavit, aliqua concilia a Spelmanno relata congregavit, ejusque opera plurimæ sparsim Ecclesiæ erectæ, in iisque episcopi ordinati. Sancti Patricii episcopi, apostoli, et primatis Hiberniæ Vitam exhibet Bollandus ad diem 18 Martii, et in Commentario prævio, ubi pluribus de triplici ejus captivitate, vita monastica et peregrinationibus disserit, existimat mortem ejus contigisse anno quadringentesimo sexagesimo, licet Marianus Scotus, Sigebertus et alii eam consignent anno quadringentesimo nonagesimo primo. Licet autem tam multa in sanctorum Hibernorum Vitas irrepserint fabulis similliima, Patricianæ tamen Historiæ Chronotaxim verosimilibus conjecturis innixus Bollandus digessit.

Vicariatum sedis apostolicæ per Illyricum Rufo Thessalonicensi episcopo continuavit Cœlestinus papa; Holstenius enim in Collectione Romana exhibet ejus epistolam, Perigeni, aliisque novem episcopis per Illyricum constitutis inscriptam, sine die et consule datam, ex qua discimus, Felicem episcopum provinciæ Dyrracenæ, quorumdam accusantium factione circumventum pene oppressum fuisse si Cœlestini diligentia non intercessisset. Ea occasione Cœlestinus Illyricianis episcopis significat, jam inde ab antiquitate sedem apostolicam derivasse partem aliquam suæ sollicitudinis in provincias Illyricianas, earumque curam Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissam : confirmasse se eam auctoritatem Rufo episcopo Thessalonicensi cui eos obedire præcipit in omnibus causis ecclesiasticis : *Sine ejus consilio*, inquit Cœlestinus, *nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi provinciam colligere nisi cum ejus voluntate episcopos præsumant, per eum etiam ad nos, si quid est, referatur.* Mox pœnam excommunicationis intentat illis, qui his constitutis apostolicæ sedis non obedierint : *Sed hac præceptione cognoscant et eum, qui refragandum nostræ auctoritati, vel illius crediderit jussioni, a fraternitatis cœtu cum ipse se separet, segregandum.* Hæc epistola recitata est in synodo Romana Bonifacio II sedente celebrata. Est porro Dyrrachium urbs Macedoniæ, posita in ora occidua maris Ionii, inter Brundusium Italiæ urbem et Thessalonicam.

Initium hæresis Nestorianæ, et concilium Ephesinum, generale tertium.

Cœlestino sedente, emersit Nestorii hæresis, quam damnavit in synodo Romana ante concilium Ephesinum coacta. Ejus hæresis initium et concilia contra eam sub Cœlestini pontificatu celebrata, hic paucis describere juvat. Cum Sisinnius episcopus Constantinopolitanus circa finem anni quadringentesimi vigesimi septimi obiisset, et inter agendum de successore clerus Constantinopolitanus divisus esset, visum est Theodosio imperatori Nestorium ex Eccle-

Digitized by Google

gia Antiochena accersere. Erat ille Germanicia A oriundus, oppidulo Syriæ, et, ut scribit Evagrius, monasticam vitam professus erat in laura sancti Euprepii prope Antiochiam, ubi versabantur Joannes postea patriarcha Antiochenus, et Theodoretus dein Cyrensis episcopus. Magistrum habuit Theodorum Mopsuestenum, a quo didicit male sentire de Incarnatione Verbi. Cumque magnam sanctitatis speciem affectaret, Constantinopolim a Theodosio evocatus, et episcopus Kalendis Aprilis anni quadringentesimi vigesimi octavi ordinatus, illuc venit cum Anastasio presbytero, omnium consiliorum suorum socio, quo postmodum usus est velut administro sui in Deiparam odii.

Nestorius ipse sacræ ordinationis anno hæresim suam propalavit, sed aliter primum ejus factum narrant scriptores. Nam Cyrillus in epistola ad Acacium Beroensem dicit, dum frequens esset in ecclesia populus, Nestorio in cathedra ecclesiæ sedente, Dorotheum quemdam episcopum surrexisse, et magna B voce exclamare ausum esse : *Si quis Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit.* Socrates vero lib. VII, cap. 32, ita rem narrat : « Anastasius presbyter, qui una cum eo (scilicet Nestorio) Antiochia illuc venerat, ejusque consuetudine semper usus erat, et in magno honore ab illo habitus, eique in rebus gerendis consiliarius, quodam tempore in Ecclesia docuit Mariam a nemine Deiparam vocari debere; eam enim hominem esse, et ab homine Deum non posse nasci. » *Hæc verba omnium animos tam clericorum quam laicorum magnopere conturbarunt.* Quocunque modo res acciderit, non tantum patienter tulit Nestorius Anastasium, Dorotheumque impie locutos, sed et ipse in magna ecclesia, ubi frequens erat omnium ordinum consessus, sermonem habuit de incarnatione Dominica, qui totum continet venenum impietatis tunc primum ab eo propalatæ : « Habet matrem Deus, inquit inter alia Nestorius, ergo excusabilis gentilitas matrem diis subintroducens. Non, vir optime, Maria peperit Deum, etc., peperit hominem deitatis instrumentum, » etc.

Illum sermonem recitat Marius Mercator apud Garnerium, tomo II, pag. 5. Contra illam Nestorii blasphemiam Proclus panegyricam orationem de laudibus Deiparæ Virginis de qua mox, Cyrillus epistolam ad monachos Ægypti scripsere, et Cassianus septem libros edidit, quos idcirco de Incarnatione inscripsit, quia in his pugnabat contra Nestorii tractatum de Incarnatione. Ad tantam Nestorii blasphemiam cohorrescentibus omnibus, ea fuit auditorum indignatio, ut eodem die quo sermo dictus est, *simplex quidam monachus, statim habita concione, cum fidei studio arderet, in medium ecclesiæ progressus, cum synaxis celebraretur, impietatis præconem, quod hæreticus esset, ab ingressu prohibere conatus sit.* Sed vir sanctus Nestorii oppressus potentia flagris publice cæsus est, ac in exsilium missus, ut testantur monachi Constantinopolitani in supplicatione imperatori oblata, quæ exstat parte I concilii Ephesini, cap. 30, ubi cap. 14 refertur epistola S. Cyrilli ad Cœlestinum, in qua testatur monachos, et senatus, populique Constantinopolitani maximam partem, ne se Nestorii communione polluerent, mox a synaxibus abstinere cœpisse. Duo itaque Nestorii fuere palmares errores. Primus, hominem in utero Virginis formatum, alium esse ab unigenito Dei Verbo, et Incarnationem esse meram inhabitationem Dei Verbi in homine velut in suo templo, adeoque Deum non esse natum, passum et mortuum; nec Christum esse Deum, sed templum duntaxat Dei. Alter ejus error erat, quod beatissimam Virginem Mariam Deiparam esse negaret, ut jam dictum est. Unde hæresis Nestoriana maximam habet convenientiam cum hæresi Ebionis, et Pauli Samosateni, ac cum dogmatis Diodori Tarsensis, et Theodori Mopsuesteni, quam convenientiam pluribus explicat Garnerius pag. 306 et seqq.

Nestorius post priorem illum sermonem, alterum fecit anno quadringentesimo vigesimo nono velut adversus Arianos et Macedonianos, reipsa vero adversus catholicos, quo priorem confirmare visus est. Quo tempore contigit, mirabile quiddam, atque audax facinus, quod narrat Cyrillus lib. I Contradict. de Eusebio causarum patrono, qui propter singularem doctrinam et pietatem Dorylæi episcopus postea renuntiatus est. Is cum inter laicos versaretur, impie dicentem pro concione episcopum ausus est verbo palam arguere, suæque fidei, atque animosæ in hæreses fortitudinis specimen dedit. Fecit et tertium sermonem Nestorius brevi post tempore, velut in Apollinaristas, in quo venenum paulo artificiosius texit, tantoque nocentius populis infudit, quod videretur in Apollinaristas qui naturas in Christo confundebant, invisum catholicis ea tempestate nomen, invehi : quanquam hæresim suam de Christo puro homine, et sola præstantia a cæteris hominibus diverso, tacere non potuit. Contra hunc idem Eusebius laicus obtestationem publice proposuit, eoque facto omnium animos inflammavit in fidei studio, adversus Nestorium hæreticæ Pauli Samosateni dogmata renovantem. Refertur hæc Eusebii obtestatio in parte I, concilii Ephesini, cap. 13. Exemplo laicorum incensi presbyteri, cum in ecclesia, quæ *Irene Maritima* dicebatur, in pravum dogma invecti essent, continuo minis et auctoritate frendentis episcopi silere jussi sunt; unde accedit ut populus usitatam fidei prædicationem requirens publice inclamaret : *Imperatorem habemus, episcopum non habemus*, ut legitur in supplic. Basilii parte I concilii Ephesini, cap. 30.

Proclus Cyzicenus episcopus pergebat populum, ut ante docere, dumque fieret amplissima quædam synaxis, habuit in maximo ordinum omnium cœtu, pro Deipara Virgine contra Nestorium orationem panegyricam, in qua, licet adversarii nomen tacuerit, præsentem episcopum reveritus, hæresim tamen C omnibus notam summo auditorum plausu refellit. Habita est autem illa oratio die festo solemniore, ideoque Christi aut beatæ Virginis, et probabiliter die 25 Martii. Licet dicenti Proclo magnus plausus ab omnibus datus sit, ausus est tamen Nestorius continuo pro more populum affari, summaque impudentia ac impietate, Procli præcipua quoque dicta reprehendere, imo et blasphemiæ damnare. His non contentus Nestorius, tres iterum habuit sermones, tribus consequentibus post Paschalia synaxibus, quibus tres præcipuas Procli sententias arguit, quod Deus sit passus et mortuus, quod Deus sit noster pontifex, quod beata Virgo dici debeat Deipara.

Miserat Nestorius per fidos homines primum suum tractatum de Incarnatione, cum nonnullis aliis homiliis in provincias, ad pestem latius spargendam. His in Ægyptum perlatis, Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ episcopo necessitas imposita est scribendi ad D monachos, ut obviam irent malo, quod propter nonnullorum, quorum in manus scripta venerant, imperitam simplicitatem et credulam levitatem timeri poterat. Ita rem narrat Cyrillus Cœlestino papæ in parte I concilii Ephesini, cap. 14. Cum exempla illius Cyrilli ad monachos Ægyptios epistolæ Constantinopolim fuissent deportata, tanto adjumento fuerunt, ut plurimi e magistratu, ejus rei causa, per litteras Cyrillo gratias egerint, quod Nestorio iræ contra Cyrillum susceptæ fomentum subministravit. Quare cum in urbe regia Ægypti quidam versarentur, in quos Alexandrinus episcopus propter infamiam vitæ ex canonum præscripto animadverterat, eos Nestorius subornavit, ad calumniam Cyrillo faciendam, dandosque adversus ipsum sibi et Theodosio imperatori libellos, quibus argueretur, non Ecclesiam modo male administrare; sed in Ægypto etiam contra imperatorem et magistratus turbas ciere, ut videre est in parte I concilii Ephe-

Digitized by Google

sini c. 12, et in Apologet. Cyrilli ad Theodosium.

Cum Cœlestinus accepisset, non Constantinopoli solum, sed toto Oriente turbatum esse occasione sermonum Nestorii, offensus inde, cum aliis episcopis, quorum in cœtu relationem de cunctis fieri voluerat, consulendum ratus est super ea re Cyrillum, an perinde se res haberet, atque fama jactabat. Harum Cœlestini litterarum meminit Cyrillus in epistola prima ad Nestorium. Inter hæc cum Nestorius ad Cœlestium data semel et iterum epistola, ipsius animum occupare tentasset, S. Cyrillus veritus ne Romano pontifici imponeret, ipsum de illius erroribus certiorem fecit, et de iis quæ in ipsum huc usque egerat. Epistola inscripta est : *Beatissimo, Deoque dilectissimo Patri Cœlestino in Domino salutem.* Alexandrinus antistes, secundæ sedis episcopus, Romanum *Patrem* vocat, ob primatus utique reverentiam. Duo propterea in illa epistola notanda veniunt. Primo, quod testetur Cyrillus hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut de emergentibus ubique terrarum hæresibus ad sedem apostolicam referatur. *Vetus*, inquit, *Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tuæ communicentur.* Secundo, quod ait se ausum non fuisse, inconsulto Cœlestino, et inexspectata sedis apostolicæ sententia, se a Nestorii communione subtrahere : « Non prius autem, inquit, illius communionem palamque aperteque deserimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias præscribere; quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illis oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, et super hac re sententia, piissimis, Deoque devotissimis Macedoniæ episcopis, necnon totius Orientis antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectæque fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant. »

Cœlestinus anno quadringentesimo trigesimo acceptis Nestorii litteris, et Quaternionibus aperiam continentibus blasphemiam, indignatus præterea quod Nestorius Pelagianis episcopis auxilium præberet, diutius responsionem distulit; et acceptis a Cyrillo Alexandrino litteris, quibus ejus errores memorabantur, statim acres ad Nestorium litteras dedit, quibus illum uti veterum hæreticorum patronum, novæque insuper hæreseos auctorem increpavit. Eas tamen litteras non recta ad Nestorium perferendas voluit Cœlestinus, sed per Possidonium Ecclesiæ Alexandrinæ diaconum ad Cyrillum in Ægyptum misit, qui illas postea Constantinopolim transmitteret.

Eæ autem litteræ datæ sunt in synodo Romana, quam Cœlestinus sub initium mensis Augusti celebravit, in qua lata est sententia excommunicationis et depositionis in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem errores suos aperta et scripta confessione damnaret. Restituti quoque in Ecclesiæ communionem, qui propter fidem a Nestorio ejecti fuerant; Alexandrino tandem præsuli exsequendæ sententiæ provincia demandata. Damnati sunt in eadem synodo Pelagiani, ut qui societate erroris cum Nestorio jungerentur, eadem sententia percellerentur. Denique ex synodo scriptæ septem epistolæ a summo pontifice; Cyrillo scilicet ut sedis apostolicæ vice in hoc negocio fungeretur; Nestorio, ut ad pœnitentiam rediret; clero Constantinopolitano, ut constans remaneret in fide; Joanni Antiocheno; Rufo Thessalonicensi; Juvenali Hierosolymitano; Flavio Philippensi, id est, majorum sedium Orientis episcopis, ut strenue causam fidei agerent. Recitantur hæ litteræ parte I. concil. Ephes. cap. 15, 17, 19 et 20, consignanturque eadem temporis nota, ut *Idus Augusti Theodosio XIII et Valentiniano III coss.*, ideoque pertinent ad annum quadringentesimum trigesimum.

Cyrillus, acceptis Cœlestini papæ litteris, concilium in Ægypto coegit, et quidem Alexandriæ, indeque synodicam misit Nestorio, qua continebantur tria, fidei expositio, duodecim anathematismi subscribendi, et denuntiatio sententiæ ab eodem Cœlestino latæ, quæ refertur part. I, concil. Ephes. cap. 36. Legati sunt a synodo episcopi quatuor, qui litteras Cœlestini, et synodicam darent Nestorio, cleroque Constantinopolitano, ac archimandritis. Ii fuere Theopemptus Cabasorum, Daniel Darnensium, Potamion, et Macarius episcopi; consuetudo enim erat conveniendi episcopos majorum sedium, si quando vocandi essent ad judicium, per tres saltem episcopos, ut variis exemplis probat Garnerius, pag. 338.

In ea synodica Cyrilli, et concilii Alexandrini est insignis locus, quo realis Christi corporis in Eucharistia præsentia, et incruentum missæ sacrificium asseruntur : « Quin, et illud, inquit Cyrillus, et cum eo Patres synodi, non possum hoc loco non adjicere, nempe dum unigeniti Filii, hoc est Jesu Christi mortem, et resurrectionem ex mortuis annuntiamus, ejusdemque in cœlum assumptionem confitemur : incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sacræ carnis, et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus : absit hoc, neque rursum tanquam divinam inhabitationem sortiti, aut dignitatis tantum verbo consociati, sed tanquam vere vivificam, ipsiusque verbi propriam, » et cætera apud Baronium anno 430, num. 55, legenda.

Antequam sententia Cœlestini ad Nestorium deferretur, hic tertiam ad Cœlestinum epistolam dedit, in qua postquam Cyrillum perstrinxit, indictam a Theodosio imperatore generalem synodum monet, idque callide, velut insultans pontifici ob declinatam ipsius sententiam : « Placuit vero, inquit, piissimis imperatoribus, Domino adjuvante, etiam synodum inexcusabiliter totius orbis terrarum indicere, propter inquisitionem aliarum rerum ecclesiasticarum, » quæ vox, *inexcusabiliter*, et sacra imperatoris ad metropolitas, indicant non obscure, inquit Garnerius, qui primus hanc Nestorii indictam, et communicatam cum ipso indictionis quoque formam. Quare cum indictionis synodi Ephesinæ decretum XIII *Kalend. Decembris* consignetur, ea epistola non multo post data, et quidem ante diem XXX Novembris, quo redditæ sunt Nestorio decretoriæ Cœlestini litteræ, in ea siquidem earum litterarum Cœlestini non fit mentio, utique non omittenda, si acceptæ a Nestorio jam fuissent.

Dum hæc Constantinopoli geruntur, eo appulerunt quatuor episcopi a synodo Alexandrina ad Nestorium missi, litterasque apostolicas Cœlestini, et synodicas Cyrilli ejus vicarii Nestorio dederunt, et quidem die trigesima Novembris, ut Theopemptus legatorum unus narravit Patribus Ephesinis par. I, act. I : « Die Dominica, inquit, post synaxim peractam, in episcopium ascendimus, ibidemque toto præsente clero, cunctisque fere illustribus astantibus, litteras, de quibus sermo est, Nestorio tradidimus : quibus acceptis constituit nobis, ut sequenti die sermonem cum eo haberemus. Abivimus ergo : at postero die reversos non admisit, neque etiam satisfecit litteris, sed publice pro concione, eadem, quæ ante, et his quoque deteriora dogmata proposuit, » nempe die sexta Decembris, quo die sermonem illum habuit, quem recitat Garnerius pag. 85, quemadmodum et pag. 93 alium a Nestorio dictum, *die altera id est Dominica*, septima mensis Decembris die.

Nestorius acceptis Romanæ et Alexandrinæ synodorum litteris, confestim exemplum Antiochiam misit, ad Joannem Antiochenum episcopum amicum suum, rogans ut a doctissimis episcopis

Digitized by Google

sui consilii, et nominatim ab Andrea episcopo Samosateno, hoc tempore inter Orientales doctrinæ pietatisque fama celebri, et a Theodoreto episcopo Cyrensi scribendum curaret adversus duodecim anathematismos Cyrilli in hujus synodica contentos, quasi Apollinaris, Ariive hæresim renovarent. Illi anathematismi nihil aliud sunt, quam Patrum sententiæ, quibus nihil continetur, quod non ubique ac semper omnes docuissent. Omnes reducuntur ad quatuor propositiones. Prima, quod Dei Filius vere sit factus homo. Secunda, quod idem sit, et non alius, Filius Dei, qui filius hominis, atque ita Deus ex muliere natus sit, duasque Verbum generationes habuerit. Tertia, quod Virgo sit Deipara. Quarta, quod Immortalis mortem pertulerit, et idem crucifixus, qui adorandus. Contra dictos anathematismos Cyrilli Andreas Samosatenus, et Theodoretus Cyrensis scripsere, sed eorum objecta ante Pascha anni quadringentesimi trigesimi primi Cyrillus diluit duplici Apologetico, altero adversus Orientales episcopos, altero adversus Theodoretum. Uterque exstat apud Garnerium pag. 133 et 178. Sed cum interim videret Nestorius anathematismis Cyrilli quasi totidem telis suam doctrinam peti, duodecim et ipse anathematismos condidit, singulos singulis Cyrillianis respondentes, qui recitantur in part. I, concil. Ephes. cap. 29.

Antequam Nestorio redderentur et litteræ Cœlestini papæ ex synodo Romana datæ, et synodica Cyrilli, Joannes Antiochenus episcopus ad ipsum miserat litteras ad se a Cœlestino et a Cyrillo scriptas; cumque Nestorius ex iis intelligeret quanta suo capiti impenderet tempestas, tentavit eam in caput Cyrilli convertere. Quare cum ipsum apud Theodosium, tum impietatis in Deum, tum criminis in imperatorem accusasset, petiit convocari generale concilium, in quo judicium de reo institueretur. Theodosius, Nestorii instinctu, illud concilium indixit, atque ex universis diœcesibus episcopos ad diem Pentecostes anni quadringentesimi trigesimi primi Ephesum vocavit, missis ad majorum sedium antistites Cœlestinum Romanæ, Rufum Thessalonicensis, Cyrillum Alexandrinæ, Joannem Antiochenæ, Juvenalem Hierosolymitanæ, Capreolum Carthaginensis, litteris. Ut autem singulos sine excusatione vel mora, cum suis, quos idoneos scirent, venire jussit, ita vetuit, « ne ulla interim ante coactam synodum, communemque ejusdem, quæ de omnibus danda esset, sententiam, fieret privatim a quibuscunque innovatio, » ut legitur part. I, concil. Ephes. cap. 30. Consulebat scilicet Nestorio, quem alioquin sententia sedis apostolicæ de suo solio erat dejectura. Datum est Theodosii edictum *Constantinopoli* XIII *Kalend. Decemb. Theodosio XIII et Valentiniano III AA. CC.* ideoque anno quadringentesimo trigesimo.

Porro synodum indictam non esse consilio Cœlestini ex eo constat, quod litteræ Cœlestini redditæ sunt Nestorio die tantum trigesima Novembris, duodecim scilicet diebus postquam synodus indicta est, pugnantes enim alioquin sententias eodem tempore habuisset Cœlestinus; cum hinc damnationis sententiam definitivam ferret in Nestorium; et exsecutores sententiæ mitteret; inde causam concilio permitteret. Parte alia Nestorius ipse petitam a se synodum fatetur; unde et synodi petitor a Cœlestino dicitur et legatis sedis apostolicæ: et ipse Philippus presbyter ex legatis apostolicis unus, studiosissimus imprimis pontificiæ dignitatis assertor, non a Cœlestino, sed ab imperatoribus indictum concilium testatus est, ac eo tempore congregatum, quo sententia pontificis in Nestorium lata mandanda erat exsecutioni; et exsecutionem Cyrillo, non œcumenicæ synodo, Cœlestinus commisit, ut ex litteris Nestorii ac Cœlestini et ex Actis concilii aperte constat. Ex quibus ruit sententia Petri de Marca qui lib. IV, de Concordia cap. 4, num. 1, ait, videri Nestorium ad imperatorem appellasse, ab eoque rescriptum obtinuisse, quo tam Romanæ, quam Alexandrinæ synodi sententia vel suspenderetur, vel antiquaretur omnino, ruit, inquam, illa opinio, quia fundatur in eo quod Marca supponit prius significatam fuisse Nestorio utriusque synodi sententiam, quam vel quereretur apud imperatorem, vel concilium ipsius rogatu indiceretur, quod repugnat tum Sacræ Theodosii, tum auctoritati Marii Mercatoris, tum ipsi Nestorio. Unde cum sententia sedis apostolicæ denuntiata non fuerit, nisi post synodum indictam, quod Marcam fugiebat, præventa potius videri debet, quam edicto suspensa, si proprie loqui velimus.

Cum Cœlestinus anno quadringentesimo trigesimo primo Sacram imperatoris accepisset, Romam evocavit Occidentales episcopos initio mensis Maii, hique *illic congregati*, ut aiunt Patres Ephesini concilii in relatione ad imperatores, et rectam de fide sententiam magno consensu prædicarunt, eosque, qui diversa sentirent, alienos esse penitus sacerdotio, et clero, et gradu definierunt. In ea synodo Romana delecti legati, qui in Ephesina Cœlestini præsentiam supplerent, Arcadius et Projectus episcopi, ac Philippus presbyter Romanus. Illis legatis Cœlestinus mandata seu instructiones dedit, quæ licet non exstant, Baronius tamen ex epistola Cœlestini ad synodum Ephesinam colligit, sic a Cœlestino Romanaque synodo missos esse legatos in Orientem, non ut re ldita irritis, quæ ab eodem pontifice adversus Nestorium decreta erant, causa ejusdem novo subjaceret examini. sed potius ut sententiæ in Nestorium a Cœlestino latæ iidem essent exsecutores. Quod sane confidentius asseruisset Baronius, si commonitorium Cœlestini a Baluzio ex duobus codicibus mss. altero Colbertino, altero Vaticano erutum vidisset: ex eo enim manifeste constat legatos apostolicæ sedis ad synodum Ephesinam missos, ut exsequerentur quæ a Cœlestino jam statuta fuerant quoad res Nestorii, et decretis concilii pondus apostolicæ auctoritatis adderent. Illud commonitorium dicitur datum *die* VIII *Iduum Maiarum, Basso et Antiocho consulibus*, ideoque anno quadringentesimo trigesimo primo.

Licet terminum synodo Ephesinæ a piissimis imperatoribus positum fuisse sacram Pentecostes diem, ideoque diem septimam mensis Junii, constet tum ex epistola ipsius synodi ad Cœlestinum, tum ex epistola Cyrilli ad quosdam de clero Constantinopolitano, quæ exstat tomo II Conciliorum, pag. 562, Patres tamen concilii in epistola ad imperatores pag. 570 aiunt: *Vigesimo secundo die mensis Junii secundum Romanos congregati sumus.* Joannes Antiochenus episcopus, qui de industria per viam trahebat moram cum Orientalibus, hujus dilationis causa fuit; scripsit tamen Cyrillo per episcopos duos, cum abesset tantum itinere quinque aut sex dierum, qui non semel testati sunt, sibi datum in mandatis a Joanne, ne sacra synodus prorogaretur, si ipsum tardari amplius contingeret. Quare cum diebus sexdecim frustra exspectatus fuisset, synodus inchoata est, statimque divisa in duas communiones; minor Nestorio, major et senior pars Cyrillo adhæsit, præsertim Memnon Ephesinus episcopus.

Sed antequam hæc prosequamur, de præside et numero Patrum synodi hic paucis agendum. Joannes Launoius doctor Parisiensis negat Cyrillum vices Cœlestini papæ in concilio tenuisse, sed ut notat Baluzius in Notis ad Marium Mercatorem, pag. 488, nullus tergiversationi locus esse potest, cum in monumentis, « quæ gesta sunt in Epheso sub præsentia eorum, qui de Roma venerunt episcoporum atque presbyterorum, » de Cyrillo dicatur, « regente etiam locum sanctissimi et beatissimi archiepiscopi Romanorum Ecclesiæ Cœlestini. » Adfuit igitur Cyrillus et tanquam episcopus Alexandrinus, et tanquam vicarius Cœlestini, sicut paulo post Flavianus epi-

Digitized by Google

scopus Philippensis interfuit, et suo, ac Rufi Thessalonicensis nomine. Certe Cyrillus in Actis concilii hoc titulo ubique exornatur, etiam post adventum legatorum Romanæ sedis, ut patet ex actione IV, ubi legati Romani statim post Cyrillum ante reliquos omnes episcopos nominantur. Imo et ante adventum legatorum, vice Cœlestini præfuerat, ut liquet ex actione prima : « Considentibus in sanctissima ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis et sanctissimis episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui et Cœlestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ archiepiscopi locum obtinebat, et Juvenali Hierosolymorum, » etc., neque injuria, cum ei a Cœlestino sedis apostolicæ auctoritas delegata esset ad exsecutionem sententiæ contra Nestorium in Romana synodo latæ, de quo negotio agebatur in concilio Ephesino.

De numero episcoporum, qui synodo adfuere, veteres non consentiunt, sed Baluzius citatus recte asserit illam opinionem videri veriorem, quæ ducentos aut circiter fuisse docet; id enim legitur in collectione Cresconiana, in qua *nominantur et numerantur episcopi, qui Ephesinæ synodo interfuerunt centum nonaginta*, et idem numerus reperitur in Græco codice bibliothecæ Regiæ num. 206. Standum itaque, ut recte Baronius, testimoniis Cyrilli et episcoporum synodi Ephesinæ, quæ manifeste docent episcopos, qui huic synodo interfuere, non fuisse ultra ducentos octodecim.

In prima actione concilii, quæ die vigesima secunda mensis Junii celebrata est, feria secunda, lectis omnibus instrumentis, et inter ea, Nestorii epistola ad Cyrillum, quæ incipit, *Admirabilium litterarum tuarum contumelias*, etc., quæ unanimi Patrum calculo explosa est, ob eamque Nestorius anathemate confixus, tanquam hæreticus; lecta insuper Cœlestini pontificis ad Nestorium epistola, et synodica Cyrilli ad Nestorium, illi per Theopemptum, Danielem, Potamionem et Macarium episcopos traditis : exceptis subinde illorum testimoniis, quibus asseruerunt Nestorium non satisfecisse, neque Cœlestini, neque Cyrilli, et synodi Alexandrinæ litteris, sed publice pro concione eadem quæ ante, et his deteriora dogmata proposuisse : lata est in Nestorium hæreseos nefariæ convictum reum et auctorem, exauctorationis et excommunicationis sententia, in qua maxime notandum quod synodus ad eam ferendam *coactam* se dicit *per sacros canones, et epistolam SS. Patris et comministri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ episcopi*. Hæc sententia postridie, nempe die vigesima tertia mensis Junii Nestorio significata est.

Joannes Antiochenus episcopus, quinto die a lata in Nestorium sententia advenit, die Sabbati, ideoque die vigesima septima Junii, eademque die suum conciliabulum egit, et ut habet relatio quintæ actionis ad Cœlestinum papam, « Joannes simul atque Ephesum ingressus est, antequam pulverem ex itinere contractum excussisset, antequam se veste exuisset, rem ausus est impiam. Etenim privatum scriptum quoddam confecit, depositionisque nomen et contumeliam impegit sanctissimo Cyrillo et sapientissimo Memnoni. Excommunicationis nomine etiam universæ synodo contumeliam fecit. Insuper hæc scripto etiam publico mandata deposuit legenda quibuslibet, theatri parietibus affigens, ut suæ impietatis spectaculum exhiberet. »

Tum, ut legere est in cap. 12 synodici tragœdiæ adversus Irenæum, Joannes Antiochenus, præsente sua synodo, ac Candidiano comite, qui ab imperatore ad concilium missus fuerat, ut ordinem servari curaret, dixit Cyrillum aliosque episcopos, in quos sententiam tulerat, velle *missarum celebrare collectam*, seque rogare magnificentiam ejus, ut ad eos transiret et contestaretur, « ne calcarent ecclesiasticas sanctiones et pia decreta, neque collectam celebrarent viri, quorum juste quidem quidam depositi, alii vero communione privati sunt propter hæreticam vesaniam, et inexplicabiles tumultus illicitos, piarumque sanctionum contemptum. » Candidianus hæc postea retulit ad synodum : « Ego in ipso Sabbato ad vesperam rogavi, et sequenti die valde diluculo vadens ad reverendissimum episcopum Cyrillum, id est Dominico die (ideoque XXVIII mensis Junii) non cessavi rogare atque precari, ut meæ postulationi concederet. Illi vero non acquiescentes exierunt, collectamque fecerunt. Contra quos contendere ultro non valui. » Liquet autem ex Actis synodalibus Joannem audita Candidiani relatione, conclusisse Cyrillum cum suis denuo prævaricatum esse, deliquisse in quartum canonem Antiochenum, et minatum esse sese ad principes relaturum.

Statim post primam synodi actionem Candidianus Nestorio favens retulerat ad imperatorem de gestis in concilio; retulerat et Nestorius, sed ita mendaciter, ut animum Theodosii, jam in Nestorium pronum, et a Cyrillo aversum in totam synodum commoverint. Candidiani relatione Constantinopoli lecta, Theodosius rescripsit continuo per Palladium magistrianum, jussitque omnia rescindi, tanquam vitio gesta, et communi sententia examinari dogmata, ut tanto facilius omnes consentirent; nec ulli faciendi potestatem exeundi Epheso, sive in patriam, sive ad comitatum, priusquam omnia rite absoluta essent, quo foret necessitas rei maturandæ. Synodus questa est, Candidiani artibus factum hactenus, ut veritas lateret imperatori, petiitque ab eo accersiri, et una quinque episcopos, qui coram exponerent, quid rerum ab utraque parte, et qua ratione gestum esset.

Interim die decima Julii Arcadius et Projectus episcopi et Philippus presbyter Cœlestini pontificis legati Ephesum appulere, et excepti sunt a concilio, celebrataque eodem die actio secunda synodi œcumenicæ, in qua lectæ ritu solemni Cœlestini litteræ; ipsi a Patribus acclamatum : « Novo Paulo Cœlestino, Cœlestino custodi fidei, Cœlestino eum synodo concordi, Cœlestino universa synodus gratias agit. » Postridie habita actio tertia, in qua lecta quæ ante gesta fuerant in depositione Nestorii; et dicta in eumdem Nestorium a tribus legatis sigillatim sententia; postea relatum a synodo ad imperatorem de legatorum adventu, et utriusque Ecclesiæ consensu in damnatione Nestorii; ac tandem postulata discedendi facultas quasi omnia peracta essent. Actio quarta celebrata est die decima sexta Julii, in qua oblatus a Cyrillo et Memnone libellus quo apud S. synodum expostularunt, de injuria sibi ab Orientalibus facta, petieruntque vocari Joannem Antiochenum; qui cum non compareret, pronuntiatum a Patribus irrita esse, quæ Joannis synodus fecisset adversus Cyrillum et Memnonem; decretumque, ut hac de re scriberetur imperatori, ac tertio citaretur Joannes, priusquam jure in ipsum ageretur.

Actio quinta habita est die decima septima mensis Julii, et Joannes tertio vocatus; qui cum remisset legatos episcopos per se audire, synodus lata in eum, ejusque episcopos excommunicationis sententia, statuit iterum irrita esse, quæ adversus Cyrillum aliosque gesta essent. Interim Joannes tentavit occupare litteris imperatoris animum, ab eoque petiit synodum vocari, aut Constantinopolim, aut certe Nicomediam, unde citius nuntii perferrentur in urbem regiam. Irenæus comes, quem Joannes ad imperatorem miserat, Constantinopolim venit, et procuravit damnationem Cyrilli in Ecclesia publicari. Verum adveniente Joanne medico, et syncello Cyrilli, aula in duas partes scissa est. Vicit sententia de *mittendo* e primoribus aliquo, qui tres esse depositos nomine Theodosii juberet, Cyrillum, Memnomen, et Nestorium, omnesque in unam synodum cogeret. Missus igitur Joannes comes Sacrarum, cum litteris imperatoris ad omnes utriusque partis episcopos nominatim inscriptis, ut coitionis in unam synodum initium darent. Ex relatione ad Cœlestinum facta, con-

Digitized by Google

stat Pelagianorum depositionem ab ipso decretam Ephesinos Patres confirmasse in hac actione quinta. Die vigesima Julii celebrata sexta actio, in qua damnatum symbolum Theodori. Die denique ultima Julii coacta septima actio.

Interim Joannes Sacrarum comes Ephesum advenit, et episcopos ambarum partium ad suum diversorium vocavit. Adfuerunt Joannes Antiochenus, et Nestorius cum suis; adfuit et Cyrillus cum aliis episcopis, ortaque est altercatio, aliis negantibus Nestorium interesse debere, aliis contra contendentibus, et Cyrillum rejicientibus. Comes Nestorium et Cyrillum in custodiam tradidit, monuitque imperatorem, episcoporum animos irreconciliabiles esse. In his rerum angustiis jubet imperator Nestorium a concilio recedere, et ex utraque parte legatos ad regiam urbem venire. Suos legatos elegit sacra synodus, suosque Orientalis factio; qui ultimi suis a l socios litteris se Chalcedone fuisse die quarta Septembris testantur. Imperator legatos schismaticorum in villa Rufiniana quinquies audivit, et quidem satis benevole in speciem, sed jussit legatis synodi catholicæ sese comitari, ut episcopum Constantinopoli ordinarent, Orientalibus interim Chalcedone relictis. Illi tandem post acceptam abeundi potestatem, miserunt suis Ephesum, deploratam esse Nestorii causam, et Cyrillianos tyrannide, adulatione, et donis omnes decepisse. Quid a suis legatis œcumenica synodus acceperit, Acta non referunt; sed tantum Cyrillum die trigesima mensis Octobris Alexandriam appulisse, et a suis quasi triumphantis exercitus ductorem acceptum esse. Hæc summa rerum post septimam actionem gestarum.

Episcopi a synodo œcumenica ad Theodosium imperatorem missi Constantinopolim pervenientes, die vigesima quinta mensis Octobris, quadrimestri spatio post Nestorii abdicationem elapso, Maximianum ex monacho presbyterum, non quidem excultissimum litteris, sed probatæ fidei ac pietatis virum Constantinopolitanum episcopum ordinarunt. Nestorius in suum sancti Euprepii monasterium ante portas Antiochiæ situm a Theodosio amandatus est; unde postea ad alia loca deportatus, ejusque libri, jubente Theodosio, combusti, ut legere est in Annalibus Baronii, et in eorum Critica. Maximianus statim ab ordinatione sua in synodo Constantinopolitana litteras de more dedit ad primas sedes, atque etiam ad episcopos veteris Epiri, quos schismatici fallere tentabant, proinde ac si sanctæ synodi communione fruerentur, quamvis a pristina sententia non recessissent. Synodus Ephesina in epistola, quam ad omnes orbis Ecclesias misit, enumerat episcopos a se gradu vel Christiana communione privatos, et inter eos meminit Joannis Antiocheni patriarchæ, Dorothei metropolitani episcopi, Halladii Tarsensis, Himerii Nicomediensis, et Eutherii Thyanensis. Horum vero, quia a synodo Ephesina depositorum, ob singularem eorum contumaciam, depositio in hac Maximiani synodo Constantinopolitana confirmata. Hoc decretum retulit synodus ad Cœlestinum, ut ab eo confirmaretur, et Maximianus ex ea synodo ad eumdem Cœlestinum synodicas misit.

Verum Cœlestinus, die decima quinta Martii anni quadringentesimi trigesimi secundi, respondens ad synodicas Maximiani, et ad relationem synodi Ephesinæ de ejus meritis ac virtutibus, decretum illud quoad omnes suas partes confirmandum non judicavit. Censuit enim omnes Nestorii asseclas, et Ephesi damnatos episcopos, a suis sedibus non extrudendos, nec eisdem omnem spem veniæ, et restitutionis præcidendam. Quare existimavit decretum istud nimis durum, ac contrarium antiquo canoni, olim S. Athanasii suasu a Romana Ecclesia edito, quo solis hæresiarchis, licet pœnitentibus tollebatur spes pristini gradus recuperandi. Hunc canonem quoad Nestorianos Cœlestinus observari voluit, et quidem cum alia extensione, illorum nempe respectu, *quos proprie* A *cum auctoribus hæresis constat omnium fratrum subscriptione damnatos.* Deinde affirmat pontifex non tantum a Romana Ecclesia hanc clementiam inductam; sed etiam per imperiales leges stabilitam, ideoque non posse non adhiberi redituros e Nestorii hæresi episcopos, debere ipsum cum suo dogmate anathematizare, atque ita Ecclesiis suis reddi; hanc professionem exigi, et præstari debere etiam ab episcopis, qui principi obrepserant, et qui per sæcularem auctoritatem Ecclesias suas receperant. Ubi loquitur Cœlestinus de Joanne Antiocheno, aliisque apud Ephesum damnatis episcopis, quos ad propria dimittens Theodosius, orthodoxos et innoxios judicaret. Hos enim Cœlestinus ad istam professionem compelli mandat. Denique eamdem clementiam erga Joannem Antiochenum adhibendam jubet, licet factionis caput, et omnium suffragiis damnatum, quia nempe non propter hæresim, sed propter tumultum ac contumaciam damnatus fuerat.

Semipelagianismi initia referuntur ad annum B quadringentesimum vigesimum octavum; cum eo anno S. Augustinus scripserit epistolam CCXVII, alias CVII ad Vitalem Carthaginensem datam. In ea Augustinus, sciens Vitalem virum eruditum docere initium fidei non esse donum Dei, fortiter reclamavit, aitque: « Illi (nempe Pelagiani) omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero arbitrio, ut habenda ex nobis: non a Domino putent esse poscenda: tu autem, si ea quæ de te audio, vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis domum esse Dei, sed ex nobis habere contendis, ut credere incipiamus: cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis. » Vitalem ex precibus Ecclesiæ confutat Augustinus, ac duodecim regulas proponit ad fidem Ecclesiæ pertinentes circa quæstionem de gratia Dei.

Cum Semipelagianorum factio quæ in Africa or- C tum habuit, in Galliis augeretur, Prosper Aquitanus presbyter, S. Leonis papæ postea notarius, et Hilarius vir laicus, qui Augustini doctrinam defendam susceperant, Romam ad Cœlestinum papam profecti, obtinuerunt anno circiter quadringentesimo trigesimo secundo epistolam ad Galliæ episcopos datam, in qua eosdem acrius increpuit, quod tantam licentiam presbyteris darent, *ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium pertinociter* prædicent *adversantia veritati.* Eadem epistola, S. Augustini nomini obstrepentes reprimit, hunceque debitis exornat laudibus. Exstat ea tom. II Concil., sed sine die et consule, cum tamen in ea sermo sit Augustini tanquam mortui, hæc epistola vel anno 431, vel insequenti scripta.

Huic epistolæ in plerisque codicibus subjiciuntur *præteritorum sedis apostolicæ episcoporum auctoritates de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio,* sed hæc jure merito distinguuntur ab epistola Cœlestini D in editione Labbæana. Nam decem istorum capitulorum stylus plane diversus est a stylo epistolæ. Sirmondus tom. I Concil. Gall. ea capitula Cœlestino adjudicat, sed certum illorum auctorem preferre non audet. Quesnellus tom. II Oper. S. Leonis M., dissert. III, divum Leonem M. verum horum parentem esse existimat. Verum cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis cap. 8 putat ea capitula esse Prosperi Aquitani; et Antelmius in dissert. de veris Operibus sanctorum Leonis martyris Prosperi Aquitani Quesnellii opinionem evertit, et ex vocibus et locutionibus, quibus Prosper uti solet, cum verbis hujus indiculi minutatim collatis ostendit, unum eumdemque Prosperum in præfatione ad objectiones Vincentii Lirinensis, indicare se ex sedis apostolicæ mandato capitula illa composuisse. De Semipelagianorum damnatione agetur sub Bonifacio II. De eorum erroribus legendus Natalis Alexander sæculo V.

Digitized by Google

Cœlestinus epistola secunda ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis plura statuit. Primo, reprehendit clericos qui in vestitu novum usum induxerant, incedentes amicti pallio et lumbos præcincti, quos jubet, illum quem a majoribus accepissent habitum retinere, quod præstaret moribus magis, quam indumentis sacerdotalem præseferre decorem. Secundo, prohibet ne pœnitentia morientibus denegetur, « Horremus, inquit, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se expediri desiderat, liberari, » etc. Tertio, vult per gradus ecclesiasticos promovendos esse episcopos, non ex laicis assumendos, neque criminosos. Quarto, decernit ut unaquæque provincia suo esset contenta metropolitano, Bonifacii constitutionem confirmans circa Narbonensem et Arelatensem Ecclesiam. Quinto, vetat nullum invitis episcopum dari, et absque cleri, plebisque consensu consecrari, vacantis Ecclesiæ clericos, extraneis, ut in sacris electionibus, anteponi; nullum bigamum, nullum viduæ maritum ordinari præcipit, factasque hujusmodi personarum ordinationes illegitimas pronuntiat. Tandem Massiliensis episcopi, qui unius e suis coepiscopis interfectori gratulatus fuisse dicebatur, causam Gallicanis episcopis provinciarum Viennensis et Narbonensis judicandam delegat.

Non solum Pelagianos Italia, sed etiam Novatianorum episcopum, Roma expulit. Socrates enim qui lib. VII, cap. 9, dixerat Innocentium Novatianos Romæ degentes persequi cœpisse, multasque eis ecclesias ademisse, postea cap. 11 ejusdem libri scribit: « Huic (nempe Bonifacio) successit Cœlestinus. Et hic quoque Novatianis ecclesias quas Romæ habebant, ademit; et Rusticulam eorum episcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit. »

SOMIER.

Linea 5. — *Hic fecit constitutionem de Ecclesia, maxime et de religione* (al. *regione*), etc. Diximus in præcedenti pontificatu de appellationibus Africanorum ad S. sedem interpositis præsertim Antonii Fussalensis episcopi in ea sede constituti curante Augustino, quæ ab Hipponensi sua fuerat idcirco sejuncta. Hunc de criminibus accusatum synodus provinciæ deposuerat ab episcopatu. Provocaverat is a synodi sententia ad Romanum pontificem Bonifacium, quo subinde vita functo scribit Augustinus ad Cœlestinum successorem: obtestatur, et rogat productis rationibus et exemplis recentibus, ne infirmet judicium episcopale justa causa subnixum; se ex transmissis actibus recognituram, episcopos minus severam fortasse quam oporteret in eumdem sententiam tulisse. His permotus Cœlestinus juxta Augustini insinuationes ac petitiones egisse videtur. Alterum appellationis exemplum Apiarius presbyter dederat sub Zosimo et Bonifacio. Verum sub Cœlestino novis de criminibus accusatus ita succubuit; ut etiam coram legato Faustino a S. sede transmisso ad ejus restitutionem exsecutioni mandandam, se reum confessus ansam dederit episcopis Africanis impetrandi quasdam moderatorias leges in causis appellationum, quæ non infringerent aut imminuerent sedis apostolicæ potestatem, sed disciplinæ recte per canones institutæ exactiorem observantiam inducerent. Quod constat ex synodicis litteris episcoporum, Salva in primis Sardicensis canonis auctoritate, quæ Romani episcopi potestatem ita declarat: « Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi quid velit, et æstimet. Et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in arbitrio. » (Sard. can. 7.)

A Ut ita ratum fuit, ut quocunque tandem consilio sese subducere tentarent Africani a transmarinis appellationibus, ea tamen disciplina viguerit juris antiqui a S. sede per Africam de more exercitii ecclesiasticis in judiciis: quandiu regiminis ecclesiastici forma ibi superstes fuit, quod aperte contestata est synodus in Africa celebrata anno 646 circa reformationem judicatorum ab ecclesiasticis in provinciis ita scribens Theodoro papæ: « Maxime vero justeque ab ipso præsulum examinari debet vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est quidquid quamvis in remotis agatur provinciis non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum: ut ejus auctoritate justa quæ fuisset pronuntiatio firmaretur. » (Synodica Africanorum ad Theodorum papam.)

B Curam apostolicam suam omnes in provincias extensam declarat Cœlestinus in Decretali ad episcopos Viennensis ac Narbonensis provinciæ data ad confirmandam veterem disciplinam. « In speculis, inquit, a Deo constituti, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes et quæ coercenda sunt resecemus, et quæ observanda sunt sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficit, sed se per omnia qua nomen Dei prædicatur extendit: nec notitiam nostram subterfugiunt quæ in eversionem regularum novellæ præsumptionis auctoritate tentantur. » In alia vero ad Perigenem et episcopos per Illyricum constitutos vicarii apostolici a se constituti auctoritatem enuntiat, scribens: « Ad eum, fratres charissimi, quidquid de causis agitur, referatur: sine ejus consilio nullus ordinetur: nullus usurpet illo inconscio commissam sibi provinciam. Colligere nisi cum ejus voluntate episcopos non præsumant: per eum etiam ad nos si quid est referatur. »

C Præ cæteris autem provinciis tractus occidentalis emicuit in Britannia et Hibernia præsens omnibus cura apostolica Cœlestini, narrante Prospero in Chronico. « Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo (Pelagianismi) Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ Dei solum suæ originis occupantes ab illo etiam secreto exclusit Oceani. » Methodum vero curationis attexit, scribens: « Agricola Pelagianus Severiani Pelagiani episcopi filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insimulatione corrupit: sed adactione Palladii diaconi (Romanæ Ecclesiæ, unde eum miserat) papa Cœlestinus Germanum Antissiodorensem episcopum vice sua mittit, ut deturbatis hæreticis, Britannos ad catholicam fidem dirigat. » Hic nempe Germanus idem est, quem scriptor æqualis eorumdem temporum affirmat (Constant. lib 1, cap 19 apud Surium, tomo IV) a Gallicanis episcopis missum una cum S. Lupo Trojæ episcopo eadem de causa, quam Cœlestinus præ oculis habuit, et Prosper exponit (adv. Collat. in fine) « ordinato Scotis episcopo D (Palladio) dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam. » Cœlestinus citra dubium insinuavit episcopis Galliarum Magnæ Britanniæ proximis, ut ex suo cœtu seligerent eos qui viderentur aptiores ad eam provinciam obeundam. His vero, qui ita designati et selecti essent, vicarii apostolici munus a se concredi, « papa Cœlestinus vice sua mittit. »

Ad Scotos igitur in Christum credentes ordinatur a papa Cœlestino Palladius, et primus episcopus mittitur. Prosper ad ann 452, in Chron. Appellatus est Palladius Scotorum apostolus: qui deinde in Hiberniam profectus jussu Romani pontificis, cum paulo post decessisset vita, successorem habuit Patricium illum sanctitate percelebrem, qui eadem insula ad fidem Christianam conversa, Hiberniæ apostolus meruit appellari.

Dum hæc in Occidente geruntur a Cœlestino, illius vigilantiam ac zelum exercuit imminens Orien-

Digitized by Google

talibus Ecclesiis ruina : quam providenter avertit, A vicibus pariter suis beato Cyrillo demandatis. Hæresis Nestorianæ funesta origo ruinam hanc minabatur : cujus Historiæ summam ex Pagio selectis notis paulo ante præmissam non est cur hic repetamus ex D. archiepiscopo Somier.

XLVI SANCTUS SIXTUS III.

ANNO CHRISTI 432, THEODOSII 25, VALENTINIANI 8.

63 *Sixtus* tertius, *natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annos* octo, *dies* 19 [a]. *Hic* post annum primum, et menses octo, *a quodam* [b] *Basso incriminatus accusatusque* est. Eodem tempore audiens hoc Valentinianus Augustus, jussit concilium sanctæ synodi congregari, et facto conventu *cum magna examinatione* judicio synodico [c] *purgatus a quinquaginta sex episcopis*, et condemnatus Bassus a synodo, ita tamen ut ad ultimum diem [d] viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Hoc audiens Valentinianus Augustus cum matre sua Placida Augusta furore sancto commoti, proscriptione Bassum condemnaverunt, et omnia prædia facultatum ejus Ecclesiæ catholicæ sociaverunt. Qui Bassus nutu divinitatis intra menses tres defunctus moritur. Cujus corpus Sixtus episcopus cum linteaminibus, et aromatibus manibus suis tractans, recondensque [e] sepelivit ad beatum Petrum apostolum in cubiculo parentum ejus.

64 Hic fecit [f] basilicam sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur juxta macellum Libyæ [g], ubi et obtulit hæc: altare argenteum purissimum pensans libras trecentas ; patenas argenteas tres, pensantes libras sexaginta; amas argenteas quatuor, pensantes libras sexaginta; scyphum aureum purissimum, pensantem libras quinquaginta ; scyphos argenteos quinque, pensantes libras quinquaginta ; calices ministeriales argenteos decem, pensantes singuli libras tres ; aquæmaniles argenteos [h], pensantes singuli libras octo ; coronam pharam ante altare argenteam, pensantem libras triginta; coronas argenteas pharales triginta quatuor, pensantes libras decem ; candelabra argentea quatuor, pensantia libras viginti ; thimiamaterium argenteum, pensans libras quinque ; canthara cerostata aurochalca [i] viginti quatuor, pensantia libras 15 ; possessionem scaurianam in territorio Gacitano [j], præstantem omnia inibi cum adjacentibus ad tignis solidos 312, et trimisium [k] ; possessionem Marmoratam in territorio Prænestino, præstantem solidos centum quinquaginta duos ; possessionem celeris in territorio Afilano [l], præstantem solidos centum, et undecim, et trimisium ; Domum Palmati intra Urbem, juxta inibi basilicam cum balneo, et pristino [m], præstantem solidos 154 ; cervum argenteum in fonte [n] fundentem aquam, pensantem libras triginta ; omnia vasa baptismi sacrata argentea libras 15; cœnacula regiæ gradorum adhærentia [o] basilicæ, vel quidquid videtur esse intrinsecus. Hic ornavit de argento confessionem beati Petri apostoli, quæ habet libras quadringintas.

65 Hujus supplicatione obtulit Valentinianus Augustus imaginem auream [p] cum duodecim portis, et apostolos duodecim, et Salvatorem in gemmis pretiosissimis ornatam super confessionem beati Petri apostoli. Fecit autem Valentinianus ex rogatu Sixti episcopi fastigium argenteum in basilica Constantiniana, quod a barbaris sublatum fuerat, quod pensabat libras quingentas et unde-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, minus d. 30, a coss Ætii, et Valerii, ad Valentinianum Vet Anatolium. [b] *Vide Bar. ad ann. Dom.* 433, *pag.* 640. [c] Judicii synodici purgatus. [d] In ultimo die. [e] C B, recondidit et. [f] refecit. [g] Liniæ. [h] Aquamanunulos. [i] aurochalcea. [j] Gajetano. [k] C. trimissem. [l] Asiliano. [m] C. pistrino. [n] Fontem baptisterii. [o] e regione graduum adherentia. [p] Imaginem auream Salvatoris.

Digitized by Google

cim [a]. Hujus temporibus fecit Valentinianus Augustus confessionem beati Pauli apostoli ex argento purissimo, quæ habet libras ducentas. Item fecit Sixtus episcopus confessionem beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam [b], et altare, et confessionem sancti martyris Laurentii de argento purissimo. Fecit altare pensans libras quinquaginta ; cancellos argenteos supra platonias porphyreticas, pensantes libras trecentas ; absidam super cancellos cum statua beati Laurentii martyris argentea, pensantes libras ducentas. Fecit autem basilicam beato Laurentio, quod et Valentinianus Augustus concessit, ubi et obtulit dona hæc : patenas argenteas tres, pensantes singulæ libras viginti ; amas argenteas tres, pensantes libras quindecim ; scyphos argenteos quatuor, pensantes libras octo ; scyphum aureum ornatum de margaritis, pensantem libras decem ; calices argenteos ministeriales duodecim, pensantes libras duas ; aquæmaniles argenteos, pensantes libras octo ; ministerium ad baptismum vel pœnitentiæ ex argento pensantes libras quinque ; conchain aurochalcam, pensantem libras viginti ; coronas argenteas pharales triginta, pensantes libras sex ; pharacanthara argentea tria, pensantia singula libras quindecim ; candelabra argentea duo, pensantia singula libras triginta ; cantharas cerostatas in gremio basilicæ æreas viginti quatuor ; pharas æreas [c] 21.

Hic fecit in basilica Constantiniana ornamentum super fontem, quod ante ibi non erat, id est epistylia marmorea, et columnas porphyreticas erexit, quas Constantinus Augustus congregatas dimisit, et jussit ut erigerentur, quas et versibus exornavit. Hic fecit platoniam in cœmeterio Calixti, via Appia, ubi nomina episcoporum et martyrum scripsit commemorans [d]. *Hic fecit ordinationes* in urbe Roma per mensem Decembris ; *presbyteros viginti octo, diaconos duodecim, episcopos per* diversa *loca quinquaginta duos.* Et hujus temporibus fecit Petrus episcopus basilicam in Urbe sanctæ Sabinæ, ubi et fontem construxit. Qui etiam *sepultus est via Tiburtina in crypta,* juxta corpus beati Laurentii, *et cessavit episcopatus* per *dies* 22 [e]. *A morte Silvestri usque ad hunc primum Leonem sunt anni nonaginta novem, menses quinque, dies viginti sex* [f]

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, 610. [b] * Suggestum. [c] * Phara ærea. [d] * *C*, cum memoriis. [e] *C B*, v Kal April. [f] *Hæc verba non sunt in tomo I Concil.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Numero 63, *linea* 2, B. Basso patricio. *lin* 5, B, purgatur 66 episcopis.

Num 64, lin 3, *AB*, singulas lib 20 *lin* 4, *A*, lib 15 B. lib 25. *lin* 5. *AB*. lib 12 dict. *lin* 5 *et* 6, lib 10, *B*, 50 ; *A*, aureos ministeriales duos. *lin* 7, *A*, libras singulas. *lin* 9, coronam et pharum argentea. *lin* 11, *AB*, pens sing lib 15. *lin* 13, *AB*, attiguis *A*, solid 300. *lin* 14 *AB*, sol 92. *lin* 15, *AB*, clericis. *lin* 17, *AB*, pistrino. *lin* eadem *A*, sol 153. *AB*, siliquas tres ; *B*, domos Clodii in Sisicino. Siciunium, præstantem solidos 104. *lin* 18 *et* 19, *AB*, libras 20.

Num 65, *lin* 2, *B*, gemmis pretiosissimis, quam voto gratiæ suæ. *lin* 5, *A*, libras 610 *B*, librarum 2000. *lin* 9, *B*, ornavit latomis transennam ; *A*, transeundam. *lin* 11, *A*, platonias ; *B*, latomas purpureas. *lin ead*, *A*, absidam argenteam. *lin* 15, *et* 16, *B*, scyphos, pensantes singulos argenteos. *lin* 16, *AB*, aream lucernam nixorum, pensantem libras 10. *lin* 20 *et* 21, *AB*, pensantes singulas. *linea* 21, *A* fara argentea 40 ; *B*, ærea 60. *linea* 24, fecit autem monasterium in catacumba, fecit et fontem baptisterii ad S. Mariam, et columnis purpureis exornavit. Hic constituit columnas in baptisterio basilicæ Constantinianæ, quæ a tempore, etc. *linea* 27, *B*, latomas. *linea* 16, *B*, fecit autem scyphos aureos 3, unum ad S. Petrum, qui pensat libras sex, ad beatum Paulum unum, qui pensat libras sex, ad beatum Laurentium unum, qui pensat libras tres. Calices ministeriales aureos 12, pensantes singuli libras sing. *linea* 28, *B*, ordinationes tres *lin* 29. *A*, diaconos 15.

Ex codicibus Regio, Mazarino et Thuano.

Num 63, *lin* 1, Sixtus nat Rom *lin* 2. Hic post annum unum et m. 8 incriminatus est a quodam Basso; hoc audiens Valentinianus A. i. *lin* 4 *et* 5 exam jud synodici purgatus est a 56 episc et c. est Bassus a synodo, ita tamen ut in ultimo die viat ei n. n. p. h. eccl ; quo audito Valent A. cum Placidia A. matre ejus. *lin* 9, prædia ejus eccl cat sociaverunt. Nutu autem divinitatis intra m. 3. defunctus est Bassus. *lin* 12, tractans et recondens sep ad S. Pet apost.

Num 64, *lin* 1, hic Xistus fecit basilicam S. M. Virginis, quæ ab antiquis cogn Liberii, juxta Macellum Libiæ, ubi et obtulit hæc dona : alt. *lin* 5, pens sing lib 60. *lin* 4, pens sing lib 4 (*M*, lib 60) ; scyphum arg pens lib 12, scyphos arg 5 pens sing lib 10, calices arg ministeriales 10 pens sing lib 10 (*M*, lib 3) aquamanules argenteas 10 pens singulæ lib 8 ; coronam argenteam farum ante altare pens lib 30 coronas argenteas farales 28 pens sing lib 10 ; cand arg 3 pens sing lib 20 th. a. p. lib 15 c. cero-

Digitized by Google

strata aur 24 pens sing lib 15; poss Scauranam (*M*, Scaurianam) in territorio Cajetano (M, Gaj) cum omnibus adjacentibus adtiguis, præst sol 307 et trimissum (*M*, trimisium). *lin* 13, trimisium. Possessionem celeris in territ Affiliano, præst. sol 111 et termissum. Domum Palmas intra Urbem, juxta basilicam, cum balneo et pistrino, pr. sol 154; possessionem Marmoratum in territ. Prænestino præst sol 111 et trimisium, domum Claudii in Ficinum (*M*, in Fitimum) præst sol 104 cervum argenteum fundentem aquam in fontem, pens lib 25. Omnia vasa baptisterii argentea sacrata, pens sing lib 15. Cenacula quoque e regione graduum adhærentia basilicæ, vel quidquid intrinsecus esse videtur. *lin* 21, *A*, pens lib 400.

Num 65, *linea* 1, imag aur Salv gemmis pretiosis ornatam, et 12 apostolos cum 12 portis argenteis super confessionem beati Petri apost. Fecit quoque val *A*, ex. r. *linea* 5, fuerat pensans lib 2610 (*M*, 2700), hujus tempor. *linea* 7, ex argento, pens lib 200. Item fecit x. *linea* 9, transcendam fecit quoque altare ad confessionem sancti Laurentii de argento purissimo, pens lib 50, cancellos argenteos. *linea* 12, ducentas. Fecit quoque basilicam aliam beati Laurentii, qui Valentinianus Aug ei concessit, ubi obtulit hæc dona: Paten arg 3 pens sing lib 10, scyphos argent 4 pens sing lib 8, scyphum argent. (*M*, aureum) singularem, pens lib 10, ornatum margaritis, *in ora R. cod* lucernam nixorum 10 auream, pens libras 10, *quæ non sunt in codice M.* calices minor arg 12, pens sing lib 2, aquamanules argenteas, 2 pens sing lib 8, ministeriales argenteos ad baptismum vel pœnitentium 2 pens sing libras 10. Fecit autem monasterium in catacumbis. Fecit et fontem baptisterii ad S. Mariam, et columnis porphyreticis exornavit. Hic constituit columnas in baptisterio basilicæ Constantinianæ, quæ a tempore Constantini Aug fuerant congregatæ ex metallo porphyretico numero 8, quas erexit cum epistiliis suis, et versibus exornavit. Concham aurichalcam 1 pens lib 20; coronas argenteas pharales. *linea* 22, quindecim, canthara cerostrata 3 in gremio basilicæ 24 fara ærea 60, candelabra arg 2 pens sing lib 30: fecit quoque in basilica Const. *linea* 24, quod ante non erat. Item in epistilia (*M*, ibidem epist), marmorea. Erexit quoque columnas porphyreticas, quas Constantinus. *linea* 26, quas et versibus ornavit. *linea* 28, episc et numerum sc. commemorans. Hujus temporibus fecit Petrus episcopus Illyrica detergente (*error codicis corrigendus ex Musico S. Sabinæ, ubi legitur*: Illyrica de gente) Athenis basilicam S. Sabinæ in monte Aventino in urbe Roma juxta monasterium S. Bonifacii, in quo et S. Alexius jacet. Fecit etiam in ecclesia S. Sabinæ fontem ad baptisterium. Hic Sixtus fecit ordinationes 3 in urbe Roma per m. Dec, presbyt 28, diac 12, episc per div loca 32, qui etiam sepultus est via Tiburtina in crypta. *lin* 33, episc dies 22. *Cætera non sunt in codd Regio et Max.*

A

Ex codice Thuano altero.

Num 63, *lin* 1, Sixt nat Rom *lin* 2, post annum unum et m. 8 incriminatur a q. Vasso eod t. *lin* 5, judicium synodicum purgatur a 56 episc et cond Vassus a S. ita tamen, ut ultimo die. *lin* 9 *et* 10, sociavit. Qui nutu d. *lin* 12, recondens sep.

Num 64, *lin* 5, pens lib 12. *lin* 6, min aureos 2 pens sing lib sing cal min arg. *lin* 7, aquam. *lin* 8, pharum. *lin* 9, pens sing lib 10. *lin.* 10 pens sing lib 20. *lin* 11 cereost. *ibid* pens sing lib 15. Possessio Scauriana territ Gazitano. *lin* 13, attiguis sol 312 et trim. Possessio territ Afiliano, pr. *lin* 16, domus Palmati. *lin* 17, 154 siliquas 5. Domus Claudii in Sicinum, præst sol 103. Cervum in fontem argenteum fund aq. pens lib 20 omnia v.

Num 65, *linea* 2, Salv gemmis p. ornatum f. c. B. apost. Fecit autem v. A. *linea* 4, in basilicam A. *linea* 5 1610. *linea* 7, ex argento q. h. *linea* 9, transsendam. *linea* 13, quod Val H.A. ubi et obtulit pat. *linea* 15, tres pens sing lib 15 scyph arg pens lib 8, scyphum singularem aureum. *linea* 17, decem Lucernam nixorum aureum, pens lib 10. *linea* 17, pens sing lib 2. Aquam. *Linea* 22, cantara cereost i. g. b. ærea 24. Phara ærea 60. *linea* 24, quod ante non erat. *linea* 25 epistolia marm. *linea* 27, platonia. *linea*, 32. Qui etiam f. *linea* 33, episc d. 22. *Cætera desiderantur.*

B

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num 63, *Linea* 1. *Flor duo*, Xixtus. *linea* 6. *Flor*, ultimo die. *linea* 8. *Flor*, Placidia.

Num 64, *lin* 2, *Holst.*, macellum Libyæ, *inscriptio antiqua ibidem.*

Num. 65, *lin* 31, *Vat*, Roma. *lin ult. Flor*, dies 12.

C

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 63. *lin* 1, Xystus tertius. *linea ead* Xysto. *lin* 5, judicio synodi, cum purgant a quinquaginta sex episcopis et condemnatus Bassus a synodo. *lin* 8, Placidia Augusta.

Num 64, *lin* 1. *In margine codicis Otthoboniani R.P.D. Penia hæc adnotavit:* Tomo II Epistolarum Summorum Pontificum nuper Romæ editarum, pag 714, exstat epistola Hadriani papæ I, qua diluuntur objectiones contra septimam synodum, et paulo ante finem in responsione incip: *Nos quidem infra scientes.*

Num 65 *lin* 1, *in margine alia lectio manu Peniæ.* imagines XII Apostolorum. *linea* 3 *et* 4, Valentinianus Augustus ex rogatu Xysti episcopi. *linea* 7, Xystus episcopus. *linea* 8, 9, et ornavit transendam. *linea* 19 *et* 20, concam aurocalincam. *linea* 21, faras cantharas argenteas III.

NOTÆ VARIORUM.

BINII ET LABBÆI.

Num 63 linea 1. — *Sedit annos octo.* Cum sedisset annis octo minus triginta diebus V Kalendas Aprilis, anni Christi 440, qui est Theodosii 33, et Valentiniani imperatoris 16, ex hac vita migravit (S. Prosper *in Chron* Baron ann 440).

Num 64, linea 1. — *Hic fecit basilicam S. Mariæ, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur.* Fortasse in ampliorem formam restituit, et amplioribus ornamentis exornavit in laudem et honorem Dei Genitricis Mariæ, cui, de Nestorii blasphemiis triumphanti, tantum triumphalem fornicem erigere voluerit.

Num 65, linea 5 — *Quod a barbaris sublatum fuerat.* Hinc plane intelligimus, quod dum Gothi Urbem occuparent, non ab omnium ecclesiarum ornamentis abstinuerint, sed ab iis duntaxat, quæ ad basilicas sanctorum apostolorum Petri et Pauli spectare sciebant.

Linea 26 et 27. — *Quas et versibus exornavit.* Horum versuum in octangulato opere, binos in singulis epistyliis exaravit. Cumque de originali peccato catholicam assertionem contra Pelagianam hæresim contineant placuit eosdem hoc loco recensere, ut qui utiliter toto orbe promulgantur, in perpetuas æternitates conserventur,

D

Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fecundatis Spiritus edit aquis.
Virgineo fetu genitrix Ecclesia natos,
Quos spirante Deo concipit, annæ parit.
Cœlorum regnum sperate hoc fonte renati:
Non recipit felix vita semel genitos
Fons hic est vitæ, et qui totum diluit orbem
Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere peccator, sacro purgande fluento:
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentum est distantia, quos facit unum
Unus fons, unus Spiritus, una fides.

Digitized by Google

Nec numerus quemquam scelerum, nec forma tuorum
Terreat : hoc natus flumine sanctus erit. »

Linea 32. — *Sepultus est.* Injurias quas supra notis epistolæ primæ Sixti primi, Sixtum primum Romanum pontificem et martyrem, post obitum auctore Hieronymo pertulisse diximus, easdem etiam, et quidem majores Sixtus III, de quo hic agimus sustinuit. Nam sicut ejus nomine ab Origenistis prodiit liber Sixti, vel sexti Pithagorici; ita hujus Sixti nomine a Pelagianis tria volumina scripta fuerunt. Primum de divitiis; secundum de malis doctoribus, operibus fidei, et judicio futuro; tertium vero de castitate. Hæc Pelagianismis referta esse ostendit Baronius ann. 440, n. 7 et seq. ex eo quod primo volumine Pelagianum hoc contineat, non posse salvari divitem, nisi omnia sua pauperibus eroget. Secundo volumine omnia opera bona libero arbitrio gratiæ divinæ nihil tribuat. Demum quod tertio volumine eos subsannet, qui ex gratia Dei bonum castitatis provenire contendant. His itaque coloribus libellum manifeste satis depictum, qui non sine gravi periculo fidelium, nomine Sixti, haud pridem excusus fuit, lector, agnosce, ne de aureo calice Babylonis venena, insigni nomine honestata, bibas.

Linea 33. — *Cessavit episcopatus per dies* 22; verius 42. Ita enim scribit S. Prosper in Chron. ann. 440. « Defuncto Sixto pontifice Kalendis Aprilis quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia adventum diaconi Leonis exspectans, quem tunc inter Aetium, et Albinum (duces Romani exercitus) amicitiæ redintegrandæ causa Galliæ detinebant. »

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Epocha Xysti tertii, præter illam indicationem, quam vidimus resultare ex temporis summa collecta in præcedenti numero, et ex assignatis partibus illius summæ a Bonifacio ad Hilarium, comprobatur etiam ex epistola ejusdem Xysti ad Cyrillum Alexandrinum, quæ refertur parte III concilii Ephesini edit Colon Binii pag 456. Ibi sanctus pontifex gratulatur Cyrillo de Joannis Antiocheni pace cum ipso et Ecclesia inita : cujus nuntium ad se perlatum significat, dum occasione natalis sui (nempe anniversaria die suæ consecrationis) synodus episcoporum haberetur ad S. Petrum : « O relatio, inquit, digna mittente, digna conventu ! Gaudii cœlestis judicium tales habere debuit cognitores, etc. Ad beatum apostolum Petrum fraternitas universa convenit. Ecce adjutorium auditorium congruens, auditoribus conveniens audiendis. Habuerunt episcopi nostri illum congratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque et venerabili synodo, quam Natalis mihi dies, favente Domino, congregarat, quia sic credendum est, ipse præsedit, quando quidem probatur nec corpore nec spiritu defuisse. Adfuit palmæ qui contentioni non defuit, » etc. Idem ferme repetit in subsequenti epistola ad Joannem Antiochenum. Datæ sunt autem utrisque litteræ XV *Kal Octobris Theodosio* XIV *et Maximo coss.* (hoc est anno Christi 433, die XVII Septembris, altero scilicet mense post ejus natalem diem juxta nostram de Xysti exordio sententiam : quæ diem illius ordinationis constituit Dominicam X Julii 432.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 63, linea 2. — *Hic post annum primum, et menses octo etc.* Calumnias in Xystum conflatas fuisse, et quidem impudentissime a Pelagianis ignorat nemo, qui legerit apud Augustinum epist. 104 et 105 ad eumdem datas Romanæ Ecclesiæ tum temporis presbyterio fungentem sub Zosimo : in quibus sanctus doctor gratulatur easdem calumnias a beato viro fuisse depulsas plurimo cum fœnore catholicæ veritatis; cum hostes divinæ gratiæ eumdem principem experirentur in pronuntiando contra se anathemate, qui de illo tanquam patrono magni nominis falso gloriabantur. Quin etiam doctissimis scriptis, et dilectione plane pastorali erga Dominicum gregem animatus, ita pugnavit adversus nascentes errores pro gratiæ defensione ; ut Augustinus interroget quid illis præstantius legi vel audiri possit ! Verum post annos octodecim de Xysto ad pontificatum promoto maledicta iterum sparsa fuisse per Bassum exconsulem, qualia de Athanasio mulier impudica confixerat, ut vir venerabilis judicaverit voluntariæ purgationis remedium esse in concilio adhibendum, id satis idoneo teste non comprobatur. Circumferebantur quidem acta quædam concilii Romani, unde Bibliothecarius fortasse excepit, aliique a Bibliothecario exscripserunt. Verum de actis hujusmodi quid sentiendum sit doctissimus Baronii breviator Spondanus decernit ad annum 433, num. 3, quem poterit prudens lector consulere.

Num. 64, linea 1. — *Hic fecit basilicam S. Mariæ, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur juxta macellum Lybiæ.* Supra, num 53, in Vita Liberii fundatoris basilicæ monueram, opportunius dilatum iri ad hunc locum illa proferre, quæ de fundatione, amplificatione, et variis appellationibus hujus basilicæ dicenda erant. De variis enim nominibus huic ædi sacræ attributis, nempe *Liberianæ* in fundatione, *Majoris* in amplificatione, et *ad Præsepe* in acquisitione sacrorum pignorum Dominicæ Nativitatis e Palæstina huc advectorum, colliguntur documenta rerum gestarum, quæ non modo comprobant hujus basilicæ statum, sed etiam illustrant historiam ejusdem generis reliquiarum, in præcipuas Urbis ecclesias ab Oriente perlatarum. Quæ sane tractatio non inutilis videri potest; cum de plerisque notio confusa, et a caligine temporis litteris destituti, atque a nobis admodum dissiti obscurior reddita desideret interpretem accurationem.

Ut igitur a nominibus basilicæ nostræ historiam arcessam, opportune monet Bibliothecarius, eamdem ab antiquioribus Sixto III dictam fuisse *Basilicam Liberii* de nomine fundatoris. Amplificato autem ejusdem spatio per Sixtum, qui novus ejusdem conditor haberi potest, adeo præcelluit supra cæteras sub invocatione Virginis Deiparæ Deo dicatas in Urbe; ut *Sanctæ Mariæ basilica* quasi ἀντονομαστικῶς diceretur, et *Majoris* cognomento a reliquis distingueretur. Quantum augmenti, atque ornamenti per Sixtum acceperit, satis declarant Musiva utriusque Testamenti historias complexa, quæ basilicam universam convestiunt in navi Ecclesiæ præcipua, ubi arcus, quem vocant triumphalem, exhibet nomen ad dedicationem pontificis XYSTUS EPISCOPUS PLEBI DEI. Vetus quoque inscriptio in Gruterianis præservata sol 1170, num 7, indicat, præter enuntiata musiva, sacras quoque imagines martyrum plurimorum fuisse ab eodem expressas cum adjectis insignibus passionis, a singulis pro Christo fortiter toleratæ.

VIRGO MARIA TIBI XYSTUS NOVA TECTA DICAVIT
D.GNA SALVTIFERO MUNERA VENTRE TUO.
TU GENITRIX IGNARA VIRI : TE DENIQUE POSTA
VISCERIBUS SALVIS EDITA NOSTRA SALVS.
ECCE TVI TESTES VTERI SIBI PRAEMIA PORTANT
SVB PEDIBVSQVE IACET PASSIO CVIQVE SVA.
FERRVM FLAMMA FERAE FLVVIVS SAEVVMQUE VENENVM
TOT TAMEN HAS MORTES VNA CORONA MANET.

Columnæ ferme singulæ navem medianam sustinentes præferunt nomen Rufini ad imum scapum antiquitus incisum : quod videtur ostendere, non a Liberio, sed a Xysto fuisse collocatas ex iis fortasse excerptas, quæ Rufino Arcadii tutori paratæ cum fuissent ad splendidum aliquod ædificium construendum, eodem hoste reipublicæ declarato, post ejus mortem cum plerisque Rufini bonis fisco adjudicatis ab imperatoribus Arcadio et Honorio ad hujus sacri

Digitized by Google

tempti amplificationem rogatu Xysti sunt attributæ. Verum quidquid sit de Rufini nomine in illis inciso, S. Adrianus papa primus, in epistola ad Carolum Magnum pro cultu sacrarum imaginum lecta in synodo Nicæna secunda, affirmare non dubitat basilicam a Xysto non tantum ornatam fuisse, sed factam, nempe ita amplificatam et cultam, ut haberi possit per illum refecta. « Beatus, inquit, Xystus fecit basilicam sanctissimæ Dei Genitricis, cognomento Majoris, quæ ad Præsepe dicitur, tam in metallis aureis; quamque in diversis historiis sacris decoravit imaginibus. » Præter secundum igitur cognomentum Majoris, ætate Adriani tertium jam acceperat, nempe *ad Præsepe*. Id vero nominis cum neque sub Liberio, neque sub Xysto audiatur, sed primum occurrat illi attributum sub Theodoro papa (infra num. 126) ansam quærendi præbuit, num illa tantummodo ætate aucta sit hæc basilica reliquiis Dominici præsepis et cunarum? Hanc inquisitionem prosequi eo lubentius institui, quod perviderem, inde lumen affulgere posse plerisque translationibus complurium sacrorum pignorum, quæ a Palæstina, et a cæteris Orientalis Ecclesiæ provinciis has in regiones, et præsertim in Urbem convecta, Occidens possidet. Quantum assequi mihi hactenus datum sit per diligentem inspectionem et comparationem monumentorum inserta disquisitio monstrabit : quam extra notarum seriem proprio titulo inscriptam, ac divisam per numeros marginales idcirco esse volui, ut ab, angustia brevium notarum soluta, liberius excurrat ad investigandam originem, et causam tum appellationis, tum acquisitionis adeo singularis, et memorandæ.

(*Dissertationem hic promissam, vide in fine Notarum omnium ad Vitam S. Xysti III, ubi etiam additur altera dissertatio ejusdem auctoris de musivis operibus a S. Xysto III constructis post sacrum œcumenicam synodum Ephesinam in basilica Liberiana.*)

CIACONII.

Num. 63, linea 2. — *Incriminatus accusatusque est.* Quod nempe virginem monialem, Chrysogonitem nomine diceretur violasse : quapropter ipse pontifex sponte voluit suam in synodo causam judicari.

Num. 64, linea 1. — *Hic fecit basilicam S. Mariæ, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur.* Meminit ejus ecclesiæ Adrianus papa ad Carolum Magnum imperatorem scribens, his verbis : *Successor Cœlestini Sixtus papa fecit basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cognomento Majorem, quæ ad Præsepe dicitur.*

Num. 65, linea 26 et 27. — *Quas et versibus exornavit.* In octangulato opere, binis in singulis epistyliis exaratis, ut renovati existunt a Gregorio XIII.

PAGII.

Num. 63, linea 1. — *Sedit annos octo*, etc. Gesta sub initium pontificatus ita colligit Pagius. Ubi Sixtus dictus est pontifex nihil prætermisit, ut Nestorium ad suæ hæreseos damnationem perduceret. Gennadius enim lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap. 54, inquit : « Similiter etiam Sixtus successor Cœlestini pro eadem re, et ad ipsum Nestorium, et ad Orientis episcopos adversus errorem ejus succidendum sententias direxit. » Unde ipsemet Sixtus in litteris ad Joannem Antiochenum anno quadringentesimo trigesimo tertio datis, a Baronio ibidem recitatis, scribit : « Credo ad dilectionem tuam rerum cursus et ordo pertulerit, qualiter ei (scilicet Nestorio) voluimus nostra admonitione succurrere, retinuimus eum in præceps euntem, qui erat blasphemiarum pondere in profunda mergendus. »

Cum, circa finem anni quadringentesimi trigesimi secundi, pax composita esset inter Cyrillum Alexandrinum et Joannem Antiochenum, hic ad Sextum papam scripsit, synodasque litteras dedit ex synodo Antiochena, in qua Joannes assensus est damnationi Nestorii, et Maximiani in episcopum Constantinopolitanum ordinationi. Præter illas litteras synodicas Sixto, Cyrillo et Maximiano inscriptas, Joannes et Cyrillus suis singuli litteris ad Sixtum retulerunt. Joannis Antiocheni ad Sixtum relatio periit, sed indicatur in rescripto ejusdem Sixti ad eumdem Joannem dato, in quo affirmat eam fuisse solemniter lectam in synodo, quam ejus natalis dies congregarat. Multum de hac pace gavisus est Sixtus, ut ex ejus ad Joannem et ad Cyrillum litteris constat.

Helladius Tarsensis et Eutherius Thyanensis metropolitæ, postquam viderunt non solum sese a pace exclusos, sed etiam dispositionem ab Ephesina synodo factam, et a Constantinopolitana Maximiani confirmatam, probari etiam et admitti a Joanne patriarcha, nihilque sibi nunc superesse præter exsilium, Theodosio imperatore pacem initam omnibus modis tuente, et adversariis manum præsidiariam præbente, appellarunt ad Sixtum Romanum pontificem, non solum adversus pacem, sed etiam adversus omnia Ephesini concilii acta. Quod nos docet epistola ejusdem Eutherii Thyanensis Alexandro Hierapolitano et Theodereto Cyrensi data, quæ legitur cap 116 synodici adversus tragœdiam Irenæi, ex qua et deducitur hanc appellationem interjectam, ante datam initæ pacis a Sixto confirmationem. Eutherius autem et Helladius Tarsensis Alexandrum et Theodoretum rogant ut hanc communem appellationis formulam, cui ideo adhæreant alii quamplures episcopi, Romam transmittant, quod et factum esse manifeste declarat alia Eutherii et Helladii epistola ad Sixtum papam scripta, quæ etiam legitur cap. 117 ejusdem synodici.

In hac ad Sixtum epistola Eutherius et Helladius varia in medium adducunt adversus Cyrillum, ac ejus capitula, quæ dicunt blasphemiam vocum novitatem continere, Cyrillum jussisse ea subscribi a Nestorio, alioquin deponendo; Nestorium hæreticis dolis consentire noluisse, et ob id solum ab Ephesina synodo damnatum, et quidem ante multorum qui exspectabantur, episcoporum adventum, atque ita sine synodo. Varia etiam in medium adducunt adversus Joannem Antiochenum, præsertim quod, quæ juste egerat, postea retractarit, ac lapsus sit in manifestam prævaricationem, Cyrillum sine pœnitentia, ac anathemate suorum capitulorum in communionem admittens. Contra Ephesinam synodum plura etiam afferunt, præsertim quod Cyrillum, qui reus erat, in præsidem admiserit, Nestorium sine debito examine, ac ante convocatorum episcoporum adventum damnarit; quod promissionibus, minis, et fraudibus, ut sententiæ in Nestorium subscriberent, adduxerit : quod episcopos, qui recusabant, etiam damnarit, et alios superordinaverit. Denique appellantes non detrectant damnare Nestorium, sed volunt judiciali ordine et juxta sacros canones id fieri.

« Rogamus, inquiunt, et sanctis tuæ religiositatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas salutarem, et auferas mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem jubeas fieri, et his illicitis cœlestem superduci correctionem. Ut revocentur quidem SS. pastores, qui injuste sunt a suis ovibus effugati, et reddatur gregibus ordo, et antiqua concordia. » Rogant se ac alios, aut ejectos, aut dejectos episcopos, in integrum restitui, per papam omnia retractari, ac etiam definiri. Tum pergunt : « Olim quidem concurrissemus nos ad sanctitatem tuam, qui e diversis regionibus sumus, id est ex Euphratesia, ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bythinia, Thessalia, et Mœsia, nisi detineret nos luporum terror, insidiantibus gregibus ad rapinam, et ad errorem, omnemque adversitatem. Unde coacti summa nostra

Digitized by Google

vice dirigere religiosissimos clericos et monachos, qui impleant locum nostrum. » Ex quibus patet diversarum provinciarum episcopos huic appellationi adhæsisse.

Quid post eam appellationem interpositam fecerit Sixtus, neque in laudato synodico, neque alibi legimus. Lupus quidem in notis ad caput 117 synodici autumat pontificem eam admisisse, et ante datas Cyrillo et Joanni Antiocheno litteras, quibus pacem confirmabat, mature omnia retractasse, etiam Constantinopolitanam Maximiani synodum, et appellantes non quidem in omnibus, sed in quibusdam exaudivisse, quod probare conatur ex utraque illa Sixti epistola. Verum nihil in eis legitur, quod contrarium non insinuet, ut ait criticæ Baronianæ auctor, ideoque existimandum pontificem sancita a synodo Ephesina effectum sortiri voluisse, nisi quod aliqua in synodo Maximiani facta circumscripsit, et quatuor metropolitanos in ea dignitate depositos in integrum restituit, dummodo articulis pacis subscriberent. Ex hoc porro egregio antiquitatis monumento apparet, quantum hallucinati fuerint, qui voluere orientales episcopos, nunquam olim ad Romanos pontifices, sed semper ad generalem totius Ecclesiæ synodum provocasse. Imo idem criticæ Baronii auctor anno 435 scribit Alexandrum Hierapolitanum episcopum cum tota sua provincia ad Sixtum appellasse, et Irenæum synodici auctorem, licet Nestorianum, ideoque ab apostolica sede aversum, Romanas appellationes probasse; et usum appellationum a pontifice male informato ad melius informandum, seu petendæ apostolici judicii retractationis, non a generali synodo, sed ab ipso eodem pontifice, aut ejus successore, antiquissimum esse.

Linea 4. — *Et facto conventu.* Circumferuntur acta synodi Romanæ de causa Sixti III, a Basso exconsule accusati, quod stupro se polluisset, in qua dicitur purgatus, clero, senatu et imperatore præsentibus; sed hæc acta falsa consulum nota consignantur, et anachronismis scatent, quæ suppositionem produnt. Nec ullum robur illis accedit ex epistola Sixti ad episcopos orientales; cum contexta sit ex sententiis concilii Toletani VIII, Felicis III, Gregorii Magni, Adriani I, codicis tam Theodosiani quam Justinianei, Ariani interpretis et Sixti Pithagoræi. Ejusdem farinæ sunt acta *de synodali accusatione et expurgatione Polychronii episcopi Hierosolymitani*, quæ sub pontificatu Sixti Romæ dicuntur habita. Toto enim sedis Sixti tempore, Juvenalis præfuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, et nihil illis actis insulsius. Refertur quidem accusatio et purgatio Sixti in Libro Pontificali, sed cum in eo aliæ fabulæ recitentur, utraque historia suspectæ fidei haberi debet.

Num. 65, linea 1. — *Imaginem auream cum duodecim portis* seu partitionibus, quomodo antiquitus imagines efformabantur. In illis erant aliorum sanctorum imagines. Vide Ciampinum, et alios antiquarios imaginum icones exhibentes.

Linea 6. — *Hujus temporibus fecit Valentinianus Augustus confessionem beati Pauli apostoli ex argento purissimo quæ habet libras ducentas.* Confessionis apostolorum, martyrum et sanctorum sunt sepulcra eorum. Anastas. infr. eod.: *Item fecit Sixtus episcopus confessionem sancti Laurentii martyris, cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam et altare, et confessionem sancti martyris Laurentii.* Idem in Hilario: *Confessionem sancti Joannis Baptistæ fecit ex argento.* Et infra: *Et confessionem sancti Joannis Evangelistæ fecit ex argento.* Et rursus: *In oratorio S. Crucis fecit confessionem, ubi lignum Dominicum posuit cum cruce aurea cum gemmis.* Idem in Anastas. II: *Hic fecit confessionem beati Laurentii martyris ex argento.* Idem in Honorio: *Et investivit confessionem beati Petri ex argento puro.*

Linea 8 et 9. — *Et ornavit transennam et altare.* Transenna est transitus. Idem in Stephano IV: *Et post modicos dies ipsum de eadem custodia ejicientes Waldipertum presbyterum, eumque projicientes in terra juxta transennam campi Lateranensis ejus effoderunt oculos.* Pergula, per quam transitur. Paulin. epist. 12: *Hæc basilica aperitur tribus arcubus paribus prælucente transenna.* Macrob. lib II, cap. 10: *Sedenti in transenna.* Vel trajectus funis. Servius in illum locum v Æneid:

Et volucrem trajecto in fune columbam.

Unde transenna dicitur extentus funis. Vel crates seu machina qua aves capiuntur. Plaut. in Rudente: *In ætate hominum plurimæ fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.* Idem in Bacchid.: *Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit.* Idem in Persa: *Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis.*

Linea 11 et 19. — *Ministerium ad baptismum, vel pœnitentiam, ex argento, pensan. lib. decem.* Ministeria vasa sacra. Idem Anastas., in Hilario: *Ministeria ad baptismum argentea libras decem.* Idem in Gregorio: *Ambonem etiam marmoream in eadem Ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis, atque ministeriis.* Capellam vocant recentiores. Eginart. in Carolo M. *Capellam, id est Ecclesiasticum ministerium.*

FRANCISCI BLANCHINI

DISSERTATIO PRIMA

De translatione sacrorum cunabulorum ac præsepis Domini Jesu Christi, necnon corporis beati Hieronymi ab ecclesia Bethlehemitica ad basilicam Liberianam, in sectiones sequentes divisa.

INDEX SECTIONUM.

I. Occasio inquirendi de Dominici natalis præsepi, ejusque infantilibus cunis, et pannis infantiæ huc translatis, ex nomine *S. Mariæ ad Præsepe*, quod accesserit basilicæ Liberianæ sub pontifice Theodoro. — II. Attributio novi nominis indicat acquisitionem rei per illud significatæ, cum adjunctis ad eamdem præcipuam rem pertinentibus. — III. Proponitur quæstio de translatione partis præsepis Dominici, et lipsanorum ad illud pertinentium, nempe cunabulorum Christi, et corporis S. Hieronymi in nostram basilicam. — IV. Obscuritas historiæ translationis ex historicorum infrequentia per illam ætatem augetur ex productione scriptorum incerti temporis, et auctorum per alios facta. — V. Rejicitur cum card. Baronio falsa memoria primæ translationis corporis S. Hieronymi a Petro de Vineis attributa S. Cyrillo Hierosolymorum episcopo, qui annis plusquam triginta obiit ante S. Hieronymum. — VI. Admittitur cum eodem cardinali tanquam vera translatio partis præsepis Dominici, et adjunctorum lipsanorum intra nostram basilicam circa medium sæculi septimi. — VII. Tum temporis appellatio *S. Mariæ ad Præsepe* huic basilicæ accessit, et subinde continenter adhæsit, quæ antea non reperitur eidem attributa. — VIII. Ad annum translationis propius acceditur, si statuatur inter 640 et 650. Historia irruptionis Saracenorum in Palæstinam, eorumque novæ dominationis in eadem regione juxta annorum seriem collecta, et collata cum gestis eorumdem temporum in Orientali et Occidentali imperio, translationis idem tempus videtur requirere. — IX. Sub pontificatu Theodori papæ ex anno 642 ad 649 occasio, et indicia translationis præsepis Dominici maxima suppetunt. — X. Quæ asseritur a scriptoribus insimul facta cum translatione corporis B. Hieronymi. — XI. Ut clarius innotescat præsepis Dominici translatio, primum statuitur quid intelligendum sit per nomen præsepis Dominici ex ætate S. Hieronymi ad nostram. Præsepe est pars intima speluncæ Nativitatis, ubi Dominus a Virgine matre recens natus reclinatus fuit. — XII. In aditu speluncæ sepultus fuerat S. Hieronymus, hoc est, in ingressu speluncæ Dominicæ Nativitatis. — XIII. Præsepe Dominicum etiam a subsecutis itinerum descriptoribus intelligitur intimus recessus speluncæ Nativitatis. — XIV. Reliquiæ Dominici præsepis dicuntur rudera et saxa, quæ illum interiorem speluncæ recessum constituebant. Hæc proinde rudera, seu portio intimi recessus antri Nativitatis, in basilicam

Digitized by Google

Liberianam translata sunt reliquiæ Dominici præsepis hic reconditæ ætate Theodori papæ. — XV. Easdem in antiquo altari veteris sacelli custoditas per annos 539 circiter, transtulit Sixtus V anno 1585 cum ipso altari, sub ejus mensa reconditas in capsa plumbea, ad novum sacellum Sixtinum a se magnificenter exstructum, ubi hodie asservantur.—XVI. Vere affirmant antiqua documenta nostræ Ecclesiæ, translatas fuisse cum Dominico præsepi reliquias S. Hieronymi, postquam orbata ferme fuerat Palæstina sanctorum reliquiis. — XVII. Translatio earumdem reliquiarum sub Theodoro papa, et Jerosolyma oriundo videtur peracta consilio S. Sophronii postremi Jerosolymitarum patriarchæ post invasionem Saracenorum. — XVIII. Cultus in Liberiana basilica datus Dominico præsepi ex ætate Theodori, quando sacrum illud pignus translatum fuit e Palæstina, per successores proximos Theodori in dies augetur. — XIX. De sacris Christi cunabulis e Palæstina in basilicam Liberianam translatis, ubi hodie asservantur. — XX. Duo genera sacrorum lipsanorum ad præcipua gesta religionis nostræ pertinentium, in Palæstina distingui possunt, 1° immobilium; 2° mobilium. — XXI. Supra immobilia ætate Constantini Magni fundatæ fuerunt Ecclesiæ, præcipue supra locum Nativitatis Dominicæ, et Dominicæ Resurrectionis. — XXII. Lipsana secundi generis, hoc est mobilia, in eisdem basilicis asservabantur.—XXIII. Quænam ex lipsanis mobilibus præcipua asservarentur in basilica resurrectionis? — XXIV. Quænam in basilica Nativitatis? ubi agitur de *cunabulis* Domini a *præsepi* distinctis. — XXV. *Cunabulorum* nomine intelliguntur tam lectuli infantium, quam fasciæ, panni, et retinacula ad eosdem infantes obvolvendos et in cunis firmiter detinendos, ne excidant. Græcis autem dicuntur σπάργανα tam *fasciæ*, quam *reliqua supellex indicata*, quæ ipsas comprehendit *cunas*. — XXVI. Præmissa hac notione vocum Latinarum et Græcarum, quibus significantur fasciæ, panni, retinacula, cunæ, et omnis apparatus, et supellex infantilium lectulorum, et puerperii, ostenditur, hujusmodi supellectilem in Christi Domini Natali, et in ejusdem infantia adhibitam, et Latine dictam *cunabula*, Græce σπάργανα, fuisse custoditam in ecclesia Hierosolymitana jet Bethlehemitica usque ad quartum Christi sæculum, una cum aliis sacris lipsanis, Christi Domini contacta, aut Deiparæ, et aliorum sanctorum, venerabilibus redditis. — XXVII. Donec Eudoxia Theodosii Junioris uxor in Palæstinam profecta, et Marcianus Augustus occasione concilii Chalcedonensis impetraverunt partem fasciarum, et cunabulorum infantiæ Christi donari sibi a patriarcha Hierosolymitano: quæ Constantinopolim perlata, fuit reposita celeberrimis in ecclesiis Deo dicatis sub titulis Deiparæ Virginis Odegorum, et ad Blachernas: ex quibus portio ad reges Francorum pervenit sæculo XIII. et ad ecclesias Hispanicas. — XXVIII. Ab Ecclesia Orientali eorumdem cunabulorum, seu fasciarum pars, et supellectilis infantiæ Christi ita illis Augustis concessa fuit, quemadmodum aliarum Palæstinæ reliquiarum portio aliqua concedebatur etiam quarto sæculo tum Augustis viris et feminis, tum sanctissimis episcopis illa lipsana expetentibus, præsertim occasione itineris Hierosolymitani ab iisdem suscepti.—XXIX. Hæc facilitas in distribuendis reliquiis, quæ in Jerosolymitana Ecclesia vigebat, præsertim post iteratas invasiones Persarum, effecit ut Palæstina orbata propemodum fuerit cæteris lipsanis amovibilibus, quando Saracenis in prædam cessit circa annum 610, ita ut præsepis Dominici portio, cunæ et cunabularum pars superstes, necnon corpus B. Hieronymi, postrema tunc fuerunt ex sacris pignoribus, quæ transferri possent in Occidentem. — XXX. Translata vero feliciter in nostram basilicam lipsana præsepis, cunarum, et corpus S. Hieronymi per easdem annos sub Theodoro papa imminutionem passa non sunt; cum disciplina Ecclesiæ Romanæ tunc vigens, et annis 45 ante pontificatum Theodori asserta a S. Gregorio papa, [illegible] facile admitteret partitionem sacrarum reliquiarum, [illegible]tem præcipuarum, ut admittebat ecclesia Hierosolymitana. — XXXI. Ex parte apud nos superstite cunabulorum Domini colligitur plusquam dimidium illius sacri feretri, seu lectuli infantiæ Christi compositi ex quinque asseribus religiose asservatis in theca argentea, quæ quotannis exponitur supra altare sanctissimi præsepis nocte Nativitatis Domini, die vero natalis supra aram maximam basilicæ fidelium veneration: quibus si addantur crassiores aliæ tabulæ ejusdem cunabuli reconditæ a Sixto V, sub mensa altaris principis in ampliori sacello præsepis constituto, integrum ferme sexcrum cunarum corpus componitur hac in basilica præservatum. — XXXII. Quare commendatur studium veteris disciplinæ nostra etiam ætate retinendum, quo cavetur imminutio, partitio, et erogatio segmentorum ejusmodi sacrorum pignorum, quippe quæ integra cum servantur, documentum præstantius afferunt ad excitandos vividius pios animi sensus erga mysterium in his celebratum.

---

1. Cum historia Libri Pontificalis referat in hoc num. 64 varia nomina basilicæ S. Mariæ Majoris per Liberium fundatæ et amplificatæ per Xystum ejus nominis tertium, ab hoc loco disjungenda non est consideratio alterius appellationis, licet serius attributæ post alterum a Xysto sæculum, nempe sub Theodoro papa, in cujus Vita primum nominatur Sanctæ Mariæ ad Præsepe (num. 126) quod nomen deinceps obtinet sub proximis Theodori successoribus, ut videre licet in Vita sancti Martini (num. 132) ubi pariter ita indicatur: *Basilica sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe.*

2. Nominis hujus accessio indicium est translationis præcipuorum pignorum e sacris lipsanis, Bethlehemitica ab ecclesia huc advectis, nempe præsepis, et cunabulorum infantiæ Christi Domini, et sacri corporis beati Hieronymi, ibidem olim conditi quinto sæculo æræ Christianæ, nunc autem quiescentis in hac Liberiana et Sixtina basilica prope eadem venerabilia pignora, apud nos hodie deposita, et religiose asservata: quibus ut propius frueretur sanctus Ecclesiæ doctor, et lacrymis piissimis irrigaret, caneret jugiter, indesinenter oraret (ut ipse memorat in epistola ad Marcellam, ad illa frequentanda eamdem invitans,) latas Urbis porticus, et aurata Romæ laquearia lubens reliquerat, in spelunca, et præsepe Salvatoris suas delicias, et in villula Christi, et in Mariæ diversorio sua palatia et Capitolia constituens.

3. Qua agitur ætate, atque occasione contigerit Bethlehemitica hæc tropæa nostræ religionis ad Urbem transferre, et in basilica Liberiana in posterum custodienda statuere, eique novum cognomentum conquirere *Sanctæ Mariæ ad Præsepe*, operæ pretium me facturum spero, si genuinis ex documentis colligere satagam, et piis cultoribus huc adorandi studio confluentibus aperiam, quantum patitur historiæ ratio, ad ea sæcula pertinentis, quæ non modo scriptorum infrequentia a conspectu posterorum longe submovit, sed barbarorum incursio, et imperii Romani subversio in Occidente, in Oriente vero deformatio ac detruncatio densa caligine undique involvit.

4. Obscura certe apud historicos nostri temporis esse cognoscitur ejusmodi translationum enarratio, ex delectu procul dubio scriptorum rei gestæ æqualium. Hinc in diversas abiere sententias illi quoque inter recentiores, qui de sacris basilicæ Liberianæ reliquiis conati sunt scribere, consultis tantummodo commentariis, vel ætatis incertæ, vel sibi proximæ. Ut enim prætermittam Octavium Pancirolium in *Reconditis Romæ thesauris* hæc jejune tractantem, aliosque vix ea delibantes in perlustrandis septem Urbis ecclesiis; abbas Paulus de Angelis, qui libris XII complexus est Liberianæ basilicæ descriptionem, æneis tabulis magnifice decoratam sub Paulo quinto, non minus ornamento, quam cultui ejusdem impense addicto pontifice, libri sexti caput quartum totum impendit in dilucidanda translatione corporis sancti Hieronymi. Is tamen videtur propositum sibi negotium haud multum feliciter absolvisse: dum inter se pugnantibus utitur testimoniis, et assertis codicum ætatis incertæ, auctorumque ignotorum, relatis inter libros passionarios, ut vocant, seu lectionarios mox referendos. Codex monasterii Sanctæ Cæciliæ ab eo productus pag. 18 et pag. 115, col 1, asserit Liberium papam in prima fundatione basilicæ in ea collocasse præsepe Domini, cunabula, fenum, et pannos Domini nostri Redemptoris sub altari ejusdem præsepis, cum multis aliis sanctorum reliquiis. In aliis vero libris, tum

Digitized by Google

Liberianæ basilicæ, tum Vaticanæ observat affirmari, corpus beati Hieronymi (quod scimus apud Dominicum præsepe sepultum fuisse circa annum 420 ejus emortualem, Theodosio IX et Constantio III coss., ex Prosperi tunc viventis Chronico, nempe dimidio sæculo post Liberii pontificatum) diutius remansisse in Bethlehemitica ecclesia universis reliquiis spoliata, quando, peccatis hominum justa Dei flagella provocantibus, Palæstina in prædam cessit Persarum et Saracenorum, paulo post initium, et circa medium sæculi septimi æræ Christianæ : donec supernæ visionis monitu inde subriperetur a monacho, et clanculum transferretur ad urbem Romam. Ut cætera narrationis utriusque vitia prætereamus, hic tantum considero illarum inter se pugnam et refragationem, documentis minime incertis. Qui enim potuit Liberius papa recondere in basilica a se Romæ constructa Dominicum præsepe, et cunas Christi Domini, cum Hieronymus dimidio circiter sæculo superstes Liberio depositus fuerit ad præsepe Dominicum in Palæstina : quo cum fuisset reversus post obitum Liberii, et ejusdem successoris Damasi, ibi aderat pietati Romanarum virginum, ac matronarum, quas illuc ab Urbe acciverat, solitariæ vitæ magister, et digito in præsepe Domini, et cunas ibidem intento indicabat istorum pignorum sanctimoniam modo iisdem piissimis feminis ad illarum religionem fovendam, modo scelestissimo diacono Sabiniano ad incutiendum horrorem criminum ibidem patratorum, ut ex ejusdem epistolis inferius producendis abunde constat ?

5. Par est lapsus historiæ et chronologiæ apud Petrum de Natalibus referentem ad Cyrillum Hierosolymitanum ex veteri manuscripto translationem primam corporis beati Hieronymi ; cum sanctus doctor, ut observat Baronius in Notis ad Martyrologium, ad diem 9 Maii, Cyrillo e vita abeunte ad annum 386, supervixerit annos 33, nempe ad nonum consulatum Theodosii junioris, qui fuit æræ Christianæ 420.

Cum igitur doctissimus cardinalis jure statuat rejiciendam esse, veluti falsam, præcocem illam translationem reliquiarum sancti Hieronymi sæculo quarto ad finem vergente in morte Cyrilli, utpote adhuc constante vita Hieronymi ; multo potiori jure evertitur maturior depositio præsepis et cunarum Domini in Romana basilica sub Liberio, apud quæ sacra pignora Bethlehemitica in ecclesia sanctus doctor sepultus est multo serius.

6. Exclusa hujusmodi translatione fictitia, et quarto sæculo falso attributa tam corporis beati Hieronymi nondum vita functi, quam sacrorum Christi cunabulorum, ac præsepis a Bethlehemitica ecclesia nondum amoti, convertimur ad stabiliendam auspicio ejusdem Baronii in Notis ad Martyrologium, veram translationem sacrorum illorum pignorum circa annum Christi 640, quando Saracenis Palæstinam invadentibus subtrahenda fuerunt barbarorum injuriis sanctiora quæque lipsana ibidem prius custodita.

Admittit laudatus Cardinalis, tanquam translationem primam sacri corporis beati Hieronymi ad Urbem ex Palæstina illam, quam Petrus de Natalibus in Catal. lib. IV, cap. 145, nominat secundam, et refert ad ætatem excursus Saracenorum in Palæstinam.

Huic sententiæ Baronii non modo assentimur, sed etiam dicimus, ad eamdem ætatem similiter pertinere translationem reliquiarum præsepis Dominici, sacrarumque cunarum Salvatoris nostri, cum aliis pluribus sanctorum reliquiis ad Urbem perlatis (quas inter sunt corpora beati Hieronymi, necnon apostoli Matthiæ ex Palæstina, et intra basilicam sanctæ Mariæ Majoris a Theodoro papa condita) quo scilicet tempore eadem basilica Liberiana novam denominationem accepit *sanctæ Mariæ ad Præsepe*.

7. Hanc certe appellationem non ante reperimus attributam basilicæ, uti numero primo observavi. Deinceps vero continenter adhibitam hanc nomenclaturam *Sanctæ Mariæ ad Præsepe* probavi ex textu Bibliothecarii. Consentiunt libri Sacramentales, Antiphonarii, et Missales ante pontificem Theodorum sub Gregorio Magno ordinati (qui annis quadraginta præcessit pontificatum Theodori) editi per venerab. card Thomasium : ubi quoties indicitur statio ad sanctam Mariam Majorem in basilica Liberiana, nunquam additur cognomentum sanctæ Mariæ ad Præsepe : quemadmodum et in Regesto epistolarum ejusdem beati Gregorii lib. II, sub initium, ubi ordinatur litania septiformis, titulus ita concipitur charta quæ relicta est : *De Litania majore in basilica Sanctæ Mariæ*. Sub Theodoro autem papa, et consequentibus proxime pontificibus, Martino et Eugenio id nominis reperitur expressum, et in Gregorio III, num. 196 et 202, in Leone III, sect. 383, 386, et in Paschale I, sect. 450, 451, alibique passim. Ordo Romanus per duodecimum Christi sæculum collectus e vetustioribus et insertus libro Censuum a Cencio S. R. E. camerario tunc diacono card. S. Luciæ in Orthea, qui postmodum electus pontifex Honorii tertii nomen assumpsit, hæc habet num. 2, editionis Mabillonianæ : *In vigiliis nativitatis Domini in mane dominus papa vadit ad basilicam sanctæ Mariæ Majoris pro cantanda missa, et in sero pro celebrandis vesperis : et remanet ibi nocte ipsa, et celebrat vigilias, et post vigilias celebrat ibi Missam ad* PRÆSEPE.

8. Pressius tamen agendum est, et annus, si fieri potest, proxime stabiliendus attributæ hujus appellationis *sanctæ Mariæ ad Præsepe* : ut collatis gestis ejusdem anni, ac proxime superiorum, cognosci possit num occasio novi nominis ita efformandi fluxerit ex delatione cunarum, ac reliquiarum præsepis, Dominica nativitate illustrati ex Bethlehemitica ecclesia ad Romanam basilicam Liberianam.

Appelationem illam attribui cœpisse sub Theodoro papa jam vidimus : qui sedem Romanam tenuit a mense Novembris anni 642 ad mensem Aprilis anni 649. Non est difficile ex Chronicis Orientalibus Græcorum, Arabum, et Syrorum, quin etiam ex nostrorum Occidentalium annalibus indagare, in Palæstina quid actum fuerit per hoc septennium, et annis proxime præcedentibus. Quin etiam a pluribus chronographis et historicis magni nominis inde collectam seriem gestorum in epitomen cum redegerint eorumdem breviatores, et diligenter expenderint critici Annalium, præsertim Pagius, exigui laboris impensam requirit notitia brevior, quam hic attexo, secutus Pagium (qui præ cæteris diligentius videtur expendere et corrigere differentiam biennii, aut triennii aliquibus in historiis in ejusmodi gestis admissam) ut inde cognoscatur occasio sacrorum illorum pignorum e Palæstina in Occidentem perferendorum.

Vix igitur anno æræ Christi 629 (Cedrenus refert ad annum Heraclii 19) crucem Dominicam a Persis recuperatam una cum Zacharia Hierosolymorum patriarcha, cæterisque fidelibus captivis in Persidem quatuordecim annos ante deductis, restituerat sanctæ civitati Heraclius imperator ea solemni pompa cujus memoriam Ecclesia quotannis recolit die 14 Septembris ; quadriennio inde evoluto, nempe anno Christi 633, Arabes instituta sectantes Mahumetis pseudo-prophetæ et impostoris (qui proxime superiori anno 632 occubuerat [Cedrenus refert ad ann. Heraclii 21]) contra Heraclium imperatorem bellum gerere instituerunt.

Annis 633 et 634, Arabes Saraceni sub Eubere, qui aliis dicitur Abubacharus, aliis Abubacrus, Mahumetis successore, et ejusdem genere, aut cognato, invadentes Gazensem regionem eamdem diripiunt, occiso Sergio duce ac præside Palæstinæ apud Cæsaream (Theophanes anno Heraclii 23).

Eodem Abubacharo Saracenorum duce primario, sive amira, defuncto die 23 Augusti 634 (juxta Pagium ex Elmacino), juxta Theophanem et Cedrenum

Digitized by Google

ad ann. Heracl. 24, eadem die regnare cœpit *Omarus* sive Umarus, tertius calipha Saracenorum. Is, creato duce Othomano contra Persas dimicaturo, Arabiam occupat, et Damasco potitur, tantoque metu percellit Heraclium, rei exitum circa Edessam exspectantem, ut Heraclius quasi rebus desperatis, Syria relicta, et venerandis lignis crucis vivificæ Hierosolyma asportatis, Constantinopolim recesserit (Theophanes et Cedrenus loco indicato).

Anno 635, Saraceni Phœniciam universam invadunt, et ad Ægyptum usque victores progressi, tractum Syriæ sub jugum mittunt, obsident Hierosolymam, et Ægyptios redigunt in servitutem.

Anno 636, obsidione Hierosolymæ nondum soluta impetitur S. patriarcha Sophronius ab adeundo Bethlehemitico antro Nativitatis et Præsepis Domini per festa Natalitia ad sacra ibi celebranda cum populo, uti prius consueverat.

Anno 637, Umarus, expugnata Hierosolyma, redditura patriarcha Sophronio ita placatus Christianis, ut liberum istis sit patrio cultu sacra peragere. Nec diu tamen superstes vivit B. Sophronius: cui morienti cum nullus in patriarchatu successor rite deligeretur, Sergius Joppensis ejus locum violenter invadit. Saraceni fugato Isdegerde potiuntur Medaina, et regiis thesauris ibi reconditis. Umarus eorum calipha duplici imperio enervato, scilicet Romanorum, quibus Ægyptum et Syriam abstulerat, et Persarum quibus Chaldæam, Mediam et Persidem ipsam ferme occupaverat, donatur a suis novo titulo *Amir-al-Mumim*, nempe imperatoris credentium.

Anno 638, Antiochia ab Umaro subacta, Mavias dux et amiras constituitur universæ ditionis Saracenorum ab Ægypto usque ad Euphratem (Theophanes).

Anno 639, Memphim Ægypti metropolim hoc anno obtinent Saraceni, juxta Elmacinum.

Anno 640, mortuo Severino papa, Ecclesiæ Romanæ pontifex constituitur Joannes IV, natione Dalmata, per biennium non integrum superfuturus. Theophanes fugam Isdegerdis in Persidem interiorem metu Saracenorum ad hunc annum differt æræ Christi 640, Heraclii Augusti 30.

Anno 641, mense Martio, indictione XIV, Heraclius imperator obit post annos imperii 30 et menses 10 (Theophanes, cui cæteri historici consentiunt). Constantinus Heraclii filius, patri superstes diebus tantummodo 103, veneno a noverca Martina propinato (ut putant Cedrenus ac Theophanes), successorem relinquit ejusdem Martinæ filium Heraclium. Verum illi mense sexto imperio abrogato sufficitur Constans Constantini filius Heraclii nepos.

Eodem anno, Alexandria Ægypti potiuntur Saraceni juxta Elmacinum.

Anno 642, Joanni quarto pont. Romano vita functo succedit Theodorus ex patre Theodoro episcopo de civitate Hierosolyma, ut narrat Bibliothecarius, sect. 121. Is autem Theodorus papa fundavit in patriarchio Lateranensi altare S. Silvestri, ad *Sancta sanctorum* subinde dictum et proximum sacello S. Laurentii: in quo tum ipse, tum successores pontifices intulere præcipuas reliquias, e Palæstina præsertim allatas. Videndus ea de re Pancirolus in sacris urbis Romæ thesauris Reg. 2, num. 12, ubi aliam diversam lectionem Anastasii de titulo illius altaris ex codicibus apud card. Rasponum vocati de [illegible] S. Sebastiani refellit. Verum sive altare dicebatur S. Silvestri, sive S. Sebastiani, pars fuit sacelli pontificum ad recondendas reliquias omnium pretiosissimas constructi. Præter hujusmodi Sacellum a Theodoro conditum, unde probatur illius cura in conquirendis sacris lipsanis, quæ nomen ad *Sancta sanctorum* sacello conciliarent, documenta præbent ejusdem religiosi studii maxime intenti ad honoranda sacris ædibus ac donis martyrum Christi, aliorumque sanctorum lipsana quæ inveniuntur, Ecclesiæ S. Valentini ad pontem Milvium, et B. Euplii ad portam Ostiensem, necnon dona SS. Primo et Feliciano oblata in titulo sancti Stephani in monte Cœlio apud Bibliothecarium memorata in ejus Vita, num. 128.

Augebant studium pontificis Theodori recentia exempla Joannis quarti decessoris, qui patriæ suæ sacrariis consultum voluit translatis Romam sacris corporibus SS. martyrum Venantii, Anastasii, Mauri, et sociorum e provincia Dalmatia, quando irruptionibus Arabum, Sclavorum, et Hungarorum vidit Illyricum universum sub Mauritio et Heraclio Augustis frequenter compilari, *ut regio universa incolis viduata in speciem solitudinis redacta esset*, quemadmodum ex Byzantinis historicis collegit D. Ducange de famil. Byzantinis, pag. 270. Suppetebant vero Theodoro papæ occasiones aptissimæ ad sacra pignora huc transportanda ex Palæstina per Stephanum Dorensem episcopum, ultro citroque inde navigantem in Italiam, ut Romano pontifici se sisteret, et paterno suo solo pericula, tum ab hæreticis, tum a barbaris impendentia manifestaret, opemque imploraret præsentibus malis a sedis apostolicæ providentia. Hunc enim præsulem inter comprovinciales sub Hierosolymitano patriarcha præcipuum beatus Sophronius morti proximus secum duxerat in sacrum Calvariæ montem, et præcepto suo adegerat, et jurejurando impulerat per sanctissima illa, quæ oculis spectabant, et manibus attrectabant nostræ redemptionis monimenta, ut quanto citius Romam adnavigaret, et afflictis Christianorum rebus, divinoque in primis cultui suppetias ab Ecclesiæ universæ patre, et pastore Christi in terris vicario supplici ter peteret. Demandato sibi munere non impigre perfunctus episcopus Dorensis Romam navigavit, et papæ Theodoro exponens quæ a Sophronio patriarcha morti proximo tam religiose in se receperat perficienda, parem in Romano pontifice vigilantiam, et ardorem animi reperit ad occurrendum periculis, ac necessitatibus illius provinciæ, præcipuis religionis nostræ mysteriis a Christo Domino decoratæ. Demandat igitur Theodorus apostolici vicarii potestatem in sedem Hierosolymorum morte Sophronii vacantem Stephano Dorensi, tum ut hæreticis Monothelitis fortiter obsistat, tum ut cætera sacra ibidem procuret. Quæ autem gesserit in ea provincia Stephanus vicarius apostolicus, tum sub Theodoro papa, tum sub ejus successore Martino I, videri possunt in litteris ejusdem Martini papæ ad Joannem episcopum Philadelphiæ; quas retulit Baronius ad annum 649, necnon in actis synodalibus concilii Romani sub eodem Martino papa in scrut. 2, ubi Stephanus Dorensis ea quæ hactenus recitavi luculenter enuntiat, et in libello supplici consignat: cum quo iterum ac tertio Romam regressus, apostolicis pedibus se sistit (Concil Rom. sub Martino 1, scrut 2). *Orator communis voti omnium Orientalium orthodoxorum ejusdem regionis sacerdotum, necnon prædicti sanctæ memoriæ Sophronii, die 6 Octobris feria tertia, indictione octava:* qui sunt characteres anni 649, postquam, Theodoro ad superos recepto ante Idus Maii, successerat Martinus mense Julio.

9. Hoc igitur septennio pontificatus Theodori numerato ex 642 ad 649, necessitas, si unquam alias, arctissima adigebat curam catholicorum antistitum provinciæ Palæstinæ, et illius Stephani Dorensis, a Sophronio patriarcha in monte Calvariæ sacramento, mandatoque obstricti, a Romano vero pontifice post obitum Sophronii ejusdem sedis jura exercere vicaria potestate jussi, ut non modo prospicerent fidei a Monothelitis oppugnatæ, sed sacra quælibet studiose vindicarent, ac tuta redderent, tum ab injuriis barbarorum, tum ab hæreticorum occupationibus. Sacra vero lipsana in ecclesiis Hierosolymitani episcopatus deposita, tum in sancta civitate, tum in proximis, erant e præcipuis thesauris ab hostium illorum impetu et potestate subtrahenda: præsertim, cum anno

Digitized by Google

643, novus princeps Umar aggrederetur instaurationem templi Hierosolymitani ut in cultus Mahumetici fanum converteret, et nescio, qua suasione Judæorum permotus, crucem amoveri imperasset a Christianis dedicatam in monte Olivarum (Theophanes et Cedrenus. Vide Baronium ad annum eumdem). Funestum utique indicium violentiæ inde timendæ sanctioribus quibusque pignoribus nostræ religionis e tali auspicio capere debuit Stephanus, eoque nomine quantocius posset, curare, ut profanorum conspectui ac potestati illa subducerentur, et in tuto collocarentur, quæ augustiora semper sunt habita ac venerabiliora decora Hierosolymitanæ ecclesiæ, ac Bethlehemiticæ, et proximarum. Cum enim Heraclius Augustus semel et iterum vindicasset crucem Dominicam a Persis et a Saracenis, eamque sanctæ civitati redditam anno 629 quinquennio post, ingruente graviori periculo sub Umaro, Constantinopolim, præservandi gratia, retulisset; licet exercitus, terra marique comparare adhuc posset ad provincias recuperandas; multo celerius debuit episcopus inermis curator tantorum pignorum, provida subtractione consulere eorumdem indemnitati, et in loco tutissimo collocare antequam Umari, ejusque consiliariorum infensus in crucem Christianam animus ad cremanda, aut violanda sacrilegis ausibus mysteriorum salutis nostræ monimenta, atque instrumenta converteretur.

Verum quis unquam locus tantis pignoribus recipiendis, et luto custodiendis in Asia, et Africa jam supererat? Antiochiam, Hierosolymam, Alexandriam, tres patriarchales sedes, Saracenorum victoriæ subegerant, et hæreticorum antistitum, atque intrusorum violentia occupabat. In urbe regia Orientalis imperii, ubi Monothelitæ patriarchali throno incubabant, et principes ejusdem sectæ frequentibus tragœdiis paucorum mensium in ordinem redacti, nihil firmitatis ostendere, aut sibimetipsis polliceri poterant in Augustæ dignitatis possessione ac tutela, quis asylus sanctorum reliquiis, Dominicis cunabulis, ac præsepe dignus videri poterat Stephano Dorensi?

Nullus profecto sanctior uti nec tutior locus sese offerebat circumspicienti tantorum pignorum custodi et patriarchalis sedis vicario, quam urbis Romæ sacraria. Occasio in tutum perducendi locum quotquot legerat inde lipsana sese offerebat amplissima, cum intra septennium prædictum ter navigare cogeretur e Palæstina in Italiam, ut Romano pontifici se sisteret: et quidem Romano pontifici Theodoro, qui Theodori episcopi *de civitate Hierosolyma* filius, ut memorat Bibliothecarius, apprime noverat quidquid sacrorum e Palæstina huc asportandum relictum esset. Ad illum, inquam, Theodorum papam hæc itinera ex Hierosolymitana Ecclesia frequentabat, qui proximi sui decessoris Joannis Quarti Dalmatæ recens exemplum recolebat, vindicantis ab excursibus et injuriis nationum barbararum corpora sanctorum martyrum ejusdem regionis sibi natalis. Pingebantur adhuc in Laterano patriarchio prope fontem Constantinianum musivo opere, quod adhuc spectamus, sacræ imagines Venantii, Anastasii, Mauri martyrum, Domnionis, et aliorum, quos ipse ex Dalmatia huc perferri curaverat, cum illam provinciam redderent obnoxiam frequentibus irruptionibus « sub Mauricio et Heraclio Avares seu Hungari, Slavi, et Croatæ, non semel compilatam, et ita viduatam incolis, ut in speciem solitudinis redegissent, » quemadmodum ex Byzantinis historicis collegit Du Cange in familiis Byzantinis, p. 270. Hæc, inquam, recentissima exempla sui proximi decessoris præ oculis habebat Theodorus in Lateranensi patriarchio, in quo ipse suam basilicam, et sacrarium palatii pontificii fundabat, S. Silvestro nuncupatum, ubi reconderet ipse, et superadderent successores sanctiora quæque lipsana, unde *Sancta sanctorum* locus postmodum appellaretur. Quidni ergo inter cæteras Stephano Dorensi episcopo demandatas curas hanc etiam adderet, ut Hierosolymitanæ ac Bethlehemiticæ Ecclesiæ lectissima, quæ superessent a barbaris subtrahenda Lipsana, in hujus novæ Jerusalem, Romanæ scilicet Ecclesiæ, maternum sinum, tanquam in asylum tutissimum comportarentur? Id certe de præsepis Dominici parte, ac de sacris Christi cunabulis factum sub Theodoro arguit nova, uti diximus, appellatio *Sanctæ Mariæ ad Præsepe*, quæ tum primum auditur adjecta veteribus nominibus nostræ hujus basilicæ Liberianæ: in qua proxime consecuti pontifices *ad hoc Præsepe* missas quotannis agere instituerunt Natali Dominico, illudque sanctuarium adornarunt donariis omnium pretiosissimis, ad indicandam sacri illius thesauri præstantiam; ita ut Paschalis ejus nominis primus altare *Præsepis et confessionem* (imitatione Salomonis ac templi Hierosolymis constructi) auro solido undique convestiverit, teste Bibliothecario num. 450. « Altare præsepis jam dictæ basilicæ seu venerabilem confessionem ultro citroque ex auro purissimo cum diversis historiis mirifice compsit, atque decoravit, pensantibus libras ducentas quinquaginta quatuor et uncias quatuor. »

10. Sed et corpus beati Hieronymi ad antrum Bethlehemitici præsepis in Palæstina quiescens eadem occasione huc asportatum vetusta documenta probant in basilicæ libris expressa, unde cognoscitur memorata translatio sancti doctoris ad Liberianam ecclesiam annuis sacris in Martyrologio celebris, adnotata pridem ex libris iisdem a Petro de Natalibus, et a card. Baronio recognita. Petrus de Natalibus observavit in hisce Romanis Chronicis reperiri translationem sacri corporis beati Hieronymi ex Palæstina ad urbem Romam contigisse « post multa, inquit, annorum curricula ab obitu Hieronymi gloriosi, Jerusalem destructa, et a Saracenis occupata, cum pene omnium sanctorum esset orbata reliquiis, solo beati Hieronymi corpore in partibus illis relicto. » Notitia istius asportationis per idem tempus quo omnium propemodum reliquiarum thesauri extracti fuerant ex sancta civitate a Saracenis occupata, confirmat æram translationis reliquiarum sancti doctoris ad Urbem esse componendam cum advectione præsepis Dominici. Id non modo affirmat Petrus de Natalibus, sed etiam Marianus Victorius in Vita Hieronymi, quam a se diligentissime collectam ex ejusdem scriptis, aliisque documentis perspectæ auctoritatis præmisit editioni Romanæ operum sancti doctoris adornatæ sub acri judicio cardinalis Sirleti, et Pio IV pontifici maximo nuncupatæ, vitamque ipsam peculiari dedicatione obtulit ejusdem Pii Nepoti sancto Carolo Borromæo, Liberianæ basilicæ archipresbytero. Egregius hic auctor, qui excusserat in Romanis archivis et bibliothecis vetustos codices ad Hieronymi scripta, et memoriam pertinentes, de sociata translatione præsepis Dominici et corporis S. Hieronymi ita perscribit. « Humatus post mortem in Bethleem fuit (Hieronymus) exsequiis illi ex Christiana religione, ut Antonium Paulo fecisse ipse refert, rite antea celebratis. Translatus inde postea Romam est *una cum Christi Salvatoris nostri præsepio* septimo Idus Maii, eo scilicet die, quo præceptoris sui Gregorii Nazianzeni festum agitur. Rejectus deinde dies in vigiliam Ascensionis a Pio II pontifice maximo ad festivius ac frequentius ageretur, plenaria sepulcrorum ejus illo die adeuntibus criminum indulgentia [illegible] nata. Jacet autem beatissimus vir, omni [illegible] major, et quem cuncta suspirent sæcula, super Exquilias, proprio sibi juxta præsepe Domini erecto altari, ubi sacra adhuc ejus servatur tunica, in ecclesia S. Mariæ Majoris, etc. »

Sociata ista translatio præsepis Dominici et corporis S. Hieronymi referenda esse intelligitur ad annos priores pontificatus Theodori papæ ex indicata ab antiquis codicibus, quos Petrus de Natalibus et Marianus Victorius viderant, occupatione Jerusalem

Digitized by Google

a Saracenis, quæ anno 637 contigit : et ex addita notione transportationis jam peractæ omnium ferme reliquiarum, cum solius Hieronymi corpus esset inde efferendum una cum præsepio. Quam validum sit indicium ejus temporis assignandi, satis declarat beati Sophronii sermo habitus die Natalis Dominici in conspectu Bethleemitici præsepis, a Saracenis tunc occupati, anno scilicet 636, cum Hierosolymam obsiderent, et positis in solo Bethleemitico castris, impediretur ipse ab accessu sacrati specus et præsepis, ubi nocte Natalitia sacrum solemne Deo offerre de more optabat. Conqueritur sanctus antistes « se suosque auditores veluti peccatorem Adamum inde exclusos, ut ille paradisi hortum quem oculis usurpabat (cum e regione illius habitaret) ad ipsum tamen regredi non valebat, impeditus ab aspectu flammæ versatilisque romphææ; ita ipse cum auditoribus redderetur extorris a vicina civitate Bethleem, quæ ante oculos versabatur, Agarenorum sica cædem intentante : et ad præsepe quod Deum excepit et ad cœleste specus, ad quod convolare gestiebat, et toto animi impetu rapiebatur, ut latens in ipso mysterium conspicaretur, et hymnum illum angelicum *Gloria in excelsis Deo*, in recens nati gloriam depromeret, ingredi vetabatur. »

Præservabatur igitur apud Bethleem anno 636, quo ita perorabat Sophronius patriarcha, non modo spelunca illa Christi Nativitate cœlestis reddita, sed etiam præsepe ipsum quod Deum excepit, quando reclinatus fuit in præsepio.

11. Distinguenda enim sunt duo illa, specus sive antrum, in quo stabulum pro illius regionis more indigenæ aperuerant, et præsepe, intimus scilicet ejusdem stabuli et antri recessus, in quo animalia pabulum sumere consueverant : ubi Verbum caro factum, a Virgine matre in primo exortu suo voluit reclinari.

Partem utramque illius sanctuarii descripsit per eosdem annos illuc profectus episcopus Galliarum Arculphus, ex cujus dictantis narratione Adamannus monachus et presbyter Scotohybernus excepit et posteris indicavit : unde Beda venerabilis sequenti sæculo intexuit commentarium de situ Jerusalem, totidem ferme verbis ex descriptione Arculphi et Adamanni expressum. Sunt autem hæc verba Adamanni nuper recusi a clarissimo scriptore Joan. Mabillon sec. III Benedictino, parte II, pag. 512 :

« In ejusdem vero civitatis (Bethleem) orientali et extremo angulo, quasi quædam naturalis dimidia inest spelunca, cujus interior ultima pars præsepe Domini nominatur, in quo natum puerum reclinavit mater : alius vero supradicto contiguus præsepio introeuntibus proprior locus proprie Nativitatis Dominicæ traditur fuisse. Illa ergo Bethlehemiticas spelunca præsepis Dominici tota intrinsecus ob ipsius Salvatoris honorificentiam, marmore adornata est pretioso : cui utique semiantro super lapideum cœnaculum sanctæ Mariæ Ecclesia supra ipsum locum ubi Dominus natus specialiter traditur, grandi structura fabricata, fundata est. » Basilicam hanc Dominici præsepis antro superstructam a beata Helena Magni Constantini matre, describunt præter Eusebium de Vita Constantini lib. III, cap. 41 et 43, quotquot peregrinati sanctorum locorum cultores, litteris mandarunt Palæstinæ chorographiam; e recentioribus vero ejusdem ornamenta luculenter exposuit [illegible]ampinus, de sacris antiquitatibus optime meritus præsul tomo II veterum Monimentorum.

[illegible]ptioni Arculphi et Adamanni respondet speluncæ ac præsepis Dominici ante annos ducentos et quinquaginta præmissa distinctio a Bethleemitici sacrarii custode Hieronymo epist. 17 et 18, ad Marcellam, quam illuc invitant Paula, et Eustochium, Christi et Mariæ diversorium ita celebrantes : « Quo sermone, qua voce speluncam tibi possumus Salvatoris exponere? et illud præsepe sermone honorandum est. » Et paulo infra : « Ecce in hoc parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est : hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a magis. »

Beda Venerabilis ab Adamanno proximus scriptor ejusdem ferme verbis et vestigiis insistit.

Proximus ab Arculpho episcopo, Adamanno monacho, et a Beda presbytero metator sacri illius itineris fuit Bernardus monachus e Francorum gente, qui anno Christi 870 impetrata a Nicolao papa primo facultate peregrinandi cum apostolica benedictione Alexandriam Ægypti primum delatus est, deinde in Palæstinam concessit una cum sociis. Itineris memoriam scripto cum consignaverit; eamdem publici juris fecit laudatus P. Mabillon. in tomo indicato hist. Benedictinæ post Adamannum, fol. 523.

Ut Bethleem pervenit, n. 16, hæc ibi a se spectata commemorat : « Bethleem ergo, inquit, habet ecclesiam valde magnam in honore sanctæ Mariæ, cujus in medio est crypta sub uno lapide, cujus introitus est a meridie, exitus vero ad orientem, in quo ostenditur præsepium Domini ad occidentem ipsius cryptæ. Locus vero in quo Dominus vagiit, est ad orientem. Habet ibi altare, ubi celebrantur missæ. Juxta hanc ecclesiam est ad meridiem ecclesia beatorum martyrum Innocentium. Milliario denique uno a Bethlehem est monasterium sanctorum Pastorum, quibus angelus Domini apparuit in Nativitate Domini. Ad postremum triginta milliaris ab Jerusalem est Jordanis ad orientem, supraque est monasterium sancti Joannis Baptistæ, in quibus locis multa consistunt monasteria, » etc.

12. Antequam ulterius progrediar in hujus Bernardi monachi, vel aliorum post ejusdem ætatem de sanctuariis Palæstinæ scribentium notionibus afferendis, duo placet adnotare, quæ plurimum conferunt ad assequendum tempus translationis corporis S. Hieronymi una cum parte Dominici præsepis in occidentem. Primum erit attendere, quod collatis inter se Adamanni, et Bernardi descriptionibus, cognoscitur, ætate prioris illius, nempe Adamanni, seu potius Arculphi episcopi, cujus fuit iter et recensio sacrorum locorum, circa annum 630, ostendi consuevisse sepulcrum sancti Hieronymi in peculiari ecclesia extra muros Bethleem in valle adhærenti dorso meridiano collis Bethleemitici. Scribit enim Adamannus : « De sepulcro quoque sancti Hieronymi simili sollicitudine nobis inquirentibus, Arculfus sic ait : Sepulchrum sancti Hieronymi, de quo inquiritis, ego conspexi, quod in alia habetur ecclesia, quæ extra eamdem civitatulam (Bethlehem) in valle est fabricata, quæ in meridiano latere sita supra memorati dorso monticelli est contermina Bethleemitici. Quod videlicet Hieronymi sepulcrum simili opere ut Davidicum monumentum compositum, nullum ornatum habet. »

Hoc postremum non otiose subditur ab Arculpho et Adamanno. Indicat enim ornamentorum destitutio, sacra Hieronymi ossa inde fuisse asportata paucos ante annos ad Theodorum papam, ex quo Umarus calipha amotis crucibus e monte Olivett suspicionem excitavit in animo Stephani Dorensis, vicarii apostolici munus ibi gerentis ex mandato ejusdem summi pontificis Theodori, ne corpus B. Hieronymi, quod unicum ferme supererat in Bethlehemitico solo post alia sacra lipsana inde subtracta, dispergeretur ab impiis Umari consiliariis, non secus ac de ossibus præcursoris Domini contigisse narrant sub Apostata Juliano. Quin etiam dubitare licet, num sepulcrum, Arculpho indicatum in ecclesia paulisper remota a spelunca et præsepe Salvatoris, fuerit secundum potius receptaculum corporis sancti doctoris, et quidem temporarium, ut cautius efferri posset, ubi a primo ejus conditorio (quod elegerat ad antrum ipsum in vestibulo sacri specus) removeretur, et obtenta deponendi in Ecclesia occultaretur felicius secunda translatio extra Palæstinam, qua Romam delatum fuit.

Digitized by Google

Ejus certe sepulcri Hieronymiani ita remoti a spelunca præsepis Domini vix meminerunt posteri ad Palæstinam profecti in recensione venerabilium locorum, quæ sibi indicabantur. Monasterium Hieronymi, imo et lectulum, et cellulam sibi ostensam narrat Bernardus monachus e Francorum gente, qui, approbante ac benedictionem impertiente Nicolao papa primo, illuc profectus est anno Christi 870. Sepulcrum vero sancti doctoris in ecclesia illa non retulit sibi indicatum; cum tamen referat sepulcra a se visa tam circa Hierosolymam, quam circa Bethlehem, imo et in Ægypto extra muros Alexandriæ ostensum sibi memoret sepulcrum S. Marci evangelistæ, licet inde sublati a Venetis mercatoribus, ut ipse disertis verbis adnotat, ante annos quinquaginta.

Sed neque Marinus Sanutus, qui eadem sacra loca a se conspecta descripsit anno 1321, dum summo pontifici librum offerret hoc titulo inscriptum, *Secreta fidelium Crucis*. Ibi enim tantummodo indicat non longe a præsepio Domini sepultum fuisse beatum Hieronymum : et certe in vetusto codice membranaceo archivi sacrosanctæ basilicæ Liberianæ, ubi Vita Hieronymi collecta legitur ex ejusdem scriptis, et aliorum Patrum, de priori ejus humatione hæc habentur : « Porro beatus Hieronymus dum adhuc viveret scalpendo saxum in ingressu speluncæ Dominici præsepis sepulcrum sibi fecerat non longe a sepulcro prædictarum sanctarum (Paulæ et Eustochii) ubi sæculi potestate devicta sepultus est pridie Kalend. Octobris. » Marini Sanuti librum infra recensebo.

Unum sepulcri Hieronymiani indicium, quod viderim post Arculphi ætatem, superest in Brocardo, sive Brucardo, scriptore sæculi XIII, sed is quoque locum sepulcri designat juxta præsepe Domini, ubi et monasterium, et lectulum sancti doctoris peregrinis ostendi narrat, una cum sepulcro ejusdem, nec non cum sepulcris Paulæ et Eustochii, non vero in ecclesia subjectæ vallis. Præstat hujus auctoris contextum dare ex nupera editione inserta Geographiæ sacræ a Nicolao Sanson Christianissimi regis geographo, pag. 184.

13. Bocardus igitur, seu Brachardus Argentoratensis ex sacro ordine Prædicatorum, qui aliquandiu vixit in Palæstina, ac diligenter exposuit sub finem sæculi XIII ea quæ viderat, ita describit speluncam Nativitatis, et præsepe Domini : « In extremitate vero orientali sub rupe quadam quæ erat juxta murum civitatis (Bethlehem) fuit, secundum morem illius terræ locus pro stabulo : habens præsepe in rupe excisum, ubi mundi Salvator de Virgine natus, et reclinatus fuit, cum locus alius commodior in diversorio non esset, quam præsepe, in quod mundi Creator et Redemptor reponeretur (*Luc.* XI, 7). Hic hodie sacellum est exstructum nobilissimum, stratum marmore, et marmoreis erectum columnis, ut vix hodie inveniri possit locus sacer illo pulchrior, ut etiam Sultanus tentavit hinc asportare columnas, et alia crusta marmorea, quibus parietes nitent; sed serpente subito apparente, et terrorem incutiente, desistere coactus est a concepto proposito. Videntur quoque juxta hanc ecclesiam indicia quædam monasterii, in quo lectus et sepulcrum divi Hieronymi peregrinis ostenditur, etc., et sepulcra Paulæ et Eustochii haud longe ab hac ecclesia. »

Denique Marinus Sanutus Torsellus in libro per ipsum oblato Christi anno 1321 summo pontifici sub hoc titulo : *Secreta fidelium crucis*, ubi terræ sanctæ loca a se conspecta describit parte XIV, lib. III, cap. 11, de Bethlehemitica spelunca Nativitatis hæc nobis scripta reliquit :

« Ex parte Orientali est *spelunca* in rupe juxta murum civitatis, et videtur secundum modum terræ illius, fuisse locus pro stabulo, habens præsepe excisum, ut ibi moris est facere præsepia. Hanc speluncam quibus laudibus efferam, ubi ortus est Christus de Virgine, etc., et nota quod ibi juxta rupem prædictam, in qua Christus natus est, est alia capacior a prima, quatuor tantum pedibus distans, sub qua erat præsepe, in quo dulcissimus ille puer mox natus, ac pannis involutus, juxta bovem et asinum reclinabatur ; et videtur una fuisse spelunca continua, quam solum dividit factum ostium, et ascensus, quo de capella ad chorum ascenditur. Fenum vero præsepis Romæ delatum est ab Helena regina et in ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris decenter reconditum. Non longe a presepio fuit sepultus Hieronymus. Ad locum autem dulcissimæ Nativitatis descenditur ab ecclesia in capellam per decem gradus. Est autem capella illa tota interius facta de opere Mosaico, et strata marmore, et sumptuose valde facta. Super locum illum, ubi beata Virgo peperit, potest missa celebrari super tabulam marmoream, quæ est ibi : *de lapide etiam nudo videtur aliqua portio ubi natus est Christus. Similiter pars quædam præsepis in quo jacuit, nuda relicta est.* » Quæ loca cum devotione et reverentia maxima visitantur. Vix in orbe terrarum pulchrior ecclesia, vel æque devota potest inveniri. Sunt enim in ea columnæ marmoreæ nobilissimæ per quatuor ordines dispositæ, sed etiam magnitudine stupendæ. Præterea navis ipsa ecclesiæ desuper columnas usque ad trabes facta est de opere mosaico pulcherrimo et nobilissimo : sunt que ibi depictæ cunctæ historiæ a mundi creatione usque ad Christi adventum ac judicium, etc. In hac quoque ecclesia S. M. de Bethlehem in pariete ex parte sinistra est locus ubi positus fuit umbilicus et circumcisio Domini, et ex parte dextera chori versus Austrum est locus ubi sepulti fuerunt sancti Innocentes, ubi et altare constructum est. Hujus venerabilis ecclesiæ pretiosas tabulas et columnas præcipit Soldanus quidam pro construendo sibi palatio in Babylone deferri, etc. « Hic recitat impeditum a transferendo fuisse ostento cœlitus ipsi oblato. » Tum subdit : « Saraceni quidem omnes ecclesias beatæ gloriosæ Virginis, sed hanc præcipue venerantur. » Et paucis interpositis sequitur : « In exitu hujus ecclesiæ contra Aquilonem est claustrum monachorum, ad quod per gradus aliquos ascenditur ; in crypta quadam ostenditur cella, in qua beatus Hieronymus pœnitentia se afflixit, et in translatione ac expositione sacræ Scripturæ plurimum laboravit. Lectulus quoque ejus ostenditur, et officinæ claustri cui præfuit. De Ecclesia predicta fere quantum est jactus lapidis, quasi contra Orientem, est Ecclesia S. Paulæ et Eustochii filiæ ejus, ubi pœnitentiam egerunt : ibi etiam ostenduntur eorum sepulcra. »

Testimonia hucusque allata scriptorum a septimo Christi sæculo ad quartum decimum sibi succedentium in Bethlehemitici sacrarii et proximorum descriptione, oculata idcirco duxi esse insimul exhibenda, ut aperte constet quid nomine præsepis Dominici et reliquiarum ejusdem ad Liberianam ecclesiam una cum B. Hieronymi corpore translatarum debeat intelligi. Quæ semel si definiantur, ac contesti assertione tot sæculorum si affirmentur; obscura esse non potest tum causa, tum tempus translationis.

Præsepe Dominicum igitur, asserentibus Arculpho et Adamanno, et Beda, imo et B. Hieronymo, est intimus ille antri nativitatis, seu Bethlehemitici recessus, sive speluncæ sacræ interior et angustior portio (quam Hieronymus idcirco dixit *cæcum terræ foramen*) pro stabulo jumentis attributa, in qua sanctissima Virgo Dei Filium ex se natum reclinavit. Distinctus est recessus hic seu præsepe a capaciori antri area, quam vocant speluncam Nativitatis, pedibus tantummodo quatuor ex mensura Sanuti. In illo angusto præsepis recessu, et quidem data opera exciso in rupe pro regionis illius more, ut observant laudati scriptores, altare ita erectum fuit, ut mensa altaris non impediat conspectum omnem *saxi ubi natus est Christus*. Quin etiam de industria præservata est portio aliqua non contecta

Digitized by Google

tum saxi in quo natus, tum præsepis in quo reclinatus est Salvator mundi.

14. Cum hæc sit notio præsepis Dominici constanter tradita per scriptores a sæculo Hieronymi ad nostrum, consequitur, ut reliquiæ Domi ici præsepis, si dicantur translatæ, intelligi debeat portio aliqua saxi illius, præsepium Dominicum in recessu antri antea constituens, inde excisa et asportata : cui propterea nomen præsepis Christi apprime convenit, utpote parti integrum illud prius efformanti cum cæteris ibi relictis. Nam et partibus ibi permanentibus et ab extracta separatis, et illi portioni quæ nuda relicta fuit, ut a devotis cultoribus videretur, præsepis nomen perinde tribuitur, ac tribuatur his portionibus ejusdem saxi inde avulsis et alio asportatis.

Quando igitur in Liberiana basilica auditum primo fuit sub Theodoro papa nomen Sanctæ Mariæ ad Præsepe, ex notione rei hoc nomine indicatæ, oportet intelligere de allata illius venerabilis saxi portione, ubi natus Salvator a Virgine matre reclinatus fuerat, augustum vocabulum sacrario accessisse.

15. Ubi vero collocata fuerint præsepis Dominici segmenta e Bethlehemitico excisa, obscurum non est, postea quam Dominicus Fontana Sixti papæ Quinti architectus, cui demandavit pontifex curam illius veteris sacrarii transferendi in partem basilicæ, magnifica structura Sixtinæ capellæ a se amplificatam, diserte retulit esse recondita in capsa plumbea sub mensa altaris, prout antiquitus erant constituta. In libris quos edidit de structuris eodem Sixto mandante a se peractis, ubi agit de sacello sanctissimi præsepis, hæc refert pag. 40 :

« Il luogo dove questa cappella si aveva da mettere, e cavato sotto terra per maggiore divozione, e sopra vi è stato fatto un altare di marmo fino con suoi scalini attorno, che cuopre tutta detta cappella, e sopra detto altare sua santità celebra la messa della notte, con quella del giorno di natale pontificalmente con tutti i cardinali, e la corte. Sotto quello a perpendicolo è posto l'altro altare nel mezzo della cappella antica, dentro il quale sono le santissime reliquie del presepio poste in una cassa di piombo, ed ogni sacerdote può celebrarvi sopra. *Hanc vero capsam et reliquias præsepes Dominici capsæ inclusas novit architectus, qui asserit altare a veteri situ remotum fuisse.* Esso altare fu rimosso da quello che stava prima, che già stava per fianco, adesso è volto in faccia di detta cappella. »

In removendo igitur altari a priori sede, ut in eam transferretur, quæ p.l.is septuaginta distat a loco antea occupato (ut idem architectus enuntiat fol indicato 40) recognita de more fuit capsa illa plumbea, sub mensa altaris reclusa, et continens reliquias Dominici præsepis, Bethlehemitico ex antro huc allatas una cum sacro corpore B Hieronymi, quando Saracenis in prædam cesserat Palæstina, et Umaro convertente vestigia templi Hierosolymitani in ædem Mahumetanæ superstitionis, et amovente sacras cruces e monte Olivarum, timendum jure fuit, ne iisdem suasoribus, quibus obtemperabat in nostræ religionis vexillo inde amovendo, impelleretur etiam ad subvertendas Bethlehemiticæ speluncæ memorias, obstruendosque aditus sacros; unde animati nostræ fidei hostes qui talia suadebant, renovare vellent exempla sub Juliano spectata et deplorata insultandi sanctorum tumulis, officiumque superstitum cremandorum, ut sacri cineres dispergerentur.

16. Cur autem inter postremas sanctorum reliquias, quod veteres libri testantur, e Palæstina sublatas, ut in locum tutiorem reciperentur, adnumerandum sit corpus beati Hieronymi, ratio cognoscitur, indicata ab iisdem scriptoribus, qui peregrinationum piarum causa illuc profecti mandarunt litteris, Saracenorum animis inseditisse reverentiam peculiarem erga ecclesiam hanc Bethlehemiticam Deiparæ Virginis titulo Deo dicatam, quæ sacro præsepi A imminet, non secus ac Sixti V sacellum in Liberiana basilica imminet veteri præsepis sacello in ejusdem centrum translato. Martini Sanuti verba jam retuli, diserte scribentis. « Saraceni quidem omnes ecclesias beatæ gloriosæ Virginis, sed hanc præcipuo (S. Mariæ de Bethlehem) venerantur. » Id vero tum ipse, tum alii sacrorum Palæstinæ locorum descriptores memorant, non modo de Saracenis ætatis suæ, sed etiam de superioribus ; cum narrent abstinuisse Soldanum a removendis columnis et marmoribus illius ecclesiæ in loco Nativitatis Domini ab Helena Constantini Augusti matre magnificenter constructæ, quando in Babyloniam transferre illa ornamenta meditabatur.

Perspecta igitur dispositio et moderatio in animis Saracenorum residens parcendi ecclesiis Deiparæ nuncupatis, præsertim vero huic Bethlehemiticæ, tantam fiduciam ingessit nostrorum Christianorum mentibus, ut quæ ad eamdem ecclesiam sacra lipsana servabantur (inter hæc vero beati Hieronymi B corpus præcipue recensebatur) satis tuta ab injuriis putarent, donec principis Umari edicta a diruendis crucibus temperarent. Quin etiam memorant vetusti codices archivorum a Paulo de Angelis producti lib. IV, cap. 4 descriptionis basilicæ Liberianæ, conteste Petro de Natalibus, quibus Baronius suffragatur in notis ad Martyrologium, ausos non fuisse fideles ejusdem sancti doctoris reliquias inde amovere, priusquam triplici visione monitus et increpatus de contumacia monachus ex illo sepulcro educere, et Romam transferre divinitus juberetur. Sive igitur accessione visionis a monacho spectatæ voluerit Dominus significare translationem corporis sancti doctoris fieri oportere per ea tempora, quibus suaserat Heraclio Augusto metus barbarorum prepotentium sub lucere ab eorum manibus sacrata pignora, etiamsi Bethlehemitici sacelli tutela mitiores redderet Saracenos erga ornamenta in eodem asylo posita sive providentia pontificis Theodori Palæstinorum conterranei caverit indemnitati tantarum C reliquiarum, occasione sibi oblata curandi per Stephanum Dorensem episcopum vicarium a se constitutum ea, quæ beatus Sophronius patriarcha eidem commandaverat ad sedem Romanam perferenda, antequam vita concederet; universa comprobant, diutius non permansisse in Palæstinæ sacrario Bethlehemitico sacri doctoris ossa, postquam omnes ferme reliquiæ sanctorum in eadem provincia quiescentium hac ipsa ætate fuerant asportatæ Constantinopolim, aut in urbem Romam. Comprobant etiam studium ejusdem papæ Theodori et successorum in reparando cultu ac veneratione, Christi Domini causa ipsius præsepis debito per translationem partis ab eodem præsepi excisæ, et in basilicam Liberianam asportatæ una cum corpore S. Hieronymi; ut adimpleretur hic per Romanos pontifices sacrificium Deo oblaturos nocte ac die Dominicæ Nativitatis supra idem præsepe Romam perlatum, quidquid beatus D Sophronius perficere optaverat de more in illo sacrario, dum a barbaris inde arceretur : ut vidimus ex ejusdem homilia supra laudata : præsertim cum præsentirent, dominatum Saracenorum ad universa Orientis imperia ita jam fuisse protensum, ut captivitas Palæstinæ nosceretur futura maxime diuturna.

17. Hoc itaque studio motus Theodorus papa Sophronii pietati addictus non minus quam Patris sui episcopi, et patriæ Hierosolymæ, religioso studio innutritus erga Dominicum præsepe, et reliquias ibi depositas beati Hieronymi, et nondum subtractas a Saracenorum captivitate, licet regio Palæstinæ nudata ferme foret cæteris sacris lipsanis extra Bethlehemiticum asylum antea servatis ; cogitavit sacellum in Liberiana basilica designare, in quo cultus adhiberetur tantis pignoribus salutis nostræ plane similis Bethlehemitico, et in Romano sacrario repararetur quiquid subtrahebatur devotioni fidelium in Palæstina, per Saracenorum invasiones impeditæ a libero

Digitized by Google

accessu ad speluncam tot mysteriis consecratam.

18. Auspice igitur pietate, ac studio Theodori papæ audiri cœpit Romæ in Liberiana ecclesia nomen *Sanctæ Mariæ ad Præsepe*. Reliquiæ saxi ubi Christus reclinatus a matre Virgine recolebatur, huc asportatæ cum fido antri cultore Hieronymo : illæ collocatæ sub mensa altaris, ut sacrificium divinum ibidem peragerétur, quemadmodum in Bethlehemitico sacello consueverat. Locus perinde cultus musivo opere, ut in Palæstina. Dona, ornamenta, nomen, Christi natale solum referrent Romana civitate donatum seu potius urbem Romam feliciter conversam, ut Hieronymi verbis utar, in diversorium Christi et Mariæ.

Feliciter deducta sub Theodoro colonia (si fas est dicere) Natalis Christi in præsepis parte huc translata, mira incrementa accepit a successoribus. S. Martinus papa ab illo proximus hoc in præsepe auspicatus est martyrium, quo erat alibi consummandus. Legitur enim ab Olympio exarcho neci destinatus ob fidem catholicam fortiter assertam structis insidiis, dum perageret missarum solemnia in hac æde S. Mariæ ad præsepe : ut suum quodammodo Stphanum Romæ quoque inveniret hæc nova Palæstina. Verum de Martini confessione hic non deduco imitationem sacelli Bethlehemitici ejusque cultus. Arguo ex missarum solemnis hic illico institutis et frequentatis statim ac Dominici præsepis nomen ac reliquiæ accesserunt. Quod et in successore Martini Eugenio papa spectatum fuit, cum cleri et populi zelus religionis emicuit, ea conditione, ac tessera fidei catholicæ requisita in accessu ad operandum divinis in hac Deiparæ basilica ad præsepe, ut inde omnino arceretur quisquis eamdem fidei tesseram non redderet integerrimam. Cultui precipuo missarum solemnium, ibi constituto in prima translatione sacrorum pignorum sub Theodoro, Martino, et Eugenio ad normam Bethlehemitici sacrarii, respondet accessio aliarum decorationum, his reliquiis adhibitarum per pontifices subsecutos in quibus semper elucet peculiaris quidam conatus contestandi auctoritatem genuinam Bethlehemitici præsepis in parte sui non modica hic præservati. Ut enim Chrysostomi ætate illud auro argentoque clusum ita asservabatur, ut mystica regum munera aspectu solo manifestaret ; ita hoc certatim exscultum pretiosissimis quibusque metallis per summos pontifices, regumque maximos par studium sacerdotii et imperii manifestari in suis fascibus nato Domino humilis præsepis hospiti submittendis ætas quæcunque vidit, donec ad cumulum auctoramenti et declarationis omnimodæ Sixti V magnificentia et religio nihil propemodum prætermisit. Jam illa levior videri potest æquiparatio, quod in augusta basilica utrobique offerantur regii auri primitiæ, ibi Orientis a magis, hic Occidentis ab Indiis *regique, hominique, Deoque* · quod utrobique columnis, musivis, et marmorum crustis lectissimis sacellum præsepis Dominici convestiatur ibi a Constantino, hic a Sixto; et Virginis matris memoria ibi ab Helena, hic a Paulo; quod altaria ibi fulgeant aureis argenteisque donariis Eudoxiæ, et Placidiæ, hic apostolicæ sedis antistitum Leonis tertii (377, 379, 401, 409), et Paschalis I (450, 451), quorum pietatem ac magnificentiam sunt imitati e regibus Hispanis Philippus IV et Catharina regina, e cardinalibus S.R.E. Jacobus Columna et Petrus Ottobonus vicecancellarius archipresbyter, hoc ipso, quo scribimus anno jubilæi 1725 argento solido sacras historias affabre exprimente, undique vesfiens aram principem, in qua fidelium venerationi sacra cunabula proponuntur Christi Domini infantiæ pretiosum ejus contactu redditum monumentum.

Ut hæc postrema præteream, et illa tantum consecter, quæ proximi a Theodoro pontifices contulere ad cultum sacrorum pignorum labente sæculo VII quo nomen memoratum accessit cum reliquiis præsepis Dominici nostræ basilicæ, satis erat indicare solidos supra mille ab Agathone contributos ad luminaria adornanda (146), cum scilicet frequentia affluentis populi ad vigilias Natalis Dominici maxima esset post reliquias Bethlehemitici illius hic depositas; necnon litanias a Sergio institutas ad S. Mariæ ad Præsepe per quatuor solemnes ejusdem Deiparæ dies, Annuntiationis, Nativitatis, Dormitionis, et Hypapantes ; sect 164, et monasteria una cum Gerontocomio addita a Gregorio II sect. 178, ut perdiu noctuque divinis laudibus personaret basilica, hæres quodammodo reddita Hierosolymitanæ, ac Bethleemiticæ pietatis thesauri.

19. Instituti sermonis ratio deposcit, ut conjungantur cum *præsepi Dominico* memoriæ *sacrorum cunabulorum*, inde pariter translatorum ad nostram basilicam. Ut in angustum contraham ea quæ prolixius essent exponenda, duo mihi præstanda erunt. Primum indicare oportet quomodo in Palæstina præservarentur antequam ad nos pervenirent. Alterum consequetur inquirendum de translatione eorumdem.

20. Ne autem cogar sigillatim persequi historiam præcipuarum reliquiarum, quæ in Palæstina asservabantur ante Persarum et Saracenorum irruptiones, monuisse generatim sufficiat, in sacris lipsanis ad nostræ redemptionis mysteria, et Christi Domini ejusque sanctorum gesta præcipua pertinentibus, duo genera posse distingui ; unum immobilium corporum, seu difficile amovendorum ; alterum vero illorum, quæ loco facile moveri possent et alio asportari. Primi generis dicam montes Thaboris, Sion, Oliveti, Calvariæ; antra, Nativitatis, et Resurrectionis Dominicæ mysteriis consecrata. Quæ vero difficulter moveri possunt ac transportari, ut domus, sepulcra, et moles hujusmodi, Christi, Deiparæ, apostolorum prophetarum, martyrum, et confessorum, aliorumve sanctorum gestis, aut depositione venerabilia, eidem generi ferme accenseri possunt. Alterum genus lipsanorum facilis transvectionis sunt instrumenta ipsa gestorum, quæ ab hominibus manu geruntur, puta cunarum, et pannorum infantiæ Christi Domini, vestium, crucis, coronæ spineæ, lanceæ, et hujusmodi, necnon Deiparæ indumentorum, Petri catenarum, cathedræ episcopalis Jacobi apostoli apud Hierosolymitas aut Marci evangelistæ apud Alexandrinos asservatæ, ac similium. Huic autem generi includuntur etiam ossa sanctorum, in eorumdem sepulcris deposita, aut custodita in altaribus; quorum asportandorum nulla est difficultas, ubi aperta sint conditoria in quibus asservantur.

21, 22. Observo igitur, apud Hierosolymam, ejusque patriarchatus ecclesias in more positum fuisse, ex quo publicus religionis nostræ cultus in pace Ecclesiæ sub Constantino ibidem exerceri cœpit, ut in ipsis mysteriorum nostrorum editione consecratis locis, ubi primi generis lipsana immobilia sita sunt, ædes sacræ magnifice excitarentur, quæ eadem venerabilia et immobila lipsana, et memorias gestorum Domini et sanctorum ejus intra ambitum suorum parietum clauderent, ut maximo divini sacrificii cultu ibi Deus honoraretur, ubi sedem elegisse videbatur misericordiæ suæ erga homines exercendæ. Quæ autem reliquiæ secundi generis, nempe asportabiles haberentur, ad eadem gesta pertinentes, quæ recoli intra designatas ibidem ecclesias speciatim debebant, illæ, inquam, asportabiles reliquiæ appendebantur, et asservabantur in thecis et loculamentis earumdem ædium sacrarum. Legimus apud Eusebium, beatam Helenam Constantini matrem a filio Augusto rogatam ut ad Hierosolymam se conferret quæsitum Dominicam crucem, aliaque salutis nostræ instrumenta, quæ fidei nostræ hostes ingesta terra occultaverant, utriusque generis lipsana in lucem Deo dante eduxisse. Et in repertis antris nativitatis, sepulcri, et resurrectionis Domini, rite expurgatis ab sacrilega profanatione Adriani, aliorumque principum et persecutorum, qui idola gentium supra ea constitue-

Digitized by Google

rant, ne a fidelibus in posterum frequentarentur, studio ejusdem Augustæ basilicas Christiani cultus fuisse fundatas, quæ sacraria illa immobilia intra se continerent. Mobilia vero lipsana apud easdem Ecclesias partim reliquit, ut ante diximus, asservanda, partim secum advexit ad Constantinum filium, et ad basilicas ditandas, et sacraria ab ipso constructa tum Romæ, tum in aliis præcipuis civitatibus Romani imperii. Quæ igitur in Palæstina reliquit, pleraque inveniuntur inclusa fuisse sacris parietibus earum, quas dixi ecclesiarum, aut thecis pretiosis apud easdem depositis decorata, ibique custodita quarto et quinto sæculo.

23. In basilica Resurrectionis, ubi antrum et sepulcrum Redemptoris nostri adhuc immotum visitur, Arculphus episcopus narrat circa medium septimi sæculi adversa sepulcro fuisse suspensa linteamina, sub quibus aliud altare excisum e dimidiato saxo quod fuerat advolutum in sepultura Domini ad ostium monumenti. Testatur Adamannus ejusdem sæculi scriptor ita sibi narratum ab Arculpho, oculato inspectore (num. 4). Inter Golgothæ ecclesiam, ubi Dominica crux fuerat infixa, et proximam basilicam martyrii nomine quoque donatam a fundatore Constantino, tria selecta instrumenta passionis Dominicæ custodiebantur ætate ejusdem Arculphi, ut eodem narrante scribit Adamannus numero 8, nempe *calix* argenteus utrimque ansatus, quo a se benedicto usus traditur Dominus ad sacramentum sanguinis sui apostolis in cœna libandum, et ad convivium cum iisdem celebrandum post resurrectionem : in eoque *spongiam* asservari dixit quam aceto plenam sitienti Domino in cruce obtulerat miles. In porticu ejusdem ecclesiæ Constantinianæ a se conspectam narrabat Arculphus « lanceam militis, qua latus Domini in cruce pendentis ipse percusserat. Ita vero servatam describit : Hæc eadem lancea in porticu illius Constantini basilicæ incerta habetur in cruce lignea, cujus hastile in duas intercisum est partes, quam similiter tota Hierosolymitana frequentius osculatur, et veneratur ecclesia. » Tum de sudarii velo hæc subtexit. « De illo quoque sacrosancto sudario, quod in sepulcro super caput ipsius fuerat positum, sancti Arculfi relatione cognovimus, qui illud propriis conspexit obtutibus : Item refert in scrinio ecclesiæ reconditum alio involutum linteamine, cujus etiam *mensuram* longitudinis definit octonum pedum. »

Aliud quoque linteum majus Arculphus in eadem Hierosolymitana civitate vidit, quod, ut fertur, sancta Maria contexuit, et ob id magna reverentia in ecclesia habitum totus veneratur populus (num. 11).

Verum sit instar omnium beatus Paulinus, qui (*epist.* 34) enumerat ætate sua, « quarto scilicet Christi sæculo, hæc omnia ostendi in Palæstina, præsepe nati, fluvium baptizati, hortum orantis, atrium judicati, columnam districti, spinas coronati, lignum suspensi, saxum sepulti, locum resuscitati, memoriam evecti. » Vide Gretser. de Cruce lib. I, cap. 95.

24. Tot igitur immobilia et mobilia lipsana novimus præservata usque ad ætatem ingressus Saracenorum paulo ante medium septimi sæculi; ut in sola basilica Resurrectionis, et in proximis Passionis, et Sepulcri, apud Hierosolymam hæc omnia indicarentur, nempe linteamina sepulcri, et sudarium, ostium præcludens saxum conversum in mensam altaris, calix cœnæ Dominicæ, spongia sitienti oblata, lancea in dextrorsum latus infixa, præter crucis Dominicæ partem a Persis recuperatam; quibus et spineæ coronæ partem addere oportet, a Bernardo monacho visam anno 870, appensam in ecclesia Montis Sion, ubi etiam columna porticum sustinens, et Christi cruore perfusa ostendebatur Paulæ, teste Hieronymo.

In Ecclesia vero Bethlehemitica non minor copia sacrorum pignorum amovibilium fuit quarto præsertim et quinto sæculo, pertinentium ad mysterium et gesta Dominicæ Nativitatis. Cunas a spelunca Nativitatis distinctas, sed ibidem asservatas, indicare videtur

A epistola B. Hieronymi ad diaconum Sabinianum, cujus scelesta vota in eo sacrario admissa dum exprobrat, his verbis utitur : « Angelus ille *cubiculi* Mariæ Janitor, *cunarum* Domini custos, et infantis Christi gerulus, coram quo tanta faciebas, ipse te prodidit. » Cunas certe a præsepi distinguit Ecclesia, quæ, uti natum Dominum a Virgine matre eadem nocte reclinatum in præsepio novit ex Evangelio, ita eumdem in cunis adoratum a magis cum Leone Magno paulo post recitat : quas scilicet *cunas* faber ille nutritius beatus Joseph et una cum angelis Christi gerulus designatus aptare non omiserit, expertus, locum sibi deesse in diversorio, et sentiens cito transmigrandum in alias sedes. Ita Dominum, quem pastores acceperant in nocte quærendum infantem pannis involutum *in præsepio*, magi post aliquot dies venerati sunt *in cunabulis*. Eadem distincta phrasi castigate etiam in carminibus canunt Patres et poetæ
B Christiani, nascentis quidem, et adorati a pastoribus solum præsepe memorantes; adorati vero a magis præsepe et cunas.

Ambrosius in hymno diei Dominici Natalis :

Præsepe jam fulget tuum,
Lumenque nox spirat novum.

Et Juvencus presbyter, lib. II, vers 168 :

Hoc signum dicam, puerum quem cernere vultis
Jam licet implentem gracili præsepia voce.

Et vers. 176 :

Pastores propere veniunt puerumque jacentem
Præsepis gremio cernunt.

Et Sedulius presb., hymn. de Christo :

Feno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit.

Et Venantius Fortunatus, lib. II, hymn. 1 :

Præsepe poni pertulit,
Sub matre pannos induit.

C Et Prudentius in Enchirid., epist. 28 :

Præsepe jacenti cuna erat.

Adorati vero a magis, et ab Herode ad necem quæsiti *cunas* commemorant cum Prudentio, hymni Epiph. vers 100 :

Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.

Aut si *præsepe* commemorant, non omittunt cunabula et cunas jam Christo paratas et custoditas a nutritio suo et gerulo, matrisque Virginis sponso, ubi illum adoravere Chaldæi.

O sancta præsepis tui,
Æterne rex, cunabula,
Poplisque per sæclum sacra
Mutis et ipsis credita!
Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet :
Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est,
Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, et quadrupes,
Sapiatque quod brutum fuit.

Quod enim Prudentius asserat, hæc sancta præsepis cunabula per sæcula sacra esse populis, non id poetice dictum, sed historice haberi debet. Vidimus a Hieronymo *custodem* tum *præsepi*, tum *cunis* ascriptum *angelum Christi gerulum;* sive angelum sacræ speluncæ tutelarem intelligat; sive custodem et sponsum Virginis, Christique infantiæ Josephum. Eo lubentius vero *cunas* indico cum Hieronymo, nec tantum *cunabula*, ut de utraque supellectile infantiæ Christi ejusque venerabilibus reliquiis impletum abunde intelligatur Prudentii votum, ut populis per omne sæculum sacræ habeantur.

25. Scio *cunas* a *cunabulis* apud Latinos aliquando distingui : ut *cunæ* propriæ sint lectuli mobiles, versatilibus fulcris ut plurimum innixi ad infantes huc

Digitized by Google

illuc movendos, quo facilius sopori indulgeant; *cunabula* vero, sive *incunabula*, sint vincula et fasciæ, quibus colligantur infantes in *cunis* positi, eorumque corpusculis panni astringuntur; ut ex Plauto elicitur Truc. vers 13:

Fasciis opus est, pulvinus, cunis, incunabilis:

Et in Amphit i, 52.

Neque eum quisquam colligare quivit in cunabilis.

Auctor Lexici antiquitatis, qui hæc erudite collegit, observat inepte repetitum a Plauto dicendum, si cunabula essent fasciæ. Quare etiam cum Ferrario Elect. 1120, ita concludit: « Credibile igitur est, cunabula fuisse fascias, institas, sive vincula, quibus infantes in fasciis involuti ligabantur in cunis, ut hodie fit, ne inde excideremt. »

Credibile id quidem; sed ratum et exploratum est, per eam dictionem *cunabula* tum fascias, pannos, et institas illas, tum etiam *cunas* ipsas perinde intelligi. Ut enim præteream complura scriptorum veterum loca id suadentia, et in solius Claudiani carminibus indicem selectiora, nempe in cons. Pub. et Olybrii vers. 144, in tertio cons. Honorii vers. 17, et in quarto ejusdem cons. vers. 21, necnon de Nup. Hon. et Mariæ vers.:

Jam gratæ rediere vices, cunabula pensat;

quæ Pyrrhus interpres in edit. ad usum Delphini ita exponit: *Te compensat, ob cunas et educationem suam*: ut, inquam, has auctoritates omittam, pluresque similes, præterire certe non possum definitionem perspicuam Isidori, in originibus docentis, non modo vim dictionis (*cunabula*) sed etiam etymologiam. *Cunabula*, inquit, sunt lectuli, in quibus infantes jacere solebant, *dicta quod partui adhibebantur quasi cynabula; nam κύειν* est Græcis *eniti*. Utrumque Isidorus hausit e Servii Commentariis in Virgilium Ecloga IV, vers. 23:

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

in quæ Servius ita perscribit: *Cunabula lectuli, in quibus infantes jacere consueverunt, vel loca quibus nascuntur, nam κύειν Græcis est eniti.*

Manifestum itaque fit ex allatis auctoritatibus, *cunabula* dici generice et promiscue de universo apparatu et supellectile puerperii et infantiæ, nempe de *cunis*, *fasciis*, *pannis*, *retinaculis*, ad infantes fovendos, obvolvendos, astringendos, et inter dormiendum contutandos adhibitis, licet aliquando de *cunis* intelligi possit aut debeat, aliquando de solis *fasciis*.

Quod autem Latinis accidit in usu vocis *cunabula*, id Græcis pariter contigit in dictione illa *σπάργανα*, quæ utrique *cunabulorum* indicationi exacte respondet pro lubitu scribentis: nempe ut perinde significet tum *fascias*, quibus panni astringuntur teneris infantum corporibus, et *institas*, ac *retinacula*, quibus fasciis et pannis jam involuti et astricti infantes intra easdem cunas religantur, ne excidant; tum *cunas* ipsas eadem dictio significet, quibus inclusi et alligati infantes securitatis gratia detinentur.

Idcirco Screvelius in Lexico Latino-Græco verbo *Cunæ*, Latinorum recte apponit, tanquam synonyma *κόϊτις*, et *σπάργανον*. Alia quoque lexica Græco-Latina exponunt, Græcam dictionem *σπάργανον* duabus Latinis *fascia* et *cunabula* respondere, ut in Lexico Scapulæ, et aliorum legimus.

Ita autem ratum haberi debet Græcis dictioni *σπάργανα* respondere Latinum vocabulum *cunarum*; ut videamus in sacro concilio Chalcedonensi, actione secunda, edit. Rom. pag. 207, D. ubi epistola Leonis papæ ad Flavianum publice fuit recitata, in autographo Latino expressisse Leonem de Christi Domini nativitate loquentem, *Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum*, Græce reddi: *καὶ ἡ μὲν νηπιότης τοῦ Βρέφους διὰ τῆς τῶν σπαργάνων εὐτελείας ἐπεγιγνώσκεται.*

Quin etiam in divinis litteris utriusque linguæ interpretes Græci et Latini acceptionem vocis confirmant, dum vertunt Hebræam dictionem חתלתי in vers. 9 cap. XXXVIII libri Job, quæ scilicet componitur ex radice חתל *fasciis involvit*, proprie indicante, et cum adjuncto pronomine *ejus* ad verbum redderetur, *fasciam ejus*; ita ut versiculus Hæbræa phrasi sonet, *quando posui nubem vestimentum* ejus *et caliginem fasciam ejus*, rectissime a vulgata Latina versione exponatur: *cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem*, a Græca vero LXX æque feliciter convertatur, Ὁμίχλη δὲ αὐτὴν θαλάσσαν ἐσπαργάνωσα: nempe, *nebula vero ipsum* (mare) *quasi fasciis* (seu cunabulis) *infantiæ obvolvi*; exponente Symmacho vim translati eleganter desumpti circulari ex astrictione infantum, per fascias, pannos infantiæ, et cunabula, seu retinacula, intra cunarum ambitum retentorum: quæ omnia sunt *σπάργανα*: unde verbum *σπαργανόω*, *fasciis involvo*. Mirifice autem convenit similitudo infantilium fasciarum nebulis, undequaque per gyrum cingentibus circularem superficiem Oceani, et complexantibus *cunabulorum* more corpus inclusum. Symmachus in edit. Vaticana Sixti V: ὡς νεφέλη περιείλησα αὐτήν: *perinde nube circumvolvit illud* (mare).

Sunt igitur Græce *σπάργανα* æque ac Latine *cunabula* tum *fasciæ, et panni infantiæ, et institæ, et retinacula, tum ipsæ cunæ*, seu lectuli, si placet, ad infantium corpora circumplexanda, et confovenda quo tutius dormiant et ab externis incursibus et molestiis undique protegantur.

26. Morosius insistendum esse duxi in notione vocum diversarum, quibus Græce ac Latine significantur hæc instrumenta puerperii et infantiæ, ut omnis ambiguitas averti possit in requirendo apud scriptores utriusque linguæ, quid actum sit de hujusmodi *cunabulis* et *σπαργάνοις* adhibitis ad sanctissimum Christi corpus tum in Nativitate excipiendum, et adoratione magorum aptandum in antro Bethlehemitico, tum alibi in progressu infantiæ, nempe fuga in Ægyptum, et reversione in Palæstinam, de more custodiendum et confovendum studio Virginis matris, ejusque intacti sponsi et Christi nutritii beati Josephi, ea, qua decuit cura non minus solerter comparatis in Domini Salvatoris infantia, quam studiose asservatis postquam excesserat ex incunabulis, et proficiebat ætate ac sapientia apud Deum et homines. Si enim fidelium primorum cura tanta fuit in asservandis apud Hierosolymam apostoli Petri vinculis, ab Eudoxia deinde transmissis Romam veterem et novam quinto labente sæculo, et Jacobi cathedra ad ætatem Eusebii præservata, ut ipse scribit Hist. Eccl. lib. VII, cap. 19, multo studiosius Virgo prudentissima et sedes sapientiæ intelligebat pretium hujusmodi supellectilis, divino Christi contactu sacratissimæ jam redditæ, et ad futura sæcula cum elogio Prudentii transmittendæ:

O sancta Præsepis tui,
Æterne rex, cunabula,
Poplisque per sæclum sacra;

et angelorum custodiæ, Hieronymo teste, concreditæ in Christianis ecclesiis, ut sanctus doctor inclamat sacrilego Sabiniano.

27. Fuisse autem ita præservata et custodita eadem *cunabula* et *σπάργανα* apud Jacobi apostoli successores in sede Hierosolymitana, cui suberat ad sextum lapidem illi adjacens ecclesia et oppidum Bethle-

Digitized by Google

hemlucum una cum præsepi Dominico, constat ex historia Nicephori, lib. XIV, cap. 2, narrantis, ab Eudocia Augusta, Theodosii junioris uxore, Hierosolymam profecta, fuisse transmissa Constantinopolim tria sacra munera inde collecta, quæ tanquam cœlestem thesaurum custodiri voluit in celebri ecclesia Sanctæ Mariæ Virginis quam τῶν ὁδηγῶν seu Viæducum appellabant a Pulcheria Augusta Theodosii sorore ac tutrice magnificenter exciltata. Fuerunt autem tria illa dona. 1° *Imago Deiparæ ab apostolo*, inquit, *Luca depicta*, de qua etiam loquitur lib. XV, cap. 14; 2° *Sacra colus*, adhibita scilicet a Deipara in lanificio domestico ad pannos, et vestes divino Filio suo, sibique ac sponso parandas. 3° *Serratoris ipsius fasciæ*: ita enim reddit Latinus interpres R. P. Fronto Ducæus id quod Græcus historicus appellat σπάργανα. Hæc vero lipsana, sive dixeris *fascias*, *sive pannos infantiæ*, et *retinacula*, sive *cunabula*, sive etiam *cunas*, perinde est; cum ex eo testimonio probari dicimus, labente quinto Christi sæculo custoditam fuisse in episcopatu Hierosolymitano supellectilem nativitatis et infantiæ Salvatoris nostri: cujus partem inde transmisit Eudoxia Constantinopolim. A quonam vero donatore hæc munera ipsi fuissent contradicta, discere possumus ex eodem historico, ubi de Pulcheriæ studio iterum agit in ædibus sacris magnifice extruendis lib. XV, cap. 14. Docet enim Augustam Pulcheriam petiisse a Juvenali Hierosolymitano archiepiscopo et ab episcopis Palæstinæ Chalcedonem profectis ad concilium œcumenicum celebrandum, ut Deiparæ Virginis corpus sibi contraderetur, quod audierat depositum Hierosolymis. Verum Juvenali respondente, sacrosanctum quidem corpus illud elatum est prope Hierosolymam Gethsemani depositum fuisse angelica simul et apostolica cum hymnodia, sed triduo post reserato tumulo, solas inventas fuisse sepulcrales fascias odorem plane suavissimum ac cœlestem efflantes; corpus vero divinitus receptum in cœlum, et ante communem resurrectionem immortalitate donatum: « Principes ipsi ab eo (Juvenali patriarcha Hierosolymit.) ut sanctum ejus tumulum (σόρον) una cum sacris vestibus (ἀμφίων) probe obsignatum a se mitteret rogarunt: eumque ita a Juvenali transmissum in maximo quod ab eis constructum est Blanch[illegible]arum templo piis consecrarunt atque deposuerunt manibus prope ad sacram, divinamque mensam. »

28. Constat igitur ex Græcis historicis, quinto Christi sæculo custodita fuisse Hierosolymis σπάργανα infantiæ Christi Domini (quo nomine intelligimus significari supellectilem universam puerperii et infantiæ) nec non vestes, et linteamina, et sepulcrum, ubi jacuerat triduo corpus Deiparæ, tum alia complura sacra lipsana, de quibus agimus. Constat etiam, per patriarcham Hierosolymitanum eadem sacra pignora custodiri consuevisse, eorumque partem aliquando erogari ejusdem signaculo probe munitam imperatoribus illa expetentibus, tanquam thesauros. Dividebantur etiam reliquiæ episcopis Hierosolymam adeuntibus orationis causa, uti compertum est ex sermone 17 S. Gaudentii Brixiæ episcopi, cujus opera nuper edita sub auspiciis eminentissimi principis Joannis Francisci cardinalis Barbadici notis doctissimis aucta sunt per V. C. Paulum Galleardum canonicum Brixianum. Refert S. præsul, se in itinere Hierosolymitano reliquiis donatum etiam a sacris virginibus Basilii Magni sororibus, ipsis olim traditis ab eodem Basilio, « orantibus Deum, ut illa tam pretiosa possessio in tales transfunderetur hæredes, qui ea consimili fide diligentiaque percolerent, qui studii ac venerationis ipsarum et successores et augmentatores consisterent. » Distribuit etiam Justinus imperator beato Germano Parisiensi episcopo e sacris Palæstinæ locis reduci et reliquias sanctorum tantummodo deposcenti ex iis, quas Hierosolymis transmissas Augusti possidebant, *aliquot spinas coronæ Domini nostri Jesu Christi et sanctorum Innocentium reliquias*, ut Aimoinus testatur lib. III, cap. 18, Historiæ Francorum. Unde comprobatur hæc dona antistitum Hierosolymit. ecclesiæ tradita maximis principibus, et a sanctissimis episcopis in Orientali Ecclesia diligenter custodita, subdividi nonnunquam cœpisse, et quidem adhibita cautione, ut *pretiosa illa possessio transfunderetur in tales hæredes, qui ejus venerationem pari diligentia servarent* ac promoverent. Ut nimius non sim in aliarum reliquiarum catalogo subtexendo, quæ Hierosolymis asservabantur per illa et per complura sæcula consecuta, satis est indicare lipsana, quæ pertinent ad Christi *cunabula*, de quibus hic speciatim agimus, nempe ad supellectilem ejus nativitatis et infantiæ. Illius vero partem ab Eudoxia acquisitam Hierosolymis, et ab eadem transmissam Constantinopolim, ibique reconditam in sacris ædibus, Deiparæ nomine Deo dicatis, appellatione *Odegorum* et *Blanchernarum*, constat usque ad sæculum duodecimum ac decimum tertium æræ Christianæ inchoatum, ibidem præservatam; cum Balduinus imperator ad Philippum Augustum dictum Franciæ regem inter cætera sacra munera lipsanorum transmiserit *de linteo quo Christus Dominus fuit involutus in præsepio*, ut Rigordus narrat apud Spondanum ad ann. 1200, num. 1, et observat Joannes Ferraudus disquisit. reliq. lib. I, cap. 1, pag. 9.

29. Cum itaque liberales admodum fuissent Hierosolymitani antistites ab Eudoxiæ Augustæ sæculo in magna parte sacrorum hujusmodi pignorum eidem contradenda, quam ad ecclesias regiæ urbis Constantinopolitanæ ditandas inde transmisit; nec a largiendo desisterent ex residuis apud se partibus ejusdem supellectilis sacræ in adventu venerabilium episcoporum, sive occasione alicujus concilii, sive sacræ peregrinationis causa in Palæstina profectorum; tum etiam piorum principum et regiarum feminarum, illuc adventantium pietatem identidem consolarentur partitione iterata decrescentis apud se copiæ pretiosarum hujusmodi sarcinorum; mirum videri minime debet, quod in irruptione Saracenica, sæculo septimo labente, non admodum multa superessent e sacris lipsanis, mobilibus, quæ transferri facile possent: ita ut postrema ferme haberentur circa annum 640, inde extrahenda ex hoc genere ad virgineum Deiparæ puerperium pertinentia, præter Dominici præsepis excidenda ex antro Bethlehemitico saxa, portiones cunarum et cunabulorum, ejusdemque ecclesiæ Bethlehemiticæ e sacris pignoribus, cum illis convehendum in Occidentem nonnisi corpus S. Hieronymi superesset. Neque enim regna tantummodo Orientalis imperii sacris Palæstinæ reliquiis ab episcopis Hierosolymorum acceptis ditaverant principes; sed etiam occidentales ecclesias quandoque locupletaverant ejusmodi donis. Ex solius patriæ meæ tabulariis, Veronæ scilicet, unde collegit ante annos centum et quinquaginta catalogum satis amplum doctissimus et piissimus cardinalis tunc illius episcopus Augustinus Valerius, possem luculenta exempla proferre, numerando complures e Palæstina reliquias illuc perlatas præsertim ad ecclesiam S. Stephani olim cathedralem, ubi ex illo genere asservantur una cum parte Dominicæ crucis, reliquiæ ex capillis Deiparæ Virginis, ex corpore S. Stephani protomartyris, et quatuor corpora SS. Innocentium. Harum scilicet reliquiarum inde advectarum perceptio intelligitur facile tribuenda Gallæ Placidiæ Valentiniani III filiæ, et Olybrii postremi imperatoris Occidentalis viduæ: quam in Palæstinam profectam post viri obitum, et reducem in Italiam Veronæ non solum degisse vitam, verum etiam sanctissime obiisse tradit Panvinius Antiquitat. Veronensium lib. IV, cap. 19, et cum secutus D. du Cange in Famil. Byzantinis, pag. 76, uti ex tabulariis ecclesiæ ejusdem colligitur, ubi sepulta colitur, recitante etiam Ro-


Digitized by Google

mano Martyrologio memoriam die 11 Octobris : cujus in notis cardinalis Baronius Augustini Valerii utitur testimonio. Quod ego in patriæ meæ sacris ædibus observo, hoc in aliis compluribus Italiæ, imo et occidentalium Europæ regionum ecclesiis cæteri recognoscent : ut sit omnino evidens, constare fidem historicis, qui circa adventum Saracenorum in Palæstinam maximam partem portatilis thesauri sacrarum reliquiarum fuisse jam erogatam significant; Deo scilicet provide disponente, ne per manus impias tot venerabilia monumenta dispergerentur : quod etiam præstitit imminente jam ab iisdem barbaris clade, consulendo postremis extractionibus Dominici præsepis et cunarum, nec non corporis B. Hieronymi in Urbem ad basilicam Liberianam.

30. Hic vero diversam a Palæstinæ præsulibus disciplinam per ea tempora custoditam novimus in partitione reliquiarum, non ita facile admissa apud nos ac apud Orientales, quemadmodum constat ex responso Magni Gregorii ad Constantinam Augustam, celebri apud insigniores reliquiarum scriptores indicatos per sæpe laudatum Boldettum de sacris Cœmeteriis SS. Martyrum, lib. II, cap. 2, qui proponunt praxim tunc temporis a Romana Ecclesia custoditam in frugali concessione hujusmodi sacrorum pignorum. Licet enim B. Gregorius non solum brandea, et claves sacris cineribus Christi martyrum admotas, sed etiam aliquot particulas ossium in aliis epistolis plerisque illorum significare videatur a se distributas; attamen omnes fatentur, quam parcissime tum ab eo tum a decessoribus erogatas inde cognosci. Providenti nempe Dei consilio orientales episcopos ad erogationem, occidentales ad parcimoniam disponente, ut inde facilius asportarentur ubi barbarorum injuriis patuissent, hic vero tutius custodirentur, ubi erant in posterum asservandæ. Ex illa certe disciplina Romanæ Ecclesiæ hoc beneficium perceperunt omnes occidentales, ut insigniora instrumenta mysteriorum redemptionis nostræ, et monumenta sanctorum, Dei gratiæ constantiam et gloriam in sua Ecclesia comprobantium seris posteris præservarentur.

31. Quod attinet ad sacras, de quibus loquimur, Christi cunas, seu lectulum illius infantiæ, in basilica Liberiana asservatum, quem quotannis semel eductum ex loculamento marmoreo supra fastigium altaris e latere Paulini sacelli ante presbyterium apte constituto, venerationi fidelium exponimus in pervigilio quidem Nativitatis Dominicæ supra aram interioris secretarii, nocte autem Nativitatis supra aram principem sacelli Sixtini Dominico præsepi imminentem, die vero ipsa Nativitatis supra altare pontificium, et basilicæ primarium, ubi summus pontifex Clemens XI, sacris operatus, homiliam ad populum prisco de more non semel habuit, quod, inquam, attinet ad hasce cunas infantiæ Domini, argentea theca ita inclusas munificentia Philippi IV, Hispaniarum regis Catholici, ut per crystallos earumdem materies et figura dignosci facile possit, comperimus ex illius conspectu plus quam dimidium sacrarum cunarum ad nos pervenisse, easque fuisse compactiles, quales narrant viri complures e Palæstina reduces hodierna etiam consuetudine ibidem a pauperibus adhiberi. Nostra in theca quinque asseres conspiciuntur ex abiete vulgari secti, quorum longitudo palmos Romanos quatuor cum dimidio circiter æquat, latitudo ad semi palmum ferme extenditur : et duo ex his observantur quadrato foramine circa externum suæ longitudinis de industria insculpto, ita perforati, ut tigillum per illud immitti possit ad totam machinulam cunarum plicatilium firmiter continendam in sua compage, ut adjecta figura demonstrat : per quam ostendimus, integrum corpus cunarum ex hisce asseribus compingendum adjectis iis, qui ad complementum desiderantur : et facile opinor inclusos fuisse in capsa plumbea sub altari Dominici præsepis a Sixto V reperta, et ab ejusdem architecto Fontana, qui viderat nobis indicata in libro de Ædificiis ejusdem pontificis, fol. 40. Structura cunarum talis esse deprehenditur. Asseres duo erigendi sunt in hac figura signati litteris A B, C D : quorum primus ad cervical infantis fulciendum adhibetur, secundus ad pedes apponitur. Uterque facilioris convectionis gratia plicatilis redditur circa medium per ferreas ligulas seu minusculos cardines E F, quales in vulgaribus capsis ad operculum convertendum, ut omnes norunt, apponi consueverunt. Cardines isti infiguntur in transversum tigillum H I medium asserum A B, C D pervadens. Asserum sive fulcrorum sectio ita peragitur. Centro ✠ ad intervallum ✠ C palmi unius cum dimidio describitur circulus per C H D I puncta transiens, qui bifariam dividitur, ducta serra per horizontalem diametrum H ✠ I, ut complicari possint duo semicirculi, nempe superior ✠ C supra inferiorem ✠ D recidat quando opus fuerit, et adhæreat suspensus per minutos cardines sive indicatus ligulas E, F. Inferiori semicirculo in diametro sectionis affigitur clavis exterius tigillum horizontale H I, nunquam ab eo separandum. Deinde tam superior, quam inferior semicirculus apte excavatur in S, Q, Z, K, ita ut in K pes nutricis appositus ultro citroque reciprocante motu deprimat elevetque alternis cunarum latera ad conciliandum infanti soporem. Ita secto asseri C D similis et parallelus erigitur alter A B removendus ad distantiam A C, seu B D palmorum circiter quatuor supra horizontale planum B D, cui debet uterque insistere ad cunas fulciendas. Cunarum vero corpus septem asserculis ita componitur, quorum singuli extendentur in longum palmos quatuor et semis circiter, in latum vero digitos tres vel quatuor. Duo superiores, nempe H L, et illi paralleli in I statuendus, redduntur pervii circa utrumque extremum per crenam sive quadrum foramen H, et L, ad excipiendum caput tigilli transversi H I. In illo autem situ firmiter detinentur infixo ligneo claviculo in H pro lubitu removendo. Alius asser similis longitudinis fundum cunarum constituens adhibetur in M N, tanquam tigillum transversum, et per crenam in M O prominens, quemadmodum et in N, configitur pariter claviculo ligneo in O. Ita vero corpus cunarum plicatilium expedite constructum intelligitur : cui firmius continendo adhiberi superne possunt tres virgulæ ferreæ P Q, A C, R S, quæ velum quoque sustinere possunt ad auram infanti de more temperandam. Sint I H paralleli asserculi T V, X Z, et illis ex alio latere respondentes Y et K ut fœnum vel lectulum sustineant. Hujusmodi cunarum compago expeditissime perficitur, dissolvitur, et restituitur. Talis autem fuisse intelligitur ea quam servat basilica Liberiana, si attente consideremus quinque asserculos superstites ex septem qui semicylindrum cunarum componebant L H, T V, N M, K, Y, I (quamvis et quinque fortasse sufficerent), quorum unus perforatus in H ostendit locum immissi tigilli : lora vero et catenulæ inde pendentes indicant colligatum fuisse cum proximo asserculo T V. Solummodo igitur desunt asseres perpendiculares A B, C D, vel antiquitus donati Augustis feminis Eudoxiæ et Placidiæ, et Constantinopolim translati cum parte reliquiæ suppellectilis cunabulorum, sive τῶν σπαργάνων de qua supra ex historicis Græcis numero 1; sive etiam inclusi in plumbea capsa cum saxis ex Dominici præsepis spelunca excisis, quæ sub altaris mensa a Sixto V reperta, et ibidem restituta fuit in translatione sacelli, a Dominico Fontana architecto curata et descripta libro indicato.

Digitized by Google



Talis autem structuræ cunas a nutritio Christi Domini eodemque fabro lignario beato Josepho paratas fuisse, nempe compactiles, quæ circumferri possent in regressu ad Nazareth, imo, quæ et in Ægyptiaco itinere adhiberentur, probabile admodum redditur tum ab inspectione superstitum asserum, tum ex consuetudine Orientalium nobis a fide dignis viatoribus asserta, tum ex matura perpensione occultandæ infantis fugæ, quæ demandata fuerat Josepho, ut ab Herodis indagine et ira divinus infans per ejus studium subtraheretur. Plicatilis enim lectulus minimum impedimenti in itinere et observationis per viam occurrentibus dabat. Nam convoluti in fasciculum asseres a fabro lignario si perferantur, specimen potius exhibent opificis comportantis de proximo tigilla ad opus aliquod fabrile exercendum, quam iter longum suspicientis ad conjugem ac filium a persecutoribus elongandum. His accedit facilitas intra horam unam aut alteram fabricandi hujusmodi cunas, quam experiri volui præfectis ad eamdem mensuram asseribus, ut imitarer sacrorum cunabulorum prototypum. Pius Virginis sponsus in stabulum descendere coactus, cum locus negaretur in diversorio Virgini de proximo parturæ, ubi natum vidit infantem in præsepio collocatum, credibile est arreptis illico asserculis portatiles cunas Dei Filio construxisse, ut in angustia talis hospitii quo saltem dabatur artis suæ præsidio divinum partum ab hiemis inclementia tutaretur. Verum sive portatiles et plicatiles cunas sanctus patriarcha construxerit in antro Bethlehemitico, sive procedente infantia Domini easdem ad iter Ægyptium, vel ad regressum in Palæstinam aptaverit; istæ superstites ostendunt totius corporis structuram et figuram ex parte illarum plusquam dimidia hodie spectabilem beneficio hujus disciplinæ Romana in Ecclesia custoditæ, non ita facile partiendi primaria hæc pignora Christi Domini ac Deiparæ Virginis contactu venerabilia reddita : quo beneficio non potiremur, si facilitas Ecclesiæ Hierosolymitanæ præsulum eadem partiendi in minora segmenta per decem hæc sæcula, ex quo ad nos pervenerunt, una cum cunis ad nos fuisset perlata.

52. Jure igitur optimo talium lipsanorum custodia, et impatiens divisionis disciplina sanctæ apud nos viget ad sacrarum cunarum thesaurum eadem religione ad posteros præservandum, qua nobis majores nostri tradiderunt; cum experimento constet vividius excitari fidelium attentam fidem ad recolendum majori animi contentione mysterium in iis celebratum, quando pars tanta simul conspecta comprobat sæculorum præcedentium conjuncta studia ad eosdem religionis actus nobiscum exercendos; non secus ac proficiscentibus in Palæstinam, aut ad apostolorum sepulcra et tropæa, sive ad Christi martyrum cœmeteria contendentibus ad orandum et contemplandum Christi servorum memorias suavis quidam sensus excitatur communis cum illis fidei, spei et charitatis in Deum : cujus luculenta testimonia satis exprimunt Hieronymi epistolæ, ad Dominicum præsepe et Christi villulam invitantis Gracchorum sobolem, Eustochium, Paulam, Marcellam et commendantis commune sibi cum æqualibus studium in martyrum cryptis per dies Dominicos frequentandis. Beati Ecclesiæ doctoris piissimis sensibus respondent mirifice adhortationes sanctæ memoriæ Clementis XI, post duodecimum a Hieronymo sæculum in sua patriarchali basilica Liberiana inter missarum solemnia his vocibus nos alloquentis, quarum suavissimus sonus excitabit in filiorum cordibus paternæ meditationis ac pietatis tum ipsius, tum decessorum imitationem nunquam interituram : « Gratulemur, dilectissimi, felicitati nostræ; nobis quippe datum est in hoc sacratissimo templo, in hac ipsa, ad quam litamus, ara prope intueri ac venerari sacra cunabula Salvatoris. Hoc in præsepi reclinatus æterni Patris unigenitus Filius, in similitudinem hominum factus apparuit, et habitu inventus ut homo. Hic gelidas inter tenebras brumalis noctis frigore obriguit parvulus, qui natus est nobis, et filius, qui datus est nobis. Hic reciprocantis spiritus calidis vicibus e brutarum pectore animantium olentem animam reflantibus incaluit. Hic pannis involutus a matre, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a magis. Hic tenero substrata capiti pungentia gramina asperioribus adulta frontem coronaturis vepribus prolusere. Hic uberes effudit lacrymas divinus infans, sui olim pro redemptione nostra fundendi sanguinis tirocinia. Hic virgineis exceptus ulnis tremu

lus puer castissimæ genitricis amplexibus ventura lenivit vincula crudelitatis, quæ sibi parari noverat ab osculo proditoris. Verum, ut beatus ait Hieronymus, diuturnus olim, dum viveret, Bethlehemitici specus incola, nunc vero prope Bethlehemiticum præsepe in hac basilica conditus : *Præsepe illud, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infimo sermone honorandum est* (Clemens XI, *in homilia Nativitatis Dominicæ*, ann. 1714).

FRANCISCI BLANCHINI
DISSERTATIO SECUNDA

De musivis imaginibus a Xysto papa III collocatis in amplificatione basilicæ Liberianæ, post œcumenicam synodum Ephesinam.

INDEX SECTIONUM.

Cura summorum pontificum in delectu ornamentorum, quæ statuerunt in basilicis, et sacris ædibus, a se fundatis, aut dedicatis.—II. Ejus curæ documentum illustre percipitur ex sacris imaginibus opere musivo constructis a S. Xysto III in basilica Liberiana per eamdem amplificata atque ornata post œcumenicam synodum Ephesinam in fine pontificatus S Cœlestini decessoris sui celebrata contra hæresim Nestorii. — III. S. Hadrianus papa in epistola ad Carolum Magnum lecta in synodo generali Nicæna II hujus operis Xystini meminit, et curæ pontificiæ, atque instituti in hujusmodi ornamentis aptandis historiæ ac dogmatibus fidei constabilitis per eadem concilia generalia. — IV. Conciliorum generalium memorias in ecclesiarum parietibus dedicare solemne fuit etiam in Ecclesiis orientalibus, ut constat ex Bethlehemitica ætate Magni Constantini fundata, ex Constantinopolitana, aliisque. — V. In musivis basilicæ Liberianæ a Xysto III positis non solum exhibetur memoria synodi Ephesinæ, et dogmatis catholici in ea propugnati contra Nestorium, sed exprimuntur etiam potiora testimonia utriusque Testamenti, quibus usi sunt ejusdem concilii Patres ad illius catholici dogmatis confirmationem. — VI. Testimonia ex novo Testamento producta in concilio Xystus collocavit in arcu navis medianæ ejusdem basilicæ, quem appellant arcum triumphalem. Testimonia vero ex Veteri Testamento collata ab iisdem Patribus ad figuram dogmatis illustrandam disposuit in utroque pariete, navim eamdem constituente. Præterea in arcu triumphali collocata visitur *Tabula votiva* dedicationis concilii, quam ætas Anastasii dixisse videtur *votaream*. — VII. Singillatim enumerantur testimonia potiora novi Testamenti, a Patribus Ephesinis producta, et a Xysto papa III expressa in musivo ejusdem arcus ad comprobationem catholici dogmatis ibidem propugnati. Primum est ex Annuntiatione Deiparæ Virgini facta per archangelum Gabrielem. — VIII. Secundum petitur ex præsentatione pueri Jesu in templo. — IX. Tertium ex adoratione magorum. — X. Quartum ex cæde innocentium parvulorum.— XI. Quintum ex Christi Domini disputatione inter doctores. — XII. Quæ omnia ad infantiam ac pueritiam Christi Domini cum pertineant, studiose delecta sunt a Xysto, ut ita exhiberet, quæ in ipso Incarnationis et Nativitatis facto ac mysterio Deum et hominem declarant Christum Dominum, et jure Deiparam nominari sanctissimam Virginem ejus matrem contra blasphemias Nestorii, utrumque negantis. — XIII. Figuræ hujus dogmatis, selectæ ex Veteri Testamento a SS. Patribus Ephesinis, præcipue vero a B. Cyrillo, nomine Cœlestini papæ eidem concilio præsidente, habentur in musivis Xystinis supra columnas in navi mediana collocatis. — XIV. Prima est deducta ex cap. Gen. XIX, ubi Melchisedech rex ac sacerdos Abrahamo benedicit, et panem ac vinum offert. — XV. Secunda Abrahami hospitio excipientis tres quando unum adoravit Genes. XVIII. — XVI. Loth atque Abraham in diversa abeuntes cum gregibus. Genes. XIII.— XVII. Isaac Jacobo benedicens. Genes. XXVII. — XVIII. Jacobi servitus in domo Labani, ut Rachelis nuptias consequatur. Genes. XXIX. — XIX. Segregatio gregum Labanis et Jacobi Genes. XXX.—XX. Jacobi ac filiorum gesta apud Sichem, et ejusdem Jacobi migratio in Bethel divinitus demandata. Genes. XXXIV et XXXV. — XXI. Figuræ in adverso latere navis basilicæ ab Exodi cap. 2. Moysis historiam referunt ; et primum ejus eductionis e Nili fluvio. Cur a Moyse ducatur initium? — XXII. Connubium Moysis cum Sepphora. Exod. II. — XXIII. Moyses redux in Ægyptum mittitur divinitus ad fratres suos e servitute educendos in libertatem. Exod. IV.—XXIV. Lex Paschalis per Moysem data Israelitis ex Ægypto profecturis. Exod. XII.— XXV. Mansiones primæ Israelitarum progredientium ad mare Rubrum. Exod. XIII. — XXVI. Transitus Hebræorum per mare Rubrum, et demersio Pharaonis. Exod. XIV — XXVII. Aquæ ligni injectione dulcoratæ : et coturnicum pluvia, necnon manna et cœlo demissa. Exod. XV et XVI. — XXVIII. Aqua e rupe deducta virgæ Mosaicæ percussione. Exod. XVII. — XXIX. Pugna Israelitarum contra Amalecitas, et victoria, elevante manus Moyse in petra constituto. Exod. XXVII. — XXX. Moyses et Aaron a gloria Domini pro electi contra seditionem populi, lapidibus eos opprimere volentis. Num. XIV. — XXXI. Deuteronomium Levitis traditur in Arca custodiendum. Josue declaratur Dux populi, per eum introducendi in terram promissionis. Moysis obitus in monte Nebo. Deuter. XXXI et XXXIV. — XXXII. Josue duce obsidetur Jericho. Rahab meretrix hospes exploratorum, exposita vitta coccinea, ab excidio præservatur. Josue cap. II. — XXXIII. Transitus populi per Jordanem sub Josue. Duodecim lapides ibi constituti, in memoriam, ac totidem transportati. Ibid. cap. III et IV. — XXXIV Josue urbem Jericho obsidens virum sibi divinitus apparentem adorat : quem ducem exercitus a Deo constitutum audit. Josue cap. V. — XXXV. Arca Dei septies circumducta, clangentibus sacerdotum tubis, jussu Josue, excidunt muri urbis Jericho, quæ in præda cedit victoribus Israelitis. Jos. VI. — XXXVI. Josue pugnante sol ac luna cursum sistunt : et lapides magni de cœlo vibrati instar grandinis hostes Israelitarum elidunt. Quinque reges contra eosdem Israelitas fœderati fugiunt in speluncas : unde extracti jussu Josue supplicio afficiuntur extremo. Ibid. cap. X.

1. Debetur huic loco altera dissertatio ad illustrandam historiam pontificum a S. Silvestro ad B. Gregorium Magnum, hic potissimum inserenda ob causas modo enuntiandas.

Ex quo sublatis persecutionibus Ecclesia Christiana illam pacem experta est, quæ non modo permisit fidelibus divinum cultum publice in Urbe exercere, sed etiam pacifici nostri Salomonis Christi Domini ostendere solium regale in basilicis, pietate præsulum et munificentia principum non minus religiose quam magnificenter excitatis, atque ornatis, et adorationi totius orbis proponere ; plerisque ex proximis Silvestri successoribus novas ædes Deo sacras dedicarunt, ut præirent exemplo cæteris etiam in hoc religionis officio, quibus praxi universarum virtutum, perinde ac muneris amplitudine, et potestate, præerant, ac præluebant. Sapientes vero architecti, cum essent in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, in disponendis etiam partibus atque ornamentis basilicarum a se fundatarum, quæ eamdem ecclesiam Dei et referrent mystica imagine, et in populis congregarent ad verum Dei cultum precibus et sacrificiis rite obeundum, ita providenti atque maturo consilio singula perpenderunt ; ut nihil propemodum collocarent, quod non referrent ad finem huic structuræ propositum, elevandi scilicet fidelium mentes ad statuta religionis officia sancte atque ordinate præstanda. Duo igitur præcipua suis in emblematibus et ornamentis præsidia comparare spectantium mentibus studuerunt, historiam scilicet rei gestæ, et documentum ex illa historia colligendum veri Dei cultus, et adorationis ex divina revelatione fidei nostræ ab universis præstandæ. Duo hæc per pontifices a nobis commendata in traditione sacrarum imaginum ita propositarum in ecclesiis implent utramque paginam actorum septimæ synodi, seu Nicenæ secundæ, ut eadem percurrentibus liquet. Ita sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus lectus in synodo, act. 4, scribit edit. Binii pag. 50, col. 1. CD. « Quæ historica narratio per auditum docet, ea tacens pictura per imitationem ostendit. Magnus enim Basilius inquit (serm. in 40 Martyres,

Digitized by Google

lecto pariter act. 2, pag. 16), ex utroque ad fortitudinem incitari. Brevis, et, ut ita dicam, per summam facta narratio et factorum in imagine per picturam expressorum imitatrix demonstratio nobis contemplantibus utilis est. » Et actione 6, pag. 67 ejusdem edit. Epiphanius diaconus legit in refutatione pseudo-synodi Iconoclastarum, post recitatum can. 82 synodi VI sub Justiniano, in quo decernitur *typus Christi Domini* a præcursore designatus in *Agni* specie juxta veterem traditionem exprimendus, hæc quæ consequuntur. « Veteres igitur typos et umbras, veluti veritatis symbola et præfigurationes ab Ecclesia traditas amplexantes, gratiam et veritatem veneramur. Videmus igitur omnes et intelligimus, quod et ante sacras sex synodos, et post has etiam sanctorum picturæ in Ecclesia traditæ fuerint non aliter ac sacra Evangelii lectio. Nam quæ leguntur, ubi ad aures venerint, ad animum deinde legimus, et transmittimus; et quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur; atque per ista duo invicem consequentia, lectionem (inquam) et picturam, unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum gestarum pervenitur. Unde e duobus istis summis sensibus in Canticis canticorum invenire licet efficacem conjunctionem. Ostende mihi faciem tuam, et audire fac mihi vocem tuam. Vox enim tua suavis, et facies speciosa. Quibus et nos convenienter et illud ex psalmo accantamus: Quemadmodum audivimus, ita et vidimus. » Ut cætera Patrum testimonia præteream, quæ sacras imagines generatim respiciunt, earumque cultum referendum ad prototypum per eas expressum, pressius colligam quæ ad rem nostræ dissertationi propositam pertinent, nempe ut ostendam, ex antiquissimis hisce imaginibus, jubente Xysto III, Liberianam basilicam adornantibus, cognosci posse, delectum talem ab ipso, et a cæteris Romanis pontificibus habitum suis in basilicis ac titulis ita decorandis, ut imagines sacræ, quas ibi pingendas curarent, et memoriam rei gestæ, et fidei dogma proponerent Ecclesiæ revelatum: duo scilicet præsidia præ cæteris efficacia ad excitandos fidelium animos in laudem Dei. Quare sicuti lectori permissum temere non fuit quos mallet libros aut sectiones in ecclesia publice legere, sed designatos ab episcopo regiare ipsi mandatum est; ita nec pictori fas fuit quas arbitratu suo præferret historias in sacrarum ædium parietibus delineare; sed providentiæ pontificum reservata dispositio est ac delectus, cui ars colorandi obsequeretur. « Testimonium perhibet ipsa rerum antiquitas (ait Magnus Basilius lectus pariter eadem act. 6) et Spiritu inductorum Patrum doctrina: quia videntes has in venerabilibus templis susceperunt et ipsi venerabilia templa dedicantes has pingere studuerunt . . . . Igitur eorum est ingenium et traditio, et non pictoris. Nam pictoris sola ars est: dispositio manifestum est quod sit sanctorum Patrum, qui dedicaverunt. »

2. Quo igitur delectu dispositionem istam præ oculis habuerint Romani pontifices, ut *memoriam rei gestæ* proponerent, et *dogma veræ adorationis* per eamdem memoriam comprobarent, musiva per Xystum addita basilicæ Liberii a se amplificatæ præ cæteris declarant; cum præ cæteris custodita religioso tot sæculorum cultu, et peculiari quadam tutela ætati nostræ sint præservata quippe quæ et novissimo studio ac largitate sanctissimi in Christo Patris Benedicti XIII, hoc ipso quo dissertatio imprimitur anno post reparatam tecti universi, et sacellorum structuram, omni squalore deterso, splendori pristino sint restituta.

3. Ut assequamur felicius memoriam rerum gestarum, et fidei dogma his in musivis expressum jussu ac delectu Xysti, præstat illud attendere, quod præmiseram in Prolegomenis, ex epistola S. Adriani papæ, ad Carolum Magnum, de cultu sacrarum imaginum data, Romanos scilicet pontifices consuevisse post singula œcumenica concilia feliciter absoluta, in gratiarum actionem Deo dicare hujusmodi monumenta partæ per ipsum victoriæ catholicæ veritatis, ab hæreticorum insidiis et oppugnationibus vindicatæ, futura simul tropæa memoranda certaminis bene gesti, et incitamenta præclara fidelis populi ad constabiliti cultus hostiam bonorum omnium largitori offerendam. Enumerat Adrianus singulas œcumenicas synodos a decessoribus suis celebratas, et digitum intendit in sacras ædes ita exornatas a Silvestro post Nicænam, a Damaso post Constantinopolitanam, a Cœlestino et Xysto post Ephesinam feliciter absolutam: quæ nobis suggeret suis in actionibus et memoriam rei gestæ hisce parietibus commendatam, et dogma divini cultus in eadem constanter asseri iisdem Scripturarum documentis, per Liberianæ basilicæ musiva, perinde ac in concilio per sacros codices, repræsentatis.

4. Recolendum pariter duco, ex ornamentis plane similibus, non modo in Occidente, verum etiam in Oriente, positis in sacris ædibus a Magno Constantino, aut a proxime subsecutis principibus magnificenter constructis, et per pontifices solemniter dedicatis constare, sollicitos fuisse præsules de synodorum memoria illis inserenda, ut Ecclesia Dei promptius repeteret religionis actus divini Spiritus afflatu in iisdem synodis constabilitos. Sit instar omnium Ecclesia Bethlehemitica a Magno Constantio fundata, et subinde refecta cum suis musivis circa finem septimi et initium octavi sæculi, uti constat ex inscriptionibus non Græcis modo ac Latinis, verum etiam Armeniaca et Arabica lingua ibidem positis, et a præsule Jo. Ciampino editis in libro de sacris ædificiis a Magno Constantino constructis, cap. 24. Complurium conciliorum imago et memoria ibidem exhibetur; imago quidem *per altare musivo expressum*, in quo sancti Evangelii codex de more collocatus tanquam in suo throno residet: eo scilicet ritu, quo in sacris conciliis proponebatur tanquam supremus judex et oraculum fidei; memoria vero et indigitatio cujusque concilii per epigraphen singulis imaginibus aptatam Græcis plerumque litteris: ut in arcola tertia concilii Ephesini (de quo agi et in Liberiana ostendimus) memoria ita proponitur:

Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΕΦΕ
CΩ ΤΟ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΤΩΝ C ΑΓΙ
ΝΩ etc.

Latine redditur apud Ciampinum:

Sancta synodus Ephesina prius ducentorum Patrum sub Theodosio juniore coacta est contra Nestorium, qui Christum in duas personas dividebat, et Matrem Domini Deiparentem non fatebatur. Definivit autem sancta synodus et confessa est Unigenitum Dei de cœlis descendisse, et incarnatum fuisse de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et humanatum fuisse secundum unionem hypostaticam, et eam quæ ipsum peperit Deiparam esse, et Nestorium anathemate percussit.

Quod in Bethlehemitica Ecclesia litteris expressum fuerat de sacris conciliis circa finem sæculi septimi, id multo ante pictura reddiderant complures Ecclesiæ orientales, ita ut pictura quatuor aut sex priorum generalium synodorum nomen haberet proprium, ut in sect. 174 et 179 Bibliothecarii observabimus; sive *Botarea* dicenda sit, sive *Pancarea*, ut alii corrigunt, sive, ut Macro visum fuit, *Bolarea* a Græco vocabulo Βουλή; *conciliare* quid sonans. Imaginem igitur illam sex conciliorum generalium in Ecclesia Constantinopolitana depictam Philippicus imperator Iconoclasta deposuerat, Theodosius Junior restituit. Biblioth. 179: « Protinus etiam ut ingressus est memoratus Theodosius regiam urbem, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ erant sex synodi depictæ, et a Philippico nec dicendo fuerat deposita, pristino erexit loco. » Vide Baronium ad ann. 711. Romani vero statim ac Philippici ad impe-

Digitized by Google

rium promoti sensus hæreticos perceperunt, zelo fidei succensi (ut ait Biblioth. sect. 174) « imaginem, quam Græci Votaream vocant, sex continentem sanctas, et universales synodos, in ecclesia beati Petri erexerunt. » Synodorum hujusmodi memoriam illis in imaginibus dedicatam ita venerabantur etiam Ecclesiæ longius dissitæ, ut Græci ac Moschi suis quoque in Menæis apud Bollandianos videndis (Act. SS. Bolland., tom. I, mens. Maii) frequenter expresserint. Tanti nempe semper habitum fuit memoriam rei gestæ in conciliis, et fidei dogmata ibidem ab hæreticorum oppugnationibus liberata ad venerandum ac recolendum proponere tum his qui litteras nossent, tum his qui ignorarent, expositis ante omnium oculos picturis, musivis, anaglyphis, et inscriptionibus, dogmata ipsa et memoriam ad fidelium animos revocaturis.

5. Revertamur nunc ad epistolam Adriani papæ, affirmantem patere cuique posse, Xystum in Liberiana basilica id præstitisse post Ephesinam synodum, quod post Nicænam Silvester in Lateranensi, post Constantinopolitanam Damasus in suo titulo jam præstiterant, nempe rei bene in concilio gestæ memoriam dedicare, dogmatis ibidem asserti fidem excitare, ac cætera religionis officia, quæ venerabilium imaginum prospectus, menti contuentium in Deum elevandæ ansam præbens, solet reddere paratiora.

Porro quæ fuerant in concilio Ephesino contra blasphemias Nestorii constabilita juxta regulam fidei de unigenito Dei Filio in utero Virginis hypostatice unito humanæ naturæ quam assumpsit, ac de titulo *Dei Genitricis* eidem Virgini tribuendo, non tantum hic exprimuntur, sed etiam divinæ Scripturæ loca potiora demonstrantur tum ex Novo tum ex Veteri Testamento, quæ adhibita sunt a Patribus Ephesinis ad veritatem eorumdem dogmatum ac revelationis nobis traditæ comprobandam.

6. Quæ seliguntur ex novo fœdere implent arcum præcipuum basilicæ, qui appellatur triumphalis. In summo ejusdem fastigio, ubi Xystus epigraphen posuit XYSTUS EPISCOPUS PLEBI DEI, delineata est area circularis exprimens apparatum concilii, nempe sacrum Evangeliorum volumen septem signaculis consignatum (ad Novi Testamenti indicium ex Apocalypsi faciendum) et collocatum in suggesto pro more conciliorum paulo ante memorato : quem morem in Ephesino custoditum leges in Apologia Cyrilli ad Theodosium cum actis impressa edit. Rom. pag. 624 D. Visitur quoque sedes episcopalis velis instructa, mensa altaris cum oblationibus coronatis, titulus crucis erectus, et sacræ imagines Petri et Pauli apostolorum hinc inde collocatæ prope sedem pontificiam : quæ omnia a Ciampino diligenter enumerata atque explicata, addita etiam figura peculiari hujus areæ orbicularis, ut singula distincte appareant, leguntur laudato tomo I veterum monumentorum pag. 200. Hanc aream veluti tabellam quamdam *votivam* (quod fortasse vocabulum barbare inflexit sequior ætas Anastasii quando appellavit *Votaream*) in gratiarum actionem Deo oblatam hinc inde sustinent SS. apostoli Petrus et Paulus, præcipui præcones apud nos illius Testamenti, quo veritas Ecclesiæ revelata manifestatur, et traditione, testimonio, ac sententia Patrum in Christi nomine sub Petri et successorum primatu in conciliis congregatorum hæreses universas profligat ac destruit. Quatuor quoque evangelistæ circa apostolorum capita expressi consuetis symbolis quatuor animalium, Ezechielis et Joannis descriptione notorum, ad currum gloriæ Dei impetu ejusdem Spiritus ubique gentium trahendum destinati, veluti cœlestis quadriga in arcu triumphali dedicata divinitatem atque humanitatem Christi Domini in unica Verbi persona mirabiliter subsistentem, et in concilio adoratam confessione totius Ecclesiæ (in summo arcus fastigio Christi monogrammate ☧ expressam ornato litteris A et Ω, demonstrantibus eumdem esse rerum omnium *principium*, ac *finem* ad quem referuntur) ad culmen provehit laudis, cui cœlites accinant, et omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum. *Vide Tabulam, lit. A.*

Hic igitur titulus dedicationis, et argumentum historiæ simul rerum gestarum et adorationis debitæ a fidelibus addiscendæ, ita compendiose proponitur in votiva imagine post concilium Ephesinum a Xysto posita, ut in eodem arcu triumphali documenta pingat Novi Testamenti, quibus potissimum Patres Ephesini, et is præsertim qui apostolicæ sedis nomine præsedit Cyrillus, divinam Verbi personam in Christo adorandam apertis oraculis docuerunt; in lateralibus vero parietibus consensum addit Veteris Testamenti, sub variis figuris idem mysterium adumbrantibus, tali delectu ex his etiam habito ut illæ ut plurimum exhiberentur, quibus prædicti Patres Ephesini, et Cyrillus præ omnibus, usi sunt tum in concilii sessionibus, tum in libris editis ad ejusdem veritatis catholicæ demonstrationem.

7. Enumeratione igitur sola opus est ut cognoscamus in arcu maximo sive triumphali repræsentari præcipua testimonia Novi Testamenti declarantia fidem catholicam in Ephesina synodo per illa constabilitam ; ut subinde recenseamus in lateralibus musivis figuras in Veteri Testamento a Patribus iisdem productas, quæ juxta majorum traditionem eadem mysteria significabant.

Novi Testamenti oracula dogmatum illorum fidem nobis manifestantia exordium sumunt ab angeli Gabrielis Annuntiatione ad Virginem Dei Matrem designatam ex Lucæ Evangelio desumpta cap. II. Xystus curavit in suo musico exhiberi angelum salutantem, Virginem respondentem, et Spiritum sanctum supervenientem, ac divinitus obrumbrantem. *Tab. I, l t. B.* Huic historiæ evangelicæ adjecit Xystus in hoc musivo revelationem adorationis angelorum tunc præstitam Verbo sumenti carnem ex Virgine consignatam in Epistola Pauli ad Hebræos cap. I, illis verbis, psalmi testimonio comprobatis : *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei.* Addidit ergo figuras angelorum reverenter astantium, quales ante thronum Dei vidit Joannes Apoc. cap. VIII, n. 2. Utraque hæc testimonia, Gabrielis scilicet nuntiantis Virgini eum qui carnem sumebat ex suis visceribus esse *Filium Dei ;* et Pauli prædicantis *adorationem angelorum*, Dei jussu tunc redditam Verbo Dei sumenti carnem ex Virgine, producta sunt in concilio Ephesino ad comprobandam Christi divinitatem, et unicam Verbi personam in duplici natura ex tunc subsistentem, actione prima, et quidem in primo ex Patribus testimonio ibidem producto, edit. Concil. Romanæ pag. 352, col. 1, nempe Petri Alexandrini episcopi et martyris, iterum recitato act. 6 ibi, pag. 454. Demonstratur ex verbis archangeli Christi divinitas, et unica Verbi persona : *Dominus tecum, hoc est Dei Verbum nunc tecum est. Nam illa Gabrielis salutatio Dei Verbum in utero virgineo natum et carnem factum insinuat. Hinc et scriptum est : Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; ideoque et quod natum ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Adorationem vero angelorum ex Epistola Pauli productam fuisse cognoscimus a Cyrillo in declaratione 8 Anathematismi 8 ideirco etiam relatam parte III concilii Ephesini, edit. Rom. fol. 509, his verbis.

ANATHEMATISMUS VIII

« Si quis dicere audet hominem assumptum una cum Dei Verbo adorandum, et conglorificandum, et Deum, tanquam alterum cum altero, connominandum esse (hunc enim intellectum particula *cum* adjecta, perpetuo ac necessario affert) et non potius una adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi

Digitized by Google

glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum A est caro, anathema sit. »

DECLARATIO VIII.

« Baptizati sumus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Filium, et in unum quoque Spiritum sanctum. An ignoratis, fratres (ait beatus Paulus Rom. VI), quia quicunque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus? consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Credidimus itaque, et baptizati sumus in unum, ut dixi Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, hoc est incarnatum, hominemque factum Dei Patris Verbum; unumque existentem Deum adorare edocti sumus, ac supernæ virtutes nobiscum. Scriptum est enim Hebr. I : *Cum autem introducit Primogenitum in orbem terræ dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei* (*Psalm.* XCVI). Factus est autem unigenitus primogenitus, quando nobis similis B apparuit. »

8. Huc igitur pertinet expressa Annuntiationis Deiparæ historia, quæ Gabrielis archangeli ex verbis et ex adoratione angelorum probat Verbum Dei, quando caro factum est in utero Virginis non desisse id esse, quod erat, atque adeo adorandum ut Deum Filium Dei ita natum ex Virgine, et Virginem esse *Deiparam* appellandam. Addita est etiam in musivo figura Zachariæ ab eodem angelo Gabriele audientis oraculum nasciturl sibi filii Joannis qui præcursor esset Domini, ex utero Matris replendus Spiritu sancto : ut integrum scilicet exhibet primum caput Evangelii Lucæ, in quo tum angelus, tum sacerdos, tum Elisabeth divinitatem Christi testantur. Gabriel angelus de Joanne ad Zachariam loquens prædicit futurum *magnum coram Domino*, sed non *Dominum*, *aut Filium Altissimi*; de Jesu vero ex Virgine nascituro annuntians non tantum magnum, sed *Filium Altissimi* Filium Dei appellat C Christum (*Lucæ* I). Sacerdos Zacharias de suo Joanne juxta angeli monitum eadem profert, fore *prophetam* qui paret viam Domino; de Domino vero Christo, qui visitavit nos oriens ex alto, multo excellentius loquitur, cum dicit, *illuminandos ab ipso, qui ita ortus est ex alto per viscera misericordiæ Dei, eos qui sedent in tenebris et umbra mortis*. Hæc alius Evangelista dilectus Christi discipulus plenius exponit, de Joanne dicens (*Joan.* I) *illum non fuisse lucem quæ illuminat omnem hominem, sed hanc lucem fuisse Verbum, qui Deus erat in principio apud Deum, et caro factum est, et habitavit in nobis*. Cyrillus vero in homilia Ephesi habita contra Nestorium et impressa parte prima concil., act. 1, pag. 587 edit. Romanæ, respicit ad Zachariæ testimonium, et invenit Divinitatis Christi assertionem in relatis verbis, cum ait de Virgine Deipara : per quam *Unigenitus Dei Filius iis qui in tenebris et in umbra mortis sedebant lux resplendet*. Elisabeth illius uxor Virginem Mariam D Dei Genitricem fatetur cum marito, quando eam ita alloquitur : *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui*; et : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* (Vide tab. 1, lit. C.)

9. In adverso quoque fastigio hujus arcus S. Xystus exhiberi curavit pueri Jesu præsentationem in templo : ubi scilicet Simeon senex, et Anna vidua reddunter divinitatis contestes a Spiritu sancto per eorum ora loquendo, ut scilicet monente nos Ambrosio in Luc. c. II, omnis ætas et uterque sexus, et eventorum miracula fidem adstruant. *Tab.* 1, *l. D.*

Tot sunt divinitatis Christi præconia in primo et secundo Lucæ capite expressa, et inde selecta a Patribus Ephesinis, præcipue a Cyrillo, ut Xystus papa eadem colligenda esse duxerit in serie superiori hujus musivi tanquam arma fidei nostræ potissima, quibus parta est victoria veritatis contra hæreticorum blasphemias.

Succedit in serie secunda ejusdem arcus adoratio magorum indicio stellæ cœlitus misso ad natum Dominum accedentium. Nemo ignorat ex consensu Patrum nos esse edoctos divinitatem Christi Domini in hac evangelica historia probari, quæ Matthæi II recensetur. Satis est legisse Hieronymum ex Juvenco presbytero versus proferentem :

Thus, aurum, mirrham, regique, homi ique, Deoque
Dona ferunt.

Et illa Prudentii carmina, quæ Ciampinus retulit in hujus musivi descriptione vet. Monim., cap. 22, tom. II, pag. 208 :

Hic pretiosa magi sub Virginis ubere Christo
Dona ferunt puero, myrrhæque, et thuris, et auri,
Miratur Genitrix tot casti ventris honores;
Seque Deum genuisse, hominem, Regemque supremum.

Ea modo non inquirimus, quæ alibi de hoc mysterio et historia sunt prolata : sed illa respicimus quæ a PP. Ephesinis sunt de hoc Evangelii capite deprompta ad dogma fidei comprobandum adversus Nestorium. *Vide tab.* 1, *l. E.*

Recitantur ibi actione 1, pag. 351, ex Amphilochio Iconii episcopo hæc verba : « Quoniam enim idem rex et Deus est, et mortem ob passionis dispensationem gustavit, munera mysteriorum sunt indicia : offerunt magi *aurum*, cognoscentes ipsum esse *regem* : offerunt *thus*, norunt enim se *Deo* offerre : offerunt *myrrham* propter *mortem* in mysterio passionis. » Lecta est pariter inter cætera Patrum scripta in Ephesina synodo Theodoti sanctissimi episcopi Ancyræ homilia habita in Nativitate Salvatoris nostri Jesu Christi, et pag. 602 impressa in edit. Romana conspicitur. Sanctus iste præsul dogma de quo agimus ita exponit. « Nam et magi ei qui videbatur *thus* obtulerunt tanquam *Deo*, non separantes naturam a natura, neque cogitatione dividentes quod semel unitum est, sed semel miraculo *eum qui apparebat* noscentes *Deum*, *thus* obtulerunt, eo munere divinam dignitatem indicantes. Neque autem angeli intelligentia, ut tu dicis, quod natum est a Deo Verbo separaverunt; sed eumdem esse scientes, et visibilem et intelligibilem clamabant, dicentes : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas; et non alia quidem dicentes, ut ipse facis, cogitantes autem alia; et verbis quidem confitentes unum Christum Jesum, cogitatione autem dividentes eumdem, sicuti tu sensus habens repugnantes verbis; sed unum eumdemque glorificant Deum. » Ita addit complura Theodotus contra Nestorianorum errores, hac ipsa ex historia perperam explicata propriis hæresibus patrocinia conquirentium; quos etiam non reticuit Cyrillus in ead. edit. Concil., pag. 513, producens Orientalium oppositionem ex adoratione magorum et angelorum, quibus pag. 514 ita respondet : « Dona vero allata esse dicunt a magis convenientia et ei qui intelligebatur, et ei qui videbatur, dividentes in duos iterum post unionem unum Dominum Jesum Christum. Qui enim intelligitur factus est visibilis non immutatione naturæ, sed unitione cum corpore quod videbatur... Convenientia igitur fuerunt dona illa uni, hoc est Christo : etenim est in eodem Deus simul et homo idem. Hac ratione nato ipso chori quidem cecinerunt sanctorum angelorum, exercitus quoque spirituum dicentium ipsum Salvatorem ac Redemptorem. » Complectitur tam Cyrillus quam Theodotus adorationem angelorum et magorum. Complectitur et in Musivo suo Xystus. Nam præter magos dona offerentes exprimi voluit angelos Christo puero non secus ac Dei throno astantes; et quidem observat Ciampinus in hujus Musivi descriptione Christum Dominum ibi non repræsentari infantem pannis involutum et reclinatum in præsepio, sed puerum in solio regio potius quam in lectulo considentem. Divinitatem Christi Domini ita figuratam etiam in puero Jesu monet Ciampinus ex psalmo CIX, *adeo ut*,

Digitized by Google

inquit, *ad mysterium potius in hoc respexerit pictor, quam ad historiam.* Malim ego ex Patribus Ephesinis quam ex pictoris arbitrio eamdem mysterii expressionem repetere. Ita enim Theodotus prosequitur in homilia paulo ante laudata : « Tanquam regem quærebant magi, regis nativitatem interrogantes, Judæisque dicentes : *Ubi est qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Regem quæris, o mage? et cur tanquam Deo thus offers? sed novi et regem et Deum. Propterea et aurum ei offero, et thus, muneribus simul Deum, simul regem designans. »

« Sed ille qui tunc magos ineffabili virtute ad pietatem traxit, idem lætam hanc festivitatem hodierno die constituit : non jam in præsepe positus, sed in hac salutari mensa propositus. Illud namque præsepe mater factum est hujus mensæ. Propterea in illo est positus, ut in ista edatur, et fidelibus fiat salutaris cibus; sed illud præsepe quidem claram hanc mensam designavit. Virgo autem choros istos virginum germinavit. Bethlehemitici autem diversorii vilitas clara hæc templa exstruxit, etc. Vides paupertatem tantarum factam divitiarum parentem. Quid enim exprobras Christo Bethlehemiticam humilitatem? Cur paupertatem profers in medium, lucra exinde orbi terrarum parta non comparans? »

Hæc scilicet Theodotus, et plura quæ consequuntur respondet Nestorianis, idcirco dividentibus impie Christi personam unicam in duas, quod ipsis repugnare videbantur dignitati Dei ea quæ Verbum caro factum patiebatur ut homo. Thronum igitur Dei, quod etiam in præsepi agnoscit Theodotus, in musivo exhibet Xystus, ut Ephesinæ probationes catholici dogmatis hoc in Musivo ubique elucescant, et proponantur sanctæ plebi Dei has imagines conspicienti.

10. Subest in eadem parte musivi et arcus triumphalis *tab.* I, *l. F.* Innocentium parvulorum strages, quos a bimatu et infra rex Herodes occidi jussit in Bethlehem, et finibus ejus, postquam ex adventu magorum natum regem Judæorum quærentium ansam arripuit congregandi sacerdotes et scribas, et ab his audivit prophetarum oraculis testatum esse in Bethlehem Judæ nasciturum. Perculsus enim timore fuit, ne ab hoc puero rege solio deturbaretur. Hunc Herodis timorem, ab Infante Domino in pannis, et in præsepi nato incussum armato regi, ejusque satellitio per cædes impune debacchanti, sancti Patres proponunt uti argumentum divinitatis Christi etiam in fasciis infantilibus conquassantis capita inimicorum. Sed in concilio Ephesino edit Rom Concil. tomo II, p. 354 A 355 B, adhibetur cum explicatione Theophili Alexandrini sexta primo in Epistola paschali ad confutandam Nestorii blasphemiam, quæ Pauli Samosateni hæresim recoquebat (uti Cœlestinus papa ad clerum et populum scribit, et idem clerus contestatur, Concil. Eph. edit. Rom. tom. I, pag. 283, D et 268 D), dicens alium esse Christum qui ex Virgine nascebatur ejusdem Virginis Filius, et alium Filium Dei qui ante Mariam et ante sæcula Verbum erat Patris ; et idcirco hunc Filium Dei et Verbum non vere passum nec vere incarnatum, sed tantum ficte et imaginarie, uti docebat impiissimus Manichæus.

Contra has igitur hæreses Nestorii in blasphemia inclusas, aut certe ex illa consequentes, inter cætera Scripturarum oracula ex Novo Testamento adhibentur testimonia quæ probent puerum Jesum etiam in ætate infantili se verum hominem et verum Deum insimul comprobasse, dum nostræ humilitatis et carnis assumptæ incommoda universa patitur, peccato duntaxat excepto, et naturæ divinæ, quam nunquam dimisit, potestatem ac vim eodem tempore exercet ac manifestat. Edit. Rom. pag. 355. « Quamvis nativitatis modo a nobis differret, » ait Theophilus, « similitudinem tamen nostram, peccato duntaxat excepto, per omnia amplectendam existimavit. Nam et nascitur et fasciis involvitur, et lactatur, et in præsepio ponitur ; et omnes denique propter antecedentia peccata naturæ nostræ infirmitates experitur. Interim tamen cum infans adhuc esset, inimicum, ipsiusque cohortem exterruit, magosque ad pœnitentiam adduxit, et ut regis, a quo præceptum acceperant, præceptum contemnerent intrepide effecit. »

Antequam Theophilus ista conscriberet, usus fuerat his eisdem infantiæ Christi Domini testimoniis Irenæus, ut os hæreticorum sui temporis obstrueret, et divinam humanamque naturam in una Christi persona, nempe Verbo Dei, subsistentem inde probaret lib. III, cap. 18, *contra eos qui dicunt illum putative apparuisse.* Postquam enim ad veritatem divinæ et humanæ naturæ in Christo comprobandam adduxit hactenus enarratas scripturas, nempe angeli Gabrielis annuntiationem et magorum adorationem, adhibet etiam cædem infantium præ timore regis Christi in Bethlehem nascentis ab Herode occisorum : quos martyrum flores et veritatis hujusmodi testes non loquendo sed moriendo effectos Ecclesia a primis illis sæculis veneratur, uti probant hæc ipsa testimonia Irenæi, et Homiliæ Origenis, atque aliorum Patrum.

Verum ne extra orbitam divagemur allegationum quas Patres Ephesini adhibent hujusmodi scripturarum ad dogma catholicum contra Nestorianos errores confirmandum, satis fuit ex Theodoti homilia ibidem recitata et Patrum acclamatione comprobata ostendisse, cur Xistus in musivo cum adoratione Magorum expresserit reliquas partes ejusdem historiæ nempe Herodis percontationem ubi Christus nasceretur, et cædem infantium. His enim gestis comprobatur : puerum illum adorari oportere cum magis ut Deum, qui tantis indiciis prædictum fuerat a prophetis in Bethlehem Emmanuel nasciturus ; et simul verum hominem habendum esse, qui nuntiabatur : Virgine concipiendus de stirpe David, et ut vere natus intra Bethlehemiticos fines inter bimulos infantes conterraneos quærebatur ad necem. Id unum præterire non debeo quod gloriæ Xistini operis multoque magis catholicæ fidei hisce ex imaginibus accedit, nempe hoc in dilecti evangelicæ historiæ et Ephesinæ nostræque confessionis quotidie Xystum repetere id quod perinde docuit proximus ejus successor in cathedra Leo Magnus, ac universi dignissimi successores, quorum nomine et suo post sæcula XIII, Clemens XI in hac schola eruditus inde collegit, et nos edocuit in Homiliis de Dominica Nativitate idem repetere (ex S. Leo. M. homil. 8 de Nat. Domini) : « Dominus David factus est filius David, et de promissi generis fructu proles est orta sine viro, in unam personam gemina conveniente natura : ut eodem conceptu, eodemque partu gigneretur Dominus noster Christus, cui vera inesset deitas ad miracula operum, et vera humanitas ad tolerantiam passionum. » *Clem. XI, hom. an.* 1703, *de Nat.*

11. Aptantur huic confessioni partes evangelicæ historiæ in reliquo arcus ejusdem musivo per Xystum repræsentatæ *tab.* I, *l. G*, nempe pueri Jesu inter doctores reperti profectus ætatis et gratiæ, ac reversio cum matre Virgine, et cum nutritio Josepho, ei esset subditus illis (*Luc.* II). Hanc historiam non inutiliter recensuit Xystus Ephesinæ synodi triumphum exhibens. Abusus fuerat impius Nestorius hujusmodi testimonio evangelico, ut in quaternione sexto perscripsit, publice lecto in sancta synodo, act. prima, p. 363, quasi inde confirmaretur blasphemia, qua Christum affirmabat paulatim evectum ad pontificiam dignitatem, adeoque abesse a Deo Verbo, suapte natura perfecto et impassibili, hunc pontificem passibilem et proficientem.

Perversam hanc interpretationem Scripturæ Patrum indignatio, ut par erat, excepit : multavit auctorem anathemate ac depositione ab episcopatu, juxta sententiam Cœlestini. Legitimum vero sensum

Digitized by Google

textus evang lici exposuit Cyrillus in defensione Anathematismi quarti contra Orientalium oppositiones, pag. 523, collata interpretatione cum Pauli epistolis (*prima ad Corinth. et ad Romanos*) : cui sanctorum Patrum concinit chorus, inquit, et ostendit productis in medium scriptis Attici Constantinopolitani, et duorum Romanorum pontificum Julii, ac Felicis. Undecunque igitur constat delectum Xysti in imaginibus hujus musivi, ex evangelica Historia depromptis ad arcum decorandum Ephesinæ synodi dogmata continere, et probationes dogmatum in ea productas, et quasi fidei signaculo munitas hic exhiberi consensu Patrum jure acclamantium, pag. 405 : « Novo Paulo Cœlestino, novo Paulo Cyrillo : Cœlestino custodi fidei, Cœlestino cum synodo concordi, Cœlestino universa synodus gratias agit. Unus Cœlestinus, unus Cyrillus, una fides synodi, una fides orbis terrarum. »

12. Ultra infantiam ac pueritiam Christi Domini non progreditur evangelica Historia hoc in musivo repræsentata, ea scilicet de causa, quia præcipuum causæ momentum ad definitionem contra Nestorianorum hæreses, pronuntiandam in eo versabatur, ut demonstraretur ab ipso conceptionis exordio illum qui nascebatur in utero Virginis Christum esse hominem pariter ac Deum verum ; quo semel comprobato per gesta in annuntiatione Deiparæ, in nativitate Pueri, in adoratione magorum, in præsentatione ad templum, in disputatione doctorum, et in regressu cum parentibus in Nazareth ; consequens erat ut cæteri quoque actus vitæ, mortis, resurrectionis Domini declarantes ejusdem humanam divinamque naturam in Verbo perenniter subsistentem, ostenderent dogmatis catholici regulam ita de Christo sentire per omnium ætatum gradus : et ab eadem regula aberrasse Nestorium, dum asserit (*Prosper. Chron.*) « Christum ex Maria hominem tantum non etiam Deum natum : eique divinitatem collatam esse pro merito. » Quare cum Gregorio Nazianzeno, actione 1 recitato, statuendum (Edit. Rom. pag. 557) : « Si quis ex operibus perfectum, aut post baptismum aut resurrectionem ex mortuis in Filium adoptari meruisse dixerit, quemadmodum ethnici ascriptitios inducunt, anathema sit. » Deum itaque et hominem Christum de Spiritu sancto conceptum intacta Virgo dum utero gestat ac parturit, *Deipara jure appellanda*. His de gestis ita in concilio statuitur, et in musivo confirmatur per Xystum : cujus pariter dogmatis revelatio satis constabilitur ex infantia ac pueritia Domini Salvatoris, citra necessitatem exprimendi gesta post eam ætatem consecuta.

Fulavit Ciampinus in infima areola dextræ partis hujusce arcus triumphalis supra imaginem civitatis Hierusalem, ibi collocatam adjecto etiam nomine *Hierusalem*, referri Præcursoris Joannis feralem ab Herode prolatam sententiam in figuris quæ regem considentem inter plures exhibeat suo nomine prænotatum *Herodes*. Verum Herodes hic est ille cognomento Magnus, qui magos excipit adventantes ac interrogantes, *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Ante ipsum magi tres ornatu extero et ad iter succincti repræsentantur : ita ut plane constet esse partem historiæ adorationis magorum, in qua non secus ac in cæteris documenta prostant infantiæ Domini, puerum Jesum Deum et hominem, uti diximus, comprobantia, et in concilio Ephesino adhibita ad catholici dogmatis assertionem. *Vid. Tab.* I, *lit. II et I.*

13. Hactenus consideratis historiis ac documentis ex novo fœdere ita productis per Ephesinos Patres, et ita dispositis per Xystum in arcu præcipuo basilicæ supra aram principem constituto, convertamur modo ad reliquas imagines ab eodem Xysto dispositas per utrumque parietem dextra lævaque assurgentem ex presbyterio ad frontem ecclesiæ supra columnas : ut in eisdem cognoscamus gesta ac mysteria ex Veteri Testamento petita, et adhibita ad confirmandam fidem dogmatum propugnatorum per eosdem Patres, aut in concilio considentes, aut in concilio lectos et approbatos. Erit præ cæteris adhibendus Cyrillus, non modo in concilio præsens, verum etiam locum ac vices in illo administrans Romani pontificis Cœlestini : qui eadem se plane sentire cum Cyrillo diserte declarat, postquam parœneticas Cyrilli ad Nestorium ab hæresi revocandum litteras vidit : ita ut etiam vices illi suas concrediderit in concilio obeundas. Tantus autem fuit consensus doctrinæ Cœlestini ac Cyrilli, ut fateatur Cœlestinus, cupientem se nonnulla super addere, temperasse ab hoc studio, cum nosset omnes fidei suæ sensus in Cyrillo manifestari. Pag. 273 : « Quin et nos quoque, dilecte frater (inquit), nonnulla addituri eramus, nisi eadem omnia, quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspiceremus. » Cum igitur adoptet Cyrilli sensus pontifex Cœlestinus, presertim in hoc argumento, quod causam communis fidei declarandæ concilio dedit, et Patres concilii in eamdem sententiam subscribant et acclament, pag. 405 : « Unus Cœlestinus, unus Cyrillus, una fides synodi, una fides orbis terrarum, » perinde, fuerit a Cyrillo, vel a synodo, vel a Cœlestino doctrinam mutuari huic dogmati stabiliendo aptatam et in musivo repræsentatam a Xysto.

Age igitur conversi ad latus basilicæ proximum imaginibus gestorum Novi Testamenti jam explicatis in ea parte arcus quæ vergit ad meridianum, producamus singillatim ex Veteris Testamenti historia et oraculis præmissas ejusdem dogmatis figuras, a Patribus Ephesinis admissas et approbatas, atque explicatas juxta unanimem sensum Patrum ibidem contestantium scripto seu voce hanc esse fidem Cœlestini, hanc Cyrilli, hanc totius orbis terrarum.

Duæ ac viginti areolæ quadratæ supra ordinem columnarum in hoc pariete visuntur, respondentes totidem in adverso pariete apte dispositis et eleganter ornatis. Implet areolas musivum opus, in aliquibus deperditum, et pictura suppletum, in aliis vero aut integrum omnino, aut modico cum supplemento picturæ. Recensendæ tantum erunt integræ, aut modica in parte instauratæ, utpote quæ pertineant ad Xysti ætatem, unde probatio petitur dogmatis catholici tunc propugnati in synodo Ephesina, et hisce in figuris recogniti, quas ad perennem rei memoriam et constabiliti cultus exemplum Xystus Cœlestini successor apposuit veritati evangelicæ, luculenter expositæ in synodo, et in arcu nostræ basilicæ per historias jam recensitas incarnationis Verbi, et infantiæ Christi Domini.

14. Areola ordine prima, quæ scilicet jungitur angulo arcus triumphalis et presbyterii ex libro Gen. cap. XIV, refert historiam Abrahami ex pugna reverteutis superatis regibus Chodorlahomor et sociis. Occurrit redeunti cum victoria Melchisedech rex Salem, et protulit ipsi panes, et vinum. *Erat autem sacerdos Dei Altissimi, et benedixit ei Melchisedech.*

Producenda fuit Cyrillo contra Nestorium hæc figura in Veteri Testamento præmissa Christo Domino ad ejus sacerdotium æternum significandum : quia eadem ad suos sensus impudenter detorta abusus fuerat Nestorius, et abutebantur ejusdem asseclæ, licet nossent ipsummet Dominum Jesum divinitatis suæ dogma ex psalmo CIX, proponentem indicavisse versiculum, *Dixit Dominus Domino meo*, ubi eodem contextu sequitur titulus, *Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech*, eidem Domino, et Filio David per Dominum attributus, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Hanc legitimam, ac divinam interpretationem dissimulans, ac negligens Nestorius, pag. 563, ad hæreseos suæ placitum scelestе inflectebat tum psalmi oraculum, tum Pauli Epistolam eodem de sacerdotio loquentem, utramque Scripturam impie fœdans consuetis

Digitized by Google

de more blasphemiis, quas actione prima ex ejus quaternione 6 recitatas exsecrati sunt Patres, anathematis ac depositionis sententia contra Nestorium prolata.

Hanc vero imaginem sacerdotii nostri pontificis æterni præmissam in Melchisedech, et a Paulo apostolo rite allegatam, vindicavit Cyrillus a calumniis hæreticorum, et juxta consensum Patrum rite intelligendam de Christo Domino ostendit tum in libro de recta Fide ad Reginas impresso parte I concilii Ephesini, fol. 240, de quo mox erit sermo, tum in lib. II Glaphyrorum in Genesim sect. inscripta *de Abraham et Melchisedech :* qui titulus esse potest hujusce areolæ et imaginis quam contemplamur.

Agens itaque Cyrillus de typo Christi ejusque sacerdotii excellentia supra omnem cultum legalem nobis proposita in Melchisedech, et a Paulo apostolo rite explicata, ita scribit :

« Vides itaque perfectionis per Christum typos B clare in Melchisedech emicantes, et legalis cultus mensuram inferiorum. Siquidem indubitatum est quod omnino id quod minus est a majore et præstantiore benedicitur, juxta Scripturam. Radix autem quodammodo Israelitarum divinus Abraham, et excellens in ipso Levi divini sacerdotii gloria ornatus, cæterum adhuc in illius lumbis delitescebat. Siquidem beatus Abraham eorum, qui ex ipso progressu temporis orituri erant, potentia pater erat. At hoc quidem esse arbitror sapienter dictum de Levi. Adhuc enim erat in lumbis patris, quando illi obviam fuit Melchisedech. Benedicta itaque est justitia legalis per cultum in Christo, cujus typus est Melchisedech. Quod vero incomparabiliter utilior sit ea benedictio, quæ benedicendi facultate prædita est, quam ea quæ illa virtute caret, nemo quidem dubitaverit. »

Deinde procedit Cyrillus ad uberiorem hujus typi declarationem. Et primo recenset obiter varias quasdam, vanasque opiniones de ipso Melchisedech. C « Interroget autem fortasse (inquit) et præ cæteris discendi cupidus, quisnam fuerit Melchisedech. Varias enim opiniones de eo comminiscuntur variis nugis imprudenter capti, et divinæ Scripturæ consuetudinem non bene callentes. » His nugis relatis, ac refutatis ait : « Apage igitur cum ista cogitationum absurditate. Melchisedech itaque homo fuit, non Spiritus sanctus. » Et paulo post ad verum hujusce typi sensum ex Paulo apostolo declarandum accedens ita scribit. « Paulus, utpote qui legem optime callebat, non simplicibus argumentis cum Judæis agebat, sed scriptis Mosaicis, quibus verisimile erat ipsos etiam nolentes cessuros, qui veritati repugnare norant. Statuit itaque Melchisedech in similitudinem, ac typum Christi, propterea quod dicatur Rex justitiæ et pacis. Convenit enim hoc soli mystica ratione Emmanueli. Justitiæ enim, ac pacis auctor, atque largitor effectus est mortalibus. Justificati siquidem sumus per ipsum (*ad Rom.* I, et I *ad Cor.* VI) excusso peccati jugo. Consecuti etiam sumus pacem D ad Patrem, ac Deum, etc. Aptavit itaque divinus Paulus hæc ex similitudine clara, ac manifesta Melchisedech Christo. Statuit autem Symbolum, sive typum sacerdotii præstantioris, quam est legale, benedictionem Abrahæ factam, vinique, et panis oblationem. Neque enim alia ratione benedicti sumus a Christo, magno ac vero sacerdote. » Denique probat Paulum legis peritum ibi curasse confutare duo præjudicia Judæorum, qui putabant antiquari non posse legale mandatum Moysi, nec sacerdotium a tribu Levitica transferri. « Conatur itaque Paulus (ait Cyrillus) ipsa etiam Scriptura sacra probare, quod et legis novitas, et Sacerdotii ipsius translatio prædicta sit, quodque utriusque significatio in typis prænuntiata fuerit. »

« Nestorius impie negabat Christum Deum Verbum, hominemque, sacerdotemque esse, ac pontificem : A cui succinebant sectarii in objectionibus relatis concil. Ephes. parte III, pag. 532 edit. Rom. ad Anathematismum 10 : « Si quis dixerit pontificem, et apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, postquam caro et homo nobis similis factum est, etc., anathema sit. » Cavillos Nestorianorum ex Melchisedechi historia perperam explicata contra Patrum traditionem dissolvit Cyrillus, secutus præcedentium Patrum doctrinam, qualis est Hieronymi ita scribentis ad Marcellam. « Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis : qui jam tum in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium Christianorum in Salvatoris sanguine, et corpore dedicavit. » Neque ab his dissentit Justinus martyr in Dialogo cum Tryphone pag. 9, F, col. 2 edit. Lat. Rursus Cyrillus in libro de recta Fide ad Reginas inserto concilii Ephesini parti primæ edit. Rom. pag. 258, num. 37, et in declaratione Anathematismorum 10 et 11 ejusdem concilii, part. III, pag. 511, paria cum Hieronymo facit. Utrique enim sequitur Paulum apostolum docentem, ad Heb. VII, 10 et 18, et cap. X, 13, typum Christi pontificatus, ac sacerdotii potioris supra Leviticum præmitti in Melchisedech rege Salem, et idcirco dici Christum Dominum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron. Concludit ergo Cyrillus Glaph. lib. II, pag. 63, E : « Statuit itaque sacerdotem Melchisedech non ex tribu Levitica. Deinde ostendit sacerdotem quidem fuisse altissimi Dei, offerentem vero panes, et vinum : atque ita de ipso ait : Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est a fratribus suis, quamquam et ipsi exierint de lumbis Abraham. Cujus autem generatio non annumeratur, in eis decimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit, » etc.

« Demonstratum itaque est ad Hebr. VII in Melchisedech, transferendum esse sacerdotium a tribu secundum legem id exercente, et alterius sacerdotii modum ac legem exoriri... Idcirco divinus Paulus de his rebus tractans, ita ait : Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. Et rursum : Et amplius adhuc manifestum est, si secundum ordinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim : Quoniam tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech. »


Hac apostolica interpretatione subnixa, Latina Ecclesia memorat sacrificium et sacerdotium Melchisedech, utpote typum æterni sacerdotii Salvatoris nostri Dei, non modo in solemni officio hujus institutionis ante quinque sæcula jussu Urbani IV contexto per B. Thomam Aquinatem, ubi exordium ducit ab antiphona Vespertina psal. 109 præmissa : *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit ;* sed etiam in canone missæ, et quidem prioribus Ecclesiæ sæculis scripto.

Reperitur enim tum in Sacramentario Gregorii, tum ætate beati Ambrosii expressum, ut ille recitat lib. IV de Sacramentis, cap. 6, cujus typi relationem ad Christi Dei, et hominis sacerdotium significandum exponit cum apostolo Paulo totidem ferme verbis, ac sensibus certe iisdem, quibus Cyrillus laudato loco.

Jure igitur collocat Xystus III inter monumenta victoriæ a catholica veritate relatæ contra Nestorii blasphemias Christo Domino denegantes divinam naturam, et sacerdotium æternum, consignatas in

Digitized by Google

hisce musivis operibus basilicam adornantibus Deiparæ illius Matris, imagines Melchisedech sacerdotis Dei summi panem ac vinum offerentis, et Abrahamo benedicentis, juxta nobis traditam ab apostolo Paulo interpretationem in canone missæ dedicatam, ab Ambrosio et Cyrillo contestatam, et a Hieronymo, rejectis et abrogatis commentis hæreticorum Nestorianorum, ad sua placita distorte trahentium ipsius Melchisedech historiam et sacerdotium.



15. Succedit proximus iconismus repræsentans Abrahamum hospitio excipientem tres viros qui apparuerant, mensamque iis apparantem, et a Deo recipientem Messiæ repromissionem.

Propugnator catholicæ fidei contra Nestorianos Cyrillus eamdem historiam exponit in laudato Glaphyrorum libro capite proximo ab eo in quo explanaverat typum Abrahami et Melchisedech, ita exorsus cap. 1, lib. III, cui titulum indidit : *De Abraham*, *et de promissione per Isaac, et quod per ipsos præfiguratum sit fidei mysterium.*

Pontificem, inquit, *et apostolum confessionis nostræ factum esse Christum divinus Paulus scribit*, etc.

Sed expressius manifestat in priori libro contra Julianum ita scribens, ut comprobet divinitatis proprietatem esse quid inenarrabile, cum infra ejus dignitatem sit quidquid exponitur de illa humano sermone; et idcirco per typos ac figuras veluti per

Digitized by Google

speculum aut ænigma, nos in divinis litteris edoceri, sicut de consubstantialitate trium divinarum personarum in typo trium virorum apparentium hospiti Abrahamo. « Sic denique, inquit, divinum illum Abrahamum institutum asseveramus, quippe de illo ita scriptum est : Apparuit ei Deus ad quercum Mambre sedenti, ad fores tabernaculi ejus. Cum meridie aspiceret, suis oculis vidit, et ecce tres viri steterunt supra ipsum, et conspicatus in occursum eis properavit, præque foribus tabernaculi sui provolutus adoravit : Domine, si inveni gratiam coram te, ne præterieris servum tuum. Et post alia dixit ad ipsum. Ubi Sara est uxor tua? Ille respondens ait : Ecce est in tabernaculo. Dixit vero : Rediens veniam ad te, et circa tempus illud opportune Sara uxor tua filium habebit. Ecce apertissime sibi visum Deum ait, fuisse vero tres homines conspectos : accurrentem vero divinum Abrahamum non tanquam tribus dixisse : Domine, si inveni gratiam coram vobis, ne præterieritis servum vestrum ; sed Dominum unice vocantem tres tanquam unum uti ad se diverterent, rogasse, quando et tanquam unus existentes, tres velut ex una persona dixerunt, Ubi est Sara uxor tua ; et illud. Rediens veniam circa hoc tempus mature. Cerne igitur, cerne visos tres quidem existentes et propria unumquemque subsistentia verbo consubstantialitatis subjacentes, in unum comprehensos, ac ita colloquia inter se data opera miscentes. Sed hujusmodi imagines obscuræ quodammodo, et multum infra veritatem sunt, nisi quod alicui usui sunt ad nos quasi manu ducendos in earum rerum cognitionem, quæ mentem et orationem exsuperant. Quippe purissimis duntaxat mentibus divinæ visionis lumen illabitur, ac tanquam ab iis quæ sub sensum cadunt, ad ea quæ sensu nostro, et vi rationis longe majora sunt, evolamus. Una est enim consensu omnium divinitatis natura, quæ super omnes, per omnia, et in omnibus est : per intellectum vero extenditur in sanctam, venerabilem, et consubstantialem Trinitatem, in Patrem, inquam, et Filium, et Spiritum sanctum : nisi quod etiam subsistunt unaquæque dictarum personarum per se existentes reapse et vere id, quod esse dicuntur, tamen consubstantialitatis ratio in indifferentem eas naturam colligit. Genitus enim est Filius ex Patre, estque ex ipso, et in ipso naturaliter : procedit etiam Spiritus proprius existens Dei et Patris, et similiter Filii. Sanctificat enim Pater per ipsum id quod sanctificari aptum est. Non igitur ignoravit progenitor noster Abraham adorare in sancta Trinitate terræ et cœli, omniumque rerum architectum, penes quem universa est potestas. » (*Confirmat. in lib.* VIII, *pag.* 268.)

Proponitur itaque in typo fidei Abrahamo consubstantialis Trinitas adoranda, dum promittitur Filius Dei Deus in æternum manens in tempore factus homo de Virgine nasciturus, ejusque mysterii typus mox futurus Abrahæ et Saræ filius Isaac ; ut assuescat fidelis unum Deum adorare in trina hypostasi subsistentem, et unum Christum Deum et hominem confiteri, in unica Verbi incarnati persona duas naturas non confusas, sed in Verbi hypostasi unitas exhibentem.

Sive sub specie trium virorum Abrahæ apparuerit Dei Verbum, nempe Filius secunda Trinitatis persona duobus angelis stipata, uti placuit Justino martyri in Dialogo contra Triphonem pag. 55, et Irenæo contra hæres. lib. IV, cap. 25 (nam aliquot, ex his fuisse angelos constat ex Paulo apostolo ad Hebr. XIII), et Hilario in lib. IV de Trin., ita scribente : « Deus istic ad Abraham loquitur, parituram Saram pollicetur, post hæc viri tres sedenti assistunt : unum adorat, et Deum confitetur : idemque et adoratus et conspectus ab illo tempore eodem in futurum rediturum se promittit, et Saræ filium futurum. Virum enim licet conspectum Abraham Deum tamen adoravit : sacramentum scilicet futuræ corporationis agnoscens. Nec tamen tantæ fidei testimonio caruit : Domino in Evangelio dicente : Abraham pater vester lætabatur ut videret diem meum : vidit et gavisus est. Vir ergo conspectus rediturum se pollicetur. Contuere responsionis effectum. Memento tamen virum esse qui spondeat. Quid ergo Scriptura dicit? Et Dominus visitavit Saram. Vir ergo iste Dominus est, de quo Scriptura dicit effecisse quod spopondit. Quid autem sequitur? et fecit Deus Saræ sicut locutus est. Vir in loquendo nuncupatus, Dominus in visitatione significatus, Deus annuntiatur in facto. » Sive, inquam, cum hisce Patribus, dicendus sit ipse unigenitus Dei Filius unus cum Patre, ac Spiritu sancto Deus apparuisse Abrahamo inter duos angelos, ac se venturum spopondisse ; sive cum Augustino malit quispiam tres viros Abrahamo apparentes fuisse totidem angelos, quorum unus divino jussu responsa reddens delegantis Dei nomine loqueretur, ut in libris de Trinitate sentit et in XVI de Civ. Dei, cap. 29, perinde est, quod attinet ad argumentum nobis propositum a Xysto papa in hujus historiæ typo recognoscendum ; nempe ostendit divinitatem Verbi ita carnem assumentis, ut Dominus manens, qui semper est ante sæcula, fieret homo in plenitudine temporum, et Christus foret non homo Deiphorus ut blasphemabat Nestorius, sed Homo-Deus ut catholica confitetur Ecclesia sibi revelatum, ac traditum, et publice confessa semper fuit præsertim in concilio Ephesino. Unde et illius Dei-Hominis mater, et Virgo vere diceretur *Deipara*, utpote Genitrix vera ejus Filii, qui subsisteret per unicam hypostasim divinam Verbi Dei, non autem per creatam, quam somniati sunt impius hæresiarcha, ejusque asseclæ, divinam Verbi hypostasim in duplicem distrahentes (uti scribit Vincentius Lyrinensis) et Christum Deum appellari ægre patientes, sed potius contendentes dici divinitatis organum, et instrumentum, hominemque Deiferum, et alia his ineptiora, et vocem *Theotocos* aversati, sacram Virginem renuentes appellare Deiparam, ut conqueritur Cyrillus in epistolis paræneticis ad eumdem Nestorium datis, ac legendis concilii Ephesini part. I, pag. 255, edit. Romanæ.

Hisce igitur oraculis Scripturarum ita nobis expositis per apostolos Christi, eorumque successores legitimos, attendens Cœlestinus papa jure perscribit Cyrillo, et gratulatur, « eadem omnia quæ nos sentimus, ac tenemus ab ipso pariter sentiri ac teneri : et magnum esse hunc nostræ fidei triumphum, quod nimirum et nostra tam valide probaverit, et his opposita per divinarum Scripturarum testimonia tam potenter exposuerit. » Jure quoque proximus a Cœlestino successor Xystus triumphales hujusmodi typos fidei nostræ expositos per Cyrillum apostolicæ sedis vices tenentem in concilio Ephesino, et consensu Patrum redditos præclariores exponit plebi Dei spectandos prope arcum triumphalem ejus basilicæ, quæ ad incarnati Verbi mysteria, et Deiparæ Virginis titulum recolendum hac occasione fuit amplificata, et ornata monumentis, tum rei gestæ memoriam, tum debitam adorationis praxim Ecclesiæ universæ contestaturis.

16. Ne nimius videar in pertractatione argumenti similiter comprobati per singulas imagines utrumque basilicæ latus dextra, lævaque adornantes, satis fuerit enumerare veteres illas musivi Xystini quæ supersunt, et indicare testimonia Patrum, et conciliorum, præcipue Ephesini, ex quibus cognoscere quisque poterit delecias fuisse potissimum ex Pentateucho Mosis, et ex libro Josue illius successoris figuras, quæ dogmata fidei in Ephesina synodo declarata, et per Cœlestinum et Xystum confirmata ita proponunt, ut historiam simul rei gestæ, et normam adorandi præscribant.

Latus meridianum prosequimur, in quo Melchisedechi et Abrahami figuræ prima, et secunda jam explicatæ spectantur. Tertia succedit, in qua et

Digitized by Google

Genes. cap. 13 exhibetur Loth ob rixas pastorum se subducens a societate Abrahami patrui sui, et omnium credentium Patris, et sedem eligens apud Sodomorum uberes campos, sed infelici delectu, spectatis incolentium sceleribus divinam ultionem paulo post experturis. Sufficit B. Ambrosii doctoris indicatio ad typum hac in figura recognoscendum rerum sua ætate gestarum in causa fidei, quando et ipse contra hæresim Arianam, (haud admodum a Nestoriana diversam, cum utraque abneget Christi divinitatem, licet fallacia, ac methodo paulo diversa) utebatur, et oraculis Novi Testamenti, et typis eorumdem in Veteri adumbratis. Sanctus igitur doctor ita illustrat figuram Loth, ejusque pastorum cum pastoribus Abrahami rixas excitantium. « Qui igitur pastores sunt, et quorum animalium, et quæ rixa inter pastores Abraham, et pastores Loth consideremus. Pastores sunt magistri gregum. Qui sunt ergo pastores sensuum nisi præceptores, et quasi quidem rectores gregum, duces eorum, vel monitores alicujus sermonis, vel mentis nostræ cogitationes? Qui si pastoralis disciplinæ gnari et tenaces sunt, non permittunt longius sensuum gregem evagari, et inutilibus, ac novis inhærere pabulis, sed provido doctore revocant, et frænos rationis adhibent, atque obsistunt renitentibus. Mali autem præceptores vel inutilis disceptationis permittunt eos impetu suo ferri, et in præcipitium, ac periculum ruere. » etc.

Hoc igitur typo docet cum Ambrosio Xystus, non esse recedendum a vera doctrina per patrem credentium ad nos derivata, et per unigenitum Dei Filium factum inter nos primogenitum multorum in fide fratrum, quos ipse Patri suo adoptavit in filios, manifestata, et pastoribus populorum ab ipso tradita; sed huic firmiter inhærendum, ne cum scelestis alienigenarum stirpium propaginibus communi ruina involvamur.

17. Pergit in proxime depositis imaginibus Abramidarum, benedictionis paternæ ac doctrinæ hæreditatem, typum adumbrare Verbi Dei carnem sumentis ex Virgine, et catholicæ veritatis dogmata hoc de mysterio ab Ephesinis Patribus confirmata plebi Dei tradere. Et tres quidem areolæ succedentes cum suis musivis omnino dirutæ in Paulini sacelli constructione solum desiderium nobis fecerunt reliquum historiarum in illis propositarum : quas ad Abrahami et Isaaci sacrificium, et ejusdem Isaaci actus reliquos usque ad supremam benedictionem opinamur pertinuisse, cum typi hujusmodi ordine eodem succedant in libris Glaphyr. Cyrilli, necnon in Ambrosianis ad Geneseos consecutionem accommodatis.

Superstitum igitur series Isaaci patris figuram exprimit Jacobo filio benedictionem impartientis, quam sacer textus describit, cap. 27. Explanat autem Cyrillus Glaphyrorum lib. III, præsertim circa finem, agens de benedictione per Isaacum prolata supra Jacobum. « Transfertur benedictionis potestas in ipsum rursus Emmanuelem : *Serviant enim tibi gentes*, inquit, *et adorent te principes, et esto dominus fratris tui.* Nuncupatus est enim primogenitus Emmanuel, quando factus est secundum nos, et in multis fratribus. Sed neque ob hanc causam quippiam deperdat, quominus Deus sit et universorum Dominus. Adoramus enim ut Dominum, et dominatus est ut Deus eorum, qui in fratres vocati sunt per gratiam. *Quis enim in nubibus*, inquit, *æquabitur Domino, et quis similis erit ei in filiis Dei?* Dominatus igitur est Emmanuel ut Deus eorum qui ad fraternitatem adducti sunt : *et ipsi flectetur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitebitur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* »

Intelligit unusquisque Cyrilli dictis, ac typo benedictionis ab Isaac impertitæ Jacobo filio, contestium Scripturarum auctoritate ita explicato, configi hæresim Nestorianam : quandoquidem etiam in epistola ad Reginas, quæ part. II concilii Ephesini continetur edit. Romæ pag. 213, indicato testimonio superius adductæ epist. ad Phil. ita infert Cyrillus : « Quomodo is ergo Deus non est, qui in divinæ majestatis gloria existere hactenus prædicatus est? »

18. Figuræ proximæ usque ad duas postremas in eodem pariete superstites complectuntur historiam Jacobi patriarchæ : quam fidelis explanator Cyrillus, idemque vindex catholicæ veritatis contra Nestorium perpetuo ferme commentario componit cum typis dogmatum eorumdem antea exploratis.

In areola nona (nam octavæ musivum intercidit, et recenti pictura suppletum fuit) Jacobus patriarcha in domo Laban exceptus septennem operam in grege pascendo pollicetur Labano, ut nuptias assequatur Rachelis : et de Lia loco Rachelis contradita conqueritur. Secundum laboris septennium tolerat in decima areola expressum, quæ tamen dimidia parte musivi caret præ nimia vetustate delapsi. Consequitur tandem nuptias Rachelis in musivo undecimo expressas. In hisce omnibus gestis figuram Christi recognoscit Cyrillus tum in lib. de Ador. in spiritu et veritate pag. 65, edit. Paris., tum in lib. IV Glaphyr. in Genes. pag. 125. Cyrillo facem prætulit ad hæc explicanda Irenæus contra hæres. lib. IV, cap. 58. Utrique autem Justinus martyr in Dialogo cum Tryphone adversus Judæos circa finem : Quem Patrem libenter produco, tum ut proximum temporibus apostolicis, tum ut exemplar quoddam, cui Cyrillus inhæsit in methodo suæ explicationis, præmonstrante utrique eorum prototypum Paulo apostolo in Epistola ad Hebræos cap. 11, ubi per gesta et fidem patriarcharum, ac ducum populi Moysis, et judicum, necnon aliorum prophetarum, mysteria Christi docet præfigurata, et utramque Christi naturam divinam, et humanam in Verbi persona subsistentem typis eisdem propositam, quos referunt etiam sequentes figuræ, nempe :

19. In areola duodecima separatio gregum Labani, et Jacobi ex Genescos cap. 30, et versicolorum ovium copia Jacobo nascentium in areola decima tertia ex conspectis ramusculis platani, decorticatis, et projectis in canales inter potandum.

Luculenter hanc figuratam de Christo Domino exponit Cyrillus Glaphyr. in Genes. lib. V, pag. 148, ex illis verbis inchoans : « Virga nobis figurante adumbrat denuo Emmanuelem. Hinc subdit, abstulit Deus omnia pecora Patris vestri, et dedit mihi » eventui respondere plane divino : « adduxit enim Christus omnes, qui in mundo sunt ad se, propriisque suis ovilibus includens credentium greges, divitias habet Deo convenientes et gloriam præeminentem. Ait enim alicubi ad Patrem, et Deum cœlestem : Omnia mea tua sunt, et tua mea, et glorificatus sum in eis. » Neque aliter exposuerat Irenæus lib. IV, cap. 38 : « Variæ oves, quæ fiebant hinc Jacob merces, et Christi merces : quia ex variis et differentibus gentibus in unam cohortem fidei convenientes fiunt homines quemadmodum Pater promisit ei : *Postula*, dicens, *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* »

Subditur in spatio inferiori ejusdem tabulæ decimæ tertiæ occursus Jacob et Esau; quem ad Christi mysterium referri docet idem Cyrillus Glaphyr. in Genes. lib. I, pag. 162.

20. Quartadecima et quintadecima musivi tabulæ pertinent ad historiam Jacobi habitantis in tabernaculis Sichem, quando ejus filii Simeon et Levi, ulti cum fuissent injuriam Dinæ sorori illatam cæde Sichimitarum, increpantur a patre. Is vero Dei monitu ascendere jubetur in Bethel, relictis Sichimitis, et ibi constituere altare Domino, qui ei apparuerat cum fugeret a facie Esau : cui mandato parens patriarcha præcepit, ut universa gentium idola a suis abjicerentur, atque ita mundatis omnibus aram exstruxit in Luza, nominans locum Bethel, hoc est *domus Dei*. Hæc omnia ad Christi Domini typum

Digitized by Google

exigi demonstrat S. Cyrillus lib. VII Glaph. in Gen. pag. 221, factum Dinæ, ac Simeonis, et Levi ultionem expendens. Beatus vero Ambrosius (*de Jacob et vita beata* lib. II, cap. 7), contestis earumdem interpretationum, post consideratam mansuetudinem et clementiam Jacobi in ultione Dinæ *qui dolenter scænam illam exactæ ultionis accepit*, ita prosequitur : « Unde prophetanti adventum Domini Jesu responsum divinum est datum. *Exsurgens ascende in locum Bethel*, hoc est in domum panis, ubi natus est Christus, sicut Micheas propheta testatus est, dicens : *Et tu, Bethlehem domus Ephrata, non es minima ut sis inter principes Juda. Ex te enim exiet princeps Israel, et egressus ejus ab initio a die sæculi.* Vere domus panis, quæ domus Christi est, qui nobis panis salutaris advenit e cœlo, ut jam nullus esuriat cibum sibi immortalitatis acquirens : ubi jubetur habitare patriarcha, ubi aram facere Deo qui apparuerat ei, etc. Quanta mysteria, quia ibi est ecclesia Dei, in qua apparet Deus, et loquitur cum servis suis. Ibi eripiuntur et absconduntur simulacra gentium. Fides enim Ecclesiæ omnem observantiam gentilitatis abolevit. » Hæc Ambrosius. Sed omnium brevissime Cyprianus, et ad rem nostram maxime accommodato testimonio confirmat, cum figuram hanc adhibet contra Judæos, lib. II, cap. 6, ad probandam Christi divinitatem his verbis : *Quod Deus Christus.* In Genesi : *Dixit autem Deus ad Jacob : Exsurge, et ascende in locum Bethel, et habita illic, et fac ibi altare illi Deo qui tibi apparuit, cum fugeres a facie Esau fratris tui.* Adhibentur nempe a beato Xysto in suis musivis hæc figuræ et a Cyrillo ad Christi divinitatem contra hæreticos sui temporis demonstrandam, quæ adhibitæ prius fuerant a Cypriano contra Judæos ad eumdem articulum fidei ex mysteriis Veteris Testamenti comprobandum.

21. In hoc basilicæ latere quæ sequebantur musiva cum excidissent, picturis recentibus illarum areolas ornavit cardinalis Pinellus : quas propterea omittimus, ut ad reliquas convertamur ex Veteri Testamento a Xysto prolatas figuras, et a Patribus Ephesinis adhibitas ad connotanda fidei dogmata circa utramque in Christo naturam in Verbi persona subsistentem, ejusdem concilii auctoritate contra hæresim Nestorii declarata.

Quemadmodum igitur in latere hactenus considerato selectæ fuerant ex Genesi historiæ ac mysteria huic articulo fidei connotando olim præmissa apud Judæos, et a concilii Patribus recognita ; ita et in latere adverso ex reliquis Pentateuchi libris, necnon ex libro Josue gesta, ac mysteria delegit Xystus, quæ pariter ab Ephesinis Patribus perpensa fuerant, præsertim a Cyrillo in propugnatione ejus dogmatis. Prima hujusce lateris areola consumpto præ vetustate musivo, ostendere non potest figuras quas ætate Xysti continebat. Secunda tamen, et reliquæ usque ad nonam decimam præservatæ Xystini operis prosecutionem ostendunt : secunda igitur bifariam divisa in superiori partitione exhibet Moysen infantem e Nilo extractum, et filiæ Pharaonis exhibitum, ejusque jussu enutritum a matre (*Exod.* II). Cyrillus Glaphyrorum libros in Exodum hinc exorditur, professus in præfatione ad Palladium, se demonstrasse in superioribus, *quisnam intelligi debeat modus adorationis in spiritu et veritate* ; huic vero operi Glaphyrorum in Exodum se reservasse ea, *per quæ par erat Christi mysterium velut in umbris quoad fieri potest præmonstrari.* Proposita igitur historia Mosis ex tribu Levitica nascentis, et a matre in fiscella inclusi per Nilum feliciter innatante, donec a filia Pharaonis vagitu infantis permota extrahi, præservari, et a matre educari juberetur, singula ad typum Christi Domini exigit accurate. « Moyses autem demissus, ait, atque expositus in fiscella scirpea per manum suæ matris manifestus hujus rei est typus. Siquidem et Judæorum synagoga alienavit a se ipsa Emmanuelem. Sed Pharaonis filia, hoc est Ecclesia gentium, et si patrem Satanam habuerit, A invent ipsum ad aquas, quæ typum gerunt sanctæ baptismi, per quem, et in quo Christus invenitur. » etc. Hauserat Cyrillus ex epistola Pauli apostoli ad Hebr. XI : *Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod viderent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum.*

Segmentum inferius ejusdem areolæ Moysis adulti gesta priora exsequitur pro defensione suorum popularium, quæ scilicet B. Paulus nuper laudato loco subtexuit. « Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem : majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi... Fide reliquit Ægyptum non veritus animositatem regis. » Exhibetur itaque in hac areolæ parte inferiori Moyses ad tribunal vocatus, ut responderet de viri Ægyptii cæde in defensionem contribulis sui a se patratæ, a Pharaone quæsitus ad necem, et sese recipiens in terram Madianitarum. Stephanus protomartyr (*Act.* VII) hunc *Moysen potentem in verbis, et in operibus, sed recusatum, et repulsum a suis, ipsi dicentibus : Quis te constituit principem, et judicem super nos? Hunc Moysen*, inquit, *principem quem negaverunt, principem et redemptorem misit cum manu angeli, qui illi apparuit in Rubo.* A quo deinde Moyse audierunt : *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis.* Quo vertat hæc figura, et promissio Moysi, beatus Stephanus satis declarat indicans Christum. Cyrillus Stephanum imitatus Glaphyr. loco indicato hunc typum refert ad Christum Dominum.

Verum in hisce figuris seligendis, et Christiano populo proponendis tam Ephesini Patres, quam Xystus non solam similitudinem figuræ cum prototypo præ oculis habuerunt, sed etiam alterum electioni suæ finem constituebant, ut scilicet docerent, Christum Dominum in typis illis figuratum, lucem fuisse infinite præstantiorem talibus umbris, quibus prænuntiabatur. Hinc inter cætera Patrum testimonia in synodo Ephesina recitata, luculentum est illud Theophili episcopi (pag. 203 edit. Romanæ concil. Ephes.) : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula :* necnon Cyrilli Alexandrini oratio secunda de recta fide ad Reginas, ubi ex eadem epistola Pauli ad Hebræos producitur consecutum ex illo exordio argumentum demonstrans, ex ea relatione similitudinis, quæ præcessit in Moyse ad Christi pontificatum significandum, tanto amplioris gloriæ compotem esse Christum Filium, et Dominum præ Moyse ministro ac servo, quanto ampliorem honorem habet domo qui fabricavit illam : « Nam Moyses quidem fidelis erat in tota domo, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant : Christus vero tanquam Filius in domo sua. » Indicat igitur, per hosce typos spectari similitudinem quidem in humana Christi natura per Verbum assumpta, præcellentiam vero prototypi in eadem Verbi persona, ac natura sua divina, quam non dimisit, cujus causa dicitur Christus vere Deus. « Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit Deus est, » nempe ille Filius de quo dixerat Paulus in exordio epistolæ *per quem fecit et sæcula.* Tota igitur ratio adhibendi hisce figuras Christi in Moyse præmissas, necnon Josue filii Nun quæ postmodum consequentur in hoc basilicæ latere, eadem est, ac Patrum Ephesinorum in iisdem deligendis ad illustrandum dogma catholicum de Christi natura divina et humana, multifariam, multisque modis a Deo per legis promissa, loquente patribus in prophetis, adumbratum, novissime autem diebus istis manifestatum in ipso Filio, per quem fecit et sæcula, nobis aperte locuto, ex quo carne de stirpe David et Abraham assumpta, in nobis habitare dignatus est. Idem Pauli testimonium Romana Ecclesia legendum no-

Digitized by Google

bis offert in festo Dominicæ Nativitatis, quod Patres Ephesini recitari in testimonium dogmatis voluerant, et Xystus in tota historia Moysis duxit etiam oculis fidelium in Deiparæ basilica per musiva sua esse repræsentandum. Quot igitur sunt hic figuræ ex Moysi gestis selectæ, tot numeramus documenta typorum divinæ, atque humanæ Christi naturæ a Xysto papa dedicata ex sua, ac decessorum pontificum, necnon Ephesinorum Patrum totiusque Ecclesiæ doctrina.

22. Proximæ areolæ musivum refert Moysen, connubium celebrantem cum Sepphora, eumdemque pastorem ad pascendum gregem soceri ex Jethro *Raguel* cognominati, quod interpretatur Cyrillus *grex Dei* (Glaph. in Exod. pag. 259, edit. Paris.). Item Cyrillus utrumque exponit de Christo. Primum illud de Sepphora (circa finem lib. secundi Adorat. in spiritu et veritate, pag. 78, B) : « Vocata, inquit, ex gentibus dum sequeretur legem, ac tanquam cum Moyse pædagogo matrimonio juncta, qui optime ad Christi mysterium perducit : est enim lex magister quidam elementarius, qui perducit ad initia sermonum Dei, ac per ænigmata, et umbras cognitionis ejus, qua Christi mysterium percipitur, veluti semina quædam nobis inserit. De Pastoricia vero Mosis cura circa gregem soceri Jethro sacerdotis subinde Raguel appellati quod est grex Dei, mysterium Christi, Cyrillus invenit etiam in nomine : Subiit enim (inquit Glaphyr. in Exod. lib. I, pag. 259 E) manum summi illius omnium pastorum principis, hoc est Christi Jesu, per quem, et cum quo sit Deo, et Patri gloria cum sancto Spiritu, unde appellatur grex Dei. »

23. Succedit in areola quarta Moysis reditus in Ægyptum cum uxore, ac liberis ad confratres suos e servitute Pharaonis educendos. Præfert autem virgam illam, quam sacer textus nominat *virgam Dei*, portans virgam Dei in manu sua (Exodi cap. IV, 22), in qua propterea Cyrillus, aliique Patres etiam antiquissimi, quemadmodum Justinus martyr in Dial. cont. Tryph. pag. 24, typum Christi considerant « Moyses, ait, cum virga ad redimendum populum missus est, eamque manu tenens cum antecederet populum mare divisit. » Cyrillus vero ait : « Virga itaque est Dei Filius. » Et de Moysis typo virgam hanc indicans ait : « Id enim verum signum, cui omnes credidimus, Verbum nobis simile factum ad nos devenisse : quod virga humo projecta designat. » Glaphyr. lib. II, pag 298. C. Et rursus in scholio de Incarnatione videndo parte III, concil. Ephesini cap. 15, edit. Rom. fol. 581, ubi hoc dogma catholicum : *Quod Dei Verbum et homo factum manserit Deus*, probat ex symbolo de virga Moysis, scribit : « Et facta est virga in manu ejus, et dixit illi : *ut credant tibi, quia apparuit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Animadverte in his natura, et veritate Filium Dei, tanquam si quædam virga sit patris. Virga autem insigne est regni. In Filio enim habet omnium potestatem. Denique etiam divinus David : *Thronus tuus*, inquit, *Deus in sæculum sæculi, et virga æquitatis virga regni tui.* Sed eam projecit in terram, id est corpore terreno circumdedit, sive per humanitatem misit in terram. » Hinc exhibet Xystinum hoc musivum populos adorantes in conspectu ejusdem virgæ, quales nobis retulit sacer textus (eodem cap. IV Exodi) : *Et fecit signa coram populo, et credidit populus, audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum, et proni adoraverunt.*

24. Areola quinta Moysen stantem inter complures viros talari veste indutos ostendit, quos alloquitur, et agnum in editio collocatum. Hinc putavit ill. Ciampinus esse vitulum absente Moyse ab Aarone fusum ex inauribus feminarum Israeliticarum. Verum neque series historiæ Mosaicæ referre debet idolum vituli in deserto fusum (*Exod.* XXXII) antequam demersionem Pharaonis recenseat, quæ habetur cap. XIII, neque figura animalis in edito stylobate collocati vitulum exprimit, sed agnum candidum. Quare ad legem Paschalem pertinet, ut reor, recensitam (*Exod.* XII) : *Ut tollat unusquisque agnum per familias*, etc. Nulla frequentior Christi figura celebratur ex Veteri Testamento ab Ecclesia, quam *agni Paschalis* immolatio. Quare typus non indiget auctoritatibus singularium doctorum ut comprobetur.

25. In sexto musivo (apud Ciampin. expresso *tab.* LVII, *num.* 2) profectionem jubet Moyses principibus familiarum intentis ad legendum agnum e grege, quem macten!. Infra vero tres mansiones cum appareant, concionante ex suggesto Moyse suis popularibus nondum ad mare deductis, videtur exprimi ex cap. Exodi XIII, iter, et castrametatio per tres illas mansiones, quas ante apparitionem columnæ ignis per noctem, et nubis per diem peragratas ab Israelitis ostendit Hieronymus (ad Fabiolam de quadraginta duabus mans.) nempe *Ramesse*, *Socoth*, *Ethan*. Eodem plane stylo vidimus itineraria etiam Romani orbis in charta Peutingeniana disposita a pictoribus hujus ætatis, qua musiva Xysti componebantur. Hieronymus in eo tractatu, sive Epistola CXXVII ad Fabiolam probat ex Psalmo LXX et ex prima ad Cor. cap. X hæc omnia referri ad Christi mysteria : egressionem scilicet ex Ægypto in solitudinem, et ipsum numerum mansionum quadraginta duarum respondentem pari numero generationum in genealogia Christi apud Matthæum non carere hujusmodi typo ac figura : « Monente Apostolo, omnia in figura illis contigisse, et patres nostros omnes sub nube fuisse, omnes mare transisse, omnes in Moyse baptizatos in nube et in mari. »

26. Hæc postrema Apostoli verba satis declarant septimam historiam Xystini musivi, in qua transitus Hebræorum exprimitur per mare Rubrum, Pharaone submerso Exodi XIV, Cryptæ SS. Martyrum, antiqui sarcophagi Christianorum hujus ætatis, perinde ac Rituales libri, et vetustissima quæque monumenta Romanæ Ecclesiæ frequentissime adhibent hanc historiam Mosis ad liberatoris nostri, et Salvatoris Dei beneficia, et sacramenta in hisce figuris obumbrata olim Hebræis, manifestanda nunc fidelibus. Quare non egemus monitore privato, ut Xysti pontificis consilium assequamur in hocce facto exhibendo, cui publica Ecclesiæ auctoritas tot suis documentis explicationem ministrat.

27. Octavæ areolæ historia desumitur ex capitibus XV ac XVI Exodi : in quibus murmurante populo contra Moysen, cum dulcium aquarum potu, et ciborum inopia laboraret, apparet Dominus Moysi, et provideni miseratione utrique necessitati opem ferens, ostendit lignum, quo injecto, aquæ amaræ dulciorem contrahant, et coturnices, ac manna de cœlo pluit, quibus vescantur ingrati, ac desinant diffidere, et murmurare.

Hisce pariter in figuris Christi mysterium intelligendis tanta est copia documentorum Ecclesiæ, et concordiæ Patrum, ut vix egeant indicatione. Cyrillus in Glaphyris ad Exodum caput inscribit *de manna et coturnice*. Narrata historia, ita prosequitur typum. « Certissime autem docuit eos experientia, inquit, ac rebus ipsis, quod Deus possit etiam nunc dare, et parare mensam in deserto : sicut revera et Dominus noster Jesus Christus simulia edidit miracula, cum ex quinque panibus fractis complures saturavit in deserto; duodecim insuper cophinis ex fragmentis repletis. » Judæorum vero nauseam inofficiosam, qua cibo de cœlo præstito præferebant Ægyptias carnes, ita componit cum rejectione doctrinæ Christi et sacramentorum in posteros derivata. « Simile quid miseris Judæis accidit, inquit, tempore Salvatoris : umbræ enim, ac typi fuerunt illa quæ tunc præmonstrata fuerunt

Digitized by Google

futurorum. Cum enim ipsi vero mannæ hoc est Christo, qui descendit de cœlo, et potest nos omnes enutrire, promittitque vitam æternam, prætulerint usum terrenorum putidum atque insulsum, offenderunt necessario, non solum Deum, verum etiam ipsum divinum Moysem. Scriptum est enim : *Iratus est furor Domini contra populum suum*, et Moysi item videbatur malum. »

Cyrillo præiverat Cyprianus in epistola LXXVI ad Magnum scribens : « Cujus æqualitatis sacramentum videmus in Exodo esse celebratum, cum de cœlo manna defluceret, et futurorum præfiguratione alimentum panis cœlestis, et cibum Christi venientis ostenderet. »

Utrique assentitur Hieronymus (de quadraginta duabus mans. in V, scribens : « Marath intellige aquas Occidentis litteræ : quibus si immittatur confessio crucis, et passionis Dominicæ sacramenta jungantur, omne quod importabile, et triste videtur, ac rigidum, vertitur in dulcedinem. »

Verum ne fatigemur id quærere in Patribus, quod ipse Dominus in Evangelio dignatus est propalare, cum de figura sacramentorum suorum in manna præmissa, tum de excellentia sui panis vitam tribuentis æternam supra Mosaicum cibum a morte non liberantem. Indicat similitudinem quando affirmat : *Hic est panis de cœlo descendens.* Testatur differentiam et excellentiam sui panis vivi supra Mosaicum a morte non eximentem, quando subdit : *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (*Joan.* VI).

Erat autem id expresse repræsentandum in hisce musivis Ephesinæ synodi gesta, ac dogmatis documenta expressuris ; cum Actione I, pag. 363, ex Quaternione 4 Nestorii ab hac promissione Redemptoris nostri absurde explicata impius hæresiarcha suas blasphemias astrueret : et Patres e contra huic veneno opponerent pharmacum legitimæ interpretationis, tum in Theophili expositione contra Origenistas in capite quod inscribitur : *Quod Christus est vita, et vivificus* (pag. 189), tum in XI anathematismo Cyrilli : *Si quis ipsam Domini carnem vivificam negaverit, anathema sit*, pag. 306, ejusque defensione pag. 537, luculenter expressæ.

28. Noni musivi argumentum est miraculum a Deo patratum per virgam Moysi ad aquas contradictionis. Moysem, virgam, petram, aquas inde deductas pertinere ad mysterium Christi nemo ex Patribus dubitat. Sed B. Cyrillus ad argumentum sibi propositum catholici dogmatis contra Nestorium asserti aptissime interpretatur in epistola ad Anastasium, aliosque monachorum Patres data, quæ impressa est parte III concilii Ephesini, edit. Rom., pag. 703. Ejus verba sunt hoc loco reddenda. *Manifestavit nobis veritatem* (ait de Christo Domino) *cultui illi, qui in umbris, et figuris erat finem imponens.* Deinde ad hoc factum Moysi descendens in divinæ Scripturæ verbis illud exprimentibus invenit symbolum expressum, ac testimonium divinæ et humanæ naturæ post carnem a Verbo assumptam in eo subsistentis. « Illum tentaverunt, inquit, in tentatione, jurgati sunt contra eos apud aquas contradictionis. O rem admirabilem! Virum dicens eum, statim Deum declaravit, quem exacerbavit, et tentavit Israel et in eremo, et ad aquam contradictionis : ejusque rei fidem faciet Psaltes, dicens : *Dirupit petram in eremo, et potavit eos velut in abysso multa : et eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas.* Et quid post hoc? *Et tentaverunt*, inquit, *eum in corde suo, et male locuti sunt de Deo, et dixerunt : Nunquid poterit Deus præparare mensam in deserto, quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt? Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Intelligis igitur, quomodo jurgati fuerint adversum Deum miracula facientem, quem etiam virum dicit Moyses. Nam et divinus Paulus sic intelligens scribit : *Bibebant enim ex spirituali, sequente petra : petra autem erat Christus.* Vir igitur, contra quem jurgabantur, ipse erat ille, qui nondum incarnatus tentabatur ab Israelitis. Non enim alium fuisse Filium ante carnem, alium vero ab ipso diversum ex semine David, sicut audent quidam dicere, sed unum et eumdem ante incarnationem quidem nudum adhuc Verbum, post partum autem ex sancta Virgine, incarnatum et hominem factum, sicut scripserunt sancti illi, et divini Patres ; alio quoque signo comprobavit Moyses. Nam quasi interrogaret quispiam, et discere cuperet, de quonam viro mentionem fecisset, quem sane et tentatum fuisse, et objurgatum ab Israelitis diceret, tantum non intento digito Jesum demonstrat, et inquit, » etc.

29. Sequitur in decimo Xysti musivo pugna Israelitarum contra Amalecitas, elevante manus Moyse, suffulto ab Aaron, et Hur in lapide adjutorii ; Josue vero fortiter dimicante juxta præceptum Moysi. Sanctus Cyrillus, ut Ephesinorum Patrum præcipuum adhibeam (de Ador. in int. et verit. lib. III, p. 88) facti mysterium requirenti Palladio, *Quisnam est hujus scripturæ sensus?* ita respondet : « Atque opinor nihil difficile est inspicere volentibus. Nam si cogitet quispiam præceptum esse a Moyse Josue, quid aliud suspicari poterit, quam illud omnino, quod cum Verbum esset Deus, factum est sub lege, quod ad humanitatis habitum pertinet, ac subditum quodam modo Moysi mandatis ; idque pluribus modis, nunc circumcisionem perferens eam, quæ est secundum carnem, nunc didrachma solvens, etc. Verum etsi factum est sub lege propter humanam naturam, tamen tum quoque Deus erat, Salvatorque, ac Redemptor universi populi. Nam cum ex universo populo Israel, et ex omni gente viros potentes elegisset, sanctos, inquam, apostolos, et eos, qui per fidem vocati sunt, etc., una cum his congressus est cum hujus mundi principe. . . » Videri possunt reliqua hujus facti mysteria ibidem de Christo patefacta, tam in Moyse, quam in petra ubi consedit, et in altari quod erexit. « Quod namque manus extendit Moyses, inquit, crucis speciem ostendens, et Amalec, ea res, ut opinor, eos prorsus significat, qui per illam crucem venerandam Satanam vincunt, et adversus hostes invalescunt. » Et paulo post ad ea verba accedens, *accipientes lapidem supposuerunt sub ipso, et sedit super eum. Aaron, et Hur sustentabant manus ejus, unus hinc, et alter hinc* : « Lapis autem pretiosus (subdit) electus, angularis, probatus Christus est, super quo requiescentes (sessio namque quietem significat) qui ex Israel obsequentiores, ac dociliores sunt, illæ, inquam, reliquiæ gratiæ, quæ secundum electionem est, expandunt manus, id est crucem suscipiunt, Christo illos confirmante, atque continente, qui per Hur, atque Aaron significatur, et Judex simul, et summus sacerdos intelligitur : Hur siquidem judex integerrimus erat, Aaron autem summus sacerdos. Denique ad altare pervenit a Moyse erectum completa pugna, et victoria, dicens : Profligato igitur, ac victo Amalech, erigit Moyses altare Deo, illique hoc nomen imponit : *Dominus refugium meum* : quod ipsum etiam Christi figuram præfert. Is enim Dominus noster est factus, ac refugium, cum debellarit mundi hujus principem, calcaveritque mortis imperium, ac seipsum obtulerit pro nobis, ut immaculatam hostiam, in odorem suavitatis Deo ac Patri. Fuit igitur altare illud Christi figura, cui decens ac verum nomen est *Dominus meus refugium meum.* »

Ante Cyrillum in eisdem typis recognoverat Christi figuram Cyprianus in libro secundo adversus Judæos cap. 16 scribens : « Hic est lapis in Exodo, super quem sedit Moyses in cacumine collis, quando Jesus Nave contra Amalech dimicavit, et sacramento lapidis, et stabilitate sessionis Amalech superatus est

Digitized by Google

ab Jesu, id est diabolus a Christo victus est, » et cap. 21 ejusdem libri : « Hoc signo crucis, et Amalech victus est ab Jesu per Moysen. In Exodo dicit Moyses ad Jesum : *Elige tibi viros, et exi, et constitue cum Amalech in crastinum. Ecce ego stabo in cacumine collis, et virga Dei in manu mea*, etc. Et fugavit Jesus Amalech et omnem populum ejus. Et dixit Dominus ad Moysen : *Scribe hoc, ut sit memoria in libro, et da in aures Jesu : quoniam deletione delebo memoriam Amalech de sub cœlo.* »

Hoc mysterium ratum habet etiam Hieronymus in mansione XI scribens ad Fabiolam : « Moyses ascendit in montem : Jesus contra Amalech militat : ad signum crucis superatur inimicus. »

Utroque hoc Patre antiquior Justinus martyr in eamdem sententiam concesserat in Dialogo adv. Judæos ita scribens pag. 26 : « Cum populus bellum cum Amalech gerebat, Naveque filius is, qui Jesu nomine appellatus est, bello præerat, Moyses ipse Deum expansis in cœlum manibus precabatur. Aaronius autem eas tota die sublevabat ne defessus eas deprimeret. Si enim aliqua ex parte ab ea figura, quæ crucem imitatur, deflexerat, tunc, ut apud Mosen scriptum est, populus vincebatur. Si vero in eo statu ac figura manebat, Amalecus tantum vincebatur, et populus cruce fortis reddebatur. Neque enim, quod ita Moses precabatur, propterea superior erat populus, sed initio pugnæ cum nomen Jesu esset, ipse signum crucis edebat. »

30. Consequitur in undecima areola musivorum Xysti repræsentata seditio populi, excitata non ex pœnitione Core, Dathan, et Abiron, uti Ciampinius putavit, sed ex reditu exploratorum terræ promissionis, qui ad terrorem suis popularibus incutiendum falsa retulerant nuntia Numerorum cap. XIII et XIV expressa. Mirabatur eruditus præsul cum cerneret in hoc musivo populum furore percitum exhiberi jacentem lapides contra viros ad tabernaculum confugientes, et intra nubem protectos ope divina; cum cæteroqui non legeret, lapidatum fuisse Moysen, aut Aaron ex suborta seditione post pœnas inflictas temeritati Core, Dathan, et Abiron, et ducentorum quinquaginta virorum, quos ignis ultor absumpserat Numerorum cap. XLI, quam seditionem putabat hic esse delineatam. In explicatione tabulæ LX, n. 1, ubi hunc iconismum musivi Xystini curavit incidi dubius hæret de nonnullis in pictura musivi expressis, quæ in sacro textu non reperit ita enuntiata, præsertim vero de populo lapidibus impetente viros intra nubem receptos. Hos autumat esse Moysen, Aaron et Hur : sed addit : « Dubium me diutius tenuit ille virorum globus non utcunque irruentium, sed lapidibus impetentium fugientes : quod tamen minime sacro cujusque versionis textui consors est. Quare, cum hæc vera lapidatio videatur, etc., nullam lapidationem haurire potis fui, quæ hisce figuris aptior esset, nisi ea qua Josue cap. VII, Achan cum omni domo sua concidit, » etc. Hanc vero excludit ab hujusce musivi imagine, cum post obitum Moysi secuta sit : neque in ea protectio Domini lapidatos eximeret, utpote fontes delicti eadem pœna ex divina lege plectendi : neque locus pœnæ inflictæ Achano sit apud tabernaculum, sed extra castra. Quare concludit hanc imaginem referre quidem Moysen, et Aaron a seditioso populo impetitos post mortem Core, Dathan et Abiron, sed lapidum projectionem, quæ in ea seditione non legitur, additam fuisse pictoris ex arbitrio, ut furorem stolidæ plebis aliquo pacto exhiberet.

Pace attamen præsulis de sacris antiquitatibus optime meriti, dixerim præoccupatum semel animum ab opinione quam prætulerat de expressa in hac areola seditione longe posteriori, quæ insecuta est excidium Core, Datan et Abiron, non attendisse imaginem esse referendam ad aliam seditionem, quæ præcesserat non modo pœnam, sed etiam scelus, ac sacrilegium trium illorum ad sacerdotii officia sibi non concessa temere procedentium. Est alia seditio, quam Deus asserit Numer. XIV, vers. 22, fuisse decimam ex quo educti fuerant ex Ægypto rebelles hi Israelitæ murmurantes, quos propterea excludit e numero introducendorum in terram promissionis : *Tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ : non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.*

Illius decimæ seditionis historiam hic repræsentari ita constat, ut singula narrationis adjuncta fideliter expressa recognoscantur, præsertim vero conjectus lapidum a furente populo, non solum Moysen et Aaron duces expeditionis, sed etiam Josue et Caleb ablegatos ad considerandam terram, ita insecuto, donec ad tabernaculum confugientes, ope divina protegerentur, quales hic exprimantur, non pictoris arbitrio ac temeritate, sed attenta sedulitate pontificis Xysti, e divinis litteris historiæ lineamenta musivario præscribentis. *Murmurati sunt contra Moysen et Aaron omnes filii Israel* (ait sacer textus Num cap. XIV, vers 2) *dicentes, utinam*, etc. *Constituamus nobis duces, et revertamur in Ægyptum. Quo audito Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. At vero Josue Filius Nun, et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant, terram sciderunt vestimenta sua, et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt : Terra quam circuivimus valde bona est*, etc. *Nolite rebelles esse contra Dominum... Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cumque clamasset omnis multitudo et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel, et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis?* etc. *In solitudine hac jacebunt cadavera vestra.*

Considerantibus verba a sacro textu adhibita in historia hujus seditionis, et conferentibus illa quæ B. Cyrillus conscripsit in explicatione nuper relata proxime superioris palam est, aptari eadem mysteria divinitatis Christi utrobique adumbrata, dum seditio, contra Moysen dicitur quoque contra Dominum Deum, nempe Christum Dominum, in eodem typo Moysis, Aaron, et Josue perinde significatum legislatorem, pontificem, et ducem populi perducendi in terram promissionis : cui rebellis et incredula Judæorum gens sublegere ducem alium meditabatur, a quo reduceretur in Ægyptum terram servitutis ac tenebrarum. Huic propterea seditioni perinde aptantur mysteria a Cyrillo detecta in superiori : « Intelligis igitur quomodo jurgati fuerint adversus Deum miracula facientem, quem etiam virum dicit Moyses. » Comprobat Cyrillus explicationem ex Pauli Epistola ad Hebræos comprobatura et ista. Cum enim capite illius epistolæ tertio suscipiat Paulus probandum, longe excellentiorem esse Christum, utpote Filium Dei, quam Moysen in domo Dei servum, procedit ad seriam admonitionem, ne ab hac in eum fide recedamus imitando incredulitatem ac rebellionem Judæorum contra Moysen, in facto Numerorum expressam, nuper recitato ac delineato in musivo. Adducit enim Paulus eadem verba capitis, num. 14, vers. 37, ut obdurationem et exacerbationem indicet seditiosorum contra Dominum a nobis fugiendam. *Participes enim Christi effecti sumus, ait Paulus. Si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus... Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.*

31. Duodecima in areola, quam expressit Ciampinus *tabula* LX, *n.* 2, Moyses Levitis tradit Deuteronomii volumen in arca custodiendum; ut legimus Deuter. XXXII : *Postquam ergo scripsit verba legis*

Digitized by Google

hujus in volumine, atque compleyit, præcepit Levitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : Tollite librum istum et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. In illo autem volumine quod dicitur lex secunda, sive Deuteronomium (ipso etiam vocabulo indicans novam Christi legem quæ in testimonium futura erat incredulis Judæis rerum in priori præmissarum) exhibebatur, per Jesum et non per Moysen introducendum esse populum in terram promissionis his verbis : « Et vocavit Moyses Jesum, dixitque ei coram toto Israele : Confortare, et esto robustus. Tu enim ingrediens ante faciem hujus populi in terram, quam juravit Dominus patribus nostris daturum se ipsis, tuque hanc sorte distribues eis, et proficiscetur Dominus tecum. Ipse non dimittet te, neque deseret, ne timeas, aut timearis. » Hæc postquam retulit Cyrillus ex capite Deuteronomii XXXI, pag. 429, subnectit expositionem typi, ac mysterii in Christo Jesu. « Cum optimus Moyses, inquit, e rebus humanis esset migraturus, et in supernas postea transferendus mansiones, substituitur quodammodo, et succedit in principatum divinus Jesus. Veteri enim atque antiqua littera quasi cessante, cultuque legali, sicut jam dixi, ferme coarctato, descendit ad nos e cœlis Unigenitus, *et homo factus est.* Hic vero etsi omnium Dominus esset, ut Deus, antiquissimum habens hac in re dignitatis splendorem, tamen ita demisit, ut propter nostri similitudinem ad principium regni vocatus fuisse videatur. Hinc et ipse ait : *Ego constitutus sum Rex ab ipso* (nimirum a Deo et Patre) *super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* Nullus igitur reducat iterum nobis Moysen, qui cessit Christi gloriæ, neque valeant amplius typi, neque umbra a quoquam prætendatur. »

Sola hæc Cyrilli expositio, quæ omnibus numeris accinit cæteris symbolis per hæc musiva expressis, et potissimum primo illi de Abraham et Melchisedech, idem argumentum præferenti cum epistola Pauli apostoli ad Hebræos de Christi Domini divinitate conscripta, et de ea quæ ex divinitate consequitur excellentia infinita supra Mosaicos typos, sola, inquam, sufficit ad comprobandum, referri has imagines musivo Xystino expressas ad dogma catholicum in Ephesina synodo propugnatum contra hæresim Nestorianam : adhibentibus in ea Patribus, præsertim Cyrillo qui præsidebat, hujusmodi testimonia ex utroque Testamento collecta. « Moyse igitur quasi remoto (ut cum Cyrillo redeamus ad hanc imaginem de qua loquimur, Moysis secundam legem sive Deuteronomium tradentis sacerdotibus, et Josue substituentis) et e medio sublato, exortus est quodammodo ac dux noster declaratus Christus, per quem, et in quo translati in regnum cœlorum sempiternam felicitatem consequemur sinceram et sanctam, omnique culpa vacuam degentes vitam. » Recte animadvertit *Mose remoto* Jesum substitui ducem Israelitis, quod etiam exprimit musivi Xystini tabula : in ea enim videmus Moysen in humilibus campestribus Moab tradente a Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini volumen Deuteronomii ad includendum in arca, ut singulis septenniis vertente anno remissionis in festo tabernaculorum idem relegerent (*Deut.* XXXI), et in eadem musivi tabula exhibet Moysen, vocante Deo, progressum ad montem Nebo in verticem Phasga contra Hierico (*ibid.* XXXIV) ibi juxta revelationem sibi prænuntiatam vita perfunctum. Posset symbolica hæc præfiguratio Christianæ legis per Deuteronomium arcæ inclusum, et excellentiæ Jesu Dei ac Ducis nostri supra Moysen servum fidelem, comprobari ex pluribus testimoniis aliorum Patrum, nempe Irenæi lib. IV contra hæres. cap. 2 et 3 dicentis, « Moysi litteræ verba sunt Christi, » et cap. 50 ejusdem libri quem locum in expositione imaginis proximæ afferam, et Hieronymi scribentis, in epistola ad Paulum, « Deuteronomium quoque secunda lex et evangelicæ legis præfiguratio, » etc. et Justini martyris cum Triphone de Jesu Nave successore Moysis ac typo Christi ita colloquente : « Atque ut ille populum in terram sanctam introduxit, non Moyses; atque ut idem hæreditario jure etiam inter eos qui secum introiverant, divisit; sic etiam Christus populi dispersionem convertet, bonamque terram viritim dividet : quanquam non jam eodem modo. Ille enim hæreditatem quæ ad tempus duraret eis dedit, quod nec Christus Deus esset, nec Dei Filius. Hic autem post sanctam resurrectionem æternam nobis dabit possessionem. » Hæc, inquam, possent ab hujusmodi patribus Cyrillo antiquioribus colligi ad comprobandam, figuræ interpretationem non esse a Cyrillo adinventam, sed ex Patrum consensu redditam : quare et a Xysto relatam inter selectas a tanto viro, suas sive Cœlestini vices agente in synodo Ephesina ad defensionem dogmatis ibidem a catholicis propugnati. Pars inferior ejusdem musivi Levitas exhibet arcam testamenti ferentes, et in illa inclusum Deuteronomii volumen juxta præceptum Moysi, et mysterium Christi, incredulo Judæorum populo veluti in arca obseratum; nobis vero post annum redemptionis et libertatis filiorum Dei feliciter vocatis ad tabernacula, reseratum in Evangelio.

32. Devenimus ad iconem tertiam decimam Xystini musivi, in qua Josue historia repræsentatur, auspicantis ducatum populi sibi concreditum post mortem Moysis. Justinus martyr paulo ante productus idoneus interpres est figuræ Christi Domini per Josue successionem significati. « Ita enim coarguit Tryphonem incredulum. Jesum, ut ante dixi, qui sæpe Auges dicitur, is qui cum Chalebo speculator in terram Chananæorum missus, Jesum vocavit. Hoc tu non quæris quamobrem fecerit, non ambigis, non cupis discere. Itaque Christum ignoras, et legens non intelligis; neque nunc cum Jesum Christum nostrum esse audis, cogitas, et concludis, non sine causa, nec temere hoc illi nomen impositum fuisse. Sed cur unum *a* priori Abrahami nomini additum sit, disseris; itemque, qua de causa unum *r* additum sit Sarræ nomini, copiosa oratione disputas. Cur autem *Ausæ* nomen, quod a patre habuit Nave filius totum in Jesu nomen mutatum sit, non quæris. Pari modo cur non solum ejus nomen mutatum sit, sed etiam cum in Moysis locum successisset, cur solus eorum, qui ex Ægypto id ætatis, qua erat, exierant, in terram sanctam populum deduxerit, » etc.

Justino consonat Irenæus cap. 50, libri IV, contra hæreses : « Universa, inquit, quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiæ, quæ erat futura ex gentibus : propter hoc et in finem educens eam, hinc in suam hæreditatem : quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in hæreditatem dabit. » Hæc vero Justinus accepta refert antiquiori presbytero Joanni, temporibus apostolicis plane suppari. Iis etiam consentit Tertullianus adversus Judæos, pag. 116 edit.

Hæc eadem tabula musiva ex prioribus gestis Josue illud continet, quo exploratores ab eo missi ad Jericho et a Rahab domi recepti, ejusdem mulieris hospitis suæ indemnitati præcaverunt : quando per fenestram demissi, ne caperentur a satellitibus principis, et ultimo afficerentur supplicio, ipsum funiculum coccineum quo demittebantur ut fuga sibi consulerent, appensum in fenestra dum victores Israelitæ captam Urbem intrarent ac diriperent, hospitis feminæ ab exitio concivium eximendæ signum constituerunt (*Jos.* II).

Quanquam auctoritas Pauli apostoli abunde comprobet symbolum hujus figuræ referri ad fidem in Christum, dum in Epistola ad Hebræos inter alia mysteriorum Christi rudimenta in lege veteri præmissa hoc enumerat, dicens cap. XI, vers. 31 : *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens*

Digitized by Google

exploratores cum pace; attamen conciso Apostoli stylo accedent interpretes non inopportuni veteres Patres : nempe Justinus martyr in Dialogo nuper allubito ad præcedentes figuras declarandas pag. 31, B : « Signum enim, inquit, coccinei, purpureique funiculi, quem dederunt Hierichone speculatores, qui a Jesu Nave filio missi erant, Rahab meretrici, monentes eam, ut eum deligaret ad fenestram, per quam ipsos demiserat, *ut clam insciis hostibus abirent*; *pari modo signum Christi sanguinis* notabat, quo ii qui quondam construpratores et injusti erant ex omnibus nationibus, remissione ac venia peccatorum accepta, jam non peccantes salutem adipiscuntur. »

Inhærent interpretationi Justini martyris tres Ecclesiæ doctores, Hieronymus, Ambrosius, et Augustinus; Hieronymus ad Nepotianum de vita et moribus clericorum, pag. 13 edit. Rom. tom. I. Ambrosius lib. v de Fide cap. 4. et Augustinus in explicatione Psalmi LXXXVI, quem ætate attingit concilium Ephesinum, et Xystus papa, « calculum suffragii sui eisdem adjiciens in hoc musivo, ut Josue successoris Moysi mysteria, et Dominici sanguinis sacramentum in resticula coccinea a fide Rahab Ecclesiæ figuram gerente in fenestra expositum, cognoscamus : quo domus ejus salvaretur, ut ait Hieronymus, Jericho pereunte. »

Hinc itaque initium ducitur gestorum Josue substernendorum vestigiis Christi, ab itineribus æternitatis hæc temporaria signa imprimentis in lege veteri ad nos deducendos ex umbra mortis in sanctorum splendorem, et in admirabile lumen suum.

33. Quartadecima areola in suo musivo præservat nobis imaginem transitus Jordanis sub Josue, in ejus libro descripti capitibus 4 et 5. In exsiccato Jordanis alveo stant sacerdotes portantes arcam fœderis Domini : quo loco duodecim lapides visuntur a Josue collocati in facti memoriam, et totidem inde sublati humeris Israelitarum deferuntur, ut constituantur in Galgalis, futurum posteris monimentum fortissimæ Domini manus ita traducentis populum suum sicco vestigio per fluenta Jordanis.

In hoc scilicet fluvio *ubi cæptum est Christi magisterium* juxta Augustinum (tomo X in Appendice sermon 25 et 36) Phalanges Israel « Duce Jesu Arcam Domini sequuntur, nube subtracta tanquam velamine ablato » (idem Aug. in Josue quæst. 3). Plena sunt omnia typis Christi Domini. Longum esset ad singula conferre concordem Patrum expositionem. Sistemus in Cyrillo, utpote antesignano Ephesinorum Patrum pro dogmate divinitatis et humanitatis Salvatoris nostri Dei, non modo cum Cœlestino, cum Xysto, et cum illis Patribus producente novi fœderis aperta testimonia sole clariora, sed etiam ex veteri sublegente hosce typos et umbras, in lege ac prophetis præmissas, manifestandæ in adventu Filii Dei veritatis. Cyrillus igitur in Glaphyr. ad Deuteron. pag. 426, observat, collectionem duodecim lapidum grandiorum ex alveo Jordanis, quam Josue mandat executioni, præceptam fuisse a Deo per Moysen (*Deut.* 27) : *Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, et lævigabis eos calce : et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide.* Ad singulos propemodum versus prolata mysteria Cyrillus exponit, quibus hanc præmittit genericam notionem ex Paulo apostolo acceptam. « Idcirco, inquit, et divinus Moyses velum ponebat in faciem suam : quo significaret, ut arbitror, cordatioribus, quod duplex sit lex, quodque in intimis lateat veritas, et umbra sit instar larvæ inducta; quodque exteriora superfluum quoddam tegumentum sint interiorum, atque occultorum. Docet ergo nos in Deuteronomio Moysis, quod novi atque in Christo testamenti doctores loquentur quidem per tempus sermonem per ipsum, quodque introducturi sint ad veritatem, et manifestiorem litteræ expositionem facturi spiritualiter eam interpretantes. » Hinc descendit ad singula symbola de Christi Domini lege ac revelatione in duodecim magnis lapididus scripta, quos interpretatur chorum apostolorum, divina ejus arcana dilucide nobis manifestantium post transitum Jordanis, ex quo scilicet baptismo salutari ejusdem Christi Domini percepto jus æternæ hæreditatis accepimus nobis traditum per ducem nostrum Jesum ad promissiones ejusdem in irritum non cessuras.

Jure igitur objurgabat Cœlestinus Nestorium, quod « e symbolo ab apostolis tradito ea verba sustulisset, quæ nobis totius spem vitæ, salutisque promittunt. Plene enim et cumulate, inquit *in epistola Cœlest. ad Nest. edita concil. Ephes.* pag. 278), plene enim ac manifeste tradita ab apostolis nobis, nec augmentum nec imminutionem recipiunt. Legimus in libris nostris non addi debere, non detrahi. » Eosdem sensus Cyrillus expressos docet in duodecim e Jordane lectis lapidibus apostolorum Christi typum gerentibus. « *Lapides*, inquit laudato loco, igitur isti magni, et in editiore loco positi significant sanctorum apostolorum chorum, etc. *Lapides* autem albario illiti habent Scripturam, nempe legem admodum expresse. In sanctis enim apostolis subtiliter, et perspicue reperiemus contemplationes legis, non jam amplius littera adumbratas, neque caliginosum habentes velum et umbram, sed splendorem et puritatem. »

34. Consequitur in areola decima quinta ex eadem historia Josue ad urbem Jericho obsidendam accedens : virum conspicit, a quo audit, ducem exercitus Domini se venisse. Hunc Josue pronus adoravit, ut faceret imperata. Rursus Dominus apparet Josue, et pollicetur urbem ab eo captum iri. Josue cap. v et VI. Justinus martyr in Dialogo pag. 18, illustrat plurimum hunc typum, de Christo Domino prolatum ostendens. Quin etiam in eam propendet sententiam, ut putet ipsum Verbum divinum sub angeli, ac viri specie ducem exercitus se præbuisse, ac figurasse adventum suum in carne nostra per ipsum assumenda tempore constituto. « *Vobis*, inquit, testimonium ex Scripturis afferam, quo docebo Deum principio ante omnes creaturas vim genuisse quamdam ex se *rationis participem*, quæ etiam *Domini gloria* a Spiritu sancto vocatur, interdum *Filius*, interdum *Sapientia*, nonnunquam *angelus*, aliquando *Deus*, alias *Dominus* et *Verbum* : nonnunquam vero *ducem exercitus* appellat, cum humana figura Jesu Nave filio apparuit, etc. Verbum autem Sapientiæ testabitur, hunc ipsum esse Deum, qui a rerum parente genitus sit, et *verbum*, et *vim*, et *gloriam ejus esse qui genuit*, cum hæc præter Salomonem dixerit, etc. » Et paucis interpositis rursus affirmat hunc, ipsum Deum, Patris Dei Filium, et sapientiam apparuisse Jesu Nave filio prope urbem Jericho clausam et munitam, quemadmodum in hoc musivo per Xystum repræsentatur ex cap. v Josue. « Cumque Jesus Hierichone esset, videt hominem sibi proximum stantem, et accedens rogat eum, Noster es tu, an hostium? » etc.

Hujus generis apparitiones plures in Pentateucho et Heptateucho relatas conjungit ibi Justinus, nempe ex Gen. factam Abrahamo ad ilicem Mambre, Jacobo in lucta cum angelo; ex libro Exodi eam quæ Moysi spectabatur in rubo; ex libro Josue hanc prope Jerichuntem; et in singulis earum observat, eum qui apparebat dici perinde *virum*, ac *angelum*, et *Deum* : colligens inde Verbum divinum esse revera qui apparebat sub specie hominis, aut angeli, aut ducis, eodemque tempore se Deum asserentis; ut scilicet sancti illi viri, qui in exspectatione Christi venturi per fidem exercebantur, assuescerent in hisce typis et figuris adorare Deum et hominem unicam Verbi personam per incarnationis mysterium illis nobisque promissam.

Ex hujusmodi doctrina per Justinum comprobata in pluribus apparitionibus memoratis seligit Cyrillus

Digitized by Google

unam (ut ex una indicet sensum reliquarum) in expositione Symboli, quæ legitur in concil Ephes. 1, p. 2. edit. Rom. pag. 702, nempe apparitionem in lucta Jacobi : ubi dicitur apparuisse *vir* luctans cum eo, quem virum subinde appellat *Deum; Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem.* Subdit Cyrillus causam mysterii ac symboli, cæteris quoque cum Justino applicandam, his verbis : « Nam patriarchæ Deus portendebat, quod homo futurus esset aliquando unigenitum ejus Verbum. » Et paucis interjectis subdit : « Verumtamen illud considera, quod, cum homo luctatus sit cum eo, vidisse se dicit Dominum facie ad faciem, ipsumque species Dei vocat. Mansit enim Verbum Dei etiam homo factum, in forma Patris, secundum spiritualem, inquam, imaginem, et secundum naturam omni ex parte incommutabilem. » Hos eosdem sensus in cæteris apparitionibus atque adeo in hac quam tractamus in musivo expressam ad Josue prope urbem Jericho virum vidente, quem adorat et vocat Dominum, agnoscit Justinus : dum Tryphoni roganti ut ostendat illud *Dei Verbum, Filium, Spiritum* voluisse ex Virgine hominem nasci, respondet : « Jam hoc quoque a me demonstratum est iis prophetiarum locis, quæ ante protuli. » Illarum postrema fuerat hæc ipsa apparitio viri ad Josue, jubentis ut solvat calceamenta de pedibus suis, et spondentis victoriam de urbe Jericho obsessa : quam apparitionem recte etiam in musivo Xystus adjungit cæteris per Cyrillum aliosque Ephesinos Patres juxta veterem traditionem productis ad dogma catholicum asserendum contra Nestorium de una Verbi persona post incarnationem subsistente in duplici natura, et unum Christum constituente Deum et hominem.

35. In decima sexta areola visuntur muri civitatis Jericho ab Israelitis obsessæ duce Josue dilabi ac ruere, clangentibus tubis, et arca fœderis Domini septies circumducta per sacerdotes. Asserta est a Paulo apostolo relatio hujus symboli ad fidem ac mysteria Christi : *Fide* (inquit ad Hebr. XI, 30) *muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem.* Hieronymus vero mysterii præclarus interpres accedit in libro 1 contra Jovinianum (edit. Rom. pag. 505) dicens : « Quia sic erat Domini armatus exercitus in tubis sacerdotalibus, quasi ad evangelicam prædicationem, sub typo Jericho mundus subvertitur. » Multus est Hieronymus in eodem loco ad exhibendas nobis symbolicas relationes Josue ad Christum Dominum, ex quibus illustrabimus etiam reliquas musivi Areolas quæ subsequuntur.

Libenter tamen ab hujus areolæ illustrationem consistimus in paulo ante producta per Hieronymum, in tubis sacerdotalibus septies circa Hierichuntem concinentibus, et in arca Testamenti septies circumducta intelligentes evangelicæ prædicationis validum sonum, et Verbi Dei, in ecclesia tanquam in arca per collectos sacerdotes delati robur invictum ad dissipandas hostium munitiones; typum scilicet tanto aptius Ephesinæ synodi gestis applicandum, quanto præcisius in numero sessionum septenario pariatur summa circumductionum arcæ Dei contra muros seu conceptacula hostium veritatis. Connectitur quoque necessario expugnatio urbis Hiericho, in hac areola repræsentata, cum apparitione viri a Josue adorati in superiori. Patres enim superius adducti, qui censent ipsum Dei Filium sub specie viri tunc apparuisse ad incarnationis mysterium adumbrandum, uti humanæ naturæ a Verbo assumendæ typum agnoscunt in specie viri qua tunc apparebat; ita divinæ indicationem esse testantur prædictionem et promissionem de urbe expugnanda quam facto mox comprobavit. Alii vero Patres, qui putant non fuisse Verbi personam quæ loquebatur cum Josue, sed angelum a Deo missum, nempe archangelum Michaelem (juxta plerosque) cum dicatur *Princeps exercitus Domini* (*Jos.* v, 14), perinde referunt ad confessionem ac symbolum divinæ humanæque naturæ in una Verbi persona per incarnationis mysterium sociandæ tempore constituto : cujus vicariam quodammodo speciem cum angelus tunc exhiberet, apparuit ut *vir;* et insimul vidit advolutum suis pedibus Josue, ut majestatem scilicet Domini adoraret, a quo intelligebat angelum ad se missum figuram exhibere, illiusque *Magni consilii angelus* venturus enuntiabatur, et *dux noster*, quemadmodum Hieronymus scribit Psal. LXXVI : « Ipse Jesus dux noster gladium tenet, et semper nos præcedit, et pugnat pro nobis, et vincit adversarios. » Uno verbo : Visiones istæ gemellæ, ut ita dicam, sunt viri luctantis cum Jacobo sub Luza, et viri apparentis Josue sub Hiericho. Idem symbolum in utraque recognoscit Justinus martyr, Christi Domini scilicet Dei et hominis præmonstrati. Utrique igitur convenit mysticus ille sensus, quem de priori ita declarat Cyrillus in Scholio de incarnatione part. III concilii Ephes. cap. 25, edit. Romanæ, pag. 584 : « Mysticus quidem est Scripturarum sensus, inquit, etc. Attamen illud certe homo erat, qui luctabatur cum Jacobo, cum Dei faciem nominabat. Neque id solum : nam sciebat eum Deum esse veritate. *Vidi enim*, inquit, *Deum facie ad faciem, et salvata est anima.* Deus namque est natura Emmanuel. Dicitur etiam facies Dei : nam est figura substantiæ Patris. Ita se vocabat apud Judæos cum diceret de Deo et Patre : Neque faciem ejus vidistis et verbum ejus non habetis in vobis manens : quia quem misit ille, huic vos non creditis. Quod vero Deus verus sit homo ille qui luctabatur cum Jacobo, sacræ litteræ iterum faciunt fidem : *dixit enim*, inquit, *Dominus ad Jacob : Surge, ascende in locum Bethel, et habita ibi, et fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi cum fugeres a facie Esau fratris tui.* Altera quoque visio viri armati a Josue conspecti, et interrogati, *Noster es, an adversariorum?* notionem viri manifestat : quæ copulatum notioni Dei cum dicitur eidem viro a Josue adorante, *Dominus meus loquitur ad servum suum.* » Utrumque igitur symbolum perinde refertur ad dogma fidei in Ephesino concilio declaratum et vindicatum ab hæresi Nestoriana, ac propterea relatum a Xysto inter cætera documenta suis in musivis expressa.

36. Decimam septimam areolam ornat pugna contra quinque reges Amorrhæos ab Israelitis suscepta duce Josue, ejus libri cap. 10 descripta : in qua scilicet turbata sunt castra fœderatorum regum non modo gladiis Israelitarum, et viribus a Deo confirmatis, sed etiam lapidum ingentium grandine de cœlo missa. Ad historiam ejusdem capitis 10 pertinent areolæ duæ consequentes, quæ etiam postremæ sunt ex præservatis ab injuria temporum. In una musivum exprimit solem ac lunam duo luminaria stare jussa mandante Josue, donec hostes internecione deleret. In altera quinque reges profugi, qui sese receperant in speluncas, extrahuntur mandato victoris Josue.

Complectemur tres areolas una explicatione, cum pertineant ad eamdem historiam debellatorum quinque regum, qui Israelitis impedimento erant ne assequerentur designatam sibi a Deo hæreditatem terræ promissionis, quam Josue singulis erat distributurus. Ad hanc respicere videtur Cœlestinus papa post Ephesinam synodum ita gratulatus communem fidelis populi victoriam in epistola ad clerum et plebem Constantinopoli constitutam, edition. Rom. p. 64. « Illum namque ex quo erat sicut legimus incitatus (Nestorius) vobis legitimis Dei filiis hæreditatem conabatur auferre, quos, dicente Apostolo, pro fide vestra et hæredes Dei, et Christi nostri futuros credimus cohæredes. Non ergo ei palmam de vobis referre permissum est, qui de ipso magis per arma fidei triumpharunt. Victores vos, imo communis regis de hoste. Victoriam loquitur tyrannus exclusus. Vicit in vobis, cujus incerta fieri divinitas putabatur. » Ex quo Josue divinitatem adoraverat ejus viri qui apparuerat, profitentis se ducem ac principem

Digitized by Google

exercitus Domini, ejusque mandato parens arcam Testamenti circumduxerat contra Jericho, et tubas sacerdotum evangelicæ prædicationis indices juxta Hieronymum excitaverat ad clangorem, disjectis Jerichuntis mœnibus regem adversum sustulit, et ex universis hostium spoliis anathema obtulit Deo. Mox quinque reges fœderatos uno prælio ac pluribus miraculis fudit, fugavitque, ita ut in speluncis latitula quærerent. Inde autem eductos proteri pedibus victorum jussit, et ultimo supplicio affectos in eamdem speluncam mortuos detrudi, in qua profugi latitaverant.

Hæc omnia per eximium ducem Josue a Deo patrata gesta ac prodigia ad Christi Domini typum referri ita certum est ex Patrum consensu, ut probatione non egeat. Solum ducis nomen indicium apertum est hujusmodi relationis, uti advertunt interpretes, illius elogium in libro Ecclesiastici cap. XLVI ita expressum legentes : *Fortis in bello Jesu Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* Sonat quippe nomen *Jesu* seu *Josue Salvator*, et refertur ad electos Dei; nam subsequitur modus, quo Josue fuit maximus in salutem electorum Dei per ea verba quæ Ecclesia subdit : *Expugnare insurgentes hostes, ut consequerentur hæreditatem Israel.* S. Cyrillus contra Julianum in Josue symbolum Christi exponit : sed luculentissime id exhibet S. Hieronymus pluribus in locis, præsertim vero contra Jovinianum lib. I, pag. 504, cujus copiosæ comparationis solum initium hic reddam, ne plures paginas sancti doctoris transcribam in argumento satis manifesto. « Transcendam, inquit, ad Jesum filium Nave, qui ante dictus est Ause, sive, ut rectius habetur in Hebræo, Osee, id est Salvator. Ipse enim secundum epistolam Judæ salvavit et eduxit populum Israel de Ægypto et in terram repromissionis induxit. Hic Jesus statim ut venit ad Jordanem, » etc. Seligam ex beato doctore aliisque Patribus ætatem Xysti proxime attingentibus, aut præcedentibus, breviores sententias, quæ typum Josue ad dogma de Christo Domino in Ephesina synodo propugnatum referunt. Hieronymus itaque in Isai. c. XXVIII, et in Epitaphio Paulæ, et adv. Jovinian. per miraculum luminarium ad vocem Josue sistentium proprios cursus, ut perficeretur victoria Israelitarum contra Amorrhæos, ita concise imaginem Christi designat in Josue : *Fiducia habitantis in se Dei locutus est Jesus, stetit sol.* Quo in loco advertendum est quod loquebatur de Josue nudo homine, et figura imperfecta Christi, Hieronymus, quando de illo affirmabat, *Fiducia habitantis in se Dei locutum fuisse, et solem stetisse.* Secus de Christo Domino dicendum intelligens, qui non *fiducia habitantis in se Dei, sed potestate divina sibi propria, utpote Deus ipse existens* (ut ait Athanasius a Cyrillo allegatus in defensione anathematismi XI concil. Ephes. fol. 559) *hæc operetur.* Hauserat enim cum Athanasio etiam Hieronymus ex apostolo Paulo quod scripsit ad Principiam virginem, nempe *in Christo omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter* (*ad Coloss.* II, 9), non ut servi sui Noe, Moyses, ac cæteri justi participatam ab alio a se diverso gratiam accipiens, sed ipse ex sua eaque divina substantia effundens in universos gratiam et potestatem ad ea patranda per ejus donum, quæ ipse propria vi, utpote gratiæ et naturæ Dominus, tam gratiæ quam naturæ præcipiendo efficiebat. Similitudo igitur typi est in auctoritate jubendi, qua usus est Josue dum Christum figurat, et ideirco utrique luminari in ejus fide ac figura præcipiens, ut indicet auctoritatem jubendi omnimodam a Christo Domino inseparabilem et suapte natura innatam, qua ipse dixit, et facta sunt, utpote Verbum existens per quod facta sunt omnia; dum talem ac tantam communicavit servis, quemdam typum et imaginem temporariam atque umbratilem suæ majestatis gerentibus inter homines.

De quinque autem regibus a Josue superatis et in arcolis postremis ex superstite musivo a Xysto papa propositis beatus Hieronymus, intendens digitum in typum Christi per Josue expressum, ejusque victoriam, qua nobis ad promissam hæreditatem vocatis removentur obstacula ad eam consequendam, ita scribit lib. I contra Jovinianum : « Ut infinita præteream (neque enim nunc mihi propositum est omnia Veteris Testamenti aperire mysteria) quinque reges, qui in terra repromissionis antea repugnabant, resistebantque evangelico exercitui, Jesu pugnante superantur. » Ordo victoriæ fuit, ut irruente primum contra profugos hostes exercitu Israelitarum, lapides ingentes de cœlo grandinis instar emissi eosdem fugientes contererent, ac multo plures occiderent ictibus, quam gladii victorum prius obtruncaverant. Hæc pars victoriæ in penultima arcola repræsentatur. Postrema vero figurat reges quinque e speluncis eductos et ante Josuam constitutos, ut pœnas dux fortissimus de victis sumat. Nam ferro Israelitarum, et grandine cœlesti percussis militibus, tanta formido reges invasit, ut latibulum in antris quærerent; eosdemque solerti investigatione detectos ante se produci Josue mandavit. Musivorum pars reliqua diuturnæ ætatis vitio labefactata desideratur.

Probabile admodum redditur, in paucis illis arcolis quæ ambitum navis medianæ claudunt, expressum fuisse Josue finem, et successionem Judicum præcipuorum, *Gedeon*, *Barac*, *Samson*, quos beatus Paulus in adducto capite XI epistolæ ad Hebræos enumerat inter eos qui *per fidem vicerunt regna*, hoc est figuram Christi gerentes in ejus divinitate atque humanitate adoranda catholici dogmatis veritatem ab Ephesina synodo propugnatam posteris prænuntiarent. Hac enim methodo solemne fuit tum Cyrillo tum Patribus ante ipsum florentibus ex Veteri Testamento documenta mystica mutuari illius dogmatis in novo luculentius expositi per manifestatam a Filio Dei veritatem. Ita enim Justinus in Dialogo cum Tryphone, ubi contra Judæos Christi divinitatem negantes res agitur, Paulum ac Stephanum imitatur, enumerando figuras Christi præmissas in patriarchis, in ducibus, in judicibus, in sacerdotibus, in regibus Veteris Testamenti. Nec secus præstitit Tertullianus adversus Judæos, et Marcionem : quem pone sequitur Cyprianus, ut alii adnotarunt (le la Barre, in fine argumenti libri a Tertulliano scripti adversus Judæos, pag. 98 A) in tractatu ad Quirinum. Cyrillus vero cæteris fortasse felicior in methodo, et uberior in copia typorum, egregie id præstitit tum in Glaphyris, tum in libris adversus Julianum : oblata sibi occasione ita illustrandi ejus dogmatis per figuras antiqui fœderis, quod in Ephesina synodo tot oraculis Novi Testamenti confirmaverat contra Nestorium. Cyrilli sensus ita conformes apostolicis ac suis reperit Romana sedes; ut Cœlestinus papa, a quo præses concilii suo nomine fuerat declaratus, ad eum perscripserit. « Quin et nos quoque, dilecte frater, nonnulla addituri eramus, nisi eadem omnia, quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere prospicerem; » et successor Cœlestini Xystus hisce in musivis Ephesinæ synodi, et catholicæ veritatis ibi a Cyrillo propugnatæ documenta colligens, ejusdem Cœlestini epistolæ subscribere videatur per has imagines nostra in basilica dedicatas. « Magnus sane hic nostræ fidei triumphus est, quod nimirum et nostra tam valide probaveris, et his opposita per divinarum Scripturarum testimonia tam potenter expugnaveris. » (Epistola S. Cœlestini ad S. Cyrillum in concil. Ephes. Romanæ edit. pag. 274.)

Hæc fuerant a me pertractanda in hac dissertatione de basilicæ Liberianæ ornamentis a S. Xysto additis in ejusdem amplificatione, non modo ut historiam hujus pontificis, ejusque operum illustrarem, sed etiam ut in suo lumine insimul collocarem ipsius decessorum ac successorum curam et provi-

Digitized by Google

dentiam in seligendis ornamentis sacrarum ædium, quæ per venerandas imagines ad verum Dei cultum incenderent animos, ut et memoriam rei gestæ ingererent, et dogma revelatum ostenderent, juxta quod debitæ adorationis tributa fides nostra persolvat.

SOMIER.

Num. 63, linea 4. — *Et facto conventu*, etc. Somier, pag. 259. Acta quædam antiqua (apud Baronium sub ann. 433, num. 320 et seq.) meminerunt judicii a Sixto papa in propria causa prolati, quemadmodum de aliis pontificibus traditur data occasione non dissimili, contra Bassum et Martinianum suos calumniatores. Liber pontificalis nonnihil de his attingit. Alia vero acta recensent judicium ab eodem pontifice prolatum contra Polychronium episcopum Hierosolymitanum (apud Binium sub Sixto III) et contra alium episcopum Euphemium. Verum cum in hujusmodi Actis nonnulla occurrant suspectam illorum fidem indicantia, ab iisdem hoc loco adhibendis abstinebimus; nobis enim constitutum est in copia propemodum infinita factorum, quæ pertractamus, ea tantum adhibere testimonia, quæ sint certitudinis indubitatæ.

In historia vero Sixti hæc documenta sunt attendenda nulli obnoxia dubitationi, recensita cap. 24, lib. IV ejusdem D. archiepiscopo Somier, nempe epistolæ 104 et 105 S. Augustini ad eumdem Sixtum in causa Pelagianorum. In prima S. doctor affirmat ad eos cognoscendos qui post damnationem manifesto sedis apostolicæ judicio factam eorumdem pestilentium errorum repente conticuerant, nec tamen sanationis suæ tutius documentum præbebant, adigendos esse non solum ut dogmata illa falsa taceant, *verum etiam ut illis vera contraria eo quo illa solent studio defensent* : in secunda vero epistola laudat litteras Sixti ad Aurelium Carthaginensem datas, quæ vigorem Sixti proprium adversus præfatos errores satis indicabant : ubi etiam adnotanda est præclara Augustini observatio circa epistolam ab apostolo Paulo ad Romanos datam, in qua tantopere Gratiam Dei commendat, « ut inde se prædicatio ejus, velut a capite orbis (Roma scilicet) toto orbe diffunderet. »

Attendi debent Sixti ipsius epistolæ ad Joannem Antiochenum, et ad Cyrillum Alexandrinum datæ, contestes ejusdem charitatis eximiæ, ac providentiæ et sollicitudinis plane apostolicæ iisdem epistolis comprobatæ, quas mandat Sixtus ad aliorum episcoporum notitiam per eos transmitti, « ut discant de tanta re, et si olim plenissime cuncta definita fuerint, non cessare tamen apostolicam sedem. Neque enim permittit nos quietos esse ab ejusmodi curis pro omnibus Ecclesiis sollicitudo. »

Vincentius Lirinensis Commonit. adv. hæres. cap. ultimo de Sixti epistola ad Joannem Antiochenum loquitur tanquam de excellenti tuitione veteris doctrinæ contra novatorum insidias et errores. « Adjecimus, inquit geminam apostolicæ sedis auctoritatem... Papa Sixtus in epistola quam de causa Nestorii Antiocheno misit episcopo : Ergo, inquit, quia sicut ait Apostolus *fides una est*, quæ evidenter obtinuit, dicenda credamus, et tenenda dicamus. Tandem illa quæ tenenda et credenda prosequitur, et ait : Nihil ultra inquit, liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides, et credulitas nulla cœni permistione turbetur. Omnino apostolica ut majorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret, novas vero profanitates cœni permistione describeret, » etc.

Sanctus Prosper in Chronico ad ann. 440 hæc adnotavit de Sixti zelo et providentia contra Pelagianos. « Hac tempestate, inquit, Julianus Arelatensis jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens molitus est in Ecclesiæ communionem irrepere. Sed his insidiis Sixtus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit. Et ita omnes catholicos dejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim apostolico gladio detruncasset. »

Idem S. Prosper advers. Collatorem in fine de felici Sixti labore ita loquitur : « Hæc sit pars huic reservata pastori : et ut illi prædecessores ejus Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos. » Ætate nostra Clemens XI priscas victorias apostolicæ sedis contra inimicos gratiæ Dei, et libertatis humanæ renovavit exemplo Sixti. Innocentius X et Alexander VII ejus decessores devicerunt declaratos Jansenismi defensores de simulata abjuratione in ejusdem secta complicibus.

XLVII. SANCTUS LEO.

ANNO CHRISTI 440, THEODOSII 33, VALENTINIANI 16.

66 *Leo, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos* 21, *mensem* 1, *dies* 26 [a]. Hujus temporibus fecit Demetria ancilla Dei basilicam sancto Stephano via Latina milliario 4 [b], in prædio suo. *Hic invenit duas hæreses, Eutychianam et Nestorianam*, per quosdam episcopos. Hic ordinavit præcepta sua auctoritate, et misit ad Marcianum Augustum fidelem principem catholicum. Et facta collatione cum eodem principe, collecti sunt episcopi, *et* [c] *factum est concilium* sanctum *episcoporum in Chalcedona* [d] in martyrio *sanctæ Eufemiæ* [e], *et congregati sunt* 256 *sacerdotes et alii, quorum chirographum cucurrit* 406 *episcopi*, qui congregati una cum Thomo [f], hoc est fide apostolicæ Ecclesiæ Romanæ cum chirographo sancti archiepiscopi Leonis. Sed et in præsentia

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 21 minus d. 32, a coss Valentin. v et Anatolii ad Severinum et Dagalaiphum. [b] 5. [c] *Vide Baron ad. an. Dom* 431, *pag* 138. [d] Chalcedonia. [e] *C*, Euphemiæ. [f] *C*, Tomo.

Digitized by Google

catholici principis Marciani Augusti congregatum concilium numero 400 [a] episcoporum, una cum Augusto Marciano. Qui exposuerunt fidem catholicam et apostolicam, duas naturas in uno Christo Deo simul et homine. In quo loco piissimus Augustus Marcianus, una cum uxore sua Augusta Pulcheria, deposita regia majestate, fidem suam exposuerunt ante conspectum sanctorum episcoporum. Ubi et damnaverunt Eutychem, Nestorium et Dioscorum. Et iterum fidem suam imperator Marcianus Augustus cum conjuge sua Pulcheria Augusta chirographo proprio fidem suam exponentes, postulaverunt sanctum Concilium, ut dirigerent ad beatissimum papam Leonem rogantes, ut fidem catholicam exponeret [b]. *Beatus vero Leo direxit* fidei catholicæ *tomum* et exposuit, damnans omnes hæreses. Iterum *multas epistolas* fidei misit beatissimus Leo archiepiscopis, *quæ hodie* reconditæ in *archivo* [c] tenentur. Hic firmavit frequenter suis epistolis Synodum Chalcedonensem. Ad Marcianum Augustum epistolas duodecim, ad Leonem Augustum epistolas 13, ad Flavianum episcopum epistolas octo [d], episcopis per Orientem epistolas decem et octo, per quas fidem confirmavit synodi.

67 Hic renovavit post cladem Vandalicam omnia ministeria sacrata argentea per omnes titulos conflata, hydrias sex, duas basilicæ Constantinianæ, duas basilicæ B. Petri apostoli, duas basilicæ B. Pauli apostoli : quas Constantinus Augustus obtulerat, quæ pensaverunt singulæ libras centum. Quæ omnia vasa renovavit sacrata. Hic fecit cameram basilicæ Constantinianæ, et aliam cameram basilicæ beati Petri ornavit, et basilicam beati Pauli apostoli [e] renovavit, fecit autem et basilicam beato Cornelio episcopo, et martyri, juxta cœmeterium Calixti, via Appia. Hic propter nomen Romanum suscipiens legationem ambulavit ad regem Unnorum [f], nomine Athilam [g], et liberavit totam Italiam a periculo hostium. Hic constituit monasterium apud B. Petrum apostolum, quæ nuncupatur sanctorum Joannis et Pauli [h]. Hic constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate sexaginta annorum. Hic constituit super sepulcra apostolorum custodes, qui dicuntur cubicularii [i] ex clero Romano. *Hic fecit ordinationes quatuor* in urbe Roma *per mensem Decembris, presbyteros octuaginta et unum, diaconos unum et triginta, episcopos per* diversa *loca numero centum octuaginta quinque.* Qui etiam *sepultus est* apud basilicam *beati Petri* apostoli III *Idus Aprilis ; et cessavit episcopatus dies* 7 [j].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, mille 200, *al.* 600. *Baron* 600, *ex Leon. epist* 52. [b] *Vide Baron ad ann* 450. [c] *C*, Rom Ecclesiæ. [d] *C*, novem. [e] *CB*, post ignem divinum, id est, *conflagrationem.* [f] *fulmine.* [g] Hunnorum. *Vide Baron ad an. Dom* 452, *pag* 178. [h] *CB*, Hic constituit ut intra actionem sacrificii diceretur : *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* [i] *B, qui capellani nunc dicuntur.* [j] *B, resellit.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 66, *linea* 2, *A*, dies 28. *linea* 3, *AB*, milliario 3. *linea* 7, *AB*, Chalcedonia. *linea* 8, *B*, et alii, quorum chirographum occurrit 408. *linea* 9 *B*, cum tomo. *linea* 11, *B*, mille ducentorum. *linea* 21, *AB*, damnantes omnes hæreses. *iterum lin* 25, *B*, epistolas 9.

Num 67, *lin* 6, *B*, post ignem divinum ibidem renovavit B, fecit vero cameram in basilica Constantiniana. Fecit autem basil. *lin* 9 *B*, Hunnorum. *lin* 10, *B*, Apostolum. Hic constituit ut intra actionem sacrificii diceretur, *Sanctum sacrificium*, etc.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 66, *linea* 1, nat Romanus ; *in ora :* al. Thuscus (*M*, Tuscus). *linea* 2, d. 13. *linea* 3, milliario 3. *linea* 7, in Calcedonia. *linea* 9, 408 episc. *linea* 10, cum chirog episcopi Leonis. Sed et cathol pr. M. A. præsentia congregavit concilium M.cc episcop qui exposuerunt fidem catholicam et apost. *linea* 16, Eutychem et Nestorium. Et iterum Marcianus *A. linea* 19, Leonem, damnantes omnes hæreses. Item multas epistolas fidei misit b. Leo archiep quæ hodie reconditæ sunt in archivo. Hic firm fr. suis epistolis concilium, seu synodum Chalcedonensem. *Ad Marcianum epist* 12, *ad L. linea* 25, episcopum 8, episcopis per Orient 18, quas fide confirmavit synodi.

Num 67, *lin* 2, hydrias sex argenteas. *lin* 3, P. Petri, duas basilicæ B. P. quas const A. *lin* 7, fecit quoque basilicam B. *lin* 10, apud S. P. apost. Hoc quoque constituit, ut intra actionem sacrificii diceretur, *Sanctum sacrificium*, etc. Hoc etiam constituit ut monachæ non acciperent benedictionem velam cap nisi probatæ fuerint (*M*, nisi fuerint in virg) in virg quadraginta annorum. Hic quoque constituit

Digitized by Google

sup. *lin* 6, 86. *lin pen*, apud S. Petrum Apostolum A. IV. Id. A, et cess episc dies 7.

Ex codice Thuano altero.

Num 66, *linea* 2, d. 13 *linea* 3, mil 5. *ibid* Eutychii et Nestorii. *linea* 7, in Chalcedonia. *linea* 8, cyrographus C, 406 episcoporum una cum Thomo. *linea* 11, congregatum est c. n. m. 200, episc. *linea* 12, fidem cathol. duas n. *linea* 15, Pulcheria regia m. *linea* 16, Eut et Nest et iterum. *linea* 19, ut dirigeret ad b. P. L. damnantes omnes hæreses. Iterum.

Num 67, *lin* 5, hic fecit cameram B. P. basilicæ ornavit *lin* 6, renovavit. Hic fecit ord 4.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num 66, *linea* 2, *Flor* dies XIII, cujus, etc. *linea* 3, *Flor et Cass* milliario tertio. *linea* 5, *Flor*, Orthodoxum principem, et Cathol etc. *linea* 8, Chirographus. *linea* 9, Tomo. *linea* 11, *Flor* 1200, *alias* 600. *linea* 15, desunt in Florent. *fidem suam.*

Num 67, *lin* 4, Obtulerit. *lin* 5, *Flor*, Hic renovavit basilicam B. Petri apostoli, et cameram, et B. Pauli, propter ignem diutinum renovavit. Fecit vero cameram in basilica Constantiniana. Fecit autem basilicam B. Cornelio episcopo. *Flor* 2 *legit* post ignem divinum *Loco* propter, etc. *lin* 8, *Flor*, Hic papa Romanam suscipiens legationem. *lin* 15, *Flor*, diaconos 21.

Apud Pentam ex codice Cavensi.

Num 66, *linea* 3, duas hereses per quosdam episcopos. *linea* 9 *et* 10 h. e. fide apostolicæ Ecclesiæ Romanæ cum cyrographo sancti archiepiscopi Leonis. *linea* 19, beatissimum papam Leonem damnantes omnes hæreses, etc.

Num 67, *lin* 9, nomine Athela.

NOTÆ VARIORUM

BENCINI.

Num. 66, linea 8. — *Congregati sunt* 256 *sacerdotes et alii, quorum chirographum cucurrit* 406 *episcopi*. Chalcedonenses itaque Patres juxta laudatum numerum fuere 622, cum tamen alii non recenseantur in Actis nisi 630. Illi vero in duplici classe ponuntur, qui subscripserunt epistolæ dogmaticæ ante synodi celebrationem, et qui ei non subscripserunt, sed tamen concilio adfuere. Si divinandum esset, dicerem in eo numero denotari episcopos utriusque partis, qui in eo discrimine actione 1 Chalcedonensi recensentur. Catholici stabant ex parte legatorum cum Anatolio, eratque omnes Orientales, qui a Dioscoro in latrocinali Ephesino depositionis sententia notantur, de qua depositione loquitur Theophanes, qui, latrocinalis Ephesini actis recensitis mox addit, in Chron. pag. 87: « Porro Dioscorus Theodoretum, Ibam et Andream, Domnum insuper Antiochiæ, cunctosque Orientis episcopos ecclesiastica potestate fecit extorres. » Hos sæpius Dioscori asseclæ eadem actione 1 Nestorianos appellant, ut legere ibi erit. Altera pars ex adverso stabat cum Dioscoro, et erant episcopi Ægyptii, Illyricani et Palæstini; et inter utramque partem concertatio facta est actione prima, quousque episcopi Palæstini et Illyricani in partem catholicorum abierunt, relicto Dioscoro cum solis tredecim episcopis Ægypti. Priorem itaque partem Liber Pontificalis ait fuisse episcoporum 406, posteriorem 256.

Poterat id agnoscere ex epistola dogmatica ante concilium anno 450 subscripta ab episcopis Orientis sub S. Abundio, quæ Romam missa in archivo reposita, locum dederat collectori numerum commemorandi. Authenticæ etenim subscriptiones in archivo sedis apostolicæ diligenter custodiebantur, uti de subscriptionibus concilii Antiocheni anno 378 ad tomum Damasi observatur in fragmento Holsteniano in calce ejusdem. Nomine vero *chirographi quod cucurrit*, venire fidei a Leone editum decretum in epistola dogmatica ad Flavianum, inter alia ostendit similitudo locutionis, quæ sæpe expensa est in Silvestro cum de decreto Nicæno actum est. Hæc vero subscriptio facta est in concilio Constantinopolitano, in quo subscripta est a præsentibus, et deinde ad absentes directa est, quod hic exprimitur, *quorum chirographum cucurrit*, et chirographum subscriptum iterum in eadem synodo examinatur. De synodo Constantinopolitana sub S. Abundio, S. Leonis per Orientem legato, testatissimum id facit fragmentum Vitæ ejusdem, ubi ita (apud Baron., *an.* 450): « Anatolius episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ accepta epistola S. Leonis papæ de confessione catholicæ fidei contra vesaniam hæreticorum, congregavit concilium episcoporum, archimandritarum, presbyterorum et diaconorum, et ante conspectum omnium recitata est epistola S. B Leonis papæ, quam beatus Abundius coram omnibus præsentavit. Concordantibus testimoniis Romanorum Patrum et Græcorum Anatolius episcopus Constantinopolitanus huic epistolæ S. Leonis papæ continenti catholicæ fidei veritatem, concordantibus testimoniis Patrum ab eadem apostolica sede directorum, plena devotione consensit et subscripsit, anathema dicens Eutycheti et Nestorio, et ipsorum dogmati cum sectatoribus eorum. Id ipsum fecerunt qui aderant episcopi, presbyteri, Archimandritæ et diaconi. » De qua subscriptione lætatus Leo paulo post Paschasio Lylibitano episcopo scripsit, eamque primus vulgavit Quesnellius (*ep.* 68): « Totam Constantinopolitanam Ecclesiam, cum monasteriis omnibus, ac multis episcopis noveris præbuisse consensum, et subscriptionibus suis Nestorium atque Eutychem cum suis anathematizasse dogmatibus. » Eodem tempore eadem epistola ad metropolitas dirigitur, qui in provinciis sedentes, subjectisque epistolis subscribentes, chirographum C subscriptum synodo Constantinopolitanæ adhuc coactæ dirigunt. Quod legitur act. 4 Chalced., p. 30. « Cum pauci Constantinopolim convenissent, missa est epistola almi archiepiscopi Leonis iis qui ubique erant metropolitis, et subscripta est. » Unde in eadem actione inter interlocutiones sæpius episcopi dicunt, jam epistolæ subscripsisse. Exemplar aliarum subscriptionum exstat in epistola Theodoreti rescribentis S. Abundio, qui ei direxerat epistolam dogmaticam subscribendam. Ait enim Theodoretus: « Gratias egi Deo omnipotenti quod religio quæ periclitabatur renovata est per sanctitatem vestram... Hæc ex litteris... domini nostri Leonis didicimus. Legimus enim quæ ad sanctæ et beatæ memoriæ Flavianum scripsit et gratias egimus Deo, quod advocatum et propugnatorem veritatis inveniamus. His ergo litteris consensi, et huic epistolæ meæ exemplum earum copulavi, cui et subscripsi... Item et Dominus meus Ibas, et dominus meus Aquilinus. » Partis hujus catholicæ episcoporum 406 D inde in concilio Chalcedonensi erat specialis prærogativa, quod epistolæ dogmaticæ subscripserint. In ipso etenim limine actionis 2 cum judices episcopos rogarent de regula, seu fidei decreto condendo Cecropius Sebastianopolitanus episcopus omnium nomine qui subscripserant audacter respondit (*pag.* 286): « Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, et super his forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romanæ urbis, et sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus. » Regulam fidei putasse epistolam S. Leonis ac post subscriptionem alienam omnem retractationem pandunt in eadem actione, cum Illyriciani et Palæstini retractatum et collationem cum epistola S. Cyrilli promoverent, et judices annuerent. Subscripti enim episcopi petitionibus refragantes (*pag.* 307]: « Omnes reverendissimi episcopi clamaverunt: Nos ita credimus.

Digitized by Google

Sicut Leo ita credimus, ..ostrum nullus dubitat. Nos jam subscripsimus. » Unde cum ex judicum indulgentia episcopis Illyricianis et Palæstinis catechismus permitteretur, ne permissio præjudicaret editæ professioni factæ ab episcopis qui subscripserant, Florentius episcopus Cecropii interlocutionem laudans obtestatus est : « Quamvis in nostra persona, qui epistolæ SS. Leonis subscripsimus, non indigemus correctione. » Subscriptio itaque hæc tanti habita ab ipsa parte catholicorum, tot professionibus iterata, debuit esse authenticum veritatis testimonium; et in fastis ecclesiasticis recensitum, potuit collector id inserere, et numerum subscribentium liberare.

Lin. 9. — *Qui congregati una cum Tomo, hoc est fide apostolicæ Ecclesiæ Romanæ cum chirographo S. archiepiscopi Leonis.* Duplicem sensum patiuntur hæc verba. Primus sic expendendus : *Qui congregati cum Tomo*, in quo continebantur subscriptiones episcoporum Occidentis, qui epistolam subscripserant, et testabantur hanc esse communem professionem et fidem *apostolicæ Ecclesiæ Romanæ;* et cum *chirographo quod cucurrit*, quodque continebat epistolam S. Leonis, et Orientalium episcoporum subscriptiones, vel sic. *Qui congregati cum Tomo*, seu epistola dogmatica, quæ erat expositiva et declarativa fidei de articulo controverso apostolicæ sedis, qui erat conscriptus a *S. archiepiscopo Leone*, et cum *chirographo quod cucurrit* ante synodi Chalcedonensis celebrationem per Orientem. Utraque expositio ex superioribus animadversionibus firmitatem accipit, et ex epistolis episcoporum Occidentalium exstantibus inter S. Leonis epistolas, qui subscripsere epistolæ dogmaticæ, antequam eadem ad Orientem fuerit directa. Neque enim novum aut insuitatum, ut in concilio œcumenico dirigerentur epistolæ Occidentalium, in quo sensus totius Ecclesiæ erat expendendus. Priorem expositionem confirmat subsequens factum ejusdem Leonis Magni, qui cum videret per refractarios monachos et Eutychianos concilii Chalcedonensis auctoritatem oppugnari an. Chr. 357, scripsit ad metropoli anos et ad patriarchas, ut eos excitaret ad defensionem. Id testatur epistola data Aetio presbytero Constantinopolitano, quam vulgavit Quesnellius, ubi sic (*epist.* 121) : « Placuit etiam nobis ut ad metropolitanos episcopos generales litteras mitteremus, quæ animum eorum firm nt atque corroborent; ut sciant ad defendendam Chalcedonensem synodum æquali studio et concordi unitate nitendum : de quibus epistolis unam ad Antiochenum, alteram ad Jerosolymitanum, si vobis in commune visum fuerat dirigetis. Nos etiam ad Illyrios episcopos similia jam scripta transmisimus. » De epistolis vero Occidentalium receptis ut unanimem pro tuendo concilio Chalcedonensi consensum ostenderent, ac imperatoris reliquisque offerrent, exemplaria mittere scribit : « Exemplaria quoque litterarum, quas Galli ad nos atque Itali episcopi concordi credulitate miserunt pariter direximus; ut quam etiam illorum nobiscum sit fides una non lateat, » etc.

Lin. 10. — *Sed in præsentia catholici principis congregatum concilium numero 400 episcoporum.* Per hæc verba denotari videntur actiones 5 et 6, in quibus fidei decretum enucleatum tandem publicatur præsente Marciano. Addit enim Liber Pontificalis : *Qui exposuerunt fidem catholicam*, etc. Certum enim est quod ad decretum condendum non fuerint vocati omnes episcopi, sed pars episcoporum, et cum hic dicatur quadringentos congregatos, et superius dictum fuerit quod ii ante celebrationem subscripserant, exinde colligimus juxta hanc Libri Pontificalis memoriam, eosdem quadringentos fuisse electos ad decretum efformandum. Equidem nec omnes fuisse vocatos, et delectos fuisse subscribentes hæc suadent. Actione enim 5, pag. 447, legitur : « Asclepiades diaconus magni nominis SS. Ecclesiæ Constantinop. recitavit definitionem, quam non placet his gestis inserere, et post lectionem, dubitantibus aliquibus, Joannes. . . episcopus Germaniciæ transiens in medium dixit, Non bene habet definitio, sed debet integre fieri. » Quæ verba certo manifestum faciunt episcopos universos non interfuisse ad decreti compilationem. Alioquin qui dubitabant, et qui refragari publice non sunt veriti, insulse id actitassent, cum in congressu opportunius id agere potuissent. Deinde quod Orientalium potior pars adfuerit congregationi patet, quia conclamatum est : *Nestorianos mitte foras, inimicos Dei mitte foras*, a Joanne Germaniciæ episcopo, cui assensere dubitantes. Porro hac nota in priori actione compellati Orientales, qui a parte Dioscori sæpius ea censura notantur. Et universim Eutychianos Nestorianismi incusasse catholicos monet S. Leo in epistola ad Proterium, quam primus vulgavit Quesnellius, ubi sic (*epist.* 105) : « Hoc igitur, frater charissime, pro sollicitudine fidei communis admoneo, ut quia inimici crucis Christi omnibus et verbis nostris insidiantur et syllabis, nullam illis vel tenuem occasionem demus, qua Nestoriano nos sensui congruere mentiantur. » Qua conjectura ducti putamus 400 fuisse qui exposuerunt fidem priorem, et hoc voluisse innuere Librum Pontificalem.

Linea 14. — *Una cum uxore sua Augusta Pulcheria.* Concordant exemplaria aliqua Latinæ editionis concilii Chalcedonensis, actione 6, ubi legitur, pag. 463 : « Præsente ex divino zelo et fervore fidei etiam piissima et Christianissima regina Augusta Pulcheria. » Concinit Breviculum Eutychianistarum, ubi eadem gesta recensentur synodi Chalcedonensis, et additur : « in qua et ipse, et Pulcheria resedit, et omnis cum eo senatus et potestates. » Verum Baluzius docet prædicta verba sicuti non exstant in cunctis Græcis exemplaribus, ita nec in Latinis antiquioribus exstare. Unde posteriori manu additio facta est, sicut et in Libro Pontificali. (*In nova Conc. col.*, pag. 1264.)

Linea 17. — *Et iterum fidem suam imperator Marcianus Augustus cum conjuge sua Pulcheria Augusta chirographo proprio fidem suam exponentes, postulaverunt S. concilium ut dirigerent ad beatissimum papam Leonem, rogantes ut fidem catholicam exponeret.* Iterata hæc concilii expositio et ad Leonem directio innuere videtur quoddam aliud præter decretum fidei, quod necessarium putarunt Marcianus et Pulcheria, quodque Patres Chalcedonenses exsecutioni demandarunt et Leo M. approbavit. Quale sit hocce decretum difficiliter explicari potest. Verum si conjecturis, et quidem petitis ex temporum circumstantiis, locus suppetit, non improbabiliter dicere possumus his verbis indicari aream concilii Chalcedonensis allocutionem ad Marcianum, editam ad occurrendum dispersis rumoribus Eutychianistarum. Tempore celebrationis concilii erat fundamentale Eutychianistarum principium, nullam aliam fidei formulam retinendam profitendamque nisi Nicænam, et quamcunque aliam, a quolibet ecclesiastico tribunali editam, uti alienam excludendam esse; ac depositionis pœna multandos sive editores, sive profitentes. Principium istud unicum in latrocinali Ephesino promovit Dioscorus, qui canonem Ephesinum legi curavit, a quo id vetari declaravit, et suis votis accessere concordes qui aderant Dioscori sectatores. Eo motivo inhibuit lectionem epistolæ dogmaticæ, Flavianum deposuit, quia in concilio priori suo Constantinopolitano Eutychi et Patribus proposuit alteram formulam profitendam; majori deinde insania cum videret per orbis provincias dogmaticam sancti Leonis recipi, profiteri et solemni more subscribi, ausus est excommunicationis sententiam in ipsum proferre. Hæreticale fundamentum arte aulicorum lege data firmavit Theodosius, sequendumque per imperii provincias decrevit. Cum vero Dioscori asseclæ præcipue in Palæstina monachi, ubi Hieroso-

Digitized by Google

Jynis Theodosii uxor, nempe Eudoxia, degebat, audirent latrocinale Ephesinum fuisse rejectum a Chalcedonensi, ob firmatam epistolam dogmaticam, ei Dioscorum depositionis pœna multatum, imperatricem viduam circumvenientes. Patresque Chalcedonenses veluti injurios legi Theodosii conjugis traducentes, imo œcumenicæ Ephesinæ decretis osores, Theodosio monacho duce, Patres omnes Chalcedone adhuc consistentes uti depositos declaratos habere cœperunt ex decreti Ephesini dispositione, eo quod ausi essent novam formulam recipere, cum id omnino, ut hariolabantur Eutychiani, canone Ephesino foret inhibitum. Hæc autem acta tempore concilii Chalcedonensis, et quidem per monachos Eutychianos ope Eudoxiæ refert Theophanes in Chronico, funestæ hujus tragœdiæ initia recensens, pag. 92 : « Theodosius monachus, vir exitiosus, peracto Chalcedone concilio (prioribus nempe sex actionibus celebratis) cursu concito Hierosolymam delatus, et de Eudoxiæ Augustæ versus Dioscorum a concilio depositum affectu certior factus, adversus illud, quasi rectam pervertisset fidem vociferare ac declamare cœpit : et Augusta in propriam sententiam rapta, circumventis itidem monachis, familiaribus sibi cædibus usus, barbarico more in pontificium thronum, etiam ipsis Augustæ domesticis invasionis hujusmodi administris intruditur (dum Juvenalis legitimus episcopus Hierosolymitanus in synodo Chalcedonensi assideret) et per urbes episcopis adhuc in concilio (Chalcedonensi nempe) considentibus episcopos destinat : Severianum autem Scythopoleos episcopum cum ipsius pravis erroribus assentiri nollet, civitate expulsum interficit, persecutionemque in eos qui ejus communionem aversarentur, excitat, et quosdam quidem examinat tormentis, aliorum ædes igne depopulatur, adeo ut civitatis a barbaris devastatæ faciem in ipsa civitate exhiberet. Tandemque Anastasium sanctæ Resurrectionis diaconum, summam ejus impietatem probris et reprehensionibus insectantem, necavit crudeliter, sanctique corpus per urbem publice in ludibrium raptum canibus objecit. » Patriarchalem itaque Hierosolymitanam sedem occupavit, et reliquorum episcoporum Chalcedone considentium, quos uti depositos jure dispositionis Ephesini canonis et latrocinalis sub Dioscoro declaravit, potuitque Augustam allicere sub motivo tuendi conjugis vulgata edicta. Quæ tragica imperatoris et asseclarum arte facta sunt, pluribus prosequuntur epistolæ exstantes parte III concilii Chalcedonensis. Imo pari audacia in facinoribus audent nedum concilium Chalcedonense anathematizare, verum et S. Leonem, quod eis objicit Marcianus in epistola ad eosdem (*ibidem.*, pag. 671) : « Vos autem præter ea quæ dudum ausi estis gladiis, aliisque crudelitatibus... necessitatem plurimis non dubitastis inferre, ut consentirent vestris perversis doctrinis; et clamoribus atque subscriptionibus anathematizarent eamdem sanctam synodum, et sanctissimum patriarcham sedis apostolicæ maximæ Romæ Leonem, et alios sanctissimos Patres. » Rumoribus hisce perlatis ad imperatorem et ad concilium, etsi primo putassent Patres per actionis primæ gesta, in qua lectum cassatumque erat latrocinale Ephesinum, sufficienter provisum; nihilominus cum adhuc exstaret, vigeretque Theodosiana constitutio de latrocinali et canone Ephesino servando, et hujus esset necessaria interpretatio seu auctoritativa declaratio, imperator iterum, ut hic dicitur, Patribus collectis discussionem demandat, qui aureum ad Marcianum dederunt allocutionem, in qua primo probant etiam invitis Dioscorianis fatendum esse, a concilio Nicæno ad Chalcedonensis tempora exaratas fuisse varias fidei formulas et professas, decemque nobiliores assignant, quarum aliquas hæretici admittebant, ut inde probarent ab ipsa Nicæni celebratione Ecclesiam, pro hæresum circumstantia, novas fidei declarationes edidisse, editasque absque ulla hæsitatione fuisse susceptas : imo post canonem Ephesinum editam fuisse epistolam pacificam a S. Cyrillo, canonis Ephesini controversi auctore, et a catholicis schismaticisque concordi suffragio subscriptam, indeque fundamentum hæreticale Eutychianistarum convellunt. Secundo veram germanamque canonis Ephesini mentem explanant, nec Nicænum concilium aut Ephesinum canonem Ecclesiæ adimere potuisse potestatem fidei defensandæ. Tertio tandem S. Leonis dogmaticæ defensionem suscipiunt, et consuetudinem expendunt priorem, per hasce epistolas fidei dogmata declarandi. Argumentum hocce allocutionis sic exhibent Acta (*pag.* 613) : « Allocutio sancti et universalis Chalcedonensis concilii ad Marcianum piissimum et amatorem Christi imperatorem. Quod non innovans aliquid adversus Nicænam fidem nunc sanctissimus archiepiscopus Leo scripsit epistolam ad sanctæ memoriæ Flavianum Constantinopolitanæ regiæ urbis episcopum; sed sanctos Patres secutus est, qui post magnam synodum Nicænam hæreses quæ per unumquodque tempus exortæ sunt, similiter refutaverunt. » Hanc post decimam sextam actionem editam probare videtur tum quod hic dicitur, *iterum* congregatum concilium, sicuti et quod *allocutio* primum occupet in cunctis exemplaribus locum gestorum post sexdecim celebratas actiones; tandem quia Marcianus anno 452 vulgavit legem qua irritavit Theodosianam, qua latrocinale Ephesinum concilium recipiendum ut œcumenicum decernebatur : exstat in parte III concil. Chalcedonensis, sub titulo (*pag.* 675) : *De infirmandis iis quæ contra sanctæ memoriæ Flavianum episcopum Constantinopolitanæ urbis injuste sunt prolata, et confirmandis iis quæ postea de eo constituta sunt a sancta synodo Chalcedonensi.* Hæc lex subditur Theodosianæ legi quæ habet hanc epigraphem (*ibid. pag.* 673) : *Interpretatio legis, a Theodosio juniore, cum seductus fuisset a Chrysapio, adversus Flavianum et socios pro Eutyche promulgatæ; quod religiosissimi Marciani principis lex subsecuta destruxit.* Occasio hæc orta ex turbis monachorum, quæ augebantur ex Augustæ favore, Dioscoro et asseclis patrocinantis, debuit certe impellere imperatorem ut eam provinciam illustrandam Patribus Chalcedonensibus committeret, et assignatam impigre episcopi adhuc collecti exsequerentur; quod effecere in laudata allocutione Patres, ut editam mitterent Leoni. De hac itaque iterata congregatione loqui videtur Liber Pontificalis. Porro Eudoxiam obstinato animo a concilii Chalcedonensis celebratione promovisse causam latrocinalis Ephesini et monachorum seditiosorum per quatuor integros annos ostendit Nicephorus cum de Eudoxia lib. XIV, cap. 50 : « Hierosolymis undecim transegit; ex eo tempore quatuor vixit annos universalis synodi Chalcedonensis Acta non probans; postquam autem synodi ejus decreta rata grataque habuit, alios etiam transegit annos quatuor, et tandem mortua est. » Quæ autem decreta synodi Chalcedonensis hic laudantur, alia non sunt nisi fidei decretum, epistola S. Leonis dogmatica, et allocutio ad Marcianum; quæ ut Eudoxia agnovit, et pondus scrutata, nedum hæresis patrocinium reliquit, verum Juvenale et episcopis catholicis revocatis catholicam religionem propugnavit et in ea decessit e vivis. Tria porro illa decreta laudat S. Leo, et per ea sufficienter rescissa omnia Eutychianismi capita ita Theodoreto proponit, unde auctoritas allocutionis ex Leonina hac confirmatione libranda. Sic enim anno 453 scribit Theodoreto de perfidia Eutychiana, epist. 93 : « Quam et in apostolicæ sedis epistola, universalis sanctæ synodi assensu firmata tanta divinæ auctoritatis testimonia novimus esse congesta, ut nullus queat ulterius dubitare nisi sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit; cum synodalia gesta, vel quibus primum definitio fidei legitur esse firmata, vel quibus præfatæ litteræ apostolicæ sedi, etiam

Digitized by Google

tuæ fraternitatis studio defensæ sunt, et maxime ad piissimos principes totius concilii allocutio, tot sit præcedentium Patrum testimoniis roborata, ut quamvis impudenti ac pertinaci animo, sit tamen non jam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere. » Maximum fuisse impedimentum ab Eudoxia susceptum Eutychianistarum patrocinium, præter clades tragœdiasque in Palæstina secutas, docent conatus Marciani, qui Leonem adhibuit veluti suasorem, ut Augustam ad meliora consilia adduceret; et pontifex Valentinianum Eudoxiæ generum excitavit, ut Augustam monitam redderet. Ita enim in epistola Juliano Coensi primum a Quesnellio edita, epist. 88, pag. 306 : « Et quia secretius mihi clementissimus imperator per filium nostrum Paulum mandare dignatus est de admonenda filia nostra clementissima Eudoxia, feci quod voluit, ut litteris quam fructuosum sibi foret si catholicæ fidei, faveret, agnosceret; et ut clementissimi filii sui litteris super hoc admoneretur, obtinui : non ambigens ipsum quoque pro studio elaboraturum, ut auctores seditionum propositum suæ professionis agnoscant; ut si non intelligant docentium prædicationem, saltem vindicantium timeant potestatem. » Occasione ista missam arbitror Leonis epistolam a Marciano, quam ex codice Boldeiano G. L. edidit Quesnellius, ubi post initium, ibi pag. 307 : « Vehementer admiramur quod synodo in Chalcedone celebrata, et litteris venerabilium episcoporum ad pietatem tuam missis, per quos omnium rerum in synodo gestarum seriem exposuerunt, neutiquam illæ a sanctitate tua fuerint omissæ, quæ tamen in sacris ecclesiis lectæ, in singulorum notitiam pervenisse debebant; unde aliquibus, qui Eutychis falsam opinationem et pravitatem etiamdum persequuntur, magnus est injectus scrupulus, utrum beatitudo tua, quæ synodus decrevit, confirmaverit. Idcirco pietas tua emittere litteris dignetur, queis omnes et Ecclesiæ et populi cognoscant acta synodi a beatitudine tua approbari, etc. » et reliqua quæ ibi continentur, unde magis hæc Libri Pontificalis adnotatio relucet. Et hæc est secunda Marciani epistola petens concilii Chalcedonensis a pontifice auctoritativam confirmationem, de qua hic loqui videtur Liber Pontificalis.

Linea 20. — *Leo direxit fidei catholicæ tomum, et exposuit.* Approbasse missam allocutionem ostendit epistola data Theodoreto; ulteriorem confirmationem dedisse actis concilii Chalcedonensis scribit in epistola ad Marcianum, quæ est edit. Quesn. 89. Direxisse tomum fidei catholicæ uberiori retractatu expositum ostendit epistola 97, ad monachos Palæstinæ, in qua incarnationis mysterium adversus Nestorium et Eutychem ampliori tractatu expendit, et veritatem catholicam explanat. Unde in epistola Juvenali data 110, ubi congaudet sedi restitutum, profert epistolam dogmaticam sequendam, et allocutionem, qua ejusdem epistolæ defensio suscepta est : « Hæc autem veritas quantis et Novi et Veteris Testamenti auctoritatibus declaretur, pro antiquitate sacerdotii tui evidenter agnoscis, cum fides Patrum, et scripta mea ad sanctæ memoriæ Flavianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adjecta universalis synodi confirmatione sufficiant. »

Linea 21. — *Damnans omnes hæreses.* Edidisse tractatum, quo singulis hæresibus propositis regulam fidei sequendam exposuit, testatur Justinianus, qui tum Cœlestini, tum Leonis istiusmodi opus commendat Vigilio papa teste in epistola data imperatori, in qua cum exstaret Justiniani fidei professio, edicit, recte se gessisse damnando hæreses universas juxta methodum servatam a Cœlestino, et Leone R. R. pontificibus, apud Bar. ann. 540, pag. 304 : « Ex qua re venerabilis imperator, devota venerationis gratulatione suscipimus, quod ardore fidei, et suavis iracundiæ commotione succensus, nobis etiam pios direxistis affatus, in quibus beatæ recordationis Cœlestinum, atque Leonem apostolicæ sedis præsules, qui singulas hæreses pro divina sibi dispensatione commissa cum synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant Christiani, mansura in ævum lege, laudabili commemorastis affectu. »

Linea 22. — *Quæ hodie reconditæ in archivio tenentur.* Hinc magis probantur superiores animadversiones, constituta nempe fidei R. R. pontificum diligenter servata in archivis, et quia hæc obvia, Liber Pontificalis constitutionum argumentum omiserit.

Linea 23. — *Hic firmavit frequenter suis epistolis synodum Chalcedonensem.* Necessaria cautela numerus epistolarum recensetur, et a Libro Pontificali II laudantur. Confirmationis necessitatem pandit laudata Marciani epistola ex cod. Boldeiano eruta, quæ iterato confirmationem petit. Et quidem ut omnium evacuetur dissidiorum causa, ut in fine epistolæ imperator scribit, pag. 307 : « Quapropter veneranda dignitas tua istud quam primum per litteras ubique significat, quibus plenissime ostendat, synodum Chalcedonensem te ratum habere, ne dissidiorum discordiarumque de judicio sanctitatis tuæ ulla relinquatur suspicio. » Ulterius has collectas, reor, occasione Timothei Eluri, qui sub Leone imperatore anno 457 retractatum Chalcedonensis promovebat, veluti de concilio non recipiendo uti œcumenico, ob quam controversiam sedandam ad episcopos totius orbis epistolæ diriguntur, qui synodis particularibus per epistolas encyclicas profitentur se recepisse et recipere ut œcumenicam synodum Chalcedonensem, ex quibus factus est liber encyclicus concilii Chalcedonensis, et epistolæ plures exstant in III parte ejusdem concilii. Ecclesia vero Romana particularem codicem epistolarum Leonis collegit, ubi pontifex firmabat decreta concilii Chalcedonensis, quæ erat necessaria cautela, ut occurreretur Eutychianistarum tergiversationibus. Hunc codicem veluti notum etiam reservari in archivis palatinis principis scribit Simplicius in epistola ad Basiliscum (non vero ad Zenonem, ut vulgata habet lectio, de quo infra) cum imperator Eutychianis faveus de perdendo concilio Chalcedonensi meditaretur. Ita enim pontifex : « Suppetunt affatim clementiæ tuæ (si in palatii sui reperiri mandet archivis) cum nostrorum coeuntium definitione majorum documenta copiosa. Neque enim conscientiam vestram latere credendum est, quæ per cunctas provincias Orientis ex imperii vestri arce diffusa sunt, illa scilicet quæ vel ad augustæ memoriæ Marciani nihilominus et Leonis, vel ad Chalcedonensis concilii beatæ recordationis prædecessor meus Leo consulta direxit. »

Num 67, lin 6.—*Basilicam beati Pauli... renovavit.* Additur in aliquibus codicibus *post ignem divinum.* De qua renovatione et pictis imaginibus hæc habet Adrianus I, scribens Carolo pro concilio Nicæno II, tom IV, Concil, pag 812 : « De sacro quarto concilio egregius atque mirificus prædicator S. Leo papa, qui et ipse fecit ecclesias, quas in musivo ex diversis historiis seu imaginibus pingens decoravit : magis autem in basilica S. Pauli apostoli arcum ibidem majorem faciens, et in musivo depingens Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, et secum viginti quatuor seniores nomine suo cum versibus decoravit, et a tunc usque hactenus fideliter a nobis reservantur. »

BINII ET LABBÆI.

Num. 66, linea 1.—*Leo natione Tuscus.* Anno Domini 440, qui est Theodosii imp. 33 et Valentiniani 16, post interregnum, teste Prospero, quadraginta et amplius dierum, septimo Idus Maias Leo natione Etruscus, Sixti pontificis diaconus absens in locum defuncti subrogatus fuit. Refert de Leone Sophronius in Prato spirit., cap. 149, quod quadraginta dies perseveraverit ad sepulcrum beati Petri apostoli, vigiliis et orationibus insistens, petensque ab apo-

Digitized by Google

stolo ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua, quodque impletis diebus quadraginta apparuerit apostolus Petrus dicens ei : « Oravi pro te, et dimissa sunt tibi, quoad pœnam, omnia peccata tua præterquam impositionis manuum, » indignis quibusdam ad ordines sacros promotis : « hoc solum a te requiretur, sive bene, sive fortasse male egeris. » Refert insuper sanctus Gregorius, lib. III, epist. 30, quod hisce temporibus, dum quidam Græci de acceplo brandeo dubitarent, Leo pontifex allatis forficibus illud inciderit, et ex ipsa incisione sanguis effluxerit. Quid sit brandeum verbis paulo antecedentibus hisce explicat : « Cognoscat autem tranquillissima domina, quid Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore ; sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur : quod elevatum in ecclesia, quæ est dedicanda, cum veneratione reconditur : et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. » Ejusdem moris antiquissimi ponendi vela, vel sudaria supra apostoli Petri sepulcrum, ut benedictione locupletata reciperentur, meminit Gregorius Turonensis lib. I Miracul., cap. 28.

Num. 67, lin. 11. — *Hic constituit ut monacha*, etc. Ad imitationem et exhortationem S. Leonis Marcianus imperator promulgavit edictum adversus eos qui filias virgines invitas cogebant sacrum velum accipere, Deoque in perpetuum virginitatis cultu dicari : prohibens ne aliqua hujusmodi a parentibus oblata virgo ante quadragesimum ætatis annum sacrum velamen acciperet, ut usque ad illud tempus libera esset possetque nubere si vellet.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Cardo temporum inconcussus ad aperiendam veram chronologiam summorum pontificum a Cœlestino ad Hilarum vertitur supra Hilari natalem cathedræ, sive consecrationis episcopalis, diem nobis notam ex concilio Romano, ut supra diximus in notis chronologicis ad Cœlestinum I et ad Xystum III, quam diem cadere in Dominicam 19 Novembris anni 461 ibidem ostendimus et in Vita Hilari rursus astruemus. Septem diebus sedem vacasse ex obitu decessoris ad electionem Hilari veteres catalogi cum Bibliothecario testantur, ut observat Florentinius in notis ad sui Martyrologii diem 10 Novembris, qua consignatam reperit in eodem Martyrologio, *Romæ depositionem sancti Leonis episcopi*. Protulit etiam idem auctor Martyrologium Hieronymianum perantiquum canonicorum Lucensium, ubi eadem die IV Idus Novembris sancti Leonis papæ celebritas consignatur, non secus ac apud Rubeum legitur IV Idus Novembris, *Romæ depositio sancti Leonis episcopi*. Mire autem consentit cum die depositi Leonis Magni 10 Novembris vacatio sedis per dies septem, et electio Hilari successoris cum 17 ejusdem mensis, et coronatio sive ἐνθρονισμος biduo post consequitur cum Dominica 19 Novembris. Ut autem eruditus auctor respondeat iis quæ opponi possent ex festo sancti Leonis Magni attributo diei 11 Aprilis in Martyrologio Romano, observat, in vetusto Sacramentario beati Gregorii festum sancti Leonis papæ cadere in diem diversam, nempe in IV Kalend. Jul i : et uterque Pagius animadvertit, tantummodo ex ætate Gregorii XIII affixam fuisse celebrationem festi sancti Leonis die 11 Aprilis, in Martyrologio Romano. Quare concludit, festum assignatum diei 11 Aprilis fuisse causa translationis solemnis eadem die peractæ, fortasse ejus quæ a Sergio papa celebrata est, quando ex inferiori secretario basilicæ, ubi per annos ducentos ac triginta fuerant custodita ossa beati pontificis, recondita sunt intra basilicam in oratorio apte disposito : cujus altare paulo post Leo III convestivit argento deaurato aliisque A donariis ornavit sanctus Leo IV (uterque synecdita sui decessoris), quemadmodum in istorum Vitis infra dicemus cum Bibliothecario.

Hoc semel constituto fine mortalis vitæ sancti Leonis Magni, ejusque depositionis epocha ad diem 10 Novembris anni 461, Severino et Dagalaipho coss., consequitur, initium ejusdem pontificatus annorum 21, mensis unius et dierum 26 (ita definita summa ab Anastasio, et a catalogis vetustioribus ac emendatioribus, Farfensi, Cavensi, et Bergomate, sola bidui differentia in hoc postremo adnotata, quibus et plerique Colbertini suffragantur) cadere circa secundam hebdomadam Septembris anni 440, Valentiniano et Anatolio coss. Prosper Aquitanus, qui tunc vivebat, his consulibus consignat electionem Leonis papæ. Mensem quidem ac diem non indicat. Sed utrumque non difficulter assequimur ex definito spatio dierum 40 et ultra post obitum Xysti, quibus Ecclesia Romana sine antistite fuit, ejusdem Prosperi testimonio ; nam ita scribit in Chronico : « Valentiniano Augusto V et Anatolio coss. defuncto Xysto episcopo, quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia præsentiam diaconi Leonis exspectans : quem tunc inter Aetium et Albinum amicitiæ redintegrandæ causa Galliæ detinebant : quasi ideo longius esset abductus, ut electi meritum, et eligentium judicium probaretur. Ideo Leo diaconus legatione publica accitus, et gaudenti patriæ præsentatus quadragesimus tertius Romanæ Ecclesiæ episcopus ordinatur. »

Hæc admodum convenient cum exitu vitæ beati Xysti, per dies assignato diei 29 Julii, unde ad diem Dominicam 8 Septembris, qua dicimus ordinatum episcopum Leonem Magnum ex Gallia accitum et patriæ restitutum, intercedit mensura temporis a Prospero definita. Neque refragatur huic testimonio Prosperi noster Bibliothecarius, quando assignat dies 22 vacationis sedi Romanæ post obitum Xysti. Si enim computat terminum sedis vacantis vel ex electione, vel ex consensu electi, potuit sive electio, sive consensus contingere die 20 Augusti tribus hebdomadis post obitum decessoris ; et spatium temporis reliquum ad dies quadraginta et ultra quibus sine antistite fuisse scribit Ecclesiam Romanam Aquitanus, et mirabili pace adventum Leonis exspectasse, etiamsi tempus vacationis non esset, erat tamen suo pastore quodammodo destituta Romana Ecclesia, cui datus erat antistes quidem electus, sed nondum ordinatus.

Constabilitis igitur terminis electi Leonis et ordinati anno 440, necnon sanctissimæ vitæ fine 461, complures anni intermedii ejus vicennii comprobantur per consulatus expressos ab ipso Leone in suis epistolis, quarum exemplum antiquitate præstans exhibet bibliotheca monasterii sanctæ Crucis ad Hierusalem in Urbe dictæ, inter selectos codices in eadem collectos ex vetustissimis monasteriis RR. PP. Cistercensium : qui in eodem titulo non minora edunt specimina religiosissimi cultus, quam eximiæ doctrinæ sacrarum præsertim litterarum, et bibliothecam ipsam nuper amplificatam atque eleganter ornatam et curant diligenter et sedulo frequentant.

Luculentum quoque testimonium rerum gestarum in pontificatu Magni Leonis, ejusque ætatis chronologiæ, superest in concilio Chalcedonensi, generali quarto, et in epistolis paschalibus Proterii Alexandrini ad eumdem datis, necnon in cyclo paschali, quem Victorius Aquitanus edidit Constantino et Rufo coss., Christi anno 457, ac transmisit ad Hilarum, tunc archidiaconum Romanæ Ecclesiæ, et post annos quatuor Leonis successorem, cum subortæ essent quæstiones de die paschali annis 444 et 445. In eo cyclo, annorum 532 summa contexto, quem doctissimis commentariis illustravit Bucherius, ad annos singulos præter indicium consulatus leguntur etiam feriæ hebdomadis, in quas incidunt quotannis

Digitized by Google

Kalendæ Januarii. In opusculo per nos contexto ante annos 24 cum de recta ordinatione Paschatis ageretur in sacra congregatione, a Clemente XI allecta sub præfectura cardinalis Norisii, cui opusculo præfixi titulum : *Solutio problematis Paschalis*, protulimus tabulam Paschatum celebratorum ex testimoniis sanctorum Patrum ; ubi videre licet characteres complurium annorum et Paschatum ad sancti Leonis ætatem pertinentium, unde illustratur magni pontificis chronologia. Alienum esse non puto ab assumpta comprobatione hoc documentum. Quare eamdem tabulam hic inserendam curavi.

TABULA PASCHALIS

Auctoritate sacri concilii Nicæni statuta, a Theophilo patriarcha Alexandrino producta, usu et doctrina sanctorum Athanasii, Ambrosii, Augustini, Cyrilli, Proterii, Paschasini et Leonis papæ comprobata.

(*Plenilunia media supputata sunt ex Tabulis Ricciolianis ad meridianum Romæ.*)

Anni Christi.	Aur. nu.	Plenilun. media Paschalia. Dies.	Hor.	xiv.	Anticip xiv. Di	Hor.[a]	Pascha.
325	1	6	25 A	5 A	1	23 7	A
326	2	26	8 M	25 M	1	8 29	M
[b] 327	3	14	5 A	13 A	1	5 18	A
† 328	4	3	14 A	2 A	1	14 3	A
329	5	23	23 M	22 M	1	23 26	M
330	6	10	20 A	10 A	0	20 14	A
331	7	31	5 M	30 M	1	5 6	A
332	8	20	14 M	Duodecimus mensis.			
† 333	8	19	3 A	18 A	1	3 19	A
334	9	8	12 A	7 A	1	12 11	A
335	10	27	20 M	27 M	0	20 2	A
336	11	15	18 A	15 A	0	18 22	A
337	12	5	3 A	4 A	1	3 7	A
338	13	23	12 M	24 M	1	12 30	M C
339	14	12	9 A	12 A	0	9 18	A
340	15	1	18 A	1 A	0	18 3	A
341	16	22	3 M	21 M	1	3 26	M
342	17	10	0 A	9 A	1	0 15	A
343	18	29	9 M	29 M	0	9 30	M
344	19	17	7 A	17 A	0	7 19	A
345	1	6	15 A	5 A	1	15 11	A
† 346	2	27	0 M	25 M	2	0 27	M
347	3	13	22 A	13 A	0	22 15	A
348	4	9	7 A	2 A	1	7 7	A
† 349	5	23	15 M	22 M	1	15 23	M
350	6	11	13 A	11 A	0	13 12	A
351	7	30	22 M	30 M	0	22 3	A
352	8	20	7 M	Duodecimus mensis.			
353	8	18	20 A	18 A	0	20 23	A
† 354	9	8	4 A	7 A	1	4 8	A
355	10	28	13 M	27 M	1	13 31	M
356	11	15	11 A	13 A	0	11 19	A
357	12	4	19 A	4 A	0	19 11	A
358	13	25	4 M	24 M	1	4 27	M
359	14	13	2 A	12 A	1	2 16	A
360	15	1	11 A	31 A	1	11 7	A D
361	16	21	20 M	21 M	0	20 23	M
362	17	9	17 A	9 A	0	17 12	A
363	18	30	2 M	29 M	1	2 4	M
[c] 364	19	16	23 A	17 A		23	A
365	1	6	8 A	5 A	1	8 8	A
366	2	26	17 M	25 M	1	17 31	M
367	3	14	15 A	13 A	1	15 20	A
368	4	2	23 A	2 A	0	23 4	A

Anni Christi.	Aur. nu.	Plenilun. media Paschalia. Dies	Hor.	xiv.	Anticip. xiv.	Pasch.
365	5	25	8 M	22 m 1	8	27 M
366	6	11	6 A	10 A 1	6	16 A
367	7	31	14 M	30 M 1	14	1 A
368	8	20	0 M	Duodecimus mensis.		
369	8	18	12 A	18 A	0 12	20 A
369	9	7	21 A	7 A	0 21	12 A
† 370	10	28	5 M	27 M	1 5	28 m
371	11	16	3 A	15 A	1 3	17 A
[d] 372	12	4	12 A	4 A	0 12	8 A
[e] 373	13	24	21 M	24 M	0 21	31 M
374	14	12	18 A	12 A	0 18	13 A
375	15	2	3 A	1 A	1 3	5 A
[f] 376	16	21	12 M	21 M	0 12	27 M
[g] 377	17	9	10 A	9 A	0 10	16 A
378	18	29	18 M	29 M	0 18	1 A
[h] 379	19	17	16 A	17 A	0 16	21 A
[i] 380	1	6	1 A	5 A	1 1	12 A
381	2	25	10 M	25 M	1 10	28 M
382	3	14	7 A	13 A	1 7	17 A
383	4	3	16 A	2 A	1 16	9 A
384	5	23	1 M	22 M	1 1	24 M
385	6	10	22 A	10 A	0 22	13 A
386	7	31	7 M	30 M	1 7	5 A
[j] 387	8	20	16 M	Duodecimus mensis.		
[k] 387	8	19	5 A	18 A	1 5	25 A
388	9	7	13 A	7 A	0 13	9 A
389	10	27	22 M	27 M	0 22	1 A
390	11	15	20 A	15 A	0 20	21 A
391	12	5	4 A	4 A	1 4	6 A
392	13	24	13 M	24 M	0 13	28 M
393	14	12	11 A	12 A	0 11	17 A
394	15	1	20 A	1 A	0 20	2 A
395	16	22	4 M	21 M	1 4	25 M
396	17	9	2 A	9 A	0 2	13 A
397	18	29	11 M	29 M	0 11	5 A
398	19	17	8 A	17 A	0 8	18 A
399	1	6	17 A	5 A	1 17	10 A
400	2	26	2 M	25 M	1 2	1 A
† 401	3	14	0 A	13 A	1 0	14 A
[l] 402	4	3	8 A	2 A	1 8	6 A
[m] 403	5	23	17 M	22 M	1 17	29 M
[n] 404	6	10	15 A	10 A	0 15	17 A
405	7	31	0 M	30 M	1 0	2 A
406	8	20	9 M			
406	8	18	21 A	18 A	0 21	22 A
407	9	8	6 A	7 A	1 6	14 A
408	10	27	15 M	27 M	0 15	31 M
409	11	15	12 A	15 A	0 12	18 A
410	12	4	21 A	4 A	0 21	10 A
411	13	25	6 M	24 M	1 6	26 M
412	14	12	4 A	13 A	post	14 A
413	15	1	12 A	1 A	0 12	6 A
[o] [p] 414	16	21	21 M	21 M	0 21	22 M
				(*Die* 26 *Phamenoth.*)		
415	17	9	19 A	9 A	0 19	11 A
				(*Die* 16 *Pharmuthi.*)		
416	18	29	4 M	29 M	0 4	2 A
				(*Die* 7 *Pharmuthi.*)		
[q] 417	19	17	1 A	17 A	0 1	22 A
				(*Die* 27 *Pharmuthi.*)		
418	1	6	10 A	5 A	1 10	7 A
				(*Die* 12 *Pharmuthi.*)		
[r] 419	2	26	19 M	25 M	1 19	30 M
				(*Die* 4 *Pharmuthi.*)		
420	3	13	16 A	13 A	0 16	18 A
				(*Die* 23 *Pharmuthi.*)		
† 421	4	3	1 A	2 A	1 1	3 A
				(*Die* 8 *Pharmuthi.*)		
422	5	23	10 M	22 M	1 10	26 M
				(*Die* 30 *Phamenoth.*)		
423	6	11	7 A	10 A	1 7	15 A
				(*Die* 20 *Pharmuthi*)		

[a] Anticipationes quarti decimi cycli, si accommodentur usui ecclesiastico, diem ordienti a media nocte, augendæ sunt horis duodecim.

[b] Hoc anno celebratum est concilium Nicænum.

[c] S. Ambros., ep. 85.

[d] S. Ambros., ep. 83.

[e] S. Proterius, ep. ad S. Leonem Magnum.

[f] S. Ambros., ep. 83.

[g] S. Proterius ubi supra.

[h] S. Ambrosius.

[i] Hoc anno incipit cyclus Paschalis Theophili.

[j] Ex D. Ambrosio. S. Ambros., ep. 85.

[k] S. Proterius, ep. ad S. Leonem.

[l] S. Aug., epist. 256, ad Xantippum. — Theophilus, epist. ordine 4, die 11 mensis Pharmuthi.

[m] Theophilus, epist ordine 1, die 22 mensis Pharmuthi.

[n] Theophilus, epist. ordine 3, die 22 mensis Pharmuthi.

[o] [p] S. Innocentius, epist. 11, ad Aurelium. 414-442. Paschalia fasta a S. Cyrillo Alexandrino patriarcha annuntiata per annos 29 in totidem homiliis.

[q] Paschasinus in epist. ad S. Leonem a Latinis celebratum alt Pascha die 25 Martii, ab Alexandrinis 23 Aprilis quod et miraculo fontis comprobatum affirmat.

[r] S. August. initio lib. de octo quæstionibus Dulcitii.

Digitized by Google

	Anni Christi.	Aur. nu.	Plenilun. media Paschalia. Dies.	Hor.	XIV.	Anticip. XIV	Pasch.
	424	7	30	16 m	30 m	0 16	6 A
					(*Die* 11 *Pharmuthi.*)		
	425	8	18	11 A	18 A	0 14	19 A
					(*Die* 24 *Pharmuthi.*)		
	426	9	7	23 A	7 A	0 23	11 A
					(*Die* 16 *Pharmuthi.*)		
	427	10	28	7 m	27 m	1 7	3 A
					(*Die* 8 *Pharmuthi.*)		
	428	11	15	5 A	15 A	0 5	22 A
					(*Die* 27 *Pharmuthi.*)		
	429	12	4	14 A	4 A	0 14	7 A
					(*Die* 12 *Pharmuthi.*)		
	430	13	24	23 m	24 m	0 23	30 m
					(*Die* 4 *Pharmuthi.*)		
	431	14	12	20 A	13 A	*post*	19 A
					(*Die* 24 *Pharmuthi.*)		
	432	15	1	4 A	1 A	0 4	3 A
					(*Die* 8 *Pharmuthi.*)		
	433	16	21	13 m	21 m	0 13	26 m
					(*Die* 30 *Phamenoth.*)		
	434	17	9	10 A	9 A	0 10	13 A
					(*Die* 20 *Pharmuthi.*)		
	435	18	29	20 m	29 m	0 20	31 m
					(*Die* 5 *Pharmuthi.*)		
	436	19	16	17 A	17 A	*post*	19 A
					(*Die* 24 *Pharmuthi.*)		
	437	1	6	2 A	5 A	1 2	11 A
					(*Die* 16 *Pharmuthi.*)		
	438	2	26	11 m	25 m	1 11	27 m
					(*Die* 1 *Pharmuthi.*)		
	439	3	14	9 A	13 A	1 9	16 A
					(*Die* 21 *Pharmuthi.*)		
	440	4	2	17 A	2 A	0 17	7 A
					(*Die* 12 *Pharmuthi.*)		
†	441	5	23	2 m	22 m	1 2	25 m
					(*Die* 27 *Phamenoth.*)		
	442	6	11	0 A	10 A	1 0	12 A
					(*Die* 17 *Pharmuthi.*)		
	443	7	31	9 m	30 m	1 9	4 A
a	444	8	18	6 A	18 A	0 6	23 A
	445	9	7	13 A	7 A	0 13	8 A
	446	10	28	0 m	27 m	1 0	31 m
	447	11	15	20 A	15 A	0 20	20 A
	448	12	4	5 A	4 A	0 5	11 A
	449	13	24	14 m	24 m	0 14	27 m
	450	14	12	12 A	12 A	0 12	16 A
	451	15	1	20 A	1 A	0 20	8 A
	452	16	21	5 m	21 m	0 5	25 m
b	453	17	9	3 A	9 A	0 3	12 A
c	454	18	29	12 m	29 m	0 12	4 A
d	455	19	17	10 A	17 A	0 10	24 A
	456	1	5	19 A	5 A	0 19	8 A
e	457	2	26	4 m	25 m	1 4	31 m
	458	3	14	1 A	13 A	1 1	20 A
	459	4	3	10 A	2 A	1 10	5 A
	460	5	22	19 m	22 m	0 19	27 m
	461	6	10	16 A	10 A	0 16	16 A
	462	7	31	1 m	30 m	1 1	1 A

EJUSDEM BLANCHINI.

Num 66, linea 3.—*Hic invenit duas hæreses, Eutychianam et Nestorianam*, etc. Recenset Bibliothecarius novam Eutychetis, quam copulat cum veteri Nestorii, ex æquo damnandam, licet una alteri adversaretur. Præter hanc novam, reperit antiquam Manetis, et quidem in Urbe serpentem clanculum. Ab istius occultæ pestis coercitione gregis Dominici curam exorsus « plurimos (inquit *ep.* 2 *ad episc. ital.*) impietatis Manichææ sequaces et doctores in Urbe investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit, auctoritas et censura coercuit. » Triplicis hujusmodi studii ad investigandos, divulgandos et coercendos hæreticos methodum tradit, cæteris exemplo futuram in verbis, quæ subsequuntur. « Hortor dilectionem vestram, obtestor, et moneo, ut qua debetis, et potestis solicitudine invigiletis ad investigandos eos, necubi occultandi se reperiant

[a] S. Leo pontifex M., epist. ad Martianum Augustum, et Paschasinus ad S. Leonem, et sanctus Proterius ad eumdem.

[b] S. Leo ibid.

[c] S. Leo ibid.

A facultatem. » Providentis quoque charitatis ac necessariæ severitatis temperamenta præscribit, quorum exemplis alii proficiant, dum ait : « Quos potuimus emendare correximus, ut damnarent Manichæum cum prædicatoribus et discipulis suis publica in Ecclesia professione, et manus suæ subscriptione compulimus, et ita de voragine impietatis suæ confessos, pœnitentiam concedendo levavimus. Aliquanti vero, qui se ita demerserant, ut nullum bis auxiliantis posset remedium subvenire, subditi legibus, secundum Christianorum principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos judices perpetuo sunt exsilio relegati. » Expurgata Urbe atque Italia, non minori vigilantia præservandis studuit Hispaniis ab erroribus sectæ Priscilliani, quæ de Manichæa veluti surculus propagabatur. Admonitus ab Asturicensi episcopo de pestilentiæ reliquiis quæ in iis regionibus pullulabant, datis ad eumdem litteris (*epist.* 93) necnon « ad fratres et episcopos nostros (inquit B *cap.* 16 *et* 17) Tarraconenses, Carthaginenses et Lusitanos, atque Gallæcos, synodorum remedia proponit, et illos in primis antistites qui hæreseos contagione polluantur a communione sine dubio separandos præcepit, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint. » Prosper de Promiss. et Prædicat. Dei, cap. 6, testatur pari fervore contra Pelagianos, et maxime Julianum, Leonis virtutem se exercuisse : quod eminentissimus Norisius, Hist. Pelag. lib. II, cap. 15, in fine, confirmat auctoritate Gelasii papæ et hoc elogio Leonem commendat. « Obiit sanctissimus pontifex anno salutis 461 : ille enim Manichæos, Nestorianos, Eutychetem, aliasque pestes profligarat, atque eas inter Pelagianam quoque hæresim ultimo pene ictu jugulavit, Gelasius papa in epistola ad episcopum Honorium Leonem postremum ponit Romanorum præsulum, qui Pelagianos damnarunt. *An fortasse*, ait, *nescitis, hanc hæresim de qua loquimur, ab apostolica dudum sede, per beatæ mem. Innocentium, ac deinde Zosimum, Sixtum, Leonem continuis, et incessabilibus sententiis fuisse prostratam.* » Cætera quæ ad methodum hæreseon abolendarum Leonis Magni exempla, et scripta posteris suggerunt, et in Ecclesia apte adhibentur, complectitur brevibus in Hist. dogm. sanctæ sedis D. archiepiscopus Somier, libro v, cap. 1, a quo plura ex adductis mutuamur, necnon ea quæ sequuntur : Ex Prosperi Chron. ad ann. 444, publicam damnationem et manifestationem errorum a pœnitentibus hæreticis emittendam : « Hoc tempore, inquit, plurimos Manichæos intra Urbem latere diligentia papæ Leonis innotuit : qui eos de secretis suis erutos, et oculis totius Ecclesiæ publicatos omnes dogmatis sui turpitudines et damnare fecit et prodere. » Quin ex Leoninis epistolis decretalibus producit regulas et præcepta, episcopis a Leone tradita de requirendis hujusmodi subsignationibus a reis D pœnitentibus antequam admittantur ad communionem, et de formulariis damnationum præscribendis, in quibus exprimatur, *omnia decreta synodalia apostolica auctoritate firmata* ad excisionem ejus sectæ amplecti se, et in omnibus approbare, plenis et apertis, et propria manu subscriptis protestationibus. Epist. 86 Leonis Magni, ad episcopum Aquileiensem.

Lin. 8.— *Et congregati sunt* 256 *sacerdotes, et alii*, etc. 406 episcoporum numerus Patrum in synodica eorumdem relatione ad Leonem papam, quæ legitur parte III Concil. Ephes. edit. Romanæ, pag. 459 D, asseritur fuisse quingentorum viginti. Sed cum actionibus sexdecim constet, et plures uni inter-

[d] S. Leo pont. m.

[e] Antiquum marmor ex cœmet. B. Castuli erutum Romæ, expositum ab eminentissimo Norisio *in* not. ad Fastos Anonymi, et in dissert. de Cyclo Ravenn., necnon a cl. V. Raph. Fabretto Inscript. antiq., cap. 8, pag. 577.

Digitized by Google

fuerint qui ad alteram non accesserint, varius potest in diversis numerus exhiberi. Verum de numero vide em. card. Baronium ad annum 451, necnon Pagium n. 35.

Num. 66, lin. 9.—*Una cum tomo, hoc est fide apostolica Ecclesiæ Romanæ cum chirographo sancti archiepiscopi Leonis.* De dogmatica epistola Magni Leonis quæ hic significatur, et tanquam fidei regula omnibus numeris absoluta universorum Patrum laudibus excepta est, vide in notis Somier historiam diligentissime collectam. Id.

Lin. 23.—*Hic firmavit frequenter suis epistolis synodum Chalcedonensem.* D. archiepiscopus Somier hujusmodi confirmatione illustrat lib. v, cap. 6 et 11 suæ Hist. dogmat. Vide notas inde selectas ad hanc Vitam.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 65, lin. 4.—*Hic fecit cameram basilicæ Constantinianæ, et aliam cameram beati Petri ornavit, et basilicam beati Pauli ap. renovavit.* In tribus patriarchalibus basilicis cameram, sive absidem presbyterii, quam vulgo dicimus *tribunam*, ornavit sanctus Leo. In basilica tamen beati Pauli via Ostiensi præcipua suarum constructionum et ornamentorum monumenta constituit. Quare Adrianus papa in epistola ad Carolum Magnum de cultu sacrarum imaginum, hujus nominatim meminit uti retulimus in cap. 4 dissertationis de antiquis Romanorum pontificum Catalogis, et in dissertatione secunda post notas ad Vitam S. Sixti III. Quæ in illa dissertatione observabamus Adriani papæ auctoritatem secuti, dum expenderemus historiam œcumenicæ synodi Ephesinæ, et utriusque Testamenti testimonia ab ejusdem synodi Patribus producta ad confirmandum fidei dogma de utraque in Christo natura divina, et humana in unica Verbi persona subsistente, fuisse in sacris imaginibus basilicæ Liberianæ diligenter expressum, possemus ostendere pari modo in picturis, et historiis, et musivis basilicæ sancti Pauli a Leone Magno repræsentatum. Sed ne actum agere videamur, et prolixius morari lectorem quam par sit, indicabimus tantummodo cameras, sive absides, et arcus primarios basilicarum Urbis patriarchalium, hic a Bibliothecario recensitarum, etiamsi post Leonis Magni reparationem a subsecutis pontificibus ejusdem successoribus fuerint non semel renovatæ, et quidem sæculis admodum inter se disparatis; attamen retinuisse semper ac retinere quatuor priorum universalium conciliorum memoriam, et dogmatum fidei ibidem propugnatorum documenta in testimoniis divinarum litterarum ibidem expressis. Illa raptim indicare liceat. In unaquaque ex his basilicis imago principis apostolorum in abside, seu concamerazione presbyterii musivo ut plurimum compacta visitur cum testimonio divinitatis Christi Domini, quod fidei fundamentum ponitur : Tu es Christus Filius Dei vivi. In Lateranensi a Sixto quarto restituta post incendium basilicæ id omissum non fuit, sed de more observatur expressum : quemadmodum observari potest in ejusdem musivi icone eleganter incisa, et inserta libro nuper impresso, scilicet anno 1725, *De præsenti statu ejusdem sanctæ papalis ecclesiæ Lateranensis.* Ita efformatum pariter in abside Vaticanæ restituerat Innocentius tertius, ut conspiciendum præbet Ciampinus in imagine musivi, illius absidem adornantis, in libro de sac. Æd. f. a Magno Constantino constructis, pag. 43. In basilica sancti Pauli via Ostiensi Honorius papa III ante annos quingentos eamdem Petri confessionem similiter expressit. Licet vero absis vetus basilicæ Vaticanæ in recentis constructione cum suo musivo dirueretur; non destitit eadem confessio repræsentari in æneis ornamentis cathedræ, ibidem collocatæ per Alexandrum septimum, ubi traditio clavium expressa est, subsecuta Petri confessionem : quæ traditio clavium, et confessionis argumentum antiquo etiam opere anaglypho insculpta asservatur in sacratissimo Vaticanorum cryptarum loco, ante conditorum scilicet sanctorum apostolorum, cui nomen confessionis tribuimus : ubi sarcophagus in eisdem cryptis repertus anno 1607 et ab Aringhio expressus lib. II, cap. 10, pag. 293, inter cæteras imagines e sacris litteris desumptas hoc ipsum Petri apostoli testimonium divinitatis Christi, quod in Ecclesiæ magisterium cessit, insculptum exhibet : ut quodammodo videatur sanctus apostolus, a suis cineribus nolle unquam disjungi hoc documentum suæ confessionis. In nostra quoque Liberianæ basilicæ abside Nicolaus quartus ejusdem restitutor beatum Petrum cum suæ confessionis oraculo : Tv es Christvs Filivs Dei vivi repræsentavit. Hac unica in confessione et Nicænæ fidei dogma de Christi divinitate contra blasphemias Arii, et Constantinopolitanæ symbolum, et Ephesinæ doctrina contra Nestorium, et Chalcedonensis veritas adversus Eutychetem solidatur. In Lateranensi abside imago Deiparæ virginis ornatur litteris Græcis Matris Dei nomen ipsi tribuentibus : quam et tholus Vaticanus, et imago vetustissima Liberianæ basilicæ in sacello Paulino similiter exprimunt, Ephesinæ scilicet fidei monumentum præclarissimum contra Nestorium. In Lateranensi, et in Liberiana sanctus Joannes evangelista præfert initium sui Evangelii : In principio erat Verbvm, quo impietas Ariana, et hæresum eidem affinium in concilio Nicæno aliis que consecutis retusa fuit. In Vaticana ab Innocentio III restituta Agnus Dei qui tollit peccata mundi, pro nobis oblatus victima, et sacramenta corporis ac sanguinis sui nobis profundens exprimebatur. Non secus ac vidimus expressum in veteri Vaticano sarcophago paulo ante memorato agnum illum typicum Christi nomine in fronte insignitum. Quot conciliorum decreta de fide hæc unica figura complecteretur, satis apertum est ecclesiasticæ historiæ saltem leviter initiatis. Quare et in titulis Romanis sæpe exhibetur, ut in sanctorum Cosmæ ac Damiani a Felice IV, in sancti Marci a Gregorio IV, in sanctæ Praxedis et sanctæ Cæciliæ a Paschali primo, videntis apud Ciampinum. In basilica Paulina viæ Ostiensis, præter absidis emblemata restituta ab Honorio III, supersunt Leonis Magni consilio, et jussu in arcu absidem coronante viginti quatuor seniores Apocalypseos adorantes, et quatuor mystica animalia divinitatis Christi præconium accinentia Salvatori nostro, uti Adrianus indicebat in sæpe laudata epistola in œcumenica synodo VII prælecta de cultu sacrarum imaginum : cui etiam appositum nomen pontificis, et Placidiæ Augustæ ita legitur :

PLACIDIAE PIA MENS OPERIS DECVS OMNE PATERNI
GAVDET PONTIFICIS STVDIO SPLENDERE LEONIS.

In Vaticana et in Paulina sanctus Leo III (teste Anastasio, sect. 410 et 411.) senta duo argentea collocaverat *Scripta utraque symbolo, unum quidem litteris Græcis, et aliud Latinis supra ingressum corporis;* a quo scilicet symbolo omnium synodorum fides exordium ducit. Quod in his basilicis instituit Leo, singulis in altaribus hodie servamus. In Lateranensi abside Spiritus sanctus columbæ specie repræsentatur (perinde ac in Vaticana supra cathedram) quatuor paradisi fluminibus imminens, Christi baptismum, et gratiam ex eo perceptam significantibus Jordanis flumine sub his apposito, tanquam per illa indicato Christi lavacro. Id ipsum baptismi symbolum in veteri musivo ad absidem Vaticanam, uti diximus, per Innocentium III restituto, videri potest apud Ciampinum in laudato opere, cap. 4, pag. 43, ubi figura ejusdem incisa est. Palma et phœnix in Lateranensi typus mortis, ac resurrectionis Christi Domini visitur, cum aliis symbolis a cardinale Raspono enumeratis lib. I, cap. 9, de Basil. Lateranensi. Palma et phœnix (vetus Christi myste-

Digitized by Google

riorum emblema etiam in nummis Cæsarum Christianorum quarti et quinti sæculi, ut antiquarii norunt) perinde in Vaticani adside exhibebatur in ejusdem renovatione per Innocentium III. Ciampin. de sac. Ædif. cap 4, pag. 43 in musivi ejusdem icone non satis distincte repræsentavit : sed illa pars musivi una cum effigie capitis Innocentii III præservata, quæ hodie collocata visitur in ecclesia civitatis Poli, adhærente prælatio excellentissimo domus comitum ejusdem civitatis ducum phœnicis symbolum clare ostendit. Ad symboli apostolici complementum in presbyteriis patriarchalium Romæ basilicarum plene exhibendum una cum indicatis fidei articulis, sanctissimæ Trinitatis fidem, et Salvatoris nostri divinam humanamque naturam, incarnationis, nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis mysteria complexis, recolitur ejusdem venturi judicis, et nostræ resurrectionis exspectatio in Lateranensi musivo expressa verbis apostoli Pauli cum ejusdem apostoli imagine : SALVATOREM EXPECTAMVS DOMINVM NOSTRVM J. CHR., etc. Quin et Ecclesiæ catholicæ unitas, et communio exhibetur imaginibus, et epigraphe Vaticani musivi, per Innocentium III restituti, et inscriptione Lateranensi : quemadmodum apparet in alio musivo sub Cœlestino I in titulo sanctæ Sabinæ representata per imagines et inscriptiones ECCLESIAE EX CIRCVMCISIONE, ET EX GENTIBVS sub uno Christi in terris vicario et pastorum principe collectæ. Additur denique confessio postremorum symboli apostolici dogmatum *remissionis peccatorum* in clavibus Petro traditis, quæ basilicarum patriarchalium insignia evaserunt, atque *æternæ vitæ* in Vaticani abside Innocentiano per librum æternæ vitæ in manu Christi Domini in throno sedentis juxta typum Apocalypseos (adnotante Ciampino pag. 43, ubi supra) indicatæ, et per Agnum tollentem peccata mundi : tum etiam per voces Præcursoris sub hoc typo illum indicantis in Liberiana, ubi sanctus Joannes Baptista volumen explicatum dextera tenet inscriptum litteris : ECCE AGNVS DEI ; in qua etiam basilica, Altaris, et sacramentorum, necnon cathedræ, et cætera mysteriorum symbola ac documenta dogmatum per utriusque Testamenti tabulas expressa, et in conciliis generalibus producta videmus contineri : ut plane constet, patriarchales Urbis basilicas per summos pontifices ita excultas a Silvestro ex earum fundatione ad earumdem subsecutas reparationes usque ad hanc ætatem, esse fidelibus populis veluti *librum illum Apocalypseos*, cap. v, a Joanne spectatum *in dextera sedentis supra thronum scriptum intus, et foris, et apertum ab Agno habente septem Spiritus Dei missos in omnem terram*; nempe septiformem gratiam divini Spiritus, ubique gentium in professione doctrinæ catholicæ, quam exponit invitantem populos ad acclamandum : *Sedenti super thronum, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas : et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Hoc certe symbolo visionis a Joanne descriptæ in Apocalysi sanctus Leo Magnus insignivit arcum triumphalem basilicæ patriarchalis sancti Pauli via Ostiensi, suo etiam nomine apposito, quod superest post tredecim ferme sæcula in musivo præservatum : cujus deinde exemplum imitatus sanctus Paschalis primus, nono ineunte sæculo, in titulis sanctæ Praxedis, et sanctæ Cæciliæ eamdem visionem quatuor, et viginti seniorum adorantium, et coronas suas offerentium ante thronum Dei, exprimendam curavit, quemadmodum observari potest apud Ciampinum veterum monimentorum Ecclesiæ Romanæ tomo II, cap. 25, tabula 46 fol. 147 ; et cap 27, tab. 51, pag. 151.

Lin. 7.— *Basilicam beato Cornelio episcopo, et Martyri, juxta cœmeterium Callixti via Appia.* Frustra Lodie quæritur hæc suburbana ædes sacra, quemadmodum et aliæ complures in eodem tractu viæ Appiæ, et proximarum a diversis pontificibus constructæ supra cœmeteria, in quibus fuerant depositi sancti decessores. Urbani, et Marci via Appia, Damasi via Ardeatina, et his similes Ecclesiæ suburbanæ frustra quæruntur ; cum per sæcula complura barbarorum excursiones circa Urbem factæ, præsertim a Sarracenis, omnia ferme deleverint sacra ædificia Urbis mœnibus non inclusa. De cœmeterio autem sancti Cornelii papæ in proprio ejus fundo via Appia vide quæ supra adnotavimus ex Bibliothecario in notis ad ejus vitam et ad S. Pium.

Lin. 9.— *Et liberavit totam Italiam a periculo legationis.* Sancti pontificis legationem, ejusque felicem exitum Victor Tunnunensis integro sæculo ab eo non dissitus recenset triennio maturius, sub consulatu Asterii et Protogenis. Quin et Prosper beati Leonis notarius (uti nominatur ab Adone Marcellinum secuto), in Chronico editionis Du Chesne totidem ferme verbis retulit, quæ in Victore leguntur.

Lin. 10.— *Hic constituit monasterium ad sanctum Petrum*, etc. Monachos multo ante Leonis pontificatum exstitisse supra jam diximus. In Urbe autem, et circa Urbem monachos ex ætate sancti Hieronymi, et monasteriorum regulas prescriptas a sancto Innocentio vidimus supra. Nondum tamen legimus ædificata fuisse a summis pontificibus monasteria prope Urbis basilicas ante Leonem Magnum. Primus itaque *hujus* disciplinæ auctor videtur Leo in construendo prope Vaticanum monasterium sanctorum Joannis et Pauli : quem imitati sunt proximi successores. Hilarus enim ex ejus diaeono electus successor anno 461, « fecit monasteria ad sanctum Laurentium, et intra Urbem ad Lunam. » (*infra, num.* 71.) Excepit hunc sanctus Simplicius anno 467 : « Qui dedicavit basilicam beati Andreæ » apostoli juxta basilicam sanctæ Mariæ (*infra, num.* 72), nempe ecclesiam sancti Andreæ (dictam *Cata Barbara*), proximam basilicæ Liberianæ, ubi nunc sancti Antonii Ægyptii ecclesia et cœnobium visitur, et ante annos 60 superat musivum Simplicii papæ nomine inscriptum, a Ciampino edit. vet. tomo I, pag. 243. Ibidem vero fuisse monasterium post annos 250 a Gregorio II restitutum, testatur Bibliothecarius sect. 178 his verbis : « Hic Gerocomium [Gerontocominm] quod post absidem sanctæ Dei genitricis ad præsepe situm est, monasterium instituit, atque monasterium sancti Andreæ apostoli, quod Barbaræ nuncupatur, ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur monachus, adscitis monachis ordinavit, ut utraque monasteria ad sanctam Dei genitricem singulis diebus atque noctibus laudes canerent. » Unde etiam discimus causas hujusmodi monasteria circa basilicas et titulos insigniores fundandi, ut scilicet, monachi psalmodiæ pensum diurnum ac nocturnum una cum clero persolverent in celeberrimis hisce sanctuariis. Neque in Urbe tantum monasticam regulam ædificatis a se cœnobiis promovit Leo, verum etiam in provinciis Occidentalibus constabilivit, et auxit. Gloriantur enim Massilienses, sancti Victoris monasterium, quod inter Occidentalis Ecclesiæ cœnobia celeberrima et antiquissima memoratur, fundatorem habuisse Cassianum, *Leonis* Magni amicissimum : qui sancti Pachomii regulas, aliorumque Patrum Ægyptiorum in Occidentem perferens, duas quoque ecclesias una cum monasterio erexit. Easdem a sancto Leone Magno fuisse dedicatas, historiei Massilienses tradunt, præ cæteris diligentes Rufli pater et filius, lib. xi, cap. 1, num. 5. Superiorem titulo sanctorum Petri et Pauli apostolorum insignitam, inferiorem vero sub *invocatione* Deiparæ, et sancti Joannis Baptistæ ; unde etiam nomen eorumdem apostolorum prætulisse affirmant, licet ætas posterior a reliquiis sancti Victoris ibidem conditis ecclesiam, abbatiam et monasterium sancti Victoris tractu temporis appellaverit. Et a Leone quidem id præstitum Cassiani precibus auta-

Digitized by Google

nant, ut gratiam rependeret pro insigni opere, hortatu ejusdem Leonis per Cassianum scripto, de Incarnatione Domini contra hæresim Nestorianam : quod opus ipsi Leoni dicaverat, dum diaconus Xysti III in Galliis versaretur.

Probabile admodum redditur Leonem papam, dum in Galliis degeret, attente contemplatum fructus præclaros monasteriorum, quæ in Galliis viderat seminaria fieri sanctissimorum episcoporum, eadem spe disciplinæ sanctioris in clero conservandæ, ac promovendæ per viciniam, et contubernium, ut ita dicam, monachorum, cogitasse de monasteriis apud basilicas instituendis in urbe Roma. Porro documentum illustre illius uberis fructus disciplinæ in clero promotæ ex monasteriorum institutione apud episcopia redditur nobis ab insigni marmore per ætatem Leonis Magni inciso in ecclesia Narbonensi, ab iisdem Ruffis edito in laudata Historia Massiliensi, cap. 1, libri x, ex collectaneis Balusii ad opera Salviani. Inscriptio talis est ✠ DO ET XTO MISERANTE LIM. HOC, etc. *Deo, et Christo miserante, limen hoc collocatum est anno quinto consule Valentiniano Augusto VI, tertio Kalendas Decembris* XVIII *anno pontificatus Rustici. Rusticus episcopus, episcopi Bonosi filius, et episcopi Aratoris ex sorore nepos, episcopi Venerii socius in monasterio compresbyter Ecclesiæ Massiliensis anno* XV *episcopatus sui, die anni quinta, et III Idus Octobris cum Urso presbytero, Hermete diacono, et eorum fequentibus cœpit deponere parietem ecclesiæ dudum exustæ : trigesima septima die quadratum in fundamentum poni cœpit*, etc. Plura essent in hac inscriptione notatu digna, de epochis episcopalibus eadem ætate diligenter numeratis, de ritu reparationis ecclesiæ, aliaque ejusmodi ad historiam Pontificalem comprobandam opportuna. Verum iis prætermissis, unicum illud observari cupio ad præsentis instituti argumentum pertinens, de vigore scilicet ecclesiasticæ disciplinæ ab episcopis Gallicanis in suo clero per eam ætatem promoto ex monasteriorum vicinia apud sua episcopia, quæ videbantur optimorum clericorum reddi seminaria, cum ex illis non semel presbyteri et episcopi sanctimonia præstantes legerentur. Rusticus et Venerius hic legntur syncellitæ. Rusticus ille est, ad quem adhuc monachum exstat sancti Hieronymi epistola 4 *qui* deinde presbyter Massiliensis electus fuit, demum Narbonensis Ecclesiæ antistes : ad quem etiam data est celebris epistola decretalis Leonis Magni num. 92. Venerius autem ex monacho Rustici collega compresbyter primum evasit Ecclesiæ Massiliensis, deinde ejusdem episcopus. Cum Rustico nominatur in epistola 52 a sancto Leone ad episcopos Galliarum data post concilium Chalcedonense, et cum Rustico subscribit in responsione collegarum ad Leonem Magnum, post hujus epistolam 51 edita. Beatus Martinus in Turonensi, Hilarius in Pictaviensi et alter in Arelatensi, Germanus in Antisiodorensi, in Lugdunensi Eucherius, in Trecensi Lupus, aliique passim experimento suo comprobabant vel comprobaverant, quantum conferret ad optimum clerum efformandum conspectus vitæ ac disciplinæ regularis in monasteriis : quæ proinde admovebant suis episcopiis, non secus ac Leo admovere cœpit basilicis patriarchalibus in Urbe.

Linea 13. — *Hic constituit super sepulchra apostolorum custodes, qui dicuntur cubicularii, ex clero Romano.* Præter ostiarios, ad ministerium ecclesiæ et ad aliqua altaris officia deputatos, cubicularios instituit Leo Magnus ad sepulcra apostolorum. Illis enim plerumque ad ingressum et fores ecclesiæ sistendum erat ; his custodienda interiora cubiculi, seu thalami ecclesiæ, nempe chori, et presbyterii, aut etiam capellæ, ut cardinali Baronio visum est ad annum 461, num. 11, hunc ipsum Bibliothecarii locum ita exponenti : « *qui dicuntur cubicularii.* Quos modo dicimus capellanos. Cubiculum enim idem fuisse apud antiquos quod hodie apud nos *capellam* notavimus in Martyrologio ; cum alioqui et aliquos ex cubicularibus fuisse laicos homines, doceat ordo Romanus. » Addit Carolus Macer ad Dominici fratris sui Hierolexicon, in verbo *Cubicularius*, synonyma esse *capellanus* et *cubicularius* apud Latinos, et παστόφορος apud Græcos, et *pastophoria*, chorum, *et thalamum et cubilum* idem significare. Cubicularios itaque à Leone institutos habendos esse *capellanos*, qui custodiant interiores has partes ecclesiæ, capellas sive cubicula, et chori ac presbyterii ambitum circa sepulcra apostolorum. E clero igitur eligendos. Nam et ad cubiculum episcopi adhibendos clericos suasit postea Gregorius Magnus Decret. dist. 2, q. 7, c. 58, ita ut vel clericos, vel monachos ad cubilarii sui munus obeundum adhibeant, potius quam laicos. Idem esse intelligendum videtur de cubicularibus apostolorum a Leone institutis e clero. Cum enim monasterium prope basilicam principis apostolorum fundasset Leo, ut nocturnas vigilias et diurnas preces cum clero alternis, aut junctim monachi recitarent ; eosdem quoque custodes esse voluit cum clero cubiculorum seu capellarum, thalami, et chori, circa apostolorum sepulcrum statione iis attributa. In Ambrosiana basilica eadem ratio adhuc viget, quotidiana ministeria altaris et chori, tam per clericos, quam per monachos obeundi.

Linea 17. — *Sepultus est apud basilicam B. Petri apostoli.* Depositio S. Leonis Magni apud basilicam Vaticanam illustrata fuit per complures scriptores tum veteres, tum recentes, occasione trium translationum ejusdem sacri corporis : quarum prima fuit ex adito veteris secretarii intra basilicam sub Sergio papa ejus nominis primo, annis circiter ducentis, et quadraginta post ejus obitum. Vetus inscriptio a Sergio insculpta in rei memoriam fuerat, quam ex membranis Palatinis primum edidit Gruterus in Appendice Thes inscript fol 1170, deinde card Baronius Annal tomo X in Append pag 910. Secundæ translationi ansam dedit constructio novæ basilicæ Vaticanæ supra veterem in illa inclusam. Gregorius XIII providens, ne in fundatione molium e quibus amplissimæ parastatæ, maximi fornicis innituntur, et in diruendo sacello Leoniano per Sergium constructo sepulcrali ejusdem conceptaculo casus aliquis labem inferret, transferendum ducebat in patrem aliquam tutiorem. Verum dilata fuit translatio ad pontificatum Pauli V, cum moles recentionis basilicæ ad eam elevationem jam esset perducta, quæ citra periculum ruinæ pateretur sacella perfici. Tunc vero e veteri conditorio per mensem Maium anni 1607 solemni supplicatione elatum sacrum corpus, et illatum fuit sub mensa altaris B. Mariæ Virginis de columna, ibidem retinendum donec perficerentur ornamenta proximi altaris, ejusdem S. Leonis nomine insigniti, sed nondum constabiliti sub Paulo. Perfectis tandem ornamentis omnibus in eadem parte basilicæ sub Clemente XI translationis tertiæ opportunitas oblata fuit mense Aprilis anni 1714, cui non modo interesse datum nobis fuit, sed etiam sacri corporis lipsana de proximo conspicere, ac venerari, et ossium in sua sede persistentium, ac vestium quibus amiciebatur figuram delineare. Id enim conferre non modice videbatur ad aliquot sacerdotalium ornamentorum dispositionem assequendam juxta usum ætatis Leonianæ præsertim vero de pallio circa humeros ducto et acubus infixo, necnon de capitis integumento ex iis quæ adoperto ejus feretro spectabantur. Insererem hisce notis integram historiam cum animadversionibus in plura capita ordinatis, nisi ad postremum tomum istius operis opportunius reservaretur quando ad Sergii primi vitam Bibliothecarii textus nos deducet. Monere tamen debemus, iconem sacri corporis Leonis Magni, quam ex Grimaldi autographo in archivo canonicali Vaticanæ basilicæ custodito fideliter expresserunt RR. PP. Hensche-

Digitized by Google

nius et Papebrochius in Propyleo ad tomum I Maii, non respondere prototypo; Jacobus enim Grimaldus ad Acta conscribenda selectus non potuit ita facile reddi pictor ex ea deputatione, qua declarabatur notarius. In imagine igitur cum actis delineata exhibet caput integrum sancti pontificis papali mitra rotunda contectum; sed in descriptione emendat graphii excursum. Nam aperte declarat, caput sancti Leonis consumptum fuisse, ac in ossium frusta reductum : et quidem exigua frustula, ut nos vidimus; nulla rotunda mitra (seu regno ut hodie vocant) supra illa ossium frustula apparente, sed tantummodo plicis velamenti circa verticem flexis, et ascendentibus ex eodem sinu vestium, quæ utrumque humerum ac pectus velant, veluti cum illo continuatis. En ipsa Grimaldi verba ex autographo descripta, fol. 148.

« Aperta igitur capsa visum fuit ab omnibus inibi circumstantibus (*nempe compluribus episcopis et canonicis quos nominat*) sacrum ipsum sancti Leonis Magni corpus adhuc integrum (*hoc est nulla ex præcipuis partibus ossium desiderata aut loco mota, si caput excipias*) quod erat staturæ palmorum septem et quartorum trium, et ut conjici poterat (licet longitudine temporis et antiquitate satis consumptum esset) sanctus hic pontifex corporis fuit gracilis et extenuati. Erat indutus pontificalibus indumentis, scilicet planeta, sive casula lata more antiquo ex purpura coloris castanei : manus habebat complicatas, et tegebantur a planeta, quæ in ossa abierant. Tunicæ et dalmaticæ fragmenta habebat crus dextrum, et pedes in ossa itidem redacta cernebantur. Caput consumptum erat in plura fragmenta ossium, et denigratum. Conspiciebantur pontificiæ mitræ reliquiæ ob summam vetustatem laceræ, et offuscatæ. Circa collum relucebant quædam fila aurea; item supra manus. Remanserat super humero dextro crux parva rubri coloris, quæ erat pallii pontificalis. Item aliam crucem paulo longiorem ejusdem pallii juxta pectus in parte dextra tenebat. In medio pectoris conspiciebatur aurea una spinula pallii infixa planetæ. De pallio vero nihil exstabat. Planeta pedes attingebat. Tactu cuncta dissolvebantur, tum ob materiam antiquatam, tum ob locum madentem, quamvis optime clusum, » etc.

Huic descriptioni Grimaldi plane respondet conspectus post annos centum ac septem nobis oblatus ejusdem sacri corporis, ac vestium, quibus ita contegebatur, ut pectus quidem et humeri omnimodo velarentur, artus vero inferiores sub sinubus vestium earumdem, ibi tenuiorum ac multa sui parte dissolutarum apparerent evidentes. Conspiciebantur denudatæ colli et lumborum vertebræ. Ossa ilion, et utriusque femoris, ac tibiarum dignoscebantur : a quarum sinistra sua fibula dimota paulisper erat, cæteris in situ suo exacte permanentibus. Capitis vero figura talis erat. Ex ossibus cranii exigua tantum frustula inter velamentorum reliquias decidua supererant. Mandibulæ inferioris pars sinistra remanserat integra ex qua dentem excidisse adnotavit illustrissimus Pauli archiater pontificius, mandante sanctissimo ad eam inspectionem adhibitus, ut pro artis peritia nominatim dictaret notario ossa quæ apparebant. Processus humeri dextri deciduus et prolapsus jacebat non longe a reliqua humeri parte, quæ sub vestium sinubus prominebat in suo situ. Nulla igitur portio sceleti loco dimota fuerat. Cranio tantummodo dissoluto, et cæteris paucis ossibus quæ memoravimus. Dabo etiam verba a pontificio archiatro dictata notario in publicas tabulas redigenti solemnem hanc recognitionem sacrarum reliquiarum. « Ubi S. Leonis papæ primi arca monumenti reclusa fuit, ut venerabiles ejus reliquiæ, vel corporis forma inspicerentur, rudis primo obtutu contritarum vestium, et consumptarum carnium moles apparuit. Enimvero propter sæculorum diuturnitatem adeo diminuta, et fere consumpta offendimus membra; ut vix anatomicæ, et quidem superficiali descriptioni locus remaneret. Nostram tamen haud effugit diligentiam. Capitis situs in osseorum fragmentorum congeriem elevatus, ac præ cæteris capitis partibus integrum segmentum inferioris maxillæ cum dente extra alveolum super jacente, distincte conspiciebatur. Cæterum thorax, uti etiam brachia, laceris, et magna parte consumptis vestibus obvelabatur, ut minime ab invicem distingui potuerint. Colli tamen, et lumborum vertebræ suo naturali situ locatæ videbantur, et circa finem sterni hinc inde duo ramenta aureæ ligulæ, sive alterius ornamenti vestigia adjacebant. Os ilium elatius, et utriusque femoris ossa sublatis tegumentis jamdudum laceris distincte prominebant. Tibiæ quoque ad extremitates usque integræ visebantur, excepta sinistra, cujus fibula disrupta non procul a tibia locabatur. Tarsi, et metatarsi, et digitorum ossa inspicere nequivimus. Verisimillimum tamen duximus eadem vestimentorum inter et carnium cineres involuta latere, vel sparsim capsulæ pluries concussæ fundo subsedisse. Duo quoque ibi fragmenta satis distincta apparuerunt, quæ locata erant prope capitis situm. Horum alterum referebat claviculam, ea prorsus parte, qua humero adnectitur; alterum vero certo certius erat unum ex ossibus cranii. Sed probabile admodum est, quod hæc duo fragmenta e superiori trium sanctorum Leonum capsa ceciderint. Operculum enim plumbeum ligneumque capsæ sancti Leonis relaxatum, et compressum a præjecta superiori capsa trium sanctorum Leonum locum dare potuit fragmentorum intromissioni. »

Loquitur hic de capsa trium sanctorum successorum et cognominum Leonis Magni, secundi scilicet, tertii, et quarti, quæ illorum cineres tribus loculamentis distinctis complectebatur, et imposita fuerant antiquitus supra jam descriptam sancti Leonis primi, ut fusius cognoscere unusquisque potest tum ex actis Grimaldi sub Paulo V, tum ex recentibus in translatione sanctorum quatuor Leonum Romæ impressis sub Clemente XI anno 1715.


Unum erat desiderandum in illa Romana editione anni 1715, ut imago cum illis impressa desumpta non fuisset ex ea, quam Grimaldus per imperitum delineatorem fieri curaverat, descriptioni suæ non respondentem, sed ex archetypo omnibus conspecto tantum efformari curasset. Hanc nos cum reddiderimus diligenter exceptam in conspectu sacri corporis die secunda Aprilis, et iterum collatam cum eodem sacro corpore die XI Aprilis, quando Clemens XI, ad arcam sancti decessoris descendit, tunc asservatam in sacello S. Nicolai, et sacro ibidem peracto, una cum pluribus eminentissimis ac reverendissimis cardinalibus, necnon illustrissimis ac reverendissimis episcopis, et præsulibus ad venerandas quatuor sanctorum Leonum corpora genibus advolutus, publicas tabulas ea de re confici jussit per Cosmum Antonium de Bernardinis publicum apostolica auctoritate, et sacrorum rituum Congregationis notarium specialiter deputatum ab eodem summo pontifice ad acta illa excipienda, eamque imaginem approbaverit illustrissimus dominus Michael Angelus de Paulis archiater pontificius, et ab ejus secretiori cubiculo honorarius, qui ossium singulorum situm considerabat, et nomen exceptori dictabat, non abs re duximus hic inserendam. Ostendit enim ejusdem sacri corporis positum, et figuram ossium in sua sede permanentium, et vestium sinus, unde amictuum formam deprehendere non est difficile versatis in antiquitatibus Romanis, et consuetudinibus tum civilibus, tum ecclesiasticis sæculi Leoniani. Plicæ enim longiores sinuatæ ex infima parte tibiarum versus brachia etiam in laceris vestibus eumdem ductum re inentes ostendunt planetæ veteris figuram ad talos fere demissam, et cappæ episcopalis more corpus ambientem, ex qua exsertis brachiis sacris operabantur antistites ac

Digitized by Google

sacerdotes. Supra pec s vero integumentorum plu- A
rium collectio aliquid simile capitio intimo birri
episcopalis ostendit, et illius mundioris quem sum-
mus pontifex supra planetam ex colli apertura re-
jectum sacrificans adhibet (*phanonem* appellant,)
ex clavicularum et juguli summitate ad cubitorum
extrema pertingentem. Illuic vero infixum fuisse
pallium pontificale crucibus purpureis insignitum
(uti in musivis Leoniani sæculi et consequentium
ostendunt summorum pontificum imagines, in basi-
licis, ac titulis Romanis superstites) ostendit longior
inaurata acus supra pectus conspecta tam à Gri-
maldo, quam a nobis. Velamenta vero supra caput
reducta, quæ in hoc tumulo plicas retinebant, ex
humeris ad situm ossis bregmatis ac temporum
ascendentes (licet calvaria resoluta in fragmenta
ossium subsedisset), demonstrant, vel partem ali-
quam phanonis ex occipite reduci consuevisse more
cuculli supra verticem, unde mitræ origo petenda
est, ut in dissertatione de sacris indumentis sacer- B
dotalibus suo loco ostendam; vel aliquod velum ap-
positum fuisse supra faciem sancti pontificis, dum
ejus funus curaretur. Grimaldus memorat fol. 45,
suorum Actorum ex scripto Jacobi Herculani cano-
nici sancti Petri, in canonicali archivo asservati,
die IV Februarii 1543 detectum fuisse ad sacellum
sanctæ Petronillæ in Vaticana basilica sepulcrum
Mariæ uxoris Honorii Augusti, *i*n quo conspecta
sunt indumenta auro texta : inter quæ recenset
aureum pannum spiris compluribus ambientem
caput, et præterea alium ab eo distinctum, et fa-
ciei ac pectori impositum : unde mos illius ætatis
agnoscitur in humandisprincipum et illustrium viro-
rum ac fœminarum corporibus. Verba Herculani sunt:
« Memoria quod die III Februarii 1544 detectum
fuit sepulcrum in sancto Petro in capella quæ dice-
batur sancta Petronilla, alias regum Francorum,
cum novæ fabricæ fundamentum foderetur. Quod
sepulcrum erat magnum pilum marmoreum cooper-
tum tabula simili crassitudinis palmi unius quart. 3, C
longitudinis palm. XIII, latit. palm. XI in quo erat
corpus Mariæ uxoris Honorii imperatoris Constanti-
nopolis. Quod corpus indutum erat veste ex auro,
ut vulgo dicitur, *Oorotirato*. In capite habebat pan-
num aureum pluries involutum, et aliud extentum
supra faciem et pectus. Quod aurum in forma panis
fusum ponderavit libras triginta quinque, » etc., de-
scribit alia ornamenta cum his reperta, quæ hic
non recenseo; cum de velis tantum capiti injectis,
et circumductis sit sermo, quorum usus in tumulan-
dis magnatibus vigebat ætate S. Leonis, et proxime
consecutis.

Præter indumenta igitur casulæ, sive planetæ sa-
cerdotalis, ad pedes defluentis, et in flexum cubito-
rum collectæ more capparum episcopalium, necnon
phanonis, et pallii, et velamenti capitis more cuculli
(cujus ex abscisso limbo et titulo mitra videtur ex-
orta), conspecta in S. Leonis tumulo circa jugulum
aurea filamenta, et circa utrumque carpum, nobis D
indicant limbum ad insertionem capitis, et ad aper-
turam manicarum tunicæ subdiaconalis, et dalmaticæ
diaconalis adhibitæ non sècus ac Latinis et Græcis
in usu est, figura inter utrumque ritum media ex
manicarum insertione colligenda. Verum de illis fu-
sius agendi locus erit opportunior inferius pe-
culiari dissertatione ad hæc tractanda, per nos pa-
rata dum sacrum Leonis Magni corpus detegeretur :
cujus figura consignabimus præsentes notas ad ejus
Vitam.

Conspectus Sacri Corporis S. Leonis Magni, reserata illius Arca et iterum obsignata jussu Clementis Pp. XI diebus II et XI Aprilis MDCCXIV in ejus translatione solemni. Ex Cranio frustula exigua superperant, cum parte dimidia mandibulæ inferioris. Ossa reliqua in situ permanserant (dimoto tantum superiori processu humeri dextri et fibula a tibia sinistra) : quæ reddebantur conspicua sub vestibus crocei coloris præ vetustate attenuatis, et more cuppæ tam supra caput, quam circa pectus et artus inferiores in amplos sinus decenter collectis. Supra sternum Acus inaurata ad configendum Pallium : et circa juncturas carpi et cubiti aurei limbi filamenta visebantur. Sacri Corporis longitudo erat palm. Romanorum 7 3/4.



CIACONII.

Num. 66, lin. 16.—*Ubi et damnaverunt Eutychem*, Constantinopoli coram tribus legatis apostolicis et Patrum concilium cogitur, in quo anathema prolatum adversus Eutychetem, qui dicebat, in Christo Domino ante incarnationem duas fuisse naturas, post incarnationem unam tantum naturam; et contra Nestorium, qui asserebat Dominum Jesum Christum ex Maria Virgine, hominem tantum, non etiam Deum natum.

Num. 67, linea 8.—*Ambulavit ad regem Hunnorum nomine Athilam.* Athila post cladem in campis Cathaloniæ susceptam juxta Tolosam, cruentus Italiam petit. Aquileiam in limitibus Provinciæ sitam triennium obsedit; cumque rebus desperatis obsidionem solvere cogitaret, vidisset ciconias ex urbe in agrum

Digitized by Google

suos pullos deferentes, auspicio motus, acrius urbem oppugnatam tandem cepit, diripuit, et incendit: nulli hominum generi parcens, *Flagellum Dei* se vocans. Ticinum atque Mediolanum, regias urbes, excidit. Inde vastatis circumcirca pluribus locis, cum Romam quoque pararet evertere, Leo Magnus papa, adhortante Valentiniano imperatore obviam processit, eumque adeo mitem reddidit, ut illico, promissa pace firmissima, ultra Danubium non rediturus perrexerit: territus duorum virorum minantem mortem, strictis ensibus super ejus caput, nisi pontificis sancti verbis acquiesceret. Crediti sunt Petrus et Paulus fuisse, qui in re tanta Italiæ et Romæ præsidio fuere. Ex hac Aquileiensi eversione Veneti insulas transmigrarunt, atque Patavini rivum altum occuparunt, et ita Venetiæ intra aquas habitari, et condi cœperunt.

PAGII.

Num. 66, linea 3. — *Hic invenit duas hæreses.* Alias quoque reperit ac repressit ex Pagio memorandas. Devastata a Vandalis Africa complures Manichæi Romam venerant, ibique catholicis admisti latentes conventus agebant, et plures impia sua doctrina seducebant. Primus Leonis congressus adversus illos fuit, et plurimos diligentia ejus detectos narrat Prosper sub consulibus anni 443. Eorum libri innumeri Romæ combusti et ex ipsis Manichæis plures ad sanitatem revocati. Tum anno sequenti 444. S. Leo epistola 7 quæ alias erat 2 ad episcopos per Italiam, data tu Kalendas Februarii, plurimos Manichæorum vigilantia sua in urbe Roma detectos esse, et pari ab eis sollicitudine investigandos admonet. Hæc epistola per provincias ad omnes episcopos missa est, cum Idacius illorum temporum æqualis scribat: *Per episcopum Romæ tunc præsidentem gesta de Manichæis per provincias diriguntur.* Anno postea quadringentesimo quadragesimo septimo eosdem Manichæos in Hispania repressit, et Priscillianistas, quorum errores partim erant cum Manichæis communes, partim proprii. Illam autem Priscillianistarum sectam contrivit, data ad Turribium Asturicensem episcopum epistola 93, in qua singula hujus sectæ capita seorsim conterit, ac Turribium, episcoposque Gallæciæ et Lusitaniæ ad concilium vocat, ut simul videant, quid adversus gliscentem hæresim agendum sit. Hanc Leonis epistolam legant, qui impios Priscillianistarum mores nosse voluerint. Non solos Manichæos et Priscillianistas, sed etiam Pelagianos S. Leo insectatus est.

Linea 10. — *Cum chirographo sancti archiepiscopi Leonis.* Sedente sancto Leone exorta est Eutychiana hæresis, cujus initium et concilia contra eum celebrata hic compendiose exhibenda. Eutyches presbyter, archimandrita, seu abbas celeberrimi cujusdam in urbe regia Constantinopoli monasterii, teste Liberato cap. 2 ex nimio in Dioscorum Tarsensem, et Theodorum Mopsuestenum olim episcopos odio, lapsus est in blasphemam impietatem Apollinaris, « mysterii Incarnationis dogma corrumpens, et divinitatem Unigeniti, et humanitatem vocans unam naturam, commistionemque et confusionem asserens factam, et salutarem passionem ipsi incommutabili Deitati adnectens, » ut scribit Facundus lib. VIII, cap. 5, exhibens fragmentum epistolæ domni episcopi Antiocheni ad Theodosium imp. Asserebat itaque Eutyches Christum esse ex duabus naturis, sed non in duabus, id est, duas fuisse ante unitionem naturas, unicam postea: unde illud consectarium, Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem. Cum autem dicta domni Antiocheni ad Theodosium imp. epistola scripta sit anno circiter quadringentesimo quadragesimo secundo, Eutychianæ hæresis initium ab eo anno repetendum; unde sanctus Anastasius Synaita scribit: « Annis circiter post (Ephesinum scilicet concilium) decem Eutyches quidam archimandrita Constantinopoli exortus, qui diceret totum Christum esse naturam unicam. »

Gelasius papa in epistola 16 ad episcopos Dardaniæ, initium hæresis Eutychianæ ab anno quadringentesimo quadragesimo octavo repetit; quia eo anno Eutyches in judicium vocatus est apud Flavianum episcopum Constantinopolitanum, accusante Eusebio Dorylæi in Phrygia Salutari episcopo, Eutychetis amico, cujus rei meminit Breviculus Eutychianistarum: « Cum Eutychem Eusebius Dorolytanus episcopus suadere talia reperisset, zelo fidei, quem etiam, cum agens in rebus esset, ostendit (ipse enim Nestorium quoque in tempore reprehendit in Ecclesia res sacrilegas prædicantem), detulit ad Flavianum episcopum. » Accusatio summopere Eutychetem offendit, quare apud S. Leonem questus est, *quod Nestoriana hæresis quorumdam rursus auditis pullularet.* Leo ejus zelum laudavit, ac benigne rescripsit, XII *Kal. Martii* anno quadringentesimo quadragesimo nono. Hinc Acta quinti concilii aiunt: « Leo sanctæ memoriæ papa antiquioris Romæ, et suscepit Eutychetem, et rescripsit, comprobans eum, et tamen postea condemnavit, et anathematizavit eum, ut hæreticum. » Sed antequam ad judicium episcopale deferretur Eutyches, jam ad Theodosium imp. delata fuerat a domno Antiocheno episcopo accusatio de reviviscente Apollinaris hæresi, Eutychetis industria et artibus, ut constat et citata domni synodica epistola ad Theodosium apud Facundum lib. VIII, cap. 5, ex qua discimus quinam fuerint illi quos Eutyches apud S. Leonem tacite infamabat, tanquam Nestorii sequaces et patronos: clarum est enim eam de Domno, et Theodoreto, et aliis hujusmodi loqui, qui de anathematizatis per Eutychen Diodoro et Theodoro apud Theodosium conquesti fuerant.

Coacta est illico Constantinopoli a Flaviano episcopo synodus, sub die VI Idus Novembris anni quadringentesimi quadragesimi octavi, non quidem ordinaria, sed ex iis solis episcopis qui reperti sunt in comitatu. Occasionem cogendæ synodo dedit orta quæstio inter Florentium Sardorum episcopum, Lydiæ metropolitanum, et duo suæ provinciæ episcopos: quia finita actum est de Eutychete, qui olim Nestorianæ hæresi profligandæ cum sancto Dalmatio monacho navarat operam. Eutyches sæpius ab Eusebio Dorylæi episcopo amice admonitus de abjiciendo errore, in eo obstinate perstiterat, eumque etiam in synodo duas quidem asseruisset naturas ante unionem, unam vero post unionem, damnatus est a synodo, nequidquam obtinente Chrysaphio eunucho, imperii administro quem minus Eutychetis amor, quam Flaviani odium urgebat. Subterfugit judicium hæreticus, qui tamen ex scriptis suis convictus est. Synodus septem actionibus completa, eique subscripsere episcopi omnes numero triginta duo et archimandritæ numero viginti tres. Episcopi hac formula subscripserunt: *Basilius episcopus N. judicans subscripsi*, archimandritæ vero: *N. presbyter et archimandrita, subscripsi in depositione Eutychetis*, quia scilicet episcopi conciliis adsunt ut judices; abbates vero ut honorifici spectatores: illi sententiam dicunt; isti sententiæ ab episcopis latæ assensum præbent. Porro Eutychetis ut hæretici sententia prolata est his verbis: « Lacrymantes et lugentes perfectam ejus perditionem decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, et a nostra communione, et primatu monasterii. »

Eutyches cum auctoritate Chrysaphii et tutela Theodosii Augusti doctrinam suam tectam, sartamque non cerneret, ad Romanum pontificem confugit, quod absentem circumvenire in propatu esset. Ejus litteræ leguntur in synodico adversus tragœdiam Irenæi a Christiano Lupo publicato cap. 222. In earum fine ait Eutyches: « Subjunxi autem his lit-

Digitized by Google

teris meis utrumque libellum, et eum, qui ab accusatore meo oblatus est synodo, et qui a me quidem gestus est, non tamen susceptus. » Sed in ea epistola nulla mentio de Eutychetis appellatione. Tum caput 223 ejusdem synodici continet libellum contestatorium ab Eutychete propositum in Constantinopolitana urbe, ut docent verba Leonis in epistola VIII ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum. Sanctus Leo, de his quæ Constantinopoli gesta erant, non admonitus a Flaviano, ne vel innocentem condemnaret, vel reum absolveret, ad Theodosium imperatorem Flavianumque scripsit. Protinus ad summum pontificem rescripsit Flavianus, et acta Constantinopolitanæ synodi in causa Eutichetis, simul cum epistola ad eum misit.

Acceptis Flaviani litteris, Leo opem, operamque suam adversus Eutychetem pollicetur; et per illustrem virum Rhodanum epistolam misit, quam primum Quesnellus publicavit ordine XXII, quam et secuta est alia ad Theodosium, quæ ordine est XXIII, in qua Nicænæ fidei se inhærere profitetur, Nestorii et Eutychetis dogmata condemnat, postulatque synodum intra Italiam congregari. In ea ampliores litteras promisit per Flaviani nuntium perferendas; fuitque illa celebrata adeo ad Flavianum epistola, alias ordine X, nunc XXIV, laudata Chalcedone, Patribus approbata, et retenta ad fidem Ecclesiæ de incarnatione Christi explicandam, ut ea, quasi Lydio lapide, sincera adulterinaque fides probetur. Ea epistola olim integra in Ecclesia Romana legebatur tempore Adventus, quod etiam in ecclesiis Galliarum factitatum esse eruit Quesnellus ex mn. codice bibliothecæ Regiæ. Eam anno quadringentesimo quadragesimo nono detulerunt legati Leonis papæ ad pseudo-synodum Ephesinam, de qua mox.

Interea Eutyches supplices libellos dat imperatori, actaque synodi Constantinopolitanæ diminuta, falsataque arguit. Imperator Chrysaphii Eunuchi sermonibus deceptus, retractari acta jubet, et videre an quid omissum, mutilum, adulteratumve reperiatur. Quamobrem eosdem episcopos, qui superiorem synodum Constantinopoli celebrarant, jubet iterum anno quadringentesimo quadragesimo nono cogi, sed illis Thalassium episcopum Cæsareæ in Cappadocia præficit, amoto Flaviano Constantinopolitano, cui jus sedendi aufertur. Quinto itaque Idus Aprilis cœpta est synodus : ad examen Acta revocantur; nihil depravatum aut immutatum reperitur, omniaque uti gesta erant, ita scripta esse omnes approbant.

Eutyches, dum hac via omnes aditus interclusos intelligit, Dioscori episcopi Alexandrini, Flaviano inimici, patrocinium implorat. Dioscorus ad imperatorem scribit, aliamque synodum postulat, cui per litteras imperatoris jubetur præsidere, rejecto ex illo cœtu Theodoreto, qui Dioscoro infensus erat, et Eutychianæ doctrinæ aperte contrarius. Indicta est itaque synodus apud Ephesum tertio Kalendas Aprilis anni quadringentesimi quadragesimi noni, antequam retractarentur acta concilii Constantinopolitani anno 448 celebrati, ut ad Kalendas Augusti inciperetur. Ad illam S. Leo, ab imperatore invitatus, legatos misit Julium Puteolanum episcopum, Renatum presbyterum tituli Sancti Clementis, et Hilarum diaconum. Synodus incœpta est die tantum octava mensis Augusti, eique interfuere centum triginta episcopi, præseditque Dioscorus Alexandrinus. Eutyches introductus continuo confessionem fidei proposuit, falsitatis et simulationis plenam, ac ambage verborum perplexam. Retractata deinde acta ejus condemnationis isque declaratus innocens et solutus ab excommunicationis vinculo. Flavianus vindex fidei condemnatur, cum Eusebio Dorylæi episcopo; plurimique pontifices proscripti condemnatique, inter quos Ibas Edessenus episcopus, Theodoretus Cyrensis, et ultimus omnium Domnus Antiochenus. Imo cum omnia susque deque gererentur, et episcopi convocati, intentato quasi faucibus gladio, ejusmodi decretis subscriberent, et contra jus et æquitatis leges omnia fierent, Flavianus qui ad summum pontificem appellaverat, non modo injuriis, sed et verberibus plagisque affectus, Epipæ, quæ civitas est Lydiæ, quo in exsilium amandatus est, *seu superveniente, seu ingesta morte* spiritum Deo reddidit eodem anno 449 ut habet Marcellinus in chronico. In tanta rerum desperatione legati Leonis papæ obfirmate restiterunt conatibus hæreticorum adversus condemnationem Flaviani, indeque in custodiam dati. Ex quibus gestis jure *prædatoria*, aut *latrocinalis*, hæc synodus appellata est.

Hilarus diaconus, Leonis papæ legatus, cum post infinita superata vitæ discrimina ex Ephesina pseudosynodo se subduxisset, Romamque advenisset, a Leone papa excipitur, qui audita rerum ut evenerant narratione, concilium Romæ coegit, in quo quidquid Ephesi fuerat actum, damnavit ac rescidit. Crebris deinde institit litteris, Theodosium et Pulcheriam Augustam urgere, ut unanimi consensu synodus altera, qua Ephesinam ignominiam et labem deleret, intra fines Italiæ cogeretur. Sed et cum multis Italiæ episcopis obviam prodiit Valentiniano Augusto, qui cum matre Galla Placidia, et conjuge Eudoxia, religionis causa Romam ad apostolorum limina veniebat, et tum eas, tum Valentinianum orando compulit, uti Theodosio scriberent, efficerentque, ut alio rursus concilio, quæ Ephesi perperam gesta fuerant, retractarentur. Verum Eutychianis fabulis ac dolis irretita Theodosii mens, nullis litteris, nullis precibus, nulla suorum necessitudine flecti potuit. Quin potius publicis legibus Flavianum damnavit, Ephesinamque prædatoriam synodum Nicænæ jussit æquari. At neque leves, neque seras tanti facinoris pœnas dedit. Siquidem non multo post dum equitaret, collapso equo graviter elisus, atque mortuus est die vigesima octava mensis Julii anni quadringentesimi quinquagesimi, nullo hærede relicto.

Theodosio imperatore mortuo, Pulcheria Augusta ejus soror, suffragante senatu et exercitu, Orientis imperium et se ipsam in matrimonium dedit Marciano clarissimo senatori, genere Thraci et filio viri rem militarem exercentis. Marcianus ubi imperium suscepit, sancti Leonis hortatu de concilio generali cogendo cogitavit, interimque Constantinopoli synodum haberi jussit, in qua lecta celeberrima illa epistola S. Leonis alias 10, nunc 24, ad Flavianum, quam omnes sua subscriptione confirmarunt. Ad alios deinde metropolitanos missa, qui cum suæ provinciæ episcopis eam approbarunt. Anathema dictum Nestorio et Eutychi, et eorum hæresis Constantinopoli proscripta, ut testatur S. Leo in epistola 68 ad Paschasinum Lylibætanum, data mense Julio anni 451. Sed falsum est quod scribit Baronius, et post eum auctor anonymus Delectus actorum Ecclesiæ universalis seu novæ Summæ Conciliorum, in ea nempe synodo vetitum esse, ne Dioscori Alexandrini, Juvenalis Hierosolymitani, et Eustathii Berythi episcoporum nomina ex dyptichis recitarentur : sanctus enim Leo in epistola LX alias XL ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum, Idibus Aprilis anni 451 etiam data, ait : « De nominibus autem Dioscori, Juvenalis, et Eustathii ad sacrum altare non recitandis dilectionem tuam haud decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerint. » Quare, ut recte notat Quesnellus, Leo ad Anatolium scribit, non tanquam de re gesta, sed tantum definienda a suis legatis cum Anatolio.

Licet S. Leo differri synodum œcumenicam, et in Italia fieri optaret, Marcianus tamen imperator, necessitate rerum et votis Orientalium sollicitatus, synodi indicendæ consilium cœpit, et edicto suo jussit episcopos *ad Niceam civitatem proximis Kalendis Septembris* anni quadringentesimi quinquagesimi primi advenire. Sanctus itaque Leo, acceptis imperatoris litteris, extemplo de legatis mittendis cogitavit, ad eumque scripsit epistolam LXIX, alias XLIX,

Digitized by Google

significavitque se legatos mittere, ad vices suas implendas, Paschasinum Lylibæi episcopum, Bonifacium presbyterum, et Julianum Coensem. Data epistola VI Kalendas Julii. Præfatis legatis postridie duos alios adjunxit, Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum.

Interim cum Attila Hunnorum rex in Galliis victus fuisset, et Orientem versus iter cœpisset, totumque Illyrium perturbari ob imminentium barbarorum metum, ex litteris præfectorum accepisset imperator, neque Nicæam posset se conferre, concilium Nicæa Chalcedonem, quæ Constantinopoli septem tantum stadiis abest, transtulit; eamque episcopis insinuavit, edicto dato X Kalendas Octobris. Translationi huic etiam occasionem dedit obsecratio legatorum apostolicæ sedis, qui imperatorem enixe rogaverant, ut adesset sancto concilio, protestati se, ipso absente, illuc non venturos. Ista constant ex epistolis Marciani imperatoris ad synodum, quæ Nicæam convenerat, relatis part. I concil. Chalced., num. 41 et seq.; ex Liberato cap. 13 Breviarii, et ex Evagrio lib. II, cap. 2. Porro synodum a Marciano Augusto primum Nicæam convocatam, deinde ab eodem Chalcedonem translatam consentiente sancto Leone, recte probat Natalis Alexander sæculo V, dissert. 11, pag. 2, ubi et ostendit eumdem S. Leonem synodo præfuisse per legatos Paschasinum Lylibætanum et Lucentium Asculanum episcopos, et Bonifacium presbyterum, quibus Julianum Coensem, ut consiliorum participem, potius quam legationis socium adjunxit. Incœpta est synodus octavo Idus Octobris anni Christi quadringentesimi quinquagesimi primi, in amplissima sanctæ virginis et martyris Euphemiæ basilica, in civitatis suburbiis sita.

Actione secunda de fide agi cœptum est. Publice recitatum Nicænum, Constantinopolitanumque symbolum; deinde Cyrilli ad Nestorium et Joannem Antiochenum litteræ, cum pax inter eos inita est: tum S. Leonis ad Flavianum epistola, cui illis verbis acclamaverunt episcopi: *Petrus per Leonem ita locutus est: Apostoli ita docuerunt.*

Actione quarta reditum est ad constabiliendam fidei formulam, et ad Leonis epistolam. Rogati Patres quid de ea epistola censerent, suo simul ordine responderunt, symbolis Nicæno et Constantinopolitano consentaneam esse, necnon fidei a sancto Cyrillo in epistolis expositæ, ideoque se illi subscripsisse.

Actio undecima, quæ est de Domno Antiocheno episcopo, non est commentitia ut arbitratur Quesnellus dissert 11 in Opera S. Leonis. Nam Baluzius in Præfatione ad concilium Chalcedonense num 32 et seqq eum hac in re deceptum esse solide demonstrat, et ad omnia ejus argumenta respondet. Domnus Antiochenus episcopus ab episcopis Ephesinæ synodi latrocinalis depositus est, in ejusque locum ordinatus Maximus ab Anatolio episc. Constantinopolitano, jubente Theodosio imperatore. Omnia hujus latrocinii acta in irritum misit sanctus Leo, restituit episcopos qui e suis sedibus dejecti fuerant: Domnus unus ab eo non est restitutus; imo confirmatus est episcopatus Maximi, qui ipsi superordinatus fuerat. Domno vero annuum ex Ecclesiæ Antiochenæ facultatibus, permittente synodo, concessit Maximus.

Lin 23. *Hic firmavit frequenter suis epistolis synodum Chalcedonensem*, etc. In actione decima quinta, Constantinopolitanæ Ecclesiæ clerici petiere, ut de sede Constantinopolitana Patres aliqua constituerent. Legati dixerunt id sibi non esse in mandatis; judices vero pronuntiarunt rem esse synodi, statimque ex ea discessere, et eos legati secuti sunt. Patres nihilominus, utrisque absentibus, complures canones condiderunt. Græci codices habent 30, Latini 28, ex quibus vigesimus octavus confirmat patriarchica privilegia, a concilio primo Constantinopolitano sub Damaso, Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessa, ut scilicet, primo post sedem Romanam honore frueretur, jusque et potestatem haberet in Thraciæ, Ponti et Asiæ diœceses, earumque metropolitas, et barbarorum insuper episcopos ordinaret.

Id postquam audivere legati apostolici in actione decima sexta et ultima, Kalendis Novembris habita, postularunt ut relegeretur canon de sede Constantinopolitana, se absentibus conditus. Eo recitato, cum omnium fere Patrum subscriptionibus, Lucentius sedis apostolicæ legatus, judices interpellans dixit: « Primo gloria vestra perpendat, qua circumventione cum sanctis episcopis gestum sit, ut non conscriptis canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sunt coacti. » Conclamaverunt omnes: *Nemo coactus est.* Quia vero de canonibus erat controversia, judices jusserunt ut canones ab utraque parte proferrentur, quod postquam factum fuit, hi canonem iterum recensitum sua firmaverunt auctoritate, Patribus acclamantibus: *Hæc justa sententia; hæc omnes dicimus*, etc.

Sed reclamavit Lucentius apostolicæ sedis legatus, et merito: unde S. Leo huic definitioni vehementer succensuit; utpote quæ Nicænos canones everteret, nitatur reprobato Constantinopolitani primi concilii tertio canone, et falso asserat Romanam Ecclesiam, non nisi accepto a Patribus, quod in universam Ecclesiam habet, potiri primatus privilegio: hinc eodem Constantinopolitanam sedem, utpote cum Romana factam jam æqualem, donandam esse. Quare S. Leo, sicut eorum, quæ adversus hæreticos illi decreverant, fuit constantissimus approbator, ita se ambitionis acerrimum præbuit vindicem, handquaquam passus, Ecclesiarum jura, quæ a Nicænis Patribus constituta fuerant, commutari. Itaque canonem illum 28 improbavit, qui et e numero canonum expunctus est a Græcis ipsis. Canones vero cæteros concilii tacito saltem consensu approbavit, eosque Ecclesia recepit universa. Porro synodus a 630 Patribus celebrata, ineunte mense Novembri anni 451 absoluta.

Lin. 25. — *Episcopis per Orientem epistolas octodecim.* Anno quadringentesimo quinquagesimo tertio sanctus Leo scripsit ad Julianum episcopum Coensem, ut vice sua functus assumeret specialem curam, *ne hæresis, vel Nestoriana, vel Eutychiana in aliqua parte revivisceret.* Ea epistola, alias 56, nunc est 86. In epistola vero ad Marcianum imperatorem 84, de eodem Juliano loquens Leo ait: « Vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi: atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi. » Data ea VI *Idus Martii Opilione V. C. cos.* ideoque anno Christi 453. Quibus ex verbis et similibus Marca lib. V de Concordia, cap. 15 et seqq., et Quesnellus in Notis ad easdem epistolas, vicariorum, seu, ut nunc loqui consuevimus, nuntiorum sedis apostolicæ in comitatu agentium, originem deducunt. Qua in institutione, orientalium patriarcharum morem secutus est S. Leo; illi enim apocrisarios ad imperatores Orientis destinarunt ab eo tempore, quo sedes imperii Byzantium translata. In multis tamen Leo se ab eisdem pro sua prærogativa discrevit. Viderat sanctus pontifex per novam Nestorii hæresim orientales Ecclesias diris procellis jactatas, vix et ne vix quidem per concilii Ephesini definitiones quievisse. Non ignorabat etiam Constantinopolitanum antistitem canone secundi concilii generalis fretum, totis viribus amplificandæ potestati suæ incumbere, nec prius molitionibus suis finem positurum, quam sibi majores primates subjecisset; quibus subjectis timendum erat ne de minuenda pariter Romanæ sedis auctoritate aliquando cogitaret. Quare existimavit, aliquem in urbem regiam mittendum, qui fidei et ecclesiasticæ paci vigilaret, ageretque apud imperatorem, de compescendis conatibus eidem fidei, ac paci contrariis. Clericis aut presbyteris apocrisariorum

Digitized by Google

tanus creditum fuit priori ævo, eamque ob causam imprimis institutum, edictisque imperatorum sanctum, ne ad comitatum venirent episcopi, quod ex Justiniani Novella 6, cap. 11 manifestum est : nunc sæpe episcopis munus illud committitur. Sed de legatis, apocrisariis aut responsalibus Romanorum pontificum ad imperatores, pro negotiis universalis Ecclesiæ procurandis, legendus Marca laudatus. De origine vero nuntiorum apostolicæ sedis in comitatu Francorum regum vide dicenda in Gregorio III.

Num. 67, linea 1. — *Hic renovavit post cladem Vandalicam*, etc. Anno quadringentesimo quinquagesimo quinto Genserico Vandalorum regi urbem Romam improviso aggredienti et ingredienti S. Leo occurrit, ipsumque pluribus allocutus, obtinuit ut igne et ferro, quo civitatem delere parabat, abstineret, sola direptione contentus, ut refert Prosper in Chronico : Romanam *urbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas sancto Leone episcopo, cujus supplicatio, ita eum, Deo agente, lenivit, ut cum omnia potestatis ipsius essent, tradita sibi civitate, ab igne tamen et cæde, atque suppliciis abstineretur. Post quatuordecim igitur dies secura et libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est : multaque millia captivorum... cum regina et filiabus ejus Carthaginem abducta sunt.* Tres primarias basilicas a direptione defendit sanctus pontifex. Nam cum resarciendis damnis post cladem animum adjiceret, argentea et magni ponderis vasa, olim tribus basilicis Constantinianæ, sancti Petri, et sancti Pauli a Constantino data conflari jussit, et per titulos Urbis distribui, ut habet liber Pontificalis, qui et complures basilicas ejus pietate et sollicitudine ædificatas, instauratasque memorat.

Linea 17. — *Sepultus est ad basilicam B. Petri apostoli*, etc. Postquam sanctus Leo annos viginti unum, mensem unum, et dies tredecim sedisset, ad Deum migravit die quarta mensis Novembris anni quadringentesimi sexagesimi primi, ut probat Annotator Baronii ad eum Christi annum, ubi et ostendit a tempore tantum Gregorii XIII festum ejus diei XI mensis Aprilis alibi fuisse. Sepultus est in basilica sancti Petri, ut habet liber Pontificalis. Tres postea ejus reliquiarum translationes factæ sunt. A quo pontifice prima fuerit facta, ignoratur; sed secunda facta est a Sergio papa hujus nominis primo, anno 688 quarto Kalendas Julii, indictione prima, quod constat ex ejus epitaphio, in quo legitur : *Depositus III Idus..... et iterum translatus huc a beato papa Sergio* IV *Kal. Jul. indict.* I, et in codice ms. Virdunensis cœnobii sancti Vitonis apud Mabillonium tom. II Analect. pag. 431 additur : *Sedit in episcopatu annos viginti unum, mensem unum, dies tredecim.* Tertia ejusdem sancti pontificis translatio peracta est a Paulo V. Henschenius enim ad diem XI mensis Aprilis quo colitur, recitat Historiam elevati et translati corporis ejus ex ms. catalogo Ecclesiæ sancti Petri in quo legitur : « Sacrum ipsum corpus una cum ossibus aliorum Leonum, Secundi, Tertii, et Quarti solemni ritu in novum templum translatum fuit, memorata die XXVII Maii, Dominica infra octavam Ascensionis 1607, post cantatas vesperas. Huic translationi præsentes fuerunt, » etc. Sanctissimus dominus noster Paulus papa V voluit videre corpora eorumdem sanctorum, videtque illa multo animi sui solatio. In ea Historia etiam legitur corpus sancti Leonis M. ante hanc translationem conditum fuisse in capsa lignea, in qua quiescebat *corpus beatissimi Leonis Magni papæ Primi a Sergio I reconditum.*

SOMIER.

Num. 66, linea 1. — *Leo natione Tuscus*, etc. : et lin. 21. — *Multas epistolas fidei*, etc. S. Leo nominis primus appellatur *Magnus* ex eo quod inter pontifices emineat merito singulari, et instructus cum esset dotibus universis ad maximum pontificem efformandum necessariis, earumque exercendarum occasiones nactus sit plurimas, ad summum laudis culmen pontificatus gloriam evexit. A suæ administrationis exordio satis ostendit, sibi apprime notam fuisse amplitudinem ac sublimitatem muneris sibi demandati : quippe qui a sacrificiis Dominicæ laudis inchoandum esse censuit, implorato divino auxilio (serm. de Assump. sua) atque iis confisus viribus, quas in apostolorum Principe a Christo Domino solidatas fide perpetua, hæreditas cathedræ ad successores transmittit : « Et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit; ita permanet quod in Petro Christus instituit (sec. serm. 2) cujus etiam dignitas (ait) in indigno hærede non deficit... quem non solum hujus sæculi præsulum, sed et omnium episcoporum noverint esse primatem. » Hanc igitur maximam potestatem et asseruit et exercuit, tum in hæresibus damnandis atque evellendis (cap. 1) tum in fide ac disciplina catholica stabilienda (cap. 2). Præclarum illud circa fidem, quod primus expressum ac formale testimonium in Ecclesia reddiderit de sancti Spiritus processione a Patre ac Filio, epist. 93 a I Turribium Asturic., cap. 1 de summa Trinitate ita scribens : « Quam impie sentiant (Priscillianistæ) etc.... tanquam nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de *utroque* processit. » (Somier pag. 268, tomi II) disciplinæ autem, ac traditionum, et canonum vindicum se præbens, præsertim in administratione sacramentorum, abusum removet exigendi a pœnitentibus publicam confessionem occultorum criminum; « cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari *confessione secreta*, epist. 80, sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, a quo pro delictis pœnitentiam peccator accipit. » Solemnem baptismum administrari vetat extra dies constitutos Paschatis et Pentecostes. Ibi leges et praxim reconciliandi pœnitentis tradit vi ægritudinis a vocis officio impeditos epist. 91, c. 5. Ordinationes vero episcoporum juxta limites a decessoribus suis unicuique constitutos ita vetuit perturbari per sanctos etiam antistites qualis erat Hilarius Arelatensis; ut Viennensem inter et Arelatensem provinciam certos terminos fixerit, attributis Viennensi vicinis quatuor oppidis, Valentiæ, Tharantesiæ, Genevæ, et Gratianopoleos; reliquis vero civitatibus ejusdem provinciæ (Narbonensis Galliæ) Arelatensi assignatis epist. 109. (Somier lib. V, cap. 3.)

Linea 20. — *Beatus vero Leo direxit fidei catholicæ tomum et exposuit.* Nempe epistolam illam dogmaticam ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum, quæ post symbolum Nicænum, et Constantinopolitanum recitatum actione secunda in concilio Chalcedonensi, acclamationibus Patrum suscepta est, normam rectæ fidei in eadem esse testantibus. *Hæc Patrum fides, hæc apostolorum fides. Omnes ita credimus : orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt.* Præstat autem summatim saltem recensere ordinem gestorum ad ea præmissorum, ut auctoritatis pontificiæ ubique custoditæ, et providenter adhibitæ, exemplum clarissimum elucescat, juxta ea quæ attigimus in dissertatione analytica primatus S. sedis inter Prolegomena hujus tomi, art. 6.

Eutyches archimandrita, seu præfectus monasterio in regia urbe Constantinopoli, novam hæresim procudit dum contra Nestorianam invehitur. Cum enim Nestorius duas personas in Jesu Christo impie assereret, una scilicet æterni Filii Dei, alteram vero a se conflictam Virginis Mariæ Filii tanquam a priori diversam, Eutyches opinatus est, huic errori oppositam veritatem sese invecturum, si unicam quoque in Christo naturam, quemadmodum una est persona, doceret : « Multos igitur in impietatem propriam præsumpsit inferre (ut Flavianus ad S. Leonem scri-

Digitized by Google

bit) dicens : ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri J. C. duas naturas esse, divinitatis et humanitatis : post unitionem vero unam naturam factam. . . Adjecit autem et aliam impietatem, dicens : Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum illud quidem vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici ejus secundum carnem, » etc. Novus hic hæresiarcha damnatus fuit in concilio Constantinopoli habito tanquam renovator errorum Valentini et Apollinaris : et cum pertinax in assumptis erroribus recusaret ab iisdem recedere, communione privatus, et exauctoratus fuit munere presbyterii, et regimine monasterii privatus. Eutyches ad sedem apostolicam appellatione interposita, sese falso insimulatum hæreseos jactans contestatorios libellos adversus Eusebium episcopum, a quo accusabatur, proponere compulsus est. Per eunuchum Chrysapium ita se insinuavit Theodosio principi, ut litteras ab eo impetravit, quibus Leoni papæ commendaretur. Tentavit etiam Occidentales episcopos præoccupare adversus S. Flavianum, a quo fuerat depositus, quos inter S. Petrum Chrysologum prævenire studuit, sed irrito conatu; nam S. archiepiscopus ita rescripsit ad Eutychen : « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a beato papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas : quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas audire non possumus. »

Cum ex litteris imperatoris novisset B. Leo turbas in Ecclesia Constantinopolitana subortas ex hoc discrimine, imperatoris zelum commendat, quod non modo regium, sed etiam sacerdotalem animum in eo compererit, tempusque poscit ut instruatur, de quibus æstimet, cum arguendum. Validas vero epistolas etiam ad Flavianum misit : « Miramur, inquiens, fraternitatem tuam quidquid illi scandali fuerit nobis reticuisse. Sed respicientes ad causam facti tui nosse volumus rationem, et usque ad nostram notitiam cuncta deferri, etc. Et ideo quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos, quam plenissime et lucide universa nobis, quod ante facere debuit, indicare festinet. » Huic epistolæ obtemperans sanctus Flavianus certiorem reddit Leonem diligenti et exacta narratione gestorum : et apostolicæ sedis auctoritate cuncta comprobat : « Commotus itaque, ait, sanctissime Pater. . . propriam faciens communem causam simul decernere adversus eum regulariter factam, et per propria scripta dignare. . . Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ propter eam factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per sacratissimas vestras litteras. Removebitur autem et concilium quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ. »

Quod hic subdit de removendo concilio, illud respicit quod Eutyches cum sua factione tentabat, nempe concilium indici apud Orientales, ubi fautores plurimos sibi pollicebatur. Concessit attamen S. Leo ut apud Ephesum, postulante id Theodosio, concilium haberetur, quo etiam legatos suos misit. Verum cum his dogmaticam epistolam suam ad Flavianum a se perscriptam indicat imperatori esse transmissam, ut ex illa cognosci possit : *Quid catholica Ecclesia universaliter in sacramento Dominicæ Incarnationis credat et doceat.*

Hanc igitur epistolam Patres concilii Chalcedonensis post recitatum de more fidei Nicænæ et Constantinopolitanæ synodi symbolum actione secunda ea qua diximus acclamatione legerunt.

Cætera, quæ in prosecutione concilii Chalcedonensis gesta sunt, cum ex Pagio supra retulerimus non putamus hic iteranda in notis archiepiscopi Somier. Seligemus attamen nonnulla gesta, tam ante quam post concilium in copiosa serie factorum feliciter observata ex capitibus subsequentibus ejusdem D. archiepiscopi lib. v, ex cap. 8, pag. 337, consilium aulæ Constantinopolitanæ in expetenda apud Ephesum synodo generali erat longe diversum a studio papæ Leonis in accommodanda auctoritate eidem convocationi. Aulicæ tricæ, ab eunucho Chrysaphio præpotenti earumdem inventore, et infesto hoste S. Flaviani, Eutychetis vero patrocinatore, in id intenderant, ut recte judicata a Flaviano dissolverentur servata larva justitiæ. Vario molimine incassum promoto, illud tandem occurrit, ut in consortium factionis adhiberet Dioscorum Alexandrinum, cum Eudocia Augusta Flaviano infensa potenter auctorum apud Theodosium facile circumveniendum principem, et ad sua vota trahendum. Ut igitur in concilio dominari possent, longius a conspectu pontificis Leonis, et sub oculis Theodosii esse indicendum curant, exclusis episcopis qui Flaviano favorent. Ut occidentales quoque inde arcerentur, serius ad eosdem perferri convocatorias litteras student. Leonem quidem acciri suadent; quem cum considerent per ea tempora difficilia ex Italia non abscessurum; præsidendi munus Dioscoro Alexandrino oblatum iri sperabant. Incautum principem ex composito ita pertrahunt ad primas partes Dioscoro decernendas, tanquam Nicænæ synodi decreta sequeretur. In synodum itaque prædatoriam degeneravit indictum Ephesi concilium. Licet enim S. Leo suos legatos dirigeret, ut suam præsentiam supplentes synodo de more præsiderent, eosque instrueret litteris ad principem Theodosium, ad Pulcheriam Augustam et ad episcopos datis, ut omnia servato juris ordine peragerentur, et jus illud in hisce litteris exerceret : postolicæ curæ proprium, præscribendi scilicet conciliis generalibus quæstiones in iis decidendas et dirigendi judicia circa eas proferenda; attamen universa hæc Leonis cura eludebatur non solum occultis dolis, sed aperta violentia ac tyrannide, quam Dioscorus præpotentium favore sub nixus usurpabat. Occupaverant enim concilii aditum armata manu aulæ magnates, obtentu quidem avertendarum turbarum, et libertatis Patrum asserendæ, re autem vera ad hanc opprimendam, et ad eas turbas augendas, quas ipsi conciverant. In ipso sessionis exordio id aperte constitit. Nam Dioscorus contra fas in locum principem Romanæ Ecclesiæ legatis præsentibus de more assignandum prosiliens, hos sibi assidere admonebat. *Legati vices habentes papæ Leonis assidere non passi sunt, eo quod non fuerit data præsessio sanctæ sedis eorum* (ait Liberatus in Breviar., cap. 12). Extra ordinem igitur spectatores facti rerum quæ subinde agerentur, cupientes etiam avertere, si possent, deteriora ejus infausti congressus molimina, in vim apertam prorumpere universa conspiciunt. Leonis litteræ non admissæ : Eutychetis libellus receptus : et Dioscoro præeunte, auctor libelli restitutus : Flavianus cum aliis catholicis episcopis hæreseos insimulatus et in vincula conjectus : quem provocantem ad sedem apostolicam Dioscorus ex episcopo factus carnifex tot pugnis calcibusque contudit, ut post triduum in exsilio gravissime plagarum dolore conflictatus obierit : adeo ut non synodi nomen, sed latrocinii Ephesini apud posteros hæc infelicia gesta obtinuerint.

« Et hi quidem qui missi sunt (ait Leo Magnus de suis legatis in epistola 26 ad Pulcheriam) reclamaverunt in synodo sicut oportuit, unius hominis non tam judicio quam furori protestantes, ea quæ per vim metumque gererentur sacramentis Ecclesiæ, et ipsi symbolo ab apostolis instituto præjudicare non posse; nec se ab ea fide ulla injuria separandos, quam plenissime expositam atque digestam a sede B. Apostoli Petri ad S. synodum detulissent. Cujus cum recitatio

Digitized by Google

poscentibus episcopis non sit admissa, » etc.

Ex cap. 7 cui titulus est : Epistolæ ab occidentalis imperii principe et Augustis feminis scriptæ, in quibus recognoscitur Romanus pontifex supremus ac legitimus judex in causis fidei et episcoporum.

Cum Theodosius ab Eutychianis circumventus sibi arrogasset supra Ephesinam synodum auctoritatem ad eum non pertinentem, decidendi scilicet tanquam arbitrum de præsidentia ac decisionibus concilii, quod consequens erat, usurpavit etiam jus confirmandi ipsum concilium : edicto proposito, in quo hæc attentat expresse legenda actione 3 sac. concilii Chalcedonensis.

S. Leo provide occurrens tot malis ac scandalis pro sui officii auctoritate, præter ea quæ per se gessit, insinuari etiam curavit decepto ab Eutychianis principi saniora consilia per Valentinianum Augustum Theodosii generum, et per Gallam Placidiam ejusdem Theodosii matrem. Generi hujus ac matris litteræ in Chalcedonensis concilii collectione editæ parte I sunt documenta amplissima Romanæ sedis auctoritatis etiam a Cæsaribus et Augustis cognitæ.

« Nos a nostris majoribus traditam fidem (ait Valentinianus) debemus cum omni competente devotione defendere, et dignitatem propriæ venerationis B. Petro apostolo intemeratam et in nostris temporibus conservare : quatenus beatissimus Romanæ Ecclesiæ episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide ac sacerdotibus judicare, » etc. Insinuat concilii generalis indictionem intra Italiam, etc.

Galla Placidia ad eumdem scribens, rogat « ut secundum formam et definitionem apostolicæ sedis, quam et nos tanquam præcellentem similiter veneramur (ut scilicet veneratus fuit generis sui auctor Constantinus Magnus) in statu sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano ad concilium apostolicæ sedis judicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claves meruit accipere, principatum episcopatus ordinavit, » etc.

Eudoxia quoque Valentiniani uxor, et Theodosii filia similiter petit, « ut quidquid in illo tumultuoso, miserrimoque concilio constitutum est (Ephesino Dioscori) omni virtute removeatur, ut omnibus integris permanentibus, ad apostolicæ sedis, in qua primus apostolorum B. Petrus, qui etiam claves regni cœlestis suscipiens sacerdotii principatum tenuit, episcopatus causa mittatur. »

His Augustis testimoniis de suprema S. sedis auctoritate tam luculenter prolatis accensere liceat Theodoreti episcopi Cyri epistolam 119, qua ad S. Leonem provocat, cum in Ephesino conciliabulo fuisset depositus. « Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, ut iis, qui Antiochiæ contendebant, ab ipso afferret solutionem; multo magis nos, qui abjecti sumus et pusilli ad apostolicam vestram sedem currimus. Vobis namque per omnia primos esse convenit... Ego autem apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, et supplico, et obsecro vestram Sanctitatem, ut mihi appellanti justum vestrum et rectum judicium opem ferat, et jubeat ad vos accurrere, et ostendere meam doctrinam vestigia apostolica sequentem. » Et in epistola 116 : « Habet enim sanctissima illa sedes (Romana) omnem per orbem Ecclesiarum ducatum et principatum multis quidem de causis, » etc.

Hanc igitur auctoritatem exercuit Magnus Leo etiam in admissione Anatolii ad episcopatum Constantinopolitanum a Theodosio expetita. Legatos enim ea de re misit, ut certas conditiones afferri curarent de explorata Anatolii confessione catholicæ fidei publice habenda, damnando Nestorii hæresim, et Eutychetis, admittendo Cyrilli epistolam dogmaticam a S. sede approbatam, in qua Nicænæ fidei summa explicatur, et lectissima SS. Patrum testimonia pro eadem catholica fide asseruntur, nec A non dogmaticam suam traditioni antiquæ conformem.

Videtur Theodosius aliquam reparationem attulisse damnis a se ignoranter illatis Ecclesiæ, cum eunuchum Chrysaphium amandarit tandem in exsilium, et uxoris Eudoxiæ recessum in solitudinem non ægre tulerit. Erat fortasse proximus ad cætera per Leonem insinuata exsecutioni demandata, nisi morte præventus inopinata vivere desisset.

Ex cap 8, ubi de convocatione generalis concilii Chalcedonensis agitur Romanæ sedis auctoritate indicti ac celebrati, nec non de testimoniis pro eadem auctoritate prolatis.

Egregius princeps Marcianus Theodosii successor imperii primordia rite auspicatus a defensione religionis catholicæ a Theodosio negligentius procurata, ita scribit ad Leonem Magnum, ejus auctoritatem recognoscens indicendi ac celebrandi synodum œcumenicam : « Pro firmitate et statu nostri imperii æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur, ut B et tale propositum atque desiderium habeamus : quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam synodum, *te auctore*, maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicæ fiat ab omni scelere pura, et intemerata consistens, » etc.

Nec secius loquitur Pulcheria Augusta Marciani uxor in epistola cum superiori edita prima parte concilii Chalcedonensis : « et propterea tua reverentia quocunque modo prospexerit significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis episcopi, Thraciæ, atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino piissimo imperatori meo conjugi placuit) in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire : et illic sancto concilio, et de catholica confessione, et de his episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides, et christiana pietas exigit, *te auctore* decernant. »

Hanc igitur auctoritatem exercens Leo Magnus indicto apud Chalcedonem concilio adesse legatos C suos jubet, et ad concilii Patres perscribit, « ut rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat : nec liceat defendi quod non licet credi : cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis D. N. J. Christi pia et sincera confessio... Prioris autem Ephesinæ synodi cui beatæ memoriæ Cyrillus tunc præsedit, in Nestorium specialiter statuta permaneant : ne tunc damnata impietas ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches justa damnatione percellitur. Puritas enim fidei, atque doctrinæ, quam eodem quo sancti Patres nostri spiritu prædicamus, et Nestorianam, et Eutychianam cum suis auctoribus condemnat pariter, et persequitur pravitatem. »

Chalcedone igitur celebratum fuit concilium, cui D præsederunt de more legati pontificii, ut actione prima et sequentibus diserte legitur, qui semper primo loco nominantur, et qui testantur actione tertia de Leone, « qui nostram parvitatem huic sancto concilio pro se præsidere præcepit, etc., et actione prima expresse declarant beatissimi atque apostolici viri papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum præcepta se habere præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum episcopus non sedeat in concilio, sed audiendus introducatur. Hoc nos observare necesse est... judicii sui necesse est eum dare rationem : quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, et synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est, » etc.

Jussa Romani pontificis illico paratam invenient exsecutionem. Episcopus Alexandrinus e subsellio judicum descendens quod ante obtinebat, in medium

Digitized by Google

prodit, utpote accusatus. Eusebius Doroleensis ejus accusator instat, ut cogatur in concilio respondere de his, « quæ a nobis, inquit, et ingeruntur, relictis in sancto hoc concilio monimentis ab eo contra nos gestis, quæ per possumus ostendere, eum et alienum esse a catholica fide, et impietate repletam hæresim roborasse, et injuste nos deposuisse, » etc. Theodoretus Cyri, a Dioscoro pridem depositus in conciliabulo, ne quidquam reclamantibus factionis Dioscori episcopis, ingredi jubetur, *ut sit particeps synodi, quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo*, etc. Examinantur acta conciliabuli Ephesini. Respondere jubetur Dioscorus, cur epistola Leonis papæ ad Flavianum, quam legi exposcebant episcopi, lecta non fuerit, licet jurejurando non semel promisisset, eam lectum iri. Ex ejusdem responsis, aliorumque in illa convocatione præsentium cognoscitur, suppressam fuisse studiose. Convincitur Dioscorus de actorum interpolatione, et de vi aperta adversus episcopos adhibita. Declaratur injuste damnatum ab hæreticis fuisse Flavianum sanctæ memoriæ episcopum, cujus fides concordat cum apostolica sede, et Patrum traditione : quare concluditur, necessario in eos retorqueri oportere sententiam : et in fine actionis proposita depositionis sententia contra Dioscorum ejusque asseclas, testimonium redditur laudis epistolæ papæ Leonis, utpote quæ adversus Eutychis infidelem et contrariam catholicæ religioni emergentem dubitationem perscripta fuerit.

Secundæ actionis exordium ducitur a fidei catholicæ professione juxta receptam formulam in generalibus conciliis, et a declaratione Patrum cum Cecropio episcopo Sebastopolis testantium : « Emerserunt quæ ad Eutychetem pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romanæ urbis; et sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamaverunt : Ista omnes dicimus : sufficiunt quæ exposita sunt : alteram expositionem non licet fieri... Fides bene disceptata est a 318 sanctis Patribus, et firmata a sanctis Patribus Athanasio, etc., et nunc iterum per sanctissimum Leonem; et precamur, ut ea... recitentur. » Lecto deinde symbolo Nicæno et Constantinopolitano, necnon epistola Cyrilli ad Nestorium et ad Joannem Antiochenum, episcopi clamaverunt : « Omnes sic credimus. Papa Leo sic credit. Anathema ei qui confundit et ei qui dividit... Hæc Patrum fides, hæc apostolorum fides. Petrus per Leonem ita locutus est : apostoli ita docuerunt... Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occultavit. . Nos ita credimus. Omnes ita credimus. Nostrum nullus dubitat. Nos jam subscripsimus. »

In tertia actione Paschasinus tanquam legatus papæ concilio de more præsidens, et pertractanda proponens ait : « Nostram parvitatem huic sancto concilio pro se (catholicus papa Leo) præsidere præcepit. Ideoque necessarium est hæc quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus a religiosissimo fratre nostro et coepiscopo Eusebio susceptus.... recitetur. »

Prævia triplici monitione canonica, Dioscorus varias excusationes obtendens ad conspectum synodi se sistendi depositionis sententia percellitur, quam legati pontificii proferre contra reum convictum ita rogantur ab universis concilii Patribus : « Petimus igitur vestram sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi papæ Leonis promulgare in cum et regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnes enim, et tota universalis synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ. »

Denique prolatæ per legatos sententiæ synodus assentitur, et subscribit, et in relatione ad Pulcheriam hac formula utitur : « Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem : quia sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore. »

Ex cap. 9. In quarta actione aulicis commissariis petentibus, quid constitutum a synodo fuisset de fide catholica respondentes. « Vicarii sedis apostolicæ per virum reverendissimum Paschasinum dixerunt : Sancta synodus fidei regulam quæ apud Nicæam a Patribus est constituta sequitur, et tenet. Sed etiam, etc. Tertio vero beatissimi atque apostolici viri universalis Ecclesiæ papæ Leonis, hæresim Nestorii et Eutychetis damnantis directa scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt. Similiter vero et sancta synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur : nihil amplius nec addere potest, nec minuere... Episcopi clamaverunt : Omnes sic credimus, sic baptizati sumus; sic baptizamus; sic credidimus; sic credimus. »

Quin etiam vocis testimonio ad liderunt subsignationis monimentum *epistola sanctissimi Leonis consonat* (Nicænæ fidei 318 Patrum, etc.) *et subscripsi ei.*

Tricas nonnullorum ex nuperis scriptoribus nexas super hac subscriptione ferme pudet referre : qui contendunt examini subjectam fuisse Leonis epistolam, et de illius conformitate per viam examinis pronuntiatum a Patribus. Hoc autem dicere nemo potest, nisi abutatur verbis concilii. Per ea, quæ sunt a nobis hactenus prolata, sole clarius patet, a Patribus Chalcedonensibus nunquam propositum fuisse ad deliberandum, num recipienda esset dogmatica Leonis epistola, et a se subscribenda; sed initium fecisse Patres ab ejusdem acceptatione : et unum ex præcipuis capitibus unde Nestorius condemnabatur, hoc ipsum fuisse, « quod neque epistolam legi permisit beatissimi papæ Leonis : qua non lecta, scandalum et læsionem sanctæ Dei Ecclesiæ per totum orbem terræ pertulerunt. » (*Act.* 5.)

In secunda quidem actione, ubi lecta fuit epistola, et a concilio suscepta, non prævio examine judiciali, sed acclamationis, et laudis testimonio reddito, episcopis Illyrici, ac Palæstinæ dubia quædam suborta sunt circa nonnulla in eadem epistola enuntiata. Verum his dubitationibus nihil pensi habitis (præterquam quod unus ex episcopis, et unus ex diaconis similia quædam allegarunt ex epistola Cyrilli ad Nestorium), concilium denuo acclamavit : *Nemo dubitat*, etc., ostendens, de suprema hujus epistolæ auctoritate nemini dubium inhærere. Quin etiam commissariis principis suggerentibus « peculiarem congressum fieri posse apud Anatolium Constantinopolitanum episcopum, in quo communiter de fide tractetur, ut qui dubitant doceantur; tertia vice omnes reverendissimi episcopi clamaverunt : Nos ita credimus : omnes ita credimus : sicut Leo ita credimus : nostrum nullus dubitat : nos jam subscripsimus. » Denique et ipsi episcopi Illyriciani, ac Palæstini in quarta sessione scripto contestati sunt, difficultates sibi subortas non aliunde provenisse, quam ex linguæ ipsis ignotæ obscuritate : « qui locum continent apostolicæ sedis, qui nobis dilucidaverunt quæ linguæ obscuritas secernere subnotabat. . .huic epistolæ consensimus, et subscripsimus. . . Aliqua ex ipsa obstiterunt verba... Audivimus a sanctissimis Patribus, etc., quia nullam dicunt partitionem... propter quod consensimus, et tomo subscripsimus. »

Concedo etiam tredecim Ægyptios episcopos recusasse subscribere, obtendentes causam, quod Alexandrina sede vacante, cui erant subjecti, non possent post archiepiscopum suum de more signare : « Reverendissimi episcopi Ægyptii dixerunt. . . Consentimus his, quæ decrevit potestas vestra. Non contradicimus : sed eligite archiepiscopum : Hunc exspectamus, usque dum ordinetur. »

His tamen supplicationibus, et oblationibus non satis deferendum rati concilii Patres, proni *jam* erant ad judicium de suspicione hæresis iis intentandum, nisi legati sedis apostolicæ intercessissent, interloquente Paschasino : « Si præceperit gloria vestra, et jubetis illis aliquid præsteri humanitatis;

Digitized by Google

fidejussoribus datis, non exeant de ipsa civitate, quandiu Alexandria episcopum accipiat. Judices, et senatus dixerunt : Sanctissimi Paschasini sit firmum judicium. »

Hoc igitur honore suscepta fuit a synodo Chalcedonensi epistola dogmatica Magni Leonis, quidquid susurret Neotericus, (Nat. Alex. sect. I, diss. 13) imaginatus susceptam a concilio, et approbatam prævio juridico examine judiciali, *cum prius eam ad fidei regulas expendisset.* Contendit, se reatum incursurum blasphemiæ in Spiritum sanctum, si aliam acceptationis methodum synodo universali attribueret. *Cæcum illud agendi modum si concilio œcumenico tribuissem; reus blasphemiæ in Spiritum sanctum mihi viderer* (ibi). Alter recentior de eodem negotio pertractans attribuit episcopo Lycaoniæ suffragium, nunquam ab eo prolatum, nempe : Si *quispiam in ea positione fidei per Leonis epistolam declaratam aliquid improbandum repererit, se id non curare;* sibi enim id ratum, ut non contradicat expositioni a Patribus Nicænis traditæ. Verum si attendantur verba Neoptolemi illius episcopi Lycaoniæ, longe diversam a scriptore nupero sententiam indicant : « Jam inde, inquit, ab initio nostra patria ab omni hæretica labe pura ejusmodi quæstionum, et contentionum expers fuit, nosque simplicius credidimus, Patrum fidem sequentes expositam in Urbe Nicæna, quam postea interpretatus est beatæ memoriæ Cyrillus, ac denuo declaravit sanctissimus ac religiosissimus Romanæ urbis archiepiscopus Leo : nosque rursum his expositionibus non adversamur. Quod si quis habere se putat occasionem aliquam contradicendi adversus expositionem beatissimi episcopi Leonis ; ipse simul quærat, atque contendat, nobis nulla in re contradicentibus, aut repugnantibus expositioni trecentorum decem et octo, et eorum qui postea fuerunt centum quinquaginta SS. Patrum Fidei. » Hoc dicere valde differt ab insinuatione, quam Neotericus ille obtrudit contra auctoritatem Romani pontificis, cum per illa verba episcopi Neoptolemi declarationem expressam indicantia pro epistola Leonis æque ac pro epistola Cyrilli, et pro symbolo Nicæno, novus hic interpres significari docet impunem fore dissensum ab epistola Leonis.

Idem scriptor recentior nimis confidenter pertrahit ad suum systema pontificiæ auctoritati oppositum verba Leonis in Domino gloriantis, « qui nullum nos (inquit) in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit : sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu. » Ex hisce verbis opinator colligit, solius synodi œcumenicæ irreformabile judicium dici oportere, et ad examen non revocandum ; reliqua vero, etiamsi Romani pontificis sint, esse obnoxia reformationi.

Nos e contra observamus, a Leone non dici *judicium* acceptationem illam concilii, sed *assensum : universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu.* Assensus iste quando dicitur *irretractabilis*, idcirco dicitur, quia semel præstitus revocari nequaquam potest, neque ab eo recedi liberum est. Non videtur ullo modo significare, decisionem œcumenicæ synodi adversari posse alteri prolatæ a Romana sede, aut Chalcedonensis definitiones de fide suæ dogmaticæ epistolæ. Profecto ita lapsus memoria non fuerat, ut obliviscetur toties a se perscripta de S. sedis decisionibus antequam concilium convocaretur. Vide quæ superiori capite recitavimus. Si repetere hic liceat, ea tantum indicentur, quæ ad ipsos Patres scribit in concilii limine constitutos : « Unde, fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat : nec liceat defendi quod non licet credi. »

Sed ne excedamus ab epistola ad Theodoretum. Nonne Leo in ea declarat, epistolam suam ad Flavianum esse Dei ipsius definitionem, utentis ministerio papæ? « Quæ nostro prius ministerio Dominus definivit. . . ut vere a se prodiisse ostenderet quod prius a prima omnium sede formatum totius Christi orbis judicium recepisset : ut in hoc quoque capiti membra concordent. »

Quod autem plene confirmat, decisionem Leonis ad juridicum examen revocatam non fuisse a concilio ; sed concilium credidisse suarum esse partium debitum acceptandi epistolam dogmaticam, et conformandi pontificio judicato proprium judicium, est id quod contigit actione quinta. Proposita ibi fuit definitio fidei, cui omnes applaudendo acclamarunt, præter nonnullos Orientales, et legatos Romanæ sedis. Hi contendebant, deesse aliquid propositæ definitioni, cum non exprimeret universa quæ Leonis epistola continebat circa duas in Christo naturas post unionem hypostaticam inconfuse confitendas. Persistentibus episcopis in affirmando, nihil in ea definitione desiderari, sed esse conformem epistolæ Leonis : « Epistolam sanctissimi Leonis suscepimus, et subscripsimus . . . Archiepiscopus Leo, ut credimus, sic credit. Definitio subscribatur. Definitio habet omnia. Definitio fidem habet. Leo eadem dixit, quæ Cyrillus ; Cœlestinus, quæ Cyrillus dixit, firmavit. Xystus firmavit, quæ Cyrillus dixit » Responderunt legati : « Si non consentiunt epistolæ apostolici et beatissimi viri papæ Leonis, jubete nobis rescripta dari, ut revertamur (in Occidentem) et ibi synodus celebretur. » Huic etiam legatorum protestationi patrocinium accommodante Marciano Augusto, ejusdem commissarii ab episcopis quæsiverunt : « Dioscorus dicebat, quod ex duabus naturis est suscipio, duas non suscipio. Sanctissimus autem archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo unitas, inconfuse, inconvertibiliter, et indivisibiliter in uno unigenito Filio Salvatore nostro. Quem igitur sequimini, sanctum Leonem, aut Dioscorum? Reverendissimi episcopi clamaverunt : Ut Leo, sic credimus. Qui contradicunt, Eutychianistæ sunt. Leo recte exposuit. Magnificentissimi, et gloriosissimi judices dixerunt : Ergo addite definitioni, duas esse naturas unitas in Christo, inconvertibiliter, et inconfuse. » Hoc ipsum igitur Leonis assertum cum definitioni inseruissent « quod una cum fide Nicæna, Constantinopolitana, et epistolis Cyrilli ad Nestorium et Orientales, esse congruentem magni illius Petri confessioni, asserunt, et communem quamdam columnam adversus perverse sentientes, » ad confirmationem rectorum dogmatum, eidem definitioni ita conformatæ tum legati apostolici, tum Patres universi subscripserunt. Nempe hoc honore ab antiquioribus sæculis habitæ sunt decisiones Romanæ sedis, ut comparatæ sint definitionibus universalium synodorum, et ipsis oraculis divinarum Scripturarum proxime accensitæ.

In postrema actione concilii (quæ fuit sexta decima) legati sedis apostolicæ retulerunt, pridie ejus diei post suum e concilio discessum cum commissariis Cæsareis, quædam pertractata fuisse adversus sacros canones, et disciplinam Ecclesiæ. Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ respondit, legatos ante discessum rogatos fuisse a clericis illius Ecclesiæ, ut dignarentur una cum Patribus cognoscere nonnulla a se proponenda. Legatis vero reponentibus, se nihil habere in mandatis ab apostolica sede traditis super his, quæ cupiebant clerici præfati proponere, et idcirco exeuntibus e concilio ; rogatos fuisse commissarios principis, ut audirentur, eorumque preces remissas ad Patres concilii ; hos vero ad cognitionem precum procedentes quædam statuisse quæ idem archidiaconus ex scripto recitavit, super Ecclesiæ Constantinopolitanæ juribus Romæ veteris dignitati ferme exæquandis, præcipue in ordinatione eisdem attribuenda metropolitarum trium exarchatuum Ponti, Asiæ, ac Thraciæ. Contra hoc pronuntiatum, tanquam sexto canoni synodi Nicænæ contrarium, et juribus Ecclesiæ Romanæ, legati valide

Digitized by Google

se opponentes, illud circumscribendum esse protestantur. « Sin alias contradictio nostra (inquiunt) his gestis inhæreat, ut noverimus, quid apostolico viro universalis Ecclesiæ papæ referre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis injuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam. » Absoluta celebratione sessionum, concilii Patres alloquentes Marcianum Augustum, tum scribentes ad Leonem papam in hujus laudes effusi : « nobis, inquiunt, impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, et Romanæ Ecclesiæ papam ad victoriam præparavit, dotrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodum fervens affectu Petrus, et hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum, intelligentiamque perducat. » Concil. Chalced. part. III, num. 1, et ad ipsum Leonem : « Te tanquam tanti boni duce et auctore ad communem utilitatem Ecclesiæ filiis hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus... Quibus (quingentis viginti nobis) tu quidem sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem. » Post laudatum pontificem, ejusque legatos, ad canonem deveniunt pro Constantinopolitana Ecclesia conditum, cujus condendi causas exponunt : *scientes, quia et vestra sanctitas addiscens, et probatura, et confirmatura est eadem.* Rursumque enumtiant probabiles causas, quibus permotum iri Leonis animum sperant ad confirmationem suam gestis ac decretis omnibus concedendam, licet adversati sint legati in re postremo proposita. Ejusdem sententiæ litteras tum Marcianus Augustus, tum Pulcheria, tum Anatolius Constantinopolitanus, tum Julianus Coensis ad Leonem mittunt.

Ex cap. 11. Confirmat Leo concilii Chalcedonensis omnia circa fidem ibidem constituta, gaudens, « humilitatis nostræ scriptis (inquit) auctoritate Domini mei beatissimi Petri Apostoli, et merito roboratis religiosa unanimitate consentiens sancta synodus ab Ecclesia Dei amputaverit diabolicorum sensuum diabolica commenta. » Rescribit igitur : « Fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum inesse sententiam in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum est) propter quam generale concilium, et ex præcepto Christianorum principum, et ex consensu apostolicæ sedis placuit congregari, » etc.

Confirmat igitur Leo papa decreta de fide, non simplici consensu, et adhæsione ad definitionem tanquam ex se ratam absque suo placito; sed auctoritate firmandi quæ residet apud apostolicam sedem, ut exprimit phrasis adhibita per Leonem in epistola 77 ad Anatolium : *Ita ut Chalcedonensis symboli definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit, et quam apostolicæ sedis firmavit auctoritas, profiteatur Atticus se per omnia servaturum.*

Quod autem attinet ad canonem 28 de patriarchali jurisdictione Constantinopolitanæ Ecclesiæ attributa supra exarchatus Ponti, Asiæ, ac Thraciæ, et loco proximo post sedem Romanam, ita denegavit consensum beatus Leo, ut infractionem canonum Nicænorum diserte nominet in epistola ad Anatolium, et doleat, ac miretur, « inauditis, et nunquam antea tentatis excessibus sanctam synodum ad exstinguendam solam hæresim, et confirmationem catholicæ fidei congregatam trahi (ab Anatolio) in occasionem ambitus, tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, et illa Nicænorum canonum per Spiritum sanctum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis. » In litteris quoque ad imperatorem datis resistit valide huic perversioni : « satis sit (Anatolio) quod prædicto vestræ pietatis auxilio, et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem : nec ullo speret modo quod per aliorum possit offensiones augeri. » Et in epistola ad Pulcheriam omnino irritat, et infringit consensiones episcoporum, eidem decreto adversus Nicænos canones accommodatos : *in irritum mittimus : et per auctoritatem B. Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus.* In encyclica vero ad episcopos pro Constantinopolitani petitione supplicantes respondet : « Nullus apud me patrociniis ita poterit adjuvari, ut his quæ postulat calcata Patrum constitutione consentiam, » et serio singulos monet, « ne in cujusquam gratiam a me velis postulare quæ sine reatu utriusque nostrum nec mihi concedere, nec tibi licat obtinere. » His congruentia sunt quæ rescribit ad Maximum Antiochenum, et ad Theodoretum Cyri, plena constantiæ apostolicæ in tuendis regulis Patrum, et exemplis suorum decessorum. Denique et in data ad Proterium Alexandrinum epistola (qui Dioscoro suffectus fuerat deposito apud Chalcedonem) perinde ac scribens ad Maximum Antiochenum, spondet se non passurum, ut dignitati suarum sedium præjudicia inferantur.

Jure autem scribit, per quorumdam subreptionem decretum illud emanasse, cum jura Alexandrinæ Ecclesiæ tunc vacantis nemo tueretur, Antiochenæ etiam tacentis, ne offensam Anatolii incurreret; ita ut plane deserta esset causa præcipuarum Ecclesiarum, nisi legati apostolici restitissent.

Anatolius Leonis adversationem non modo non ægre tulit, sed de illa gavisus est, cum inde occasionem quæreret disseminandi gesta synodi Chalcedonensis fuisse a Leone improbata. Huic tamen serpenti calumniæ Leo provide occurrit, datis epistolis ad synodi Patres, ad Augustum Marcianum aliosque, in quibus ea quæ de fide recte constituta confirmaverat, dilucide separat ab his quæ de mutatione disciplinæ inhibuerat, tanquam attentata contra Nicænos canones.

(*Ex cap.* XII.) Vigilantia Leonis Magni proponitur in sua dogmatica epistola, et concilii Chalcedonensis definitionibus a se confirmatis per omnes Ecclesias publicandis et stabiliendis. Elucet autem illa ex epistola, ad Ravennium Arelatensem data, una cum exemplo suæ dogmaticæ ad Flavianum, ut apud omnes Galliarum episcopos eamdem perferri curaret. Quam studiose et venerabiliter ab omnibus suscepta fuerit, docent litteræ trium episcoporum ad Leonem datæ, in quibus paterna ejusdem providentia et apostolica doctrina dignis laudibus non solum commendatur, verum etiam humiliter rogatur ut exempla quæ ejusdem epistolæ ab amanuensibus transcribi curaverant, dignetur inspicere et si quid librarii errore defuerit, emendare; vel si addiderit postea quidpiam, inseri jubeat, ut præsentibus ac futuris temporibus integrum custodiatur tanti pastoris doctrinæ ac vigilantiæ monumentum, præsidium futurum etiam locis uli nondum error irrepserat, *ne inopinantibus improvisus hostis adveniat, ne vulneri locum præbeat incauta securitas.*

Synodus vero episcoporum in Gallia paulo post habita, de eadem dogmatica ad se transmissa gratias uberrimas referens dicit eam epistolam ita avide receptam, ut memoriter a pluribus recitetur, non secus ac symbolum fidei. « Quæ apostolatus vestri scripta, ita ut symbolum fidei quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis ascripsit, et tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. » Subscribitur ista synodica ab episcopis 43, quibus præponitur Rusticus Narbonensis.

Dum his respondet Leo, percipit esse in concilio Chalcedonensi ea qua diximus acclamatione receptam. Quare, ut ad Hispanos etiam episcopos perferatur a Galliarum præsulibus curari mandat. Pari gratulatione in Illyricum percepta est, ut testatur synodica ejus provinciæ ad Leonem data. Non destitit Leo ad Maximum Antiochenum et ad Theodoretum

Digitized by Google

Cyri perscribere, ut illius dogmaticæ notitiæ ad omnes perveniat. Ibi enim remedii necessitas major urgebat. Monachi enim Palæstini, ut plurimum Eutychiani, tales civerant turbas, ut expulso Juvenali Hierosolymorum episcopo, in ejus sedem intrusissent Theodorum gregis sui, cui favor Eudoxiæ Augustæ non decerat, vidiæ Theodosii ejus nominis tertii. Hoc autem subnixi nulli parebant excessui contra catholicos exercendo, ut Romano pontifici et Chalcedonensi concilio abrenuntiarent. Leniori ius remediis curati, primum tentata est, tum a Leone, tum a Marciano perscriptis litteris. Verum obdurata seditiosorum pervicacia adegit imperatorem ad militarem manum sibi tendam, qua coercebantur rebelles monachi Eutychiani in monasteriis reclusi, quibusdam etiam illorum morte multatis. Ad Juvenalem vero sæpe scripsit tutum gratulatoriis litteras dedit Leo, seria tamen admonitione increpans ut diligentius curaret gregem si i commissum, ne pestilenti hujusmodi afflatu inposterum corriperetur.

Ecclesiæ patriarchatus Ægypti non minus exercebant curam Leonis quam Orientales. Cavendum enim esse considerabat tum a monachis, tum a Proterio in locum Dioscori suffecto, cujus fuerat auditor. Verum a Proterio nihil timendum esse cognovit post ejus professionem fidei vere catholicam ad se transmissam; de qua gratulatus Leo regulas addit Eutychianos ab erroribus revocandi. Factionarii Eutychetis abusi fuerant dogmatica Leonis epistola, corruptis pluribus ejusdem locis, et Nestorianorum erroribus eidem insertis, tum etiam in invidiam revocato Chalcedonensi concilio, ob injuriam Alexandrinæ sedi illatam, cum Patres præposuissent Constantinopolitanam.

Priori calumniæ occurrit Leo datis ad Marcianum litteris, in quibus rogabat ut Græce reddi fideliter curaret per idoneos viros dogmaticam suam epistolam ad Flavianum, et in Alexandrina diœcesi evulgari, ut conferri posset cum doctrina illius sedis episcoporum Athanasii, Theophili et Cyrilli. Secundo autem obtentui obviam ivit, scribens ad Proterium quam valde sedis apostolicæ legati reclamaverunt ac protestati sint contra decretum Chalcedonense, episcopo Constantinopolitano ea tribuens quæ Nicæni canones et Ecclesiæ disciplina vetabant. Se perstiturum firmiter in asserendis Ecclesiæ Alexandrinæ debitis juribus ac privilegiis, paternæ antiquitatis exemplo.

Dum hæc feliciter promoventur, Marciani Augusti mors insecuta cursum abrupit ejus progressus, qui sperabatur. Timotheus Elurus, sancto Proterio occiso, in ejus locum intrusus, in tantam insolentiam erupit, ut anathema in Leonem intorquere et in Chalcedonensis concilii susceptores non exhorruerit. S. Leo, certior factus tot scelerum, non destitit excitare Leonem Augustum, Marciani successorem, ut patrocinium accommodaret catholicæ Ecclesiæ. Non destitit Elurus versutiam et omnes fallendi artes adhibere ut incautum principem inflecteret ad novum concilium indicendum. S. Leo, ea de re a principe requisitus, respondet : « Cum ergo universalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, et primus apostolorum beatissimus Petrus voce Domini audierit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; quis est nisi aut Antichristus, aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem veritatem?... Quodam contagio splendorem vestræ serenitatis obfuscare desiderant, cum sacrilegi parricidæ id audeant petere, quod nec innocentes liceat obtinere. » Ita egit suis epistolis Leo, ut in locum Eluri alter episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ datus sit, nempe Timotheus cognomento Solofaciolus; quem ad se perscribentem monet Leo ut Nestoriani atque Eutychiani erroris reliquias omnes eliminet e suo episcopatu. Monendum quoque duxit Anatolium Constantinopolitanum, ut errores eosdem curaret studiosius evelli e regia urbe; quod a Gennadio successore pariter requisivit, dum a palliata Eluri conversione ita cavendum esse perscripsit, ut a quocunque privato vel publico colloquio nefarium hominem submoveri præmoneat.

(*Ex. c. p.* 13.) Est igitur pontificatus Magni Leonis epocha memorabilis præ cæteris quæ in ecclesiastica historia occurrunt, in qua visibilis Dei protectio sedi apostolicæ impensa fuit, difficillimis præsertim temporibus, quibus barbarorum eluvies et hæresum frequentia humana omnia ac divina miscebant et confundere nitebantur. Qua enim felicitate Leo contra hæreses decertavit, eadem majestate repressit Attilæ et Genserici irruptiones.

A SCHELESTRATE

Num 67, *lin* 11. — *Hic constituit ut monacha*, etc. Hic omissa est periodus, quam agnoscit uterque ms. Cod. Florent, *Hic constituit ut intra actionem sacrificii diceretur : Sanctum sacrificium immaculatam hostiam.* Quæ verba, ut adnotatur in Velseri editione Moguntina, etiam habebantur in duobus codicibus mss. Germanicis.

ALTASERRA.

Num 67, *lin* 11. — *Hic constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit virginitate sexaginta annorum.* Leonis decretum est, ne monacha, id est virgo, veletur ante annum ætatis sexagesimum. Ex conc Agath can 19, et syn VI. in Trull can 40, modus impositus est ne velentur ante annum 40; syn Carth III, can 4, ante annum 25; can *Sanctimonialis* et seq 20, qu. 1.

Lin 13. *Hic constituit super sepulcra apostolorum custodes, qui dicuntur cubicularii, ex clero Romano.* Decreto Leonis impositi sunt custodes sepulcris apostolorum, lecti ex ordine clericorum, qui dicti sunt cubicularii. Cubicularii sunt servi qui sunt in ministerio cubiculi. Tranquill in Julio, cap 4 : *Cum uno medico et cubiculariis duobus.* Inde cubicularii dicti sunt custodes corporum apostolorum, quasi essent cubicularii apostolorum, vel quia assumebantur e cubiculo seu camera pontificis. Eadem analogia cubicularios ecclesiæ sancti Martini pro ædituis accepit Otto Frisingens Chronic lib IV, cap 32, et Sigebert. ad ann 509. Eosdem matricularios vocitat abbas Uspergens Vandalbert diacon in Vita S. Goaris, apud Surium 6 Julii : *Custodes vel matricularii ecclesiæ.* Capellæ vel oratoria adjecta ecclesiis dicuntur cubicula: Anastas in Sergio : « Hic tectum *et cubicula*, quæ circumquaque ejusdem basilicæ sunt, studiosius ornavit. »

XLVIII. SANCTUS HILARUS.

ANNO CHRISTI 461, LEONIS 5, SEVERI 1.

68 *Hilarus, natione Sardus, ex patre* Crispino, sedit annis sex, mensibus 3, diebus 10[a]. *Hic fecit decretalem, et per universum Orientem* sparsit Epistolas de

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B* mens 10, minus d. 2, a Coss Severini et Daglaiphi ad Pusæum et Joannem Coss.

Digitized by Google

fide catholica et apostolica, confirmans tres synodos Nicænam, Ephesinam, et Chalcedonensem, vel [a] tomum S. archiepiscopi Leonis, et damnavit Eutychetem, et Nestorium, et Dioscorum, vel omnes sequaces eorum, et omnes hæreses, et confirmans auctoritatem [b] et principatum sanctæ sedis apostolicæ. Hic fecit constitutum de Ecclesia in basilica ad sanctam Dei genitricem Virginem Mariam consulatu Basilisci et Hermenerichi, XVI Kalendas Decembris.

69 Hic fecit oratoria tria in baptisterio basilicæ Constantinianæ, S. Joannis Baptistæ, et S. Joannis evangelistæ, et S. Crucis, omnia ex argento et lapidibus pretiosis. Confessionem sancti Joannis Baptistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras centum, et crucem auream. Et confessionem S. Joannis evangelistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras 100, et crucem auream : et in ambobus oratoriis januas æreas, et argento clusas. In oratorio S. Crucis fecit confessionem, ubi lignum Dominicum posuit, cum cruce aurea, cum gemmis, quæ pensabat pondus librarum 20. Fecit ex argento purissimo in confessione januas pensantes pondus librarum 50 ; supra confessionem aureum arcum qui pensabat libras 4, quem portant columnæ onychinæ, ubi stat agnus aureus, pensans libras duas; coronam auream ante confessionem. Pharos cum delphinis, quæ pensant libras quinque; lampadas aureas numero quatuor, pensantes libras duas; nymphæum, et triporticum ante oratorium S. Crucis, ubi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur hecaton, penta ; lacus, et conchas triantas [c] 2 cum columnis porphyreticis ragiatis [d], foratis [e] aquam fundentes, et in medio lacum porphyreticum cum concha assirta [f] in medio aquam fundentem, circumdatam a dextris, vel sinistris ; in medio cancellis æreis, et columnis cum fastigiis, et epistyliis undique ornatum ex musivo, et columnis Aquitanicis, et tripolitis, et porphyreticis? Ante confessionem beati Joannis coronam argenteam, pensantem libras viginti ; pharumcantharum [g], pensantem libras viginti quinque.

70 Item ad sanctum Joannem intra sanctum fontem lucernam auream cum nixis [h] luminum decem, pensantem libras quinque ; cervos argenteos tres fundentes aquam, pensantes sing. libr. triginta ; turrem argenteam cum delphinis, pensan. libras sexaginta ; columbam auream, pensan. libras 21. In basilicam Constantinianam pharacanthara argentea, quæ pendent ante altare decem, pensan. singula libras viginti ; scyphum aureum, pensan. libras sex ; calices aureos, pensan. singuli libr. 1 ; scyphos argenteos duos [i] pensan. singuli libras decem ; alium scyphum aureum, pensan. libr. quinque ; calices ministeriales argenteos viginti, pensan. singuli lib. 2; amas argenteas quinque, pensantes libras decem. Ad beatum Petrum apostolum, scyphum aureum, pensan. libras quindecim, alium scyphum aureum cum gemmis prasinis et hiacynthinis, pensantem libr. quatuor ; calices argenteos ministeriales decem, pensan. sing. lib. 2; amas argenteas duas, pensan. sing. libras octo ; pharacanthara argentea viginti quatuor, pensan. singula libras quinque ; ad beatum Paulum apostolum scyphum aureum, pensan. sing. libras quinque ; scyphos argenteos quatuor, pensan. sing. libras sex ; calices ministeriales argenteos decem, pensantes sing. libras septem ; amas argenteas duas, pensantes sing. libras decem. Ad beatum Laurentium martyrem scyphum aureum cum gemmis prasinis, et hiacynthinis, pensan. libras quatuor ; lucernam auream nixorum decem, pensan. libras quinque; scyphum aureum purissimum, pensan. libr. quinque ; lampadas aureas duas, pensan. sing. libr. 1 ; [j] pharamcantharam auream, pensan. lib. 2; turrem argen-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, etc. [b] *C*, dominationem. [c] castriatas. *C*, citharíacas. [d] *C* soraitis. [e] *C* perforatis. [f] raita. [g] id est, argenteum. [h] lychnis, *B*, mixis. [i] quinque. [j] pharum cantharum aureum.

Digitized by Google

team cum delphinis, pensan. libras viginti quinque ; scyphos argenteos tres, pensantes sing. libras triginta quatuor ; calices argenteos ministeriales duodecim, pens. sing. lib. 2; altare argenteum, pensan. libr. quadraginta ; lampadas argenteas decem, pensan. libr. 2; amas argenteas duas, pensantes libras decem ; in basilica beati Laurentii martyris pharacanthara argentea decem, pensantia singula libras decem, canthara ærea 26 ; Ministeria ad baptismum argentea, libras decem ; phara ærea, libras quinquaginta.

71 *In urbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas stationes. Scyphum aureum ansatum, pensantem libras octo ; scyphos argenteos per titulos viginti quinque, pensan. sing. lib. decem ; amas argenteas viginti quinque, pensantes singulæ libras decem ; calices argenteos ministeriales quinquaginta, pensantes sing. libr. duas. Hæc omnia in basilica Constantiniana, vel ad sanctam Mariam constituta recondidit. Hic fecit monasteria ad sanctum Laurentium, et Balneum, et Prætorium* [a] *sancti Stephani. Fecit autem oratorium sancti Stephani in baptisterio Lateranensi. Fecit autem et bibliothecas duas in eodem loco. Item monasterium intra Urbem ad* [b] *Lunam.* Hic fecit ordinationem *in Urbe* per mense Decembris, *presbyteros viginti quinque, diaconos sex,* episcopos per *diversa* loca viginti *duos. Qui etiam* sepultus est ad sanctum Laurentium in crypta juxta corpus *beati episcopi* Sixti ; et cessavit episcopatus *per* dies decem.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, S. Laurentio. [b] *C*. unam.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 68, *lin* 1 *B*, Hilarius, *ibidem A*, annis 7. *lin* 4, *B*, et tomum. *lin* 6, B, et confirmans dominationem sanctæ sedis catholicæ et apostolicæ.

Num 69, *lin* 7, *B*, agnum Dominicum. *lin* 14, *AB*, quæ dicuntur hecaton, pentalaicas et concastriatas.

Num 70, *lin* 9, *AB*, argenteos 5. *lin* 16 *et* 17, *AB*, lib 5 lin 18, *A*, alium scyphum aureum, pens lib 5, aureum cum gemmis. *lin* 25, *AB*, duas. *B*, altare argenteum, pens lib 40, lampadas argent 10 pens lib 20, amas. *lin* 26 *et* 27, *B*, lib. 40. *lin* 27, *A*, 24.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 68, *lin* 1, Hilarius, n. S. ex patre Crispino, sed ann 7, menses 3, dies 10. Hic fecit decr et per universum orbem sparsit, et epist. de fide cath et apost confirmantes (*M*. confirmans). *lin* 5, D. et omnes seq e. et omnes hæreses; confirmans donationem, et principatum sanctæ sedis catholicæ et apostolicæ. Hic fecit const de eccl ad S. Mariam consulatu Basilici. Fuit autem a consulatu Basilici et Hermerici a XVI. Kal Dec.

Num 69, *lin* 2, et Joann evang. *lin* 3, pretiosis. Confessionem beati (M. sancti) Jo. evangelistæ fecit ex argento, pensante libr 100, etc aur. in ambobus Oratoriis fecit januas æreas ex argento cl. *lin* 6, ubi posuit lig Dom inclusum in cruce aurea (*in M. deest rox* inclusum) cum gemmis pondo libras 20 (*M*, supra confessionem fecit arcum aureum) in confessione fecit januas argenteas, pens singulæ libr 50, supra confess fecit arcum aureum pens lib 4. *lin* 10, lib 2, fecit et coron aur ante confess pens lib 10 ; farum argenteum cum delphinis, pens lib 5 (*M* lib 2, in confess fecit januas arg pens sing lib 20. Fecit et cor etc) Lampades aureas 4 pens singulæ lib 2 (*M*. lib 4). *lin* 14, quæ dicuntur hecaton. Fecit autem pentalaicas, et concas castriatas 2, et columnas porphyreticas et perforatas (*in M deest* et) aquam fund circumdatas a dextris et a sinistris cancellis cereis, et columnis. *lin* 18 ex musivo (*M*, ex mosco). *lin* 19, *dele notam interrogationis Ibid*, Joannis fecit coronam. *lin ead*, farum cantharum argenteum, pens lib 25.

Num 70, *lin*. 4, columnam auream pens lib 2, in basilica Constantiniana (*M*, lib 30, turrem argenteam cum delphinis pens lib 60, columnam auream pens lib 12, in basil Constant) fecit f. c. *lin* 7, lib 10, scyphos argenteos 4 pens sing lib 5, calices arg ministeriales 10 pens sing lib 2 (*M*, scyphos arg 4 pens sing lib 6; scyphos aureos 2, pens sing libras 6; calic arg min 10 pens sing lib 2). *lin* 14, lib 10, ad B. Petrum apostolum scyphum aureum, pens lib 5 ; alium scyphum aureum cum gemm pras et jac pens lib 4 ; calices ministeriales argenteos 10 pens sing lib 2, amas argent. *lin* 15, aureum cum gemmis pens lib 10 (*M*, lib 5). *lin* 16, calices min 10 pens sing lib 12 (*M*, 11). *lin* 17, ad S. Laur. *lin* 19, lib 10 ; lampades aureas 2 pens sing lib 15 ; farum cantharum aur pens lib 2, turrem auream cum d. pens lib 5 ; scyphos arg 4 pens lib 24 ; calices minist 12 de arg. *lin* 24, pens sing lib 10. In alia basilica S. Laurentii fecit fara argent. *lin* 27, decem ministeria argentea ad bapt pens lib 10. *lin* 28, fara ærea 50, canthara ærea 26; fecit quoque particulos 25 scyphos, pens sing lib 10 ; scyphum aureum, pens lib 8 ; calices ministeriales 50 pens sing lib 4, quod ad S. Mariam Majorem recondi jussit (*M*, scyphos aur pens lib 8).

Num 71, *linea* 1, in urbe vero Roma constituit ministeria, quæ circ constitutas stationes. Scyphum autem stationatum (M , stationarium) pens lib 8, scyphos argenteos 25 per titulos, pens sing lib 10 ; amas argenteas 25 pens sing lib 10. Fecit quoque oratorium S. Stephani in baptisterio Lateranensi. Fecit autem et bibliothecas 2 in eodem loco. Item fecit monasterium i. u. ad Lunam. Hic fecit ordinationes 2 in urbe Roma per mens Dec P. X. 25, diac 5. *linea* 12, beati Sixti, etc.

Ex codice Thuano altero

Num 68, *lin* 1, Hilarius *lin* 3, catholica, conf. *lin* 4, Eut et N. vel omn. *lin* 6, conf dominationem et princip sanctæ sedis catholicæ et apostolicæ. Hic fecit const ad sanctam Mar c. Basilici et H. 17 C.

Num 69, *lin* 1, confess S. Jo. B. ex argento. *lin* 4, aureum confess S. Jo ex argento *lin* 5, ambis orat i. æ. arg c. *lin* 7, lign Domin crucem aur cum g. *lin* 8. lib 30 ex argento confessionem januas, pens lib 58. *lin* 13, triportium ante orat s. cr. ubi S. c. hecaton pen tolaicas, et conchas striatias 2, cum col porph rajatas aquas fund et in m. l. p. c. concha raita.

Num 70, *lin* 7, libras 6; alium scyphum aureum pens lib 5; calices aur quinque. pens sing lib 1;

Digitized by Google

scypa. aur quinque, pens sing lib d. calices min 20. *lin* 9, pensant singuli. *lin* 12, lib. 5 *linea* 15, scyphum aur pens lib 5; alium scyphum aureum, pens lib 5. *lin* 16, calices min. 10. pens sing lib 2 *lin* 21, pharum cantharum aureum. *lin* 23, lib 24, calices min 12. *lin* 25, libras 20, amas arg d. pens sing lib 10. *lin* 26 pens lib 10. c. æ. 25.

Num 71, *linea* 1, in urbe vero Roma constituit ministeria, quæ c. *linea* 2, scyphos per titulos 25 pens lib 10. *linea* 3, pens lib 10. *linea* 4, pens lib 10; cal min 50 pens s. l. 2, quod ad S. Mariam constituta recon lit. *linea* 7, S S Stephano. *linea* 8 *et* 9, in eodem monasterio. Item m. *linea* 12, episc dies 48.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num. 68, *lin* 5, *Flor.* quatuor synodos. *lin* 6, *Flor.* dominationem.

Num 69, *lin* 7, *Flor et alter cod*, Agnum, *lin.* 8 *Flor*, pensantes libras 50, supra confessionem æreum arcum.

Num 71, *linea* 6, *Flor.*, monasterium. *linea* 7, *Flor om.* sancti Stephani

V. L. Peniæ ex codice Cavensi.

Num 69, *lin* 4, sancti Johannis evangelistæ ex argento *lin* 6, Oratorium sanctæ crucis *lin* 15, ubi sunt columnis ecaton pentalaicas.

Num 70, *lin* 7, scyphos arg. v pens sing lib x. *lin* 23, pens sing lib XXIV.

Num 71, *linea* 5, pens sing lib 11, quod ad sanctam Mariam, *etc.*

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 68, linea 2.— *Hic fecit decretalem*, etc. Duo egit Hilarus : primo decretalem condidit epistolam; deinde sparsit epistolas alias de fide catholica. Hæc in unum conjunxit antiquus Romanorum pontificum catalogus; ampliator autem catalogorum deinde assignavit in particulari editam decretalem, quam lin. 8 designat per notas consulum, et infra eamdem nos assignabimus. Prior occurrit mentio epistolæ Decretalis, quam ab epistolis de fide catholica distinguit liber Pontificalis. Quælibet ab apostolica sede edita decreta vocavit Siricius tom. I Conc. c. 15, pag. 851. *Decretalia constituta*, adeoque scribens Himerio Tarraconensi, dixit : « Nunc fraternitatis tuæ animum ad servandos canones, et tuenda decretalia constituta, magis ac magis incitamus » Quid vero veniat nomine decretalis, sic innuit subdens : « Et quamquam statuta sedis apostolicæ vel canonum venerabilia definita nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum. » Quo loci, quod prius dixerat *Decretalia constituta*, et canones, deinde vocat *Statuta sedis apostolicæ et canonum venerabilia definita*. Invaluit deinde usus ut conciliorum regulæ *definitiones* dicerentur, et Romanorum pontificum *decretalia*. Eodem modo loquitur Hilarus infra laudandus in sua synodo Romana, in qua decreta veluti indicativa legum a sede apostolica provenientium appellat et canones uti conciliorum constitutiones. Quomodo etiam Simplicius Zenoni Hispalensi episcopo scribit eadem loquendi formula utens, tom. II Conc. pag. 803 : « Talibus idcirco gloriantes judiciis, congruum duximus, vicaria sedis nostræ te auctoritate fulciri; cujus vigore munitus apostolicæ institutionis decreta, vel sanctorum terminos Patrum nullo modo transcendi permittas. » Et eodem sensu S. Nicolaus I scripsit Photio : « Quod vero dicitis neque Sardicense concilium, neque decretalia vos habere Romanorum pontificum..... decretalia autem quæ a SS. pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cujus auctoritate atque sanctione omnes synodi, et S. concilia roborantur, et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis, nisi quia vestræ ordinationi contradicunt. »

Linea 2.— *Epistolas de fide catholica*. Præter decretalem direxit epistolas ad universos episcopos, in quibus iterum confirmavit quatuor synodos, ut œcumenicas profitendas, damnando hæreses. Necessum id erat eo tempore, quo Eutychiani bellum indixerant nedum concilio Chalcedonensi, verum etiam fidei catholicæ, ut sic utrumque episcopis per Orientem intimaret ad eosdem corroborandos, ac magis confirmandos, ostendendo sedem apostolicam permanere in professione synodorum œcumenicarum. Necessitatem hujus professionis didicerat a S. Leone scribente Jul. Coensi in nova epistola a Quesnellio, epist LXXXVIII, p. 506, edita de publicanda per universas Ecclesias apostolica Chalcedonensis concilii et auctoritativa confirmatione. « Quod ergo necessarium credidit clementissimus imperator libenter implevi, ut ad omnes fratres, qui Chalcedonensi synodo interfuerunt, scripta dirigerem, quibus placuisse mihi, quæ a SS. fratribus nostris de regula fidei confirmata sunt, demonstrarem : propter eos scilicet, qui ad occasionem velandæ perfidiæ suæ, infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quæ nulla sunt consensus mei sententia roborata..... Unde studeat dilectio tua piissimum principem crebris suggestionibus commonere, ut adjunctis affatibus suis ad singularum provinciarum sacerdotes deferri apostolicæ sedis scripta præcipiat; ne ulterius quisquam veritatis inimicus de silentio meo se excusare præsumat. » De quo Eutychianistarum subterfugio legenda Marciani epistola eidem pontifici data, quæ C. L. ibid., pag. 307, primo publicatur inter S. Leonis epistolas novæ editionis. Hilarus itaque has epistolas dedit; et hinc crediderim orta fuerit origo, ut in fidei professionibus, quam recenter electi Rom. pontifices, et episcopi celebant, specialiter profiterentur se recipere, et venerari concilia œcumenica. Vide diurnum Romanum, et epistolas S. Gregorii Magni.

Lin. 3. *Confirmans tres synodos Nicænam, Ephesinam, et Chalcedonensem*. In aliquibus codd. loco vocis *tres* ponitur *quatuor*. Verum nostra retinenda est lectio. Neque per hoc inferri potest, ab Hilaro Constantinopolitanam secundam generalem esse a censu conciliorum œcumenicorum avulsam; nam cum act. II, IV et VI integrum symbolum Constantinopolitanum fuerit lectum, et omnium episcoporum suffragio in decreto fidei insertum, Hilarus confirmans Chalcedonensem synodum, consequenter et Constantinopolitanum ab ea synodo ut œcumenicam declaratam, profitebatur, et confirmabat. Et de fide symboli Constantinopolitani ex mente Ecclesiæ Romanæ scripsit Gregorius Magnus lib VI, ep. 121 : « Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet, nec accipit : in hoc autem eamdem synodum accipit, quod est per eam contra Macedonium definitum. » Nomine vero Nicæni veniebat Constantinopolitanum, quod deducitur ex Toletano, tom. II Conc. Aguir., pag 340, cui Reccaredus rex interfuit, subscripsitque fidei professioni, in qua inserebatur symbolum Constantinopolitanum, quod indigitatur symbolum Nicænum. Professionem vero editam ab Hilaro trium tantum conciliorum mentionem fecisse deduci videtur ex synodo Romana sub Felice, quæ synodicam dirigens ad clericos, et monacho orientales, et professionem ab eis edendam ad instar Romanæ, hanc sic describit tom. II Conc. pag. 855 : « Et ut charitas vestra possit agnoscere venerandas synodos Nicænam, Ephesinam priorem, atque Chalcedonensem contra Nestorium, et Eutychetem impiissimum nos tenere. » Quod vero in aliis professionibus distincta mentio concilii Constantinopolitani fieret, Romani pontifices non solum non improbarunt, verum suo calculo confirmarunt, apud Baron., ubi supra. Vigilius præ-

Digitized by Google

pterea laudans professionem a Justiniano editam, et quam profitendam Ecclesiis Orientis intimaverat, hæc rescripsit : « Summis hoc pietas vestra viribus effecit; cum per omnes regni sui partes et universos fines terræ eam fidem quam per venerabiles semper Christianæ confessionis judicio amplectendas Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, sed et Chalcedonensem synodos constat irreprehensibiliter solidatam, inconcussa jubeatis pace servari. »

Linea 6. — *Confirmans auctoritatem, et principatum sedis apostolicæ.* Ex penuria Actorum non constat, quid egerit Hilarus specialius ad vindicandam sedis auctoritatem. Forsitan ambitum patriarcharum Constantinopolitanorum repressit, et in datis epistolis quas profiteri debebant Orientis episcopi de synodo Chalcedonensi, specialius irritandum putavit, id quod actione XVI vindicare præsumpserunt patriarchæ Constantinopolitani, primum nempe locum supra reliquos Orientis patriarchas. Nostra hæc conjectura firmari potest ex pluribus. Specialiter quia Leo imperator non omisit ex Ecclesiæ Constantinopolitanæ cleri precibus promovere ambitum patriarchæ Constantinopolitani, et cum videret Leonem, et Hilarum in proposito persistere defendendi Nicænos canones statuentes jura patriarchalia, a Simplicio, qui decessori Hilaro successit, hæc extorquere conatus esset. Verum Simplicius vehementius restitit, obstititque ejus conatui, missoque ad hoc Probo episcopo Canusino Constantinopolim legato, ambitum compescuit ex Gelasio scribente, epist. 13 ad episc. Dardaniæ : « Eaque nihilominus sub sanctæ memoriæ papa Simplicio legatum sedis apostolicæ sanctæ memoriæ Probum Canusinæ urbis episcopum, Leone principe tunc petente, præsentem docuisse nullatenus posse temerari; neque his prorsus præbuisse consensum, atque ideo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis Ecclesiæ paterna traditione firmatum convenienter observent. » Hilarus itaque dimoveri non est passus juxta decessoris zelum a statutis Nicænis, sed magis auctoritatem propriam, et patriarcharum defendit, restititque ambitioni episcopi Constantinopolitani. Certe Gennadius Anatolii successor sive per se, sive per imperatorem nihil *molitur*. Acacius tamen, qui anno 471 Gennadio successit, id sibi attribuit, ac eo impellente, Leo a Simplicio obtinere conatur etsi irrito conatu. Nec desiit Acacius promovere privilegia Constantinopolitanæ sedis, præcipue ut secunda post Romanam sedem decerneretur, ac inter Orientales patriarchas principem locum obtineret, nisi Zenone restituto ad imperium anno 477, quando legem obtinuit ab eodem, quæ est XVI Cod. Just. sub Tib. de sacrosan. Eccl. in qua juxta Constantinopolitanæ et Chalcedonensis synodorum decreta privilegia dicuntur restitui. Cum vero dicantur restitui, supponitur prius Leonis, Hilari, et Simplicii concordi voto fuisse denegata. Equidem hoc interjecto tempore patriarchas Constantinopolitanos sibi vindicasse juxta actionem XVI Chalcedonensem jus in tres exarchatus, præcipue vero in Ephesinum, et juri præsumpto obstitisse reliquos patriarchas docet Evagrius, lib. III, cap. 6. Qui Basilisci edicta referens in sanctam synodum Chalcedonensem, quam damnandam præscripserat an. 476, qua occasione Timotheus Elarus contumax Eutychianista, et S. Protherii parricida, lege Basilisci ab exsilio, quo per Leonem imperatorem multatus, fuerat liberatus, dum ad recuperandam sedem properaret, secundæ sedis privilegia vindicans per Orientem Ephesino episcopo exarchatus jura a Constantinopolitano adempta decreto synodi Chalcedonensis act. XVI restituit; et quidem auctoritate Zachariæ rhetoris, ita inquiens : « Idem scriptor narrat Timotheum Constantinopoli egressum perrexisse Ephesum, Paulumque illius urbis pontificem (qui quidem jam dudum ab episcopis provinciæ, sicut vetus Ecclesiæ consuetudo postulat, creatus fuerat, sede tamen post excideral) in sede episcopali collocasse. Reddidit præterea idem Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ jus patriarchatus, quod concilium Chalcedonense..... ei ademerat. » Ex his constat bene dixisse librum Pontificalem, Hilarum confirmasse sedis apostolicæ prærogativam, et inter alia decora, id in eo commendatum exhibent gesta pontificalia.

Lin 7. *Hic fecit constitutum de Ecclesia.* Cum vero additur nota Consulum, duo colliguntur, primo quod cum revera olim exstiterit codex Constitutionum pontificum, eapropter liber Pontificalis argumenta earumdem omiserit, satis ducens commemorare editam constitutionem, quam quisque in eo codice reperiret : sicuti constat de hac, quam novissime vulgavit correctiorem, in synodico cass. cap. 227, pag. 471. Lupus ex cod. Vatic. ubi eadem nota Consulum reperitur. Secundo catalogos Rom. pont. habuisse varias additiones, ac unum idemque recenseri modo remissa, modo fusiori nota. Sic hocce constitutum in antiquo catalogo legitur. *Hic fecit decretalem.* Posteriori vero manu additum, explicatumque quæ fuerit decretalis edita per appositam temporis notam. Porro nota temporis hic notata, et consules coincidunt cum synodo Romana, quam primus vulgavit Lupus. Synodus porro hanc epigraphen habet : « Incipiunt regulæ papæ Hilari..... Flavio Basilico et Hermenrico viris clarissimis sub die XVI Kal. Decembris, residente viro venerabili papa Hilaro in basilica S. Mariæ. » Constitutio edita est de sacris ordinationibus, et electionibus, ac ibi actum de disciplina ecclesiastica, et de Hispaniarum Ecclesiis. In ipso exordio pontifex proponit duo servanda, Nicænos canones, et decreta sedis apostolicæ, ubi duo illa juxta datum discrimen sic proponit. « Quoniam religiosus, sancto Spiritu congregante, conventus hortatur, ut quæcunque pro disciplina ecclesiastica sunt, cura diligentiori tractemus, si placet, fratres, ea quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divinæ legis præcepta, et Nicænorum canonum constituta, ita jubente Domino in omne ævum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare. Quia nos, qui potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respicit, si in causis Dei desides fuerimus inventi. » Ex quo et illud animadvertere licet, quod si pro causa Hispaniarum particulari sacros canones Nicænos inviolabiliter sub interminatione divini Judicii a sede apostolica solidandos edixit : pariter id egerit *in epistolis per Orientem sparsis de fidei catholicæ professione*, specialiter de concilio Chalcedonensi, in quo cum humiliare vellent sedem apostolicam clerici Constantinopolitani ex Anatolii ambitu, et contra canonum Nicænorum dispositionem, ordinem patriarcharum pervertere, debuit pontifex Leonis decessoris exemplo sedis apostolicæ primatum auctoritate firmare, et perperam gesta cassare. Cum vero hoc constitutum a libro Pontificali dicatur : esse *de Ecclesia*, indicatur, ut sæpius notatum est, pertinere ad universam Ecclesiam : seu designatur decretum ad orbis Ecclesias directum, quod manifeste ostendunt verba Hilari in fine sic decernentis : « Hilarus episcopus Ecclesiæ urbis Romæ synodo præsidens dixit : Quoniam præsentis definitionis formam, quæ secundum sanctorum est statuta sententiam, in omnium Ecclesiarum notitiam pervenire decernimus, nec cuiquam pro sui possit ignoratione licere, quod non licet, edere gesta notariorum sollicitudo curabit. » Exemplaria nempe authentica conficientes notarii dirigerent *ad omnes Ecclesias*

BINII ET LABBEI.

Num. 68, linea 1. *Hilarus.* Post interregnum septem fere mensium, pridie Idus Novembris anni 461, qui est Leonis imperatoris quintus, Hilarus na-

Digitized by Google

tione Sardus, olim diaconus, et in conciliabulo Ephesino legatione functus, in locum sancti Leonis subrogatus fuit. Initio pontificatus ea, quæ tribus œcumenicis conciliis contra Arianam, Nestorianam, et Eutychianam hæresim decreta fuerunt, confirmavit: novum Paschalem cyclum annorum quingentorum quadraginta duorum per Victorium Aquitanum ejus facultatis tum facile principem, Gennadio, et Mariano Scoto auctoribus, fieri curavit. « Anthemium imperatorem Occidentis, inquit Gelasius epist. 11 ad Dardan., cum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus, nova conciliabula divisarum sectarum in urbem inducere vellet, apud beatum Petrum apostolum palam ne id fieret clara voce constrinxit, in tantum, ut non ea facienda cum interpositione juramenti idem imperator promitteret. » Hujus temporibus Constantinopoli, cuidam pictori Christum forma Jovis pingere conanti, manus exaruit: post facinoris, et delicti confessionem, Gennadius episcopus Constantinopolitanus eum sanavit. Cedren. in Compend

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Consensus catalogorum Italiæ per nos editorum tomo II in Prolegomenis, et celebriorum ex Gallia apud utrumque Pagium, cum textu Bibliothecarii in assignanda summa annorum sex, mensium trium, et dierum decem. Hilaro papæ omnem dubitationem adimunt de summa temporis illius sedi attribuenda. Ejusdem epistolæ, et acta concilii Romani supra memorata in notis chronologicis ad Cœlestinum sect. 62 cum evincant, electionem ejus cadere in diem Novembris undecimam, ordinationem vero in crastinum, quæ fuit XII ejusdem mensis et Dominica anno 461, consequitur, ut obitus pariandus sit cum die XXI Februarii anno 468, quod comprobatum vides apud Pagium num. 10 et 15 in ejus notis ad hanc sectionem. Marianus Scotus (adnotante Pagio Seniori in crit. ad Baron, anno 467, num. 3) recte consignat obitum sancti Hilari eadem die XXI Februarii cum Florario sanctorum, et cum Martyrologiis Maurolyci, Galesini, et Canini adductis per Bollandum. Corrigendus tamen Bollandus in anno emortuali sancti pontificis, quem putavit 467 ex pluribus documentis, præcipue vero ex epistola Gelasii papæ ad episcopos Dardaniæ, ubi asseritur S. Hilarum restitisse Anthemio, qui levatus fuit imperator pridie Idus Aprilis, Prisco et Joanne consulibus, uti scribit chronographus a Cuspiniano editus, observante Pagio Juniori ad Vitam Hilari num. 12, astipulante etiam chronico Paschali iisdem consulibus.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 68, linea 6. — *Hic fecit constitutum de Ecclesia in S. basilica ad sanctam Dei Genitricem Virginem Mariam, consulatu Basilisci et Hermineriehi* XVI *Kalend. Decembris.* Indicatur epistola decretalis de ordinationibus ab Hilaro data in fine concilii Romæ celebrati sub iisdem coss. in basilica Liberiana. Illius concilii Acta tum Baronius recensuit ad annum 465, tum editores conciliorum. Exemplum illius epistolæ eodem consulatu signatæ III Kalend. Januarii legitur in membranaceo codice collectionis canonum inter mss. bibliothecæ monasterii S. Crucis ad Hierusalem, cujus vetustas ad octingentos aut nongentos annos pertingit. Gesta in concilio cognosces compendiose collecta in notis Pagii et Sonner.

Num. 69, linea 1 — *Hic fecit oratoria tria in baptisterio basilicæ Constantinianæ, S. Joannis Baptistæ, et S. Joannis evangelistæ, et S. Crucis*, etc., *et in ambobus oratoriis* (S. Joan. Bapt. et S. Joan. evang.) *ianuas æreas et argento clusas.* Januæ istæ argento clusæ litteris Hilari dedicationem et nomen exprimentibus supersunt in oratorio S. Joannis Baptistæ scilicet *in honorem B. Joan. Baptistæ Hilarus episcopus Dei famulus offert.* Superest vetus musivum in concamerato oratorii fornice: cujus centrum occupat agni imago, qua indicabatur a præcursore Christus Dominus; et in lunulis circa fenestras imagines quatuor evangelistarum, ascriptis unicuique propriis nominibus, visuntur ex eodem opere vermiculato. Edidit figuras Ciampinus vet Monim. tomo I, cap. 26. Ad ingressum oratorii Zophorus supra columnas januam adornantes insculptus pariter est Hilari pontificis nomin

† HILARUS EPISCOPUS SANCTAE PLEBI DEI. †

In adverso oratorio S. Joannis evangelistæ epigraphe marmorea supra columnas in epistylio sculpta tum nomen Hilari retinet, tum memoriam felicis ejusdem evasionis ex discrimine, ab hæreticorum insidiis eidem parato in latrocinio conciliabuli Ephesini, quando diaconus cum esset Leonis Magni ejusdem nomine legatus mittebatur cum collegis ad præsidendum œcumenicæ synodo Chalcedonensi. Quod e manibus hostium fidei fuerit, Deo dante, subtractus retulit ad patrocinium B. Joannis evangel. scribens:

LIBERATORI SUO BEATO JOANNI EVANGELISTAE HILARUS EPISCOPUS FAMULUS XPI.

Hujus Sacelli æneæ pariter valvæ sunt, non tamen veteres illæ ab Hilaro positæ, ut in præcedenti, sed recentiores, quæ scilicet reparatæ fuerunt sedente Cœlestino papa ejus nominis Tertio. Cencius cardinalis camerarius ex nobilissima Sabellorum familia postea pontifex creatus et Honorius Tertius dictus (ut Ciampinus scribit pag. 239), restituit, addita epigraphe ANNO V PONTIF. DNI. CAELESTINI III PP. CENCIO. CARD. S. LUCIAE EIDEM DNI. PP. CAMERARIO JUBENTE OPUS ILLUD FACTUM EST. Tertium vero oratorium S. Crucis testatur cardinalis Rasponus substitisse usque ad ætatem Sixti V; nam agens de basil. Lateran. lib. III, cap. 9, hæc refert:

« Versus occasum a latere baptisterii olim erat oratorium sanctæ Crucis, pariter ab Hilaro pontifice constructum, et ad quod per ejusdem sacri fontis januam iter erat. Hoc oratorium exstabat adhuc tempore Xysti V, habebatque ante areolam parvam porticum circumvallatam, quæ septem columnis et tribus parastatis fulciebatur. Portæ vero peristylium sustentabatur duabus columnis ex alabastro striatis, et in Zophoro hæc erat inscriptio:

Introibo, Domine, in domum tuam, et adorabo ad templum sanctum tuum in honore tuo

Januæ erant æneæ argento interstinctæ, et ipsa scilicula formam crucis referens structura quadrata adeo elegantis scitique artificii, ut non desint auctores gravissimi, qui Vaticanæ basilicæ delineationem a Michaele Angelo ex hoc oratorio depromptam tradant, » etc.

Aptatur huic oratorio S. Crucis per Hilarum papam ita eleganter constructo magnifica porticus, quam Bibliothecarius memorat una cum oratorio ab eodem pontifice erectam, ac suffultam ingentibus columnis, et quidem porphyreticis. Aliquot ex his columnis visuntur superstites, licet porticus sit eversa, et efformant latus unum oratorii sanctorum Venantii, Rufinæ et Secundæ, ac retinent nomen porticus S. Venantii, uti laudatus cardinalis Rasponus ostendit lib. III, cap. 5 et 6. Ibi etiam recenset sacros ritus a Romanis pontificibus de more hic celebratos in solemni administratione baptismi Paschalis, quos SS. Dominus noster Benedictus papa XIII, non destitit quotannis exercere, dum Romæ ageret, ex quo ad Romanam sedem electus, factus est cæteris episcopis forma pastorum.

Magnificentia Hilari pontificis in oratorio S. Crucis construendo sibi ubique respondet, sive externa structura, sive interna ornamenta considerentur. Externa facies triporticum ingentibus columnis suffultam ostendebat, uti diximus, porphyreticis: unde

Digitized by Google

ingressus ad fontem, lacu pariter porphyretico donatum : cui cancellos, columnas, epistylia et fastigia ex ære fusa, admistis ex musivo operibus circumposuerat. Quæ ad fontem pertinent videnda sunt in Vita Sixti III, a quo fons amplificatus, et octastylo perimetro inclusus ornatur porphyreticis columnis, epistylia et Zophorum sustinentibus ; necnon apud card. Rasponum, eleganter describentem singulas ejus partes et veterem inscriptionem lib. III, cap. I. Interiora sacelli S. Crucis, nostræ salutis instrumentum, lignum scilicet Dominicum, aurea et gemmata cruce pondo librarum viginti inclusum custodiebant, aureo arcu onychinis columnis innixo supra imminente : argenteis valvis pondo librarum quinquaginta huic sacrario addictis : aureis pariter lampadibus et coronis circumquaque appensis. Turrim argenteam, et auream columbam hic memoratam a Bibliothecario in sacellis, fonti baptismati adhærentibus, intelligimus pertinere ad custodiam sacramenti Eucharistici, in hujusmodi turribus et columbis asservati ex more, a magni Basilii ætate jam inducto, quemadmodum observant cum card. Baronio ad ann. 57, n. 152, alii scriptores, id etiam significantes, apud nonnullas ecclesias hodie vigere, quemadmodum vidimus in metropolitana Parisiensi, ubi aurea columba aræ maximæ imminens cœleste hoc pignus æternæ vitæ custodit. Statuenda vero erat in vicinia sacri fontis hujusmodi custodia corporis Dominici, cum post administratum baptismi sacramentum sacro fonte renatis, et confirmatis sacramentum quoque eucharisticum erogaretur, ut passim rituales libri nos edocent, legendi apud V. C. Edmundum Martene tomo I, ubi etiam pag. 647 illustratur usus custodiendi in turribus et columbis aureis vel argenteis sacramentum eucharisticum.

Linea 14. — *Hecatonpenta*. Nardinus lib. IV, cap. 4, Romæ antiquæ pag. 178, novæ edit. legit *hecatompeda*, ubi etiam ostendit *Nym, hæum* sæpe usurpari pro *fonte*. Sensus itaque est, ut columnæ istæ e lapide porphyrite dicantur *centumpedales*. Sive *hecatompedes* non quia assurgant ad tantam altitudinem pedum centenorum, sed quia excelsæ admodum sint, et ultra mensuram in aliis ex eodem lapide spectatam. Ita etiam Bellorius in notis ad vestigium Veteris Romæ pag. 53 observat *porticum hecatonstylon* dici eam, quæ magno numero columnarum fulciebatur, licet non constaret centenis. Usurpatur enim passim centenarii numerus pro ingenti copia, ut illud Virgilianum ostendit :

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum.

et nomen Thebis additur urbis *hecatompylæ*, *centum portarum*, a magno scilicet numero portarum quibus erat pervia.

Num. 71, linea 1. — *Constituit ministeriales, qui circuirent consuetas stationes*. Hunc locum Bibliothecarii produxit Macer in suo lexico verbo *statio*, ut probaret usum stationum longe antiquiorem fuisse ætate Gregorii Magni. Ibi ex B. Ambrosio definit *stationem*, qua statum jejunandi et orandi ritum significamus : et discriminat a *statione*, qua indicamus locum ad eos ritus exercendos certis temporibus designatum. Qua etiam occasione docet *ministeriales*, qui hic nominantur, intelligi oportere clericos ad sacris inserviendum iis in locis addictos, ubi statio celebrabatur. Recte deducit a militari vocabulo nomen stationis : cum a castrensibus vocabulis Ecclesia quæ in terris Deo militare profitetur, non sit dedignata voces complures mutuari in fine Appendicis ad Prolegomena, occasione Græcæ inscriptionis Puteolanæ ex Museo eminentissimi cardinalis Alexandri Albani ibidem productæ, quæ Actum publicum Tyriorum consignat consulatu Galli et Flacci (Christi 174 indicante) et æra Tyriorum 300 observavimus, vocem *stationis* ibidem adhibitam ad significandum cœtum, seu collegium et universitatem illius nationis popularium cum jure sacra exercendi patrio ritu : quod propterea diximus jam tum ab exordio ferme primo Christianæ Ecclesiæ apte translatum ad significandum ritum et consuetudinem Christianarum *stationum* ex idea eidem vocabulo jam alligata apud Romanos indicandi *conventum complurium ad sacra ritu patrio exercenda confluentium ad certum locum*. In titulis igitur, ubi etiam tempore persecutionum Christiani congregari consueverant, et ubi sacrorum administrandorum jus attributum fuerat per summos pontifices presbyteris ibidem constitutis, post redditam Ecclesiæ pacem *stationes* publicæ celebrabantur, quemadmodum ordo Romanus declarat, et ad sacra per certas vices ibidem exercenda, jejuniorum præsertim solemnium aut festorum diebus, tum ministeriales clerici, tum subdiaconi stationarii aderant, tum sacra supellex circumferenda ad usum pontificis easdem stationes frequentantis ex delectu et cura eorumdem pontificum, præsertim Hilari præparabatur.

Linea 6. — *Hic fecit monasterium ad S. Laurentium, et balneum, et prætorium*, etc. *Item monasterium intra Urbem ad Lunam*. Ab indagine hujus secundi monasterii per Hilarum constituti exordiar. In horto, ad titulum S. Eusebii in Exquiliis sito, ante annos circiter viginti vidimus detegi parietes ecclesiæ cum adjacenti ædificio ex effosso ad palmos viginti circiter solo : indeque extrahi columnas, et epistylium ab Hilaro tunc archidiacono incisum sub patrocinio beati Laurentii : quod epistylium ita inscriptum præservat nunc collectio lapidaria eminentissimi cardinalis Alexandri Albani.

† AVXILIANTE DNO DO NP XPO ORANTE BEATO LAVRENTIO MARTYRE HILARVS ARCHIDIAC FECIT

In regione Exquilina memorat Panvinius ædiculam Lunæ : quam a sancti Eusebii titulo non longe abfuisse suadent vestigia templi Solis Mithræ, in horto Marchionum de Palumbara contra eumdem titulum S. Eusebii pariter detecta ante annos circiter quindecim, cum pluribus anaglyphis ac simulacris ejusdem superstitionis. Consueverunt enim cultores solis lunæ fanum ab illo non disjungere quod Soli dedicabatur. Ita in Urbe ipsa Sextus Rufus recenset in regione templi Pacis templum Solis, cui illico adnectit templum Lunæ. Utrique sideri in Capitolio veteri ara constituta templumque Apollinis et Clatræ (Nard. p. 190) et in palatio, ubi Lunæ noctilucæ ædes a Varrone memorata, templum quoque Solis invenitur : uti in Circo obeliscus proprius Soli, alter autem Lunæ consecratus : et alibi passim Soli ac Lunæ proxima, sed sub nominibus diversis posita templa, et aræ, *Jani*, scilicet et *Janæ*, *Apollinis* et *Dianæ*, *Agliboli* et *Malachbeli*, et his similibus quæ apud antiquarios, necnon apud Macrobium ex veteribus, et Vossium de Idololatria inter recentiores videri possunt. Cum itaque ad Lunam dicatur fundatum ab Hilaro monasterium et inveniantur in hac Exquiliarum parte vestigia monasterii et ecclesiæ non magnæ ipsi adjunctæ cum inscriptione Hilari sub patrocinio precum beati Laurentii opus illud Deo dicantis, hoc esse arbitror indicatum a Bibliothecario monasterium intra Urbem ad Lunam. Ædes vero (quas Prætorium nominat) cum monasteriis et balneo ad S. Laurentium constructas quærendas fuisse judico apud S. Laurentium extra muros, cui antonomastice convenit denominatio S. Laurentii. Verum tot cladibus deformatus ac devastatus fuerat tractus ille suburbanus, etiam antequam a Pelagio secundo basilica Laurentiana restitueretur, ut indicia constructionum Hilari frustra in ruderibus hodie perquirantur : et satis consultum videri possit memoriæ nobis a Bibliothecario præservatæ per epigraphen paulo ante relatam, et repertam in Exquiliis intra Urbem ad S. Eusebium, ubi Hilarus tunc archidiaconus Leonis Magni satis ostendit venerationis suæ studium singulare erga

Digitized by Google

beatum Laurentium martyrem, apud quem sepulturæ locum elegit creatus pontifex, et cujus basilicæ monasteria addidit, exemplum secutus decessoris sui Leonis, quem vidimus ad basilicam S. Petri excitasse monasterium, aliisque successoribus suis similem curam insinuasse.

Linea 8. — *Fecit autem bibliothecas duas in eodem loco.* De his consule cardinalem Rasponum lib. III, cap. 14, de sacros. Eccl. Lateranensi : ubi etiam refert præclarum locum Panvinii nostri, copiosa, ut solet, ac solida eruditione illustrantis non modo has ab Hilaro constructas bibliothecas, sed antiquiores quoque a Christianis præsulibus excitatas prope suas ecclesias.

CIACONII

Num. 68, lin. 1. — *Natione Sardus* Calaritanus. Hic opum neglectu, et consiliorum magnitudine, inter sublimes pontifices effulsit, et meritis almus, angelorum colloquium, et salutationem meruit. Egit quæ ad optimum pontificem pertinebant, tum in exstruendis templis, ornandisque, tum etiam docendo, admonendo, castigando eleemosynasque copiosas, ubi opus erat, largiendo. Dona aurea, et argentea colliguntur, centum duorum millium, et nongentorum octuaginta trium aureorum scutatorum nostratium superasse, citra artificum manus, et impensas ædificiorum, et reddituum, quos illi annuos assignavit. Ut plane ex his appareat, quæ fuerint divitiæ Romanæ Ecclesiæ, cujus adeo profusæ essent expensæ in vasis sacris, et ornamentis Ecclesiarum.

PAGII.

Num. 68, lin. 2. — *Hic fecit decretalem.* Anno quadringentesimo sexagesimo septimo Leo Orientis imperator Anthemium patricium Romam misit imperatoremque constituit, qui, ut scribit chronographus a Cuspiniano editus sub consulibus anni 467 levatus est imperator Romæ pridie Idus Aprilis. Huic, impellente Philotheo Macedoniano ejus familiaritate suffulto, diversarum conciliabula nova sectarum in urbem Romam inducere volenti, apostolica constantia restitit Hilarus, et « apud beatum Petrum apostolum palam ne id fieret clara voce eum constrinxit, in tantum ut non ea facienda cum interpositione sacramenti, idem promitteret imperator, » inquit Gelasius papa in epistola ordine XIII ad episcopos Dardaniæ.

Ex hoc solo loco, etiamsi aliæ probationes deficerent, jugulatur sententia Papebrochii scribentis in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum pontificum Romanorum, Hilarum papam die vigesima prima Februarii anni quadringentesimi sexagesimi septimi ad Deum transisse ; licet enim verum sit, ejus mortem diei XXI Februarii alligendam esse, ea tamen differri debet ad annum quadringentesimum sexagesimum octavum, postquam Romanam Ecclesiam sancte administrasset annos sex, menses tres, dies decem, ut habetur in libro Pontificali, in sex catalogis criticæ Baronianæ tomo primo prælixis, in catalogo Vaticano-Palatino, et in pluribus auctoribus in eadem critica ad annum 467 laudatis. Si autem die XI Februarii anni quadringentesimi sexagesimi septimi obiisset, falso scriberet Gelasius eum Anthemio imperatori, Romæ restitisse, cum hic dictus sit imperator Romæ die XII mensis Aprilis ejusdem anni. Ex quo et priorum pontificum Romanorum chronologia confirmatur.

Linea 7. — *Hic fecit constitutum de Ecclesia.* Anno quadringentesimo sexagesimo quinto concilium celebravit Hilarus papa Romæ in basilica Sanctæ Mariæ die XVI Kalendarum Decembris, ut habent Acta, quæ correctiora edita sunt, quam ante fuerant, a Christiano Lupo in fine tom. I epistolarum Casinensium. Actum in eo de disciplina ecclesiastica, et de Hispaniarum Ecclesiis. Quinque canones, seu decreta in eo condita sunt : quorum primo statuitur canones Nicænos, vel apostolicæ sedis decreta custodiri debere. Secundo, ut bigami, aut viduæ, aut corruptæ mariti ad ecclesiasticos gradus non accedant. Tertio, ut pœnitentes, aut inscii litterarum, sive defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habentes, ad superiorem ordinem non accedant. Quarto, ut quæ episcopus, vel decessor ejus illicite ordinavit, ab eo qui superest, emendentur. Quinto, ut nullus episcopus sibi successorem eligat.

Hoc ultimum decretum factum est, quia, ut constat ex epistola secunda Hispanorum episcoporum ad Hilarum, Nundinarius Barcinonensis episcopus successorem sibi designaverat, consentientibus provinciæ Tarraconensis episcopis. Quare Hilarus epistola sua secunda ad Ascanium Tarraconensem metropolitam, et reliquos Tarraconensis provinciæ episcopos, ex Romanæ synodi sententia data die trigesima Decembris ejusdem anni 465 Irenæum a regimine Barcinonensis Ecclesiæ excludi voluit, « ne, inquit, episcopalis honor hæreditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate confertur, » licet provinciæ episcopi, et Ascanius metropolitanus Irenæo suffragarentur, ipsumque optimates et plebs, utpote meritis et morum integritate insignem postulassent. Silvanus præterea Calagurræ in eadem provincia Tarraconensi episcopus, presbyterum alienum proprio episcopo superordinaverat in eadem Ecclesia. Factum insolens ad sedem apostolicam detulerunt Hispani antistites, quod Calagurræ et vicinarum civitatum optimates apud Romanum pontificem excusarunt. Violatorum canonum veniam Silvano concessit Hilarus, ut et aliis episcopis de ipso conquæstis, quoniam nonnulli episcopos absque metropolitani consensu, quibusdam civitatibus ordinaverant.

Ideo autem Silvani causam ad Romanum pontificem detulerunt Hispani episcopi, quia schismatis causa erat : et pontificii primatus præcipua pars est, Ecclesiæ unitatem sartam tectam servare. « Proinde, inquiunt, quia his præsumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurri : quæsumus sedem vestram, ut quid super hac parte observari velitis, apostolicis affatibus instruamur. » In eadem epistola Hispani episcopi religiosam suam erga apostolicam sedem reverentiam ostendunt, cum scribunt : « Etsi exstaret necessitas ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestræ, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi prospexit; cujus vicarii principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus. Proinde Deum in vobis penitus adorantes, ad fidem recurrimus apostolico ore laudatam, inde responsum quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur. »

A. SCHELESTRATE.

Num. 69, linea 1. — *Hic fecit oratoria tria in baptisterio basilicæ Constantinianæ, S. Joannis Baptistæ, et Joannis evangelistæ, et sanctæ Crucis.* Duo priora oratoria etiamnum visuntur in Baptisterio basilicæ Lateranensis, cum inscriptione Hilari papæ.

ALTASERRA.

Num. 69, linea 12. — *Nymphæum et triporticum ante oratorium sanctæ Crucis, ubi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur Hecaton-penta.* Nymphæa sunt ædes publicæ, in quibus nuptias celebrabant, qui ædibus carerent. Zonar. in Leon. M. Alias nymphæa sunt aquaria columnis marmoreis ornata, quæ plerumque ponebantur ante ædes sacras ornatus causa, ut hic nymphæum positum ab Hilaro ante oratorium sanctæ Crucis. Ante basilicam Sancti Petri fuit cantharus columnis ornatus, salientes aquas fundens, de quo Paulin. epist. 33 : « Quare prætento nitoris atrio, fusa vestibulo est, ubi cantharum ministra manibus et oribus fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat, et inumbrat, non

Digitized by Google

sine mystica specie quatuor columnis, salientes aquas ambiens : decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur. » Et Anastas. in Symmacho : « Et cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit. » Nymphæa in Urbe variis locis exstructa. Ammian. lib. xv : « Ad septemzonium, celebrem locum, ubi operis ambitiosi nymphæum Marcus condidit imperator. » Et Capitolin. in Gordiano Juniore : « Opera Gordiani Romæ nulla exstant, præter quædam nymphæa et balnea. »

Linea 14.—*Lacus et conchas triantas duas, cum columnis porphyreticis ragiatis, foratis, aquam fundentes.* Lacus erant piscinæ lapideæ juxta fores ædium, continentes aquam ad jumentorum adaquationem, et reprimenda incendia. Donatus in Adelphis : « Varro docet semper lacum portis additum, scilicet ad usum jumentorum exeuntium et introeuntium, et præterea ut adversus hostilem ignem portis de proximo subveniretur. » Tranquill. in Galba cap. 7 : « Ad lacum ubi adaquari solebat. » Lines vocat L. *Lines*, ff. *De act. empt.*, Conchæ sunt vasa lapidea, quæ aquam e lacubus excipiebant. In conchæ lacubus fere semper conjunguntur, ut hic et infra eodem : « Et in medio lacum porphyreticum cum concha assirta in medio aquam fundentem. » Lege, *assita*, vel *adsita*. De conchis infr. in Paschali. Circa lacus et conchas quæ erant in vestibulo ædium, ornatus causa ponebantur columnæ marmoreæ, vel lapideæ ; et marmoreæ ut plurimum, et tutæ essent ab injuria, erant ragiatæ, id est, amictæ reticulis e ferro vel ære, vel nervis. Ulpian. in L. *Fundi*. § *Reticuli*. ff. *de act. empt.* « Reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item cilicia vela ædium non sunt. » Varro 3 de Re rustic. cap. 5 : « Inter columnas exteriores, pro pariete reticuli e nervis sunt, ut perspici in silva possit, et quæ ibi sunt, neque avis eas transire. » Ragia est reticulum, unde manavit haud dubie vulgare *rejat*, *une grille de fer*. Hujusmodi lacus et conchæ foratis aquam fundebant, id est, per fistulas quæ forata dicuntur, quia capita fistularum foris prominentia per ora capitum leonum fundunt aquam. Sidon. lib. II, epist. 2 : « In hanc ergo piscinam fluvium de supercilio montis elicitum sex fistulæ promentes, leonum simulatis capitibus effundunt. » A Latino *forare*. Frontin. de aquæ ductib. lib. II : « Non enim solum ad ipsarum aquarum custodiam, sed etiam ad castelli tutelam pertinet, quod subinde et sine causa foratum vitiatur. » Et hoc est quod prius idem dixit *foramen* : « Foramen novum castello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahant aquam. » Ait *lacus et conchas trientas*, lege *trientes*. Lacus et conchæ dictæ trientes a modulo aquæ, quia capiunt trientem digiti aquæ, quæ ducitur ex formis aquæductuum beneficio principis. Frontin. de aquæduct. lib. I : « Unciæ ergo modulus habet diametri digitum unum, et trientem digiti. »

Linea 17. — *In medio cancellis æreis, et columnis cum fastigiis, et epistyliis, undique ornatam ex musivo, columnis Aquitanicis.* Musivum opus est opus tessellatum, id est tessellis marmoreis variegatum. Augustin. de Civit. Dei lib. xv, cap. 8 : « Et cætera hominum, vel quasi hominum, genera, quæ in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt. » Paulin., epist. 12. « Absidem solo et parietibus marmoratam, camera musivo illusa clarificat. » Anastas. in Symmacho : « Et cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, et ex musivo agnos et cruces et palmas fecit. » Museum vocat Plin. lib. xxxvi, cap. 21 : « Appellantur quidem ita et erosa saxa, in ædificiis quæ musea vocant. » Columnæ Aquitanicæ sunt columnæ marmoris Aquitanici, quod effoditur in montibus Pyrenæis, qui continentur finibus Aquitaniæ. Sidon. lib. II, epist. 10 : « Fulmentis Aquitanicis superba. » Vitruv. lib. III, cap. 1 : « De fulmentis Aquitanicis. » Fastigia columnis adduntur. Fastigia columnarum sunt capita seu capitella columnarum. Plin. lib. xxvi, cap. 23 : « In Ephesiæ Dianæ æde primum columnis spiræ subditæ et capitella addita. » Leo Ostiens. lib. III, cap. 28 : « In columnarum ipsius Ecclesiæ capitellis. » Augustin. lib. II Qu. in Exodum, cap. 109 : « Bases columnarum non eas tantum videtur dicere Scriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur, sed etiam superiores, quæ capitella nos dicimus. » Super capita columnarum ornatus causa ponebantur angeli ex argento vel auro. Anastas. in Leone III : « Pari modo in basilica ipsius apostoli fecit cherubin ex argento purissimo deauratos quatuor, qui stant super capita columnarum. »

Num. 71, linea 1. — *In urbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas stationes.* Stationes erant statæ preces ad memorias seu sepulcra martyrum. Tertull. 2 ad Uxor. : « Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas. » Idem, de Jejun. adv. Physic. : « Proinde nec stationum, quæ et ipsæ suos quidem dies habeant, quartæ feriæ et sextæ. » Anast. in Gregor. III : « Item in cimiterio sanctæ Petronillæ stationem annuam dari instituit. » Stationes erant constitutæ certis diebus et certis locis : ideo ab Hilaro lecti sunt ministeriales, id est, clerici qui lustrarent, id est, visitarent stationes, id est, loca et altaria destinata stationibus.

Linea 7. — *Fecit autem oratorium sancti Stephani in baptisterio Lateranensi.* Hilarus oratorium dedicavit in baptisterio Lateranensis basilicæ. In baptisteriis oratoria, id est, altaria dedicari solebant. Anastas. in Symmacho : « Item ad fontem in basilica beati Petri apostoli oratorium sanctæ Crucis ex argento. »

Linea 8. — *Fecit autem et bibliothecas duas in eodem loco.* Hilarus binas bibliothecas posuit in baptisterio Lateranensi. Ecclesiæ majores habuere bibliothecas. Hieronym ad Pammach. advers. Jovinian. : *Ecclesiarum bibliothecis fruere.* Bibliothecæ Hierosolymitanæ per Alexandrum episcopum instructæ meminit Eusebius lib. VI, cap. 14 ; Cæsariensis bibliothecæ Hieronym. in epist. ad Titum, et lib. III advers. Pelag. In bibliotheca Ecclesiæ Romanæ depositi libri Gelasii adversum Eutychem et Nestorium. Anastas. in ejus Vita : « Hic fecit libros adversus Eutychem et Nestorium, qui hodie in bibliotheca, et ecclesiæ archivo reconditi tenentur. » Inter officia Ecclesiæ Romanæ fuit bibliothecarius. Anastas. in Gregor. II : « Bibliothecæ illi est cura commissa. »

XLIX. SANCTUS SIMPLICIUS.

ANNO CHRISTI 467, LEONIS 2, ANTEMII 1.

72 *Simplicius, natione Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annos quindecim, dies septem* [a]. Hic dedicavit basilicam S. Stephani in Cœlio monte in urbe

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, mens. 5, d. 10, a Coss Pusæi et Joannis ad Anicium Faustum.

Digitized by Google

Roma, et basilicam beati Andreæ apostoli juxta basilicam sanctæ Mariæ, et aliam basilicam sancti Stephani juxta basilicam sancti Laurentii, et aliam basilicam intra Urbem, juxta palatium Licinianum beatæ martyris Bibianæ, ubi corpus ejus requiescit. *Hic constituit ad sanctum Petrum* apostolum, *et ad sanctum Paulum* apostolum, *et ad sanctum Laurentium* martyrem *hebdomadam* [a], *ut presbyteri manerent* ibi *propter* pœnitentes, *et baptismum.* Regionem tertiam ad sanctum Laurentium; [b] regionem primam ad sanctum Paulum; regionem sextam, vel septimam, ad sanctum Petrum. Sub *hujus episcopatu venit relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano* episcopo, *et affirmavit* Petrum *Alexandrinæ urbis* Eutychianistam hæreticum, *facta petitione ab Acacio* Episcopo chirographo ejus constructa. Eodem tempore *fuit Ecclesia* prima, hoc est sedis apostolicæ exsecutrix [c]. *Tunc Simplicius* Episcopus *præsul* hoc audiens *damnavit Petrum Alexandrinum*, eo quod *Acacius innumerabilia crimina affirmabat*, ita tamen ut pœnitentiæ reservaret tempus. *Eodem tempore rescripsit Timotheus catholicus, et Acacius, dicentes* quod etiam *in morte* Proterii catholici Petrus esset permistus. Tunc archiepiscopus *Simplicius dissimulans, nunquam rescripsit Acacio, sed damnavit Petrum* exspectans tempus pœnitentiæ. Hic fecit in Ecclesia Romana scyphum aureum, pensantem libras quinque. Canthara argentea ad beatum Petrum apostolum sexdecim, pensantia singula libras duodecim. *Hic fecit ordinationes tres* in urbe Roma *per mensem Decembris et* Februarii, *Presbyteros quinquaginta novem* [d], *diaconos undecim, episcopos per* diversa *loca septem* [e] *et triginta.* Hic *sepultus est* in basilica beati Petri apostoli VI *Nonas Martii, et cessavit Episcopatus dies sex.*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Hebdomadas *C B. Vide Baron ad annum* 483. [b] *Vide Baron ad annum* 478. [c] Ecclesia Romana, hoc est, prima sedes apostolica exsecutrix. [d] *C B*, octo.. [e] *C B*, sex.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Baorottum ex codice Freheri.

Num. 72, *linea* 1 *et* 2, mens. 1, *A*, dies sex. *linea* 7, *B*. hebdom. *lineæ* 8 *et* 9, *B*, regionem trium ad S. Laurent., regio prima et septima ad S Petrum.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 72, *linea* 1, sedit ann. 15, mens. unum, d. 7. Hic d. basil. S. Steph. in urbe Roma in C. m. *linea* 5, Lucinianum. *linea* 6, ad S. Petrum, et ad S. Paulum, et ad S. Laurent. martyrem hebdomadas, ut pr. ibi man. *linea* 13, constr. Fuit eodem tempore ecclesia Rom., hoc est prima sedes apostolica exsecutrix. Simplicius enim episcopus hoc aud. D. Petrum Alexandrinum episcopum, eo quod Acacius inn. cr. de eo affirm. *linea* 17, rescripserunt Timoth et Acacius. *linea* 19, exp. tamen tempus ejus pœnit. *linea* 21, canthara arg. 16. *linea* 22, ordinat. *linea* 15, *AB*, de quo Achatius. *linea* 23, *AB*, 58. *linea* 24, *A*, 36, *B*, 88.

A 2. *linea* 23, pr. 58. *linea* 24, loca 86, qui etiam sep est. *linea ult* dies 26.

Ex codice Thuano altero.

Num 72, *linea* 1, 15, m. 1, d. 7. *linea* 7, hebdomadas. *linea* 13, cod. temp. fuit Eccl., hoc est prima sedes apost exsecutrix. Tim. *linea*. 16, de quo Ac. *linea* 21, Petrum 16, *linea* 23, pr. 68, diac 10, *linea* 24, 26. *linea ult.* dies 2.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Linea 1. *Flor*, Castorio; *Flor* 2, *Casto* : addunt autem hi duo codices, mens 1. *linea* 5, *Flor* 2, Licianum. *linea* 7, *Deusdedit et Florent*, hebdomadas. *linea* 14, *Flor deest* episcopus. *linea* 15, *Flor*, de quo. *linea* 18, *Flor*, presbyteri. *linea* 23, *Flor*, LXXXXIIII. *linea* 24, *cardin. Deusdedit* XXXVI, *et addit* : Et post hujus obitum factum est a presbyteris et diaconibus constitutum de omni Ecclesia.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 6. — *Hic constituit ad sanctum Petrum apostolum, et ad sanctum Paulum apostolum, et ad sanctum Laurentium martyrem hebdomadas, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes et baptismum. Regionem tertiam ad S. Laurentium. Regionem primam ad sanctum Paulum. Regionem sextam vel septimam ad sanctum Petrum.* Simplicius in ecclesiis sancti Petri, sancti Pauli, et sancti Laurentii instituit presbyteros, qui per hebdomadas pœnitentiam et baptismum ministrarent, hinc dicti hebdomadarii. Anastas. in Gregor. III : « Et a presbyteris hebdomadariis missarum solemnia. » Idem in Stephano IV: « Hic statuit ut omni Dominico die a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant, missarum solemnia super altare

B beati Petri celebrarentur. » Hoc exemplo in concilio G. Lateranensi habito sub Innocentio III in singulis ecclesiis cathedralibus et conventualibus instituti Pœnitentiarii audiendis confessionibus et pœnitentiis injungendis, cap. *Inter cætera de offic. ordin.* Otho sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis et legatus sedis apostolicæ in Anglia in concilio habito 1259 in ecclesia sancti Pauli Londinensis, pœnitentiarios, id est confessores, instituit in singulis ecclesiis cathedralibus, ut refert Matth. Paris: « In ecclesiis vero cathedralibus confessores instituei præcipimus generales. » In ecclesia Cameracensi pœnitentiarii officio se per plures annos functum refert Thom. Cantipratan. Apum. lib. II, cap. 30.

Linea 10. — *Sub hujus episcopatu venit relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano episcopo, et*

Digitized by Google

affirmavit Petrum Alexandrinæ urbis Eutychianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio episcopo, chirographo ejus constructa. Relatio de hæresi accipitur hic pro delatione, quæ fiebat chirographo deferentis obsignata. Anastas. infr. in Felice III : « Sub hujus episcopatu iterum venit relatio de Græcia, Petrum Alexandrinum revocatum ab Acacio episcopo Constantinopolitano. » Et infr. eod. : « Post annos tres iterum venit relatio ab imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius. » Idem in Gelasio : « Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa, et homicidia fierent a Petro, et Acacio. » Idem in Anastas. : « Tunc Festus, et Probinus senatores miserunt relationem regi, et cœperunt agere ut visitatorem daret rex sedis apostolicæ. » Idem in Bonifacio II : « Eodem tempore venit relatio ab Afris episcopis de constitutione, ut cum consilio sedis apostolicæ omnia Carthaginensis episcopus faceret. » In libris Juris relatio aliter sumitur pro consultatione emissa ad principem a præside vel judice in dubiis causis, « L. *Ad principem.* L. *Ad imperatorem.* ff. de appell. et relat. » Augustin. epist. 137 : « Quæ vel in negotiis sæcularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid inde audeant commutare. » Optat. Milevit. lib. I, adv. Donatist. : « Relatio missa est, rescriptum venit. »

Linea 13. — *Eodem tempore fuit ecclesia prima, hoc est, sedis apostolicæ executrix.* Acacius episcopus Constantinopolitanus agnovit primatum Ecclesiæ Romanæ, cum Petrum Alexandrinum episcopum de hæresi detulit apud sedem apostolicam, quæ eo nomine exsecutrix dicitur, quia deferente Acacio Simplicius pontifex, causa cognita, damnavit Petrum Alexandrinum. Primatum Ecclesiæ Romanæ agnovit Hieronym. epist. ad Damasum : « Ideo mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Facessat invidia Romani culminis, recedat ambitio : cum successore piscatoris, et discipulo crucis loquor. Ego nullam primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. »

BENCINI.

Linea 1. — *Simplicius.* Ab ipsius pontificis tempore teterrimum Acacianum schisma incœpit, quod usque ad Hormisdam universas Orientis Ecclesias dilaniavit : sed, quod magis dolendum est, sive inscitia, sive incuria collectoris, aut amanuensis, vel librariorum, adeo fœdata jacent acta Simplicii, Felicis, et Gelasii, ut præter intolerabiles achronismos, vix ex ipsis in sua quæque luce dignosci valeat, ac percipi quid in eo schismate, ac perturbato Ecclesiarum Orientalium statu a Romanis pontificibus fuerit actum, si narratio libretur juxta seriem libri Pontificalis. Sedula itaque meditatione incubantes, ducem sequimur eam, quam sæpius commemoravimus conjecturam, videlicet de interpolatis gestis per varias additiones factas, et deinde repositas, sed non ab accurata, diligentique manu ; additiones enim pro libito huic aut alteri pontifici tributa gesta confuderunt, ordinem perverterunt, et falsissimam actionum, personarumque seriem, narrationemque reddidere. Conferenti itaque ac trutinanti, an defectus evenerit ex additionibus factis, nec suis locis apte locatis, tandem lux affulsit : et agnovi, quod si quæ sparsim et incogitanter fuerunt inserta restituantur suis locis, temporibus, atque personis, nedum quippiam falsum intercurret, verum plurimum lucis accipient capita præcipua sollicitudinis apostolicæ ad Acacianam compescendam pravitatem impensæ. Primo itaque notis illustrabimus in Simplicii gestis, quæ recto ordine refert Liber Pontificalis de Acacii initiis. Deinde ex gestis sive Felicis, sive Gelasii integra periodo rejecta, ac Simplicii actis inserta, demonstrabimus eam perperam Felici, aut Gelasio attributam, in Simplicio vero repositam, accuratam pontificum curam in convellendo Acaciano schismate repræsentare.

Linea. 10. — *Sub hujus episcopatu venit relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano episcopo, et affirmavit Petrum Alexandrinæ urbis Eutychianistam hæreticum.* Relatio Acaciana Simplicio denuntians Petrum Mongum esse hæreticum Eutychianistam, et propterea damnandum, est fundamentalis ratio, qua probatur Acacium deinde communicantem cum eodem hæretico damnato, ac post apostolicæ sedis monita in communione persistentem, ac propterea excommunicatum, et exinde schisma conflantem, perperam ac animo perduelli insultasse in sedem apostolicam. Ab hac igitur relatione Liber Pontificalis aggreditur infaustos eventus hujus schismatis, quæ facta est anno 476, Simplicii anno 9, quo tempore Odoacer, Italia occupata, Gothorum regnum instituit, de quo ad prædictum annum Marcellinus. « Hesperium Romanæ gentis imperium, quod septingentesimo urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit anno decessorum regni imperatorum 522, Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus. » Petrus vero Mongus ita sedem invaserat. Timotheus Ælurus S. Proterii episc. Alex. parricida ejectus jam fuerat a Leone imperatore Chersonam exsilio relegatus, ac electus in Proterii locum Timotheus Solophaciolus. Anno 476, Basiliscus tyrannus imperium occupat, edictum evulgat contra synodum Chalc. et hostes episcopos ejusdem concilii relegatos restituit. Exstat edictum, et restitutorum catalogus apud Evagrium. Moritur tandem anno 477 Ælurus, et Petrus Mongus seu Moggus Æluro consors ab uno episcopo deposito consecratur, adhuc superstite Timotheo Solophaciolo. Id cum audisset Zeno imperio restitutus, dejici Mongum, et patriarcham Alexandrinum haberi Solophilacium jubet. Verum cum hic anno 781 obiisset, Jo. Talaia a Græcis Tabbenniosita cognominatus, quod esset e numero Tabennensium monachorum, eligitur. Successum priorem ante Mongi electionem ita describit Theophanes in Chron. Postquam retulit Basiliscum, Zenone deturbato, imperium invasisse, subjungit : « At statim Zenodiæ maxime verbis ad id impulsus rectæ fidei bellum indicit. Quare Timotheum Ælurum promulgato edito revocat exsilio, Petrumque Fullonem in insomnium monasterio latitantem sedi restituit : quotquot autem S. synodum Chalcedonensem adversarii respuebant, ii liberrime impugnabant veritatem. » De Æluri revocatione postea sic : « Eum posthac imperiali diplomate munitum, et synodi decretis infensum Basiliscus Alexandriam transmisit, et Antiochiam Petrum Fullonem, animis utriusque adversus veritatem exasperatis, et ejus suasu corroboratis. » De Acacii vero zelo cum hæc videret, sic : « Basiliscus, edicto in publicum lato, Chalcedonensem synodum eliminavit, et Acacium Constantinopolitanum illud idem jussit exsequi. Verum totius civitatis, mulierum etiam, ac puerorum conferta plebs adversus Basiliscum concurrens in ecclesiam scelus prohibet. Acacius autem atra veste proprium corpus, tum thronum, ac tandem altare circumcinxit ; magnus quoque Daniel divino plane zelo accensus, columna, qua consederat, descendit, et cum Acacio populique frequentia assiduus cunctis ecclesiasticis conventibus aderat. » Et scriptor Vitæ S. Danielis stylitæ sic de Acacio (apud Surium die 2 Decemb., c. 41) : « Sceptra quidem arripit Basiliscus, horribiliter vero statim sibilat adversus Dei Ecclesiam, et de carnis a Christo susceptæ dispensatione nugatur quædam blasphema et adulterina. Acacium autem, qui tunc sedem tenebat pontificalem, qui rectam quidem defendebat rationem, illius autem dogmatum tempestati spiritus fervore,

Digitized by Google

et dicendi libertate vehementer resistebat, vult iniqua morte multare. » Priores itaque relationes Acacianæ ad Simplicium fuerunt de Basilisci, Zenodiæ, et Æluri impiis conatibus, et simul de episcopis synodi Chalcedonensis eversoribus restitutis ad proprias sedes, inter quos impietatis duces enumerantur Petrus Fullo Antiochenæ sedis invasor, et Paulus Ephesinus. Acacii monitis Simplicius impulsus epistolam dedit Basilisco, tunc promoventi damnationem Chalcedonensis concilii, et retractatum definitionis jam editæ, et susceptæ (*Ibi* c. 5). Tanta fuit orientalis Ecclesiæ jactura per Basilisci vulgatum decretum, ut asserat Evagrius : « Fertur Anastasium quoque, qui post Juvenalem antistes Hierosolymorum fuit illis, Basilisci litteris scriptis ad omnes generatim, subscripsisse : aliosque præterea complures circiter quingentos numero. » Quo quidem numero Basiliscus et Ælurus poterant Fidem catholicam in Oriente per concilium indictum radicitus evellere. Relationem hanc dedisse Simplicio Acacium suadet epistola ejusdem Simplicii data Acacio, quam primus vulgavit Holstenius, in qua sic de prioribus hisce motibus, et factis relationibus (in Collect. Rom. p. I, pag. 194) : « Litteris tuæ dilectionis, quas per filium nostrum Epiphanium diaconum probatæ fidei direxisti ea quæ strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, Archimandritæ vel ante scripserant, latius indicasti, et prolixo quidem volumine, sed sermone necessario retulisti, ut quid Constantinopoli, vel in aliis regionibus ab hæreticis gestum est, disceremus : ac singula, quæ contra ipsam catholicam fidem ubicunque commissa sunt ante nostros oculos collocasti ; quatenus videatur, quo etiam remedio subveniretur Ecclesiis, quibus vim sub occasione tyrannicæ dominationis (Basilisci nempe), et per absentiam Christianissimi principis (Zenonis) perniciosus latro (Timotheus, vid. Ælurus) et reciduus invasor Alexandrinæ Ecclesiæ lapsus exsiliis irrogavit. » Hac prima, et voluminosa relatione excitus Simplicius rescripsit Basilisco epistolam an. 476, n. 9. Hanc Baronius ex mendoso codice putat ad Zenonem fuisse directam ; cum tamen tyranno datam probent Labbæus et alii, adjuvante etiam cod. Virdunensi, ubi Basilisco data asseritur. His epistolis receptis Acacius monachos excitavit, ut populi adversus tyrannum insurgere non dubitarent, ut patet ex Evagrio ; et quidem ea fuit commotio, ut coactus fuerit impium edictum contraria lege proscindere, et indicti concilii evocatorias litteras revocare. Sic edictum refert Evagrius : « Contrariæ litteræ imperatoris Basilisci imperatores, ac Cæsares Basiliscus et Marcus : Apostolicam, et orthodoxam fidem ab initio in Ecclesiis conservatam, et ad nostrum usque continuatam imperium, et nobis jam repugnantibus custoditam, et in perpetuum custodiendam, in qua baptizati sumus, et credimus solam, integram, firmamque retinendam, retentamque in omnibus catholicis et apostolicis orthodoxorum Ecclesiis perpetuo custodiendam decernimus, nullamque præterea quærendam esse. Quam ob causam, litteras, nobis impetrantibus seu generatim ad omnes scriptas, seu alias, vel si quid præterea fidei, et ecclesiasticæ constitutionis gratia a nobis editum sit, mandamus irrita fieri, abrogarique ; atque tum Nestorio, et Eutycheti, tum omnibus, qui sunt ejusdem cum illis opinionis, tum omni denique hæresi anathema denuntiari, nec concilium cogi, nec inquisitionem fieri de fide. » Basiliscum sedis apostolicæ monitis fractum testatur Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, dum reserat Acaciani schismatici technas, quem illi sequebantur. « Cur ergo vel cum fieri videret Acacius, non sicut sub Basilisco jam fecerat ad apostolicam sedem referre curavit, ut si solus ipse non poterat, junctis cum eadem consiliis, atque tractatibus apud imperatorem (Zenonem, sub quo schisma conflatum est) possent, quæ religioni competerent allegari? Nam si Basiliscus, ut dictum est, tyrannus, et hæreticus scriptis apostolicæ sedis infractus est, et a pluribus revocatus excessibus, quanto magis legitimus imperator, qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque pontificum moderata suggestione moderari : mox sanctæ memoriæ papa Simplicius, et post eum sanctæ memoriæ Felix non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam imperatorem Zenonem pro iisdem ipsis excessibus auctoritate libera sæpius increpasse noscuntur. » Zeno itaque restitutus imperio, cum audisset ab Acacio vulnera illata religioni, synodum Constantinopolitanam celebrat, ac in ea damnandos elaborat Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Joannem Apamenum, et Paulum Ephesinum, ac mittit secundam relationem et acta synodica, quod ita narrat Felix III in epistola ad clericos et monachos Orientis, ubi hæreticis illis recensitis addit (apud Bar. an. 483, n. 52) : « Quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab apostolica sede damnari, ut his etiam vocabulum Christianorum tolleretur, quod gesta apud eum habita manifestant. » Anno sequenti, uti videtur, Romana a Simplicio indicitur, et in ea Fullo damnatur, et Ælurus, et de damnatione exstant epistolæ 3 et 4, in Collectione conciliorum Labbæi, quæ male assignantur Felici, cum Simplicio sint tribuendæ, uti probant, cum Pagio in critica Baroniana ad prædictos annos, emunctioris naris scriptores. Tertiam tandem Simplicio relationem dirigit Acacius, qua acta expendit in Petrum Mongum, illumque ut hæreticum declarat, et epistolam denuntiativam damnationis Simplicio dirigit, prius obtento a Zenone edicto ex Evagrio, quo eum pœna mortis subjiciat, si in intrusione perseveret. De Acacianis litteris exstat memoria in breviculo Eutychianistarum (apud Sirmon. et tom. IV Concil. Labbæi) : « Quandiu vixit imperator Leo, vixit Timotheus (Solophaciolus) episcopus Alexandriæ cum pietate ; sed cum Basiliscus occupasset imperium, damnare cœpit Chalcedonensem synodum, et catholicos prosequi. Tunc denique Timotheus ille damnatus (Ælurus) accepta libertate venit Constantinopolim, et damnatos hæreticos locis suis reddidit. Venit Alexandriam, fugit Timotheus catholicus... Redit Zeno imperator ad regnum, Basiliscus opprimitur. Mittitur Alexandriam, ut, pulso percussore, Timotheus catholicus red æretur Ecclesiæ. Sed Timotheo damnato morte prævento, Petrus (Mongus) consors ipsius ab uno hæretico Alexandrinus episcopus ordinatur. Quem nihilominus dejici jussit Christianissimus imperator, et reduci Timotheum catholicum, sicut Acacii Constantinopolitani litteris continetur. » Has relationes distincte recensendas duximus, quia sine iis sequentes notæ difficulter possent intelligi. Tertiam porro laudat Liber Pontificalis, ut a sede apostolica dictam depositionis sententiam justam ostendat, quam in Acacium pronuntiavit, qui cum damnato, et epistolis ab ipso datis hæretico publicato, et communicaverit, et defenderit, legitimo electo patriarcha excluso.

Linea 12. — *Facta petitione ab Acacio episcopo chirographo ejus constructa.* Epistola Acaciana, quæ relationem damnationis Petri Mongi continebat, et hæreticum declarabat, erat ejus generis, quæ denuntiativæ dicebantur, quando hæresis, et damnati hæretici, ut præcaverentur, Ecclesiis per has epistolas intimabantur. Plures exstant formulæ earumdem. Satis sit legere illam quam dedit Sardicensis synodus, in cujus fine hæretici episcopi denuntiantur, et denuntiationis causa ibi referatur. Hanc episcopi subscribebant, et quia erat encyclica, more apud Librum Pontificalem recepto, vocatur chirographum. (Tom. II *Concil.*, pag. 812.) Hanc epistolam, et in eo contenta sic Acacio in commonitorio Felix III commemorat, dum recenset acta priora, et relationes factas de utroque Petro Fullone, et Mongo, aliisque damnatis episcopis hæreticis. « Præcipue cum in his Christianissimo principi promulgandis, quando ad

Digitized by Google

regiam potestatem Deo comitante remeavit, operam tuam, missis huc litteris (en authenticum factarum relationum testimonium directarum ad sedem apostolicam) non tacueris, vehementer impensam esse, dignam catholico pontifice; gloriareris omnes qui contra sedem vestram, contraque Chalcedonensem synodum, et contra prædicationem sedis apostolicæ venire tentaverint, fuisse prostratos. » Petitio Acaciana vero, nedum erat, ut contra Petrum Mongum hæreticum ab ipso denuntiatum, et a Zenone morte multandum declaratum, suo calculo Simplicium sententiam confirmaret; verum ut pontifex vicaria potestate Acacium decoraret, ut nemo apostolicæ sedis infringere posset in Oriente episcoporum contumaciam proterviam, quod denotant verba, quæ subduntur immediate, ubi sic :

Linea 13. — *Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est sedis apostolicæ exsecutrix.* Mendum irrepsit, legendumque : *Eodem tempore*, quo facta est ab Acacio *petitio*, Ecclesia Constantinopolitana *fuit Ecclesiæ primæ, id est sedis apostolicæ exsecutrix* per Orientem ad debellandos Eutychianistas episcopos, per concessionem nempe Simplicii. Ita rem graphice describit Gelasius in epistola ad Faustum, cum de prædictorum episcoporum Eutychianistarum damnatione agit. « In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus (Ælurus nempe) et Petrus Antiochenus (Fullo dictus) Petrus (Mongus) Paulus (Ephesinus) Joannes (Apamenus) et cæteri, non solum unus, sed plures, neque nomen sacerdotii prælerentes, sola sedis apostolicæ sunt auctoritate dejecti : cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus exstitit exsecutor. » Et in epistola laudata ad episcopos Dardaniæ idem Gelasius cum de Acacio, et de sede apostolica : « Hæc dum Acacium certis comperisset indiciis a communione Catholica deviasse, diutius ita non credens, quippe quem noverat exsecutorem sæpe necessariæ dispositionis contra hæreticos exstitisse,! » mox hæc addit : « Nihilominus autem litteris suis Acacius indicarat, et in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita sedis apostolicæ auctoritate exsecutor ipse quoque damnaverat, sine ejusdem apostolicæ sedis consultatione promptissime recidisse. » Optime itaque hic adnotatum est, Acacium petiisse vicem sedis apostolicæ, et obtentam, et ejusdem exsecutorem fuisse pro damnandis episcopis.

Linea 15. — *Innumerabilia crimina affirmabat.* Acacius ad petitiones promovendas descripsit crimina Mongi. Hæc etiam Liber Pontificalis recensenda censuit, ut schisma Acacianum certum faceret ex Acacii mala indole ortum, qui damnaverat Mongum ut hæreticum, damnandumque curaverat describens, et denuntians cunctis in sua encyclica innumerabilia crimina a Mongo patrata.

Linea 16. — *Eodem tempore rescripsit Timotheus catholicus, et Acacius.* Non cessavit Acacius rescribere contra Mongi pravitatem, sed una cum Solophaciolo monuit pontificem, Timotheum Ælurum in occisione S. Proterii, et socium habuisse Mongum. Certe Mongi crimina fuisse gravia, ac delata imperatori Zenoni, pœna quam primo statuerat in Mongum declarat, quæ nempe capitalis erat ex Evagr. aiente : « Timotheus vero non multo post commune naturæ debitum solvit. Quo mortuo episcopi Alexandrini Petrum cognomento Mongum sua ipsorum auctoritate sibi episcopum deligunt. Quod Zenonem, ubi ad aures ejus pervenit, vehementer conturbavit. Itaque Petrum multavit morte. » Rescripsisse Solophaciolum ad Simplicium, et datis hinc atque inde litteris hæreticorum episcoporum ad Ecclesiam tunc regredientium recipiendi modum, et formulam præscribendam ab apostolica sede postulasse testatur idem Simplicius in epistola data anno 478 Acacio : « Ut autem perfecto gaudio gauderemus, idem frater et coepiscopus noster Timotheus exemplum libelli satisfactionis eorum quos a catholicæ fidei veritate Timotheus (Ælurus) et Petrus (Fullo) utrique damnati damnationis terrore traduxerant veniam postulantes, ad nos pariter destinavit, sacerdotali pietate lapsis subvenire desiderans, quod divinæ misericordiæ intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putavimus. »

Linea 18. — *Tunc archiepiscopus Simplicius dissimulans.* Additio hæc omnino impertinenter interponitur in gestis Simplicii, nullamque habet cum Acacianis gestis huc usque laudabilibus cohærentiam, coordinationemque ; unde supplenda per aliquid putabamus, et sedulo rimantes tum Felicis, tum Gelasii infra adducta gesta, perspeximus, ab ignorante librario, quæ Simplicio erant tribuenda, nullo ordine, imo perturbata interpolatione huic, et alteri inserta, enormibus achronismis fœdasse. Ad vindicanda itaque hæc acta cum ex epistolis pontificalibus, aliisque certis monumentis actorum seriem agnovimus, facile datum est, additiones cujuslibet pontificis vitis apponere, ut le omnis ambiguitas tolleretur, imo reconditiora sacræ eruditionis et historiæ arcana reserata permanerent.

Gesta Simplicii ex additionibus in Felice et Gelasio perperam insertis, restitutisque illustrata.

« Eodem tempore rescripsit Timotheus catholicus, et Acacius dicentes, quod etiam in morte Proterii catholici Petrus esset permissus (ex gestis Felicis), sub hujus episcopatu iterum venit relatio de Græcia, Petrum Alexandrinum revocatum ab Acacio Constantinopolitano (ex Gelasio). Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus venit Romam ad sedem apostolicam. Ipsis temporibus beatus Simplicius suscepit Joannem (*ex Simplicio, ubi supra*). Tunc archiepiscopus Simplicius, dissimulans, nunquam rescripsit Acacio, sed damnavit Petrum exspectans tempus pœnitentiæ. »

Acta porro Simplicii sic restituta, sicuti sequentium gestorum seriem certam pandunt, ita explicant, quæ desiderabantur in Simplicio ad explicanda posteriora hujus pontificis acta adversus Acacium : qui tandem, larva deposita, infensissimus pontificiæ auctoritatis hostis apparuit. In notis itaque tradendis gesta a nobis restaurata sequentes, sic tum ipsa, tum ordinem benevolo lectori trutinanda magis exhibemus.

Sub hujus episcopatu iterum venit relatio de Græcia. Relatio censenda ad sedem apostolicam directa vel ab ipso Joanne, vel a monachis (Monachi enim catholici in hac fidei causa viriliter decertarunt). Sic cum Basiliscus impium vulgavit edictum : « Daniel Stylites vir ille mirandus e monachorum, et populi turba, nonnullis rerum divinarum æmulatoribus assumptis ad Basiliscum profectus, multa libertate coram eo disseruit. » Ex Theophane : Antequam Acacius Simplicium suis relationibus conveniret, jam a monachis admonitum scribit pontifex in epistola ab Holstenio vulgata, et Felix III, legatis in Orientem proficiscentibus, cum monachorum consilia universa retractanda in mandatis dedit. Eosdem tum Simplicius, tum successores deligunt ad reparanda imminentia Ecclesiæ orientalis mala, ut ex epistolis ad eosdem datis manifeste conspicere quisque poterit. Verum antequam ulteriora Joannis Alexandrini acta cum Simplicio librentur, Joannis electio trutinanda. Aliquid supra tetigimus, nunc uberius ex Evagrio recolendum, quod ipse a Zacharia rhetore prodi affirmat. « Joannes presbyter, cui augusti templi divi Joannis Baptistæ, et præcursoris Domini administratio commissa fuit, quorumdam impulsus consilio, Constantinopolim venit, Imperatorem precaturus, ut si forte episcopus Alexandriæ, migraret e vita, sibi liceret antistitem, quem vellet, civibus illius civitatis nominare : qui quidem, ut Zacharias memorat, episcopatum pro se ambire ab imperatore deprehensus est, et cum se jurejurando obstrinxisset se nunquam sedem episcopalem Ale-

Digitized by Google

xandrinam petiturum, domum revertitur. Quapropter Zeno cum post mortem Timothei (Solophacioli) episcopum creandum decernit, quem clerus et laicorum multitudo deligerent, non longo tempore post, mortuo Timotheo, Joannes data pecuniæ summa, quemadmodum ab eodem Zacharia proditum est, et jurejurando quod imperatori dederat neglecto, Alexandrinorum deligitur episcopus. » Altera urgentior occasio ab Acacii ambitu profluens, et simultatum origo assignatur, nempe quod electus omiserit synodicam de sua electione dirigere ad Acacium, quam tamen Simplicio et Calendioni Antiocheno direxit. Ab initio enim susceptipatriarchatus Acacius in hypocrisi incedens, universa dirigebat, ut Constantinopolitana prima inter patriarchas sedes haberetur, et secundum post Romanum præsulem locum obtineret. Hinc anno 472 ab imperatore Zenone privilegium extorsit, ut secundam post Romanam in Oriente sedem obtineret, et supra tres diœceses Asianam, Ponticam, et Traciam jura patriarchalia exerceret, quod a Leone et Hilaro eo usque fuerat denegatum; ac in Orientis dissidiis coegit Basiliscum retractare edictum adversus concilium Chalcedonense editum; et cum Timotheus Ælurus Joanni Ephesino jus exarchatus juxta antiquam institutionem, quod jam Acacius usurpaverat, restituisset (ut supra ex Evagrio observatum est) voluit, ut in edicto imp. poneret hæc jura deberi sedi Constantinopolitanæ : sic enim (apud Evagr. c. 7, l. III) : « Quin etiam quorum episcoporum creatio penes sedem hujus regiæ et illustris civitatis est reverendissimo et sanctissimo patriarchæ Acacio restitui : atque episcopos, qui illis jam præsunt provinciis, proprias nihilominus sedes tenere, sic ut post ipsorum mortem nullum præjudicium contra ordinationis jus, quod ad sanctam sedem hujus regiæ et eximiæ urbis pertinet, ex ea re fiat. » Ex qua auctoritate post Basilisci interitum causam episcoporum diœcesis Asianæ sibi vindicavit, ut refert Evagrius ibi c. 9. Unde Gelasius ad episc. Dardaniæ ambitum istiusmodi Acacianum ita perstringit : « Qui cum superbissimo perflatis spiritu thronum humilitatis altius efferre conatur quam decuit, et præsumptionibus suis aditum undicunque conquirit; simulque per fas et nefas calcat, et transit inviolabilia statuta sanctorum; cum ipso quem imitatus est auctore superbiæ in profundissimam ruinam dejectus; id dereliquit Ecclesiæ, unde lugerent pacifici, et humiles flerent. » Eodem ambitu percitus, in sedis Alexandrinæ primum, deinde Antiochenæ jura perturbanda insolens insurgit : Joannem etiam dictum Talaiam e sede Alexandrina fugat, Petrumque Mongum, quem hæreticum denuntiaverat, atque ad eum expellendum e sede exsecutor apostolicæ sedis petitione data esse voluerat, nulla præmissa discussione, et legitimum declarat patriarcham, et ante absolutionem cum eo communicat. Quod contracte sic refertur in breviculo Eutychianistarum. « Defuncto isto Timotheo episcopo, Joannes Œconomus catholicus a catholicis ordinatur episcopis. Qui cum de consuetudine majorum ad apostolicam sedem synodica scripta misisset, superveniente Uranio Subadjuva, et contra Joannem jam episcopum sacra principis (Zenonis nempe) deferente, ab episcopatus illius confirmatione suspensus est. Et quia in eisdem sacris de restituendo Petro (Mongo) quem ipse damnavit, fecerat mentionem. Hæc pars est omnino denegata. Unde videtur Clementissimus imperator offensus. » Liberatus edicit Pergemio duci Ægypti, et Apollonio Augustali datum in mandatis, ut Joannem expelleret, et Mongum substitueret, cum quo Acacius, nulla præhabita prioris damnationis ratione, communicaverat.

Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus. De adventu in urbem ita breviculus Eutychianistarum. « Supervenit idem sanctus Joannes episcopus, qui sicut decebat ab apostolica sede susceptus est : et Liberatus, c. 18. « Joannes Talaja ejectus de sede Alexandrina propter Petrum Mongum, ingressus est ad Calendionem patriarcham Antiochenum, et sumptis ab eo intercessionis synodicis litteris Romanum pontificem Simplicium appellavit, sicut et beatus fecit Athanasius. Et suasit scribere posse Acacio Constantinopolitano episcopo, et quidem ad hoc Simplicius præparati animi, et voluntatis fuit. » Præparati quidem animi erat Simplicius, sed voluit primo rescribere Zenoni, ut ait Evagrius. « Joannes — fugiens Alexandria, ad antiquam Romam contendit : ibique magnas concitavit turbas..... Quare cum Simplicius antiquæ Romæ episcopus vehementer conturbaretur, et litteras propterea ad imperatorem Zenonem daret, rescribit Zeno, crimenque perjurii objectat Joanni, eumque ejus rei, non autem alterius gratia episcopatu abdicatum esse. » De Joanne Acacio scribere supersedit pontifex, ne Acacii ambitum foveret, ut reor, quo quasi in ejus arbitrio, uti primatem (quem affectabat, inter Orientis patriarchas) spectaret Joannis Alexandrini dejecti causa; sciretque Joanni offensum Acacium, eo quod synodicas post electionem ei dirigendas omiserit.

Linea 18. — *Tunc archiepiscopus Simplicius dissimulans.* Restitutio a nobis facta, et ex proximis ecclesiasticis monumentis librata, sicuti Simplicii in Acacium gestorum seriem illustrat, ita pariter fœdam in Felicis et Gelasii gestis interpolationem factam, et ab achronismis vindictam ostendit. Quod vero hic dicitur Simplicium cum Acacio dissimulasse, nec ei rescripsisse, ita intelligendum est; pontificem nempe cum per Uranium nomine imperatoris legatum audiret in Joannem objecta, et advenientem Romam Joannem exciperet, plurima in Acacium crimina asserentem, putasse dissimulare, quousque certior fieret de denuntiatis criminibus. Interim tamen epistolis commonitoriis id promovit, quod erat indubium, ut Acacius recederet a communione Mongi, putans facilem Joannis restitutionem, si illum induceret ad recedendum a Petri Mongi communione. Equidem id præstitisse docet epistola ad Acacium data post Mongi per Acacium promotam restitutionem, quæ supponit Acacium a pontifice postulasse confirmari Mongi restitutionem (Tom. II *Conc.*, pag., 916). Sic enim ibi Simplicius : « Illud me non mediocriter fecit attonitum, quod iisdem litteris tuis Petrum, qui hæreticorum dudum socius exstitisse probetur et princeps, quod conscientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, instructionesque ipsas, quibus fuerat confutatus nosse confidimus, quemque etiam dubium non sit adhuc extra communionem durare catholicam, sæpeque nos de eodem ex illa urbe pellendo scripsisse sit certum, ad præfatæ Ecclesiæ regimen existimet promovendum, eumque promittat rectæ fidei definitionibus convenire. » Dedisse etiam Simplicio acta restitutionis, in quibus legebatur, Mongum a plebibus expetitum, supponit pontifex, cum reserat qui erant suffragatores pro Mongi restitutione, scribens : « Denique ab eisdem ipsis, cum quibus olim a catholica participatione divisus est, pontifex dicitur postulari, ut satis evidenter appareat, non eos rectam fidem velle, sed in præsule proprio nefandi dogmatis quærere potestatem : neque inter ipsos et veraciter sentientes pax inde possit fida generari : unde hæreticarum mentium crescit funesta damnatio, et catholicorum miseranda captivitas. » Ad tres annos protractum fuisse tempus damnationis Acacianæ, deinde vulgatæ a successore scribit Gelasius Anastasio imperatori (tom. II *Conc.*, pag. 895). « Hinc Acacium quoque jure dicimus a nostro consortio submovendum, qui maluit in sortem transire perfidiæ, quam in catholicæ atque apostolicæ communionis sinceritate constare; cum fere per triennium, ne id eveniret apostolicæ sedis epistolis doceatur competenter instructus. » Eadem habet Liberatus c. 18, et Breviculus Eutychianistarum.

Digitized by Google

Linea 23. — *Per mensem Decembrem et Februarium.* Amalarius in lib. II de Eccl. Off. c. 1, scribit, « quod primi apostolici semper in Decembrio mense, in quo Nativitas D. N. J C. celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium..... Ipse primus sacravit in Februario. » Micrologus eadem repetit, addens id haberi in *Pontificali Romano*, nempe ex istiusmodi libro Vitarum Pontificum. Verum ut superius notatum est, id tantum intelligendum de ordinationibus ad dignitatem, et ad ministeria in Ecclesia Romana obeunda, dum aliis temporibus reliquos de clero ordinatos ad ministeria Ecclesiarum præstanda certo supponit Gelasius, qui paulo post sedem retinuit. » Exstat enim Gelasii decretum cum epigraphe (tom. II *Conc.*, pag. 956). *Constituta Gelasii Papæ, quæ Episcopi in sua ordinatione accipiunt :* Unum istorum erat : « Ordinationes vero presbyterorum et diaconorum nonnisi quarti, septimi, et decimi mensium jejuniis. Sed et ingressu Quadragesimali, atque medio, vespere sabbati noverit celebrandas. Exstat et altera epistola Gelasii ab Holstenio publicata, quæ totidem verbis episcopo, qui scribit, observantiam inculcat (in *Coll. Rom.* p. 241). Pelagius I, scribens Centumcellensi episcopo medianam ordinationis faciendæ tempus assignat (*ibid., p.* 241) : « Veniente mediana septimana Paschæ, si Dominus voluerit, et si vixerimus, unumquemque per officia, quæ prædiximus, promovere non differas. » Satis sit et illud addere, sedem apostolicam ab initio usque ad hæc tempora per diaconos epistolas ecclesiasticas direxisse per provincias. His etiam patrimoniorum S. Petri cura demandabatur, quæ dispersa erant per orbis totius regiones : ad hæc vero implenda ministeria parvus numerus diaconorum ordinatorum, qui in superioribus gestis recensetur, omnino insufficiens erat. Ordinabantur itaque aliis jejuniorum Sabbati sacri ministri ad sacra, et alia obeunda ministeria, quorum memoria omittitur, quia tantum hæc in indiculis notabatur, quæ cum dignitate nectebatur. (Apud Baluz, *in nov. Conc.*, pag. 334.) Equidem in Breviculo collationis Carthaginensis apud S. Augustinum legitur : « Facile potuit a Catholicis responderi, in tanta turba clericorum Romanorum, nihil mirum fuisse, si duo vel tres non solum stratores sed etiam Cassiani reperirentur. » Erat itaque numerosior clerus Romanus, adeoque præter ordinatos in Vitis pontificum numeratos, et alii erant, aliis de his ordinati.

BINII ET LABBEI.

Linea 6. — *Hic constituit hebdomadam, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes et baptismum*, etc. Constituit S. Simplicius ut propter ingruentem populum presbyteri per vices hebdomadales in designatis ecclesiis præstolentur semperque ad confessiones peccatorum audiendas, et ad reliqua sacramenta pro necessitate fidelium dispensanda parati adsint. Qui hoc munus peragebant, dicti sunt Hebdomadarii, ideo quod alii aliis per vices succederent. Unde manifestum est, sacramentalem peccatorum confessionem, a Christo Domino institutam, anterioribus sæculis huc usque frequentatam fuisse.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

In epocha Simplicii statuenda annorum 15 et dierum 7, Bibliothecarius concordat cum catalogis inter nostrates antiquissimis ; licet Farfensis addat mensem 1, uti etiam tres Colbertini apud Pagium : qui tamen producit ac sequitur alios quatuor ejusdem Bibliothecæ cum nostris consentientes. Simplicii festum in basilicis patriarchalibus Romæ colimus die 2 Martii, qua scribit Bibliothecarius depositum fuisse ad S. Petrum in Vaticana. Inde si recedamus per dies septem in anteriora, incidemus in 24 Februarii ejus initio tribuendam anno Bissext. 468, quo constituimus obitum Hilari die 21 ejusdem mensis. A Vacationem sedis producit quidem textus Anastasii ad dies 10, quam nos biduo vel triduo reputamus : sive duæ siglæ unitatum II ab amanuensibus decussatæ 10, denarium expresserint loco binarii ; sive electus pontifex protraxerit ordinationem per hebdomadam solidam, et ansam dederit scriptoribus catalogorum attribuendi vacationi sedis post mortem Hilari, præter triduum in electione Simplicii completum, etiam 7 dies proximos ejus ordinationi interpositos post electionem ; exigua differentia unius hebdomadæ non meretur indaginem ulteriorem in hac epocha definienda : cujus initium sit 24 Feb. 468, finis vero 2 Martii 483. Certum est beati Simplici vitam constasse ad 4 Kal. Junias anni 482, Severino consule, ita demonstrante ejusdem epistola inscripta Joanni episcopo Ravennati : cujus exemplum in codice ms. annorum circiter 800 a nobis sæpe laudato in Bibliotheca ven. monasterii S. Crucis ad Hierusalem signatur IV. *Kal. Junias, Severino V. C.* B *consule.* Quin etiam ad VIII Idus Novembris ejusdem anni eumdem superfuisse declarat alia epistola ad Acacium restitutum ; quam Binius edidit in Concil. generalibus, eodem die et consule data.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3. — *Et Basilicum B. Andreæ apostoli juxta basilicam S. Mariæ.* Ubi nunc est Antonii abbatis ecclesia monasterium, ac Nosocomium in foro Exquilino ante basilicæ Liberianæ frontem extenso, ibi ætate Platinæ supererant parietinæ hujus ecclesiæ S. Andreæ a Simplicio dedicatæ, quam memorat Bibliothecarius. Tholi partem superstitem ante annos minus quam octuaginta vidit sacrarum antiquitatum studiosissimus præsul Jos. Ciampinus, qui tomo primo veterum Monumentorum, cap. 27, eamdem descripsit, et iconem nobis exhibuit musivi operis nondum excisi una cum epigraphe olim a Platina integre lectam, a se vero in illa parte, quam capitalibus litteris hic exprimemus, minisculos characteres C alteri reservantes, quam Platina viderat, et quæ Ciampini ætate jam exciderat.

hæc tibi mens valide decrevit pr AEDIA XPE
cui testator opes detulit ille SVAS
SIMPLICIVS QVAE PAPA SACRIS CAELESTIBVS APTANS
EFFECIT VERE MVNERIS ESSE TVI
ET QVOD APOSTOLICI DEESSENT LIMINA NOBIS
MARTYRIS ANDREAE NOMINE COMPOSVIT
VTITVR HAEC HAERES TITVLIS ECCLESIA IVSTIS
SVCCEDENSQVE DOMO MYSTICA IVRA LOCAT
PLEBS DEVOTA VENI PERQVE HAEC COMMERCIA DISCE
TERRENO CENSV REGNA SUPERNA PETI.

Ejusdem sacri musivi partem potiorem ex delineatione Ciampini fideliter expressam lectori exhibendam curamus. Qui plura cupit cognoscere de nomine *S. Andreæ Catabarbara Patricia* huic Ecclesiæ addito ex illustri matrona patriciæ stirpis prope eamdem incolente (a qua etiam Severanus affirmat translatum fuisse Neapolim corpus S. Severini) necnon D de nomenclatura *monasterii sancti Andreæ*, tum etiam *basilicæ Sicinianæ* huic ædificio splendido olim inditæ antequam sub nomine Andreæ apostoli Deo dicaretur, consulat eumdem Ciampinum cap. 7 et 27 laudati operis : ubi conspiciet figuras ornamentorum hic detectorum, tam sacras quæ ad Ecclesiam beati Andreæ pertinuerunt, quam prophanas, quæ in basilica Siciniana supererant. Inter has vero celebres sunt tabulæ duæ inde translatæ ad palatium olim card. de Maximis nunc excell. Domus Albanæ ad Quatuor fontes, ex sectis marmoribus picturam imitantibus coagmentatæ, unicum fortasse exemplum e veteribus superstes illius artis, quam hodie felici conatu revocatam exercent marmorarii nostri et sculptores, præsertim ad ornamentum sacrarum ædium ; Florentiæ vero in magni ducis musæo lapidario ad supremum elegantiæ apicem perducta est.

Hujus ecclesiæ ac monasterii S. Andreæ *Cata-*

Digitized by Google

Barbara memlnit Bibliothecarius in sectionibus quæ subsequuntur.

Linea 3. — *Et aliam basilicam intra Urbem juxta palatium Licinianum beatæ martyris Bibianæ, ubi corpus ejus requiescit.* Hanc ecclesiam basilicæ Liberianæ addictam ab Eugenio papa quarto instaurare cœperant canonici sedente Urbano VIII, quorum votis clementer annuens Dominus, sanctæ virginis et martyris corpus reperiri concessit : unde pietas Urbani pontificis excitata, magnificis ornamentis auxit sacram ædem, et labro onychino eximii pretii ejusdem lipsana inclusit una cum sociis martyrii Demetria et Dafrosa, eaque solemniter transtulit, et quotanis a clero basilicæ solemni supplicatione adiri mandavit. Venerabilis enim redditur locus non modo istorum pignorum depositione, sed etiam vetustiori memoria cœmeterii ad Ursum pileatum, de qua nobis sermo fuit supra in notis ad S. Anastasium).

Linea 6. — *Hic constituit*, etc, *hebdomadam, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, et baptismum : regionem tertiam ad S. Laurentium*, etc. Tomo præcedenti hujus nostræ editionis in Notis historicis ad Vitam sancti Cleti, agentes de numero instituto titulorum, ac presbyterorum in Urbe, eorumque distributione per vices hebdomadarias ad operandum sacris in basilicis patriarchalibus postquam illæ fundatæ sunt, et auctæ juxta numerum patriarchatuum in orbe Christiano institutorum, illustravimus hunc locum Anastasii, ostendentes circa medium quinti a Christo sæculi in basilica Laurentiana extra muros imaginem quamdam Hierosolymitani patriarchatus fuisse redditam, per id temporis decreto concilii Chalcedonensis eidem Ecclesiæ Hierosolymitanæ attribuente eam consequentiam honoris : quarè illa sedes numerari cœperit inter patriarchales. Id fusius exposuimus in notis ad S. Dionysium, ex Innocentio III observantes dispositionem Ecclesiæ Romanæ id semper habuisse proprium, ut Ecclesiam catholicam typo quodam exprimeret, cæteras colligentem sedes, et coronas sub primatu illius, in qua tronus Dei et Agni, in Apocalypsi a Joanne spectatus, in Petri cathedra conspicitur; quem propterea typum universitatis credentium, hujusmodi hierarchiæ unitate Christo Domino ejusque in terris vicario parentium, toties exprimendum curarunt summi pontifices in musivis et picturis sacrarum ædium per 24 seniores Apocalypsis, coronas offerentes sedenti super thronum et Agno : uti videmus in basilica S. Pauli via Ostiensi a Leone Magno, in titulis SS. Praxedis et Cæciliæ a Paschali I et alibi expressum. Alium quoque typum universitatis ex eadem visione Apocalypseos sunt mutuati, nempe septem candelabra, universitatis symbolum eodem numero redditura, quæ in titulo SS. Cosmæ ac Damiani Felix III, qui IV dicitur, una cum senioribus (maxima ex parte nunc excisis) et in basilica S. Mariæ Transtiberim Innocentius II musive expressit. Quod in parietibus sacrarum ædium pictura exhibebant, hoc in cleri Romani ministerio repræsentarunt, patriarchalibus Urbis ecclesiis, quæ ad instar majorum diœceseon sunt, septenarium numerum presbyterorum cardinalium ex titulis Romanis lectum singulis deputantes, juxta numerum dierum in hebdomada, ut ibidem sacris operarentur : ac totidem episcopos in Lateranensi adhibuerunt, quæ mater, apex, ac vertex omnium per orbem ecclesiarum habetur (ut verbis cardinalis Damiani cum alio card nempe Raspono supra retulimus in notis ad S. Cletum), et ipsam Romanam sedem omnium principem, ac thronum in terris Domini, et Salvatoris nostri repræsentat.

Dum illa adnotarem, ostendi jura veteris institutionis præservata semper fuisse tribus potioribus patriarchis, maxima contentione et cura pontificum Romanorum ex ætate Damasi ad Leonem Magnum, Simplicium, Felicem, ac successores adhibita, ut cohiberetur ambitus præsulum Constantinopolitanorum, alienas provincias invadere studentium, et ipsas diœceses primatum exercere attentantium; licet honoris titulum, et sessionis locum deferri (salvo jurisdictionis et potestatis primævo jure Alexandrino, et Antiocheno propriis in regionibus debito) tum Constantinopolitano tum Hierosolymitano permitterent inter patriarchas. Dixeram in notis ad S. Dionysium ex hac etiam destinatione Simplicii hebdomadarias vices instituentis ad *sanctum Petrum apostolum, et ad sanctum Paulum apostolum, et ad sanctum Laurentium martyrem*, deligentisque ex numero septenario regionum Urbis ecclesiarum *primæ, tertiæ, sextæ ac septimæ* presbyteros, ad sacra in illis administranda, ostendi universitatem sacerdotii per totum Christianum orbem diffusam mystice adumbrari apud Romanam sedem in titulis et basilicis Urbis, ita exprimentibus *majores diœceses singulorum patriarcharum*, et ab his proximas *exharcharum, metropolitanorum, et episcopales* hierarchico nexu sub Petri successore compositas; in quas exercet Romanus traditum sibi divinitus primatum, dum testibus Arelatensis concilii Patribus, ibidem cum Schelestratio ac Thomassino productis, *indeclinabilem jurisdictionem exercet in cæteros omnes patriarchas.* Hanc vero et Simplicium exercuisse videbimus in notis sequentibus tum D. arch. Somier, tum Pagii, tum nostris. Hic honorificentiæ consulit trium extra Urbis pomœrium positarum patriarchalium, dum singulis attribuit septenarias vices, e titulis intra Urbem positis deligens presbyteros, qui dietim in illis administrarent. Quare epocha hebdomadariæ illius partitionis referri tuto potest ad pontificatum Simplicii in tribus basilicis, tunc extramœnianis, intelligitur quoque apte ordinata singulis attributio ex iis regionibus, quæ proximiores cum essent illi patriarchali cui ascribebantur, faciliorem obeundi ministerii copiam præbebant.

Addicitur enim basilicæ S. Pauli via Ostiensii clerus hebdomadarius ex prima regione ecclesiastica, quæ continebat duas veteres Augusti ex designatione dictas *Porta Capena*, et *Aventinus* 13. Vide inter prolegomena opusculum de regionibus Urbis. Tituli in hac regione siti sunt S. Sabinæ, S. Priscæ, S. Balbinæ, SS. Nerei et Achillei, S. Sixti : quos legitimus inter septem eidem basilicæ addictos apud Panvinium, de 7 Urbis ecclesiis. Basilicæ S. Petri attribuuntur hebdomadarii ex regione sexta ecclesiastica, quæ fuerat Augusti 14, nempe *Transtiberina*, ubi sunt Tituli S. Mariæ Transtiberini, S. Chrysogoni, S. Cæciliæ, in ea partitione memorati inter addictos ad Vaticanam; et ex regione septima Ecclesiastica, quæ complectitur duas Augusteas, *nempe viam Latam* 7, et *circum Flaminium* 9, ubi occurrunt tituli S. Laurentii in Damaso, et S. Marci, inter Vaticanæ deputationis numerum pariter recensiti. Denique ex tertia regione ecclesiastica, quæ continet duas Augustas, 5 scilicet *Isidis et Serapidis*, et v *Esquilinam* appellatam, deputantur titulares S. Praxedis, et S. Petri ad vincula, additis quoque e regione Cœlimontana SS. Joannis et Pauli, S. Stephani Rotundi, SS. Quatuor Coronatorum, et S. Crucis ad Hierusalem presbyteris cardinalibus : quibus et S. Laurentii in Lucina adnumeratum lego titularem, sed mihi non liquet, an posteriori aliqua mutatione substitutus fuerit loco viciniorum fortasse addictorum in hac prima Simplicii partitione : quæ non memorat, nisi regionis tertiæ clerum Basilicæ S. Laurentii extra muros ad hæc ministeria attributum. Servata enim fuit hæc disciplina regionariæ partitionis ad hebdomadarias vices in basilicis patriarchalibus exercendas per titulorum presbyteros cardinales usque ad undecimum Christi sæculum, uti constat ex epistola S. Petri Damiani apud Baronium ad annum 1057, imo et ad duodecimum custodita usque ad Honorium secundum cognoscitur ex Pandulpho Pisano in Vita Gelasii secundi, etiam Panvinio

Digitized by Google

adnotante, de 7 Urbis ecclesiis cap 2, et Carolo abb. Piazza, de Titulis cardinalium pag. 358, quos consule. Cur autem illa disciplina tunc defecerit, dum turbata Ecclesiæ et imperii pace, a creatione cardinalium ita cessasset Honorius, ut ferme ad solitudinem redigeretur sacrum ipsorum Collegium, apud eosdem Panvinium et Piazza notatum reperies.

Nihil igitur impedit quominus intelligamus ætate Leonis Magni et Simplicii positam fuisse ab Ecclesia Romana imaginem quinque sedium patriarchalium (ad eumdem numerum auctarum titulotenus in synodo Ephesina per abjectionem Hierosolymitani) constituendo septenarias vices hebdomadarias etiam in Laurentiana extra muros; nihil inquam impedit quominus intelligamus hæc augmenta honoraria per eosdem pontifices admissa, qui novorum patriarcharum ambitum et audaciam coercebant; cum nec honorificentia confessus ac tituli, nec species ejusdem infringeret jura potestatis primævæ tribus veteribus patriarchis constanter præservatæ a Leone, B ac Simplicio, non secus ac ipsorum a decessoribus ex Damaso ad Leonem Magnum. Vide notas Pagii, et Sommier.

Antequam manum de tabula removeamus agentes de hac hebdomadaria partitione titularium ad sacra ministranda in tribus basilicis patriarchalibus tunc extramœnianis, nempe S. Petri in Vaticano, S. Pauli via Ostiensi, et S. Laurentii in agro Verano, necessarium videtur aliquid indicare de attributione titularium ad ministeria præstanda duabus reliquis patriarchalibus intra muros Urbis inclusis, nempe Lateranensi ac Liberianæ. Has enim pari numero cardinalium suas hebdomadas implevisse dubitare non possumus, cum eosdem exprimant vetusta monumenta, apud Baronium, et Panvinium, aliosque producta. In Lateranensi septem episcopos vicem obiisse sub Stephano quarto perspicuum est ex Bibliothecario, sect. 284, quem pontificem historicus refert renovasse ritum antiquum. « Pristinum Ec- C clesiæ in diversis clericatus honoribus renovavit ritum. Hic statuit ut omni Dominico die a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant, missarum solemnia super altare beati Petri celebrarentur. » Ad quam vero ætatem Stephano quarto anteriorem referri debeat origo illius ritus a Stephano restituti, neque Bibliothecarius aperte docet, nec alius quod sciam scriptor insinuat. Conatus attamen sum in notis ad Cletum pag. 38 investigare, quandonam numerus cardinalium presbyterorum, qui 25 semel definitus a Petro apostolo, et ab Evaristo completus renovabatur in persecutionibus per Dionysium et Marcellum, adauctus sit ad 28, nempe quatuor septenaria, ita ut basilicis quatuor possent singula septenaria assignari. Ostendi numerum titulorum 28 completum fuisse per Damasum, cum veteribus 25 titulum equitii Silvester addidisset, Marcus vero et Damasus singuli singulos de suo nomine nuncupatos. Ex Anastasio in Vita Damasi etiam adverti eadem pagina 38 notarum, apparere quamdam normam, episcopis, presbyteris, ac monasteriis tunc assignatam sacræ psalmodiæ per omnes ecclesias diu noctuque persolvendæ. Quare cum ante finem sæculi quarti numerus quatuor septenariorum haberetur in titulis, et ordinate psallendi norma per omnes ecclesias episcopis ac presbyteris traderetur, aliqua partitio hebdomadaria cœpisse videtur, saltem ex ætate Damasi etiam in basilicis intra Urbis pomœrium eodem sæculo fundatis : quam deinde sensim perfecerunt subsecuti Damasi successores, episcopos proximos (qui postmodum dicti sunt cardinales) in Lateranensi patriarchio syncellitas adhibentes ad sacra peragenda quando in Urbem se conferre per vices possent, supplendo per proximos titulares regionis Cœlimontanæ et Exquilinæ defectum episcoporum, si forte aberant : in Liberiana vero presbyteros cardinales pariter adhibentes e proximioribus, nempe S. Pudentianæ sive Pastoris, A S. Eusebii, S. Vitalis, seu Vestinæ, SS. Apostolorum, S. Cyriaci in Thermis, S. Clementis, SS. Marcellini ac Petri, qui etiam in partitione, usque ad Honorium secundum vigente, eidem Liberianæ cognoscuntur ascripti : quorum de antiquitate quinto sæculo æquali dubitare non licet; cum in concilio Romano sub Symmacho ex omnibus hisce titulis presbyteri legantur subscripti.

Hebdomadaria igitur assignatio episcoporum septem in Lateranensi, et presbyterorum totidem in quatuor reliquis patriarchalibus basilicis Romanis videtur primum rudimentum accepisse sub Damaso, et complementum obtinuisse a Simplicio.

Linea 13. — *Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, sedis apostolicæ exsecutrix.* Ætatis barbaræ ingenium agnoscimus in hujus periochæ contextu, quem vereor ut reddiderint implicationem errores amanuensium : videtur autem ita restituendus : *Eodem tempore fuit Ecclesia Constantinopolitana sedis* B *apostolicæ exsecutrix.* Restitutionem hanc non dubiam facit epistola Gelasii quarta in qua pontifex memorat Timotheum Ælurum Alexandrino patriarchatu, Petrum Mongum Antiocheno, aliosque dejectos sola Romanæ sedis auctoritate, delegatione illius exsecutionis demandata Acacio Constantinopolitano. Verba Gelasii sunt : « In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus Petrus, Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, et cæteri, non solum unus sed plures, utique nomen sacerdotii præferentes sola sedis apostolicæ sunt auctoritate dejecti : cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus exstitit exsecutor. » Vide in notis Sommier historiæ totius epilogum : ex quo cognosces Biographi istius mentem fuisse in contrahendis brevi periocha Simplicii gestis exprimere exercitam ab eo fuisse auctoritatem sedis suæ omnium principis in exauctorandis aliarum sedium præcipuarum præsulibus, ab illo gradu per hæresim excidentibus; et ad ministerium suæ præceptionis ac sententiæ exsecutioni mandandæ delectum a se fuisse Acacium Constantinopolitanum, licet is postmodum affectaret primatum, qui noverat a primate totius episcopatus delegatam tantummodo sibi fuisse exauctorandi provinciam, ejusdem nomine qui delegabat.

CIACONII

Linea 3.—*Basilicam beati Andreæ apostoli.* Basilica hæc a papa Simplicio condita et dedicata hodie cernitur conjuncta ædi S. Antonii propinquæ S. Mariæ Majori, et conservatur in ea ornamentum opere vermiculato, seu musivo elegantissimo, in quo Christi imago, et B. Andreæ et aliquot aliorum apostolorum visuntur. Vocatur a quibusdam hæc eadem Ecclesia S. Andrea in Barbaris, quod in muris ejus variæ ferarum imagines a Diana venatrice, et ab Hippocentauris conficiantur, opere partim tessellato ex variis confecto marmoribus, partim vermiculato.

Linea 7.— *Hebdomadam.* Hebdomadarii erant hujusmodi, quod ob ingruentem populum vicissim succedere solerent. Sed hebdomadarii isti, pro quatuor regionibus constituti, cum septem essent, quod alias tres regiones Eruli occuparent, qui catholicæ Ecclesiæ minime communicarent, utpote qui secta essent Acaciani.

PAGII.

Linea 15.—*Damnavit Petrum Alexandrinum*, etc. Timotheus Ælurus, ut in sancto Leone diximus, S. Proterio episcopo Alexandrino vivente, Alexandrinam Ecclesiam invaserat, sanctumque Proterium interfici curaverat; sed anno 460, Leone imperatore præcipiente, ex ea sede dejectus, et Chersonam exsilio relegatus, alius pro eo Timotheus Salophaciolus synodi Chalcedonensis defensor episcopus ordinatus fuerat. Verum cum Basiliscus, anno 476, Orientis imperium invasisset, damnare cœpit Chalcedonensem synodum, et catholicos persequi. Quare Ti-

Digitized by Google

motheum Ælurum promulgato edicto ab exsilio revocavit, qui cum iterum Ecclesiam Alexandrinam invasisset, Timotheus Salophaciolus in monasterio latere coactus est. Simplicius, ut huic malo occurreret, tres epistolas anno quadringentesimo septuagesimo sexto scripsit, primam ad Basiliscum, quæ in Collectione conciliorum Labbei est ordine 4, in qua Simplicius petit ab imperatore Basilisco, ut Timotheum Ælurum, qui Alexandrinam sedem occuparat, et clam Constantinopoli suas hæreses disseminabat, regia potestate cohibeat. In epigraphe quidem hujus epistolæ librarius posuit, *Zenoni Augusto*, sed auctor criticæ Baronianæ anno 476 legendum ostendit, *Basilisco Augusto*; et tam eam, quam duas alias, nempe quintam Simplicii ad Acacium Constantinopolitanum episcopum, et septimam ad presbyteros et archimandritas Constantinopolitanos contra Timotheum Ælurum, non esse scriptas mense Januario, sed mense Junio.

Parte alia Petrus Fullo, qui ab anno 463 Ecclesiam Antiochenam turbare cœperat, eam postea invasit : qua temeritate commotus Leo imperator, anno 471 synodum episcoporum fieri præcepit, in qua Fullo depositus ac damnatus, jubente Leone, in Oasim deportatus est. Sed anno 476 in sedem Antiochenam a Basilisco tyranno restitutus, ex ea iterum pulsus est anno 477. Holstenius in collectione Romana publicavit epistolam Simplicii papæ ad Acacium Constantinopolitanum episcopum, quæ sine die et consule est, ex qua discimus Simplicium ab Acacio de synodo a se Constantinopoli indicta monitum, petiisse ut hæretici in ea damnarentur. Exstat ea epistola tom. IV Concil., pag. 1039. Quare anno 478, Acacius Constantinopoli, Simplicius Romæ synodum celebravit. In illis Timotheus Ælurus, Petrus Fullo, Joannes Apamenus, et Paulus Ephesiorum episcopus damnati sunt. Felix enim III, Simplicii papæ successor, in epistola ad clericos et monachos Orientales apud Baronium anno 483, n. 52, ait : « Quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab apostolica sede damnari, ut his etiam vocabulum Christianorum tolleretur, quod gesta apud eum habita manifestant. » Quæ verba nonnisi de synodalibus gestis intelligi possunt.

Porro Petrus Fullo damnatus est in synodis Constantinopolitana et Romana, quod trisagio hymno in Ecclesia cani solito, ex his tantum verbis composito : *Sanctus Deus*, *sanctus Fortis*, *sanctus Immortalis*, *miserere nobis*, clausulam hanc adjecisset : *Qui crucifixus es pro nobis*, ut nempe Theopachistarum hæresim, qua Fullo infectus erat, induceret, et Deo Trino, ad quem superiora spectabant, passionem ascriberet. Id constat ex epistola Simplicii papæ ad Petrum Fullonem, quæ incipit, *Quis dabit capiti meo aquam*, etc., quæ in conciliorum collectione Felici III male ascribitur, estque ordine 3 et ex alia epistola ad eumdem Fullonem, quæ incipit, *Quoniam pestiferis doctrinis imbutus*, etc., estque ordine 4 inter Felicianas, quæ duæ epistolæ Simplicio restitui debent, ut videre est in critica Baronii. In iis epistolis Simplicius invehitur in Fullonem, quod trisagiæ deprecationi additionem illam induxerit. Exsecutio sententiæ qua Petrus Fullo damnatus, et Antiocheno episcopatu dejectus, demandata Acacio, ut docet Gelasius papa in laudata epistola 13 ad Dardaniæ episcopos, et in commonitorio ad Faustum, ubi loquens de Timotheo Alexandrino, et Petro Fullone Antiocheno, aliisque episcopis, ait : « Sola sedis apostolicæ sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus exstitit exsecutor. »

Petro Fullone, ut superius dictum est, anno 477 dignitate moto, Joannes Apamenus ordinatus est episcopus Antiochenus; sed hoc quoque post tres menses ejecto, Stephanus vir spectabilis Antiochiæ promovetur episcopus. Stephano anno 481 demortuo successit Stephanus Junior, ut scribit Theophanes, « quem fidei perduelles, pro sua in Petrum Fullonem propensione, in amentiæ subsidium furorem armantes, in sancti martyris Barlaam baptisterio acutis calamis perfossum et necatum in Orontem fluvium projecerunt. Zeno porro facinus attentatum ulturus Acacio Constantinopolitano præsuli, ut Antiochiæ crearet episcopum, mandavit : qui consecravit Calendionem. » Hunc, non vero Stephanum Juniorem, Constantinopoli Antiochenum episcopum ordinatum, diserte etiam tradit Theodorus Lector, lib. II, Stephani Junioris cædem, et Calendionis ordinationem, contra Nicænorum canonum tenorem, et antiquum usum Constantinopoli factam, graviter tulit Simplicius papa. Dispensationem tamen concessit, seu veniam infractorum canonum, rogante Zenone imperatore, ea lege, ut usurpata ab Acacio Antiocheni episcopi consecratio non traheretur in exemplum, et servarentur canones, ita ut Antiochenus episcopus, et creatio ejus reservaretur synodo Orientalis diœceseos, ut liquet ex epistolis 14 Simplicii ad Zenonem, et 15 ac 16 ad Acacium, quas anno 482 datas probat idem criticæ Baronianæ auctor. Ex hoc Simplici facto Romani pontificis primatus supra omnes episcopos evidenter ostenditur, quippe qui cum patriarchis etiam Orientalibus de canonibus conciliorum etiam œcumenicorum dispenset.

Cum Timotheus Solophaciolus episcopus Alexandrinus anno 476 episcopatu dejectus fuisset a Timotheo Æluro, hicque anno sequenti a Zenone imperatore pulsus esset, et Timotheus restitutus, mortuo tamen eodem anno 477, Timotheo Æluro, Petrus Moggus, seu Mongus, ipsius consors, ab uno hæretico Alexandrinus episcopus ordinatur. Hunc nihilominus dejici jussit imperator Zeno, et reduci Timotheum Solophaciolum. Sed cum hic anno 481 obiisset, Joannes Talaia, a Græcis *Tabenniosita* cognominatus, quod esset ex numero Tabennensium monachorum, qui apud Canopum monasterium jam inde a Cyrilli temporibus habitabant, a catholicis ordinatus est episcopus Alexandriæ, statimque litteras synodicas ex more misit ad Simplicium papam, et ad Calendionem episcopum Antiochiæ, ut ex Breviculo historiæ Eutychianistarum, et ex Liberato liquet. Ad Acacium vero Constantinopolitanum episcopum synodicas mittere neglexit, seu, quod amicitiæ illi magistri officiorum confideret, seu, quod jamdiu antea infensus erat Acacio. Ea res Acacii animum graviter commovit, et imperatoris animum adversus eum exasperavit.

Imperator scripsit primo ad Simplicium papam per Uranium subdiaconum litteras, quibus Joannem tanquam perjurii reum, quod quidem Acacio etiam episcopo notum esse perhibebat, sacerdotio judicabat indignum. Satius autem esse dicebat, ut ad procurandam ecclesiarum Ægypti unitatem atque concordiam Petrus Moggus in sedem Alexandrinam restitueretur. Imperatoris litteris acceptis Simplicius papa, qui Joannis Talaiæ apocrisarios in communionem suam recipere, ejusque ordinationem sententia sua confirmare jam paratus erat, pedem repressit, ne contra imperatoris testimonium quidquam præpropere egisse videretur. Mox per eumdem Uranium rescripsit imperatori, quod quidem a Joannis ordinationem attinet, lecto imperatoris testimonio suspendisse se ab ejus confirmatione, quod vero ad restitutionem Petri Moggi spectat, eum utpote hæreticum, et ab hæreticis postulatum, nec posse, nec debere restitui, quippe qui apostolico judicio damnatus, in pristino errore adhuc permaneret. Periere hæ Simplicii litteræ, sed exstant quas eodem tempore scripsit ad Acacium Constantinopolitanum episcopum, quæ datæ sunt *Idibus Julii Severino V. C. cos.* ideoque anno 482, suntque in collectione Conciliorum ordine 17.

Zeno imperator, spreta Simplicii papæ responsione, scripsit ad Pergamium ducem Ægypti, et ad Apollonium Augustalem, « ut Joannes expelleretur

Digitized by Google

ab Alexandrina sede, quasi eam contra suum jusjurandum, quod in regia civitate dedit, arripuisset : cooperaretur Petro Moggo, ut remaneret in sede; nec prius hoc faceret, nisi susciperet Henoticum principis, synodicas destinaret epistolas Constantinopolitano Acacio, et Simplicio Romano, et cæteris a chiepiscopis. Acacius vero, promittente Petro facere unitatem, nec adhuc implente, legitime nomen ejus in diptychis recitari permisit, tanquam jam Alexandrini præsulis in sede apostolica positi, » inquit Liberatus cap. 12. Joannes, ut legitur in Breviculo Historiæ Eutychianistarum, Romam venit, et, *sicut decebat, ab apostolica sede*, ad quam appellaverat, *susceptus est*. Dum Romæ esset, Simplicio papæ persuasit, ut pro sua causa adversus Petrum Moggum ad Acacium Constantinopolitanum episcopum scriberet. Quod quidem promptu ac libenti animo fecit Simplicius. Acacius vero, acceptis Simplicii litteris, respondit se Joannem quidem episcopum Alexandriæ minime agnoscere, Petrum vero Moggum jussu Zenonis Augusti in communionem suscepisse. Iis litteris graviter commotus Simplicius rescripsit Acacium non recte neque ordine egisse, qui Petrum communi sententia damnatum in communionem recepisset.

Cum Joannes Talaia libellum pararet offerre Simplicio varia in Acacium crimina continentem, Simplicius morte prævenius est, antequam Acacius postremis ejus litteris respondisset, ut prodit Liberatus cap. 18. Obiit enim hic S. pontifex die secunda mensis Martii anni quadringentesimi octogesimi tertii, eodemque die in basilica S. Petri apostoli sepultus est, ut habet Anastasius, postquam sedisset *annos quindecim, et dies sex*, ut legitur in uno exemplari Ms. Colbertino Anastasii, in catalogis 4 et 5, tom. I. criticæ Baronianæ præfixis, et in Mariano Scoto.

Linea 23. — *Per mensem Decembrem et Februarium*, etc. Mabillonius in commentario prævio ad ordinem Romanum, paragr. 16, hæc de Simplicio observavit : « Primi apostolici, inquit Amalarius in lib. II, cap. 1, semper in decembrio mense, in quo Nativitas Domini Nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit a B. Petro 49. Ipse primus sacravit in Februario. » Idem testatur Micrologus ex Romano Pontificali, quo nomine *librum* de Gestis Rom. pontif. intelligit. Sane inter tot pontifices, qui ad finem sæculi noni ordinationes fecerunt, unus Leo II, in mense Maio ordinationes fecit; et in mense Septembri unam Gregorius Magnus; alii post Simplicium omnes, vel mense Decembri, vel in prima, vel in mediana hebdomada Quadragesimæ; nulli, quod quidem sciatur, in sabbato Paschæ. Hæc, inquit criticæ Baronianæ auctor, recte Mabillonius, nisi quod asserit Leonem II mense Maio ordinationem fecisse; in ejus enim pontificatu ostendemus illum mense Junio ordinationem suam peregisse.

Sed hac de tempore sacrarum ordinationum quæstione mature examinata, mihi quidem videtur et Amalarium, et viros doctissimos falli, dum scribunt Romanos pontifices usque ad Simplicium semper in mense Decembri ordinationes peregisse : sicut enim post Gelasium, qui primus eas Quatuor Temporibus affixit, Romani pontifices huic communi regulæ astricti non erant, sed quibuscunque Sabbatis diaconos, presbyteros, et episcopos ordinabant, ut in Leone II ostendemus : ita ante Simplicium, legi de ordinationibus mense Decembri faciendis, ob principem dignitatem non alligabantur, sed aliis mensibus, ubi opus erat, ad sacros ordines promovebant. Anastasius quidem usque ad Simplicium ordinationes omnes mense Decembri a Romanis pontificibus factas memorat; verum, ut scribit Edmundus Martene, libri de antiquis Ecclesiæ Ritibus, cap. 8, art. 4, num. 5, non negat etiam aliis Quatuor Temporum ejuniis, aut ab ipsis etiam, aut ab aliis eorum jussu episcopis celebratas fuisse. Hæc conjectura robur accepit ex eo, quod Chronicon Damaso attributum, quo, ex alibi dictis, nullum antiquius monumentum de duratione pontificum Rom. superest, diserte scribit, Eusebium papam sedisse tantum *menses quatuor, dies sedecim, et fuisse a* XIV *Kalend. Maias, usque in diem* XVI *Kalendas Septembris*, qui ideo nullum mensem Decembrem in suo pontificatu vidit, et tamen Anastasius testatur eum ordinationem fecisse per mensem Decembrem; qui Anastasii error non exstat in Chronico regiæ Sueciæ, tam ex editione Papebrochii in conatu Chronico-historico, quam Schelestratii in antiquate Ecclesiæ; utrobique enim Eusebius dicitur ordinationes tres fecisse, nulla mensis Decembris mentione facta, ex quo necessario sequitur eum alio mense quam Decembri ordinationes peregisse. Idem dicendum de Marco papa, qui ex eodem Damasi Chronico *sedit menses* 8, *dies* 20.... *ex die* XV *Kalendas Februarii, usque in diem Nonarum Octobrium*, ideoque sacros ordines conferre non potuit mense Decembri, ut scribit Anastasius : unde Baronius anno 336, num. 61, ait : « Totum illud de duabus a Marco habitis ordinationibus mense Decembri evanescere. » Præterea ex pontificibus quinquaginta sex in dicto regiæ Sueciæ Chronico memoratis, quindecim reperiuntur, quorum ordinationes factæ dici possunt alio mense, quam Decembri, in iis prætermisso; sunt autem Anacletus, Evaristus, Sixtus, Pontianus, Anterus, Cornelius, Sixtus II, Eusebius, Liberius, Siricius, Anastasius, Sixtus III, Hormisda, Joannes I, et Felix IV, in quo illud Chronicon desinit; imo cum in eo mentio non sit ordinationum peractarum a Simplicio, Symmacho, et Felice IV, mense Febr. apparet auctorem dicti Chronici, tempora ordinationem peractarum extra mensem Decemb. ideoque extra regulam communem, vel ignorasse, vel potius consulto prætermisisse; et Anastasium, qui eo Chronico usus esse creditur, existimasse omnes ordinationes a pontificibus factas mense Decembri, quia alius mensis in eo Chronico non exprimebatur, et ordinationes generales de more et juxta antiquas regulas in mense Decembrio peragebantur : a quibus tamen regulis immunes erant episcopi Romani, qui diaconos, et presbyteros quibuscunque sabbatis ordinabant, imo et episcopos quibuscunque diebus, etiamsi non essent Dominici : cujus rei illustre exemplum habemus in sancto Agapito papa, qui anno 536, Constantinopoli existens, Mennam patriarcham Constantinopolitanum consecravit die decima tertia mensis Martii, quæ eo anno in feriam quintam incidebat. Hanc conjecturam eruditorum examini submitto, paratus sententiam mutare si eam claudicare arbitrentur. Vide dicenda in Gelasio et in Leone II.

SOMMIER.

Linea 10. — *Sub hujus episcopatu venit relatio de Græcia*, etc. Incidit in ea tempora pontificatus Simplicii, quæ gravia ubique discrimina ostenderent non sine lacrymis aspicienda. Vidit enim Occidentis imperium eversum : et postremos quinque imperatores sive trucidatos, sive depulsos, nempe Anthemium, Olybrium, Glycerium, Nepotem, et Augustulum; qui veluti in theatrum temporarium producti, et ictu oculi e scena erepti Italiam reliquerunt sub dominatu barbari et Ariani principis Odoacris, regis Herulorum. Vidit quoque Orientis imperium per manus traditum duobus Augustis hæretica labe infectis, aut hæresum fautoribus, Basilisco et Zenoni. Duos pariter Arianos reges Gothorum per Gallias et Hispanias exercere dominatum; et ex eadem secta Wandalos tyrannos crudeliter in Africa debacchari. Abominationem denique desolationis conspexit in loco sancto; cum scelestos passim aspiceret thronis patriarchalibus incubare; Ælurum scilicet ac Moggum cathedræ Alexandrinæ; Fullonem Antiochenæ; Hierosolymitanæ Gerontium; et Acacium in Constantinopolitana perciperet iterare de patriarchatu

Digitized by Google

querelas, et ambitum secundæ sedis in Ecclesia catholica, per extorta in conciliis generalibus decreta ab ejus decessoribus attentatæ, quæ tamen sedes apostolica non confirmaverat.

Confirmationem, a Simplicii decessoribus negatam, ab ipso in ejus electionis exordio extorquere conatus est Acacius, interposito principis Leonis patrocinio. Sed constantia Simplicii plane respondit firmitati Romanæ sedis antistitum, a Damaso ad Hilarum peræque custoditæ. Respondit enim Leoni Augusto legati sui verbis, ut Gelasius præfert epist 13 ad episc Dardaniæ, « nullatenus posse tentari, neque his prorsus præbuisse consensum : atque ideo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis Ecclesiæ paterna traditione confirmatum convenienter observent. » Leonis vero Augusti litteris ac legibus per Acacii suggestionem editis, et lib XVI de sacrosanctis Ecclesiis in codice insertis eadem constantia restitit; sed etiam increpavit apostolica libertate et auctoritate non semel tum ipse Simplicius, tum Felix III successor talia attentantem : uti Gelasius papa loco supra citato : « Papa Simplicius, et post eum sanctæ memoriæ papa Felix imperatorem Zenonem pro iisdem ipsis excessibus auctoritate libera sæpe increpasse noscuntur. Flectique potuisset, nisi Constantinopolitani præsules accenderentur instinctu, qui particeps æternæ communionis effectus, necessario id quod inciderat jam fovebat, mallens in sua prævaricationis obstinatione persistere, quam curandus ad salubria remeare : sicut ipse rerum probavit eventus. »

Vigilantia Simplicii constantiæ par enituit in Orientalium patriarchatuum rebus componendis. Ab Alexandrino Timotheus Ælurus semel expulsus nitebatur in eamdem sedem iterato irrepere. Ut averteret hoc discrimen ecclesiarum, Simplicius litteras dedit apostolico præsule dignas ad Zenonem Augustum in hanc sententiam : « Functus igitur, gloriosissime, ac clementissime fili imperator Auguste, munere salutandi, quæ in Ecclesiis Orientis per hæreticorum latrocinia recidiva rursus dicuntur scandala committi, nec debeo silere, nec possum. »

Enarratis vero criminibus, ita prosequitur : « Hæc, imperator Auguste, cum horreat animus vel a tanto gladiatore fuisse tentata, maxime tamen, fateor, stupore detineor, sub vestræ pietatis aspectibus potuisse committi... Inter quaslibet enim occupationes publicas a religioso principe magnopere procurandum est, quod ejus protegit principatum, et præferenda cunctis rebus est cœlestis observantiæ rectitudo, sine qua recte nulla consistunt. Neque conscientiam vestram latere credendum est quæ per cunctas provincias Orientis ex imperii vestri arce diffusa sunt : illa scilicet, quæ vel ad augustæ memoriæ Marciani, nihilominus et Leonis, vel Chalcedonensis concilii beatæ recordationis prædecessor meus consilia direxit..... Perstat enim in successoribus suis hæc et eadem apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque ad finem sæculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam prævaluras esse promisit, etc., quo magis B. Petri apostoli voce qualiscunque sedis ejus minister obtestor, ut inimicos antiquæ fidei non sinas impune grassari, qui vestros optatis habere subjectos. » Simplic. epist 4. ad Zen. Aug.

His litteris addidit unam ad Acacium, alteram ad clerum Constantinopolitanum. In prima cum Ælurus sollicitaret, ut nova synodus Chalcedone haberetur contra priorem, et contra dogmaticam epistolam Leonis Magni sic scribit. « Quia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum exstante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis recte sapere videtur novis assertionibus non indiget edoceri, sed plena atque perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab hæreticis erudiri, vel in vineæ Domini plantandus institui, implorata fide clementissimi principis, vocem faciendæ synodi [illegible] respui, » etc. In altera vero dolet in eorum cœtu scandalum illud et incendium renovari, quod judicium universalis concilii, et S. Sedis auctoritas jam exstinxerat. « Post traditionem, inquit, tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in universo mundi parte has quoque hæreses evicerunt, beatæ recordationis prædecessor noster Leo multiplici sermone doctrinæ, quid catholicæ veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata, non contentione opus est, ut adhuc tanquam de dubiis judicetur. »

In alia vero epistola ad Acacium, qui ad eum perscripserat quæcunque Constantinopoli et in provinciis hæretici gessissent, quæve iis remedia essent opponenda, vigilem animum advertit ad abrumpendum moram diuturniorem eorum qui Constantinopoli convenerant Patrum, « ne scilicet aliquis debius rationis et trepidus mentis exspectet novi aliquid contra ipsius definitiones retractari. »

Quo autem pacto exsecutionem sententiæ depositionis contra Petrum Fullonem, Ælurum, Moggum, Paulum, Joannem demandaverit Acacio, constat ex epistola Gelasii ad episcopos Dardaniæ.

Legitimus vero præsul Timotheus Salofaciolus Ecclesiæ Alexandrinæ restitutus solemni legatione ad Simplicium, petiit remissionem præcedentis erati, quod scilicet ante perterritus Dioscori Eutychiani nomen in sacrorum celebratione recitasset : necnon postulavit, ut Æluro et Moggo pœnitentibus, et libelli satisfactionem offerentibus, licet lapsis, subveniretur. Magnum profecto et excellens documentum supremæ auctoritatis Romani pontificis, cui supplex sistitur secundæ in Ecclesia sedis patriarcha, ejusque ex clero pœnitentes, ut gratiam indulgenter consequantur.

In Ecclesia pariter Antiochena non destitit auctoritatis suæ documenta dare per illam dispensationem a Nicæni canonis observantia, in eligendo per Acacium Constantinopolitanum novo Antiocheno Patriarcha in locum Stephani impie trucidati : quam ea conditione concessit imperatoris insinuationi, providens ne in hæreticum hominem electio caderet, si a clero perageretur, ea, inquam conditione, ne in exemplum, aut jus subsequentium traheretur; sed juxta canonum definitiones a concilio patriarchatus Orientalis electiones subsecuturæ de more haberentur.

Novis attamen turbis Ecclesia Alexandrina concussa est in electione Joannis Talaiæ post obitum Salofacioli. Joannes ad Simplicium de more synodicam de sua electione direxerat, ut confirmaretur. Zeno imperator ab inimicis Joannis prævenius non modo litteras contra Joannem dederat ad Simplicium, sed etiam Moggi restitutionem proposuerat : quod attonitum ferme cum redderet Simplicium, distulerat pontifex responsum ad Joannem, sed Zenoni aperte negaverat Moggi restitutionem. Irritatus repulsa imperator *Henoticum* illam funestam dictavit, quæ tot malorum Iliadem in Ecclesias invexit, jubens præfecto Ægypti ut Henoticam recipi a Joanne curaret, eaque recepta e sede sua expelleretur. Henoticam ab hæresi liberare frustra contendit recentior (Nat. Alex. part. 1 sæc. V, cap. 5, et dissert. 18) cum ab orthodoxis semper rejecta fuerit non ea tantum de causa, quod a laico principe contexta sit ad judicandum de fidei rebus auctoritate minime prædito, verum etiam quia cum supprimat decisiones Leonis papæ, et sacri concilii Chalcedonensis, Eutychianæ hæresi patrocinatur, contra quam magnus ille pontifex et œcumenica synodus pronuntiaverat.

Moggus Henotica recepta jussu Zenonis Antiochenæ sedi restitutus scripsit ad Simplicium papam se in Chalcedonensi fide persistere. Joannes autem per vim expulsus Antiochiam primo se contulit, et collatis cum Calendione ejusdem sedis antistite consi-

Digitized by Google

liis, litterisque munitus, ad Romanam sedem confugium expulsorum se contulit, exemplo Athanasii. Joannes ea honorificentia susceptus a Simplicio qua par erat, hujus quoque litteris ad Acacium scriptis juvandus apud principem videbatur. Verum Acacius Moggi et Henoticæ Zenonianæ partes secutus, quas illi exprobrabat Simplicius, superbe primum rescripsit, deinde libellum contra Acacium transmisit Simplicio offerendum : qui tamen Felici successori redditus est, cum interea rebus humanis exemptus fuisset Simplicius. Quæ postmodum consecuta sint, in notis ad Felicem dicentur. Interea Simplicii firmitas et apostolica vigilantia ex omnibus ejusdem gestis apparet.

L. SANCTUS FELIX III.

ANNO CHRISTI 476, ZENONIS IMP. 10, ODOACRIS REGIS 8.

73 *Felix tertius, natione Romanus, ex patre Felice presbytero*, de titulo Pasciolæ, *sedit annos octo, menses undecim, dies viginti tres* [a]. Hic fuit temporibus Odoacris regis usque ad tempora Theodorici. Hic fecit basilicam sancti Agapiti juxta basilicam sancti Laurentii martyris. Sub *hujus episcopatu iterum venit relatio de Græcia Petrum Alexandrinum revocatum ab Acacio* episcopo Constantinopolitano [b]. *Tunc venerabilis Felix* archiepiscopus sedis apostolicæ urbis Romæ *mittens defensorem* cum concilio sedis suæ, facto concilio, *damnavit Acacium* Constantinopolitanum, et Petrum Alexandrinum. *Post annos tres iterum venit relatio ab imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius. Tunc papa Felix misit duos episcopos Mesenum* [c], *et Vitalem, ut si invenirent complicem Petri Acacium, damnarent* eos. *Qui dum introissent in civitatem* Heracleam, *corrupti* sunt *pecunia, data suprascriptis episcopis, et non fecerunt secundum præceptum sedis apostolicæ.* Venientibus *vero Romam ad sedem apostolicam*, eodem tempore venerabilis *Felix papa fecit* synodum, et operata est discussio, et invenit indicium ambos episcopos [d], id est Mesenum et Vitalem, reos et corruptos pecunia [e], *et ejecit Mesenum, et Vitalem episcopos a communione. Tunc Mesenus episcopus non se tacuit corruptum pecunia.* Hoc factum est tempore Odoacri regis. *Hic fecit ordinationes duas* in urbe Roma *per mensem Decembrem, presbyteros viginti octo, diaconos quinque, episcopos per* diversa *loca numero triginta et unum.* Hic *sepultus est* in basilica beati Pauli apostoli, *et cessavit episcopatus dies quinque.* Et post transitum ejus factum est a presbyteris, et diaconibus constitutum de omni Ecclesia, ut nullus aliquando in ea causa præsumeret se festinum ostendere de ea re, quæ aliquando ad requisitionem pervenire debet.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann 9, minus d. 12, a coss Anicii ad Anastasium Aug et Ruffinum coss. — *B*, id negat. [b] *Vide Baron ad annum* 485. [c] C, Misenum. [d] Facta discussione invenit ambos episcopos reos. [e] *Vide Baron. ad annum* 484.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 73, *lin* 2, *AB*, dies 17. *lin.* 11, *B*, complices, etc., damnarent eos, si non offerrent libellum pœnitentiæ. *lin* 12, *B*, Constantinopoli. *lin* 15, *B*, et facta examinatione invenit ambos episc. *lin* 18, *post verb.* pecunia, *add.* cui concilium concessit tempus pœnitentiæ.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 73, *lin* 1, Felix nat Rom *lin* 2, dies 17. Hic fuit a temporibus Odoacri regis usque ad tempus Theodorici regis. Hic fecit basil. *lin* 4, episc relatio venit de Græcia. *lin* 7, suæ, et facto conc damnavit Petrum. cum Acacio. Post. *lin* 11, Acac iterum damnarent eos, si non afferrent libellum pœnitentiæ. Qui dum intr in civitate Heraclia, corrupti sunt pecun data eis, et non f.s. p. S. Apost venientibus illis Romam, præfatus papa fecit synodum, et facta est discussio, et invenit episcopos Mesenum et Vitalem reos, et corruptos pecunia, et ejecit eos a communione. Tunc Mes episc non reticuit corruptum se pecunia, cui concilium concessit te : pus pœnitentiæ, et hoc factum est *lin.* 20 loca 30 *lin* 22, de omni Ecclesia. *Cætera desiderantur in utroque codice.*

Ex codice Thuano altero.

Num 73, *lin* 1, Felix nat Rom. *lin* 2, dies 17. *lin* 8, damn Ac. cum Petro. *lin* 15, invenit in judiciis ambos. *lin* 16, ej. Mes et Vit a commun. *lin* 22, de omni Ecclesia. *Cætera desunt.*

Apud Holstenium Schelestratium.

Num 73, *lin* 1, *Flor.*, annos 6. . . dies 16. *lin* 9, *Flor.*, ad imperatorem Zenonem *lin* 11, *Flor.*, iterum damnarent eum, si non offerret libellum pœnitentiæ. Qui dum introissent Constantinopolim, corrupti, etc. *lin* 15, *Flor.*, et facta examinatione invenit ambos episcopos. *lin* 17, *Flor duo addunt*. cui concilium concessit tempus pœnitentiæ; *lin* 25, *in Flor desunt verba* ut nullus... debet.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num. 73, *lin* 3, temporibus Odobacris, *lin* 18, tempore Oddbragis regis.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 6. — *Tunc venerabilis Felix archiepiscopus sedis apostolicæ urbis Romæ, mittens defensorem cum consilio sedis suæ.* Defensores erant subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, quibus utebatur pontifex vel ad regendum patrimonium Ecclesiæ Romanæ, vel ad legationes obeundas, vel ad judicandum de rebus et personis ecclesiasticis, can. *Valde necessarium*, 94 dist., can. *Pervenit*, 11, qu. 1, can. *Probinum*, can. *De præsentium*, 16, qu. 1.

Linea 22. — *Et post transitum ejus factum est a presbyteris et diaconibus constitutum de omni Ecclesia, ut nullus aliquando in ea causa præsumeret se festinum ostendere de ea re, quæ aliquando ad requisitionem pervenire debet.* Vacante sede Romana morte Felicis, clerus Romanus statuit ut nullus interim festinaret cognoscere de ea re, quæ aliquando ad requisitionem pervenire deberet, id est, de causa Acacii Constantinopolitani et Petri Alexandrini, de qua Felix agere cœperat. Vacante sede nihil innovandum, cap. *Novit ne sed. vacant.*

BENCINI.

Perturbatus est ordo, et series actorum, et quæ Felici certo conveniunt, in Gelasio leguntur. Propterea ut in Simplicio, sic et in Felice acta primo coordinanda, et postea illustranda fore arbitrati sumus, ut tali serie cuncta facile explicentur.

Felicis III acta ex Gelasii gestis, et ibi perperam factis additionibus suppleta, et coordinata.

(Ex Gelasii gestis.) « *Ipsis temporibus beatus Felix suscepit Joannem.* » (Ex Felice.) « Post annos tres iterum venit relatio ab imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius. Tunc papa Felix misit duos episcopos Misenum et Vitalem, ut si invenirent complicem Petri Acacium, damnarent eos. Qui dum introissent in civitatem Heracleam, corrupti sunt pecunia data suprascriptis episcopis, ut non facerent secundum præceptum sedis apostolicæ. Venientibus vero Romam ad sedem apostolicam, eodem tempore venerabilis Felix papa fecit synodum, et operata est discussio, et invenit indicium ambos episcopos, id est Misenum et Vitalem, reos et corruptos pecunia; et ejecit Misenum et Vitalem episcopos a communione. Tunc Misenus episcopus non se tacuit corruptum. » (In Felice.) « Tunc vener. Felix, archiepisc. sedis apostolicæ urbis Romæ, mittens defensorem cum concilio sedis suæ facto concilio damnavit Acacium Constantinopolitanum, et Petrum Alexandrinum. » (Ex gestis Gelasii.) « Tamen exspectans sedis apostolicæ satisfactionem secundum humanitatem primæ sedis ecclesiæ. » (Ex iisdem gestis Gelasii) : « Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio. » (Ibid. inferius) : « Et iterum misit, et damnavit in perpetuum Acacium et Petrum, si non pœniterent. » (In Felice.) : « Hoc factum est tempore Odoacris regis. » Et reliqua, uti in Felice leguntur. Coordinationem factam, et gestorum seriem intermedio momenta assignanda probabunt.

Ipsis temporibus beatus Felix suscepit Joannem. Addunt alii codices, *cui etiam secundam sedem præbuit*, id est recognovit uti secundæ sedis patriarcham, ut ita etiam Acacii infringeret ambitum, usurpantis per Orientem prærogativam, eousque Alexandrino concessam nullo discrepante, et insuper inter ecclesiastica officia locum tribuit, qui debetur secundæ sedis patriarchæ. Susceptio ista censeri debet instituta in synodo Romana, cujus mentio occurrit apud Evagrium, et nos hanc primam synodum Romanam sub Felice dicimus. Ejusque acta breviter describenda.

Synodus Romana I sub Felice.

Synodum hanc assignandam Felici putavimus, quam cum altera priori pontificis anno jam adulto 483 celebrata confundunt, in qua delecti legati sedis apostolicæ ad Zenonem, ut Acacium ad meliora capessenda consilia suaderent, quamque unam eamdem esse putantes, sic acta utriusque pervertunt. Nos duas fuisse sic ostendimus. Supponimus Felicem creatum pontificem anno 483 die VI Martii, et adunatam synodum, vel ad celebrandam ejus ordinationem juxta priorem consuetudinem, qua in die anniversaria pontificum cœtus ecclesiasticus adunabatur, uti legitur in actis synodi Romanæ sub Hilaro 465, vel eamdem esse, quam Simplicius ante obitum congregaverat, ut audiret Joannem Talaiam Alexandrinum e propria sede fugientem ob Mongi intrusionem, quique in suo adventu obtulit, ex Evagrio, libellos tum Simplicio, tum Felici illico ab electione, et jure appellationis in synodo examen erat instituendum a prima sede. Motiva incœptæ synodi sub Simplicio pro causa Alexandrinæ Ecclesiæ nobis fuerunt, quia auctor breviculi de examine sub Simplicio instituto diserte testatur, dum asserit, quod cum inter epistolas Acacii illa legeretur, in qua damnatus erat Joannes dictus Codonatus Apamenus episcopus etiam ex Acacii sententia : « Quod cum præfatus Joannes Alexandrinus episcopus relegisset, tacere non potuit quod Joannem illum (Codonatum nempe) quem Acacius damnaverat cum Petro (scilicet Fullone) et sine remedio pœnitentiæ fecit ab apostolica sede damnari : post tot damnationes Tyriorum miserit Ecclesiæ præsidere. » In qua Joannis facta animadversione duo in examine ab Acacio admissa crimina necessario illata : unum quod ab ipso ut hæreticum damnatum, et quidem cum sedis apostolicæ decreto, eumdem et in communionem, sede apostolica inconsulta, receperit; alterum, quod Tyrii metropolim dederit regendam, quod ad jura patriarchatus Antiocheni spectabat, proindeque provinciarum ecclesiastica jura usurparet. Hæc, ut reor, probata, et aliis adminiculis, de quibus mox disserendum, roborata, occasionem præbuerunt Felici, ut illico a suscepto pontificatu incœpta a Simplicio terminaret. De ea circumstantia jam ante synodum Romanam secundam, in qua legatio apostolica directa est, discussa, meminit synodus hæc, dum cum legatis rescribit ad universos presbyteros et archimandritas Constantinopoli et per Bithyniam consistentes. « Adjectum etiam tunc, cum ista in examinatione tractantur, quod Acacius Joannem illum Tyriorum Ecclesiæ fecerit præsidere, qui Apamenis a Petro (Fullone) Antiochenæ Ecclesiæ tyranno fuerit episcopus ordinatus. » Particula *tunc* ostendit ante synodum secundam, qua legati deliguntur, examen institutum, et Joannem restitutum, damnatumque iterato fuisse Petrum Mongum a Felice : quæ omnia acta in hac priori synodo Romana breviter et recensenda, simulque expendenda. Annus itaque celebrationis fuit 483, et interfuerunt vel episcopi qui sub Simplicio convenerant, vel qui aderant pro solemni pontificis ordinatione. Aderant catholicorum postulationes tum civitatis Alexandrinæ, tum Constantinopolitanæ; illi testantes Joannis orthodoxiam, legitimamque ordinationem, et Mongi tyrannidem; Constantinopolitanorum vero postulata dirigebantur, ut Acacio frena injicerentur, quem Orientis totius eversorem esse clamabant. De legatione Ecclesiæ Alexandrinæ catholicæ id testatur Evagrius scribens (*Ibid. c.* 20) : « Epistola quidem Ægyptiorum tum ista de Petro complexa est, tum etiam quod Joannes et orthodoxus esset; et ut leges Ecclesiæ postulant, ordinatus; Petrus autem ex duobus solum episcopis eadem erroris pravitate cum illo infectis, creatus; tum denique quod post Joannis fugam nulla non supplicii genera orthodoxis ab eo

Digitized by Google

inflicta. Quæ omnia Acacio per quosdam, qui Constantinopolim venerant, significata esse, Acaciumque Petro in omnibus quæ moliebatur subsidio fuisse memorant. » De legatis Alexandrinis Mongi sequacibus id testatum faciunt apocrisiarii Alexandrini, hæreticum Mongum perseverantes tueri sub Anastasio imperatore Constantinopolim venientes, et libellum offerentes legatis sedis apostolicæ ibi degentibus, quem libellum primus publicavit Baronius. In eo vero hæretici Mongi sequaces ita conquerebantur (tom. II *Conc.*, pag. 953) : « Legatos ad urbem Romam nostra dirigere curavit Ecclesia. Sed ibi quidam civitatis nostræ repertus est a recta fide dissentiens (sic Joannem Talaiam insinuant), atque ab ea causis quoque diversis alienus existens, qui hoc visus est perpetrare, ne ulla in suscipiendis legatis copia præberetur : qui ne ad faciem usque salutationis admissi, sine aliquo effectu, reversi sunt. » Acta itaque, et decreta hujus primæ Romanæ sub Felice videntur hæc fuisse. Primo discussa est causa Joannis, et Mongi, et adjudicatur Joanni sedes Alexandrina, ac insuper pontifex declarat hanc secundam esse sedem, quod erat necessarium, ut everterentur quæ Acacius extorserat a Zenone, et Basilisco imperatoribus decreta, quibus contra canones Nicænos, et specialiter contra Leonem Magnum Hilarumque gesta fuerant ad compescendum ambitum. Unde in Anastasii codice Freheri juxta Fabrottum legebantur in Gelasio per errorem, quæ Felici conveniebant (cum sub Gelasio Acacius, Mongusque jam essent denati), hæc verba : « Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus episcopus catholicus venit Romam ad sedem apostolicam, quem beatus Felix suscepit cum gloria, cui etiam secundam sedem præbuit. » Seu ut verum et legitimum secundæ sedis patriarcham recognovit, declamavitque. Editum hocce confirmatorium decretum supponit Gelasius, dum in singulis epistolis Joannem secundæ sedis episcopum indigitat, et propterea ut ea prærogativa decoratum merito a prima sede judicatum esse scribit, ac Acacii ambitum in Joannis Alexand. dejectione omnino improbat. Scribit enim episc. Dardaniæ, quod Felix in prioribus suis epist. cum monuerit : « Contestans, et blandiendo pariter et minando, ne se a corpore *catholicæ* unitatis abscinderet, simulque quoniam *hunc* Joannes secundæ sedis antistes gravibus pulsaret objectis, ad primæ sedis audientiam cohortatus est, vel venire debere, vel mittere. Licet enim synodus iteranda non esset, tamen congrueret, ut cujuslibet civitatis episcopus primæ sedis judicium non vitaret ad quod convenerat secundæ sedis antistes, qui nisi a prima sede non posset audiri ; præcipue qui præjudicatis animis nulla synodo a Græcis fuisset exclusus, etiam apud eos causam suam, nec posset omnino dicere, nec deberet : quia ab inferioribus episcopis potior, nisi a prima sede, ut dictum est, vel discuti potuisset. » Unde idem Gelasius ad Faustum, pag. 885, dixit : « Et Constantinopolitanæ civitatis episcopus, quæ utique per canones inter sedes nullam nomen accepit. » Zacharias rhetor refert, 492, Felicem dedisse monacho cuidam, qui Romam detulerat Acacii crimina, sententiam abdicationis, quam tamen Acacius non suscepit. (Apud Evagr., lib. III, cap. 18) : « Joannes, qui Romam confugerat, Felicem, qui post Simplicium episcopus Romanus fuit, admonet de rebus a Petro gestis, suadetque, ut narrat Zacharias, ut epistolam abdicationis ideo mittat Acacio, quod cum Petro communicaverat, quod quidem contra Ecclesiæ canones factum (quidam enim qui vitam monasticam in monasterio eorum qui ἀκοίμητοι vocantur eam epistolam attulerunt) Acacius admittere noluit. » Quæ res a Zacharia proditæ sunt. Etsi Evagrius id ex sparso rumore tantum a Zacharia prolatum asserat, nihilominus ante legationem Vitalis et Miseni a Felice aliquid meditatum in Acacium ostendunt artes et diligentiæ, ad legatos apostolicos circumveniendos ante adventum in urbem adhibitæ regiam, de quibus mox dicendum, quæ pandunt Acacio quidquam notum de prioribus gestis a Felice ante apostolicam legationem. Joannis vero causam in judicio synodali discussam testatur Gelasius affirmans de Joanne (tom. II *Conc.* in comment. ad Faustum, pag. 885) : « qui nullis causis evidentibus, nec ante convinci, nec postea provocans, etiam in judicio competenti potuit accusari. » In Petrum Mongum confirmatum primum damnationis decretum, rescriptumque ad episcopos illos, qui epistolas dederant pro Petri confirmatione idem Gelasius testatur in epistola ad Anastasium imperatorem, qui videtur promovisse causam Petri. « Quod si fortasse astruxerint, quod ad apostolicam sedem de susceptione Petri per Acacium cuncti consona voce retulerint, per eumdem sibimet pari voce sentiunt fuisse rescriptum. » Quando nempe in hac prima Romana synodo Felix legitimum patriarcham agnoscens Joannem, id Acacio denuntiavit, et simul declaravit Mongum ut intrusum, et hæreticum juxta priorem damnationem esse putandum. Hanc enim epistolam, quam prænomitionem appellat Gelasius, Felicem ad Acacium direxisse ante legationem, testatur in epistola ubi sup. ad episc. Dardaniæ, ubi de Acacio : « Quibus ille cum debito silentio diu non respondere proponeret, episcopalis quoque directa legatio est, ac nihilominus pagina destinata, quæ prænoneret, eum suorum ante meminisse gestorum, et quæ primitus pro fide catholica desudasset, oportere respicere. » Quibus verbis pontifex id intendit, ad iteratas Simplicii, et Felicis monitiones *indebito* (ut altera habet lectio) silentio non respondisse, sed omnes exsufflasse. Quod etiam testatur Evagrius mox laudandus. Tandem in hoc concilio editæ sunt synodicæ ad Zenonem, et Acacium (ibid., c. 20). Harum solam memoriam reservavit Evagrius, ubi loquens de actis Felicis in Acacium ante legationem ordinatam in sequenti Romana synodo : « Aliæ præterea litteræ a Felice tum ad illos (monachos, aliosque de statu Orientis referentes) tum ad Zenonem scriptæ fuerunt, quibus eos non modo concilii Chalcedonensis, verum etiam persecutionis in Africa, regnante Theodorico excitatæ in memoriam redigeret. Scripsit porro aliam ad Acacium epistolam. » Prænomitivam nempe ut Gelasius supra. Has vero epistolas, quæ perierunt, quæque, ut Evagrius testatur, erant simul compactæ in codice actorum Felicis papæ in causa Acaciana, diversas esse ab iis quas dedit cum secundam synodum celebravit, et legatos Vitalem et Misenum direxit, constat, quia hæc exstant, ubi de persecutione nulla reperitur mentio. Puto itaque, quod cum Hunnericus, jam anno 483, omnes Africæ episcopos evocaret, ut initio anni 484, (quod factum est mense Februarii) audirent edicta hæreticalia, et inter alios fugerent episcopi viginti octo, aliqui Romam ad Felicem confugientes, pontificem admonuerint (tom II, *Conc.*, pag 817). Africani enim episcopi leguntur in synodo Romana sub Felice, ubi recensentur episcopi adstantes : *Victore, Donato, Rustico, et Pardalio Afris.* Potuit monere initio pontificatus occasione habitæ synodi Zenonem Felix, eo quod Hunnericus eo fine evocabat episcopos, ut jurarent se post obitum regis ejus filium Hildericum successorem agnituros, quod erat in perniciem Romani imperii : insuper ad regiones transmarinas, ad sedem nempe apostolicam epistolas non directuros, uti refert Victor Vitensis. Diversitas porro harum epistolarum priorum nempe ante directos legatos, quæ perierunt, et posteriorum exstantium, ubi de missis legatis ; quæque omnes recludebantur ex Evagrio inter acta Romana Felicis in Acacium in causa fuere, ut hujus prioris sub Felice habitæ synodi memoriam ab aliis omissam traderemus. Unde priores quæ deperditæ sunt epistolæ tribuendæ synodo

Digitized by Google

primæ sub Felice, in quibus de agnito Joanne ut patriarcha Alexandrino, et secundæ sedis episcopo, de damnato, damnandoque Mongo, deque retinendo concilio, Chalced actum est. Insuper Zenonem Felix monens de Hunnerici tyrannide, excitabat ad Africanas Ecclesias eruendas ab ea oppressione. Etenim refert idem Victor (l. II, p. 29), quod cum Hunnericus jam ante mensem Junium meditaretur de religione disputationem instituere, S. Eugenius Carthaginensis primum tyrannum monuerit inquiens. « Debere etiam transmarinarum omnium partium, qui nobiscum sunt in religione, vel communione consortes agnoscere. » *Et infra.* « Scribam et ego fratribus meis, ut veniant coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, et præcipue Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum. *Interim respondisse regem* : Subde mihi universum orbem terrarum, ut sub potestate mea totus mundus redigatur, et facio, o Eugeni, quod dicis. » Hæc denuntiata fuisse Felici ab Eugenio rerum actarum circumstantiæ suadent. Ex quo manifeste eruitur, initio pontificatus Felicis ab Africanis commonitum pontificem de istiusmodi ærumnis, et Felicem de Hunnerici machinationibus certiorem fecisse Zenonem, qui propterea hoc ipso an. 483 ante vulgata edicta misit ad tyrannum legatos, ut ubi commemorat Vitensis. Propterea hæ Africanorum postulationes relectæ in synodo hac priori locum dedere, ut etiam specialiter in sua synodica Felix monitum faceret imperatorem. Neque enim hæ epistolæ Felicis, ubi mentio de Africana persecutione fit, spectare possunt ad secundam synodum actam post mensem Junium Romæ; cum ante eumdem mensem legati imperatoris jam Carthagine essent, destinati ad reprimendam jam in catholicos motam tempestatem. In spretum legati imperialis et postulati de temperanda persecutione edictum legendum curavit Hunnericus coram Regino, ut ait ibi Victor : « Nam die Ascensionis Domini, legato Zenonis imperatoris Regino præsente legendum media Ecclesia episcopo Eugenio dixerit præceptum. »

Post tres annos iterum venit relatio ab imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius. Rumor jam sæpius in Oriente disseminatur Acacium velle obtemperare apostolicæ sedi. Unde sub Gelasio Acaciani apostolicam sedem insimulabant nimiæ rigiditatis, quod pœnitentem Acacium respuerit. (Tom II *Concil*, pag 886.) Ad calumniam frustrandam hæc in commonitorio ad Faustum : « Illud enim nimis est impudens, quod Acacium veniam postulasse confingunt, et nos exstitisse difficiles. Testis est frater noster Andromachus, qui a nobis (loquitur in persona sedis apostolicæ, cum eo tempore Gelasii pontificatus damnatus jam erat Acacius,) abundanter instructus est, ut cohortaretur Acacium deposita obstinatione resipiscere, et ad sedis apostolicæ remeare consortium ; quique se sub jurejurando magnis cum eodem molitionibus egisse testatur, neque ad ea quæ recta sunt potuisse deflectere, sicut rerum probatur effectu. Certe proferatur judicium, quando miserit, quando veniam postularit, correctionemque suam nobis promiserit exhibendam, nisi forte hunc animum gessit, quem successores ejus habere perspicimus, ut tamen si veniam postularet, sic sibi vellet impendi, ut nihilominus in errore persisteret : ubi utique non tam a nobis recipi videretur, quam nos potius in suam traduceret potestatem. » Verum credibile est simulasse velle, sese cum apostolica sede uniri, Zenonemque impulisse, ut hæc scriberet Felici, ad monachorum catholicorum, qui jam ad Felicem scripserant, retardandum zelum, Acacium apprime notum, cum ex motibus eorumdem Basiliscus cogeretur primum in concilium Chalcedonense revocare publicatum jam edictum ut supra dictum est ex Evagrio (lib. III, cap. 7). Imo hoc in ipso notat Gelasius, quod universa in hypocrisi egerit quod sæpius repetit. Unde in tractatu de schismate scribit Gelasius (Tom. II *Concil.* 818) : « Cum in summi esset sacerdotii dignitate locatus, utrum nolens ac invitus, dubitare quippe nos ejus varietas et inconstantia fecit, verissimam de inimicis Dei tulit sententiam. » Sub Basilisco Acacium ficte stetisse pro defensione concilii Chalcedonensis disertis verbis testatur Theophanes ad ann. 477. « Hoc anno cleri monachorumque Constantinop. agmine pro Chalcedonensi synodo decertante, territus Acacius in unam cum eis ire sententiam dissimulans, ea de causa adversus Basiliscum et Zenonem ex Ecclesiæ suggestu peroravit. Quo comperto populi furorem Basiliscus metuens excessit civitate . . . Jam enim populus igne civitatem devastare parabat. » Potuit ea occasione imperator ex Acacii machinatione intimare Acacium paratissimum ad satisfaciendum apostolicæ sedi, et concordiam Ecclesiarum facile sarciendam, si Henotico a Zenone Acacii fraude promulgato subscriberet, in quo anathema dicebatur Nestorio et Eutychi. Pontifici approbandum destinasse Zenonem supponit Theodorus Lector, dum hæc refert 518. « Cum omnes alii patriarchæ Zenonis Henotico consensissent, solus Romanæ urbis episcopus Felix communicare ei noluit. » Si *noluit*, itaque a Zenone oblatus, nec alio tempore, nisi cum fictam Acacii pœnitentiam renuntiat Felici, et quidem cum audivit ejus electionem, postulavitque Legatos ad Orientis et Ecclesiarum pacem sarciendam, ut facilius ad meditata pontificem impelleret. . . . Porro tres anni numerandi a fuga Joannis, et intrusione Mongi usque ad secundam synodum Romanam. Per ea enim tempora Acacius pervicax esse cœpit, et parvi facere decreta Rom. pontificum. Porro sicuti de Acacio, ita de Petro Mongo eodem tempore vulgatus rumor de pœnitentia, et susceptione ejusdem per pontificem docet idem Gelasius paulo post (*ibid.* p. 918) : « Sed dicitur de Petro quanquam sine approbatione dicatur, præsertim de homine perspicacissimo, qui per triginta annos famosus expugnator fuerat veritatis, quod pœnitentia acta susceptus sit in Ecclesia. Nunquid igitur per triginta annos agere potuit pœnitentiam, nisi tunc cum episcopatus amore, et ambitionis ardore fervebat ? » etc.

Tunc papa Felix misit duos episcopos. Particula *tunc* designat causam impulsivam exstitisse, qua pontifex ad postulata, et promissiones imperatoris de pace statuenda delegit episcopos, quam postulationem cum promissione data de indemnitate legatorum tum ab Acacio, sicut ab imperatore supponunt verba Gelasii in sæpius laudata epistola ad episc. Dardaniæ (pag. 907) : « Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis, verum etiam ipsam legationem sedis apostolicæ blandimentis, præmiis, perjuriisque deceptam, quibus ei cum imperatore promisit integram præsulis apostolici causam de omnibus esse servandam. » Hæc itaque expostulatio imperatoris, et Acacii causæ, et occasio a nobis censetur synodi sequentis, quam trutinare aggredimur.

Sub Felice in causa Acacii Romana synodus II.

Occasio hujus synodi fuerunt ulteriores Joannis Talaiæ relationes ex Oriente advenientes, epistolæ Zenonis de Acacii, et Petri pœnitentia, et de petitione legatorum, cum promissione de legatorum pontificiorum indemnitate, cum spe concordiæ futura inter Ecclesias universas. Auctor enim breviculi : « Postquam ergo non solum nihil profecisse litteras decessoris sui sanctus Felix papa cognovit, et ludibria quædam ab Acacio fieri in eversionem totius ecclesiasticæ disciplinæ, electis Vitale, » etc. Ludibria hæc alia non fuisse crediderim, nisi confictas pœnitentias, satisfactiones, et similia, quæ omnia in hypocrisi faciens ad improba alia consilia promovenda Acacius dirigebat. Tempus celebratæ synodi fuit annus 483, et quidem ad ejusdem finem, quod Cyrilli monachi expostulatio suadet, tarditatis pontificem insimulantis ex Evagrio (l. III, c. 19) : « At priusquam Vitalis et Misenus venere ad impe-

Digitized by Google

ratorem, Cyrillus, qui monachis, quos ἀκοίμητους vocant, præerat, mittit ad Felicem, quo eum, cum tam gravia peccata contra veram fidem admissa essent, insimularet tarditatis. « A Cyrillo tarditas pontificis notata, qui VI Martii ejusdem anni fuerat electus satis ostendit ad annum declinantem synodica acta fuisse producta. Concilii celebrati solemnitatem ostendit delectus duorum episcoporum, Ecclesiæ Occidentalis sensa repræsentantium, et Felicis diaconi sedem apostolicam, qui tamen insolidum, deinde personam pontificiam in agendis sustineret; consuetudo etenim istiusmodi sive in generalibus conciliis, sive in urgentioribus negotiis passim vindicata legitur. Legatorum episcopales sedes auctor breviculi reservavit, qui post laudata verba dixerat: « Electis Vitale episcopo Troentinate ex Picena regione, et Miseno Cumanæ Ecclesiæ episcopo ex regione Campaniæ. » Et in libello citationis, et legatorum episcoporum munus supra laudatur, et Felicis diaconi ita explicatur. [Tom. II *Concil.*, pag. 830] « Ad quam rem de collegio nostro fratres, et coepiscopos nostros Vitalem et Misenum, cum quibus illum a latere nostro fidelissimum nostrum Felicem defensorem sanctæ Ecclesiæ Romanæ ordinatione direximus. » Episcopi itaque collegium, seu Occidentalium consensum. Felix ordinationem Ecclesiæ Romanæ repræsentabant. Mandata vero legatorum ita breviculus: « Sub hac instructione direxit, ut Petrus de Alexandria pelleretur Ecclesia, et ut libello sancti Joannis episcopi Alexandrini responderet Acacius, ut anathema diceret Petro. » Eadem habet Evagrius c. 18, qui antecedenti dixerat: « Felix igitur scribit ad Misenum, ut nihil ante moliretur, quam esset cum Cyrillo collocutus, et ab eo quod esset faciendum didicisset. » (In Chron. pag. 113.) Synodus celebratur in Ecclesia S. Petri ex Theophane: « Felix itaque synodo in coriphæi apostolorum templo coacta, duos episcopos, et una defensorem Constantinopolim ablegat, Zenonique et Acacio litteris significat, ut Petrum Mongum, ceu hæreticum Alexandria ejiciant. » Locus faciendæ purgationis in libello citationis idem templum S. Petri assignatur. (Ibid., pag., 829.) Detulerunt legati libellum citationis ad Acacium, insuper epistolas ad Zenonem et Acacium.

Qui cum introiissent civitatem Heracleam. Forsitan pontifex, ut causa Acacii examinaretur juxta canones in Oriente, decreverat, ut in primatiali Thraciæ civitate, cui subdebatur Constantinopolitana Ecclesia, ageretur. Acacius itaque ne incurreret in tale periculum, et perderet apud populares quod tantis artibus promoverat per Zenonem et Basiliscum, ut Constantinopolitana secunda sedes declararetur, cui ex extorto privilegio ipsa Heracleensis Ecclesia subdebatur, ibi voluit legatos episcopos pervertere, quod evenit, cum additur in libro Pontificali, quod ibi *corrupti sunt pecunia*, et sic instituendum judicium præveniendo everteret. Heracleæ itaque tantum legati, ne judicium ageretur pecunia traducti Constantinopolim adierunt, in qua civitate Acacius sub diligenti custodia domi retinuit, ne catholicis pontificias, synodicasque epistolas traderent. Felicem certe juxta Leonis et Hilari constituta Acacii ambitum reprimere voluisse, ac restituere Heracleensi in urbem Constantinopolitanam primatialia jura constat ex sententia in ipsum lata excommunicationis in tertia synodo Romana, ubi crimina recensens, sic primum in ipso sententiæ limine proponit. (Tom. II *Conc.*, pag. 831.) « Multarum transgressionum reperiris obnoxius, et venerabilis concilii Nicæni contumelia sæpe versatus, alienarum tibi provinciarum jura temerarie vindicasti. » Utique quæ canone 6 decrevit synodus Nicæna de divisione provinciarum, et de juribus primatuum servandis, inter quæ Nicæni concilii tempore unum erat, de Heracleensi exarchatu. Hinc subditur:

Et non fecerunt secundum præscriptum sedis apostolicæ. Notum est sedem apostolicam, legatis ad munus obeundum delectis, præter epistolas communes ad cœtum instituendum directas, propria commonitoria dare consuevisse, quod infra in Hormisda notandum. Legatis acturis causam Acacianam inter alia in mandatis dederat, ut Heracleæ conventum facerent, et quod universa conferens cum Cyrillo Acœmetarum præside, et fidei catholicæ propugnatore. Verum sicuti corrupti pecunia de priori nihil egerunt, ita Constantinopolim adeuntes, omnia ad Acacii placitum gesserunt. Inter hæc cum Acacio, et Petri apocrisariis ad Ecclesiam processerunt, missarumque solemniis interesse non formidarunt, reclamantibus licet orthodoxis, monachis præcipue, et prævaricationem hanc esse fidei recte perditionem semel iterum ac tertio contestantibus. Primum quidem protestationis libellum funiculum ad hamum circumligantes uni ex legatis suspenderunt, secundum vero in codicem immiserunt, tertium olerum cophino inferentes ad legatos miserunt. Hæc sic Theophanes (p. 114): *Ipsos Felicis Romani pontificis apocrisiarios blanditiis delinitos, et pecuniis inescatos præter mandatorum sibi impositorum fas in Petri communionem adduxit, omnium catholicarum partium in adversum contestantibus, atque reclamantibus; ut primo quidem hamum funiculis circumligantes, uni ex illis publice appenderent, secundo librum immiserunt, tertio etiam olerum cophino imposuerunt.* Et Liberatus in Breviario: *Itum est Constantinopolim et supradicti episcopi in custodiam sunt redacti, chartis sublatis, ne catholicis, quibus scripta fuerat, redderetur, quos iterum Acacius post hæc de custodia ejiciens, secum fecit procedere, ut quasi confirmato Petri sacerdotio dimitterentur.* Detrectabat enim Heracleensem conventum, ne ex Orientalium catholicorum sententia damnatus, penitus concideret. Unde cum plures episcopi in Oriente adhærerent schismati, satis illi fuit pellicere duos legatos Occidentales, reliquorum sensa præferentes, ut sequacibus ostenderet tum ipsum, tum Petrum, in omnium totius orbis episcoporum sensu communione receptos. Hinc cum in sequenti Romana synodo Acacius damnatus esset, Acaciani id vitio vertebant, quod actio hæc non fuisset facta ex utriusque orbis discussione. Quod refellit Gelasius in epistola ad episcopos Orientales, ubi sic (tom II *Concil.*, pag. 924): « An de uno dolent Acacio, quod speciali synodo non fuerit confutatus. » Nempe ubi ambæ partes convenientes post examen et suffragia judicium publicarunt. Audientia, et conciliare examen post tres a sede apostolica emissas monitiones, seu citationes, concedendum non erat, exstantibus propriis epistolis, quibus et crimen, et confessio criminis, et contumacia innotescebant. Sequitur enim Gelasius: « Cum proprium crimen suis litteris ipse detexerat, nec audiri debuerit jam sponte confessus, et de tantis pontificibus catholicis non dolet sine ulla discussione seclusis. » Sed fundamentale petit pontifex, quia Alexandrinus patriarcha secundæ sedis privilegio, non poterat nisi a priori sede discuti. (Ibid., p. 922.) « Nam cum Acacius nullo privilegio fulciretur (utique proveniente ex jure canonum ut de secunda sede posset ferre judicium, non potuit jure quemquam damnare. Simili modo, nisi primæ sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri jus habuit, nec recipiendi penitus potestatem. » Unde colligitur, optime Felicem ex summo canonum jure Heracleæ conventum instituendum statuisse, ad Acacianam causam trutinandam, et Acacium judicium antevertisse, ac pecunia corruptos legatos, Heraclea relicta, Constantinopolim adductos ad pravitatem pellexisse. Legenda est ea epistola, in qua hæc nostra animadversio firmius illustrata perspicitur, et totius Acacianæ machinationis summa cura, ut sibi in Oriente vindicaret primatum, ac nedum tres exarchatus regeret, verum et ad libitum patriarcharum reliquorum jura subverteret.

Digitized by Google

Venientibus vero Romam. Ante legatorum in Urbem adventum, monachorum relationes præcesserant, qui legatorum excessus pontifici intimaverant. « Redeunt aliquando legati : sed præcesserunt monachi, qui eos graviter de proditione arguebant, » ait Liberatus c. 21. Quid vero de Felice defensore actum, docet idem pontifex in sententia excommunicationis lata in Acacium : quod necessitate morbi cogente tardius subsecutus, ita contumeliose exceptus est ab Acacio, ut nec eumdem in conspectum suum admittere sustinuerit. (Tom. II *Concil.*, pag. 832.) « Felicem quoque defensorem fidelissimum nobis necessitate faciente serius subsecutum indignum tuis censuisti oculis. » Addit Liberatus esse in carcerem conjectum, chartas ablatas, eo quod noluerit, uti egerant legati lapsi, cum Petro Mongo communicare.

Felix papa fecit synodum. Tres synodos a Felice celebratas in causa Acaciana ex actis Felicis suppletis, restitutisque supra probatum est. Modo agendum de hac synodo, in qua damnatus est. Secundum vero stabilitum ordinem facile tres citationes, quæ ante damnationem præmittere consuevit Ecclesia, intelliguntur, et recensentur. Prior in prima synodo Romana, quando mittuntur epistolæ ad Zenonem, et Acacium ex Evagrio, quæ perierunt : secunda, per Misenum, et Vitalem, quæ incipit (*ibi, p.* 829) : *Episcopali diligentia commonente* directa una cum epistola Zenonis, quæ exstat inter acta conciliorum; cui addi debent epistolæ ad Acacium et Zenonem aliæ per eosdem legatos directæ. (Ibi, p. 811 et 814.) In fine vero epistolæ ad Acacium *iterum* monitionem mittere edicit : sicut *instantius crebro repetitis hortationibus incitasse* asserit. III a Liberato recolitur (cap. 18) : « Redeunt aliquando legati, sed præcesserunt monachi auditi cominus, et convicti ex ipsis litteris, quas detulerunt, a locis propriis sunt remoti. » Attulerunt itaque epistolas Zenonis et Acacii legati, et ex illis proditionis revincuntur. Ad epistolas rescripsisse pontificem, ac tertiam monitionem dedisse sic clare ostendit Liberatus paulo post : « Ubi ergo ad plenum detectus est Acacius hæreticus, papa Felix in litteris suis synodicis ad Acacium sic posuit : Peccasti, ne adjicias, et de prioribus supplica. Susceptis his Acacius litteris perseverat, neque recedens a communione Petri, neque suadens ei palam suscipere Chalcedonense concilium, et tomum papæ Leonis. » Unde colligo, epistolam Acacii per legatos delatam nihil aliud fuisse, nisi laudes Petri Mongi, eo quod Henoticæ Zenonis subscripserit, in qua ut hæreticus Eutyches anathematizatur, sed altum de Chalcedonensi et dogmatica S. Leonis est silentium ; quod ita evenisse suadent illa Liberati verba : « neque suadens Mongo, palam suscipere Chalced. concilium, et tomum papæ Leonis. » Has porro epistolas Acacianas legatis Romam regredientibus datas assignati argumenti fuisse clare docent verba Gelasii, qui legationem hanc cum descripsisset, Acaciique machinationes, ac legatorum lapsum, addit (ad episcopos Dardan., pag. 907) : « Nihilominus autem litteris suis Acacius indicarat, et in Alexandrini Petri se communionem... recidisse, et accusationem Joannis, laudesque Petri proprio sermone deferre, de quibus si utique confidebat, magis vel venire, vel mittere debuisset; ut et præsentem de mendaciis quæ dicebat, posset confutare Joannem, et præconia Petri, quæ digesserat, rationabiliter allegare. » Et in sententia in Acacium idem Felix, cum de Petro, et ejus criminibus : « nec eum laudare desieris, et multis efferre præconiis, ita ut damnationem ipsius, quam ante retulerat, veram non fuisse jactaverit. »

Gelasius deinde ex servato istiusmodi ordine in præmissis monitionibus infert, justissime prolatam sententiam in Acacium spernentem, et contumacem. Tertia vero monitio, quæ ex Liberato incipiebat : *Peccasti, ne adjicias, et de prioribus supplica*, quæve deperdita censetur, Acacio intimata est per monachos Acæmetas, ut reor, qui in hac Acaciana causa impigre sedis apostolicæ defensionem susceperunt; eam que ultimam esse ordo a Liberato servatus probat, dum subdit immediate : « Hæc cognoscens papa Felix damnationis scripturam misit per Totum [*melius* Tutum] defensorem, cujus est principium : Multarum transgressionum reperiris obnoxius. » Id actum in synodo Romana, cujus juxta supplementum per Felicis acta ordinatam seriem breviter enucleanda.

Tertia sub Felice Romana synodus in causa Acaciana.

Occasio synodi, patres, tempus, et acta recensenda, ac tandem sententia in legatos lapsos, et Acacium data. Adventus legatorum prior occasio fuit Felici concilium congregandi, de quorum lapsu epistolæ præiverant monachorum ex Evagrio (l. III, c. 20) : « Qui autem ex domicilio monachorum, quos ἀκοίμητους vocant, venere ad Felicem, Misenum et Vitalem propterea coarguerunt, quod ad ipsorum usque Constantinopolim adventum Petri nomen clam, et occulte in sacris tabulis legi consueverat : ex eo autem ad præsens usque tempus palam et aperte et Misenum et Vitalem cum Petro communicasse. » In basilica S. Petri anno 484, congregantur cum pontifice sexaginta septem episcopi, ut in fine epistolæ Felicis ad Acacium dicitur, ubi Acacius excommunicatur. [Tom. II *Concil.*, pag. 832.] Primo deferuntur a legatis epistolæ imperatoris, et Acacii. Zenonis quidem fragmentum exhibet Evagrius his verbis (*ibid.*) : « Debes pro certo cognoscere et nostram pietatem, et Petrum sanctissimum de quo dictum est, et omnes SS. Ecclesias SS. concilium Chalcedonense amplecti, et venerari, quod quidem concilium cum fide concilii Nicæni consentit. » Acacii vero epistolæ erant plenæ contumeliarum in Joannem Talajam, Mongi vero laudes, et præconia referebant ex Gelasio supra. Deinde inducuntur epistolæ monachorum Acæmetarum et Cyrilli monachi, qui veluti actorum in urbe regia testes adversus lapsos legatos hæc coram synodo deponunt juxta Evagrii narrationem. (Cap. 21.) « Crevere etiam res istæ sermone Simeonis monachi (qui fuit ex numero eorum qui vocantur ἀκοίμητοι), missi a Cyrillo ad Felicem. Nam Misenus et Vitalis ab eo fuere reprehensi, propterea quod cum hæreticis communicarunt, idque cum nomen Petri, ut hæretici, palam in sacris tabulis recitaretur, quodque ea ratione multi simplices homines ab hæreticis in errorem inducerentur, qui affirmare non dubitarunt Petrum ab episcopo Romano in communionem receptum esse. Addit etiam Simeonis, cum quædam quæstiones rogarentur, Misenum, et ejus fautores noluisse quemquam orthodoxorum in colloquium venire, vel litteras reddere, vel quidquam contra veram, sinceramque fidem admissum accurate examinare. Producebatur etiam in medium Sylvanus presbyter, qui una cum Miseno et Vitali fuisset Constantinopoli, quique verba monachorum confirmavit. » Deinde producuntur Acacii epistolæ datæ Simplicio in quibus ille Mongum hæreticum declaratum pontifici denuntiet. « Lecta est præterea Acacii epistola ad Simplicium, quæ significabat Petrum jam pridem et abdicatum, et filium tenebrarum declaratum. » Ab istiusmodi epistola Acacii denuntiativa, adeoque Simplicio directa, ut per ipsum confirmata, apud omnes episcopos orbis Mongus ut hæreticus haberetur, uti ex validissimo telo tum PP. hujus synodi, sicuti postea Gelasius, desumunt argumenta ad sententiam excommunicationis pronuntiandam. « Ecce (ait Gelasius epistola Acacii laudata, tom. II Conc. de schis. p. 918) testimonium Acacii validissimum, quid de Timotheo, quid de Petro senserit. » Inde primum editum decretum *post operatam discussionem*, ut ait liber Pontificalis, qua Misenus acceptam pecuniam fatetur publice in concilio, et in ipso sententia depositionis profertur. Quod sic Evagrius : « Quibus de causis Misenus et Vitalis de Sacerdotii gradu dimo-

Digitized by Google

ventur, et a sacrosancta, et pura communione separantur, idque de sententia totius concilii. »

Causa Petri Mongi, et Acacii diligenter trutinata, probata crimina, quæ singillatim recensentur in sententia excommunicationis missa contra Acacium (ibidem, p. 831)

Decretum concilium edidit diversum a sententia in Acacium, cujus fragmenta exhibet Evagrius. Quod quidem concilium quæ sequuntur pronuntiavit : « Petrum hæreticum jampridem sententia sacræ sedis apostolicæ condemnatum, interdictum Ecclesia, et anathemate multatum, Ecclesia Romana non recipit : cui quidem licet nullum aliud crimen objiciatur, hoc profecto satis habet ponderis, eum quidem non posse orthodoxis præesse, quod ab hæreticis ordinatus fuit. » De Acacio sic profert alterum fragmentum synodi hujus : « Eadem concilii sententia hoc quoque complexum est: Acacium episcopum Constantinopolis gravissimo crimine dignum, res ipsa declaravit : quippe qui tametsi litteras ad Simplicium scripserit et Petrum appellarit hæreticum, tamen idem ipsum jam Zenoni minime patefecerit, cum certe istud, si modo amaret Zenonem, præstare deberet. Verum imperatoris desiderio satisfacere, quam fidei consulere expedit. » Inter tot Simplicio datas epistolas, unam referunt acta hujus concilii discussam, in qua Acacius Petrum Mongum tenebrarum filium, et anathematizatum denuntiabat. Id vero specialiter examinatum, cum hanc uti denuntiaverat, episcoporum subscriptionibus munitam juxta morem receptum, testatissimum faceret, et quid olim de Mongo putaverit Acacius. In litteris vero datis legatis, nedum laudibus Mongum prosequitur (*ibid.*, p. 832) : « Et multis efferre præconiis, ita ut damnationem ipsius, quam ante retuleras, veram non fuisse jactaveris, » etc., ut ipsi Felix objicit in sententia damnationis. Sic et Gelasius in epistolis, et ad Orientales, et ad episcopos Dardaniæ. Hæc fuere acta et matura discussio celeberrimi hujus concilii.

Tunc venerabilis Felix. . . mittens defensorem. Tutum nempe ut supra ex Liberato dictum est. Cum vero addatur : *cum concilio sedis tuæ : facto concilio damnavit Acacium Constantinopolitanum, et Petrum Alexandrinum.* Sic distinguenda, ne delectus personæ mittendæ ad sententiam deferendam, relegeretur, et subderetur Acacianorum fraudibus, institutus fuerit non a toto concilio, sed ex delectu quorumdam consiliatorum apostolicæ sedis, qui Tutum secreto direxerunt ad urbem Constantinopolitanam; posteriora vero verba respiciunt synodalem concilii sententiam, qua per ecclesias, missis encyclicis, Acacius et Petrus Mongus ut excommunicati denuntiantur. Secrete factam Tuti electionem ostendunt verba Gelasii ad episcop. Dardaniæ scribentis (pag. 915) : « Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo præsulis apostolici, cujus erat utique potestatis legitimæ, probatur esse deprompta, præcipue cum secreto dirigenda videretur, ne custodiis usque prætensis dispositio salubris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum. » Quid vero egerit Tutus sic Liberatus post laudata verba : « Et datis Acacio hujusmodi litteris, eas non suscepit, patrocinio fultus imperatoris, ita ut cogerentur, qui eas detulerunt, per quemdam monachum Acæmetensem ipsam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda sacra, suspendere in ejus pallio et discedere. »

Tamen exspectans sedis apostolicæ satisfactionem. Sicuti in tertia citatione Felix Acacium monuerat, ut sedem apostolicam supplicaret, ita cum sententiam depositionis direxit, reliquit locum supplicationi, si satisfaceret sedi apostolicæ læsæ. Id actum esse sæpius commemorat Gelasius in suis epistolis. Acaciani enim sibi remittendum aiebant, nulla tamen præmissa satisfactione, quod eis exprobrat Gelasius in commonitorio ad Faustum. (Ibi., p. 884.) Ita et suscipiendus contendebat Euphemius, olim Acaciano schismati adhærens, ut idem Gelasius in epistola ad eumdem Euphemium scribit (pag. 883.) Sententia itaque non erat, uti ea quam in Petrum Alexandrinum protulerat Acacius, quem damnatum, ac nunquam in episcopum Alexandrinum suscipiendum denuntiaverat Simplicio, quam merebantur qui relapsi dicebantur ob gravissima crimina puniri *condemnatione secundæ mortis :* qua pœna etiam mulctatur postea Acacius in IV synodo Romana, de quo modo agendum.

Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia. Acacii, post Felicis, et Romanæ synodi damnationem, ulteriora admissa crimina dederunt locum monachis catholicis, ut referrent Tuti lapsum, Acacii furentis, ac in universos orthodoxos debacchantis motam persecutionem, et, quod gravissimum erat, restitutionem Petri Cnaphæi, Fullonis dicti, in Ecclesiam Antiochenam, quem ipse una cum Simplicio damnaverat, ille in synodo Romana, Acacius in Constantinopolitana, quod invictis rationibus probant Pagius ad crit. Baron. anno 478, n. 4, et seq. Hanc restitutionem impii hæretici supponit liber Pontificalis, ac tantum memorat relationem et iteratam sententiam damnationis in Acacium et Fullonem. De Calendione deturbato, et intruso Fullone arte, et Acacii ambitu, et quidem ex relatione Orientalium orthodoxorum ad sedem apostolicam, agit Gelasius in epistola ad Orientales, ubi Calendionis tragœdiam expendit, et iterato causam Acacianam, respondetque objectionibus vulgatis ab episcopis Orientalibus Acacianis, qui calumniis traducebant sententiam excommunicationis in Acacium prolatam. Sic enim de Calendione detruso, et malis inde ab Acacio promotis locutus addit (pag 926) : « Quod catholicorum continet relatio sacerdotum, cæterorumque in catholica durantium, nec conscientiam latere potest totius Orientis. »

Eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio. Relationem loqui de Petro Fullone constat, quia post Acacii damnationem hæc mala evenere, et specialiter per Fullonem promota luget Gelasius ubi supra, dum tragœdiam hanc Orientalibus repræsentat actam per Acacium et Petrum Fullonem (pag. 921) : « Imo si causa eadem latius inquiratur, tantæ illic tragœdiæ, tanti reperiuntur errores... Palam enim illic aperteque monstratur, nihil aliud, quam quæsitam causam, quemadmodum catholico qualicumque depulso pontifice, hæretico Petro (Antiocheno) referantur accessus... subrogabantur hæretici, nemo resultabat... Quid de innumeris per totum Orientem catholicis sacerdotibus propria sede depulsis, et indubitanter hæreticis intromissis. » (Et Theophanes in Chron.) : « Petrus autem Fullo Antiochiam ingressus multa nefanda perpetravit, ut puta synodi exsecrationes, episcoporum abrogationes, noxiorum intrusiones, ordinationes illegitimas. » De Acacio, et facinoribus admissis post damnationem plura notanda, cum sententia Synodi Romanæ IV infra narrabitur. Neque negotium facessit, quod Petrus absolute efferatur; cum Gelasius id etiam agat, qui quando simul utrosque Petros recenset, priorem Petrum Alexandrinum vocat, Fullonem vero ferme perpetuo solo nomine exprimit. Imo hic liber pontificalis cum antecedenter in Mongum confirmatam damnationem dixisset, addidit *Alexandrinum*, ut exprimeret narrata de Petro eousque pertinere ad Mongum, posteriora vero ad Fullonem, ut iste nomine solo Petri discriminaretur. Verum cum de hac damnatione, et tempore damnationis Fullonis, et celebratarum synodorum controversiæ sint inter eruditiores et velitationes, ut ordo a nobis positus Felicis, ejusque gestorum innotescat, de ea Synodo hic retractandum, ut etiam auctoritate libri pontificalis perspiciatur hunc synodorum sub Felice ordinem esse reservatum.

Digitized by Google

Synodus Romana sub Felice quarta contra Fullonem et Acacium, sententia secundæ mortis condemnatos.

Post synodum Constantinopolitanam et Romanam, anno 477, Fullo e patriarchatu Antiocheno deturbatus usque ad Calendionem e sede exsul vixit. Et sparsis rumoribus in causa Acaciana opportunum prospiciens tempus ad meditata consilia Acacio unitus, Zenone annuente, sedem arripit, Calendione in exsilium acto. Theophanes rem ita describit (in Chron.) : « Imperator autem Zeno a tyrannis se opprimentibus liber, Calendionem Antiochenum Ecclesia expulit, et Oasim relegavit, atque Petrum Fullonem in sedem restituit. » Impositum crimen, ac Majestatis reum traductum asserit Evagrius, ubi de Calendione (l. III, c. 16), « qui postea ad incolendam Oasin condemnatus fuit, quod partes Illi, et Leontii, et Pamprepis contra Zenonem fovebat. Petrus vero cognomento Cnapheus.... propriam sedem recuperavit : qui ei epistolæ subscripsit Zenoni de concordia, et synodales litteras ad Petrum Mongum Alexandrinum episcopum scripsit. Isti Petro Acacius etiam episcopus Constantinopolitanus reconciliatus fuit. » Quæ vero Illus, Leontius, et Pamprepes agerent adversus Zenonem, vide eumdem c. 27, et Jornandum. I. I de Regn. ac temp. success. Quod periculum evadens Illus mox ad urbem recedens, Zenonique infestus, Orientem invasit. « Contra quem Leontius directus, pellicibus verbis illectus diadema arripuit; simulque Leontius, et Illus Reipub. inimici, effecti tyranni, in partes Syriæ et Isauriæ debacchabantur.... sed non post multum ab exercitu Zenonis.... capti decollati sunt. » Ab Acacio procuratam restitutionem notat auctor Breviculi, qui narrata Acacii damnatione addit : « Cujus audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto Calendione, quem ipse (Acacius) ordinaverat, ad Antiochenam misit Ecclesiam. » Liber itaque Zeno ab iis, quorum ad imperium erat propensior militum favor, larva deposita, passus est, ut adversus concilium Chalcedonense debaccharentur Eutychiani, et quoad vixit, Acacianum fovit schisma. Ad imperium Justiniani, et postea sæpius imperatores tempori servientes, eam religionis partem fovebant, ubi proniores erant milites. Quod et egit Justinianus, cum Theodora Augusta, uti in historia arcana advertit Procopius. Gelasius in epistola ad episcop. Dardaniæ asserere videtur, Calendionem e sacris tabulis Zenonis imperatoris nomen expunxisse, eo quod Eutychianis nimium indulgeret. « Sed esto (Calendion) imperatoris nomen abstulerit.... An qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo dejici debuerant ? » Quomodo res sit acta ignoratur; at certum est tres perditissimos patriarchas in Oriente classicum cecinisse adversus catholicam religionem, etsi diverso spiritu. Exulceravit etiam pontificis animum Tuti defectio, qui tandem et muneribus cessit, ac legationem prodidit, uti in recensendis actis videbimus. Synodus celebratur anno 485, non 484, uti aliqui post Baronium contendunt. Ex nota enim consulum et diei manifeste eruitur, hanc diversam esse a tertia, cujus acta supra sunt expensa, et ab anno. Tertia celebrata est ad sententiam dicendam in Acacium, et firmandam Mongi damnationem; hæc ad Fullonem deturbandum a sede Antiochena, quam invaserat, quod non evenit, nisi post Acacii damnationem, uti laudati scriptores asserunt, et post Tuti defectionem : damnatio enim Acacii notam hanc habet : *Data* V *Kalend. Augusti, Venantio V. C. consul.* Venantii vero consulatus coincidit cum anno 484. Epistola item synodica præsentis concilii habet III *Non. Octobris, Symmacho V. C. consule.* Et Symmachi consulatus in fastis pertinet ad annum 485, ut hinc omnino certum appareat synodos discriminandas ex anno. Secunda ratio est, quia in tertia adfuere cum Felice 67 epi- A scopi : in præsenti tantum recensentur 42. Tertia, quia in priori tantum actum de Mongo, et Acacio, nihil cogitatum de Fullone jam dejecto, et in exsilio etiam degente ex dispositione Constantinopolitanæ synodi, et Romanæ anni 477. In præsenti supponuntur damnati Acacius et Petrus Mongus, et iterato in Fullonem sententia damnationis profertur. Sic enim subscripsit episcopus Tiburtinus, et alii similiter (tom. II *Conc.*, p. 856) : « Candidus Tiburtinæ civitatis episcopus Petro Alexandrinæ Ecclesiæ pervasori, et Acacio quondam Ecclesiæ Constantinopolitanæ,, necnon et Petro Antiocheno ab episcopatus et Christianorum numero olim jure et merito segregatis, omnibusque sequacibus eorum, sequens auctoritatem sedis apostolicæ secundum nostrum juxta Ecclesiæ statum catholica deliberatione prolatum, anathema dicens subscripsi. » Alia adsunt ejusdem libratæ rationis momenta, quæ hanc synodum, et diversam, et diverso anno celebratam manifestant. B Et hæc quidem magis roborari possunt ex actis concilii. Acta hujus synodi hæc fuere. Celebratur in ecclesia S. Petri, et adfuere cum Felice 42 episcopi, ut dicitur in epistola synodica ad clericos et monachos Orientales directa, in qua breviter acta recensentur (tom. II *Conc.*, p. 854). Primo itaque priora in Vitalem et Misenum synodalia acta lecta esse ostendunt, et ob prævaricationem depositione multatos asserunt. Strictim legatorum prævaricationem describunt, quomodo sese gesserint cum Acacio, et quod malum in Oriente evenerit ex lapsu legatorum, quos propterea merito damnatos, et in depositione jam publicata persistere asserunt. Secundo Acacium jam damnatum et contumacius novis criminibus in catholicos insultantem declarant in priori damnationis sententia permanere. *Acacium quoque membris Christi perniciosius inhiantem, et per civitates atque provincias unam de fide catholica Ecclesiam dissipantem, inter episcopos sanctos, atque inter Christianos indicavimus non haberi.* Tertio cum Zeno promoveret C Henoticum, et quia ei subscripserat, sedi Antiochenæ restituisset Fullonem, ea propter præscribit synodus formulam quam sequebantur. « Et ut charitas vestra possit agnoscere venerandas synodos Nicænam, et Ephesinam primam, atque Chalcedonensem contra Nestorium, et Eutychetem impiissimum nos tenere. » Invidit librarius formulam Ecclesiæ Romanæ, eamque omisit. Erat vero necessaria, ut dirigeretur, ut pontifex sese opponeret Zenonis Henotico, quod veluti unica formula subscribenda dabatur omnibus per Orientem. Quarto testantur una cum actis mittere sententiam damnationis, quæ incipit, *Multarum transgressionum*, jam anno præcedenti directam per Tutum : et simul ad Acacianorum dicteria occurrunt, quorum primum erat, quod hæc sententia non debuerat deferri per Tutum, sed per episcopos simul sedis apostolicæ, et Occidentalium sensa demonstrantes : quod agebant, ut eamdem infirmarent, veluti illegitimo modo publicatam. D Asserunt itaque hanc iterum mittere, quam per Tutum direxerant; nec eam vel præsentem sententiam in Acacium et utrosque Petros deferri per episcopos decrevisse, cum Acacianorum insidiæ facilem, tutumque aditum impedirent. « Post illam sententiam, quæ in Acacium perturbatorem totius Orientis Ecclesiæ dicta est; his nunc quoque congregatis addicimus [seu addidimus] litteris, memoratam subdendo sententiam, quam placuit per Tutum defensorem Ecclesiæ Acacio dirigi; ne volentes aliqui circumscribere veritatem, malignissimis blandimentis simpliciores quoque seducant. Nam si terra, marique orthodoxis non ponerentur insidiæ, plurimi ex nobis cum eadem Acacii sententia venire potuissent. » Ita priorem Acacianorum convellunt objectionem. Unde non est ille sensus, quem aliqui perperam affligunt, synodum hanc iterato Tutum direxisse : sed Tuti nomen appositum veluti discretivum sententiæ pontificiæ in Acacium factæ, quam Tutus detulerat,

Digitized by Google

quæve jam appensa fuerat Acacii vesti per monachum, uti testantur Theophanes et Liberatus locis laudatis. Tutus enim forsitan in præsenti synodo depositus, quia tandem Acacio consensit, uti Felix ipse scribit in epistola data ad episcopos Urbis, Constantinopoleos et Bithyniæ, quam primus vulgavit Sirmondus, et inseruit optime Labbeus in sua collectione, et Harduinus omisit (tom. IV *Conc.*, p. 1085), cum tamen hæc repræsentet acta hujus concilii, et sit veluti synodica. Sed hoc Harduino est solemne præterire istiusmodi acta ad concilia celebrata spectantia. Alterum Acacianorum adversus damnationis sententiam per Tutum allatæ subterfugium erat, quod illa non nomine concilii Occidentalium, sed solius Felicis data legeretur. Quam objectionem Patres sic rejiciunt. « Unde nunc causa Antiochenæ Ecclesiæ apud beatum Petrum apostolum collecta rursum dilectioni vestræ, more qui apud nos semper obtinuit, properavimus indicare. Quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipue fidei, colligantur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor præsulum sedis apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ sacerdotum juxta sollicitudinem sibi ecclesiarum omnibus competentem cuncta constituat, qui caput est omnium; Domino ad beatum Petrum apostolum dicente : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 18). Quam vocem sequentes trecenti decem et octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt, quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratia præstante, custodiunt. Quod ergo placuit S. synodo apud beatum Petrum apostolum (sicut diximus) per Tutum Ecclesiæ defensorem, et beatissimus vir Felix caput nostrum papa, et archiepiscopus judicavit, in subditis continetur. » Dicunt itaque Patres in sua synodica, quod etsi sententia per Tutum delata edita sit nomine solius Romani pontificis, id tamen intelligendum juxta primævam consuetudinem, qua, quia Ecclesiæ caput, confirmat sua auctoritate conciliorum decreta, ac suo nomine vulgat. Cum vero addunt : « Quod ergo placuit sanctæ synodo apud beatum Petrum apostolum, sicut diximus per Tutum defensorem, » etc., videntur verba transposita, et sic exponenda. « Quod ergo placuit S. synodo celebratæ apud beatum Petrum apostolum, quod delatum est, sicut diximus per Tutum Ecclesiæ defensorem, et quod modo seu in præsenti synodo beatissimus vir Felix caput nostrum papa, et archiepiscopus judicavit, in subditis continetur. » Juxta, inquam, antiquam consuetudinem, de qua synodus Carthaginensis sub Bonifacio primate, cum restituitur libertas a Vandalis ecclesiis anno 525 adunantur. In eo vero concilio Patres antiquos mores restaurare studentes, inter alios et hunc servandum decernunt (tom. II *Conc.*, pag 1079) : « Ab universis episcopis dictum est, ut si quæ litteræ dictandæ in concilio placuerint, venerandus episcopus qui huic sedi (Carthaginensi nempe) præsidet, omnium nomine dictare, et subscribere dignetur. » Et hanc dicunt esse constitutionem editam in concil. altero Carthaginensi sub Aurelio. Imo etiam additum ibi dicitur : « Placuit etiam petitum omnium Episcoporum, ut epistolis omnibus de concilio dandis sanctitas tua subscribat. » Utramque itaque sententiam dirigere asserunt, et priorem per Tutum, et alteram editam in præsenti synodo IV. Librarius vero sicut omisit fidei professionem a præsenti synodo editam, pariter reliquit rescribere delatam Acacianam damnationem per Tutum; insuper asserunt Patres, sicut prior nomine solius Felicis inscripta erat, sic et secunda in synodo præsenti edita. Sæpius in priorum temporum encyclicis commemorantur missæ, vel professiones fidei, vel alia monumenta, quæ tamen incuria indoctorum amanuensium divulsa a contextu, deinde cum integris actis perierunt, uti fuse observatur in Commentario ad allocutionem PP. Chalcedonensium. Hæc enim videtur germana expositio verborum illorum. Quomodo enim pontifex Tutum dirigeret, quem in laudata epistola hoc eodem anno data, asserit esse depositum ob fædatam apostolicam legationem, cujus exstabant Rufini, Thalassii Archimandritæ, et reliquorum monachorum relationes de Tuti lapsu; aut de ejus fide poterant concilii PP. certi esse, quem jam agnoverant per relationes defecisse? Certum interim est, quod post laudata epistolæ synodicæ verba, et sententiam iterato datam in Acacium a præsenti synodo, lacuna adest, et locus corruptus est, ut cuilibet legenti videre occurrit. Unde, ut reor, erat hic inserta prior damnatio per Tutum delata; et quam hic synodus edidit, quæ etiam priorum verborum mutila est, quæ sic habet : « Sic autem Acacius impietatem pestiferæ damnationis tetendit, ut etiam dejectus insultet, ut scissus sævire non desinat; et cum omnino extra corpus habeatur, ejus tamen membra dilaceret, et de se scriptum esse testetur : Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit : adjiciens deteriora prioribus, persequendo jam mortuos, ejus anima graviter delinquendo, condemnationem secundæ mortis incurrit; qui Calendione episcopo sancto (quemadmodum cognovimus) nuper ejecto, Petrum toties, et a se ante damnatum in ejus immisit Ecclesiam; ita ut plurimi (si verum est) catholici cesserint, relictis suis sedibus, sacerdotes, et nostræ projectæ sunt porcis et canibus margaritæ. Verumtamen neminem terreat, quod damnatus Acacius non quiescat. Elisus est Satanas, et tamen operatur. Vicit Christus, et vincit, nec adhuc hostis absistit. Et quia certum est nobis meminisse vos etiam propheticæ lectionis, nec aliquid habere contra consistentia castra formidinis, opportunissime cohortamur exspectantes Dominum, ut (sicut et nos) perseveretis in finem, et sententiam, quam reperitis in subditis, animo constanti retineatis. » Porro sententia nomine Felicis, quam hic adjecisse fatentur Patres, pariter periit, quæ unita erat cum subscriptionibus episcoporum. Nomine Felicis editam supponit laudata Candidi episcopi Tiburtini subscriptio, quæ habet : *sequens auctoritatem sedis apostolicæ* : subscriptiones sententiæ docent allata verba, quæ supponunt editam auctoritativam sedis apostolicæ sententiam. Exstat vero in Breviculo Eutychianistarum pars ejusdem, quæ omnino censenda est cum ea de qua loquuntur Patres, et quam inserere in epistola asserunt, quæque præfert Felicis nomen. Sic enim ibi : « Edictum sententiæ Felicis papæ propter Acacii episcopi Constantinopolitani damnationem. Acacius qui secundo a nobis admonitus, statutorum salubrium non destitit esse contemptor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc Deus, cœlitus prolata sententia, de sacerdotio fecit extorrem. Ergo, si quis episcopus, clericus, monachus, laicus, post hanc damnationem eidem communicaverit, anathema sit sancto Spiritu exsequente. » Cui fragmento conveniunt quæ in sua synodica asserunt Patres nostræ synodi Romanæ. Acacianorum porro objectiones fuisse, priorem in Acacium latam sententiam minime admittendam, quia solius Felicis nomen præferret, nec per episcopos Occidentis, aut eorum nomine directam in Orientem, probant epistolæ Gelasii sæpius relatæ, ubi easdem nervose diluit, et reliqua exsulllat. Epistolam vero hanc tria hæc retinentem : 1 Fidei professionem; 2 primam in Acacium a tertia Romana synodo latam sententiam; 3 secundam in Acacium a IV Romana synodo dictam damnationem secundæ mortis in Acacium, et Petros Alexandrinum, et Antiochenum, quæ tria invidit sive antiquitas, sive inscitia librariorum, fuisse encyclicam, ac monachis missam, ut per Orientem disseminarent, sic testantur Patres. « Ne quid autem maligni in litteris

Digitized by Google

mutari apud pravissimas mentes, aut aliter interpretari possit, primo clementissimo principi, sicut oportuit, supplicantes has easdem litteras nostras ad dilectionem vestram, clerum, plebemque, et amplissimum senatum direximus, quibus singuli, universique subscripsimus, divinum petentes auxilium, ut, vitatis insidiis (Acacianorum nempe), hæc ad vos scripta faciat pervenire. » Additur deinde votum Candidi Tiburtini, ac deinde : *quadraginta duo episcopi similiter subscripserunt.* De utraque damnatione, adeoque et duplici hac Synodo III et IV Catalogus Holstenianus habet (in marg. pag. 83) : *Ipsis temporibus fecit synodum et misit per tractum Orientis, et iterum misit, et damnavit in perpetuum Acacium et Petrum.* Delatam Acacio sententiam per monachos Acæmetas, Bassianum, et Pium refert Victor Tununensis in Chronico, et de hac synodo loquitur : « Acacius Constantinopolitanus, Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, Chalcedonensis synodi inimici, a Felice Romanæ Ecclesiæ præsule in synodo in Italia facta, damnantur : et ipsa damnatio Acacio Constantinopolitano legatis missis per monachos monasteriorum Archimetensium Bassiani, et Pii ingeritur. » Optime hic itaque ex relationibus ex Græcia venientibus notatur, Petrum Antiochenum, et Acacium ob continuationem criminum fuisse damnatos, et quidem ea damnatione, quæ dicitur *secundæ mortis* : hinc additur :

Damnavit in perpetuum, si non pœniterent. Legendum cum aliquibus cod. *Dum non pœniterent* : quæ lectio magis concordat cum duplici edita damnatione post tot scelera admissa ab Acacio. Quod ita expressit auctor Breviculi : *Sine remedio pœnitentiæ fecit ab apostolica sede damnari.* Quam in laudata IV synodi synodica Patres dicunt Fullonem, et Acacium incurrisse *condemnationem secundæ mortis.* Felix pontifex in epistola ad Vetranionem episcopum, quæ est de Petro Fullone sedem Antiochenam secundo invadente, loquens de Acacio etiam asserit. *Unde merito prædictus Acacius iterata excommunicatione depulsus est.* Hanc porro declarationem importare quamdam indissolubilitatem, ita Nicolaus I proponit : « Felix quoque papa Constantinopolitanum Acacium non solum deposuit, verum et insolubilibus anathematis vinculis innodavit. » Quomodo id actum, et quidem merito, expendit Gelasius in tractatu de anathemate, ubi ostendit quomodo Acacius anathema incurrerit, et quidem justitiam editæ sententiæ propugnat, vindicatque ab Acacianorum objectionibus.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Felix*, etc. Post interregnum sex dierum (quibus Basilius præfectus prætorio, Romæ Odoacris regis vices agens, electioni Romani pontificis, prout acta quartæ synodi Romanæ sub Symmacho referunt, sæculares potestates ingerere conatus fuerat) anno Domini 483, octavo die Martii creatus est pontifex Felix, patria Romanus, atavus S. Gregorii Magni, prout ipse testatur homil. 38, in Evang., et 4 Dialog. cap. 16.

Linea 9. — *Post annos tres.* Constat ex epistola sexta Felicis, qua continetur sententia in Acacium lata, hos ante damnationem Acacii deputatos et ablegatos esse. Falsum est igitur quod scribitur hic eos triennio post damnatum Acacium Constantinopolim missos fuisse.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Prima ex epistolis Felicis III, quam Binius aliique editores conciliorum afferunt, data est ad eumdem Acacium Constantinopolitanum, ad quem decessor Simplicius tres postremas perscripserat. In illa significat Felix, se datum Simplicio successorem. Licet autem dies et annus, quo dabatur epistola, in exemplaribus quæ hactenus perspecta sunt non apparent, attamen cum sciamus scriptam fuisse occasione concilii Romæ habiti sub initium regiminis a Felice suscepti ; et cum noverimus subinde scriptam aliam epistolam ad eumdem Acacium, quæ ordine sexta est in Biniana editione, ubi sententia depositionis et excommunicationis contra ipsum profertur, et ita consignatur, *Cælius Felix episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ subscripsi : data V Kal Augusti Venantio viro clariss. consule*, nempe anno vulgaris æræ Christi 484, gesta complura ibidem recitata, quorum causa exauctoratur Acacius, ostendunt anno superiori nempe Christi 483, priores litteras fuisse datas a Felice, studium omne adhibente pastoris Evangelii, ut errantem ovem reduceret ad Christi ovile, Petro ejusque successoribus concreditum. Constat igitur de Felicis exordio satis perspicue referendo ad diem Dominicam ordinationis suæ, diem scilicet sextam Martii anni 485, consulatu Fausti junioris ; vel ad diem Hebdomadis eam Dominicam præcedentis ; si ab electione potius quam ab ordinatione epocha desumatur. Terminus autem pontificatus et vitæ sancti Felicis III recte collocatur sub die 25 Februarii anno 492 (qua colitur), Anastasio Augusto et Rufo consulibus. His certe coss. decessum Felicis, et successionem Gelasii refert Victor Tununensis in chronico : cui catalogi pontificii suffragantur, dum tribuunt annos 8, menses 11 ejusdem sedi, quemadmodum et Anastasius : qui etiam exprimit dies 23. Catalogi autem plerique tantum 18 enumerant, præsertim Colbertini : decisa, ut videtur, parte inferiori litteræ 10 ex nota denarii secundi per amanuenses, qui 18 pro 23 descripserunt.

In vetusto codice monasterii S. Crucis ad Hierusalem una cum epistola synodica Felicis, recitata in concilio Romano anni 487, Boethio viro clarissimo consule, legitur in fine epistolæ etiam nota proxime sequentis consulatus Dynamii et Sifidii, qui pertinet ad 488, ex ea scilicet causa, quod epistola diu Romæ retenta fuerit antequam in Africam transmitteretur, ut notat Binius ; sive etiam, quod aliquod exemplar ejusdem serius asportatum, vel iterata transmissione perlatum fuerit anno indicato.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 8. — *Damnavit Acacium*, etc. Temperamentum attentæ sollicitudinis, quæ censuram non deserat, et paternæ lenitatis, quæ ad pœnitentiam exspectet, adhibitum fuisse a Felice in Acacii judicio, licet satis appareat ex gestorum serie, quam in notis D archiepiscopi Sommier poterit unusquisque observare, et in documentis ibidem selectis, attamen luculentius demonstrari affirmat R. P. dominus Simon Mopinot in synopsi epistolari, quam præmisit novæ editioni epistolarum summorum pontificum a R. P. domno Constantio ejusdem Congregationis monacho nuperrime adornata. Illius verba reddam, quibus retunditur animosior critice quorumdam ingeniorum, sibi usurpantium auctoritatem inurere notæ indiscretæ severitatis zelo Felicis : quem ille ex documentis per Constantium adductis ita liberandum judicat ab omni imputatione intempestivi fervoris, ad destruendum potius quam ad ædificandum accommodati.

« Felicis II (inquit vocans Felicem secundum Hilari successorem proximum, quem nos dicimus Tertium,) gesta quædam Henricus Valesius, et alii Valesium secuti sic exponunt, ut, præterquam quod in Historiam graviter peccant, Felicem ipsum fervontiori abreptum zelo, etiam nolentes, nescientesque repræsentent. Quippe sic existimant viri, cæteroqui prudentes et eruditi, pontificem post sententiam in Acacium episcopum Constantinopolitanum, labente Julio anni 484 prolatam, mox in synodo quatuor post diebus habita ; similem alteram protulisse, tum scilicet temporis cum de priore necdum Acacius quidquam audisset. Hoccine vero in Felicem cadit ? aliud certe cum ejus litteræ, tum historiæ quoque monumenta persuadent. Constantius

Digitized by Google

ne qua pontifici tam pio tamque integro inuratur præcipitis animi nota, suam utrique judicio ætatem certo assignat; ac primum quidem ad Julium mensem anni 484 refert cum Valesio, alterum vero ad Octobrem anni sequentis : ut anathema nonnisi graves ob causas, et post exploratam diuque toleratam Acacii pervicaciam iteratum fuisse liquido appareat : id quod vir doctus argumentis astruit nec infirmis nec paucis, fusiori dissertatione, cujus ad calcem hæc verba lego : Istud quidem diligentius inquisisse ac probasse, non sine usu fuerit; quia cum veritatem nosse semper intersit, tunc vero interest maxime ne Felix in dicenda, iterandaque tanti momenti sententia præceps fuisse videatur.

« VI. Vellem et alteram disquisitionem liceret exhibere totam hoc loco, qua litteras tres eidem papæ attributas, unam quidem ad Zenonem imperatorem, alias vero duas ad Petrum Fullonem inscriptas, probat in spuriis habendas esse. Cerneres religiosi critici in secernendo vero sagacitatem, ac præsertim in defendenda summorum pontificum fama studium. Hoc idem susceperat is, quem modo laudavi Valesius, at argumentis quæ, si plurimum probabilitatis, certe non satis roboris haberent ad persuadendum. Hinc Antonio Pagio data novi systematis adornandi occasio est. Illud vero systema Constantius ostendit, nullo penitus fundamento niti, quippe quod neque cum veteribus libris aut editis, aut manu exaratis, neque cum ipso litterarum contextu componi unquam possit. Itaque rationibus Valesii non spretis quidem, sed in medio relictis, alias profert, et graviores, et plures, quæ rem omnino persuadeant. Singulas referre longum foret; præcipuas duntaxat delibare difficile : etenim omnes ita inter se aptæ consertæque sunt, ut sine plurimo sui dispendio sejungi nequeant. Tantum observabo interesse non parum cum ad Historiæ veritatem, tum ad Felicis secundi laudem, ut ne hujusmodi litteræ genuinis accenseantur. Quippe his fingitur pontifex cum Acacio convenisse in damnando Petro Fullone, cujus consensionis nulla prorsus in toto Felicis pontificatu, sive initium aut finem, sive interjectum tempus attendas, chronologica nota assignari potest : imo cujus falsitas ex genuinis ejusdem papæ litteris in oculos incurrit. Deinde fingitur et Acacium *Archiepiscopi* titulo sic exornasse, *ut episcopos ejus juri subjectos* fateretur; Acacium, inquam, civitatis episcopum, quam Gelasius, Felicis successor Heraclensis *Ecclesiæ paræciam* vocat, observatque *nec inter metropolitanorum jura censeri;* adeo abhorret, vel a veri specie, Felicem Constantinopolitanæ sedis privilegia, Chalcedonensi canone 28 innixa, suo hujusmodi assensu confirmasse. Fingitur denique, quod gravius est, et prius commemorari debuerat, ad Petrum Fullonem sic tanquam ad legitimum Antiochenæ Ecclesiæ pastorem scripsisse, ipsumque his verbis allocutus esse : « Conspice te constitutum, ut sis lumen iis, qui in tenebris sunt, et eruditor insipientium... vide a te populos semel illuminatos, qui bona gustaverunt Dei verba. » Quasi vero sanctissimum papam credibile sit tam disciplinæ ecclesiasticæ, tamque sui ipsius oblitum fuisse, ut Chalcedonensis concilii hostem infensissimum, sacrilegum Antiochenæ Ecclesiæ prædonem, ab decessore suo Simplicio papa nuper damnatum, imo Christiani vocabulo spoliatum, Fullonem denique communione sua donare, honorificis appellare verbis, et pro legitimo Antiochenorum episcopo habere voluerit? qui Fullo, *si de legitima fuisset curatione sanatus* (uti de Petro Mongo loquitur Felix ipse) *ad indulgentiam suscipi deberet, non ad sacerdotii dignitatem.* Neque vero vir doctus adulterina id genus scripta satis habuit Felici abjudicare : investigavit præterea, quis eorum architectus, unde is fuerit, qua vixerit ætate, quo fine hæc procuderit : quibus probe explicatis, concludit hominem Græcum fuisse, cumque Acacii veneratorem, qui ut Scytharum monachorum *de uno sanctæ Trinitatis crucifixo* sententiam efficacius confutaret, eamdem finxit in Petro Fullone prædamnatam fuisse a pontifice Romano Felice II. *Tanti erat* (inquit Constantius), *pontificis Romani auctoritas, ut ejus involucro tegerent sese, vel ipsi quoque Græci, quos ab sedis apostolicæ communione divulserat Acaciani schismatis procella.*

« Possem e variis sive notis, sive monitis, seligere non pauca, quæ in eumdem scopum collineant : sed ad alia properandum. Quanquam hoc præterire non possum, proditura scilicet in lucem fragmenta complura, eaque prolixa et hactenus inedita, ad unam eamdemque Felicis epistolam pertinentia, cujus epistolæ argumentum est, Orientalibus denuntiare, ne qua se cum Acacio communione contaminent, simul et polliceri fore ut Acacius ipse, si ab incœpto desistat, ecclesiasticæ societati redonetur : quod postremum id habet utilitatis, ut sententiæ in Acacium eumdem ab eodem Felice prolatæ verba quædam explicet paulo obscuriora, uti explicata postmodum ab Gelasio fuere; neque jam in his quidquam supersit, quod in pontificis charitatem minus convenire videatur. »

CIACONII.

Linea 1. — *Felix tertius.* Ciaconio secundus, cum is, qui in schismate contra Liberium creatus est, papa dici legitimus nequiverit.

Linea eadem. — *Natione Romanus.* De nobilissima domo Anicia, quæ postea Frangepanum appellata est, S. Gregorii papæ Magni doctoris atavus, ut ipse tradit Homil. in Evang. 38 et Dialog. lib. IV, c. 16.

PAGII.

Linea 1. — *Felix tertius*, etc. S. Felix hujus nominis tertius patria Romanus, ex patre Felice presbytero, sancti Gregorii Magni atavus, post quinque dierum interpontificium, Simplicio successor datus est; ordinatus est enim die Dominica, sexta Martii ejusdem anni quadringentesimi octogesimi tertii, ut ex sedis ejus duratione constabit. Porro Felicem III, non vero IV, fuisse Gregorii Magni atavum, recte probat Baronius in Annalibus et in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 25 mensis Februarii, qua de re vide dicenda in Felice IV.

Linea 5. — *Venit relatio de Græcia, Petrum Alexandrinum*, etc. Joannes Talaja episcopus Alexandrinus, tunc Romæ existens, ut in Simplicio diximus, libellum, quem huic paraverat porrigendum, varia in Acacium episcopum Constantinopolitanum crimina continentem, obtulit Felici, ut habet Evagrius lib. III, cap. 18 : « Cum libelli, inquit, a Joanne Felici porrecti essent adversus Acacium, ut qui illicite Petro (scilicet Moggo in sedem Alexandrinam intruso) communicaret, et alia quædam gereret contra sacrorum canonum præscriptum, Felix Vitalem ac Misenum episcopos ad Zenonem misit, poscens ut synodus Chalcedonensis firmaretur, et Petrus tanquam hæreticus expelleretur, utque Acacius Romam mitteretur, rationem redditurus eorum quæ Joannes ei objiciebat. » Quarum sedium fuerint episcopi, Vitalis et Misenus, discimus ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum, in quo Vitalis dicitur episcopus Truentinus ex Picena regione, quod oppidum Truentum dictum, nunc est excisum; et Misenus dicitur Cumanæ Ecclesiæ episcopus, ex regione Campaniæ; Cuma vero erat urbs Campaniæ, prorsus etiam nunc eversa. Directi sunt autem *sub hac instructione*, ut legitur in eodem Breviculo, « ut Petrus de Alexandrina pelleretur Ecclesia, et ut libello sancti Joannis episcopi Alexandrini responderet Acacius, atque ipsi denuntiaretur Acacio, ut anathema diceret Petro. » Libellus citationis Acacii exstat tom. IV *Concil.*, pag. 1098.

Legatis in mandatis dedit Felix, ne quidquam ageret, priusquam cum Cyrillo Acœmetensium monachorum præposito *essent collocuti, et ab eo quid agen*

Digitized by Google

dum esset didicissent, inquit Evagrius laudatus cap. 19. Legati, cum Abydum venissent, illic ab imperatoris satellitibus comprehensi, et chartis eorum ablatis, custodiæ mancipati sunt, ut scribit Theophanes. Primo quidem minatus est imperator sese eos interfecturum, nisi Petro et Acacio communicarent. Sed cum minæ nihil proficerent, ad blanditias conversus, donis ac muneribus eos corrumpere aggressus est. Imo, addito jurejurando, tam ipse quam Acacius iisdem pollicitus est, integram causam apostolicæ sedi servandam esse, nec ullum inde præjudicium causæ futurum, si legati cum Aacacio et Petro communionis societatem iniissent. Testatur id Gelasius papa in epistola 13 ad episcopos Dardaniæ, haud procul ab initio : « Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis; verum etiam ipsam legationem sedis apostolicæ, blandimentis, præmiis, perjuriisque deceptam, quibus ei cum imperatore promisit, integram præsulis apostolici causam de omnibus esse servandam, Petri communione pollutam redire perfecit. » Cum ergo Vitalis et Misenus variis artibus decepti fuissent, e custodia producti, una cum Acacio et Petri Mongi apocrisiariis ad ecclesiam processerunt, et missarum solemnia celebrarunt, reclamantibus licet orthodoxis, et prævaricationem hanc esse perditionem rectæ fidei, semel, iterum, ac tertio contestantibus. Primum quidem contestationis libellum, funiculum ad hamum circumligantes, uni ex legatis suspenderunt, secundum vero in codicem immiserunt, tertium olerum cophino inserentes ad legatos miserunt, ut scribit Theophanes.

His ita gestis, legati operti ignominia ac dedecore revertuntur; cum non solum ea, ad quæ missi fuerant, non egissent, sed cum Petro Mongo, ad quem expellendum directi erant, inita communione polluti essent. Zenonis et Acacii litteras, quas illi ad Felicem papam rescripserant, Romam redeuntes secum detulerunt, plenas contumeliarum in Joannem Talaiam : Petri vero Mongi laudibus ac præconiis refertas. Epistolæ Zenonis partem refert Evagrius lib. III, cap. 20. De Acacii epistola, Felix papa, synodus Romana, et auctor Breviculi Historiæ Eutychianistarum mentionem faciunt. Post discessum legatorum Felix Ecclesiæ Romanæ defensor, quem Felix papa ex latere suo legatum miserat (Vitalis enim et Misenus ex sacerdotali collegio delecti fuerant), cogente morbi necessitate tardius legatos subsecutus, ita contumeliose exceptus est ab Acacio, ut nec in conspectum suum admittere sustinuerit, ut testatur Felix papa in sententia damnationis Acacii. Liberatus addit detrusum esse in custodiam, et chartas ejus ablatas, quia nempe Acacio et Petro, sicut Vitalis et Misenus fecerant, communicare noluerat.

Priusquam legati Romam reversi essent, fama adventum eorum præveniens, prævaricationem eorum ubique divulgaverat. Quare Felix papa Synodum sexaginta septem episcoporum anno quadringentesimo octogesimo quarto in basilica Sancti Petri collegit. Illic Vitalis ac Misenus, cum legationis sibi mandatæ rationem reddere juberentur, et ad vanas excusationes converterentur, Felix papa primo Vitalem ac Misenum episcopos sacerdotio et communione privavit; Petrum deinde Mongum Alexandrinum, et Acacium Constantinopolitanum a sacerdotali collegio et ab Ecclesiastica communione pronuntiavit alienos. Hæc est prima damnatio Acacii in synodo Romana habita *die* v *Kalendas Augusti Venantio cos.* ideoque anno 484. Hujus synodi Romanæ unicum hodie superest fragmentum, pars scilicet sententiæ ab universa synodo prolatæ in Petrum et Acacium. Exstat ea tom. IV *Concil.*, pag 1073, incipitque, *multarum transgressionum*, etc. Quid in ea reprehenderent Græci, et quid Romani responderent, legi potest in critica Baronii eodem anno.

Sententia in Acacium, a synodo Romana lata, missa est per Tutum Ecclesiæ Romanæ defensorem, A quemadmodum et epistola ad Zenonem Augustum, qua rogabant episcopi, ut synodi decretis obtemperaret. Tutus sententia, et litteris acceptis, in Orientem navigavit, sententiam damnationis quam attulerat, Acacio inter altaria tradidit, ejusque pallio affixit, ut scribunt Victor Tununensis, Liberatus, et Theophanes. Sed et edictum Felicis papæ universis in Urbe Constantinopoli legendum proposuit. His omnibus fideliter peractis, dolis Acacii circumventus est. Nam, ut liquet ex epistola Felicis papæ ad monachos Urbis Constantinopoleos et Bithyniæ, quæ tomo IV *Concil.*, pag. 1085, legitur, missus ad Tutum senex quidam Maronas nomine, magnam pecuniæ vim ei pollicitus est, si Acacio omnia, quæ Romæ contra ipsum agebantur, aperire vellet. Verum Rufinus et Thalassius archimandritæ, et cæteri monachi Constantinopoli, et per Bithyniam constituti, simul atque Tutus Romam reversus est, scripserunt ad Felicem papam, missis etiam Tuti B ipsius litteris, quibus in conventu episcoporum lectis, officio pariter et sacrosancta communione privatus est anno quadringentesimo octogesimo quinto.

Interea cum Felix pontifex videret res adeo in Oriente esse turbatas, ut nulla penitus foret spes Joannem Talaiam episcopum Alexandrinum in suam sedem restitui posse, eumdem antistitem, Nolanæ in Campania nobili præfecit Ecclesiæ, quod testatur Liberatus diaconus in Breviario, cap. 18 : « Joannes vero Talaia habens episcopi dignitatem, inquit, remansit Romæ : cui papa Nolanam dedit Ecclesiam, quæ est in Campaniæ regione; in qua plurimos residens annos, in pace defunctus est. »

Acacius deteriora committens, ejecto ex Ecclesia Antiochena catholico episcopo Calendione, quem ipse ordinaverat, Petrum Fullonem ejusdem sedis invasorem, ab eaque ejectum, et in synodis Romana et Constantinopolitana sub Simplicio damnatum, in eam sedem a Zenone imperatore restitui curavit, C Calendione expulso, et in Oasim relegato : ex quo factum, ut Eutychianis hæreticis aditus panderetur, et in locum catholicorum antistitum subrogarentur hæretici, ut testatur Gelasius papa, tam in sæpius laudata epistola 13 ad episcopos Dardaniæ, quam in ea quam ad episcopos Orientales scripsit ordine 15. Hanc Antiochenæ Ecclesiæ calamitatem cum accepisset Felix papa, synodum episcoporum Romæ, anno quadringentesimo octogesimo quinto, tertio Nonas Octobris coegit, cujus superest epistola ejusdem Felicis ad Zenonem Augustum ordine 5. Enuntiat Felix imperatori, Petrum, Fullonem, synodali judicio, sententia anathematis condemnatum ideoque ab ejus communione abstinendum esse. Hortatur præterea eumdem imperatorem, ut Fullonem depositum ex Antiochena Ecclesia expellat. Supersunt præterea epistola Felicis papæ ad presbyteros et archimandritas, Constantinopoli et Bithyniæ consistentes, in collectione Concil., pag. 1121, cum hac inscriptione : *Epistola synodi Romanæ* D *ad clericos et monachos Orientales*; epistola denique ejusdem pontificis ad Vetranionem episcopum, ibidem, pag. 1092. In hac itaque synodo Petrus Fullo, qui tyrannico more Antiochensem Ecclesiam occupabat, anathemate perculsus est, et Acacius Constantinopolitanus episcopus, cum Petro Mongo Alexandrinæ Ecclesiæ invasore, iterata excommunicatione damnatus.

Linea 21. — *Et post tsansitum ejus*, etc. Cum imperator Zeno, anno 482, Henoticum, seu unitivum edictum, vel suadente, vel dictante Acacio emisisset, et ad Ægyptiacæ diœceseos antistites, monachos, plebemque Christianam direxisset animo conciliandæ pacis, et procurandæ Ecclesiarum unitatis, *illud* maxime displicuit, tum Simplicio, tum Felici ejus successori, qui parum religiosum principem ad officium revocare, et ad fidei tuitionem accendere gravissimis litteris conatus est. Sed nec ipse, nec Ecclesia edictum illud diserte damnavit, tum ne Zeno-

Digitized by Google

nis animum exacerbaret, et graviora inde schismata et mala orirentur, quorum difficilior esset sanatio : tum quia Zeno synodum Chalcedonensem diserte non damnavit, nec hæresim ullam astruxit Henotico suo, imo damnavit Eutychianum dogma, et aliunde privatis litteris ad Romanos pontifices, et nominatim ad Felicem III datis, quarum fragmentum refert Evagrius lib. III, cap. 20. Chalcedonensem synodum professus est : « Pro certo habere debes, inquit Zeno apud Evagrium, et pietatem nostram, et supra memoratum sanctissimum Petrum et universas sacrosanctas Ecclesias, sanctissimum Chalcedonense concilium amplecti atque venerari, quod cum fide Nicæni concilii prorsus consentit. » Qua ex epistola, et ex ipsius Henotici verbis Natalis Alexander sæculo V dissert. 18, illud nullam hæresim continere ostendit. In eo Zeno non aliud symbolum admittendum decernit, quam Nicænum : approbat 12 sancti Cyrilli capitula. Nestorium et Eutychem damnat anathemate. Illud tamen Ecclesia merito rejecit, non solum quia laici principes decernere de fide non possunt; sed etiam quia Zeno in eo definitionem synodi Chalcedonensis, et epistolam S. Leonis ad Flavianum, summo totius synodi consensu receptam, et voces *ex duabus, et in duabus naturis*, quibus Eutychianam hæresim jugularunt, silentio premendo, sua œconomia condescendit hæreticis, qui illas exsecrabantur. Unde Zenonis nomen post mortem ex sacris diptychis expunctum, quando pax inita est inter Orientalem Ecclesiam et Romanam sub Hormisdæ pontificatu.

Cum S. Felix papa annos 8, menses 11, dies 18 sedisset, ut habent Anastasius Ms. Colbertinus, varii catalogi, Regino, Martinus Polonus, Luitprandus et Hermannus Contractus, ad cœlestem patriam transiit die vigesima quarta mensis Februarii anni quadringentesimi nonagesimi secundi. Eum post obitum Tarsillæ virgini pronepti suæ, Gordiani patris sancti Gregorii Magni sorori conspicuum, eam ad regnum cœleste vocasse narrat ipsemet Gregorius homilia 38 in Evangel. et lib. IV Dialog., cap. 16.

SOMIER.

Linea 4. — *Sub hujus episcopatu*, etc. Gesta Felicis in causa Acacii Constantinopolitani collegit ex ejusdem epistolis, ut videtur, Bibliothecarius hac in sectione. Collegit ac evidentius digessit D. archiepiscopus Cæsariensis Somier lib. VI, cap. 6 et 7 Historiæ dogmaticæ S. sedis per ea quæ sequuntur.

Ex cap. 6. Statim ac Felix III Ecclesiæ thronum conscendit, cura illius prima impensa fuit in administranda justitia Joannis Alexandrini petitionibus et querelis contra Acacium Constantinopolitanum apostolicæ sedi porrectis. « Cum enim libelli a Joanne Felici porrecti essent adversus Acacium, ut qui illicite Petro (Moggo) communicaret, et alia quædam gereret contra sacrorum canonum leges, Felix Vitalem ac Misenum episcopos ad Zenonem misit. » Evagrius (lib. III, cap. 18) epistolas addidit ad eumdem imperatorem, nec non ad Acacium. In datis ad Zenonem ita præfatur. « Apostoli Petri veneranda confessio materne instat vocibus, et suorum præcipue filiorum compellare non desinens confidentiam tuæ pietatis, exclamat : Christiane princeps, cur me a curriculo charitatis, quo Ecclesia universalis astringitur, permittis incidi? cur in me rumpis totius orbis assensum? Quæso te, fili piissime, ut tunica Domini desuper contexta per totum, quia in unum corpus Spiritu sancto ubique regente individuam fore Christi fuguravit Ecclesiam, nulla patiaris sorte violari, neve cujus inter ipsos, qui crucifixerunt Salvatorem, mansit integritas, tuis videatur esse temporibus divisa.

« Nonne mea fides est, quam solam esse unam, et nulla adversitate superandam Dominus ipse monstravit, qui Ecclesiæ suæ in mea confessione fundatæ portas inferi nunquam esse prævalituras promisit? A Hæc rogo, quæ dicta Deus esse voluit per dictæ sedi antistitem, vel per mei ordinis parvitatem, qui tuæ securitatis intuitu hujusmodi ideo promenda judicavit, ut non tam ejus qualemcunque vicarium, sed præsentis apostoli velut auctoritate commonitus altius vias et divinæ reverentiæ, et humanæ conditionis aspiciens (quod absit) non ingratus existere videaris collocatæ felicitatis auctori... Respice ad decessores tuos augustæ memoriæ, Marcianum scilicet et Leonem, et tantorum principum fidem legitimus eorum successor amplecti debes illorum in religione consensum, quorum debes memoriæ reverentiam. Palatii tui facito scripta recenseri, et scripta illa diligenter investigari, quæ ad apicem summæ regrediens potestatis, ad decessorem meum pietas tua pro communi gratulatione direxit, » etc. *Felicis papæ III epistola secunda.*

In litteris pariter ad Acacium scriptis tum zelum fidei curandæ in universa Ecclesia sibi demandatum, B utpote Petri successori, profitetur; tum ab eo rationem exigit, cur de statu fidei et in Alexandrina et Orientali Ecclesia turbatæ sibi non renuntiaret, juxta decessorum suorum monita. « Cujusnam rei causa intersit indica nobis, quod dilectio tua non modo tantis opportunitatibus indesinenter exortis, verum etiam sæpe numero a decessoribus meis litteris invitata, velut obstinato silentio, nunquam super hanc partem aut consulere quidquam voluerit, aut referre... » Deinde serio monet, ne suspicionem de se datam, periculi in quo versatur, pertinacia confirmet. « Quapropter instantius qui te diligimus sincero charitatis intuitu, crebro repetitis hortationibus incitamus, ut ipse vicissim post hæc ea devies, quæ te ab omni domo Christi ostendunt esse disjunctum. »

Præter hasce litteras, duos etiam actus transmisit perferendos separatim, unum quidem ad Zenonem Augustum, alterum vero ad Acacium. Evagrius, lib III, cap. 18, videtur utriusque meminisse, et articulorum in iis expressorum. « In priori quidem po- C scens ut synodus Chalcedonensis firmaretur, et Petrus (Moggus) tanquam hæreticus expelleretur, atque Acacius Romam mitteretur, rationem redditurus eorum quæ Joannes (Alexandrinus) ei objiciebat. » In secundo autem actu, ad Acacium directo, ita perscripsit. « Episcopali diligentia commonente debuerat dilectio tua morem secuta, quid responsio sanctæ memoriæ prædecessoris mei per virum devotum Uranium subdiaconum apud clementissimum principem, quid apud te quoque litteræ ipsius in causa Alexandrinæ Ecclesiæ perfecerint, indicare, et curam, cujus te non immerito voluit esse participem, cuncto studio prosperorum significatione moliri ut catholica fides apud Chalcedonensem synodum roborata, et iterum firmata responsis omnium, qui in eadem resederant, Domini sacerdotum, quam inopinato rursus hæreticorum pravitas inquietat, communi opere inimicis propriis subjacere non permitteretur oppressa. Quod cum diu omittitur, superveniens coepi- D scopus noster Joannes, fugatus ab hæreticis pervasoribus sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ decessori meo paraverat porrigendum, quantum ex subjectis agnosces, ingessit. Quem morem majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo, et priorum nostrorum, non potuimus refutare. Et ideo lectis subditis, frater charissime, ad hæc quæ præposita esse cognoscis apud B. Petrum apostolum, cui preces in nobis oblatas pervides, et quem ligandi atque solvendi potestatem a Domino sumpsisse non potes diffiteri, et in conventu fratrum et coepiscoporum nostrorum respondere festina : ut in alterutram partem quod justitia paraverit ordinantes, amotis scandalis Ecclesiarum, quas scindi videmus, reparata concordia, et servata integritate fidei, puris mentibus acceptissimas faciamus placationis hostias, quas pro omni populo Christiano, et salute gloriosissimi imperatoris offerimus. Ad quam rem de collegio nostro fratres, et coepiscopos Vi-

Digitized by Google

talem et Misenum, cum quibus illum a latere nostro fidelissimum nostrum Felicem defensorem S. Ecclesiæ Romanæ ordinatione direximus. Quibus moram fieri non oportet; ne ad indignationem Domini provocandam, quæ corrigenda sunt procrastinationibus convalescant. »

Providentem Felicis curam elusit legatorum dedecus et socordia. In primo ipsorum adventu Zenonis jussu carceri mancipantur, ubi blandimentis, præmiisque tentati ut flecterentur, minis vero, atque terrore incusso ne Felicis mandata exsequerentur, decepti quoque sunt perjuriis Acacii « quibus ei cum imperatore promisit integram præsulis apostolici causam de omnibus esse servandam Romanæ sedis antistiti : » *ita ut Petri* (Moggi) *communione pollutam legationem*, ut Gelasius papa in epistola ad Dard. memorat, consentiente Evagrio lib. III, c. 20, et Brev. Hist. Eutych. *redire perfecerit.*

Felix de legatorum prævaricatione certior redditus in eorumdem reditu concilium indixit apud S. Petrum, in quo juris ordine servato *beatissimus papa Vitalem et Misenum* (legatos) *ab officio et communione suspendit, Acaciumque damnavit.* (Brevi. Hist. Eutych. in fine.)

Damnationis sententiam ad Acacium transmisit per Tutum Romanæ Ecclesiæ defensorem. Quin etiam in mandatis dedit, ut edicto publice affixo hujusmodi judicium publicaretur. « Acacius, qui secundo a nobis admonitus statutorum salubrium non destitit esse contemptor, meque in iis credidit carcerizandum : hunc Deus cœlitus probata sententia de sacerdotio fecit extorrem. Ergo si quisquis episcopus, clericus, monachus, laicus, post hanc denuntiationem eidem communicaverit, anathema sit Spiritu sancto exsequente. »

Complures alias de hujusmodi negotio litteras Felix perscripsit, præsertim ad Zenonem Augustum, ad clerum, et plebem Constantinopolitanam, et ad monachos ejusdem urbis, et Bithyniæ, quarum præcipua capita hic delibanda proponimus.

In epistola ad Zenonem ait : « Contra divinam reverentiam probabitur B. apostoli Petri directa legatio tanquam in captivitate reducta teneretur, et chartis, quas bajulat, violenter ablatis, ad communicandum hæreticis, hoc est apocrisiariis Alexandrini Petri, adversum quem ierat, de custodia sit producta..... cum apud barbaras etiam nationes, atque ipsius deitatis ignaras, pro exsequendis negotiis vel humanis, jure gentium legationis cujuslibet habeatur sacrosancta libertas : quanto magis ab imperatore Romano, et Christiano principe, in rebus præsertim divinis oportuerit intemeratam servari. »

« In vestro relinquo deliberationis arbitrio utrum B. apostoli Petri, an Alexandrini Petri cuiquam sit eligenda communio... Puto autem quod pietas tua, quæ etiam suis mavult vinci legibus, quam reniti, cœlestibus debeat parere decretis : atque ita humanarum sibi rerum fastigium noverit esse commissum, ut tamen ea quæ divina sunt per dispensatores divinitus attributos percipienda non ambigat... certum est enim hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, et juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre; et sacrosancta per eorum præsules discere potius, quam docere : Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla submittere, ne dum mensura cœlestis dispensationis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. »

In litteris ad clerum et plebem Constantinopolitanam ait : « Filio autem nostro presbytero Salomoni, quem Acacius, ut placeret hæreticis, suo privare putavit gradu, gradum proprium sententia vestra conservet : vel omnes qui forte a memorato propulsi, in locis suis, et in nostra communione manere pronuntiet. Quamvis autem zelum vestræ fidei noveri-

A mus, monemus tamen, ut omnes, qui catholicæ fidei volunt esse participes, ab illius se communione abstineant, ne, quod absit, simili subjaceant ultioni. Quia non est dubium nonnullos ex monasteriis vestris esse deceptos, atque ad inimicos Dei seu sponte seu necessitate transisse, observandum vobis de talibus hoc esse mandamus, ut quisquis cujuslibet loci apud vos vel sponte se dedit, vel mercede corruptus, collegii vestri sit prorsus alienus... illorum vero aliter causa tractanda est, quos constiterit pœnis gravioribus, ut traducerentur, afflictos. Circa quos humaniores vos esse convenit, ut ad cellulas sub districtione pœnitentiæ revertantur, e fidelioribus lacrymis eorum quod lapsi sunt expietur : donec exclusis inimicis, et perversoribus suis, catholica purgetur Ecclesia. »

Ex cap. 7. Acacius in pejora prolapsus post monita salutaria, et justas pœnas inflictas, eosdem ausus in Antiochena Ecclesia exercuit, quos in Alexandrina perfecerat. Abusus enim gratia, qua apud imperatorem pollebat, evicit, ut depositio et exsilium contra Calendionem patriarcham decerneretur, quasi majestatis reum, et falso imputatæ conjurationis in principem, eique ut subrogaretur Petrus Fullo. His perceptis Felix altero concilio Romæ celebrato Acacium percellit iterato anathemate, necnon Petrum Moggum, et datis ad Zenonem litteris monet et mandat : « Hæc legat sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia, ut ab ipsa propter prædictas causas depositum ad communionem non suscipiat, sed per divinos apices vestræ serenitatis ab Antiochæ confinio propellite. »

In synodica vero epistola, quam Romanum concilium transmittit ad clerum et monachos Orientales, edita in Labbeana collect. Concil., pag. 1124, hæc leguntur :

« Nunc causa Antiochenæ Ecclesiæ apud B. Petrum apostolum collecti rursum dilectionis vestræ more, qui apud nos semper obtinuit, properavimus indicare quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipue fidei colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor præsulem sedis apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ sacerdotum juxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui caput est omnium; Domino ad B. Petrum dicente : *Tu es Petrus*, etc. Quam vocem sequentes 318 sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt : quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes Christi gratia præstante custodiunt... sic autem Acacius impietatem pestiferæ damnationis tetendit, ut etiam dejectus insultet, ut scissus sævire non desinat; et cum omnino extra corpus habeatur, ejus tamen membra dilaceret. Qui Calendione episcopo sancto nuper ejecto, Petrum in ejus immisit Ecclesiam. Candidus Tiburtinæ civitatis episcopus Petro Alexandrinæ Ecclesiæ pervasori, et Acacio quondam Ecclesiæ Constantinopolitanæ, necnon etiam Petro Antiocheno, ab episcopatus et Christianorum numero olim jure et merito segregatis, omnibusque sequacibus eorum sequens auctoritatem sedis apostolicæ secundum nostrum juxta Ecclesiæ statum catholica deliberatione prolatum, anathema dicens subscripsi. Quadraginta duo episcopi similiter subscripserunt. »

Cum Acacius in schismate persistens vita migrasset, ordinatur post eum *Flavitas presbyter, qui non consensit sine Romano pontifice inthronizari : sed transmisit synodicam papæ Romano Felici* (scribit Liberatus in Breviario cap. 18). Litteras perferendas curavit per clericos Constantinopolitanos associatos ab legatis monasteriorum ejusdem urbis, qui constantes fuerant in communione Romanæ sedis. In his autem profitebatur se juxta regulas id perficere. « Dum scilicet ad apostolicam sedem regulariter destinatur, per quam largiente Christo omnium soli-

Digitized by Google

datur dignitas sacerdotum. Quod ipse dilectionis tuæ litteræ apostolorum summum, petramque fidei, et cœlestis dispensatorem mysterii creditis sibi clavibus B. Petrum apostolum confitentur. Quod denique ut amplius esse unanimes valeamus, nobiscum dilectionem tuam orthodoxæ fidei habere velle testatur assensum. » *Felix papa III, epistola 13 ad Flavit. Constantinop.*

Ita nempe confidebat de sincera Flavitæ dispositione Felix ex destinatione legatorum, quos noverat esse orthodoxos, ratus eumdem acquiescere apostolicæ sedis judicio, et juxta ejusdem pronuntiata inter excommunicatos habere Acacium et Moggum, quorum proinde nomina expunxisset e sacris diptychis. Verum ex interrogationibus legatorum cum documenta hujusmodi consensus non eliceret, differri voluit eorumdem admissionem ad communionem optatam, ut in iisdem litteris ita commemorat. « Quæ cum non mediocria videantur indicia, quibus de tua mente nobis procedere votiva credamus, ad testimonium majus accessit, ut filii nostri religiosi monachi, B recte fidei confessione pollentes pariter huc venirent. Quibus utique visis æstimamus non aliter destinatos, nisi nominibus damnatorum, a quorum isti communione distabant, de Constantinopolitana Ecclesia jam repulsis. Itaque nihil superesse perspeximus, nisi ut hi, qui dilectionis tuæ synodica bajulabant, communionis apostolicæ participatione fruerentur. Sed dum cum ipsis sollicitius ageretur, ut (si mallent B. Petri apostoli communionem fideli corde suscipere) responderent vel se, vel dilectionem tuam ab Alexandrini Petri, Acaciique deinceps recitatione futuram modis omnibus alienam : illi nihil sibi tale mandatum fuisse perhibentes, oblatæ salubriter gratiæ nostræ consentire noluerunt. Qua eorum mutatione permoti, cum litteræ venientes, vel ipsa rerum dispositio aliud promittere videretur, et relatio prædictorum longe aliter quam sperabatur offerret communionem quidem nostram contristati distulimus : quam remotis dubietatibus optabamus plenam catholicæ fidei, et hoc quod circa orthodoxam fidem consensum nobiscum se habere promisit, arbitramur esse venturam. Alioquin nihil nobis poterit imputari, si complectentibus fœdera charitatis B. apostoli Petri consortio Alexandrini Petri societas præferatur. Eadem ferme sententia ad Zenonem Augustum rescripsit, profitentem in litteris ad Felicem datis fidei puritatem, et Ecclesiæ concordiam suorum esse votorum summam, et postulantem pro confirmatione episcopi Constantinopolitani a Romanæ sedis antistite, cum optet inde fulciri, unde Christo cupiente A profluit cunctorum gratia plena pontificum (epistola 12 Felicis III ad Zen. imp.). Denique ad Thalassium archimandritam monasterii Constantinopolitani ita Felix pronuntiat :

« Post factas litteras, quas per filios nostros religiosi propositi viros dilectioni tuæ misimus contradendas, ne quid minus pro catholicæ fidei custodia diligentior cura prospiceret, charitatem tuam duximus admonendam, ut etiamsi præstante Deo nostro nomina damnatorum, id est Alexandrini Petri, et infelicis Acacii fuerint de Ecclesia recitatione sublata, ut similes perditionis eorum sacerdotii non permittantur præsumere dignitatem, non prius tua dilectio, vel congregatio quam gubernas Constantinopolitanæ Ecclesiæ, vel quicunque ejus futurus est pontifex, excommunicandum esse decernat, quam ad notitiam sedis apostolicæ cuncta referantur ; vel ipsius litteris qui creatus fuerit episcopus, vel tuæ dilectionis alloquiis. Quia sicut per professionem catholicam sedis apostolicæ formam secutus es, ut te a damnatorum communione suspenderes : ita et B. Petri debebis sequi exemplum, ut quando ejus auctoritate relata fuerit communio, tunc etiam tuum noveris miscendum esse consortium. Nec quisquam dilectioni tuæ omnino persuadeat jam nostram communionem illis partibus fuisse commissam ; cum videas res adhuc in dubio constitutas, et apud nos de creato illic pontifice omnia haberi prorsus incerta. Neque cum eo posset sociari communio, cujus adhuc a nobis nec honor probatur, esse susceptus, nec fides atque imitatio comprobata. Exspectet ergo dilectio tua sedis apostolicæ jussionem : et sic Ecclesiæ Constantinopolitanæ sacra se communione conjungat, si in participatione B. Petri et catholicæ veritatis desiderat permanere. » (Epist. 14 Felicis pap. III ad Thalass. archimandr.)

Post hæc adeo evidentia testimonia, potestne affirmari (uti audent nonnulli Neoterici) aliquem, licet a Romanæ Ecclesiæ communione rescissum, adhuc C permanere in communione corporis Ecclesiæ catholicæ? Qui hæc proferre non verentur, vellent procul dubio ex catholica Ecclesia, quæ est regnum, et familia, et corpus mysticum Christi Jesu, efformare regnum absque capite, familiam absque patre, corpus absque anima.

Flavitas electioni suæ non fuit superstes nisi paucis diebus supra menses tres. Euphemianus ei datus successor cum Felicis litteras accepisset, Petri quidem Moggi nomen erasit e sacris diptychis ; Acacium tamen inde amovere noluit. Evag. lib. III, cap. 23.

LI. SANCTUS GELASIUS.

ANNO CHRISTI 482, ANASTASII IMP. 1, ODOACRIS REG. 16.

74 *Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos quatuor, menses* octo, *dies* novem [a]. *Fuit* autem *temporibus* [b] *Theodorici regis et Zenonis Augusti.* Hujus temporibus inventa est Ecclesia sancti Angeli in Monte Gargano. Hujus temporibus inventi sunt [c] Manichæi in urbe Roma, quos exsilio deportari præcepit. Quorum codices ante fores basilicæ sanctæ Mariæ incendio concremavit. [d] *Hic sub gestam synodicam revocavit Mesenum episcopum* ad communionem, et restituit eum Ecclesiæ suæ sub satisfactione libelli, et purgatus est receptus. Hic fuit amator cleri, et pauperum, et clerum ampliavit. Hic liberavit a periculo et fame civitatem Romanam. Hic fecit constitutum de

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, dies 19. [b] *B*, Anastasii imp. Odoacris regis, et Theodorici, a coss. Anastasii August. et Ruffini ad Paulum cons. [c] *Vide Baron ad ann Domini* 496. [d] Gesta synodica.

Digitized by Google

omni Ecclesia. [a] Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio. Eodem tempore fulgens Joannes Alexandrinus [b] venit Romam ad sedem apostolicam. Ipsis temporibus beatus Gelasius suscepit Joannem, et iterum misit, et damnavit in perpetuum Acacium, et Petrum, si non pœniterent. Tamen exspectans sedis apostolicæ satisfactionem secundum humanitatem primæ sedis Ecclesiæ. Hic dedicavit basilicam sanctæ Euphemiæ martyris in civitate Tiburtina milliario vigesimo ab urbe Roma. Dedicavit autem et basilicam sanctorum Nicandri et Eleutherii via Lavicana in fundum Villa pertusa [c]; et aliam basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina in fundum [d] Crispini milliaro ab urbe Roma vigesimo. Sub hujus episcopatu clerus crevit. *Hic fecit ordinationes* duas in urbe Roma *per menses* Februarii et Decembris, *presbyteros triginta duos*, *diaconos duos*, *episcopos per* diversa *loca* numero *sexaginta septem*. Qui etiam *sepultus est* in basilica beati Petri apostoli XI *Kalendas Decembris*. Hic fecit tractatus et hymnos, sicut beatus Ambrosius episcopus, et libros [e] adversus Eutychen et Nestorium, qui hodie in bibliotheca, et Ecclesiæ archivo reconditi tenentur, et post obitum ejus *cessavit episcopatus dies octo* [f].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B docet Petrum, Acacium multo ante obiisse.* [b] episc catholicus 13. [c] *B*, in villa petrosa. [d] ' fundo. [e] *CB*, quinque. [f] *CB*, septem.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex cod. Freheri.

Num 74, *lin* 2, dies 18; *lin* 6, *AB*, sub gesta synodica Mesenum episcopum cum fletu, etc., qui peccaverat in causa Achatii et Petri; *lin* 9, *B*, periculo famis; *lin* 11, *B*, Acatio, Constantinopoli; *lin seq.*, Alexandr episcopus catholicus, etc., quem beatus Gelasius suscepit cum gloria, cui etiam et sedem secundam præbuit; *lin ead*, *B*, ipsis temporibus fecit synodum, et misit per tractum Orientis, et iterum misit, et damnavit in perpetuum Achatium et Petrum, si non pœnitentes sub satisfactione libelli postularent pœnitentiam; *lin* 23, *B*, Hic fecit quinque libros adversus Nestorium et Eutychen, fecit et hymnos in modum B. Ambrosii. Item 2 lib. adversus Arium. Fecit et Sacramentorum præfationes et rationes cauto sermone, et epistol fidei de limato sermone; *lin* 26, *A*, d. 7, *B*, 18.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 74, *lin* 2, dies 17; *lin* 3, Aug Hujus temporibus inventi s. M. in urbe R., quos in exsilio deportari jussit (*M*, præcepit) et eorum codices ante fores. *lin* 6, hic sub gesta synodica; *lin* 7, purgatus est et receptus; *lin* 10, relatio de Ecclesia Græciæ, eo quod multa mala fierent, et homicidia a P.; *lin* 11, eo tempore f. i. Al. episcopus catholicus venit R. ad sedem apost, quem beatus Gelasius benigne suscepit. Iterum misit præfatus papa, et damnavit in æternum (*M*, in perpetuum) Ac. et P.; *lin* 14, si non pœnit. exspectabat enim sedes apostolica satisfactionem eorum; *lin* 16, mil vicesimo ab Urbe. Dedicavit autem et basilicam SS. Nic et Eleuth via Lavic in territorio ab Urbe villa pertusa, et al. b.; *lin* 18, in fundo Cr. m. ab Urbe vicesimo. Hujus episcopatus tempore crevit clerus; *lin* 20, clerus. Hic fecit tractatus et hymnos s. B. Ambros episc et lib v advers E. et N. qui h. bibliothecæ eccl arch rec ten. Item fecit duos libros adversus Arium. Fecit autem et Sacramentorum præfationes, et orationes cauto sermone, et epistolas fidei delimato sermone multas. Hic fecit ordinat 2 in urbe R. per mens Jan et Dec; *lin* 22, loca 67; *lin* 23, Decemb et cessavit episcop dies 7.

Ex codice Thuano altero.

Num. 74, *lin.* 2, dies 18. *lin* 3, Aug. Huj. t. inv. sunt M. *lin.* 6, sub gesta synodica. *lin.* 14, sedes apostolica. *lin.* 17, *deest* Roma. *lin.* 19, ab urbe vices. *lin. ult.*, dies 7.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num. 74, *lin.* 2, *Flor. et Cass.*, dies XVIII. *Florent. om.* Hujus temporibus... Gargano. *lin.* 6, *Flor.*, Hic suggesti synodi sub gesta synodo cum fletu sub satisfactione libellum purgatum Mesenum episcopum revocavit, quem Ecclesiæ suæ restituit, qui peccaverat in causa Acacii. *lin.* 8, *Flor. deest* cleri et *lin.* 9, *Flor.* famis. *lin.* 10, *Flor. et Cass. addunt*, Constantinopoli, *ante* Græcia. *lin.* 12, *post* sedem apostolicam, *Flor. add.* : quem dictus beatus Gelasius suscepit cum gloria, cui etiam secundam sedem præbuit. Ipsis temporibus fecit synodum, et misit per tractum Orientis, et iterum misit, et damnavit in perpetuum Acacium, et Petrum, si non pœnitens sub satisfactione libelli postularet pœnitentiam... Hic dedicavit basilicam S. Euphemiæ, etc. *ita etiam Flor.* 2, *lin.* 18, ' In Villa Pertusa. Fecit autem et alim. *Ita Flor. lin* 13, *in Flor. deest* Februarii, etc. *lin.* 20, *Quæ hic habentur*, per menses, etc. *in Florent. codd. leguntur post hæc verba :* Roma vigesimo. *Ita enim habent.* Hic fecit duos libros adversus Nestorium, et Eutychen : fecit et hymnos in modum B. Ambrosii [*Flor.* 2, item et duos libros adversus Arium]; fecit etiam et sacramentorum præfationes, et orationes cauto sermone, epistolas fidei delimato sermone multas. Sub hujus episcopatu, etc.

Apud Peniam ex codice Carensi.

Lin. 25, qui hodie bibliotheca dicitur et eccl.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

ucas Holstenius in notis ad Vitam Gelasii hæc habet : « De Gelasii papæ studiis, et moribus exstat egregia narratio Dionysii Exigui abbatis in præfatione decretalium epistolarum ad Julianum presbyterum S. Anastasii in ms. Vaticano. »

ALTASERRA.

Linea 3. — *Hujus temporibus inventa est ecclesia sancti Angeli in monte Gargano.* Temporibus Gelasii inventa est crypta S. Michaelis archangelis in monte Gargano ; unde et ejus memoria singulis annis celebriori festivitate colitur. Rem refert Sigebertus ad annum 488, in epocha anni lapsus, quia Gelasius non sedit ante annum 492.

Linea 5. — *Quorum codices ante fores basilicæ S. Mariæ incendio concremavit.* Manichæi urbe pulsi, et eorum libri cremati ante fores basilicæ S. Mariæ. Idem factum a Symmacho. Anastas. in ejus Vita : « Post hæc omnia B. Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra, vel codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit. » Ex constitutione Theodosii libri hæreticorum publice comburendi, l. VI *de Hæret.* Libri etiam improbatæ lectionis, puta magici vel his similes corrumpendi sunt, l. IV, § 1, ff. *Famil. erciscund.* Mathematici conversi libros publice crematos narrat Augustin. in psalm. LXI : « Ergo iste, nunc quæsitus, inventus, adductus est : portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus. »

Linea 23. — *Hic fecit tractatus et hymnos sicut B. Ambrosius episcopus.* Tractatus sunt expositiones Scripturæ. August. contr. Maximin. lib. I : « Siquidem non tantum verbis me nudare conatus es a discipulatu eorum, verum etiam et tractatum tuum dedisti. » Nemesianus et alii ad Cyprian. epist. 78 : « Es enim omnibus hominibus in tractatu major, in sermone facundior. » Hinc tractatus est sermo qui habetur ad populum post lectionem Evangelii inter missæ solemnia. Ambr. epist. 33 : « Sequenti die, C erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus, in baptisteriis tradebant basilicæ. » Inde missas agere et tractare sunt diversa. Victor. Uticens. de persec. Vand. lib. II : « Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris missas agere vel tractare. » Inde tractatores dicti expositores Scripturæ. Augustin. epist. 11 : « Omnes veteres tractatores qui nos in Domino præcesserunt, et qui Scripturas sanctas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt, aut manifesta. » Idem in psalm. CII : « Vocat per lectorem, vocat per tractatorem. » Idem de tempore serm. 220 : « Dicit illud de ore suo tractator, aut disputator episcopus. » Idem in Joan. cap. 22 : « Remotis omnibus lectionibus, et paginis, et voce lectoris, et tractatoris. » Hymni sunt carmina in laudem Dei quæ canuntur in Ecclesia. Gelasius hymnos composuit exemplo Ambrosii.

BENCINI.

Linea 10. — *Hujus temporibus.* Quæ hic inseruntur de Joanne Alexandrino, Mongo, et Acacio, pertinent ad gesta Simplicii, vel Felicis, et ab inscio collectore additiones tumultuariæ inseruntur inter Gelasii gesta. Quod præter adducta probant notæ temporis ; Gelasius eligitur pontifex anno 492. Acacius obierat anno 488 ; Mongus anno 490. Unde certo constat additiones sicuti perperam Gelasii gestis assutas esse, ita certius restituendas Simplicio et Felici.

Pro coronide, et dictorum confirmatione audiendus Cyrillus Scytopolitanus in Vita S. Sabæ, qui integram luctuose de Fullone historiam memorat, et secundum invasionem, et novum hocce editum in ipsum anathema per Felicem III, quo pondus additur ad observationes factas, et illustrandum librum A Pontificalem. Sic enim ille (apud Cotel. tom. III, pag. 264) : « Quoniam vero eorum nonnulli (loquitur de quorumdam monasteriis, ubi Fullonis hæresis invaserat) aggressi fuerunt ter sanctum hymnum seu Trisagion dicere, cum illo additamento per Petrum cognomento Gnapheum, aut Fullonem excogitato, *qui crucifixus es pro nobis* succensens merito divinus senex jussit, ut hunc hymnum ipsi Græci canerent juxta antiquam catholicæ Ecclesiæ traditionem, non autem secundum dicti Petri innovationem ; qui Petrus cum Eutyche eadem sensit, et bis tyrannico modo sedem Antiochenam invasit, atque ecclesiasticis sanctionibus expulsus est ; iterumque tertio post Ili, seu Illi tyrannidem in Isauria assumptam sub imperio Zenonis, imperiali auctoritate eumdem thronum nefarie, cum anathemata adversus eum prolata soluta non fuissent, tenuit, omnem Orientem conturbavit. Denique a papa Romano Felice tam propter prava, alienaque dogmata, quam propter B memoratum in Trisagio additamentum, anathemate percussus est. Quocirca juste, ac pie pater noster solus ab illo commentam additionem repudiabat, ecclesiasticam sequebatur traditionem. » A coævo itaque scriptore hæc monumentis relicta, sicuti probant triplici anathemate condemnatum Fullonem, ita ultimo in hac synodo a Felice anathema dictum post Ili et Leontii tyrannorum obitum.

Linea 23. — *Hic fecit tractatus, et hymnos.* Hos laudat Gregorius M. (l. III, c. 2) qui in formam accommodatiorem disposuit ex Joanne diacono in ejus Vita : « Sed et Gelasianum codicem de missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens. » Dederat pontifici occasionem Fullo, de quo refert Theodorus Lector, eum instituisse (lib. II) « ut sacrum chrisma in Ecclesia coram omni populo consecraretur, utque invocatio super aquas die festo Theophaniorum fieret sub vesperam. Item ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur. Denique ut in singulis collectis symbolum C recitaretur. » Cum itaque potuerit Fullo quædam inserere in hymnis, quæ errori proprio patrocinari poterant, quod egerat in Trisagio, Gelasius voluit malo occurrere, et missarum solemnia ordinare. Quidquid sit de causa institutionis, Gelasiani codices ultra annum 800 erant in usu penes Ecclesias. In Chronico enim abbatiæ Centulens. S. Richerii, ubi agitur de libris sacrarii sic (l. III, c. 3, apud Bacharium Spicil. tom. IV) : « De libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt. Missales Gregoriani tres : missalis Gregorianus, et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. Missales Gelasiani decem et novem. » Vide Bonam, Rerum liturg. cap. 25, § 10.

BINI ET LABBEI.

Linea 2. — *Theodorici regis.* Quantumvis Arianus esset Theodoricus, catholicos tamen gratos habebat, et non tantum de episcopis catholicis, verum etiam D de ipsa sede apostolica bene meritus fuit. Scribunt de eo Theodoretus, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, et alii, quod cuidam catholico sui gratia ad Arianos transeunti caput resecuerit dicens : « Si Deo fidem sinceram non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam præstabis? »

Linea 2 et 3. — *Zenonis Augusti.* Errat Anastasius auctor libri Pontificalis. Constat enim Marcellini Cassiodori in Chronico Evagrii, Cedreni, aliorumque scriptorum auctoritate Zenonem imperatorem sub consulatu Olybrii, anno Domini 491, qui fuit Felicis papæ nonus, morbo comitiali arreptum, adeo ut videretur mortuus, viventemque adhuc sepultum fuisse, atque simulatæ pietatis, et religionis mercedem, suo merito, justa Dei vindicta retulisse. Hormisda pontifex hujus nomen, jam plurimis annis defuncti, ex albo catholicorum imperatorum per Justinum imperatorem expungi curavit, ac deman-

Digitized by Google

davit; non ut mortuum damnaret, sed ut declararet hæreticum sine pœnitentia defunctum alienum esse et indignum illo consortio communicationis catholicæ, qua certis quibusdam ritibus præscriptis Ecclesia catholica cum mortuis communicare solet. (Baron. anno Dom. 491, n. 2 et seqq.)

Linea 23 et 24. — *Hic fecit tractatus, et libros adversus Eutychen et Nestorium.* Hoc grande, et præclarum volumen fuisse testatur Gennadius de Scriptor. eccles. cap. 14, his verbis: « Gelasius urbis Romæ episcopus scripsit adversus Eutychem et Nestorium grande et præclarum volumen, et tractatus diversarum scripturarum, et sacramentorum limato sermone, » etc. Unde patet quod libellus iste de duabus naturis contra Eutychetem et Nestorium in bibliotheca SS. Patrum exstans, sicque incipiens: *Necessarium quoque fuit*, etc. Gelasio Romano pontifici attribui non possit; siquidem parvum duntaxat opusculum sit, unius libri periodo terminatum. Tum quia auctor allegati opusculi Eusebii Cæsariensis scripta plurimum commendat, quæ Gelasius pontifex in actis concilii Romani inter apocrypha recensuit. Tum etiam quis plurima Græcorum Patrum, Latinorum pauca, vel nulla testimonia producat; adeoque Græcus potius, quam Latinus scriptor esse videatur. Cum enim adduxisset quindecim Patres Græcos, duos tantum Latinos Ambrosium, et Damasium profert, Cypriano, Hilario, Hieronymo, Augustino, Innocentio, Leone, Prospero, similibusque aliis omissis, quos sibi notissimos Gelasius pontifex nunquam omisisset. Baronius post longam hujus rei indagationem solertissime inter omnes alios concludit, hujus libelli *De duabus Naturis contra Eutychetem*, et *Actorum Nicæni concilii*, quæ tom. II Conc. exstant, unum eumdemque esse auctorem; tum quod utrobique fateatur se utrumque opus conscripsisse; tum etiam quod Eusebium Cæsariensem plurimum commendet, et a suspicione Arianismi plane eximat, ut ex utriusque præfatione apparet.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Anastasio et Rufo coss. (id est Christi 492) Felici successisse Gelasium testatur Victor episcopus Tunonensis, auctor ferme æqualis, in Chronico; licet Marcellinus comes in suo post biennium differat, ad consulatum scilicet Asterii et Præsidii. Verum hac in chronologia pontificia fidendum esse Tunonensi episcopo de suo patriarcha Occidentali e proximo scribenti, potius quam Marcellino laico viro et Constantinopoli agenti, cum loco, tum ætate paulo remotiori, ostendunt ea quæ de Felicis epocha supra protulimus testimonia codicum et catalogorum. Quin etiam res ipsæ ostendunt in litteris Gelasii expositæ. Octava ipsius epistola ad Anastasium imperatorem scribitur, nondum professum se Eutychianum hæreticum, et Acephalorum sectæ antesignanum (uti nempe observat in notis Binius ante annum 494). In hac epistola se purgat Gelasius, quod ad eumdem principem non dederit litteras per legatos Theodori regis, illuc profectos, et in Urbem reversos circa finem anni 493. Quare cum legati discederent, Romanæ Ecclesiæ regimen jam tenebat. Septima vero epistola, quæ data est a Gelasio Kal. Novembris Albino consule, hoc est eodem anno 493, ad omnes episcopos per Picenum, manifeste probat, ante consulatum Asterii ejusdem pontificatus exordia esse ponenda, nempe cum Victore Tunonensi anno 492, quo cum decesserit S. Felix III die 24 Februarii, qua colitur, et vacaverit sedes juxta Bibliothecarium dies quinque; consequitur, Kalendis Martii, quæ eodem anno incidunt in diem Dominicam, ordinatum fuisse episcopum Romanum Gelasium. Huic tribuitur sedes annorum quatuor, mensium octo, dierum decem et novem, in aliquot exemplaribus Anastasii, in catalogo Cavensi, in uno ex Colbertinis, licet alii A diem adimant huic summæ, alii dierum decadem; unde colligitur e vita migratio referenda ad diem 19 Novembris. Ita signatum a Beda et Usuardo. Biduo post, nempe XI Kal. Decembris, depositum fuisse in basilica S. Petri scribit Anastasius: quam etiam diem ejus memoria obtinet in vetustissimo canonicorum Lucensium Martyrologio Hieronymiano per Florentinium edito pag. 1053. Kal. Decembris Gelasii papæ, uti nunc in Baroni Martyrologio Romano. Patriarchales basilicæ urbis Romæ, ob incursum festi Præsentationis Deiparæ eodem die 21 Novembris, S. Gelasii papæ memoriam recolunt die 26, quæ octava est migrationis ejusdem ad Dominum.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 9. — *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia.* Inter constituta Gelasii, quæ universam Ecclesiam respiciunt, eminet illud a tot scriptoribus celebratum, de canone scilicet librorum sacræ Scripturæ, B quem in synodo Romana cum septuaginta episcopis ex decessorum traditione confirmavit. Confirmavit, inquam, non procudit primus. Nam ad Clementis primi sectionem, in notis historicis ostendimus, ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio censum divinarum Scripturarum ita fuisse concreditum huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ cæterarum matri ac magistræ, ex quo fuerat Petri sedes effecta, ut hinc auctoramentum, ac veluti signaculum expeteretur verbi Dei in utroque Testamento perscripti: quemadmodum ex beato Augustino demonstravimus in libro contra epistolam Manichæi capitibus 4 et 5 relatis. Canonem igitur Scripturarum divinarum a Petri successoribus constanter curatum exemplo Clementis, et veræ lectioni restitutum jubente Damaso per Hieronymum, quod Gelasius iterato recensuerit nemo miretur: *hujus* enim *temporibus* (ut in hoc num. meminit Bibliothecarius vers. 4) *inventi sunt Manichæi in urbe Roma.* Manichæorum vero hæresis Veteris Testamenti complures libros rejiciebat, præsertim prophetas, uti ex Patribus liquet, præcipue vero ex Augustino, olim eorumdem sectario, sed post conversionem profligatore. Opponenda igitur erat impiæ blasphemiæ negantium Scripturas traditæ Ecclesiæ veritas, et clavis scientiæ ad easdem promendas et interpretandas. Promere autem Scripturarum canonem tam erat paratum Ecclesiæ Romanæ, quam sua pandere sanctuaria, martyrum cryptas, titulorum, et basilicarum parietes, absides, ornamenta: in quibus omnibus universi libri Veteris ac Novi Testamenti, non secus ac in bibliothecis, et in archivis agnoscendi fidelibus proponuntur; imo patentius in sacris ædibus, quam scriniis, et bibliothecis manifestantur: cum et illi qui nesciunt litteras, et idcirco a scriniis et bibliothecis edoceri minime possunt, conspectu historiarum atque imaginum, e sacris litteris desumptarum ad ornanda fidelium sepulcra, et martyrum cryptas flagrante æstu persecutionum, post redditam vero Ecclesiæ D pacem ad ipsos quoque titulos et basilicas decorandas, constituant canonem Scripturarum divinitus inspiratarum ante oculos spectatorum.

Locus a me requirit ut indicem brevissime selectum quippiam e singulis utriusque Testamenti libris, et dedicatum vel in sanctorum martyrum cœmeteriis, vel in sacris ædibus primorum titulorum ac basilicarum, ab ipsa ætate apostolica ante pontificatum Gelasii: ita ut cupienti tradere canonem sacrorum bibliorum satis sit intendere digitum in hæc pretiosa monumenta quinque priorum sæculorum æræ Christianæ, quæ Romana Ecclesia præservat.

Unica Liberii basilica in Xysti Tertii musivis, uti ante vidimus in dissertatione altera ad notas adjecta, ostendit seriem gestorum, tum in Pentateucho Moysi, tum in libris Josue ac Judicum enarratorum. Unus sarcophagus Junii Bassi, signatus consulatu Eusebii et Hypatii, nempe anno

Digitized by Google

æræ Christianæ 359 in basilicæ Vaticanæ cryptis constitutus ante confessionem sanctorum apostolorum, ostendit nobis ex Genesi lapsum primorum parentum, et Abrahami sacrificium; ex Jobo, ex Daniele, aliisque divinæ Scripturæ libris selecta documenta. In basilica S. Pauli via Ostiensi, a S. Leone Magno musivis, picturis, et historiis decorata, explicantur oracula sacrorum bibliorum a Genesi ad Apocalypsim. Prophetæ enumerantur in supremo parietum fastigio eorumque nomina Osee, etc., pedalibus litteris sub ipsorum imaginibus exprimuntur. Quare et in valvis æneis sæculo undecimo pro eadem basilica constructis tam majores quos vocant, quam minores recensentur; uti constat ex litteris superstitibus complurium ex utroque numero ibidem adhuc spectandis, nempe ΒΑΡΟΥΧ, Baruch, qui adjungitur Jeremiæ; ΙΕΖΕΧΙΗΛ Jezechiel; ΔΑΝΙΗΛ Daniel; ΙΩΗΛ Joel; ΑΒΔΙΑΣ Abdias; ΙΩΝΑC Jonas; ΝΑΥΜ Naum; ΑΒΒΑΚΟΥΜ Abbacum (ubi advertendum est nomen Habacuc scriptum esse uti in exemplaribus Græcis Ἀββακούμ Abbacum;) ΣΟΦΟΝΙΑC Sophonias; ΖΑΧΑΡΙΑC Zacharias. Reliquorum imagines ac nomina exciderunt. Inde autem mos propagatus et retentus per sequentes ætates eorumdem prophetarum imagines, nomina, aliquando etiam sententias depingendi, et insculpendi, tum in Basilicarum portis, tum in titulorum, diaconiarum et baptisteriorum absidibus, ac parietibus, vasis et ornamentis. In æneis valvis basilicæ ejusdem Paulinæ Constantinopoli elaboratis undecimo sæculo æræ Christianæ, quas edidit sæpe laudatus præsul Joan. Ciampinus vet. Monim. tom. I, cap. 4, alii quoque prophetæ incisi sunt, quorum gesta in libris Regum et Paralipomenon recensentur, nempe Elias num. 35 et Elisæus num. 44; aliorum vero etiam oracula in voluminibus exprimuntur: ut in volumine Prophetæ David num. 33. Versiculus ex Psalmo XLIV : *Audi, Filia, et vide et inclina aurem tuam;* in pugillari Jeremiæ vers. 36 : *Hic Deus noster, et non imputabitur alius* ex cap. 3. Baruch; in volumine Habacuc (cujus nomen legitur Græcis litteris incisum ΑΒΒΑΚΟΥΜ) insculptus est versiculus 3 capitis 3 : *Deus a Libano veniet, et sanctus de monte;* in manibus Isaiæ versic. 14 capitis septimi : *Ecce virgo*, etc. Præfert Sophonias exspectationem resurrectionis ex commate 8, cap. 3; Jonas spem cœlestis auxilii ex versiculo 3 cap. 2, et hujusmodi methodus observatur in cæteris. In diaconia omnium principe S. Mariæ in via lata, ubi vetus traditio est Paulum apostolum cum Luca evangelista catechesim habuisse, et Lucam scripsisse Acta apostolorum, conspiciuntur prophetarum imagines cum suis picturis antiquissimis coloratæ; quemadmodum et in hypogeo sub presbyterio diaconiæ S. Nicolai in carcere Tulliano. Alias complures cœmeteriorum picturas prætermitto, videndas apud Aringhium in Roma subterranea, unde integer Scripturarum sacrarum canon colligi potest, ab ipsis martyribus et confessoribus Christi, necnon a decessoribus Gelasii adornatus.

Nec minori studio proximæ post sæculum Gelasii ætates in Romanis titulis sacram hæreditatem divinarum litterarum per suos presbyteros diligenter curarunt. Unus sit instar omnium titulus sancti Clementis : cujus aram principem dum hæc scribimus cum instauraret magnificentius eminent. ac reverend. D. Annibal card. Albanus S. R. E. camerarius relegens magni patrui sui Clementis XI vestigia in eadem æde sacra excolenda, marmor illud omni auro atque argento pretiosius invenit, antiquitus conversum in frontem altaris : in quo legitur studium Gregorii ejusdem tituli presbyteri cardinalis sub sancto pontifice Zacharia, utriusque Testamenti libris intra bibliothecam, aut sacrarium sui tituli dedicandis, hac epigraphe comprobatum :

ISRAELITICVS D̄O OFFEREBAT POPVLVS RVRI
ALIVS QVIDEM AVRVM ALIVS NAMQVE ARGENTVM
QVIDAM COQVE ÆS QVIDAM VERO PILOS CAPRARVM
INFELIX AVTEM EGO GREGORIVS PRIMVS PB̄R ALMÆ
SEDIS APOSTOLICÆ HVIVSQVE TITVLI GERENS
CVRAM AC BEATI SVPREMVS CLIENS CLEMENTIS
OFFERO DE TVIS HÆC TIBI X̄RE THESAVRIS
TEMPORIBVS S̄CISS ZACCHARIÆ PRÆSVLIS SVMMI
PER MARTYREM ET S̄CM PARVA MVNVSCVLA TVVM
CLEMENTEM CVIVS MERITIS MEREAR DELICTIS CARERE
ATQVE AD BEATAM ÆTERNAM INGREDI VITAM
AISTI QVANTVM HABES REGNVM VALET CAELORVM
SVSCIPE HOS D̄NE VELVT MINVTA VIDVÆ QVÆSO
VETERIS NOVIQVE TESTAMENTORVM DENIQVE LIBROS
OCTATEVCHVM REGVM PSALTERIVM AC PROPHETARVM
SALOMONEM ESDRAM STORIARVM ILLICO PLENOS

BEQUIRE SYLLABARVM LECTOR SEQVENTIAM HARUM.

Postremus versus hujusce inscriptionis indicat, aliam tabulam marmoream a Gregorio presbytero non longe ab hac priori dissitam fuisse collocatam, in qua incidi curaverat versus qui consequebantur. Vix enim aliter possumus interpretari postrema illa verba, quæ minutiori charactere insculpta sunt in calce illius tabulæ, ubi lector jubetur inquirere consecutionem sententiæ præcedentis : *Lector, require sequentiam harum syllabarum.* Dolendum est fuisse deperditam consequentem illam partem donationis, ubi Gregorius enumerasse credendus est post libros Veteris Testamenti, omnes qui pertinent ad Novum, adeoque integrum canonem sacræ Scripturæ; si utriusque Testamenti completum exemplar titulo suo largitus est, ut in propenultimo versu significat; vel alia donaria cum superius enumeratis libris oblata.

Jure optimo eminentissimus cardinalis Albanus hujusmodi lapide inde remoto exposuit oculis omnium epigraphen Gregorii, a structoribus rudioris ætatis imprudenter occultatam, conversis contra altaris centrum litteris, et obversa spectatoribus marmoris superficie non inscripta. Ipse pretiosi hujus monumenti æquissimus æstimator in illustrem locum medianæ navis ejusdem tituli transtulit lapidem, et ornatum magnifico limbo et coronide lectissimis e marmoribus eleganter compacta nobis ac posteris luculenter spectandum proposuit. Illustr. ac rev. præsul Justus Fontaninus archiepiscopus Ancyranus triduo post repertum lapidem retulit inter addenda ad suum eruditissimum commentarium Disci Christiani eamdem inscriptionem : quam incubratione doctissima pari celeritate adornavit adm. rev. Pater de Vitriaco dum T. Flavii Clementis Christi martyris et viri consularis tumulum illustraret. Post uberem tantorum virorum messem superest nobis spicilegium non negligendum, quod colligamus ex enumeratione sacrorum codicum in hac epigraphe enumeratorum; licet id plenius præstiterimus in epistola ad eminent. ac rev. card. Albanum ejusdem titularem.

Exprimitur ibi series librorum Veteris Testamenti Hebraico canoni respondens, dum enumerat primo Octateuchum, deinde libros Regum, tertio Psalte-

Digitized by Google

rium, quarto Prophetas, postmodum Salomonem, tum Esdram, denique libros Historiarum. Venerabilis memoriæ cardinalis Thomasius non minus pietatis quam eruditionis ecclesiasticæ merito Romanæ Ecclesiæ adhibendus ad pretiosa sua monumenta decoranda, ex Cassiodori libro divinarum Institutionum docet, ad quintum sæculum (nempe Gelasianum de quo nunc agimus) esse hunc Ecclesiæ Christianæ morem potissime referendum, qui pertinet ad sacrorum Bibliorum editionem juxta Interpretes septuaginta, et S. Hieronymi veteris titulos. Ita vero orditur ab Octateucho card. Thomasius, non secus ac iste Gregorius S. Clementis presbyter in sua epigraphe.

« De Octateuchi, inquit, id est octo voluminum Geneseos, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Josue, Judicum, atque Ruth titulis ita scribit Cassiodorus lib. *de Inst. div. Lit.* cap. 1 : « Ut textus memorati Octateuchi quodam nobis compendio panderetur, in principio librorum de universa serie lectionis titulos ei credidimus imprimendos, a majoribus nostris ordine currente descriptos, » etc. Tum sequitur :

« De titulis librorum Regum et Paralipomenon ita loquitur idem Cassiodorus, ut Regum quidem veteres habuisse titulos videantur, dum libris Paralipomenon novos se addidisse dicat, » etc.

Tertium codicem *Prophetarum*, quartum *Psalterii* recenset Cassiodorus. Gregorius vero noster, eadem divisione in titulis codicum retenta, præfert in serie Psalterium Prophetis, juxta ordinem scilicet temporis, quem servat Græca editio Septuaginta in vetustissimo codice Vaticano Sixtinæ editionis, licet Hebræorum Biblia Psalmos et Agiographos, quos dicunt, libros postponant Prophetis. Quintum codicem Cassiodorus habet *Salomonem*, perinde ac Gregorius iste presbyter S. Clementis : in quo complectitur (ut observat card. Thomasius) quinque libros, *Proverbiorum* scilicet, *Ecclesiastis*, *Cantici canticorum*, *Sapientiæ*, *et Ecclesiastici*. *In sextum Codicem congerit* libros octo *Agiographorum* nomine et *historicorum* mixtum expressos, nempe *Job*, *Tobiæ*, *Esther*, *Judith*, *Esdræ duos*, *et totidem Machabæorum*. Qui respondent numero et ordini vetustissimi codicis Alexandrini quem vocant Theclæ, si primum excipias nempe Job, quem codex ille Alexandrinus Psalmis adjungit, et præponit libris Salomonis, addito etiam ante Psalterium, tertio et quarto Machabæorum. Gregorius presbyter *Esdram* et *Storiarum* vocabulo compendiosius enuntiat historicos illos simul et Agiographos cum Esdræ canonicis copulatos; nam Job cum Psalterio utpote ad classem metricorum librorum pertinentem una cum Proverbiis, Ecclesiaste, et Canticis ponunt S. Cyrillus Hierosolymitanus, et S. Gregorius Nazianzenus; ut observant Ferrandus summ. Bibl. lib. 1, cap. ult., aliique agentes de Canone Scripturarum. Machabæorum denique libri duo claudunt censum *historicorum*, adeoque nomine generis seu classis istius, seu *storiarum* vocabulo significatæ: in qua propterea tabula videmus collectum canonem Veteris Testamenti, pro more septuaginta Interpretum editionis in easdem classes, et seriem distributum. Per hæc igitur illustria documenta in Romanæ Ecclesiæ titulis, basilicis, cœmeteriis passim dedicata ex antiquissimis sæculis viget in nostris altaribus, musivis, marmoribus, non secus ac in bibliothecis et archivis, genuinus canon sacrarum Scripturarum ab apostolica ætate collectus (ut supra vidimus in notis ad Clementem et per manus traditus continenti cura pontificum Romanorum, qualem in *Gelasio probat concilium Romanum*, *sub ipso celebratum*, *et constitutum illud de Ecclesia quod enuntiat Bibliothecarius*.

Dum hæc subdenda prælo chalcographus jam pararet hac die x Kal. Julias, qua eminent et rev. dom. cardin. Albanus S. R. E. camerarius in crastinum transferendo sacro corpori T. Flavii Clementis Christi martyris, eamdem Ecclesiam titularem magnificenter ornari, et nitidissimam undequaque reddi curavit, ipsumque pavimentum marmoribus tessellato opere intermistis ante annos circiter trecentos constructum diligentissime perpoliri mandaverat, opportune contigit ut, dum observarem inter complura veterum inscriptionum fragmenta in hujusmodi opus tunc præfecta et aptata, recognoverim fragmentum alterius tabulæ marmoreæ, in qua Gregorius presbyter recensebat libros a se donatos huic titulo : in quo pauca quidem verba leguntur (cum segmentum sit quadratum palmari minus); sed pauca illa verba sufficiunt ad indicandum fuisse hanc tabulam marmoream portionem secundæ illius, quam postremus versus prioris indicabat consequi per illud monitum : *Require syllabarum lector sequentiam harum*. Litteræ in hoc frusto incisæ ita leguntur dispositæ :

STAMB
LIBRV m
saCRAME

Earumdem litterarum figura, et magnitudo, necnon intervalla, seu distantiæ versuum inferiorum a superioribus respondent plane epigraphi tabulæ præcedentis in altari repertæ : ita ut dubitari vix possit esse portionem secundæ illius, in qua *sequentiam syllabarum* Gregorius presbyter requirendam esse monebat. Cum LIBRVm memoret, et saCRAMEntarium; opinor et in priori versu AuguSTini AMBrosii, aliorumque Patrum scripta percenseri, ab ipso Gregorio una cum libris utriusque Testamenti donata huic titulo ad usum cleri. Paris exempli est marmorea illa et celebris tabula, olim diaconiæ nunc basilicæ S. Mariæ in Cosmedin, a ven. mem. card. Thomasio producta in appendice ad veteres Rom. Ecclesiæ libros responsoriales et antiphonarios pag. 448, et cum eruditis notis recusa a V. C. Joan. Maria Crescembeni ejusdem archipresbytero in historia prædictæ basilicæ, pag 82. In ea siquidem tabula Teubaldus donat Ecclesiæ S. Valentini fundos, nempe domum, cellam, vineam, et præterea libros ad usum cleri ibidem inservientis, nempe MISSALEM. I. ANTIFONARIA. II. UNV̄. DIVRNI. ALIV̄Q. NOCTVRNI OFFICII FERIALES. II. LIBRVM. GENESEOS CV̄ ISTORIIS CANONICIS. PASSIONARIV̄. DIALOGV̄ SCINTILLARIO. IMNARIA. II. LIBRV̄ EX MORALIB. Post libros recenset vasa sacra, nempe « calicem argenteum exauratum cum calamo et sua patena, thuribulum argenteum manualem » 1, etc. Donatio hæc Teubaldi incidit in annum æræ Christianæ 902, die qua sacrabatur Ecclesia ita enuntiata :

Tempore pontificis noni summique Joannis
Est sacrata die supremo hæc aula Novembri
Dum quinta elabentem Indictio curreret annum.

Curabant igitur Ecclesiæ Romanæ presbyteri titulares et diaconiarum aliarumque ædium sacrarum præpositi, ut una cum divinæ Scripturæ exemplaribus castigate transcriptis etiam liturgici libri, Rituales, pontificales, necnon SS. Patrum opera probata juxta catalogum et decretum Gelasii in earumdem ecclesiarum archivis et bibliothecis reconderentur. Idcirco quemadmodum Gregorius presbyter sub Zacharia Octavo Christi sæculo in titulum S. Clementis intulit utriusque Testamenti libros, et sacramentarium, aliosque codices Rituales, necnon opera SS. Patrum : ita Teobaldus annis 80 post Zachariæ sedem largitus est Ecclesiæ S. Valentini libros Geneseos, et historiales canonicos, tum rituales et liturgicos, tum S. Gregorii Dialogos et Moralium libros, in prædictis inscriptionibus expressos.

Digitized by Google

Nec segniores fuerunt illustres viri ætatis Gelasianæ in ditandis sacra hujusmodi litteraria supellectile ecclesiis Urbi proximis, uti manifestum fit ex charta Tiburtini archivi, quæ dicitur *Cornutiana*, non semel a viris clarissimis edita, scilicet primo a Suaresio Romæ, deinde a Mabillonio Parisiis in Rei diplomaticæ libro VI, quam cæteris præponit, utpote antiquissimam et signatam die XV *Kal. Maiarum domno Leone PP. augusto quartum et Probiano V. C. coss* nempe Christi anno 471. In ea charta donationis *Fl. Valia. Q. Theodosius V. C. et Jul. comes et magister utriusque militiæ* largitur fundos Ecclesiæ *Cornutianæ*, et sacram supellectilem, vasa, vestes, demum et sacros codices nempe Evangelia IV, Apostolum, Psalterium, et Comitem. Exemplum chartæ illius eudendum curavi inter Prolegomena. Omnium tamen studiosissime Romana exempla ista et Gelasii decreta sectatus est in ditanda æde cathedrali S. Veronensis Ecclesiæ, venerabilis matris titulo mihi perpetuo colendæ, sacrorum codicum copiam celeberrimus ille Pacificus archidiaconus, qui ducentis octodecim a se contextis libris et glossa Veteris ac Novi Testamenti bibliothecam instruxisse legitur in Epigraphe sepulcrali posita sub Ludovico Pio circa annum 820, utpote *summus theologus summusque multarum aliarum disciplinarum cultor* judicio magni Panvinii, tale de illo judicium ferentis antiq. Veron. lib VI, pag 153, ubi etiam de Bibliotheca per ipsum condita ejusque parte non modica sancte præservata in archivo Capitulari ita scribit : « Bibliothecam totius orbis terrarum meo judicio celeberrimam condidit, cujus vestigia adhuc Veronæ in monasterio canonicorum Veronensium exstant, ducentis pene litteris Majusculis scriptis in membranis libris ornatam. » Ex ætate Panvinii ad nostram non defuerunt curatores tantæ hæreditatis qui eamdem posteris præservarent. Sed præ cæteris gratulandum est nostris æqualibus, habendæque gratiæ immortales liberalitati ac studio illustrissimorum capitularium hunc florentium, qui a fundamentis excitata aula ampliori eosdem Codices obscuro et angusto in archivo ferme latentes non modo diligentius curari et publicæ lucis usura donari satagunt, sed etiam bibliothecam addunt, impressorum copia, elegantia, ac delectu cum pluribus certaturam, promovente eorumdem archipresbytero meritissimo Joan. Francisco Musello patricio Veronensi sub auspiciis ill. ac rev. præsulis Francisci Trevisiani, avita nobilitate, ac litterarum cultu, et patrocinio inter Venetæ reipublicæ episcopos spectatissimo. Ex libris igitur ante annos ferme nongentos ab archidiacono Pacifico selectis, et capitalibus litteris exaratis, complures vidi, sacrorum Bibliorum textum, conciliorum Acta, pontificum Romanorum epistolas, SS. Patrum Opera et Rituales codices juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ complexos. Ne longum eorumdem catalogum hic attexam, qui minime videtur necessarius, unicum indicabo codicem in Prolegomenis a nobis editum hoc eodem tomo, nempe *Ordinis Romani*, qui Pontificales ritus, et sacramentorum administrationem ostendit. Scriptus autem cognoscitur ætate Ludovici Pii, ut ibidem probavi. Placuit, hac occasione decreti Gelasiani, et Romanæ epigraphis sub Zacharia, ostendentium curam summorum pontificum, et hujus Ecclesiæ presbyterorum ac ministrorum in delectu sacrorum Codicum ad usum cleri instituendo suisque in Titulis præsto habendo : unde fructus imitationis consecutus est per cæteras Occidentalis præsertim tractus Ecclesias, quæ ex ætate Caroli Magni, discussa Longobardici ævi barbarie, tam uberem sacrorum scriptorum copiam suis pluteis intulerunt.

Si quis vero et in Clementis papæ ac martyris epistola sæculo primo, et in marmoribus tituli S. Clementis sæculo octavo, canonem sacrorum Bibliorum recognoscens, adhuc desiderat in aliis Romanæ Ecclesiæ monimentis ejusdem antiquitatis singulos Scripturæ divinæ libros cognoscere, videbit expressum Heptateuchum in musivis basilicæ Lieberianæ a S. Xysto III constructis; libros Regum et Paralipomenon recognoscet in historiis Davidem exhibentibus funditorem in pictura cubiculi tertii cœmet. Callisti tab. I, n. 3; Eliæ atque Elisei insculptis sarcophago cœmeterii Vaticani, pag. 305, apud Aringhium Romæ subterr. lib II, c. 10; Jobi historiam in sarcophago Junii Bassi in cryptis Vaticanis reperto, et ibidem ad Confessionem SS. Apostolorum constituto, aliisque pluribus in Aringhio occurrentibus monumentis; prophetas Majores ac Minores recognoscet depictos in Basilica S. Pauli, aliisque titulis, diaconiis, ac cœmeteriis supra indicatis; Tobiæ historiam et piscem in pictura cœmeterii Callisti tab scilicet tertia cubiculi tertii num. 11, ubi et Jonas propheta sub cucurbita dormiens depictus est; sculptus vero in pluribus sarcophagis passim occurrit, et voratus a ceto, et ad littus rejectus, et redivivus. Ezechielis concio ad resurgentes pariter observatur in anaglypho Vaticano apud Aringhium tom I, pag. 327. Daniel orans inter leones frequens occurrit, ut in sarcophago Junii Bassi in cryptis Vaticanis; tres pueri in fornace illæsi; Susanna casta a seniorum injuria et calumniis vindicata, in pluribus pariter cœmeteriorum picturis et anaglyphis apud eumdem Aringhium, nempe in Vaticano, in Callisti, in S. Aguetis. Denique Saphan volumen legis ab Helcia repertum offerens Josiæ, sculptus est in anaglypho veteris Sarcophagi reperti in cœmeterio Lucinæ, et inde translato cum reliquiis SS. Innocentium a Sisto V in sacellum intra basilicam Liberianam a se magnificenter constructum ad altare S. Luciæ : cujus imaginem excudit Aringhius Romæ subter tomo I, pag 423, cum pluribus utriusque Testamenti historiis ibidem expressis.

Præter hæc vetustissima documenta, libros indicantia receptos in canonem divinarum Scripturarum, ostendit Romana Ecclesia singulorum lectiones juxta anni circulum suo clero præscriptas in *ordine Romano* : unde cognoscitur continuata per manus traditio sacrorum codicum in singulis basilicis suis, ac titulis religiose custodita : ejusque ex fonte reliquis Occidentalibus Ecclesiis erogata, quæ Ordinis Romani exemplaria non secus ac sacramentaria *ex authentico libro bibliothecæ cubiculi pontificii* fuisse descripta adnotant in ipsa fronte ac titulis suorum codicum, a decem, et quod abundat, sæculis exaratorum.

Hæc igitur documenta parata semper habuit Romana Ecclesia reliquarum magistra ad divinas litteras secernendas, quas apostolica ex auctoritate recepit. Quare et Gelasius inter cætera pro totius Ecclesiæ regimine constituta præcipuum hoc caput curavit, ut hæreditatem a Patribus acceptam integram posteris præservaret, edito Canone de sacrosanctis Scripturis et expurgato sensu aliorum auctorum, qui ad earumdem intelligentiam, et ad eruendam plebem Dei utiliter adhibentur.

Linea 23. — *Hic fecit tractatus et hymnos, sicut beatus Ambrosius episcopus*, etc. Addam tum ad hujus periochæ, tum ad superioris illustrationem doctas observationes, nuper editas a R. P. domno Simone Mopinot, indicatas in epistola ejusdem ad R. P. dominum Carolum Conrade, n. 8, his verbis :

« Ad Gelasium venio. Desiderant ejus litteræ, præsertim vero tractatus litteris inserti, virum qui et vitiatis medicinam facere, et in dubium vocata vindicare possit. Ita fœdi passim nævi textum deformant; ita multæ ambages pugnantesque criticorum censuræ ancipitem lectoris animum tenent. Constantius quidquid studio et labore, quidquid manuscriptorum librorum usu et præsidio potuit, id omne ad hanc rem conficiendam contulit. Testis epistola 33, sive *Decretum de libris recipiendis*, quod antiquæ suæ integritati restituit suoque asseruit parenti. Probat nimirum id Decreti neque Isidori Mercatoris figmentum esse, quod Guillelmo Caveo et

Digitized by Google

aliis in mentem venit; neque a Damaso, neque a Leone Magno, aut ab Hormisda, ut aliis videtur, sed a Gelasio conditum in synodo Romana : quæ sententia est eruditorum virorum Baronii, Norisii, et Fontanini. Hoc ipsum vero demonstrat probationibus a clarissimo Fontanino jam occupatis, ut alias complures addat de suo, easque manuscriptorum librorum testimonio undique suffultas. Ejus diatribæ perinsignis capita hæc sunt.

« 1. Decreti parentem, ut jam dixi, neminem alium esse præter Gelasium.

« 2. Idem Decretum accessionibus crevisse ab Hormisda factis, at non ita multis, sed paucissimis, iisque demum unis, quæ in Gelasii tempus convenire nequeant.

« 3. Has ipsas accessiones Gelasio temere ascriptas esse in libris ære excusis, quippe quæ in omnibus aut fere omnibus descriptis manu exemplaribus desiderantur, si ea demum exceperis, quæ hoc idem opus Hormisdæ nomine insignitum habent.

« 4. Ad priorem Decreti partem referri debere ea synodi Romanæ fragmenta, quæ Damasi nomine Baronius laudavit non semel, emisitque in lucem Lucas Holstenius. Deinde his subnectendum, qui Gelasii quoque est, canonem Scripturarum, quo fiet, ut Decretum simus non modo purius, sed maxima sui parte auctius habituri.

« 5. Denique expungendam, quæ tot hactenus rixis locum dedit, chronologicam notam, utpote nulla satis firma auctoritate nixam, imo temere ex alia Gelasii epistola advectam. Quibus in prævio monito fuse explicatis, alia multa evolvit in notis, quæ criticorum censuris aut certe observationibus satisfaciant.

« Tractatum *de duabus Naturis*, opus plane aureum Gelasio Cyziceno a nonnullis ascriptum, contendit, probatque Gelasii I papæ esse, id quod antea fecerat eruditus Societatis Jesu presbyter Petrus Franciscus Chiffletius. Rem vero Constantius more suo conficit, hoc est novis rationum momentis, quæ vel ipsas Chiffletii hallucinationes emendent. Tractatum alterum, cui titulus *De anathematis vinculo*, tot sauciatum mendis, ut unum fere vulnus esse putes, ad manuscriptorum fidem recognovit, repurgavitque, quod idem laboris in eo quoque tractatu impendit, quo Pelagianorum errores confutantur. Denique ut de aliis sileam, colligit præterea partim ex libris calamo exaratis, partim e canonum compilatoribus, litterarum ejusdem papæ fragmenta plus quadraginta, quæ nec in Romana pontificiarum epistolarum, nec in ipsis etiam conciliorum editionibus comparent, si duodecim duntaxat a Labbeo collecta demas. Verum hæc omnia vir doctus et recto disposita ordine, et notis ad historiam disciplinamque pertinentibus illustrata voluit, ut suus lectori, si non ex integra messe, saltem ex spicilegio constaret utilitatis fructus. »

CIACONII.

Linea 3. — *In monte Gargano.* Facta ponitur inventio cryptæ Gargani montis in Apulia juxta Mamfredoniam olim Sipontum dictam, anno Gelasii secundo, Christi autem 493.

Linea 14. — *Si non pœniterent.* Erat consuetudo primitivæ Ecclesiæ diutius exspectare ad gremium pietatis suæ aliquando redituros.

PAGII.

Linea 2. — *Temporibus Theodorici regis et Zenonis Augusti.* Factus pontifex electionem suam epistola ordine 3 in Collectione Conciliorum episcopis Dardaniæ nuntiavit, quos hortatus est ut cum Eutychianistis non communicarent. Ea autem epistola data non est initio sui pontificatus; retardatus est enim, ut ipsemet ait, propter continuorum tempestatem bellorum. Quare cum pax inter Theodoricum et Odoacrem anno 493 peracta sit, verosimile est eam epistolam eo pariter anno scriptam; epistola enim 12 ad Æonium Arelatensem episcopum de initiis sui pontificatus etiam scripta, data est anno 494 et quidem x Kal. Septemb.

Linea 6.—*Hic sub gestam synodicam*, etc. Primam Gelasius papa synodum Romæ celebravit *octavo Idus Martii, Flavio Viatore V. C. cos.* ut in Actis legitur, ideoque anno quadringentesimo nonagesimo quinto. In ea Misenus olim apostolicæ sedis legatus Constantinopolim a Felice papa, Acaciana communione infectus, ob idque ab eodem Felice, cum Vitali alio legato, sacerdotio et communione privatus, ut in eodem pontifice diximus, sedis apostolicæ misericordiam, atque communionem flagitans, causa ejus discussa, cum Ecclesia a Gelasio reconciliatus est, Vitali altero legato jam in excommunicatione mortuo : « Professus ergo Misenus regulariter se omnes hæreses, Eutychianam præcipue cum Eutyche, Dioscoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petroque Antiocheno, vel cunctis eorum successoribus, sectatoribus et communicatoribus detestari, eosque anathemate ferire perpetuo, communionis apostolicæ, et sacerdotalis gratiam, quam catholica traditione percepit, recipiet dignitatis, » inquit Gelasius in synodo, cui decreto omnes episcopi numero quinquaginta quinque subscripserunt.

Autumno ejusdem anni quadringentesimi nonagesimi quinti, vel verosimilius anno quadringentesimo nonagesimo sexto, Gelasius secundam Synodum Romæ celebravit. Cum enim Ecclesia jam a pluribus annis multis referta libris apocryphis medicam manum averet, quæ sinceros a suppositiis discerneret, Gelasius papa convocato Romæ concilio, ordinem librorum, quem Romana Ecclesia susciperet, aut detestaretur, vel dubios tantum haberet, digessit. Decretum illud de Scripturis divinis et opusculis sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia catholica recipiuntur, valde urget heterodoxos, qui traditionem rejiciunt, et librorum canonicorum numerum pro libito, ac sectarum suarum commodo mutilant. Job enim, Tobiæ, Judith, Machabæorum libri, Epistola ad Hæbræos, Apocalypsis Joannis, Petri duæ, Joannis apostoli tres, Judæ una in eo memorantur; uno verbo, omnes tam Novi quam Veteris Testamenti libri. Statuitur postea in eodem concilio ordo patriarchalium ecclesiarum, nempe Romanæ, Alexandrinæ, et Antiochenæ; quatuor itidem conciliorum generalium mentio. Item sanctorum Patrum Opera quædam recensentur, quibus tandem accedit notitia librorum apocryphorum, quos Ecclesia non recipit. Huic decreto subscripsere septuaginta et duo episcopi.

Catholici inter se non conveniunt de hujus decreti auctore; alii enim illud Damaso, alii Hormisdæ Romanis pontificibus tribuunt. Sed criticæ Baronianæ auctor ostendit Gelasium hujus decreti certum et indubitatum auctorem esse. Nam primo quod attinet ad Damasum, ei certe tribui non potest, cum plerique opusculorum in eo memoratorum auctores post Damasum vixerint et scripserint. Cum enim damnatorum voluminum index texitur, inter ea libri Cassiani ac Fausti Regiensis numerantur hoc modo: *Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha. Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha.* Cassianus autem et Faustus post Damasum vixerunt et scripserunt.

Neque etiam Hormisdæ papæ tribui potest illud decretum. Nam sæculo sexto ineunte, cum orta esset contentio, non solum in Occidente, sed etiam in Oriente, de Fausti libris, Possessor episcopus Africanus a Trasamundo Africæ rege in exsilium missus, dum Constantinopoli morabatur, consultus de illis, consuluit ipsemet Hormisdam papam, quid de iisdem libris sentiendum esset. Possessoris relatio ad Hormisdam exstat tom. IV Conc., pag. 1529, diciturque accepta XV *Kalendas Augusti Rustico V. C. cos.* ideo-

Digitized by Google

que anno 520. Hormisdas respondet Possessori die 13 mensis Augusti epistola 70 in qua inter alia ait. « Non improvide veneranda Patrum sententia fideli posteritati, quæ essent catholica dogmata, definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente præligens, ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi ecclesiasticæ conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret. » Quæ verba manifeste insinuant, decretum de libris recipiendis et non recipiendis, non ab Hormisda, sed ab aliquo ex ejus decessoribus in aliqua synodo Romana emissum; non quidem ab Anastasio et Symmacho, qui Gelasium secuti sunt, et Hormisdam antecessere, cum nullus unquam id asseruerit, nullusque codex Ms. alterutrius nomen præferat, sed a Gelasio, cui innumeri codices illud attribuunt. Qui plura hac de re cupit, legat laudatam Baronii Criticam ad annum 494.

Linea 13. — *Et damnavit in perpetuum Acacium et Petrum, si non pœniterent.* Acacio Constantinopolitano episcopo, de quo supra, tam in Simplicio quam in Felice locuti sumus, anno quadringentesimo octogesimo nono extra Ecclesiæ communionem mortuo, ei substitutus est Flavita. Sed hoc quoque post tres menses vita functo, successor ei datus est Euphemius, qui, ut habet Evagrius lib. III, cap. 23, Chalcedonensem synodum suscepit et veneratus est, ac Petrum Mongum eidem synodo anathema dicentem exosum habuit. Ubi Euphemius accepit Gelasii electionem, more majorum ad ipsum epistolam scripsit, qua et suæ fidei professionem inseruit, ut sic consequi mereretur catholicæ Ecclesiæ communicationem. Cum vero Gelasius invenisset quidem ejus fidei professionem in omnibus consonam catholicæ veritati, reperit tamen quod in Euphemio reprehensione dignum esset, nimirum quod nequaquam e diptychis nomen Acacii prædecessoris expunxisset, sed pateretur in sacris recitari cum aliis episcopis orthodoxis; ideoque Euphemium, virum licet imprimis catholicum, nec alios Orientis antistites communionis honoribus donare voluit, nisi Acacii nomen e diptychis expungerent. Quæ constant ex epistolis 1 ad Euphemium, 13 ad episcopos Dardaniæ, et 15 ad episcopos Orientales. Scripsit etiam Gelasius epistolam gravissimam et eloquentissimam ad Anastasium imperatorem, qua ipsum hortatur ut apostolicæ sedi obtemperet, et damnato Acacii nomine, ecclesiarum pacem restituendam curet : ea est ordine 8.

Linea 25. — *Hic fecit tractatus et hymnos*, etc. Missarum etiam ordinem digessit, ejusque Missalia exstabant anno Domini 831 in abbatia Centulensi, sive sancti Richerii. Sic enim recensentur in Chronico ejus monasterii, lib. III, cap. 3, tom. IV Spicilegii Dacheriani, in indice Bibliothecæ, *de libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt, missales Gregoriani tres, Missalis Gregorianus et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. Missales Gelasiani* 19. Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni, lib. II, cap. 12, scribit Gregorium codicem Gelasianum in unius libri volumine coarctasse, de missarum solemniis multa subtrahendo, nonnulla adjiciendo, pauca convertendo. Collectarum, quibus in missa utimur, primum auctorem fuisse Gelasium, omnes rerum ecclesiasticarum scriptores asserunt, et antiqua monumenta evincunt.

In Libro Pontificali de Gelasio legitur : *Fecit sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone.* Ad quæ verba Schelstratius in notis habet : Exstat in bibliotheca Palatino-Vaticana Sacramentarium ms. annorum circiter mille, in quo continentur præfationes ante Gregorii tempora in Ecclesia Romana usu receptæ, quæ forsan illæ sunt, de quibus hoc loco mentio reperitur : unde non male illud Sacramentarium Gelasianum vocatur. Ita Schelstratius. Ex hoc loco quidam Gelasio tribuunt præfationum institutionem. Sed cardinalis Bona lib. II Rer. liturgic., c. 10, concedit quidem plures a Gelasio editas fuisse, nihilominus tamen contendit certum esse in ipsis Ecclesiæ primordiis jam usum præfationum exstitisse, earumque institutionem vel apostolis, vel apostolicis viris tribuendam, quod deinde pluribus probat. Exstat alter codex Sacramentarius Gelasii papæ tribus constans libris; nempe de anni circulo, de sanctorum Natalitiis, et de Dominicis diebus, variisque causis, cujus vetustatem manifesto arguit, quod in Symbolo non habeatur vox, *Filioque.* Quod, plures desint missæ septimo et octavo sæculo usurpari solitæ. Denique, quod pauciora quam in aliis liturgiis sanctorum natalitia celebrentur. Codex ille ex bibliotheca Floriacensi anno 1562 direpta et distracta, in manus incidit Pauli Petavii senatoris Parisiensis, ac tandem in bibliothecam Christinæ Suecorum reginæ transiit, a qua illum recepit et in lucem emisit Thomasius Romæ anno 1680. Hic in præfatione notat, exiguo tempore post Gregorium Magnum fuisse exaratum. Huic adjunxit tria antiquissima Missalia, scilicet Gothicum, Francorum et Gallicanum vetus; quæ tria postea cum observationibus de liturgia Gallicana Joannes Mabillonius recudi curavit anno 1685 Parisiis.

Canonis missæ incipientis ab oratione, *Te igitur, clementissime Pater,* usque ad orationem Dominicam, quæ absoluto canone alta voce recitatur, quidam Gelasium papam auctorem faciunt, alii Musæum presbyterum Massiliensem, alii Voconium episcopum Castelianensem in Mauritania, qui, teste Gennadio, libros sacramentorum composuerunt. Anselmus episcopus lib. de Laudibus virginitatis, cap. 25, a Gregorio Magno editum existimat. Sed ipse Gregorius epistola 64, lib. VII, ait a Scholastico compositum; quicunque autem fuerit ille Scholasticus, certum est antiquiorem fuisse Gelasio et aliis supra nominatis. Nec credendum Polydoro Virgilio, qui lib. V de Invent. rerum, cap. 10, a multis pontificibus compactum canonem asseverat : licet enim aliqui paucula quædam verba adjunxerint, ipsum tamen, ut ait Vigilius papa in epistola ad Eucherium, *ex apostolica traditione suscepimus.* Concilium quoque Tridentinum sess. 22, cap. 4, constare canonem docet ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum pontificum institutionibus. Observandum nihilominus venit cum cardinali Bona laudato cap. 11, ubi plura habet de canone, neminem ex pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam addidisse canoni aut immutasse. De clausula, quam Anastasius dicit additam a Gregorio III, suo loco agetur.

Apud Gratianum de Consecr., dist. 2, *comperimus* exstat canon Gelasii adversus eos qui, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice abstinebant : « Comperimus, inquit Gelasius, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur : quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. » Superstitio Manichæorum erat vinum esse fel principis tenebrarum et a diabolo creatum, unde communionem sub specie vini sumere recusabant, ut testatur Leo Magnus, serm. IV de Quadragesima. Ut igitur catholico nomine latitantes proderentur, idem remedium adhibuit Gelasius, quo pridem Leo usus fuerat, præcipiens ut sub utraque specie omnes communicarent : ne si catholici a calice abstinerent, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent : aut ipsi Manichæi eo signo detegi non possent, si idem facerent quod catholici sub specie sola panis communicantes. Cum vero ait Gelasius divisionem mysterii sine grandi sacrilegio provenire non posse, eosdem Manichæos perstringit, qui haustum vini respuentes tanquam fel diaboli, divina mysteria procul dubio mutilabant, seque grandi sacrilegio

Digitized by Google

obstringendant. ...æc ex Baronio desumpta, et ex cardinalis Bonæ, lib. II Rer. liturgic., cap. 18, ubi ostendit communionem sub utraque specie, nec divinitus institutam, nec unquam antiquos Patres eam ad salutem necessariam esse docuisse; licet semper et ubique, ab Ecclesiæ primordiis usque ad sæculum XII, sub specie panis et vini fideles communicarint. Profecisse porro hujusmodi remedium ad Manichæos detegendos, planc docent quæ auctor Libri Pontificalis de Gelasio habet : « Hujus temporibus, inquit, inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos exsilio deportari præcepit, quorum codices ante fores basilicæ sanctæ Mariæ incendio concremavit. »

Gelasius tractatum edidit, quem de anathematis vinculo inscripsit, quo probare aggressus est, Acta Chalcedonensis concilii ea tantum rata, quæ sedes apostolica approbavit : justa esse quæ in Acacium Constantinopolitanum episcopum a Felice III statuta erant, et Petrum Mongum Alexandrinæ sedis invasorem a sede tantum apostolica absolvi potuisse. Exstat tom. IV Conc. eumque commentati sunt Augustinus Barbosa in suis Collectaneis doctorum part. I, decreti dist. 15, cap. 3, et Didacus Covaruvias, lib. IV Variarum resolutionum.

Tomo IV bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis exstat sub nomine Gelasii papæ opus de duabus naturis contra Nestorium et Eutychetem, quem alii ascribunt Gelasio Cyziceno, alii Gelasio Cæsareæ Palæstinæ episcopo. Verum, ut Spondanus in margine Epitomes Baronianæ ad annum 496 notavit, liber ille sub Gelasii papæ nomine citatur a S. Fulgentio, ipso etiam Afro, Gelasio æquali, in libro de quinque Quæstionibus, apud Ferrandum diaconum cap. 18. Addit Labbeus in lib. de Script. eccles. citari etiam a Joanne II papa in epistola ad Avienum, cæterosque senatores, qua fidem de Christi divinitate et incarnatione exquisitis undequaque testimoniis confirmat, aliisque recentioribus : Sirmondum testem esse, in Mss. codicibus probæ notæ, descriptum reperiri opus illud inter indubitatas Gelasii epistolas; tandemque Gennadium Massiliensem cap. 94, de Scriptoribus ecclesiasticis, et ex eo Honorium Augustodunensem libello 2, cap. 93, ipsumque etiam auctorem Libri Pontificalis illud Gelasio papæ ascribere. Quoad argumentum, quod inde desumunt heterodoxi, ut probent substantiam panis et vini in Eucharistia remanere, illis jam abunde satisfactum est a Baronio ann. 496 num. 11 et seqq., ab auctoribus catholicis qui de controversiis tractarunt, ac nuper a Natali Alexandro part. I, quinti sæculi Ecclesiæ, pag. 680 et seqq. Sed hic omittere non possum, unicum ex recentioribus auctorem reperiri, nempe Josephum Pamphilium episcopum Signinum, qui vivebat anno 1570, hoc opus Joanni papæ tribuentem pag. 22 Chronic. Augustin.

Tandem Libri Pontificalis auctor, et Gennadius laudatus scribunt Gelasium fecisse hymnos in similitudinem Ambrosii episcopi; sed hymni illi periere, sicuti et ejus Commentarii in tredecim divi Pauli epistolas, a Pelagianis fœcibus non immunes, utpote ab hæreticis, vel suppositi, vel corrupti, teste Cassiodoro de Instit. divin. Script., cap. 8.

Valesius in lib. I Observat. ecclesiast. ad Evagrium, cap. 1 et passim in notis ad eumdem Evagrium, Gelasio papæ attribuit tractatum inscriptum : *Breviculus Historiæ Eutychianistarum*, seu, ut vetus habet inscriptio : *Gesta de nomine Acacii*. Sed dubitandum non est quin deceptus fuerit; prior enim hujus libelli pars totidem verbis excerpta est ex Brevario Liberati diaconi, qui opus illud Justiniano imperante elucubravit; posterior vero ex ipsis Gelasii epistolis collecta, ut legenti patet.

SOMMIER.

Lin. 9. — *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia.* Ex cap. 11, lib. VI D. archiepiscopi Sommier hæc adnotanda ad declarationem hujus textus.

A In Decretali Innocentii I ad Exuperium Tolosanum sedes apostolica dederat canonem sacrarum Scripturarum. Hunc iterum edit Gelasius in Concilio Romæ habito, cujus exordium est : *Ordo librorum Veteris Testamenti, quem sancta et catholica Romana suscepit et veneratur Ecclesia, dictus a B. Gelasio papa cum septuaginta episcopis.* Post enumerationem singulorum librorum utriusque Testamenti hæc subdit :

« Illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universæ per orbem catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana catholica et apostolica Ecclesia nullius synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, *Tu es Petrus*, inquientis, *et super hanc petram* (*Matth.* XVI, 18), etc., cui data est etiam societas B. Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est, et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus urbibus universo mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, *non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi* (*Ephes.* V, 27).

« Secunda autem sedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco, ejus discipulo et Evangelista, consecrata est, etc. Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri nomine habetur honorabilis; eo quod illic prius quam Romam venisset habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est, » etc.

Constabilito canone sacrarum Scripturarum, et ecclesiarum patriarchalium ordine recensito, quem Petri apostoli auctoritate et fundatione obtinuerunt, convertitur ad enumeranda scripta quæ post divina oracula utriusque Testamenti proximam in Ecclesia catholica implent classem admittendorum, et recipiendorum, nempe sanctas quatuor synodos œcumenicas, Nicænam 318 Patrum, Constantinopolitanam, Ephesinam et Chalcedonensem. Enumerat deinde approbatos ab Ecclesia catholica in eisdem synodis sanctos Patres, eorumque opera, qui in nullo a S. Ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communionis per gratiam Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ fuere participes.

« Item Epistolam B. Leonis papæ ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam, cujus textum quispiam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit. Item decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, et venerabiliter recipiendas. » Ista nempe constituebant jam tum veluti corpus quoddam iuris canonici in Ecclesia.

Post enumerationem scriptorum, in quibus veritas doctrinæ ab Ecclesia traditæ agnoscitur, recenset aliud genus scriptorum, in quibus cautio adhibenda est, ne apocrypha et sublestæ fidei pro genuinis et probabilibus recipiantur.

Lin. 10. — *Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio.* Ad hunc textum notæ ex lib. VI, cap. 8 D. archiepiscopi Sommier.

Euphemianus Constantinopolitanus statim ac Gelasii evectionem percepit ad Romanum pontificatum, ad eumdem perscripsit. Ex Gelasii responsione cognoscimus, Euphemianum studuisse reconciliationi Orientalis Ecclesiæ, ea tamen conditione, ut nomen Acacii sacris in diptycis permaneret. De eodem argumento litteras iterato transmisit. Dabo hic partem responsionis a Gelasio papa ad eumdem directæ.

« Si veraciter assecutus es hæc divinitus mihi

Digitized by Google

fuisse collata, sequere ergo hortamenta non indigentis doceri, et secundum supernam dispositionem universa cunctaque inspicientis, quæ ad ecclesiarum pertinent unitatem, et adversus diabolum conturbatorem veræ pacis atque compagis, ut asseris, fortiter resistentis. Si ergo de me ista pronuntias, aut sectanda tibi sunt quæ a Christo, ut perhibes, constituta sunt; aut palam te, quod absit, Christi dispositionibus obviare depromis; aut ad venam luxuriæ de me cognoscens ista jactare.... sed consequenter connectis condescendibilem me, et optima dispositione revocare pose concordiam. Proinde quoniam isto verbo frequenter utimini, quid sibi vult explorem. Optima enim illa est Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ dispositio ad meliora proficiendo condescendere, non ad inferiora descendendo deficere... At dicis, ut cætera nunc omittam, descendit Dominus ipse de cœlo. Descendit plane, sed ut hominem ab errore liberaret, non ut ejus misceretur errori... Ut erigatur jacens, miserantem convenit inclinari, non ut cum eo præcipitetur in foveam. De his quos baptizavit, quos ordinavit Acacius, majorum traditione confectam, et veram præcipuæ religiose consuetudini congruam præbemus sine difficultate medicinam. Quo nos vultis ultra descendere?... An forsitan ut hæreticorum damnatorumque ex his vel eorum successoribus communicantium nomina consentiamus admitti? Hoc non est condescendere ad subveniendum, sed evidenter ad inferna demergi... Nonne missis huc sæpe litteris indicastis cum cæteris hæreticis vos Eutychen quoque respuere? Hoc si verum est, aut eos qui communicaverunt Eutychetis successoribus pariter abdicate, aut aliorum quoque hæreticorum successoribus communicantes admittite. » S. Gelas. epist. 1 ad Euphemianum, et paulo infra. « Perspicis apostolicam sedem non vitare pacem, sed hæreticorum damnatorumque vitare vestigia. Quæ etiam vos rationabiliter intuentes creditis commonendum, populum Constantinopolitanum non permittere submoveri nomina perfidorum. Quisnam hoc in Ecclesia Dei, quæso te, possit audire? cum utique pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria revocantem, non per devia gregem pastor errantem... Dic mihi, rogo te, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Veniemus, frater Euphemiane, ad illud pavendum tribunal Christi. Non illic inficiationibus, non delatoribus, non inclusionibus est agendum, sed manifestissime comprobandum, utrum B. Petri gloriosa confessio cuiquam eorum, quos regendos accepit, quidquam subtraxerit ad salutem; an eam auscultare nolens etiam cum suo periculo rebellis exstiterit obstinata pernicies? ubi certe dilucidabitur utrum ego (sicut putatis) acerbus, asper, et nimis durus, difficilisque sim vobis, qui cum ratione vestram salutem parturio, qui clamo: etiamsi austerum videtur antidotum, accipite, quæso, bibite, virite, nolo moriamini? an vos, qui a noxiis prohibiti, medicos ducitis exsecrandos: imo qui vultis medicos vobiscum ægrotare, quam vos recipere sanitatem? »

Nonnemo ex ætatis nostræ scriptoribus veterum librorum abalienatorum sensus adoptans Gelasii tenorem disciplinæ insimulat indocilis asperitatis, in quo neque charitas, neque providentia clueeat, imo tendant omnia ad omne commercium abrumpendum, quæ nadmodum abruptum revera fuit inter summum pontificem et Euphemianum. . . Verum quidquid hujusmodi scriptoribus dicere libeat, quorum præoccupationes adversus Romanam sedem satis innotescunt, prudens lector satis intelligit, Gelasii œconomiam in tuenda majorum fide ac disciplina propriam apologiam secum ferre.

Idem Gelasius ad episcopos Illyricianos formulam fidei direxit, uno ex iisdem ita postulante, veluti medicinam quamdam fidei, sub qua vivendum sit, secundum statuta Patrum (epist 2 ad Laur.) necnon ad episcopos Dardaniæ regulam transmisit illibatæ communionis servandæ sicut a Patribus est tradita, non recitandi scilicet nomina eorum in Ecclesia qui sunt prævaricati (epist 3 ad episc Dardan). Istorum ex responsione colligitur quam religiose atque utiliter salutaria hæc monita susceperint ac servaverint

« Saluberrima (inquiunt) apostolatus vestri præcepta, Tryphone viro religioso filio nostro deferente, qua oportet devotione suscepimus, et maximas Deo omnipotenti et beatitudini vestræ referimus gratias, quod nos pastorali admonitione, et evangelica doctrina visitare dignatus es, Domine sancte, apostolice et beatissime Pater. Desiderii enim et voti est jussionibus vestris in omnibus obedire; et quemadmodum a Patribus nostris accepimus, sedis apostolicæ, quæ vitæ et meritis vestris delata est, præcepta intemerate servare, atque religionem orthodoxam, cujus estis prædicatores, fideli et inculpata devotione, prout nostræ rusticitatis sensus patitur, custodire. Eutychis enim, vel Petri, Acaciique omnium sectatorum ejus, atque consortium, velut quædam pestifera contagia ante vestram quoque jussionem vitavimus, et nunc multo magis post admonitionem sedis apostolicæ et ab eadem nos pollutione necesse est abstinere: et si qui alii ejusdem Eutychetis sectam, vel Petri et Acacii aut secuti sunt, aut sequuntur, vel eorum complicibus atque consortibus æstimant immiscendos, et a nobis, qui sedi apostolicæ secundum divina præcepta, et Patrum statuta inculpate servire desideramus, omni ratione vitandi sunt, et si qui prava intentione, quod neque arbitramur, neque optamus, a sede apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam ut dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, et inviolabilia sanctorum canonum instituta sectantes, apostolicæ et singulari illi sedi vestræ communi fide et devotione parere contendimus. » *Resp. episc. Dard. ad Gelas. papam.*

Dum Andreas Thessalonicensis confratrum suorum Illyricianæ provinciæ episcoporum exempla sectari minime voluisset in debita submissione apostolicæ sedi comprobanda, Gelasius scripsit ad Illyrici et Dardaniæ episcopos hanc sententiam:

« Noverit vestra fraternitas, Ecclesiæ Thessalonicensis antistitem nostris adhortationibus sæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii, vel exterorum similium perfidorum, hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem apostolicæ sedis non recepisse manifestum est: quoniam nisi puris sensibus, et ab omni nefanda societate beati Petri apostoli, nec possumus, nec debemus Ecclesiæ præbere commercia... Cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ Dominicæ puritatem, quam majores nostri semper ab hæretica magnopere servaverunt pollutione discretam. Sed neque vos quisquam circumvenire pertentet, quod dicat non de religione, sed moribus esse certamen, vel apostolicam sedem non causam communionis catholicæ, fideique tractare, sed injuriam dolere, cur videatur ab Acacio fuisse contempta: quoniam hæc et hujusmodi, quatenus simplices quoque decipiant, hi qui in errore sunt positi, spargere non quiescunt. Videtis enim per nomina prævaricatorum, si, quod absit, in Ecclesia recitanda credantur, simul et contagium prævaricationis induci. Sedes autem apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionemque sinceram: ut hodie cuncti qui in ejus visi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei, communionemque catholicam revertantur secundum regularem tramitem paternum, toto cordis affectu venientes, et plena charitate suscipiat. »

Ex Cap. IX ejusdem libri VI.

Gelasius papa prolixam epistolam ad episcopos

Digitized by Google

Dardaniæ transmisit super schismate per Acacium inchoato, et ejusdem occasione continuato. Ex illa nos afferemus præcipuas partes, quæ testimonium luculentum continent pro auctoritate sedis apostolicæ, etc.

« Patres nostri (ait) quidquid secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmumque constare : nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractare qualibet recenti præsumptione permiserunt. Sapientissime prævidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullam contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac iisdem semper furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur . . . . confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet.

« Quoniam Acacium Joannes secundæ sedis antistes gravibus pulsaret objectis, ad primæ sedis audientiam cohortatus est, vel venire debere, vel mittere . . . . Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis, sed etiam potius in consortium communionis externæ (sedem apostolicam) per legatos suos niteretur abducere. Ipsum competenter Acacium a sua communione submovit . . . . Primæ sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundum canones appellante secundæ sedis antistite, vocabatur ad nostrorum causam . . . . Non reticemus autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes B. Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus . . . . Sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, haberet facultatem. »

Hoc ipsum beatus pontifex probat exemplis sancti Athanasii, S. J. Chrysostomi, S. Flaviani, ac Dioscori.

Aliquid etiam considerabile attingit de prærogativis ecclesiarum, nempe si quæratur de earumdem dignitate, « secundæ sedis et tertiæ (ait) major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. » Respicit scilicet ambitum Constantinopolitanorum quia ex patriarchalibus sedibus primi ordinis (quas scilicet apostolorum Princeps vel per se vel per Marcum discipulum insedit) cum eorum Ecclesia non sit, supra easdem patriarchales auctoritatem prælationis affectant. *Aliæ votestas est* (inquit) *regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum* . . . . « Risimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam suis dignitatibus usurparunt? Si sibi de imperatoris præsentia blandiuntur, et inde putant Constant. civitatis episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum ejusdem principem civitatis posteaquam augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum, quam se tentasse talia confitentem, atque in apostolici præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum B. papam Leonem sedis apostolicæ præsulem, cujus synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones, nova videretur actione tentatum competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub sanctæ memoriæ papa Simplicio legatum sedis apostolicæ Leone principe tunc petente præsente, docuisse nullatenus posse tentari. » *Ibidem.*

Denique addit, habitum fuisse in Italia concilium super divisionibus præsentibus. Quare satis constare, Ecclesiam catholicam, et Romanam sedem nihil omisisse ex iis, quæ ad fraternum pertinerent pro intemerata et sincera communione tractatum. « Sed Orientalibus ecclesiasticis, qui nunc præsunt, quia sine auctoritate sedis apostolicæ omnium ecclesiarum passim jura confundunt, magis eligentes in errore persistere, quam præsumptionum suarum perdere facultatem; plus usurpationum suarum licentiam diligentes, quam divini judicii tenentes corde respectum, refugiunt unitatem Christianam legitima curatione reparari. »

In hac epistola Gelasius promiserat, a se luculentius expositum iri peculiari in tractatu ea, quæ raptim tunc attingebat. Duos vero tractatus edidit, quorum aliquot fragmenta supersunt. Quin etiam de Anathemate speciatim scripsit, ubi complura sunt sacerdotalis ejus constantiæ documenta. Ex cap 10.

Nihil attamen præstantius declarat hanc firmitatem apostolici pectoris, quæ in Gelasio ubique refulsit intime sociata charitati Patris communis totius Ecclesiæ, quam epistola ab ipso scripta ad imperatorem Anastasium his verbis :

« Faustus, etc., publica legatione fungentes, ad Urbem reversi clementiam vestram quæsisse dixerunt, cur salutationis meæ scripta non miserim. Non mea, fateor, instituto; sed cum directe dudum de Patribus Orientis vel videndi me licentiam sibi vestris præceptionibus abnegatam tota Urbe disperserint, a litteris credidi temperandum, ne onerosus potius quam officiosus existerem. Videtis igitur non mea dissimulatione provenisse : sed competentis fuisse cautelæ, ne respuentibus animis molestias irrogarem. Sed ubi serenitatis vestræ benevolentiam comperi, præfatis indicantibus, humilitatis meæ clementer expetisse sermonem, jam revera perpendi imputandum non immerito mihi, si tacerem : quia, gloriose fili, te sicut Romanus Romanum principem amo, colo, suscipio, et sicut Christianus cum eo qui zelum Dei habet secundum scientiam veritatis habere desidero : et qualiscunque apostolicæ sedis vicarius quodcunque plenæ fidei catholicæ deesse comperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. Dispensatione enim mihi divini sermonis injuncta, væ mihi est, si non evangelizavero. Quod cum vas electionis B. Paulus apostolus formidet, et clamet, multo magis mihi exiguo metuendum est, si divinitus inspiratum, et paterna devotione transmissum subtraxero ministerium prædicandi. Pietatem tuam precor, ne arrogantiam judices divinæ rationis officium. Absit quæso a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam.

« Duo quippe sunt, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur : auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino redditurus sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas, humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque su-

Digitized by Google

mendis cœlestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potiusquam præesse. Nostrumque inter hæc ex illorum te pendere [illegible] non illos ad tuam velle dirigi voluntatem. [illegible] quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ; quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus solvisse pro divinitatis cultu quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est qui cum parere debeant, despiciunt.

« Etsi cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, qua cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præeminere, et subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Unde pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessione, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem. Impeti possunt humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum est, non potest ulla virtute convelli : *firmamentum enim Dei stat.* Nunc quidnam cum aliquibus infestata religio est, quantacunque potuit novitate superari, et non magis hoc invicta permansit, quo æstimata est posse succumbere? Desinant ergo, quæso te, temporibus tuis quidam per occasionem pertubationis ecclesiasticæ præcipitanter ambire quæ non licet, ne et illa quæ male appetunt nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum et homines non teneant. Quapropter sub conspectu Dei pure ac sincere pietatem deprecor, obtestor, et exhortor, ut petitionem meam non indignanter accipias : Rogo, inquam, ut me in hac vita potius audias deprecantem, quam, absit, in divino judicio sentias accusantem.

« Nec me latet, imperator Auguste, quod pietatis tuæ studium fuerit in privata vita. Optasti semper fieri particeps promissionis æternæ. Quapropter noli, precor, irasci mihi, si te tantum diligo, ut regnum quod temporaliter assecutus es velim te habere perpetuum, et qui imperas sæculo possis regnare cum Christo... Non sint gravia, quæso te, quæ pro tuæ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legisti : *Meliora sunt vulnera amici, quam oscula inimici.* Quæso pietatem tuam, ut quo affectu dicuntur a me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem tuam fallat; verum est quod figuraliter per prophetam Scriptura testatur : *Una est columba mea, una est perfecta mea.* Una est Christiana fides quæ est catholica. Catholica autem veraciter est illa, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus, atque consortibus sincera, pura, immaculata communione divisa est. Alioquin non erit divinitus mandata discretio, sed miseranda confusio, nec ulla jam causa superest, si hoc in quolibet contagio volueris admittere, ne cunctis hæresibus aditum, quamque pandamus.

« Hoc est quod sedes apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur... Ergo, gloriose imperator, nolo ego ecclesiarum pacem, quam etiamsi cum mei sanguinis impendio provenire posset, amplector? Sed precor te, cujusmodi debeat esse pax ipsa, non utrumque sed veraciter Christiana mente libremus. Quomodo enim potest esse pax vera, cui charitas intemerata defuerit? charitas autem qualiter esse debeat, nobis evidenter Apostolus prædicat, qui ait : *Charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I, 5). Quomodo, quæso te, de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? quomodo de conscientia bona, si pravis fuerit malisque commista? . . . Proinde sicut non potest perversitatis communicatore suscepto non pariter perversitas approbari : sic non potest refutari perversitas complice sectatore perversitatis admisso. Legibus certe vestris criminum conscii, susceptoresque latrocinantium pari judiciorum pœna constringuntur : nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit, facientis tamen familiaritem fœdusque receperit; proinde cum Chalcedonense concilium pro fidei catholicæ atque apostolicæ veritate communioneque celebratum, damnaverit Eutychetem detestandi furoris auctorem, non satis habuit, nisi pariter ejus quoque consortem Dioscorum, cæterosque percelleret. Hoc igitur modo sicut in unaquaque hæresi vel factum semper vel fieri non habetur ambiguum, successores eorum Timotheum, Petrum, atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursus facto concilio, sed synodo semel acta regula consequenter elisit.

« Quemadmodum ergo non evidenter apparet etiam cunctos simili tenore constringi, et qui eorum communicatores, et complices exstiterunt, atque omnes omnino a catholica atque apostolica merito communione discerni; hinc Acacium quoque jure dicimus a nostro consortio submovendum, qui maluit in sortem transire perfidiæ, quam in catholicæ atque apostolicæ communionis sinceritate constare, cum fere per triennium ne in id veniret apostolicæ sedis epistolis doceatur competenter instructus... Quapropter aut doceatur ab hæretica participatione sincerus, quorum se ille communioni permiscuit, aut cum eisdem non potest non repelli.

« Etenim, imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid, quod absit, quispiam fortasse tentaret, nulla pati id ratione potuisset; ad divinitatis puram sinceramque devotionem ut tibi plebs subdita redigatur conscientiæ tuæ non putas interesse? Competentibus ergo sinant curari se posse remediis : alioquin, quod absit, in eorum transeundo perniciem cum illis perire possumus; ipsos vero salvare non possumus. »

Ex hac epistola complura adnotari possent, et applicari constitutioni præsentis temporis. Illud in primis occurrit animadvertere, quod critica subdola per nonnullos auctores recentes contexta ad Græcos illos reprehendendos, non secus ac similis farinæ scripta, nuper disseminata, plus nimio excitarunt schismatis spiritum, aut certe foverunt, et ut se penitius insinuaret male affectis mentibus effecerunt.

His refricanda foret memoria, et adhortatio ejusdem Gelasii in epist ad Rusticum Lugdunensem. « Quantam (inquit) ob impiissimi Acacii causam persecutionem sustinemus, sed non deficiemus... Fac, charissime frater, ut tuus, tuorumque in nos, vel potius in sedem apostolicam non cesset affectus. Qui in Petra solidabuntur cum Petra exaltabuntur. » Ex cap 12, ejusdem libri VI.

Præter constituta Gelasii jam producta, auctor Libri Pontificalis narrat, cum inventi essent ejus ætate in Urbe Manichæi, curasse pontificem ut exsilio mulctarentur, eorumque scripta publice concremata fuisse affirmat ante fores Basilicæ Liberianæ. Inter cæteros autem errores hujusmodi sectæ cum docerent, vinum esse diaboli inventum, rejiciebant communionem sacramenti corporis et sanguinis Domini sub utraque specie. Hinc eos fuisse detectos, licet quærerent latere; cum observarentur sumpta tantummodo sacri corporis portione sub panis specie, a calicis participatione abstinere. Decretum igitur edidit a Gratiano relatum, per quod elongari præcipit a sacra mensa eos, qui sub utraque specie communicare nollent. Decretum hujusmodi nihil omnino pa-

Digitized by Google

trocinatur errori illorum, qui communionem sub utraque specie necessariam putant ad salutem consequendam, uti luculenter demonstrant cardinales Baronius et Bona, super hoc articulo consulendi, ille ad annum Christi 406, hic de rebus Liturgicis, lib II, cap 18.

In abolenda superstitione Lupercalium, quam senator quidam ex paganorum impietatibus retineri satagebat, pejori etiam obtentu, quasi ex hujusmodi ritus intermissione sterilitas terræ proveniret, quam Romani patiebantur, quanto religionis zelo certaverit, declarat ipsius tractatus qui ea de re superest adversus Andromachum senatorem in quo hæc leguntur. « Me pronuntiare convenit Christianis ista perniciosa et funesta indubitanter existere... Quod etiam prædecessores meos forsitan fecisse non ambigo, et apud imperiales aures hæc submovenda tentasse. Et quia auditos esse non constat, dum hæc mala hodieque perdurant, ideo hæc ipsa imperia defecerunt, ideo etiam nomen Romanum, non remotis etiam Lupercalibus, usque ad extrema quæque pervenit. »

LII. S. ANASTASIUS.

ANNO CHRISTI 497, ANASTASII IMP. 7, THEODORICI REGIS 5.

75. *Anastasius, natione Romanus, ex patre Petro*, de regione Quinta Tauma caput Tauri, *sedit annum unum, menses undecim*, dies *viginti quatuor* [a]. Hic fuit temporibus Theodorici regis. Hic fecit confessionem beati Laurentii martyris ex argento, quæ pensabat libras centum [b]. Eodem tempore multi clerici et presbyteri se a communione ipsius erexerunt [c], eo quod communicasset sine concilio episcoporum, vel presbyterorum, vel cleri cunctæ Ecclesiæ catholicæ, diacono Thessalonicensi nomine Fotino [d], qui communis erat Acacio [e], et quia voluit occulte revocare Acacium, et non potuit, qui nutu divino percussus est. *Hic fecit ordinationem unam* in urbe Roma, *per mensem Decembrem, presbyteros duodecim, episcopos per* diversa loca *sexdecim*. Qui *sepultus est* in basilica beati Petri apostoli XIII *Kalendas Decembris, et cessavit episcopatus dies quatuor.*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, an 2, minus d. 7, a Cons. Pauli, ad Paulinum et Joan. [b] Scytham Coss. *C*, 80. [c] Subtraxerunt *vel* retraxerunt. *Vide Baron. ad ann.* 497. [d] *C*, Photino. [e] *B*, communionis Acacii.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 75, *lin.* 4, *B*, 80.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 75, *lin.* 1, quinta, de regione caput Tauri. *lin.* 2, mens. 10. *lin.* 3. Hic confessionem b. L. M. ornavit ex arg. pens. lib. 100; eo temp. *lin.* 5, ipsius subtraxerunt, eo quia. *lin.* 6, præsb. et cleri. *lin.* 8, et n. pot. Hic nutu divino percussus est. *lin.* 9, qui etiam sep.

Ex codice Thuano altero.

Num. 75, *lin.* 1, quinta caput t. *lin.* 5, ipsius erigerunt. *lin.* 6, seu cleri. *lin.* 10, XIV Kal.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num. 75, *linea* 1, *deest* vox Tauma *in Flor. et Vat.*

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Linea 4. — *Eodem tempore multi... clerici se a communione ipsius erexerunt.* Additio censenda cruta ex actis, ut reor, schismaticorum, qui cum partibus Laurentii faverent adversus Symmachum, insurrexerunt in odium Anastasii decessoris Symmachi, et illa confinxere, ut fieri assolet, ubi vigent præjudicia partium. Falsitas vero additionis sive de Anastasio pontifice promovente Acacianorum societatem, et cum eisdem communionem, sive de Photino Thessalonicensi, facile ostenditur ex ejusdem pontificis epistola ad Zenonem, quam direxit per Cresconium, et Germanum episcopos apostolicæ sedis apud imperatorem legatos. Conversionem quidem Acacianorum promovit, eisque indulgentiam repromisit, dummodo a sacris diptychis Acacii nomen eraderent. (Tom. II Conc., pag. 949, c. 3.) « Precamur itaque clementiam vestram, ut specialiter nomen taceatur Acacii... Quantos vero excessus, atque præsumptiones habuerit Acacius, ne clementiæ tuæ suggerere per singula fortasse videatur onerosum : Cresconio, vel etiam Germano fratribus et coepiscopis meis, quos misimus ad serenitatem tuam de causis singulis Acacii, qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus clementiæ vestræ specialius recensendam, si hoc pietati tuæ placuerit curiosius indagare, ne aliquo suggestionibus nostris veritas defuisse videatur : ut pro divina sapientia vestra perspicue videre possitis, non superbia, vel elatione sedis apostolicæ in Acacium talem processisse sententiam, sed facinoribus certis (quantum nos extra illud judicium, quod solum falli non potest, æstimamus) zelo magis divinitatis extortam. » Quomodo poterat pontifex post legationem, et facinorum Acacii delatorum imperatori factam per legatos denuntiationem, fœdus cum Acacianis inire, et ad communionem revocare, nulla præmissa satisfactione? Eo vel maxime, quia ab ultima sententia Synodi sub Felice, Ecclesia Constantinopolitana sese separavit a Romana, uti scribit Liberatus loco supra laudato cum synodi illius acta narrasset. « His ergo provenientibus, et Acacio permanente in Petri communione, separavit se quidem sedes apostolica a Constantinopolitana, » etc. Nec poterat admitti, nisi contumacia deposita, et facta satisfactione. Deinde Zeno, cujus fraude dissoluta fuit synodus Heracleen-

Digitized by Google

sis, quam ficte promoverat sub Hormisda, ut crimen tegeret, epistolam dedit Hormisdæ, in qua duo ab ipso promota scribit : primo ut Alexandrina Ecclesia remitteret anathema, quod publice dicebat adversum synodum Chalcedonensem, et dogmaticam S. Leonis. « Nam pro hac causa attestantur divinæ litteræ ad Alexandriam non semel, sed multoties destinatæ, per quas objurgavimus, cur sibi non arbitrarentur posse sufficere directam fidei doctrinam, recedentes ab anathemate Chalcedonensis synodi, vel venerandæ memoriæ Leonis episcopi. Unde non parvum studium apud nos, et contentio quoque perdurat, quatenus a suprascripto anathemate eosdem possimus abstrahere, et sanctæ Ecclesiæ universali conjungere. » Secundo, quod ut e sacris diptychis auferretur nomen Acacii fieri non poterat sine ingenti seditione. « De capitulo vero, quod solum videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestræ fortasse propter unitatem ecclesiarum conveniret, nisi alia venerabili Ecclesiæ ex hoc renovari scandala crederemus. Nunc quæ sint facienda perpendite : quia grave esset, clementia vestra judicat de Ecclesia venerabili, propter mortuos vivos expelli : nec sine multa effusione sanguinis scimus posse ea quæ scribis ordinari. » Si vero prædecessor Anastasius putasset unionem cum Ecclesia Constantinopolitana, concordiamque sarciendam, relinquendo nomen Acacii, et cum Acacianis propugnantibus ejusdem gesta communicando; Zeno id proposuisset Hormisdæ, antecessorem nempe Anastasium papam deliberasse de unione cum Acacianis facienda, relicto Acacii nomine, et obliteratis synodicis in ipsum publicatis, et constitutis. Conficta itaque censenda hæc, et assuta gestis Anastasianis, desumpta ex calumniis conflatis in Anastasium pontificem, et Symmachum, quæ collector nullo præmisso criterio hic addere non dubitavit. Sed enormior lacinia de Photino.

Linea 5. — *Communicasset... Diacono Thessalonicensi nomine Fotino, qui communis erat Acacio.* Melius alii codd. legunt (*Communionis Acacii*). Thessalonicensis primas erat sedis apostolicæ vicarius per Orientem : cum adhibuit vel Gelasius, vel Anastasius ad dissertationes sopiendas, quæ exarserant in Oriente occasione Mongi et Acacii. Alexandriæ fuisse, strenuamque operam impendisse pro dogmatica S. Leonis testantur apocrisarii sedis Alexandrinæ in libello supra laudato, quem dederunt Cresconio, et Germano pontificis Anastasii legatis adhuc Constantinopoli persistentibus, in quo sic de Photino (tom. II Conc. pag. 955) : « Quia vero non multorum temporis Photinus religiosus diaconus sanctæ Thessalon. Ecclesiæ nobiscum de pace Ecclesiarum verba conseruit, dixitque se ante spatium parvi temporis destinatum a sanctissimo archiepiscopo Andrea Thessalonicensis Ecclesiæ ad Romanum pontificem Anastasium, et affirmabat de his, quæ nos vehementer offendunt, in translatione epistolæ sibi satisfactum fuisse a supradicto præsule Romanæ Ecclesiæ; quod scil. in epistolæ translatione comprobarentur errores: ipsam vero Latinam epistolam juxta fidem trecentorum decem et octo SS. Patrum editam constitisse. Insuper quædam retulit ex persona ejusdem Antistitis fuisse narrata, quæ ad vituperationem eorum, quæ in translatione sunt indita, pertinerent : et ad illos qui ea confingere tentaverunt ad satisfactionem eorum, qui rectam fidem, immaculatamque custodire non negligunt. Quibus abunde sanatis, cupientesque pristinam reintegrandi concordiam; malumus etiam a vobis si vera sunt illa, quæ Photius religiosus diaconus nobis retulerat, edoceri, vestræque desideravimus occurrere sanctitati, et de his omnibus habere colloquium. » Si Photinus stetit pro Chalcedonensi synodo, ostenditque falsam Alexandrinorum persuasionem in abjiciendis Synodo Chalcedonensi, et epistola S. Leonis, Mongus, qui dux erat horum hæreticorum, et cum Acacio ad obitum usque communicavit, bene comprobatur ut hæreticus damnatus : consequenter revocari non poterat Acacius, seu ejus communio uti innoxii, ac ab omni hæretica contagione immunis vel a Photino, et quod enormius est, ab Anastasio pontifice revocari poterat. Deinde plurimi inter eruditos probant, commonitorium ad Faustum esse hujus pontificis, non Gelasii, qui vulgo auctor putatur; ut ex his quæ de Acacio dicta, ac de justissima in eumdem lata damnationis sententia quisque prospicere poterit. Dilucidanda ulterius est hæc nostra in Anastasium observatio, quam supra tetigimus. Dicebamus enim in gestis pontificum, quod ubi schisma in Ecclesia Romana occurreret, ex præjudicatis scriptoribus collector aliquis quædam decerpere consuetus, ea indere solebat interracta pontificia, et fœdare seriem eorumdem : et quæ quandoque antipapæ erant, legitimo imponebantur, aut per calumniam affingebantur a schismaticis, ut in Liberio notatum est. Laurentius enim sedis apostolicæ invasor post Anastasium pontificem censetur subscripsisse Henotico Zenonis, cui subscribere omnino detrectavit Anastasius pontifex. Diserte id testatur Theodorus Lector (l. II Histor. eccl.) qui narrat Festum senatorem Romanum ob civilia quædam negotia a senatu Romano ad Zenonem directum, in jussis habuisse, ut pontificem suaderet Henotico subscribere. Sic Theodorus : « Porro Festus occulte, ut aiunt, imperatori suggesserat, ut episcopo Romano persuaderet, ut Zenonis Henotico subscriberet. Sed cum Romam venisset, Anastasium episcopum jam mortuum reperit. Quare operam dedit, ut per schisma promotus edicto illi subscriberet. » Qui post Anastasium *per schisma promotus est*, Laurentius refertur. Henotico subscribere erat cum Acacianis consortia inire, cum Henotici auctor, suasor, et promotor Acacius censeretur. Quæ propria antipapæ erant per calumniam forsitan ex amicitia pontificis cum Festo, schismatici Anastasio imposuerunt, vulgaruntque, quæ nescius collector inter Anastasii gesta inseruit. Interim si commonitorium inscribi debet ad Festum, non ad Faustum, et Anastasio uti auctori vindicari, ex eo cognosci poterit, quomodo et Acacium, et Acacianos perpetuo uti damnatos habuerit, et nervose omnia Acacianorum subterfugia dissolvit, et tergiversationes evacuat. Certe Festum Laurentio favisse, et schismaticis auctorem fuisse innuit Theodorus, adeoque id unum intendisse imperatori placere, qui summopere in votis habebat, ut omnes in subscriptione Henotici unirentur. Hæc confusio causam dedit collectoribus Libri Pontificalis, ut quæ erant propria Laurentii antipapæ, tribuerent Anastasio. Certe si ab Anastasio, et quidem ex commonitione totius cleri, id fuisset præsumptum, hæc Anastasiana pro Acacianis favorabilis intentio occultari non potuisset, unde sub Symmacho, cum Anastasius imperator excommunicatus ob defensionem susceptam Acacianorum, et confictionem calumniarum in Symmachum, non reliquisset adducere hanc pontificis intentionem, et propositum. Nihilominus nec fecit, imo ex decessoris exemplo argumentum deducit, quod ipsi invicte adversus Acacianos steterint. Sic in epistola apologetica ad Anastasium pontifex : « Dicis, quod mecum conspirante senatu, excommunicaverim te. Ita quidem ego, sed rationabiliter factum a decessoribus meis sine dubio subsequor. Nos non te excommunicavimus, imperator, sed Acacium : tu recede ab Acacio, et ab illius excommunicatione recedes, » etc. Vide reliqua. Decessores vero erant Gelasius et Anastasius. Unde fictitia hæc additio ab inscio collectore actis Anastasii assuta. Insulsius est quod additur, ubi consarcinatoris inscitia, et achronismus apparent, ubi legitur :

Linea 8. — *Quia voluit revocare Acacium, et non potuit, qui nutu divino percussus est.* Damnatus jam erat Acacius cum pontificatum suscepit Anastasius; ut in Gelasio notatum est. Hinc concidit fabella.

Digitized by Google

Verba porro illa : *qui nutu divino*, etc., in aliis codicibus sic recensentur. Anteponitur interpunctio, et sic : *Hic nutu divino percussus est.* Hæc vero additio censenda ex consuetis interpolationibus tumultuarie assutis Gestis pontificum ; hæc enim non in Gestis Anastasii, nec ad Anastasium pontificem spectabant, sed ad Hormisdam, sub cujus pontificatu moritur Anastasius imperator, et causam mortis sic Liber Pontificalis assignat. « Furore repletus Anastasius Augustus contra papam Hormisdam inter alia sacra sua hoc scripsit, dicens : Nos jubere volumus, non juberi. Eodem tempore nutu divinitatis percussus est fulmine divino Anastasius imperator, et obiit. » Quæ itaque de Anastasio Augusto alicubi legebantur, Anastasio pontifici assuere indoctus quispiam putavit. Fortisan deceptus ex Chronico Theophanis, quo ut ex illius additionibus Liber Pontificalis augeretur, in latium adducitur. Ibi enim ad ann. 518 legitur : « Hoc anno indictione XL, mensis Aprilis nono, Anastasius ineptus imperator occubuit : exegit in imperio annos septem et viginti, mensesque septem trigesimo quarto supra ducentesimum anno a Diocletiani imperio, in cujus locum Justinus pius imperator, vir ætatis provectæ, et expertus rerum a militiæ cingulo exorsus, et ad senatus usque ordinem promotus. Illyricus genere suffectus est. Quidam autem autumant Anastasium fulmine de cœlo tactum mentis stupore e vivis excessisse. » Consuetum collectorem additionum hæc ex variis auctoribus excerpere, et catalogis addere supra probatum est, et magis infra. Hæc, ut reor, inscio collectori, aut librario ex nomine Anastasii lecto occasionem præbuerunt, ut ea pontificis Anastasii gestis assueret.

BINII ET LABBEI.

Linea . — *Quia voluit occulte revocare Acacium.* Neque nomen Acacii ad sacras diptychas, neque ipsum Acacium ad sedem Constantinopolitanam revocari voluisse indicat epistola prima ejusdem pontificis Anastasii in Actis concil. qua nomen defuncti plane deleri ac tolli rogavit.

Gloriantur nostri temporis hæretici, Anastasium de errore ac perfidia convictum, quod sine concilio episcoporum cum Photino, Acacianæ sectæ fautore, communicarit ; sed quam inepte nemo non videt. Potuit enim resipiscentem, sine ullius concilii auctoritate ab excommunicatione absolvisse, et citra ullam peccati periculum cum eodem communicasse : imo si operam illam toti Ecclesiæ necessariam ab excommunicato, et plane schismatico requisivisset, non modo fidem non amisisset, sed neque ullam anathematis sententiam eo ipso incurrisset. Vide Bellarm., lib. IV de Rom. Pont. ; Baronius ann. 479, n. 27 ; Emendatores decreti Gratiani in notis ad canonem *Anastasius*, dist. 19 ; Covarruvias, tom. II, lib. IV Var. resol., cap. 13, hæc conficta omnino esse probant, hoc potissimum argumento, quod Acacius (sicut Nicephorus lib. XVI, cap. 12 ; Evagr. lib. III, cap. 18 et seqq. testantur) tempore Felicis III obierit, quodque ipse Anastasius cap. 1 epistolæ suæ ad imperatorem Anastasium, Acacium jam mortuum, et ante Judicem Christum una cum Felice astare scripserit. Quod quidem de non revocato per Anastasium Acacio certissimum est ; sed de Photini communicatione non ita constanter affirmari potest, cum ex ejusdem pontificis epistola contrarium non obscure colligatur.

Linea 8. — *Qui nutu divino percussus est.* Anastasium morbo divinitus immisso exstinctum esse, ideo quod baptismum, et sacros ordines ab Acacio collatos eadem epistola approbaverit spargunt hæretici ; sed more suo per calumnias, mendacia, ac fabulas. Quod enim de Anastasio imperatore hæretico circa hæc tempora fulmine percusso scribunt in ejus vita Beda, Cedrenus, Zonaras, et Paulus Diaconus ; hoc illi nullo alio præterquam unius mendosi Bibliothecarii auctoritate freti, in caput Anastasii pontificis retorquere non verentur. Vide Bellarm., lib. IV de Roman. Pontificibus, cap. 10 ; Sanderum, de visibili Monarchia Ecclesiæ ; Hosium lib. III prop. doct. catholic.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

ost obitum Gelasii cum vacaverit sedes Romana juxta Bibliothecarium dies septem, ut plerique codices legunt, Regii, Thuani, et Mazzarini, computatis extremis ; circa diem 24 Novembris anni 496 collocanda est Anastasii hujus nominis secundi electio, aut etiam ordinatio, cum dies indicata fuerit Dominica, littera, F, Dominicali eidem obtingente. Hunc vero cum asserat sedisse anno uno, mensibus undecim, diebus viginti quatuor, ejus vita pertigerit ad diem 17 aut 18 Novembris anni 498, die 10 mensis ejusdem fuisse depositum apud B. Petrum affirmat postremus versus hujus sectionis. Satis igitur exacte procedit etiam dierum enumeratio : quæ si unitate variat in codicibus, aut catalogis nonnullis ; tanti non est illa differentia, ex amanuensibus persæpe orta, ut remorari nos possit in epocha Anastasii rite constabilita tum in exordio, tum in termino sui sacerdotii.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Eodem tempore multi clerici*, etc., et linea 7. — *Et quia voluit occulte revocare Acacium*, etc. Recte observant ad hunc Bibliothecarii locum tum doctissimi cardinalis Baronius et Bellarminus, tum D. archiepiscopus Sommier eosdem secutus in notis infra recensendis, hujusmodi memorias a schismaticorum factione conflctas fuisse sub proximo pontificatu B. Symmachi, cum pluribus de utroque pontifice falsis rumoribus, in vulgus sparsis opera Festi patricii aliorumque Laurentio antipapæ studentium : quas cum in litteras retulissent, ut Anastasio principi, Zenonis Henoticon ab Anastasio papa et a Symmacho non subscribi ægre ferenti, fucum facerent, ejusque animum vehementius incenderent contra legitimos et sanctos pontifices, quasi factiosus, ac turbulentos, et criminum insimulatos. De Anastasio præpropere defuncto mitiorem fabellam contexere sibi visi sunt, cum illius propensionem confingerent ad connivendum recitationi nominis Acacii, et admissioni Photini Thessalonicensis ejusdem fautoris. Hujusmodi scripta a factione Laurentii mandata litteris ita sunt pervulgata, ut ad posteras ætates nonnulla illorum fragmenta pervenerint, adeoque ad æquales illi Bibliothecario, qui sequiori sæculo hanc Vitam Anastasii et proximam Symmachi indiscrete colligens, fidem accommodavit conflctis de utroque fabulis, easque intermiscuit documentis veracibus cæterorum ab ipsis gestorum. Quod Cardinales Baronius, ac Bellarminus, aliique recentiores invictis rationibus probant, id etiam confirmant reperta schismaticorum illorum fragmenta, quæ antiquissimo charactere exarata ostendunt ætatem Anastasio Bibliothecario antiquiorem ; et proinde nobis manifestant credulitatem collectoris Vitarum non caruisse quidem monumentis ab ætate Symmachi proximis, sed caruisse criterio necessario ad secernendas schismaticorum technas et calumnias a veris narrationibus catholicorum. Placet hic attexere fragmentum superstes in quaternione membranaceo antiquissimi characteris ante annos mille, ut videtur, scripto, et compacto una cum libro S. Hieronymi de scriptoribus Ecclesiasticis, aliisque opusculis, inter quæ sunt epistolæ summorum pontificum Simplicii, Felicis, Gelasii, etc., servato in archivo cathedralis Ecclesiæ Veronensis, uno scilicet ex codicibus ante annos octingentos collectis a Pacifico archidiacono, ut alibi memoravi notato num 25. Stylus libri exprimit ætatem Symmachi ; de quo ista confingit auctor illius fragmenti, præmissis de

Digitized by Google

Anastasii papæ falso jactata conniventia fortasse litteris per schismaticos confectis, ut hæc pauca ad illum referenda videntur, indicare.

« Imperatorem Anastasium directas per Crescomium et Germanum auctoritate suffulta est, ut qui hanc intenta mente sub divino timore perlegerit, inaniter hactenus inter Ecclesias Orientis et Italiæ tam schisma nefarium perdurare cognoscit. »

Sequitur deinde in eo quaternione Vita Symmachi, ita fraudulenter contexta stylo ejusdem ætatis. « Quinquagesimus secundus Symmachus sedit annos quindecim, menses septem, dies viginti et septem. Cum hoc autem fuerat Laurentius Romanæ Ecclesiæ presbyter ordinatus episcopus, tantaque clerum ac populum Romanum discordia feralis invaserat, ut nec divina consideratio, nec metus regis partes a propria concisione cohiberet. Tunc coguntur utrique Symmachus scilicet, et Laurentius regium subituri judicium petere comitatum. Ibi Symmachus multis pecuniis obtinet, Laurentius ad gubernandam Ecclesiam Nucerinam Campaniæ civitatem plurimis coactus minis, promissionibusque dirigitur : post aliquod autem annos pro multis criminibus apud regem Symmachus accusatur, quem rex sub occasione Paschali quod non cum universitate celebravera... comitatum convo... ratione... festivitatis dissonantia redditurum, fecitque apud Ariminum reseder... umque ibidem cum suis clericis aliquantisper moratur pomeridianis horis super littus maris ambulans vidit mulieres inde transire cum quibus accusabatur in scelere, quæ comitatum petebant regia jussione; dissimulans ergo se scire quod viderat, nocte media dormientibus cunctis cum uno tantum conscio fugiens regreditur Romam, seque intra B. Petri apostoli septa concludit. Tunc presbyteri et diaconi, necnon reliqui clericorum, quos secum deduxerat adeunt regem, et sine sua conscientia Symmachum fugisse testantur, per quos rex tam ad senatum, quam ad clerum præcepta super ejus quodammodo damnatione transmittit; accusatur etiam ab universo clero Romano, quod, contra decretum a suis decessoribus observatum, ecclesiastica dilapidasset prædia, et per hoc anathematis se vinculis irretisset : pro diebus autem Paschalibus ab omnibus pene vir venerabilis Petrus Altinotis episcopus a rege visitator Ecclesiæ Romanæ deposcitur, et post sanctam festivitatem synodus in urbem Romam pro voluntate senatus et cleri jubente rege, de ejus excessibus judicatura convenit, atque id agitur a nonnullis episcopis, et senatoribus... m... Symmach... audientis subderetur hoc palam pro ejus defensione clamantibus, quod a nullo possit Romanus pontifex, etiamsi talis sit qualis accusatur, audiri : sed electiores antistites, tam pro religionis intuitu, quam pro regia jussione censebant tantæ rei negotium, pene ubique vulgatum, sine examine nullatenus deserendum, cumque synodus sub hac dissonantia plus inter partes ministraret fomenta discordiæ, tandem constituit ut libellus, quem offerebant accusatores Symmachi, susceptus, inter gesta solemniter panderetur; quo facto, mox per episcopos idem Symmachus, ut occurreret ad judicium convenitur; sed cum per clericos qui ei asserviebant fuisset ejus negata præsentia, iterum et tertio, secundum regulas, ut ad synodalem conveniat audientiam, per antistites admonetur, nullumque dignatus est dare responsum, tunc aliquanti episcopi videntes nihil se in causa proficere, clerum qui discesserat a consortio Symmachi, semel et iterum commonent, ut ad eum prætermisso revertatur examine; qui se nequaquam hoc facere posse respondit, priusquam tantis criminibus impetitus discussione regulari, vel absolvatur, si innocens fuerit, vel si reus exstiterit a sacerdotio deponatur, sed moras Epi n... nt ... cum viderent magis ac magis studia divisionis augeri, quæ sibi utilia visa sunt pro Symmachi persona constituunt : et sic urbem in summa confusione dereliquunt. Clerus ergo et senatus electior, qui consortium vitaverat Symmachi, petitionem regi pro persona Laurentii dirigit, qui eo tempore Ravennæ morabatur Symmachi violentiam persecutionemque declinans, ut ipse Romanæ præsideret Ecclesiæ, ubi dudum fuerat summus pontifex ordinatus, quia hoc et canonibus esset affixum, ut unusquisque illic permaneat, ubi primitus est consecratus antistes, vel si quibusdam commentis exinde remotus fuerit, eum modis omnibus esse revocandum. Sic Laurentius ad Urbem veniens per annos circiter quatuor Romanam tenuit Ecclesiam, per quæ tempora quæ bella civilia gesta sint, vel quanta homicidia perpetrata, non est præsenti relatione pandendum, dumque partes mutua se dissensione colliduntur, ac pro suis studiis regale præsidium sæpe deposcunt, ad ultimum petitionem Symmachus regi per Dioscorum Alexandrinum diaconum destinavit, asserens magnum sibi præjudicium fieri, et maxime de titulis ecclesiarum, quos intra Urbem Laurentius obtinebat ad hanc inf... ationem regis animus delinitus patrici F... »

Hic explicit fragmentum quaternionis assutum membranaceo codici, antiquitatis indubitatæ titulo plurimi profecto faciendum, si ad illum usum adhibeatur, ad quem putandum est a perito aliquo ac studioso historiæ ecclesiasticæ fuisse comparatum. Licet enim cognoscatur fragmentum esse perniciosi alicujus scripti, ab aliquo gregali factionis Laurentii contra Symmachum elaborati, et quidem stylo dictionis per illa tempora non inelegantis, ita ut fœtus videatur hominis non vulgaris a Festo patricio, sive ab alio quopiam non infimæ sortis viro adhibiti ad captandam auram ejusdem factionis schismaticorum, et principis ejusque conjugis, per dispendia famæ, et auctoritatis pontificiæ, dum Symmacho affingit scelera, et decessori illius Anastasio papæ non obscure attribuit propensionem ad connivendum Acacianis super recitatione illius nominis, quasi id foret remedium innocens, et opportunum ad schisma Orientalium cum Ecclesia Latina de medio tollendum, et plura congerat falsa et exsecrabilia de judiciis contra caput Ecclesiæ Dei intentatis ac intentandis; licet, inquam, fragmentum istud cognoscatur esse portio perniciosa scripti antiquissimi; potuit attamen utiliter colligi et inseri a studioso historiæ ecclesiasticæ, et pontificiæ auctoritatis, et immunitatis, una cum litteris SS. pontificum Simplicii, Felicis, et Anastasii ad Acacium, hujusque responsis in eodem codice compactis. Nam fuerant producenda genuina hæc documenta adversariorum fraudis, et maledicti, et imposturæ ei qui vellet has ipsas imposturas, fraudes, et maledicta refellere per alia scripta genuina summorum pontificum et conciliorum, rei gestæ veritatem ac jura demonstrantium : quemadmodum et in conciliis œcumenicis producta fuerunt scripta hæreticorum, quorum de damnandis blasphemiis agebatur. Utiliter igitur collecta fuerant virulenta illa scripta, et compacta cum suis antidotis, ne solitaria si legerentur, imperitorum animos offuscarent.

Sed cum injuria temporum et incuria posterorum, ut fit, veteres hujusmodi chartæ negligentius habitæ fuissent dispersæ, ita ut integritate codicis absumpta, quaternio forte fortuna superstes ostenderet mutila illa schismaticorum scripti fragmenta, quæ similitudinem catalogi Pontificalis referunt, longe aliter adhiberi potuerunt ab imperito aliquo scriptore aut collectore sequioris ætatis. Is temere compacta cum videret una cum libris probatissimis beati Hieronymi, et Gennadii, necnon cum epistolis sanctorum pontificum Simplicii, Felicis, et Anastasii ibidem præservatis, indicata fragmenta catalogi antiquitus scripta citra examen auctoris ibi profecto non apparentis, et citra collationem cum aliis genuinis documentis temporum, quæ veritatis historicæ criterium deposcit, inconsiderate suscepisse potuit tanquam authentica monumenta æqualis scriptoris : et ex hujusmodi inquinato fonte in Libri Pontificalis

Digitized by Google

textus easdem calumnias, et falsariorum fabulas derivare : quæ negotium subinde facesserent etiam politiori ætati ad easdem secernendas ab historica veritate.

Non abs re duxi occasione dissidii litteratos inter suborti super gestis Anastasii quam captant scriptores ætatis nostræ in notis D. arch. Sommier memorati, et ab eodem validis rationibus refutati, indicare fontem mendosæ illius scaturiginis, unde rivulum derivavit, is qui Vitæ Anastasii II incongruam periochen inseruit de propensione connivendi super recitatione nominis Acacii. Tum illa periocha, tum similes quæ aliquando interspersæ leguntur textui Bibliothecarii potuerunt inconsiderate transcribi ex fragmentis codicum vetustissimorum (cujusmodi est hic Veronensis quem attulimus) per illas præsertim ætates, quæ laborabant barbarie in bonas artes invecta, et infrequentia peritorum, qui possent mutilas hujusmodi chartas, titulo et auctore carentes, cum veracium scriptorum monumentis conferre, et probe dignoscere, num a cordatis viris, ac studio partium non laborantibus, an potius a factiosis, et malæ causæ promovendæ addictis essent perscriptæ. Inspectio illius codicis ita compacti abunde nos edocet, inquirendas es e origines notionum a biographis Anastasianis adhibitarum, non idcirco quod diffidamus ab antiquis documentis illas fuisse desumptas, sed quod jure dubitandum sit, incaute per illos collectas fuisse ex fragmentis hujusmodi calumniatorum consutis temere cum opusculiis Patrum, et a peritioribus antea perquisitis, ut retundi possent totidem verbis expressæ, quales ab oppositoribus enuntiabantur.

Abundat ætas Gelasii ejusmodi sycophantiis sublestæ fidei ab hæreticis, et schismaticis passim cumulatis; ita ut necessarium duxerit indicto concilio censum librorum probatorum perficere, et ab apocryphis ac vitiatis germana, integra, et approbata scripta secernere. In tanta igitur copia lucubrationum vitiosæ originis, quæ disseminabatur temporibus Gelasii, Anastasii, et proximorum pontificum, a perduellibus fidei nostræ occasione hæresum et schismatum subortorum, mirum non est, si aliquando dormitaverint collectores minus idonei ætatum sequiorum, et ex fragmentis veteribus indiscriminatim corrasis ex miscella partium inter se litigantium, temere assumpserint aliquando hostiles calumnias mira fallendi arte in stylum historicum deformatas, ubi substituendæ fuerant narrationes notæ veritatis scriptorum, easdem calumnias subvertentium rationum pondere, et auctoritate sui testimonii.

CIACONII.

Linea 4 et 5. — *Se a communione ipsius erexerunt.* Anastasius imperator dolose moliebatur, si quo modo ad subscribendum Henotico Zenonis, ipsum Romanum pontificem posset inducere. Ad hanc rem perficiendam Festum legatum misit. Erat Festus senator Romanus, missus a senatu ad Anastasium imperatorem propter quasdam civiles res tractandas. Festus imperatori clam pollicitus est persuasurum se Romano episcopo, ut concordiæ Zenonis subscriberet. Cum autem Romam venisset, Anastasium episcopum mortuum reperit, ut Theodoretus et Nicephorus lib. III, c. 35, concorditer scribunt. Ex quibus satis apparet Anastasium papam integrum sincerumque in catholica fide permansisse, decessisseque antequam a Festo ejusmodi perfidiæ tentaretur. Ita namque sæpe divino consilio, quo potissimum catholicæ fidei semper servare consuevit integritatem, factum scimus, ut quam citissime morte mulctatus sit, qui in aliquod discrimen adducturus esset catholicam ecclesiæ puritatem.

Linea 8. — *Nutu divino percussus est.* Lepra percussus dicitur; alii produnt intestina in latrinam effudisse, dum necessitati naturæ obtemperaret.

PAGII.

Linea 7. — *Ut quia voluit occulte revocare Acacium*, etc. Ipso sui pontificatus initio, ut Anastasium imperatorem ab hæresi ad meliorem mentem avocaret, Germanum Capuanum, et Cresconium Tridentinum episcopos, Constantinopolim ad eumdem imperatorem legatos misit, cum epistola ad ipsum data, qua petebat, ut nomen Acacii, Constantinopolitani quondam episcopi, extra Ecclesiæ communionem defuncti, ex diptychis plane expungeretur. Ut Alexandrinos moneret imperator ad fidem sinceram et ad pacem redire catholicam; eaque admoneretur imperator, ut constitutis apostolicæ sedis obtemperet. In proposito illo piissimo nihil effecit sanctus pontifex, nam imperator, detentis dolose Constantinopoli legatis, per fraudem et dolum magno conatu elaboravit, ut ipsum Romanum pontificem, ad subscribendum Zenonis Henotico induceret.

Quam in rem usus est opera Festi cujusdam senatoris Romani, qui ob civilia quædam negotia, ut habet Theodorus lector lib. II Hist. ecclesiast. ad imperatorem Anastasium missus, favore ejusdem imperatoris impetravit, ut sacra sanctorum apostolorum Petri et Pauli memoria, a Schismaticis aliquando neglecta, honorificentius et splendidius celebraretur : « Quamvis igitur antea quoque celebrata fuisset, deinceps post petitionem Festi, longe majori splendore ea festivitas peracta est. » Et Paulo post : « Porro Festus occulte, ut aiunt, imperatori suggesserat, ut episcopo Romano persuaderet, ut Zenonis Henotico subscriberet. Sed cum Romam venisset, Anastasium episcopum jam mortuum reperit. Quare operam dedit, ut per schisma promotus edicto illi subscriberet, » nempe Laurentius schismaticus contra Symmachum electus.

Ex his apparet Anastasium papam, antequam a Festo de perfidia tentaretur, integrum atque sincerum in catholica fide decessisse. Falsum itaque et ineptum omnino est, quod in Libro Pontificali legitur, Anastasium nempe papam, Acacium, a Felice Tertio, et a Gelasio decessoribus jam ante prædamnatum, multisque jam annis sub eodem Felice Tertio mortuum, in sedem suam revocare, aut saltem nomen ejus sacris diptychis restituere voluisse; eodemque tempore multos clericos et presbyteros se ab ipsius communione separasse, eo quod communicasset sine concilio episcoporum vel presbyterorum vel cleri, diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communicaverat cum Acacio. Hæc enim ex dictis falsa omnino esse demonstrantur. Porro Anastasium papam nullam cum imperatore Anastasio concordiam iniisse, sed magis illum exsecratum esse, ostendit Baronius anno 497.

Linea 9. — *Episcopos per diversa loca sexdecim.* Cum Bibliothecarius omiserit complura insignia gesta sub Anastasio, in conversione præsertim Clodovei regis per Gallias de episcoporum ordinatione, supplenda est historia ex Pagii numeris 6 et seq.

Sedente Anastasio, cum nullus esset reperiri in toto terrarum orbe penitus princeps Christianus catholicus : nam et qui velamento fidei orthodoxæ diu latuit Anastasius imperator, apertissime cognitus est hæreticus : Romæ vero, et in Italia rex Theodoricus, et in Gallia Visigothorum Alaricus, et Gundobadus Burgundionum Ariani prorsus erant : itemque Suevi et si qui alii in Hispania : in Germania autem et Britannia adhuc pagani : Francorum rex Clodoveus, cum per invocationem nominis Christi victoriam de Alemannis meruisset obtinere, a sancto Remigio episcopo Rhemensi baptizatus est, non quidem anno 499, ut credidit Baronius, sed anno 496, ipso initio pontificatus Anastasii, in die Nativitatis Domini, ut constat ex epistola Aviti Viennensis episcopi in Burgundiæ regno, ad ipsum Clodoveum scripta, quæ exstat tomo IV Concil. pag 1266, in qua ait : « Igitur qui celeber est Natalis Domini, sit et vestri, quo vos scilicet Christo,

Digitized by Google

quo Christus onus est mundo; in quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis. » Eadem qua Clodoveus, die « baptizata est et soror ejus Albofledis. » Tum « conversa est et alia soror ejus Lantechildis nomine, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri et Spiritum sanctum chrismata est, » inquit Hincmarus in vita sancti Remigii. Usus iste baptizandi in Natalitiis Domini, post conversionem Clodovei regis perseveravit apud Francos. Guntrannus enim rex Francorum, apud Gregorium Turonensem lib VIII, cap 9, quæritur dilatum esse nepotis sui baptismum ultra Natalis Domini solemnitatem.

Ubi Anastasius papa accepit Clodoveum baptismo regeneratum, statim gratulatorias ei litteras per Enmerium presbyterum misit, a Dacherio tom V Spicilegii publicatas, in quibus ait : « Tuum, gloriose fili, in Christiana fide cum exordio nostro in pontificatu contigisse gratulamur. Quippe sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, et per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem piscator hominum et cœlestis Jerusalem beatus claviger. » Cum autem Anastasius mense Novembri anni 496 ordinatus fuerit pontifex Romanus, Clodovei baptismus pertinet ad diem Christi Natalitium ejusdem anni, et Anastasii ad Clodoveum epistola circa initium anni 497 scripta.

Anastasius quoddam constitutum ediderat in controversia quæ versabatur inter Arelatensem et Viennensem episcopos; Symmachus enim papa in epistola prima ad Æonium Arelatensem episcopum data tertio Kalendas Octobris anni quingentesimi, ait : « Constat inter Arelatensem et Viennensem Ecclesiam aliquod de ordinandis episcopis in vicinis civitatibus oriri luctamen : illa re videlicet faciente, quod decessor noster sanctæ recordationis Anastasius, tractans confusionem provinciæ, aliqua contra veterem consuetudinem jusserit observari, decessorum suorum videlicet ordinationem, quod non oportebat, sub qualibet necessitate transgrediens, » etc. Peinde antiqua sedis apostolicæ decreta observari jubet. Sed decretum Anastasii nullibi reperitur. De hac et alia Symmachi papæ ad Æonium epistola circa hanc controversiam agetur in Symmacho.

SOMMIER.

Linea 1. — *Anastasius*, etc. S. Anastasius II qui Gelasio successit, ad ejusdem nominis principem de sua electione scribens his utitur verbis, ejusdem vigilem curam pro suscepto regimine in tuenda religione catholica declarantibus : « Exordium pontificatus mei primitias oblata populis pace pronuntio, et consequenter pro fide catholica humilis precator pietati tuæ occurro. In quo primum mihi divinum favorem propinquasse confido, quod nunc consonantia in me augustissimi nominis tui non dubium præstat auxilium; ut sicut præcelsum vocabulum pietatis tuæ per universas gentes toto orbe præfulget; ita per ministerium humilitatis meæ, sicut semper est, sedes B. Petri in universali Ecclesia assignatum sibi a Domino Deo teneat principatum. . . ut specialiter nomen taceatur Acacii. Ut Alexandrinos ad catholicam et sinceram fidem auctoritate sapientia divinisque vestris monitis redire faciatis. Ut sicut decet et Spiritus sanctus dictat, monitis nostris (apostolicæ sedis) obedientia præbeatur. » (Epistola I Anast. II, ad Anast. Aug.)

Sanctus pontifex ad Clodoveum quoque Francorum regem ita perscribit, qui primus ex iisdem regibus Christianæ religionis sacra susceperat. « Tuum, gloriose fili, in Christiana fide cum exordio nostro in pontificatu contigisse gratulamur. Quippe sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, et per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem piscator hominum et cœlestis Jerusalem beatus claviger : quod serenitati tuæ insinuare volumus per Enmerium presbyterum : ut cum audiveris lætitiam Patris in bonis operibus, impleas gaudium nostrum, et sis corona nostra, gaudeatque mater Ecclesia de tanti regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergo, gloriose et illustris fili, matrem tuam, et esto illi in columnam ferream; nam refrigescit charitas multorum, et malorum hominum versutia navicula nostra feris fluctibus agitatur, et despumantibus undis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem; et Dominum collaudamus, qui eruit te de potestate tenebrarum, et in tanto principe providet Ecclesiæ, qui possit eam tueri, et contra occurrentes pestiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte et gloriose fili, et Deus omnipotens serenitatem tuam et regnum cœlesti protectione prosequatur : et angelis suis mandet ut custodiant te in omnibus viis tuis; et det tibi in circuitu de inimicis tuis victoriam. » (Anast pap. II epist. II ad Clodov. reg. Franc.)

Observandum est, omnes ferme principes illius ætatis infideles fuisse, aut fidem Christianam hæresi depravasse, præter unicum Clodoveum qui tum primum baptizabatur in Occidente : reges autem Theodoricus, Alaricus, Gondebaudus, aliique principes e Gothorum genere, Visigothorum, Suevorum, aut Wandalorum omnes Arianam hæresim professi tenebant provincias Hispaniæ, Galliæ, Africæ, atque Italiæ, unde Romanos expulerant. Germania vero, ac Magnæ Britanniæ insula regibus idololatria infectis parebant.

Linea 7. — *Voluit occulte revocare Acacium.* Bibliothecarius affirmat, Anastasium papam II connivere secreto voluisse Græcorum obstinationi, quæ Acacii nomen e sacris diptychis eradere detrectabat, verum divinitus perculsum subita morte id consilium non perfecisse. Idem auctor addit, ejus rei ergo quosdam e clero a papæ communione se subtraxisse, tum etiam ex eo quod diaconum Thessalonicensem, qui communis erat Acacio ad communionem admisisset inconsulto episcoporum et presbyterorum cœtu. E recentibus autem scriptoribus quidam factum negant, contendentes Bibliothecarium perperam confisum memoriis a factione antipapæ Laurentii consutis, quem factio Græcorum opposuit successori Anastasii. Ea de re videndus card. Baronius ad ann. 497, et Bellarminus in controversiis lib. IV, cap. 10 in tit. de Pontifice Romano. Alii vero cum Tillemontio in Hist. ecclesiastica ad eumdem annum autumant indulgentius agere voluisse cum Græcis, etiamsi auctor mendis refertus, qualis eisdem videtur Anastasius minus idoneus testis judicetur ad eam sententiam confirmandam.

Digitized by Google

LIII. SANCTUS SYMMACHUS.

ANNO CHRISTI 498, ANASTASII IMP. 8 THEODOR. REGIS 5.

76 *Symmachus, natione* Romanus [a] *ex patre Fortunato, sedit annos* 15, [b] *menses octo,* dies 26. *Hic fuit temporibus Theodorici* regis; *et Anastasii Augusti* a die x kalendarum Decembriarum usque in diem xiv kalendarum Augustarum. Hic sub contentione ordinatus est uno die cum Laurentio: Symmachus in basilica Constantiniana, Laurentius vero in basilica beatæ Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus [c], et divisus est senatus. Alii cum Symmacho, alii vero cum Laurentio. *Et facta contentione hoc constituerunt* [d] *partes, ut ambo ad Ravennam pergerent* [e], *ad judicium regis Theodorici, qui dum* ambo introissent in Ravennam, hoc *judicium* æquitatis *invenerunt* : — Ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima *cognosceretur*, ipse sederet in sede apostolica. Quod *tandem* æquitas in Symmacho invenit *cognitionem* [f] *veritatis. Et actus est præsul Symmachus.*

77 *Eodem tempore papa Symmachus* [g] congregavit synodum, *et constituit Laurentium in* [h] *Nuceriam civitatem episcopum, intuitu misericordiæ. Post annos vero* [i] *zelo ducti aliqui ex clero, et alii ex senatu,* maxime Festus et Probinus, *incriminarunt Symmachum, et subornaverunt testes falsos, quos miserunt Ravennam ad regem Theodoricum, accusantes beatum Symmachum, et occulte revocaverunt Laurentium,* post libellum Romæ factum, *et fecerunt schisma,* et divisus est iterum clerus. Et alii communicabant Symmacho, alii Laurentio. Tunc Festus et Probinus senatores miserunt relationem regi, et cœperunt agere, ut visitatorem daret rex sedis apostolicæ. Tunc rex dedit Petrum [j] Alticinæ civitatis episcopum, quod canones prohibebant. Eodem tempore beatus *Symmachus* [k] *congregavit episcopos centum et quindecim, et facta synodo, purgatur a crimine falso. Et damnatur Petrus* [l] *Altinus invasor sedis apostolicæ, et Laurentius Nucerinus,* quia vivo episcopo Symmacho pervaserunt sedem ejus. *Tunc ab omnibus episcopis, et presbyteris, et diaconibus, et* omni *clero,* vel plebe [m] *reintegratur sedi apostolicæ beatus Symmachus, ut cum gloria apud beatum Petrum sederet præsul.*

78 Eodem tempore Festus caput senatus exconsul, et Probinus exconsul, cœperunt intra urbem Romam pugnare cum aliis senatoribus, et maxime cum Fausto exconsule, et cædes, et homicidia in clero ex invidia fiebant. Qui vero communicabant beato Symmacho juste, publice qui inventi fuissent intra Urbem gladio occidebantur. Etiam et sanctimoniales mulieres, et virgines deponentes de monasteriis, vel de habitaculis suis, denudantes sexum femineum cædibus plagarum afflictas vulnerabant, et omni die pugnas contra Ecclesiam in medio civitatis gerebant. Etiam multos sacerdotes occiderunt, inter quos Dignissimum et Gordianum presbyteros ad vincula [n] sancti Petri apostoli, et ad sanctos Joannem et Paulum, quos fustibus, et gladio interfecerunt [o], et multos alios Christianos, ita ut nulli esset securitas, die vel nocte, de clero in civitate ambulare. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. [p] Post hæc omnia beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra, vel codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit, et eos ipsos exsilio relegavit. Fuit autem a consulatu Paulini, usque ad consulatum senatoris.

79 Hic fecit basilicam sancti Andreæ apostoli apud beatum Petrum apostolum, ubi fecit tigurium [q] ex argento et confessionem, pensan. libras centum et viginti; arcus

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *C, B,* Sardus. [b] *B,* m. 8, minus d. 4, a Coss. Paulini, et Scythæ, ad M. Aur. Cassiodorum Coss. [c] *Vide Baron. ad ann. Domini* 498. [d] *C,* construxerunt. [e] Ut ambæ partes. [f] *C,* et cognitio. [g] *Vide Baron. ad ann. Domini* 499. [h] *C,* in Nucerina civitate. *Vide Baron. ad ann. Domini* 502. [i] *D,* Altinæ. [k] *Symmachus in Synodo purgatus,* [l] Altinensis. [m] *C,* redintegratur. [n] Inter quos Gordianum Presbyterum dignissimum ad vincula. [o] Quem fustibus, et gladio interfecerunt. [p] *Vide Baron. ad ann. Domini* 503 *in fin. Manichæorum codices exusti.* [q] *CB,* ciborium.

Digitized by Google

argenteos tres, pensan. sing. libr. sexaginta; oratorium sancti Thomæ apostoli ex argento, pens. libr. 300; in confessione [a] libr. viginti; arcum argenteum, pensan. libr. sexdecim; confessionem sancti Cassiani, et sanctorum Prothi, et Hyacinthi ex argento, pensan. libras viginti; arcum argenteum, pens. lib. 12; oratorium sancti Apollinaris ex argento, et confessionem cum arcu ex argento, pens. libr. triginta; Oratorium sancti [b] Sosii ex argento in confessione, pens. libr. viginti. Item ad fontem in basilica beati Petri apostoli, oratorium sanctæ crucis ex argento, confessionem, et crucem ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum Dominicum, ipsa crux aurea pensan. libr. decem. Fecit autem oratoria duo sancti Joannis Baptistæ, et sancti Joannis Evangelistæ in quorum confessione arcus argenteos posuit, pensan. libr. triginta [c] Quæ cubicula omnia a fundamento perfecta construxit. Basilicam vero beati Petri marmoribus ornavit; et cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, et ex musivo agnos, et cruces, et palmas [d] ornavit. Ipsum vero atrium omne compaginavit; gradus vero ante fores basilicæ beati Petri ampliavit, et alios gradus construxit, sub tigno dextra, lævaque. Item in eodem loco episcopia dextra lævaque fecit; item sub gradus in atrio alium cantharum foris in vulgo campi posuit, et ad usum necessitatis humanæ fecit; item et alios gradus ascendentibus ad beatum Andream fecit, et cantharum posuit; hic fecit basilicam sanctæ martyris Agathæ via Aurelia [e] in fundum Lardarum, et a fundamento cum fonte construxit, ubi posuit arcus argenteos duos. Eodem tempore fecit basilicam sancti Pancratii, ubi et fecit arcum argenteum, qui pensabat libr. quindecim; fecit autem in eodem loco balneum; item apud beatum apostolum Paulum, in basilica renovavit absidam, quæ in ruinam imminebat, et post confessionem pictura ornavit. Et cameram fecit, et matroneum, et super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore, et duodecim apostolos posuit, qui pensabant libras centum viginti; et ante fores basilicæ gradus fecit in atrio, et cantharum; et post absidam aquam introduxit, ubi et balneum a fundamento fecit.

80 Intra civitatem Romanam basilicam sanctorum Silvestri et Martini a fundamento construxit juxta Thermas Trajanas, ubi et super altare [f] tigurium argenteum fecit, pensan. libr. 120, arcus argentos 12 qui pensabant singuli libr. decem; confessionem argenteam, quæ pensan. libr. 15. Ad beatum Joannem et Paulum fecit gradus post absidam; item ad archangelum Michaelem basilicam ampliavit, et gradus fecit, et introduxit aquam; item ad sanctam Mariam; oratorium sanctorum Cosmæ et Damiani a fundamento construxit; item in via Tiburtina milliario vigesimo septimo ab Urbe Roma, rogatus ab [g] Alvino et Glafira illustribus de proprio facientibus a fundamento basilicam beato Petro in fundum Pacinianum dedicavit; item ad beatum Petrum, et beatum Paulum apostolos, et ad sanctum Laurentium martyrem pauperibus habitacula construxit. Item ad beatum Petrum viginti canthara argentea fecit, pensan. singula libras quindecim, et arcus 22 pensan. sing. libr. viginti. Hic reparavit basilicam sanctæ Felicitatis, [h] quæ jam in ruinam imminebat; hic absidam beatæ Agnetis, quæ in ruinam imminebat, et omnem basilicam renovavit.

81 Hic constituit ut omni die Dominico, vel natalitiis martyrum hymnus diceretur angelicus, id est *Gloria in excelsis Deo*. Hic fecit cœmeterium Jordanorum in melius propter corpus sancti Alexandri; hic omni anno per Africam, vel Sardiniam ad episcopos, qui in exsilio erant retrusi, pecuniam et vestes ministrabat; hic captivos per Liguriam, et Mediolanum, et per diversas provincias [i] pecunia redemit, et dona multiplicavit, et dimisit; *hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per menses Decembrem et Februarium, presbyteros nonaginta duos, diaconos sexdecim, episcopos per* diversa *loca centum* [k] *et septem.* Qui etiam *sepultus est* in basilica beati Petri apostoli, *et cessavit episcopatus* dies septem, qui etiam in pace confessor quievit.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *CB*, et confessionem. [b] *C*, Sosii. [c] et cubicula p. s. [d] fecit. [e] in fundo laudario. [f] *C*, ciborium. *C.* [g] Albino et Glaphyra præpositis. [h] cui ruina imminebat. [i] pecuniis. [k] *CB*, 17.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 76, *lin.* 1, B. Sardus. *Lin. ead.* A. mens. 7. B. d. 27. *Lin.* 8, consilium æquitatis invenit. *Lin.* 10, A. quod tandem æquitatis judicium invenit cognitio veritatis.

Num 77, *linea* 2, *AB*, in Nucerina civitate. *linea* 8, *AB*, Altinæ.

Num 79, *linea* 2, AB tugurium. *Linea* 4, B 190. *Linea* 4, AB 20. *Linea* 6, AB, 20. *Linea* 8, B, S. Sossi. *Linea* 18, B in campo posuit. *Linea* 20, B. in fundo Lardario. *Linea* 25, B. matonenm.

Num 80, *linea* 5, Gabrielem. *linea* 13, *A*, ruinam minabatur..

Num 81, *lin.* 9 AB 117. *Lin.* 9 B Apostoli XIV cal. Aug.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 76, *lin.* 1, S. nat. Sardus. *Lin.* 1, mens. 6. d. 27. *lin.* 2. Theoderici (M. Theodori.) *lin.* 2 et 3, cal. Decembris (M, Decembrium) usque in. d. 10 Kal. Augusti. *Lin.* 5, ex qua causa divisus est senatus et clerus. *lin.* 6, constit. ut ambæ partes ad Rav. *lin.* 8. (M Theodor.) Qui cum essent Ravennam ingressi, hoc ind. æg. invenit. *lin.* 10, quæ æquit. invenit in Symmach. cognitionem veritatis.

Num 77, *linea* 2, post annum vero quartum. *linea* 3, et aliqui ex senatu m. F. et P. incriminati sunt, S. et subordinaverunt t. f. *linea* 4, Theodoricum, in utroque codice. *linea* 5, Symm Tunc occ r. Laurentium. Post libellum Romæ factum fecerunt sc. *linea* 8, sedi apostolicæ. *linea* 8, Altinæ civ. *linea* 11, P. Altinensis. *linea* 12, Ep. pr. diaconib cunctoque clero, et plebe reintegratur Symm cum gloria apud B. Petrum in sede propria. Eodem tempore F.

Num 78, *linea* 3, ex invidia exercere. Qui vero commun Symmacho privatim, et publice cum inventi fuisse *linea* 5, quin etiam sanct. *linea* 6, vulnerabant : omni itaque die pugnam c. eccl. *linea* 7, etiam et m. sacerd occi inter quos Gordianum presbyterum dignissimum ad vinc sancti Petri apost quem fustibus, et glad interfecerunt. Multos etiam Christ interfecerunt, ita ut nulli esset securitas de clero die, vel noct per civitatem publice ambulare. Faustus vero exconsul pro Eccl pugn. Post hæc omnia Symm in Man in urbe Rom quorum omnes codices ante for bas const incendio cremavit. *linea* 14, ad cons senioris.

Num 79, *Linea* 1, Petrum, ubi fecit ciborium. *linea* 4, pens. lib. 60. Orat S. Thomæ apost ex argento, et confessionem, pens lib 20. *linea* 5, Hyac ex argento ornavit, pens lib 30, Arc. *linea* 6, Orat s. Apoll et confessionem cum arcu ex arg pur. *linea* 7, Orat S. Sossii ex arg et confessionem, pens lib 20. *linea* 9, ex arg et confessionem, pens lib 30, et crucem. *Linea* 10, lignum sanctæ crucis, pens lib 10. Fecit quoque oratoria duo. *linea* 12, in quorum confessiones ar. arg pos pens lib 30, et cubicula omnia. *linea* 14, cum quadriporticis m. orn et ex museo fecit agnos, et cruces, et palmas. Ipsum v. at. omne marmoribus compaginavit. *linea* 16, et alios gradus sub divo dextra lev construxit. Item episcopia in e. l. d. l. f. Linea 18, foris in campo posuit ad usum necessitatis humanæ fecit. Alios quoque gradus. *linea* 21, posuit. Fecit quoque basilicam s. Agn martyris v. A in fund Lardarium, quam a fund c. f. *linea* 21, duos fecit quoque basil s. P. martyris ubi et f. ar. arg pens lib 15. Fecit quoque in e. l. *linea* 24, abs cui ruina imm et post conf picturis ornavit cameram (M. cameras). Fecit quoque matronium (*M.* fecit quoque et m.). *linea* 25, arg Salvatoris, et 12 apost pens libr 120. Ante fores vero basil g. f. in atrium, etc.

Num 80, *linea* 1, intra civitatem etiam Rom. *linea* 2, ciborium f. arg pens. *linea* 2, arc arg pens lib 10.

A *linea* 3, arg pens lib 15, ad sanctos Joannem et Paulum f. g. p. ab. ad. S. archang. ampl basilicam, et fecit gr. et intr aq. ad sanctam Mariam construxit a fund Orat SS. Cosmi et Dam martyrum via T burtina mil 27, ab urbe Rom in fundum Paccinianu a (*M*, Pactinianum), rogatus ab Albino, et G. il. d pr. fac. construxit a fund basilicam beato Petro, et dedicavit. Item ad beatos P. et P. et ad sanctam Laurentium pauper hab c. Fecit quoque ad beatum Petrum 20, c. arg p. s. *linea* 12, et arcus 22 argenteos, pens s. l. 20. Hic reperavit (*M.* reparavit). *linea* 13, cui ruina imm. Hic abs B. A. quæ in ruina erat.

Num 81, *lin.* 1, ut omni dominica die, vel n. m. hymno *Gloria in excelsis Deo* dic. *Lin.* 4, pecuniis. *Lin.* 4, per lig. et med. *Lin.* 5, pecuniis red. *Lin.* 6, per mensem Decemb. presbyt. 92. *Lin.* 8, 117. (M. 114,) qui etiam confessor in pace quievit, et sepult. et in basil. beati Petri XIV cal. Aug. et c.
B episc. d. 7.

Ex codice Thuano altero.

Num. 76, *lin.* 1, natione Sardus. *lin.* 1, mens. 7, d. 27. *lin.* 2, Augusti a die Kal. Augusti. Hic sub intentione, ut *lin.* 8, introissent Ravenn. *lin.* 10, quod tamen æquit. in Symmachum invenit cognitio ver.

Num 77, *linea* 2, in Nucerinam civit. *linea* 8, sedi apost. *linea* 8, Altinæ. *linea* 12, quare vivo episc. *linea* 13, redint.

Num 78, *linea* 4, in media civitate. *linea* 10, ut nulla c. s. d. u. n. clero in c. a.

Num 79, *linea* 1, ad B.P. ubi f. ciburium. *linea* 6, cum arcu, pens lib 30. Orat s. Sossi. *Linea* 18, fores in campo p.

Num 80, *linea* 2, tugurium; *linea* 8, Albino, *linea* 12, et arcus argenteos 22.

Num 81, *lin.* 5, pecuniis. *Lin* 8, 117. *Lin* 8,
C Apostoli 14. cal Aug et cess episc d. 7. q. e. i. p. e. q. depositus sub die 19 mensis Julii.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num 76 *linea* 1, *Codices Cass Flor Romualdus, Dens dedit legunt* * *Sardus. linea* 1, menses VII *Flor Cas Vat. linea* 8, * *Flor et Vat*, invenit. *linea* 9, *post verb.* Cognosc. * *Elor addit* favere. *linea* 10, *Idem*, tamen.

Num. 78, *linea* 1, Fausto. *Ad hunc Faustum exstat epistola Aviti Viennensis pro Symmacho papa tom. I Concil. Galliæ. linea* 8, *Flor*, et dignissimum Gordianum presbyterum.

Num 79, *linea* 2. *Loco verb.* in confess lib 20, *cod Flor.*, et confessionem ; *linea* 13, *dele* marmoribus ornavit, *quia redundat. linea* 20, *Flor et alii*, in fundo Laudario.

Num 80, *linea* 9, basilicam, *etc. Exstant vestigia hujus basilicæ uno milliario eis Vicovarum, vocantur*
D *que vulgo accolis* S. Pietro Viecchio.

Num. 81, *linea* 7, presbyteros 92; *ms. cod.*, 127. *Linea eadem*, episcopo 107, *ms*, 127. *Linea* 8, sep et in basil B. Petri apostoli; *ms. Flor addit*, XIV Kal Augusti.

Num 78, *linea* 6, cœdibus plagarum afflictæ vulnerabantur; *linea* 7 et 8, etiam multos sacerdotes occidit.

Num. 79. *Linea* 6, Oratorio sancti Apollinaris (?) argento in confessione pens lib xxx. Oratorio S. Sossii ex arg *linea* 9, Oratorio s. Crucis. *Linea* 14, cum quadriporticum ex opere marmoribus orn. *linea* 17, sub gradus in ara (*fortasse legendum* in area).

Num 80, *linea* 13, beatæ Agnæ, quæ in ruina imm.

Num 81, lin 7 et 8, episcopos per diversa loca CXVII.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

Num 76, linea 1. — *Symmachus.* Post interregnum quatuor dierum anno Christi 498, qui est Anastasii defuncti ultimus, paucorum votis Laurentius Romanus, plurimorum vero suffragiis Symmachus ex diacono pontifex est electus. Cura et studio Festi Senatoris, qui se Romanum pontificem ad subscribendum Zenonis Henotico inducturum imperatori promiserat, procuratum fuit, ut cum schismate universæ Ecclesiæ eligeretur Laurentius, quem impiis postulatis acquieturum præsciebat. Additæ sunt vires Laurentiano schismati, quod fautorem ac promotorem haberet Paschasium, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum, virum doctrina et sanctitate præstantissimum, de quo S. Gregorius lib. IV Dial., cap. 4, refert quod Germanus episcopus consilio medicorum pro salute corporis Angulanas Thermas ingressus, prædictum Paschasium in caloribus stantem invenerit; quodque ille quæsitus quid ibi ageret, responderit: « Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii contra Symmachum sensi. Sed quæso te pro me Dominum deprecare; atque in hoc cognosces quod exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, et post paucos dies rediit; sed jam dictum Paschasium in loco eodem minime invenit. »

Linea ead. *Sedit annos quindecim, menses octo, dies viginti sex.* Annis quindecim, mensibus octo minus quatuor diebus sedisse a consulatu Paulini et Scythæ ad M. Aurelium Cassiodorum consulem probat Baron. anno 514, n. 6.

Linea 2. — *Hic fuit temporibus Theodorici.* Ab anno Theodorici in Italia regnantis septimo usque ad duodecimum. Ab anno Anastasii in Oriente nono usque ad vigesimum quartum.

Linea 6. — *Et facta contentione hoc constituerunt partes.* Importuna et malesuada necessitas, legum nescia, hæc contra leges et canones fieri postulavit.

BINII ET LABBEI.

Num. 77, linea 1. — *Eodem tempore papa Symmachus congregavit synodum.* Romanam primam, qua ab omnibus qui interfuerunt episcopis cognitus, et approbatus est Romanus pontifex.

Linea 8. — *Ut visitatorem daret rex sedi apostolicæ.* Qui accusationes Symmacho objectas cognosceret. Cum enim schismatis auctores de illegitima electione Symmacho nihil negotii facere possent, ad calumnias et mendacia conversi, in eumdem maxima crimina confixerunt, missoque ad ipsum regem accusationis suæ libello contra pontificem, a Theodorico Ariano rege petierunt visitatorem. Petro Altinensi episcopo illud muneris impositum fuit; petentibusque catholicis concilium annuit Theodoricus, atque præsentiam suam hactenus dilatam opportuno tempore Urbi civili bello periclitanti exhibere necessarium esse putavit. Baron. anno Christi 500.

Linea 10. — *A crimine falso.* Mirum est quod eum trium conciliorum acta synodalia reperiantur, in nullis ipsorum vel levis mentio habeatur de quo crimine pontifex accusatus fuerit. Unde habes, lector, quod discas, prudenter episcopos omnes illas infamiæ notas, quas adversarii Symmacho pontifici inurere conati sunt, profundo silentio sepultas, et oblivione deletas voluisse; omnique studio procurasse, ne quavis occasione labes aliqua summi totius Ecclesiæ sacerdotis publicis actis conscripta ad posteros dimanaret.

Num. 78, linea 1. — *Eodem tempore Festus caput senatus.* Ennodius libello suo declarat necatos in hoc schismate martyrii corona dignos fuisse, eosque confessionis gloria nobilitatos, qui aliquid ea de causa passi fuissent: secundum illam magni Dionysii Alexandrini sententiam apud Eusebium lib. IV histor. cap. 37, qua ait: « Oportebat omnia incommoda pati potius, quam Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. At illud martyrium quod quis patitur ne dirimatur Ecclesiæ confessio, non minus certe, sed multo plus, meo quidem judicio, habet commendationis, quam illud quod suscipitur ne idolis omnino immoletur. »

Linea 11. — *Post hæc omnia beatus Symmachus invenit Manichæos*, etc. Futilis ergo calumnia est Anastasii imperatoris, qua Symmachum de Manichæorum hæresi infamarat.

Num. 79, linea 1. — *Hic fecit basilicam S. Andreæ apostoli*, etc. Magna admiratione dignum est a Romano pontifice tanta præstari potuisse sub rege barbaro, sub quo Urbs ipsa quodammodo captiva teneri videbatur. Cum præsertim idem Symmachus pastorali munificentia in redimendis captivis, et alendis episcopis Africanis in Sardiniam relegatis non defuerit, sed abunde cuncta suppeditarit.

Num. 81, linea 4. — *Hic captivos per Liguriam redemit*, etc. Non pecunia regis Theodorici, sed Romanæ Ecclesiæ eleemosynis. Baronius anno 496, num. 56.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

De exordio pontificatus Symmachi referendo ad annum 498, triduo post obitum Anastasii, Joanne (Scytha) consule Orientali, et Paulino Occidentali, documenta sunt apertissima. Acta enim synodi Romanæ ipso præsidente congregatæ in basilica Vaticana ita signantur: « Post consulatum Paulini viri clarissimi Kalendis Martii (nota est anni 499) in basilica beati Petri apostoli, synodo præsidente beatissimo papa Symmacho, Fulgentius archidiaconus dixit. » Præterea eodem anni charactere, hoc est post consulatum Paulini subscribuntur epistolæ Symmachi duæ, prima scilicet data III Kal. Octobris, et secunda III Kal. Novembris. Tertia pariter in editione Binii signata XVIII Kal. Novembris licet consulari nota non distinguatur; cum tamen numeret indictionem octavam, quæ cœperat eodem anno 499, ex mense Septembri ostendit, Symmachum iniisse pontificiam dignitatem anno 498. Sedes illi tribuitur apud Bibliothecarium annorum quindecim, mensium septem, dierum viginti quinque; et in codicibus Cassinensi, et Vaticano, quibus catalogus septimus Colbertinus omnino consentit; Bergomas vero et Colbertini tres diem unicam superaddunt, alii biduum. Sunt etiam qui numero mensium unitatem adjiciant tum ex codicibus Anastasianis, tum ex catalogis. Verum lis dirimitur ex die depositionis expressa in codicibus Freheri, Regio, Mazzarino, et Thuano XIV Kal. Augusti, et in Thuano altero signato XIX Julii, quod idem est. Quare cum Anastasius II vita cesserit die 17 vel 18 Novembris anni 498, et quatriduo post electus, sive etiam ordinatus fuerit Symmachus (nam littera Dominicalis ejus anni D indicat diem Dominicam 22 Novembris), consequitur ut numeratis annis quindecim, mensibus septem, diebus viginti septem ab eo termino, hæc summa signet ipsam diem 19 Julii anni 514 Senatore consule, terminum pontificatus, et mortalis vitæ B. Symmachi, ita etiam expressam in fragmento vetustissimi codicis archivi canonicalis sanctæ Veronensis Ecclesiæ, de quo infra. Eamdem diem obtinet illius memoria in martyrologio Romano, et in officiis patriarchalium Urbis basilicarum, nostra tantummodo Liberiana ad diem proximam transferente ob incursum festi S. Epaphræ comitis B. Pauli apostoli, in ara principe cum S. Mathia consepulti. De hoc anno consulatus Cassiodori tribuendo Symmacho papæ superstiti usque ad diem 10 Julii, successori vero ejus Hormisdæ post electionem inde consecutam, dubitare nos minime sinunt epistolæ ab Annalium conditore productæ ad eumdem annum, nempe Symmachi papæ ad Cæsarium Arelatensem episcopum data III Idus Junii Senatore V. C. consule, et Anastasii Augusti ad Hormisdam, quem nominat

Digitized by Google

sanctissimum ac religiosissimum archiepiscopum et patriarcham, signata quinto Kal. Januarias Senatore V. C. consule.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 77, linea 5. — *Accusantes B. Symmachum.* Impudens accusationum libellus a factione schismaticorum contextus qualis fuerit, cognosci potest ex maledictis inde relatis in fragmentum assutum vetusto codici archivi Veronensis, supra indicato in notis ad Anastasii secundi Vitam, num. 75.

Num. 78, linea 11. — *Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat.* Duo Fausti exconsules superesse poterant sub pontificatu Symmachi, nempe is qui consulatum gesserat solus anno 483, quo vita cessit B. Simplicius, et Faustus Junior qui collega Longino signaverat annum 490. Vide chronologiam nostram in Prolegomenis ad annos indicatos.

Linea 14. — *A consulatu Paulini usque ad consulatum Senatoris.* Consulatus Paulini pariatur cum æra Cristi communis anno 498, collega Joanne Scytha; Senatoris vero sine collega cum anno 514, quo consignatur postrema Symmachi epistola m Idus Junii et prima imperatoris Anastasii ad Hormisdam Symmachi successorem v Kal. Januarias data, ut supra diximus in notis chronologicis.

Num. 79, linea 1. — *Hic fecit basilicam S. Andreæ apostoli apud beatum Petrum.* Martinellus in sua *Roma sacra*, pag. 341, indicat locum hujus oratorii quod nomine basilicæ liberaliter donat Bibliothecarius.

« S. Andreæ, inquit, in *Vaticano*, templum excitatum a Symmacho papa anno 498. Eidem ambonem fecit Joannes VI, tectum et cameram Gregorius III. Dona contulerunt Stephanus III et IV, Adrianus I, Leo III et IV, ut Bibliothecarius. Idem vocatur oratorium ab eodem : « Leo Quartus fecit in oratorio beati Andreæ apostoli, quod sancti Petri cohæret ecclesiæ, vestem, » etc. Hodie esse sacrarium basilicæ Vaticanæ scribit Jacobus Grimaldus. »

Linea 6. — *Oratorium sancti Apollinaris.* Idem Martinellus, fol. 342, scribit hoc oratorium vocari *ad Palmata* in porticu B. Petri ab ipso Bibliothecario in Honorio I : « Fecit basilicam Apollinaris mart. in urbe Roma in porticu beati Petri apostoli, quæ appellatur ad Palmata (alius codex legit Palmaria) a solo ubi dona multa largitus est. » Et infra : « Litania exeat a B. Appollinare ad B. Petrum apostolum. » De ea scripsit Grimaldus. Ecclesia S. Apollinaris ad Palmata in porticu beati Petri. Sic Bibliothecarius in Honorio I : Fecit basilicam beati Apostoli, quæ appellatur ad Palmata (alius codex legit Palmaria), a solo [illegible] multa largitus est. Et infra : [illegible] exeat a [illegible]are ad B. Petrum apostolo[illegible] Grimald. « Ecclesia S. Apol[illegible] ædificata, erat in loco, ubi nunc [illegible]um pluribus domibus pertinentibus ad [illegible]um S. Petri juxta scalas basilicæ, quæ domus insulam faciunt ante forum; ab uno latere, vicus tendens ad S. Officium; ab alia via tendens ad portam Turrionis; retro via publica sancti Spiritus. Ab ista ecclesia, inquit Anastasius, Honorii decreto singulis Sabbatis litania ad basilicam sancti Petri exibat, et dicebatur ad Palmata, retinens antiquum nomen circi ob victores palmatos in circi ludis, donis ibi honestatos. Nam circi finis vel caput ibi erat ex quodam quadratis lapidibus fabrefacto, qui in semicirculum vertebatur. Anno 1616, dum scalæ S. Petri amoverentur, apparuerunt muri antiqui reticulati crassi, qui videbantur fuisse e ruinis turrium circi : ibi repertus fuit æreus nummus Agrippinæ Aug. Dum fundaretur hæc altera Vaticani templi pars sub Paulo V, inspectum est circi longitudinem fuisse palm. 720, Romanorum latitudinem 400. Area, ubi ludi edebantur, lata p. 250 incipiebat ab infimis gradibus basilicæ; desinebat ubi nunc est ecclesia S. Marthæ retro absidam ad occasum. Obeliscus erat in medio, qui locus nunc est retro sacellum chori. Extremus basilicæ paries duplex columnatum sanctissimi crucifixi, et sancti Andreæ fundatum erat supra tres magnos parietes circi Caii et Neronis supradicti : similis erat circo Caracallæ, qui hodie pro majore parte exstat; aliis utrinque parietibus cinctus erat, ternis ab una parte super quibus exstabant dictæ naves crucifixi, et sancti Andreæ, et ternis ab altera, ubi nunc est cœmeterium Campi sancti, qui se in longum trahentes lateritii sustinebant olim arcuatos fornices in quibus sedilia exstabant pro spectatoribus. Inter utrumque parietem spatium latum p. 42, semis erat. A capite ad pedes nullum impedimentum, sed tanquam ambulationes, et curritoria e ruinis ipsis conspiciebantur. Horum parietum postremum in circum respicientem, dum terra fundamenti chori egereretur, mensurandum curavi. Altus erat paries ipse ab area palmis 31 semis : latus p. 14, fundatus p. 30. Antiquæ Vatic. basil. a Constantino Max. fabrefactæ facies anterior. Apsis et muri extremi, ac illi super columnis surgentes, qui tecta gravi pondere sustinebant e laterum tophorumque fragmentis, circo adjacentibusque ædificiis eversis, celeri opera, rudique arte ædificati fuerunt. Basilicam ipsam brevi tempore a Constantino acceleratam fuisse fides oculis testabatur. Capitella partim absoluta, partim imperfecta : bases multæ columnis absimiles : fenestræ arcuatæ, lateritiæ primum, postea germanico opere marmoreæ effictæ. Limina ex magnis marmoribus, quæ ablata esse ex circi, vel alterius ædificii ruinis pars inferior terra obruta indicabat, cum sub uno ex his modice arcuato rosæ sculptæ erant, in altero litteræ legebantur CUM SPECULATOR, quas judicatum est, arcum seu locum speculatorium ipsius forsitan circi significasse. Hæc de circo. Ecclesia S. Apollinaris dicebatur in porticu, nam porticus ducens ad basilicam S. Petri incipiebat ab ecclesia sanctæ M. Transpontinæ, ad præfatam ecclesiam S. Apollinaris desinebat. »

Linea 8. — *Item ad fontem in basilica beati Petri apostoli oratorium sanctæ crucis ex argento confessionem*, etc. De hoc pariter oratorio ita scribit Martinellus pag. 353 sanctæ crucis oratorium ad *fontem sancti Petri* fuisse altare seu capellam non est ambigendum. Idem Biblioth. in Symmacho. At in Leone III vocat oratorium et monasterium Jerusalem. In Leone IV vocat monasterium venerabile Jerusalem juxta ecclesiam beati Petri Grimaldi; inquit: « Erat ad septentrionem quæ sub Alexandro III dicebatur S. Vincentius. Ista ecclesia ann. 1611 excisa novi gratia templi, ad cellæ vinariæ usum jamdudum traducta, ætatis vetustate licet angustas habebat, ostium ad ortum solis ex quibus decem et octo columnæ integræ marmoris glareati 20 fere palm. receptæ fuerunt. »

Linea 22. — *Fecit basilicam S. Pancratii.* De hac pariter legendus idem Martinellus pag. 265, qui et primam fundationem sub Symmacho, et posteriores reparationes sub Honorio I, Adriano I aliisque prosequitur; et post illum Carolus Piazza in sua Hierarchia cardinalitia. Uterque memorat, in eadem ecclesia anno 1204, die 21 Novembris a Petro Portuensi episcopo inunctum fuisse Petrum II Aragoniæ regem et pontificis Innocentii Tertii manu coronatum : qui subinde perductus ad basilicam Vaticanam ibique ab eodem pontifice armatus ad fidei catholicæ defensionem, juramentum præstitit fidelitatis relatum a Ciaconio in Vita memorati Innocentii. Subest ecclesiæ sancti Pancratii antiquissimum cœmeterium Calepodii dictum, pluribus in locis supra indicatum, ut in Vita Sancti Callisti et S. Julii.

Num. 80, linea 1. — *Basilicam sanctorum Silvestri et Martini*, ubi titulus Equitii sub Sylvestro funda-

Digitized by Google

tus, ibi nova fundatione Symmachi amplificatam ecclesiam indicat Bibliothecarius. Ejusdem ætatis picturæ in subterranea illius tituli parte hodie supersunt, quemadmodum observat Martinellus pag. 256. In cryptis primis dextrorsum ad ingressum sitis visuntur sacræ imagines Christi Domini considentis inter apostolos Petrum et Paulum, et martyres processum, ac Martinianum, et in pariete adverso imagines sanctarum virginum. Supersunt nomina SCVS PAVLVS SCS PROCESSVS SCA AGNES.

Linea 6. — *Item ad sanctam Mariam oratorium sanctorum Cosmæ et Damiani.* De hoc eodem in Leone Tertio loquitur num. 405, uti monet sæpe laudatus Martinellus, cum ait : In monasterio SS. Cosmæ et Damiani, *quod ponitur juxta Præsepe, fecit canistrum ex argento*, etc. Addit Martinellus, hoc oratorium deinde cognomentum sumpsisse a S. Luca patrono pictoriæ artis, donec sub Sixto V diueretur. Situm enuntiatur a Panvinio in Clivi Exquilini ædificiis. Paulus de Angelis lib. v, cap. 2 de basilica Liberiana, sacellum fuisse putat in eadem basilica erectum, sed jejune admodum de illo loquitur; cum indicet hunc tantum locum Bibliothecarii, præterito altero testimonio, quod in Leone Tertio ex num. 405 scite protulit Martinellus. Cui narranti ædiculam fuisse proximam basilicæ sub Sixto V dirutam suffragatur Octavius Pancirolius in Hist. ecclesiæ S. Martinæ, ad quam Pictorum societas translata fuit; ita scribens : Contigit anno 1588 ut Sixtus papa V Urbem ornaturus splendidis ædificiis æquaverit solo ecclesiam S. Lucæ proximam basilicæ S. Mariæ Majoris, quæ Pictorum collegio erat attributa, eique collegio contulerit loco prioris disjectæ hanc ædem sanctæ Martinæ, cui eadem societas sancti evangelistæ patroni sui titulum curavit reddi communem.

Num. 81, linea 1. — *Hic constituit ut omni die Dominico, vel natalitiis martyrum hymnus diceretur angelicus.* Card. Bona rerum Liturg. lib II, cap. 4, n. 4 et 5, ostendit hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo* esse antiquiorem Symmacho ; cum beatus Athanasius in libro de Virginitate versus finem illum verbatim referat. Legitur Græce scriptus quarto Christi sæculo in codice Alexandrino quod Theclæ nuncupant, una cum symbolo ejusdem Athanasii in bibliotheca regia Londinensi. Quare tam card. Bona, quam recentiores scriptores de rebus liturgicis originem primam concinendi evangelica verba hujus hymni in die Nativitatis Dominicæ tribuunt Telesphoro, reliquum autem contextum hymni referunt cum quarto concilio Toletano *ad ecclesiasticos doctores* quarti circiter sæculi Hilarium ex Latinis, Athanasium ex Græcis. Illius vero integre decantandi ritum attribuunt decretis Symmachi diebus tantum Dominicis, et in martyrum natalitiis, Stephano autem Quarto acceptum referunt ex Anastasio num. 284 « ut omni die Dominico a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant missarum solemnia super altare beati Petri celebraretur, et *Gloria in excelsis* diceretur, » quia scilicet a Symmacho fuerat uni episcopo id reservatum, non secus ac pacis annuntiandæ ritus in prima populi salutatione per verba *Pax vobis*. Vide Card Bona loco indicato.

Linea 3. — *Hic omni anno per Africam vel Sardiniam ad episcopos qui exsilio erant retrusi*, etc. Totidem ferme verbis Chronicon vetus, opus sexti sæculi, a R. P. Ruinart editum hist. Vandalicæ parte I, fol. 115, de Symmacho papa refert, « Omni anno per Africam vel Sardiniam episcop.s, qui in exsilio erant, pecunias et vestes ministrabat. » Cur autem, et quomodo relegati fuissent in persecutione Genserici, et successorum regum partim in Africam, partim in Corsicam, et Sardiniam episcopi confessores, ob catholicam fidem strenue et constanter assertam, docet Victor episcopus Vitensis in Hist. persec. Vandalicæ lib. IV, n. 4, apud eumdem Ruinartium pag. 71. Chronicon indicatum numerat plusquam trecentos triginta episcopos catholicos in exsilium pulsos ab Hunnerico : et ducentos viginti a Transamundo in Sardiniam relegatos pag. 115, proxime ante pontificatum Symmachi. Illorum nomina singillatim recenset vetus catalogus ibidem impressus fol. 123. Sub Symmacho papa fervebat in Africa persecutio Transamundi regis. Quare, ut observat Ruinartius, idem pontifex « accepto tam sævæ adversus Ecclesiam catholicam tempestatis nuntio, sui esse muneris ratus confirmare fratres suos in tribulationibus et ærumnis positos, egregiam ad eos epistolam conscripsit, » quam ex Ennodio lib. II, epist 14, describit pag. 579, addens pag. 582 ea quæ sequuntur. « At vero Symmachus pontifex, cujus epistolam consolatoriam supra retulimus, non voce solummodo aut calamo Christi confessoribus, sed re etiam et opere opem tulit. Exempla nempe præcessorum suorum secutus, sanctorum Christi confessorum passionibus communicabat, eis, quæ ad victum aut vestitum necessaria erant, suppeditando. « Hic, inquit Anastasius, omni anno per Africam vel Sardiniam episcopis, qui in exsilio erant retrusi, pecunias et vestes ministrabat. » Quæ eadem verba habentur in brevi Chronico, quod ad calcem Victoris Vitensis supra edidimus pag. 112. Habemus et tertium hujus rei testem, auctorem nempe Vitæ sancti Aviti Viennensis episcopi, quam e veteri manuscripto codice eruit eruditus vir Philippus Labbeus tomo I Bibliothecæ novæ pag. 693, ubi hæc leguntur : « Hujus (beati Aviti) temporibus gravissima persecutio Vandalorum, cæterarumque gentium in Africa excanduit, et Symmachus pontifex per Africam et Sardiniam episcopis, qui in exsilio erant, quingentis quinquaginta pecunias et vestes ministravit. Eisdem beatum Symmachum quotidiana subsidia ministrare non destitisse, » scribit auctor historiæ miscellæ sub nomine Pauli Diaconi lib XVII. » Omitto Adonem in Chronico, Hermannum contractum, aliosque ævi posterioris scriptores, qui antiquos exscripsere.

CIACONII.

Num. — 76, lin 3. *Hic sub contentione ordinatus est uno die cum Laurentio.* Faustus namque legatus Anastasii imperatoris, ut præstaret quod clanculum imperatori pollicitus fuerat, suadere Romano pontifici ut subscriberet Zenonis Henotico, seu concordiæ cum Romam venisset, et Anastasium episcopum mortuum reperisset, et de hoc agendo cum Anastasio jamjam defuncto spes omnino intercidisset, operam dedit, ut successor crearetur, qui ad id præstandum suaderi facile posset, et ejus votis annueret. Multis pecunia corruptis, id perfecit, ut præter consuetudinem episcopus quidam eligeretur Romanus natione, nomine Laurentius.

Num. 79, linea 1. — *Hic fecit basilicam S. Andreæ*, etc. Admiratione plane dignum tanta potuisse præstari a Romano pontifice sub barbaro rege, sub quo Urbs ipsa quodammodo videbatur teneri captiva, præsertim cum idem Symmachus pastorali munificentia, in redimendis captivis, et alendis ducentis et viginti episcopis Africanis in Sardinia relegatis a Trasamundo Wandalorum rege, non defuerit, sed abunde cuncta suppeditarit.

SOMMIER.

Num. 76, linea 3. — *Hic sub contentione*, etc. Theodoricus Ostrogothorum rex, qui, profligato ac cæso Odoacre Herulorum rege, Italiam redegerat in suam potestatem, administro utebatur apud aulam Orientalis imperii senatore Romano, cui nomen erat Festus. Hic ut gratiam captaret imperatoris Anastasii, promiserat se effecturum ut Zenonis Henoticon a Romano pontifice reciperetur, et subscriberetur. Redux ex itinere Constantinopolitano in Urbem reperit sedem Romanam pastore viduatam. Hanc ille occasionem præ cæteris opportunam duxit perficiendi ea quæ in se receperat. « Multis igitur pecu-

Digitized by Google

nia corruptis (uti scribit Theodorus Lector lib. II collectan., de quo videndus etiam Niceph. lib. XVI, cap. 36) « id perfecit, ut præter consuetudinem episcopus quidam eligeretur Romanus natione Laurentius. Ordinantur itaque duo : a pluribus quidem ex diacono ordinatur Symmachus, ab aliis vero Laurentius. Quorum gratia Romæ cædes, rapinæ, et alia innumera mala perpetrantur. »

Necessitas impulit utrumque competitorem ad regulas transiliendas, et hujus negotii judicium deferendum suasit ac regem, eumque Arianum; licet requireret causæ natura, ut in concilio pertractaretur. Uterque igitur contendit Ravennam, ubi Theodoricus sedem sui regni statuerat : coram quo productis juribus, æquitatis sententia emanavit, ut ille sederet episcopus, qui fuisset prior ordinatus, aut pluribus suffragiis electus. Quæ cum de Symmacho invenirentur, ipse factus est præsul.

Exordium sui regiminis Symmachus duxit a congregatione concilii, cui ipse præsedit : in quo rogatus ab universis Patribus, ut quæ ad ecclesiasticas libertates, ac totius Ecclesiæ pacem et concordiam pertinerent dignaretur ordinare, ita respondit :

« Concilium dilectionis vestræ, neglecta hyemis asperitate sollicitudo nostra pro ecclesiastica indemnitate specialiter congregavit, ut episcopalem ambitum, et confusionis incertum, vel popularem tumultum, quem per subreptionem diaboli usurpatione aliquorum tempore ordinationis meæ constat exortum, communicato pariter tractatu in futurum possimus robuste ac vivaciter amputare... sancientes quid circa Romani episcopi ordinationem debeat custodiri. » Synod. Rom. I sub Symm. Hæc igitur in concilio decreta sunt :

« 1° Ut si quis, papa superstite, pro Romano pontificatu cuique quolibet modo favorem præstare convincitur, loci sui ordine privetur. 2° Si in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus. Si autem studia cœperint esse diversa eorum de quibus certamen emerserit, vincat plurimorum sententia. 3° Si quis ad ecclesiasticam pertulerint notitiam consilia eorum, qui contra hanc synodum de pontificali egerint ambitu, et rationabili probatione convicerit, particeps actionis hujusmodi non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione, quæ non indigna sit, sublevetur. Cælius Symmachus episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ, his synodalibus constitutis a me probatis atque firmatis consentiens subscripsi. Consensi synodalibus constitutis, atque in hac profiteor me manere sententia. Cælius archipresbyter tituli sanctæ Praxedis, his subscripsi, et consensi, » etc.

Num. 77, lin 2. — *Post annos vero quatuor*, etc. Nonnulli ex cleri[illegible] aliquot ex senatu, præ cæteris autem Festus [illegible]us accusarunt Symmachum, co[illegible]is de [illegible]pus, et clanculum accito Lau[illegible]schisn[illegible]varunt. Festi ac Probini astus eo [illegible]us est, [illegible]t impetraverint a rege Theodorico dari visit[illegible]em sedis apostolicæ, seu commissarium ad hæc in actis redigenda Petrum Altini episcopum, qui Laurentio intruso favebat. *Hic vero faciens de sacerdotis voto regis imperium* uti Ennodius scribit in libello pro Symmacho, schismaticis ita aperte adhæsit, ut auxerit turbas.

Symmachus, convocata synodo centum quindecim episcoporum, providendum esse duxit unitati ac libertati Ecclesiæ a schismaticis adeo impudenter violatæ. Præmissa igitur in synodo voluntaria purgatione criminum quæ sibi objiciebantur, damnationis sententiam protulit contra apostolicæ sedis invasorem Laurentium Nucerinum, et contra Petrum Altinensem ejusdem factionis administrum. Suam quidem auctoritatem interposuerat rex Theodoricus, ut synodus haberetur. Verum ab ipsis episcopis quos convocabat serio admonitus, uti leginus in actis synodi, convocandi concilii munus ad ipsum Symmachum pertinere (qui dicebatur impetitus) neque antistitem Petri sedis subjacere minorum judicio, de his, inquam, admonitus, respondit, *ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse.* In prima autem sessione *sanctus papa Symmachus auctoritatem ordinis corrigendi se dare professus est*, ea tamen lege, ut ante omnia visitator seu commissarius regius extra concilium ageretur, donec Symmachus tanti loci præsul, statui pristino redditus, permitteret ista tractari, non ante veniret ad causam : quod omnino justum Patribus visum fuit.

Novis autem difficultatibus ad Theodoricum perlatis rex significavit : « In synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere, ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quo[illegible]is [illegible]tarent magis utile deliberarent, dummodo [illegible] provisione concilii pax in civitate Roman[illegible]anis omnibus redderetur. »

Concilii Patres cum intelligerent, « Non esse ovium lupi insidias prævidere, sed pastoris... cœlesti inspiratione perpensis omnibus quæ in causa erant secretis, decreverunt : Ut Symmachus papa sedis apostolicæ præsul ab hujusmodi propositionibus impetitus quantum ad homines respicit (quia causis obsistentibus superius designatis constat arbitrio divino fuisse dimissum) sit immunis, et liber, et Christianæ plebi sine aliqua de objectis oblatione in omnibus ecclesiis suis ad jus sedis suæ pertinentibus tradat divina mysteria; quia eum ob impugnatorum suorum impetitionem ob superius designatas causas obligari non potuisse cognovimus... totamque causam Dei judicio reservantes, universos hortamur, ut sacram communionem, sicut res postulat, ab ipso percipiant, et Dei, et animarum suarum memineriint. » In synod. Rom. sub Symm.

Idem Patres in epistola synodica ad Theodoricum regem declarant : « Nova est res pontificem sedis ipsius (Romanæ) apud nos audiri : nullum constat exemplum. » Ad calcem ejusdem synodicæ.

Spiritus schismatis, cujus character est, non secus ac hæreseos, obstinatio et superbia, libellum edidit, cui titulus fuit : *Adversus synodum absolutionis incongruæ*. In isto arguebantur Patres, quod inter cætera declarassent, non pertinere ad sæculares potestates jus convocandi concilii, sed tantummodo ad pontificiam; necnon quod pronuntiassent Romanum pontificem non subjacere judicio aliorum episcoporum, ut pote ipsi inferiorum; cum schismatici contenderent, idem esse hujusmodi privilegium asserere a Christo Domino collatum Petro ejusque successoribus, ac dicere impune peccandi facultatem ipsis divinitus attributam.

Convocata iterum synodus deputavit Ennodium ad hujus libelli commenta refutanda : quod ille præstitit in suo Apologetico. Docet in illo, auctoritatem convocandi concilii « prærogativam esse sanctæ Sedi divinitus ascriptam... An forte aliud putatis fuisse quod dictum est, ipsum debuisse synodum convocare, cujus opus erat officio, ut vos videlicet per pontificale examen divina sententia percelleret, quos a capitis sui compage in salutis detrimento insanus furor abscinderat... Dico latorem juris diffinitionis suæ, nisi velit, terminis non includi... Aliorum forte hominum causas Deus voluit homines terminare; sed sedis illius præsulis suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores curio tantum debere innocentiam, et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris sua reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipsorum factorum utitur eo teste, quo Judice » etc. *Ibid.*

D. Dupin nunquam non intentus occasionibus de rogandi privilegiis ac juribus Romanæ sedis, Ennodium

Digitized by Google

dii dicta recenset inter paradoxa, quando scilicet Ennodius videtur asserere, aut sanctum esse aut sanctum illico reddi virum ex quo ad Romani pontificatus apicem promovetur : contestans, non alia uti ratione Ennodium ad eximendum Romanum pontificem a jurisdictione concilii, quam assertum illud prorsus incapax patrocinii.

Verum, quidquid asserat neotericus iste criticus, ita promptum est recognoscere impeccabilitatem, ut vocant, ab Ennodio nequaquam attribui Romanis pontificibus, ac paratum est verba ejusdem per nos indicata perpendere. Annon affirmat prorsus contrarium, quando scribit non esse liberos a formidine eos qui elevantur ad hujusmodi supremum Ecclesiæ militantis fastigium ex eo quod uni Deo reservatum sit illorum examen ? Reverendissimus episcopus Fleury melius judicat de Ennodii pronuntiatis, quando observat, plerosque Romanos pontifices, qui ad ejus ætatem usque numerabantur adeo innocenter ac sancte vixisse, ut locum ejusmodi cogitationi vix erentur posse tribuere.

Longius etiam a veritate digreditur, quando ait unicum Ennodii medium excogitatum ad liberandos pontifices a jurisdictione concilii esse indicatam impeccabilitatem. At Ennodius aperte dicit legislatorem, licet legi a se latæ non sit subjectus, habere tamen legem internam probitatis ac mentis, quæ viventem sine lege castiget. Addit quoque, reservatum sibi a Deo fuisse judicium Romani pontificis ; licet eumdem nolit more cæterorum hominum ab homine judicari.

Denique concilium ipsum, quod apologiæ illius conscribendæ munus Ennodio demandaverat, eidem scripto approbationem ita plenam attribuit, ut eadem firmitate roboret, qua gesta synodalia munivit : « Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ et quintæ synodorum nostrarum actiones interponatur, et ita sicut harum synodorum decreta habeatur, quia in synodali auctoritate conscriptus est, et roboratus. » Synod. Rom. v sub Symm.

Jam declaratum fuerat in concilio præcedenti (nempe III sub Symm.) principatum S. Petri, legem Domini, et conciliorum auctoritatem Romanæ ejus sedi potestatem singularem attribuisse supra omnes Ecclesias, nec antedictæ sedis antistitem minorum subjacuisse judicio, et idcirco Dei tantum judicio illius causas reservari, neque in concilio teneri adversariorum accusationibus respondere. Suppetebant igitur causæ complures, præter impeccabilitatis assertam Ennodii opinionem quæ producerentur, imo quæ productæ fuerunt, et leguntur in gestis concilii ad asserendam Romani pontificis exemptionem a judicio concilii.

Ad hæc Avitus Viennensis in illa epistola ad Faustum et Symmachum senatores Urbis, quam nomine omnium per Gallias episcoporum perscripsit, asserit, hujusmodi concilii agendi modum fuisse plurimum improbandum ; si Patres, loco solatii principi sacerdotum præstandi, judicium intentassent. « Intelligimus, inquit, sanctum Symmachum papam, si sæculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius, quam recipere debuisse judicium... Non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Quod synodus ipsa prospiciens causam, quam pene temere susceperat, inquirendam divino potius servavit examini... In sacerdotibus cæteris potest, si quid forte nutaverit, reformari : at si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus videbitur, non episcopus vacillare. Reddet rationem qui ovili Dominico præest : cæterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis. »

Num. 78, linea 12. — *Invenit Manichæos*, etc., *quorum omnia simulacra, vel codices auctores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit.* Notæ ex cap. 1t. Exaltatio Symmachi ad Romanam sedem nullatenus accepta fuit Anastasio imperatori. Festus promiserat eidem principi sese effecturum, ut Zenonis Henoticum a Romano pontifice subsignaretur : quæ spes sublata jam fuerat, cum artes et conatus Festi pro antipapa Laurentio incassum cessissent. Noluit igitur Anastasius ad Symmachum papam super ejus assumptione ad Petri sedem litteras dare, quod erat in more positum apud Christianos principes. Nec tamen destitit Symmachus ad eumdem Augustum perscribere. Quin imo eadem occasione utendum ratus est ad revocandum principem ad saniora consilia, removendumque a protectione et communione hæreticorum.

Imperator non modo pastoris vocem pronis auribus non excepit, neque illi obtemperavit, sed acrioribus stimulis ad impietatem excitatus in omnes imperii provincias militarem manum direxit, ut ubique catholici cogerentur cum hæreticis communicare. Attendens igitur Symmachus papa gesta principis in deterius quotidie prolapsi, seque omnino dedentis excommunicatis qui se devoverant memoriæ Acacii, atque hostibus sacri concilii Chalcedonensis, ad ipsius excommunicationem processit, urgente etiam Romano senatu. Id vero mirum in modum incendit animum principis, adeo ut scripto contra pontificem edito eumdem infamare conatus sit omnium criminum imputatione. Quam laudabiliter ex evangelicæ perfectionis præscripto responderit pontifex, argui potest ex spicilegio quod subdimus dictorum apostolico viro dignorum, quorum messem epistola cum contineat, hæc pauca inde libamus.

« Ego quidem, inquit, Dominicis et apostolicis eruditionibus institutus benedictionem studeo tuis, imperator, referre maledictis, contumeliis honorificentiam reddere, et odiis redhibere charitatem. Vide, quæso, ne ab eo qui ait, *Mihi vindicta, et ego retribuam*, quantum a me dimittitur, tantum a te cumulatius exigatur... contumeliis igitur, imperator, quas in meam proferendum putas esse personam, utinam quam mihi gloriosæ sunt, ita te gravare non possent ! Domino meo dictum est a quibusdam : Dæmonium habes, orator, de fornicatione natus. Et putas quia ego debeam mihi dolere... An quia imperator es, nullum Dei putas judicium? Taceo quod imperatorem accusatorem esse non convenit... Dicis esse me Manichæum. Nunquid Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum suffragatur errori?» Symm. PP. adv. Anast. imp. apolog. seu epist. VI.

« Me quidem ista non sauciant : sed te palam, aperteque demonstrant meum cogitasse honorem repellere, quem interventu suo B. Petrus imposuit. An quia imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, B. Petrum apostolum in suo qualicu[illegible]cario calcare contendis? Conferamus autem [illegible] imperatoris cum honore pontificis : inter [illegible] distat, quantum ille rerum humanarum [illegible] gerit[illegible] divinarum... Fortasse dicturus es [illegible]criptum esse, omni potestati subditos nos esse debere. Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Cæterum si omnis potestas a Deo est ; magis ergo quæ rebus est præstitura divinis... Dicis quod, mecum conspirante senatu, excommunicaverim te. Ista quidem ego, sed rationabiliter factum a decessoribus meis sine dubio subsequor. » (*Ibid.*)

« Te rerum humanarum princeps, qualiscunque sedis apostolicæ vicarius contestari mea voce non desino, ut te memineris hominem, quantalibet sis mundi potestate subnixus : circumspiciasque cunctos, qui ab initio dogmatis Christi catholicam fidem diverso proposito persequi, vel affligere sunt conati, ipsi qui intulerint ista prævalendo defecerint; et orthodoxa veritas prævaluerit magis, quo putaretur oppressa, quæ sicut sub insecutoribus suis crevisse monstratur, sic obtrivisse cognoscitur insequentes...

Digitized by Google

Quid interest utrum paganus, aut, quod est deterius, sub nomine Christiano veram sinceramque traditionem apostolicæ regulæ conetur infringere, atque in hanc prorumpere cæcitatem, ut cum in illis regionibus cunctæ prorsus hæreses opiniones suas habeant publice licentiam profitendi, sola catholicæ communionis libertas putetur ab eis qui se religiosos existimant subruenda? Quæ si putatur error (quod non licet), cum cæteris quibus illic facultas est agere sinatur erroribus. Sin integritas æstimatur; sequenda potius fuerat, quam violenta persecutione vastanda. » (*Ibid.*)

« Sic recessit ab humanis mentibus Deus, ut obstinate contra ejus voluntatem non aspiciant : et post hujus vitæ cursum, illi se tremendo non defuturos examini, sub quo perniciosorum studia modis omnibus actionum discussa patefiant, et patefacta puniantur : nisi qui hæc omnino non credunt, quive illa se perpetrasse impune confidunt... Omnes catholici principes, sive cum imperii gubernacula susceperunt, sive cum apostolicæ sedi novos agnoverunt præsules institutos, ad eam protinus sua scripta miserunt, ut se docerent esse ejus consortes. Itaque qui hoc non fecerunt ab eadem seipsos profitentur alienos : quod chartis quoque tuis apud te etiam possimus astruere... non mirum, si in orthodoxos sæviant, quibus potest cum cunctis hæresibus convenire : et universis erroribus amici, non possint ni solis esse non errantibus inimici. » (*Ibid.*)

Linea 12. — *B. Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnium simulacra*, etc. Pontifex Symmachus ita erat alienus et expers criminis Manichæismi per calumniam illi imputati, ut historia Bibliothecarii memoret, Manichæorum codices et simulacra ante fores basilicæ Constantinianæ eodem jubente fuisse concremata, ipsosque Manichæos in exsilium pulsos.

ALTA TERRA.

Num. 77, linea 7. — *Festus et Probinus senatores miserunt relationem, et cœperunt agere ut visitatorem daret rex sedi apostolicæ. Tunc rex dedit Petrum Altinæ civitatis episcopum.* Instaurato schismate inter Symmachum et Laurentium, Petrus Altinus episcopus a Theodorico rege Gothorum visitator sedis apostolicæ datus, postulantibus duobus senatoribus contra canones. Idem narrat Sigebert. ad ann. Chr. 496 : « Aliqui Romanorum subornatis falsis testibus, incriminantes Symmachum papam, latenter Laurentium in papatum subintroduxerunt, pro quo schismate dirimendo, rex Theodoricus episcopum Petrum, contra canones visitatorem sedis apostolicæ instituit, id est ut pulso utroque sedem teneret. »

Num. 79. Linea 1. — *Hic fecit basilicam sancti Andreæ apostoli, apud beatum Petrum apostolum, ubi fecit ciborium ex argento, et confessionem pensantem libras centum et viginti.* Altari basilicæ imponitur ciborium, ut infr. eod. : « Intra civitatem Romanam basilicam sanctorum Silvestri et Martini a fundamento construxit, juxta Thermas Trajanas, ubi et super altare ciborium argenteum fecit pensantem libras centum et viginti. » Anastas. in Gregor. II : « Et altare a novo fecit, et ciborium argenteum quod fuerat ruina quassatum. » Leo Ostiens. lib. I Chron. Cass. cap. 20 : « Super altare autem S. Benedicti, argenteum illud auro et smaltis simul exornans. » Quod erat cooperculum argenteum quod imponebatur altari ornatus causa. Joannes Chrysostom. in Act. apostolor. cap. 19, in illa verba, « Faber argentarius qui faciebat delubra argentea : καὶ πᾶς ἔνι ναοὺς ἀργυροῦς γένεται, ἴσως ὡς κιβωρια μικρά; et quomodo possibile erat fieri delubra argentea, forte ædiculas et coopercula quæ ciboria vocant? » Eodem modo sepuleris apostolorum et martyrum imponebatur ciborium ut sepulcro apostolorum a Gregorio I impositum ciborium, quod sustineretur quatuor columnis argenteis. Anastas. in Gregorio : « Hic fecit beato Petro apostolo ciborium cum columnis suis quatuor ex argento puro. » Hujus meminit Gregor. Tur. de Mirac., martyr. lib. I, cap. 28, de basilica Petri : « Habet etiam quatuor columnas in altari, quæ sunt simul centum præter illas, quæ ciborium sepulcri sustentant. » Et inf. eod. : « Sunt ibi et columnæ miræ elegantiæ candore niveo quatuor numero quæ ciborium sepulcri sustinere dicuntur. » Sepulcro B. Agnetis martyris impositum ciborium ab Honorio. Anastas. in ejus Vit. : « Ornavit autem sepulcrum ejus ex argento, posuit et desuper ciborium æreum deauratum miræ magnitudinis. »

Fecit autem oratoria duo sancti Joannis Baptistæ, et sancti Joannis Evangelistæ : quæ cubicula omni a fundamento perfecta construxit. Cubiculum idem quod sacellum vel oratorium, ut hoc loco quæ prius dicta sunt oratoria, mox dicuntur cubicula. Anast. in Marcellino : « Hic sepultus est in cœmiterio Priscillæ, in cubiculo Claro, quod patet usque in hodiernum diem. » Idem in Leone III : « Cubicula vero juxta ecclesiam beati Petri apostolorum principis in meliorem statum erexit. » Inde cubicularii dicti clerici, qui ministrabant in prædictis oratoriis.

Gradus vero ante fores basilicæ beati Petri ampliavit. Ad basilicam Petri gradibus ascenditur. Ea est forma veterum ædium sacrarum, ut gradibus ad eas ascendatur. Anastas. infr. eod. de basilica B. Pauli : « Et ante fores basilicæ gradus fecit in atrio, et cantharum. » Idem in Stephano IV : « Quem ad gradus ecclesiæ beati Petri comprehendentes custodes Longobardorum ad suum deduxerunt regem. » Idem in Adriano : « Carolus rex omnes gradus sigillatim ejusdem sacratissimæ beati Petri Ecclesiæ deosculatus est, et ita usque ad prænominatum pervenit pontificem, ubi in atrio super gradus juxta fores ecclesiæ assistebat. » Ad templa etiam gradibus ascendebatur : Ammian. lib. XXIII : « Namque Kalendis ipsis Januariis ascendente eo gradile Genii templum. » M. Tull. ad Atticum ep. 1. « Cum venissem ad portam Capenam gradus templorum ab infima plebe completi erant. »

Linea 23. — *Eodem tempore fecit basilicam beati Pancratii, ubi et fecit arcum argenteum, qui pensabat libras quindecim.* Arcus argentei erant ornamenta ædium sacrarum, ut hic et infr. eod. « Arcus argenteos duodecim, qui pensabant singuli libras decem. » Et rursus : « Nam ad archangelum Michaelem basilicam ampliavit, et gradus fecit. Basilica S. Pancratii fuit titulus cardinalis episcopi Albanensis. » Anastas. infr. in Leone III. Prioratus S Pancratii de Lewes in Anglia est unus e majoribus prioratibus ordinis Cluniacensis, quem fundavit Willelmus comes Warennæ. W. Malmesb. lib. II, de Gest. pontific. Angl. Matth. Westm. ad ann. 1078, de quo cap, *Sacrosancta de elect.*

Linea 25. — *Et cameram fecit, et matronæum, et super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore.* In ædibus sacris erat pars matronarum seu feminarum tabulato distincta a parte virorum, quæ matronæum dicebatur. Præter hunc locum Anastas. in Gregor. IV : « Cui ex septentrionali plaga lapidibus circa septum matronæum apposuit. » Inde emendandus locus Anastasii in Leone III : « Matronam vero ipsius Lateranensis patriarchii quæ extenditur a campo, et ultra imagines apostolorum; » ut legatur matronæum quasi partem matronarum. Male vulgo legitur *matronam.*

Num. 81, linea 1. — *Hic constituit ut omni die Dominico vel natalibus martyrum, hymnus diceretur angelicus, id est, Gloria in excelsis Deo.* Telesphorus primus instituit hymnum angelicum decantari in missa, quæ celebraretur sub mediam noctem Natalis Domini : postea hoc adjectum est a Symmacho, ut hymnus angelicus decantaretur in omnibus missis quæ celebrarentur in die Dominico, vel natalibus martyrum. Sigebert ad annum 495 : « Hic Symmachus constituit, omni die Dominico vel natalitio mar-

Digitized by Google

tyrum, *Gloria in excelsis Deo*, ad missas cantari : quem hymnum Telesphorus, septimus a Petro papa, nocte tantum Natalis Domini ad missas a se in ipsa nocte institutas cantari instituit, et in eo ad angelorum verba, quæ sequuntur, adjecit. » Natalitia seu natales martyrum sunt dies passionis martyrum : inde dicti quod per martyrium martyres Christo renascuntur, et melioris vitæ lucem nanciscuntur. Augustin in psalm. XXXIX : « Mortes in quas Pagani sævierunt, in illis hodie reficimur, natalem martyrum celebramus, exempla martyrum nobis proponimus. » Idem in psalm LXIII : « Nam et martyres nondum surrexerunt, et tamen illi nondum profecerunt, nondum resurgentium natalitia celebremus. » Idem in psalm. CXVIII : « Purpurata est universa terra sanguine martyrum, floret cœlum coronis martyrum, ornatæ sunt ecclesiæ memoriis martyrum, insignita sunt tempora natalibus martyrum. » Idemque, homil XXX : « Attende animo tot martyrum millia : cur enim se natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, et eorum vitam sequi honestis moribus non delectat? » Anastas in Vigilio : « Anthemius Scribo veniens Romam, invenit eum in ecclesia sanctæ Cæciliæ X. Kalend Decembris : erat enim natalis ejus dies. »

BENCINI.

Num. 77, linea 1. — *Congregavit synodum.* Plurimas synodos celebravit pontifex : harum seriem, tempora, et discrimina accurate in crit. Baronii exposuit Pagius, easque annis singulas aptavit.

Num. 79, linea 25. — *Imaginem argenteam cum Salvatore, et duodecim apostolis posuit.* Hæc expressio illustrat modum constructæ imaginis a Valentiniano, de qua supra in Sixto, quæ duodecim portas habebat cum apostolis. Hæ enim imagines per orbem alias continebant, quæ velut ornamenta erant primariæ in medio collocatæ.

Num. 80, linea 10. — *Pauperibus habitacula constituit.* Commodiora majorisque molis ; cujus operis faciendi ea fuit occasio, quia Theodoricus Romam adveniens, annuos pro pauperum indigentiis sublevandis redditus assignavit. Anonymus a Valesio vulgatus de gestis Theodorici, coævus, vel proximior ad hæc tempora, sic habet : « Eodem tempore intentio orta est in urbe Roma inter Symmachum et Laurentium; consecrati enim fuerunt ambo : ordinante Deo, qui eo dignus fuit, superavit Symmachus. Post facta pace in Urbe, Ecclesiæ, ambulavit rex Theodoricus Romam, et occurrit beato Petro devotissimus, ac si catholicus. Cui papa Symmachus, et cunctus senatus, vel populus Romanus communi gaudio extra Urbem occurrentes : deinde veniens ingressus Urbem ad senatum, et ad Palmam populo allocutus est omnia, Deo juvante, quod retro principes Romani ordinaverant, inviolabiliter servaturum promittit. Per triennalem triumphans populo ingressus palatium, exhibens Romanis ludos circensium. Donavitque populo Romano, ac pauperibus annonas singulis annis centum viginti millia modios, et ad restaurationem palatii, seu vel recuperationem mœniæ civitatis singulis annis libras ducentas de arca vinaria dari præcepit. » Valesianus anonymus coævus censetur a Valerio, et ex ipso in sequentium pontificum gestis plura additionum auctor inseruit. Etenim illa verba : *Eodem tempore intentio orta est :* totidem verbis reperitur in quibusdam Anastasii codicibus. Formula Romæ hoc tempore adhibita. Unde Hormisdas in indiculo dato legatis ad synodum Heracleensem proficiscentibus, inter alia habet de Macedonio a Constantinopolitana sede expulso, et Timotheo eam invadente ; *de duabus personis est intentio*, seu disceptatio. Pariter apud coævum scriptorem Cassiodorum in epistola Athalarici ad Joannem II, quæ est adversus simoniacos ambitus in electione pontificis admitti consuetos, ubi intentio et altercatio unum et idem esse explicatur his verbis : « Cum de apostolici consecratione pontificis intentio fortasse pervenerit, et ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum. » Apud Cassiodorum l. IX, ep. 15, pag. 589, et apud Sigonium l. II, regni Italiæ in edicto Rotharis regis in fine pag. 76 legitur « ... ne aliqua fraus per vitium scriptoris in hoc edicto adhibeatur, si aliqua fuerit intentio, nulla alia exemplaria credantur, » etc. Specialiter vero eleemosynam, largitionemque regiam applicatam pauperibus ad vicinia basilicæ Vaticanæ collectis, unde Symmachus ædes ampliavit, testatur Procopius, dum de Theodorico scribit (in arcana Hist., pag. 117) : « Pauperibus vero, qui ad Petri apostoli templum sedes habent, tritici e publico millia modimnum quotannis attribuit. » Porro sedis apostolicæ hospitalitas erga eos, qui ad apostolorum limina veniebant, profusissima erat. Hinc Anastasius socius S. Maximi martyris in epistola de ærumnis S. Martini pontificis, dum refert acta ejusdem, et quomodo Martinus a judice imperatoris interrogaretur, an Pyrrhum Constantinopolitanum exceperit, cum Romam venit, et exercuerit hospitalitatis acta; sic pontifex consuetudinem hanc aperit (tom. III Conc. pag. 634) : « Vos, domini mei, nescitis Ecclesiam Romanam? Dico vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, et nullum immunem suis donis S. Petrus repellit venientium illuc : sed panis mundissimus, et vina diversa dantur non solum ei, sed et hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit etiam honorabilis sicut episcopus, qualem sumptum habet suscipere? » Et ipse S. Martinus in exsilio, dum in summa esset egestate, et a clero suppetias exspectaret, scribit (*Ibid.*, pag. 687) : « Nam etsi aurum ecclesia S. Petri non habet, frumento tamen et vino, et aliis necessariis expensa non caret per gratiam Dei. »

GII.

Num. 77, linea [illegible] *gregavit synodum*, etc. Acta synodi hab[illegible] nsulatum Paulini V. C. Kalendis Martii [illegible] ati Petri apostoli, synodo præsidente, [illegible] papa Symmacho, » etc. Consulatus autem Pauli[illegible] incidit in annum 498. Quare synodus celebrata est Kal. Martii 499.

Linea 2. — *Post annos vero quatuor*, etc. Anno Christi quingentesimo Symmachus secundam Romæ synodum coegit, cujus Acta ad nos non pervenere. Hæc Laurentium schismaticum, ut Ecclesiam turbare desineret, Nuceriæ episcopum renuntiavit; nam Theodorus Lector laudatus scribit : « Cum hujusmodi perturbatio tres continuos annos in urbe Roma perseverasset (ab anno scilicet 498.) Theodoricus Afer, qui tum Romæ regnabat, quamvis secta esset Arianus, collecta tamen synodo, Symmacho quidem episcopatum urbis Romæ confirmavit; Laurentium vero cujusdam urbis, quæ Nuceria dicitur, episcopum constituit. » In textu tamen Græco Theodori non dicitur, perturbationem *tres continuos annos* durasse, sed tantum fuisse *trium annorum*. Neque enim toto illo triennio Laurentius turbas excitavit, cum subscripserit priori synodo Romanæ, ut jam diximus. Porro hanc secundam synodum Romanam, cum anno quingentesimo, accurate connectit Hermannus Contractus ex editione Canisii, licet quota ordine fuerit, non exprimat.

Annis quingentesimo primo, et quingentesimo secundo, omnia Romæ tranquilla fuere, quia Laurentius schismaticus, qui anno quingentesimo *intuitu misericordiæ*, ut loquitur auctor libri Pontificalis, Nucerinus episcopus creatus fuerat, ante annum quingentesimum tertium, Romanam sedem iterum non invasit. Anno tamen quingentesimo secundo Symmachus celebravit tertiam Romæ synodum, quæ vulgo Palmaris appellatur, licet ut mox dicetur synodus Palmaris, anno tantum quingentesimo tertio celebrata fuerit. Exstat hæc synodus Romana

Digitized by Google

tertia tom IV Concil et his verbis inchoatur : « Flaviano [*legendum* Flavio] Avieno viro clarissimo Juniore consule sub die VIII Iduum Novembrium, in basilica beati Petri apostoli, etc. Bene quidem fraternitas vestra ecclesiasticis legibus obsecuta, » etc. Hujus synodi celebrationis causa fuit abrogatio legis Odoacris Italiæ regis, qua Basilius præfectus Prætorio sanxerat, ne absque Italiæ regis consensu electio Romani pontificis fieret. Secundo, ne liceret summo pontifici quidquam ex Ecclesiæ bonis alienare. Irrita declarata sunt hæc capita, quia facta a laico principe. Sua tamen et synodi auctoritate statuit Symmachus, ut nulli Romanorum pontificum, vel presbyterorum, qui titulis erant præpositi, Ecclesiæ prædia quæcunque alienare, vel commutare liceret ; nec etiam eorum usumfructum concedere, nisi clericis captivis et peregrinis. Huic synodo adfuere episcopi sexaginta quatuor, inter quos eminebant Laurentius Mediolanensis, Petrus Ravennas et Eulalius Syracusanus.

Anastasius, sive libri Pontificalis auctor, postquam retulit Laurentium schismaticum Nucerinum episcopum constitutum esse, narrat quæ anno quingentesimo tertio contigere : « Post annos quatuor (ab anno scilicet Christi quingentesimo, quo Laurentius dictus episcopus Nucerinus) zelo ducti aliqui ex clero, et alii ex senatu, maxime Festus et Probinus incriminarunt Symmachum, et subornaverunt testes falsos, quos miserunt Ravennam ad regem Theodoricum, accusantes B. Symmachum, et occulte revocaverunt Laurentium, post libellum Romæ factum, et fecerunt schisma, et divisus est iterum clerus. Et alii communicabant Symmacho, alii Laurentio. Tunc Festus et Probinus senatores miserunt relationem regi, et cœperunt agere, ut visitatorem daret rex sedis apostolicæ. Tunc rex dedit Petrum Alticinæ (seu potius Altinæ) civitatis episcopum, quod canones prohibebant. » Secundum itaque schisma sub Symmacho anno quingentesimo tertio exortum, et Petrus Altini episcopus Romam ad tumultus compescendos a Theodorico Italiæ rege missus est. Petrus Altinus Romam profectus, nulla Symmachum reverentia prosecutus est ; quod tamen rex ipsi imprimis præceperat ; nullam ecclesiasticæ pacis curam gessit, sed a schismaticis in partes tractus turbavit omnia, ut testatur Ennodius Ticinensis in apologetico pro Symmacho. Est porro Altinum civitas prope littus Venetiæ posita, quæ cum eversa fuisset, episcopatus Torcellum, haud procul inde dissitum, sæculo septimo translatus est.

Theodoricus Italiæ rex, ut istis tumultibus finis imponeretur, jussit Romæ synodum celebrari, cui interfuere episcopi centum quindecim. Synodus ista quarta Romana sub Symmacho, *Palmaris* appellata, a loco ubi celebrata est. Hanc porro synodum quartam esse palmarem probat auctor criticæ Baronianæ ex codice ms. San-Germanensi tempore Caroli Magni exarato, in quo post relatas tres synodos Romanas sub Symmacho, legitur : *Quarta synodus habita Romæ, Palmaris.* Ejus initium est : *Sancta synodus*, etc., ut in collectione Concil. pag. 1523, in qua perperam vocatur tertia, et ibidem male addita est nota temporaria, quæ deest in dicto Codice ms. San-Germanensi.

Synodum, consentiente Symmacho, a Theodorico rege convocatam, ex Actis perspicuum est : « Memorati pontifices, inquiunt Acta, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare; scientes quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum, vel principatus; deinde secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem : nec antedictæ sedis antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili forma aliqua testaretur. Sed potentissimus princeps ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit. Unde a mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat; hasque dari sacerdotibus sine tarditate constituit. »

Num. 78, linea 13. — *Invenit Manichæos in urbe Roma, quorum*, etc. In quanam ex superius relatis synodis Anastasius imperatora Symmacho papa excommunicatus fuerit, incertum ; illud tantum certo constat, Apologiam suam adversus calumnias imperatoris edidisse Symmachum post synodum quartam Romanam Palmarem dictam, cum in ea apologia dicat: *inter imbres lapidum totus evasi.* » Quare cum Symmachus lapidibus impetitus fuerit, dum celebraretur hæc quarta synodus, ea Apologia post annum quingentesimum tertium ab eodem edita est. Ex ea Apologia constat, Anastasium imperatorem, Acacii memoriæ, et hæreticis Chalcedonensis concilii hostibus communicantem et favente, a Symmacho papa excommunicatum fuisse. Quam ob rem furore percitus imperator, libellum famosum adversus pontificem vulgavit, quo ipsum inter alia convitia, Manichæum vocabat. Huic libello respondit Symmachus dicta epistola Apologetica, in qua de Anastasii excommunicatione hæc habet : « Dicis quod, mecum conspirante senatu, excommunicaverim te. Ista quidem ego, sed rationabiliter factum a decessoribus meis sine dubio subsequor. Nos non te excommunicavimus, imperator, sed Acacium. Tu recede ab Acacio, et ab illius excommunicatione recedis : tu te noli miscere excommunicationi ejus, et non es excommunicatus a nobis : si te misces, non a nobis, sed a te ipso excommunicatus es. » In eadem Apologia Symmachus pontificiam cum imperatoria dignitatem conferens, pontifices regibus superiores esse ostendit, illisque reverendos ; principibusque parendum non esse docet, cum aliquid adversus Dei legem jubent.

Incertum pariter quo anno Symmachus sextam synodum Romæ convocaverit, quia in ea nullas temporis character legitur. Baronius et conciliorum collectores eam cum anno quingentesimo quarto illigant, a quibus sine aliquo fundamento recedendum non est. Sextam illam fuisse inter Symmachianas, constat ex eo quod his verbis inchoetur : « Cum in unum apud beatum Petrum apostolum sancta sexta synodus canonice a B. Symmacho Romæ congregata resedisset, » etc. Hæc habita est contra invasores rerum ecclesiasticarum, decretumque, ut nisi eas restituerint, velut manifesti hæretici anathematizarentur, neque aliter quam per satisfactionem ad communionem Ecclesiæ admitterentur. Additum est, eadem sententia teneri omnes, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis regiæ obtinuissent, eo quod regum non sit de bonis Ecclesiæ decernere. Nec licere imperatori vel regi, contra divina mandata et Patrum constituta, sibi aliquid quovis modo usurpare.

A SCHELESTRATE.

Num. 98, linea 3. — *Per Africam vel Sardiniam* Ut enim narrat Marcellinus comes in Chronico : « Theodorico et Venantio coss. orta est per Africam crudelis Hunerici Wandalorum regis in catholicos persecutio. Nam exsulatis, fugatisque plusquam trecentis triginta quatuor orthodoxorum episcopis, clausæ sunt eorum ecclesiæ. » Porro hi episcopi partim per Africam longe a propriis sedibus, partim in Sardinia exsulare coacti sunt, ut docet Victor Vitensis in historia de persecutione Vandalica, et colligere licet ex catalogo episcoporum exsulum edito per Jacobum Sirmondum : ad hos igitur episcopos, qui usque ad Hormisdæ pontificatum exsulabant, Symmachus papa pecuniam et vestes mittebat.

Digitized by Google

LIV. SANCTUS HORMISDA.

ANNO CHRISTI 514, ANASTASII 24, THEODORICI 22.

82 *Hormisda, natione Campanus, ex patre Justo de civitate Frisilone* [a], *sedit annos* 8, *dies* 17 [b]. Fuit autem temporibus regis Theodorici et Anastasii Augusti, a consulatu Senatoris usque ad consulatum Symmachi et Boetii. Hic composuit clerum, et psalmos [c] erudivit; hic fecit basilicam in territorio Albanense in possessionem Fontis [d]; Eodem tempore *ex constituto synodi misit in Græciam, humanitatem* ostendens *sedis apostolicæ*, quia Græci *obligati erant sub* vinculo *anathematis propter Petrum Alexandrinum, et Acacium Constantinopolitanum episcopos* sub Joanne episcopo Constantinopolitano cum concilio regis Theodorici [e], *direxit* quoque *Ennodium episcopum Ticinensem, et Fortunatum episcopum Catenensem*, et Venantium *presbyterum urbis Romæ*, et Vitalem diaconum sedis apostolicæ, et Hilarum [f] notarium sedis suprascriptæ. *Euntesque ad Anastasium Augustum, nihil egerunt.* Idem *secundo misit Ennodium* ipsum, *et Peregrinum episcopum* Mezenensem [g], portantes *epistolas* confortatorias [h] fidei, *et contestationes secretas numero* 19, et textum *libelli, in quo* libello *noluit consentire Augustus Anastasius*, quia et ipse in hæresim Eutychianam communicaverat.

83 *Voluit itaque* eosdem legatos *per remunerationem corrumpere.* [i] Legati vero sedis apostolicæ, *contempto* Anastasio Augusto, *nullatenus consenserunt accipere pecunias*, nisi satisfactionem sedis apostolicæ operaretur. Tunc imperator repletus furia ejecit eos per posterulam [j], *et imposuit eos in navim* periculosam [k] cum militibus, et magistrianis, et præfectianis [l], nomine [m] *Heliodorum et Demetrium.* Qui [n] hoc *dedit* eis *in mandatis imperator* Anastasius, *ut nullam civitatem ingrederentur.* Legati vero sedis apostolicæ *secretius suprascriptas epistolas fidei* 19 *per manus monachorum* orthodoxorum *exposuerunt per omnes civitates.* Quas tamen epistolas ab episcopis civitatum, qui erant complices Anastasii Augusti timore omnes eas epistolas fidei pro crimine Constantinopolim direxerunt [o]. Furore repletus Anastasius Augustus contra papam Hormisdam *inter alia sacra* sua hoc *scripsit dicens:* Nos jubere volumus, non nobis juberi. *Eodem tempore* nutu divinitatis percussus est fulmine divino Anastasius imperator, et obiit. *Sumpsit itaque imperium Justinus orthodoxus, et* direxit auctoritatem suam ad papam Hormisdam sedis apostolicæ *per Gratum* [p], *et illustrem nomine*, sperans a sede apostolica, ut [q] reintegraretur pax Ecclesiarum

84 *Tunc Hormisda episcopus cum consilio regis Theodorici* [r] *direxit* a sede apostolica *Germanum Capuanum episcopum, et Joannem, et Blandum* presbyteros, *et Felicem, et Dioscorum* diaconos sedis apostolicæ, et Petrum Notarium. Quos monitos ex omni parte fidei, et textum libelli pœnitentiæ [s], *qui venientes* [t] *juxta Constantinopolim, tanta* gratia fidei refulsit [u] *ut multitudo monachorum* orthodoxorum, *et illustrium virorum* maxima *multitudo occurreret. In quibus et Justinus imperator, et Vitalianus* consul simul *occurrerunt* a Castello Rotundo [v], *qui* dicitur [x] usque in civitatem Constantinopolim, cum gloria et laudibus. *Qui ingressi una cum Grato illustri, suscepti sunt a Justino Augusto orthodoxo cum gloria. Omnis itaque clerus una cum episcopo Joanne*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C, Frusinona. [b] Fusinona. *B B, ann* 9, *dies* 10, *a Cons Cassiodori ad Maximum.* [c] Psalmis *C.* [d] *B*, Mefontis. *C*, Mesontis. [e] *Vide Baron ad ann* 515. [f] *C*, Hilarium. [g] *C*, Mesenatem. [h] *B*, confirmatorias. [i] *Vide Baron ad ann* 517. [j] De urbe per posticulum. [k] Navi periculosa. [l] *C*, præfectis, [m] Eliodoro, et Demetrio. [n] *C*, quibus. [o] *Vide Baron loc cit pag* 677, *et in fine tomi* VI. [p] *Leg* per Gratum virum illustrem. [q] *C*, redinteg. [r] *Vide Baron ad an.* 518. [s] Commonitos ex omni parte fide, et textu libelli pœnitentiæ. [t], munitos. [t] Quibus venientibus [u] C, illis ref. [v] C, ad castell. [x] C. quod ducit.

Digitized by Google

Constantinopolitano, gavisus est, *sentientes eo quod gratanter* [a] *suscepti sunt* : etiam sentientes et ii qui erant complices Acacii, *incluserunt se in Ecclesia majori, quæ vocatur Sancta Sophia. Et consilio facto mandaverunt imperatori, dicentes : Nisi nobis reddita fuerit ratio quare damnatus est episcopus noster Acacius, nullatenus consentimus sedi apostolicæ.* Hic papa Hormisda perrexit ad regem Theodoricum Ravennam, et cum ejus consilio misit auctoritatem ad Justinum imperatorem, et vinculum [b] chirographi, et textum libelli, reintegravit ad unitatem sedis apostolicæ, damnantes Petrum et Acacium, vel omnes hæreses. *Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum* exsilio deportavit. *Quorum codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit. Hujus temporibus* episcopatus *in Africa post annos septuaginta quatuor* revocatus est, qui ab hæreticis fuerat exterminatus.

85 Eodem tempore venit regnum cum [c] gemmis pretiosis a rege Francorum Clodoveo Christiano donum beato Petro apostolo : sub hujus episcopatu multa vasa aurea, vel argentea venerunt de Græcia, et Evangelia cum Tabulis aureis, cum gemmis pretiosis, quæ pensan. libr. 15; patenam auream cum hiacynthis, quæ pensan. libr. 25; scyphum aureum cum gemmis, pensan. lib. octo; scyphum aureum circumdatum regno [d] pensan. lib. octo, scyphos argenteos tres deauratos, pensan. sing. lib. quinque; patenas argenteas duas, pensan. libr. vinginti quinque; gabata electrina, pensan. libr. 2; thecas Cyrei aureas duas, pensan. sing. libr. sex; pallia olobera blattea [e] cum tabulis auro tectis de chlamyde, vel de stola imperiali suffitorium [f] super confessionem beati Petri apostoli. Hæc omnia a Justino Augusto orthodoxo votorum gratia oblata sunt.

86 Eodem tempore Theodoricus rex obtulit beato Petro apostolo cerostata [g] argentea duo, pensan. libras septuaginta. Eodem tempore fuit [h] papa Hormisda apud beatum Petrum apostolum trabem, quam ex argento cooperuit, quæ pensan. libras mille, et quadraginta. Hic fecit in basilica Constantiniana arcum argenteum ante altare, qui pensabat. libr. viginti; canthara argentea sexdecim, pensan. singul. libras quindecim. Item ad beatum Paulum fecit arcus argenteos duos, pensan. singuli libras viginti; canthara argentea 15, pensan. sing. lib. 15; amas argenteas tres, pensan. sing. lib. 10; scyphos argenteos stationales sex cum ducibus [i], pens. sing. lib. sex. *Hic fecit ordinationes* in urbe Roma per mensem Decemb. *presbyteros* 21, *episcopos per diversa loca quinquaginta quinque.* Qui etiam *sepultus est* in basilica beati Petri apostoli octavo *idus Augusti*, consulatu Maximi [j], *et cessavit episcopatus dies septem.*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C, sensit quod grat. [b] C. cum vinculo *Vide Baron ad ann Domini* 523. [c] C, regium donum cum. *Vide Baron ad ann* 514. [d] Gemmis. [e] C, olofora blatea. B. oloserica. [f] C, succinctorium. [g] C, cerostrata. [h] Fecit. [i] *B*, crucibus *vel* calicibus. [j] *B*, Symmachi.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 82, *lin* 1, *A*, Frisilunæ. *B*, Frisinone. *lin* 1, *AB*, annos 9, mens 17. *lin* 4, mefontis. *lin* 10, *B*, Hilarium.

Num 83, *lin* 5, *AB*, Heliodoro et Demetrio. *lin* 10, *AB*. epist fidei. lin. 9 *B*, 10 civitatum. *lin* 10, tunc furore. *lin* 12, nutu divino. *lin* 14, *A*, per nuntios gratum, B, gratum et illustrem.

Num 84, *lin* 3, *B*, munitos ex omni parte fide et textu. *lin* 7, B, ad Castellum Rotundo, quod ducit. *lin* 15, *B*, cum vinculo. *lin* 19 *et* 20, *B*, ann 84.

Num 85, *lin* 5, *B*, 20, scyphum. *lin* 7, gabb hilistrina libras 6, *B*. *lin* 8, olobira oblata.

Num 86, *lin* 4, *B*, lib 240. Hic fecit. *lin* 5, *B*, argentea 26. *lin* 9, *A*, lib 10. *lin* 12, *B*, dies sex.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 82, *lin* 1, ann 9, dies 18. lin. 2, Theoderici reg (*M*, Theodo.) *Lin* 4, Psalmis er. *lin* 4, Mefontis. *lin* 5, syn cum consilio regis Theodorici misit in G. *lin* 7, Alexand episcopum, et Acacium Const sub A Joanne Const episcopo, cum const R. Theod. (*M*, episcopo; direxit quoque). Direxit quoque Evodium episcopum Nemensem et Fortun episc Catinensem, et Venantium. *lin* 10, Hilarium notarium suum. Qui euntes ad Anast A. *lin* 11, egerunt. Misit quoque secundo Evodum (*M*, Ennodium) supradictum, et Per ep. Meseventem p. ep. confortatorias *lin* 14. Anast Aug. *ib.*, E. communis erat.

Num 83, *lin* 1, voluit itaque legatos sedis apostolicæ per rem cor legati v[illegible] A. *lin* 3, prius operaretur. *lin* 4, ejecit eos[illegible] Urbe per poster et imp in navi periculosa cum m. et magistriano nomine Eliodoro et Demetrio, et hæc dedit eis in mandatis, ut nullam civitatem ingr. *lin* 7, subscriptas (*M*, suprascr). *lin* 8, epistolas episcopi civitatum, *qui* er. c. A. A. timore ejus perculsi omnes illas epistolas Constantinopolim dir Furore itaque repl An. c. P. *lin* 14, per quosdam Gratum et Illustrem n. scribens ad sedem apost ut reint.

Num 84, *lin* 3, notarium communitos ex omni B parte fide, et textu libelli pœnitentiæ. [Quibus

Digitized by Google

venientibus juxta C. *lin* 5, multitudo, in quibus Justinus imp et v. c. erant simul occurrerent a Castello Rot usque in civit Constantinopolitanam. Tunc cum gloria et laude ingressi una cum Grato, et Illustri sunt suscepti a J. orth Aug c. g. *lin* 10, gavisus est, eo quod gr. s. s. sentientes hoc qui erant complices Ac. incl se in eccl majore *lin* 12, nisi nobis fuerit redd r. *lin* 14, hic præfatus papa eo tempore perrexit. *lin* 15, ad Justinum Aug et cum vinculo cyrographi, et textu libelli reintegravit (*M*, integravit) auctoritatem sedis apostolicæ, damnans P. et Ac. u. o. h. eo quoque tempore invenit Manich. *lin* 18, deportavit et eorum codices. *lin* 19, episcopatus catholicus in A. revocatus est post ann 74 ex quo ab hær.

Num 83, *lin* 1, eo quoque tempore venit Reginus (*in regio codice emendatum*, regnum; *in Maz, legitur* Reginus) cum gemmis a rege Fr. Clodoveo Christiano missus (*M*, missum,) B. Petro apost. Eodem tempore misit Justinus Aug. Romam multa aurea et arg dona de Græcia. Evangelia cum tab aur et cum gemmis pretiosis, pens. lib 15, pat a. cum jac pens lib 20, patenam arg pens lib 12, (*M*, lib 20), aliam patenam argent pens lib 38, scyphum circumdatum gemmis, pens lib 8, scyphos argent deauratos 4 pens sing lib 5, gabatam hilifirimam (*M*, hilifirmiam) pens lib 2, tegas cerei 2 aureas 2 pens sing lib 6, pallia holovera lalthea cum tabulis auro tectis 2, chlamydem imperialem i. stolam, et subsutorium super confess. beati Petri apostoli. Hæc omnia a Justino Aug votorum gratia beato Petro oblata sunt.

Num 86, *lin* 1, eodem temp Theodor R. fecit apud beatum Petrum trabem, quam cooperuit ex arg pens lib mille 40; obtulit quoque Theodericus rex beato Petro apostolo cereostrata argentea 2 pensantia singula lib 70; eodem tempore fecit papa Hormisda in Constantiniana basilica coronam argenteam ante altare, pens lib 20; canthara arg lo pens sing lib 12. Item ad B. P. *lin* 8, amas argent 3. *lin* 8, sex pens sing lib 11. Hic fecit ordinationem in urbe Roma. *lin* 12, dies 6.

Ex codice Thuano altero.

Num 82, *lin* 1, Frisinone S. a. 9. Fuit. *lin* 4, psalmis e. *lin* 10, Hilarium. *lin* 14, communis erat.

Num 83, *lin* 4 furore.

Num 84, *lin* 1, ad sedem apost. *lin* 3, quos inimitos. *lin* 6, multitudo, in quibus l. l. et Vitalis cons S. o. a. c. R. quod dicitur. *lin* 9, laude. *lin* 9, l. Const sentientes. *lin* 10, sunt: sentientes qui. *lin* 15, et cum vinculo civ et t. l. redint.

Num 85, *lin* 4, lib 20, patenas argenteas 2 pens. sing lib 25; scyphum aureum cum q. *lin* 6. arg deaur 4 pens sing lib 6; gabathum Hilariniam, pens lib 2; thecas cirei aureas 2 pens lib 6; pallia olovera.

Num 86, *lin* 1, cereostata argentea 2 pens sing lib 20. E. t. fecit. *lin* 3, trabem ex argento, quam coop. *lin* 5. quindecim, amas argent tres, pens lib 10, scyph a. s. quinque cum duces p. s. lib senas.

Apud V. L. Holstenium et Schelestratium.

Num 82, *lin* 1, *Flor* 2, Frisinone. *ib.*, *Vat et Cass.*, ann IX. *lin* 4, *Flor.*, Mefontis, *seu vulgo* Fontana di Papa. *lin* 5, ex constituto synodi cum consilio regis Theodorici. *lin* 11, *ms. cod* qui euntes.

Num 83, *lin* 3, *Vat et Flor* 2, operarentur. *lin* 4, *post. verb.* ejec. cos *adde*, De Urbe. *lin* 5, *Flor* et magistrizno, et perfectiano nomine. *lin* 9, *post. verb.* timore, *Addit ms.*, ejus perculsi; *et pergit Flor* pro crimine omnes eas epistolas fidei Constantinopolim. *lin* 14, *Flor* 2, scribens ad sedem apostolicam, *cum quibus verbis desinit codex ille.*

Num 84, *linea* 7, *Flor.*, ad Castellum Rotundum, quod *linea* 11, *Vat* sentientes hoc ii. *lin* 19 episcopatus catholicus in Africa post annos 74 revocatus est, a quo, *etc.*

Num 85. *Lin* 1, *Vat. regium* absolute sine dono. Ita nunc *Regale. lin* 2, sub hujus episcopatu. *Adde*, misit Justinus Augustus Roma. *lin* 4, *Flor et Vat addunt*: libras xx, patenas argenteas duas pensan sing lib 25. *lin* 8, cyrei, *Flor*, circi. *Vatic*, cerei. *lin* 9, tectis, *Flor*, textis.

Num 86, *lin* 2, fecit, *Flor et Vat*, fecit. *lin* 4, libras 1040, *Flor* 140; *Romualdus tamen legit* 1040 *linea* 9, ordinationes, *Flor*, ordinationem *linea ultima*, septem, *Vat*, sex.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 82, *lin* 1, ex patre Tusco. *ib.*, ann VIII. *lin* 7, et Acac Constant episc cum consilio regis Theoderici direxit Ennodium episc.

Num 86, *lin* 2, eodem tempore fecit papa Hormisd.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 82, linea 2. — *A consulatu Senatoris.* Cassiodorum intelligit, sub quo clerus populusque in varias partes seditiose divisus, unanimi calculo ad Hormisdæ electionem devenit. Hinc et suo consulatui felicitatem hanc tribuit Cassiodorus in epistola ad Theodoricum : « Me consule in vestrorum laude temporum adunato clero et populo rediit optata concordia. » Atque optime addit liber Pontificalis de Hormisda. « Hic composuit clerum : » haud utique, ut opinatus est Blondellus, quod tunc primum induxerit novam aliquam formam; sed quod clerum, seditionibus eousque agitatum, ad unitatem revocarit, et ad observandam priorem canonum et apostolicæ sedis institutionem compulerit, adjectis insuper decretis ulteriores turbas præcavendas.

Linea 5. — [illegible] *tempore ex constituto synodi misit in Græciam.* Legationes a sede apostolica directæ ad Acacianum schisma, quo Græcia conflictabatur, sopiendum, hic confunduntur. Quare et legationes, et verba suis locis restituenda sunt. Itaque prior legatio instituta fuit a pontifice, impellente Anastasio, qui ut Horsmidæ pacatam electionem audivit, epistolam ad eumdem direxit, quatenus ad concilium, quod ipse indixerat Heracleæ ad sopiendos Orientis tumultus, legatos dirigeret. Exstat epistola tom IV Concil edit. Lab cum hac annua nota : *Data v Kalend Januarii Constantinopoli, Senatore V. C. consule*, etc., proindeque ipso anno Hormisdæ electi. In ea vero sic versipellis imperator : « Omnibus negotiis divinæ res præponendæ sunt. Deo etenim omnipotente propitio, rempublicam et conservandam et meliorandam confidimus. Quia igitur dubitationes quædam de orthodoxa religione in Scythiæ partibus videntur esse commotæ, id specialiter clementiæ nostræ placuit, ut venerabilis synodus in Heracleotana civitate provinciæ Europæ celebretur. Quapropter sanctitas tua, cum quibus placuerit reverendissimis episcopis, quos de Ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis, idoneos et instructos erga orthodoxam religionem esse probaverit ad præfatam Heracleontam civitatem, intra diem Kalendar Juliarum venire dignetur, » etc. In altera vero epistola ad eumdem pontificem causam dicturus imperator, cur cum sede apostolica litterarum commercia intermisisset, ac solemniter professus cur apostolicæ sedis judicium exspectaretur, in hunc modum scribit : « Ante hoc, siquidem duritia eorum, quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat sollicitudo commissa, temperare nos a transmittendis faciebat epistolis. Nunc autem currens de vobis suavis opinio ad memoriam nostram, bonitatem paternæ affectionis adduxit, ut illa requiramus, quæ Deus et Salvator noster sanctos apostolos divino sermone docuit, ac maxime beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit.

Digitized by Google

His igitur præfatis initiis hortamur, ut ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota sunt, unde et concilium fieri pervenire perspeximus, mediatorem se apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis, unitas sancta restituatur Ecclesiis, » etc. Itaque spectant hæc ad priorem legationem, cujus acta antequam referantur, discutienda hic quædam sunt de conciliis Sidoniæ, et Heracleæ, unde reliqua patefacta sint clarius et solidius exspensa.

De synodis Sidoniæ et Heracleæ ab Anastasio imperatore, et de synodo Romana, ab Hormisda indictis.

Has synodos ut plerumque prætereunt jejune recentiores scriptores, ita nosse necessarium imprimis est ad hæc Hormisdæ gesta illustranda. Cujusmodi itaque sint, et qua de causa contigerint, disserendum. Bellum indixerat Anastasius Chalcedonensi concilio, actaque ejus authentica in archivis Ecclesiæ Constantinopolitanæ exstantia diripere molitus est. Hæc enim ad annum 511 annotavit in Chronico Theophanes : « Impius autem imperator authenticas rerum apud Chalcedonem gestarum tabulas magistri ope a Macedonio recipere, et discerpere contendebat : eas vero sigillo notatas in altari Macedonius reposuit, quas demum Calepodius eunuchus magnæ Ecclesiæ œconomus furtim subreptas ad imperatorem detulit, » etc. Acta hæc ut impius princeps obtinuit, omnem concilio fidem abrogari penitus et deleri tentavit. Adhuc in Oriente defensores supererant episcopi Flavianus Antiochenus, et Elias Hierosolymitanus. Hos ut obrueret, Eutropio tribuno demandavit sollicitudinem indicendæ Sidoniensis synodi, cogendorumque omnium, ut Chalcedonensi synodo anathema dicerent. De quibus synodicon Pappi, et Theophanes ibi ad ann. 512. Fusius gesta eadem prodidit Cyrillus in Vita Sabæ inter monumenta Ecclesiæ Græcæ pag. 298 his verbis : « Anastasius imperator effreni insania in Flavianum et Eliam patriarchas usus, præcepit synodum Sidone episcoporum Orientalium et Palæstinorum fieri, jussitque ut synodo præsessent Soterichus Cæsareæ Cappadociæ, et Polixenus Hierapolis, qui episcopi decreta concilii Chalcedonensis præcipue anathematizabant, necnon Eutychi ac Dioscoro, eorumque pravæ alienæque doctrinæ patrocinabantur, » etc. Polixenus idem est qui Xenias, pessima Orientis fax, quo duce Chalcedonensis fidei assertoribus gravissima illata sunt mala, cujusque indolem describit Evagrius lib. III, c. 31. Cum his perfidiæ antesignanis convenerunt Sidone octoginta ejusdem furfuris episcopi. Proposuerunt adversus sacrum concilium anathematismos, aliaque subinde a recta fide aliena susceperunt determinanda. Quanquam eorum conatibus obviam itum est a Flaviano et Elia patriarchis, tanto equidem zelo, ut impia illorum consilia in irritum abierint. Hæc breviter Marcellinus in Chronico apud Sirmondum, tom. II : « Porro redintegrata Anastasius pravitate infamem et irridendam synodum apud Sidonem civitatem (cujus de nomine ridicula nomina præposuerunt) octuaginta ferme perfidorum episcopis congregatis adversus orthodoxorum episcopos fieri imperavit. Flavianus Antiochiæ catholicus patriarcha, et Joannes Platensium oppidi pontifex, quoniam hunc cœtum sacrilegum refellerunt, in castellum quod Petra dicitur, exsules missi sunt : ibi Flavianus confessor Christi in Domino requievit, » etc. Duos hosce patriarchas tyranno mascule obstitisse, docent verba imperatoris ad Sabam abbatem, quem Elias post synodum miserat, ut ad meliorem frugem adduceret : unde et apparet, elaborasse Anastasium apud Orientis metropolitas, ut anathema a Sidonensis concilii assessoribus proclamatum, ab omnibus exciperetur. Sic enim Cyrillus in Vita Sabæ imperatorem inducit loquentem (c. 507) : « Unde cum Chalcedonensis doctrina anathemate catholico et universali percutienda jam esset a synodo, quæ nunc congregata est, ipse solus prohibuit, re una cum Flaviano Antiocheno composita, atque ut arbitratus est, nostrum imperium ludificavit... et ut censuit, nos hocce sermone decepit, qui sanximus synodum negotio infecto dirimi, » etc. Ut autem alia ratione Chalcedonensem synodum subverteret, in illud totus incubuit, ut in majoribus thronis declarati Chalcedonensis synodi hostes sufficerentur. Severus, de quo mox, ut dictus est Antiochenus patriarcha pessimam causam acerrime tutatus est, unde universa in Oriente ad fidei proditionem perditionemque properabant.

Concilii vero Heracleensis occasio altius est repetenda, cum ut veteratoria imperatoris ars in aprico sit, tum ut gestis libro Pontificali proditis, et legationibus ipsis verior explanatio proferatur. Severus pessimus monachus, et ob gravissima crimina a monasterio dejectus, arte ac fraude imperatorem circumveniens, favorem facile et gratiam adeptus, quod infensissimus Chalcedonensis synodi hostis esset, auctor fuit ut Trisagio additamentum fieret, quo Eutychiana hæresis reciperetur. Putabatur istiusmodi trisagium ab angelorum revelatione promanans, publice ob id decantatum, de quo Jobus lib. VI apud Photium (cod. 222, cap 24. pag. 610) : « Narrat hoc etiam... Quemadmodum ab aliis quoque scriptoribus refertur, ut B. Proclus, Constantinopolis is præsul erat, prædicti hymni constructionem per revelationem edoctus sit, cum angelis sacrum hunc hymnum canentibus, primus ille eamdem deinde doctrinam hausit, » etc. A promulgatione Procli Constantinop. tempore facta, quotidiano deinceps et jugi usu in particularibus et solemnibus Ecclesiæ conventibus ab omnibus canebatur. Itaque Severi suasu addita est hujusmodi clausula : *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*; ut passionem scilicet toti Trinitati tribueret, et naturarum commistionem, ab Eutyche inductam, communi usu confirmaret. Solericus Cæsareensis Thraciæ primas, a Macedonio, ut catholicus, pridem ordinatus, aulæ deinde mancipium factus, infensus erat catholicæ fidei, et imperatoris nutibus putidissime hærebat. Quamobrem Severus, omnium consiliorum auctor, Soterico scripsit, ut peculiari edicto apud subjectos episcopos, cæterasque Ecclesias additamentum promoveret. Populus tamen Constantinop. Macedonio patriarcha impellente, prisci usus tenax, acriter additamento obsistit : et quanquam ob id Macedonius e sede deturbatus fuerit, imperator propositum retinens, de potestate, imo et vita extimuit. Evagrius lib. IV, c. 44, rem ita prodit : « Constantinopoli vero cum imperator in hymno trisagio has voces adjicere voluisset : *Qui crucifixus es pro nobis*, gravissima seditio exorta est, perinde quasi Christiana religio funditus everteretur. Hujus seditionis principem atque auctorem fuisse Macedonium, et clerum urbis Constantinop. scribit Severus in epistolica ad Solericum. Quam quidem epistolam scripsit, cum nondum episcopatum adeptus esset, sed in urbe regia adhuc moraretur, eo scilicet tempore, quo una cum pluribus, ut supra retulimus, ex suo monasterio ejectus est. Ob hanc autem calumniam, præter alias causas quas antea commemoravi, Macedonium sede sua expulsum fuisse, existimo, » etc. Macedonio [illegible] imperator Timotheum Eutychianum, hæreticæ ejusdem pravitatis fautorem promotoremque.

Prima hæc itaque versipelli imperatori occasio fuit seditioso populo promittendi se convocaturum œcumenicam synodum ex Oriente et Occidente, cui Romanus pontifex præsideret. Etenim post Macedonii expulsionem, electionemque Timothei hæretici adaucta est seditio, de qua sic ibid. Evagrius : « Hanc igitur ob causam commota plebs, cum amplius cohiberi non posset, multi nobilium atque honoratorum in extremum discrimen venerunt, et *multa* insignia Urbis loca igni consumpta sunt, » etc

Digitized by Google

Et aliquibus interjectis : « Porro seditio, universa devastans, omnique robore opposito superior, tantopere crevit, ut imperator necessitate compulsus, miserandum in modum absque imperiali corona ad certamen equestre, quod in circo edendum erat, accesserit, et præcones ad populum miserit, qui proclamarent se quidem libentissime imperio cedere, » etc. Itaque spopondit revocaturum se omnia : quanquam id subdole, ut commotos populi animos promissis hisce compesceret. Perjurum enim ostenderunt facta tum in synodo Sidoniensi, tum in electione Severi, qui factus patriarcha Antiochenus, pejora adversus fidem catholicam machinatus est, juvantibus Timotheo Constantinopolitano et Joanne Nicæota Alexandrino. Atque hæc tricipitina diram adversus catholicos episcopos persecutionem movit, exsilio multantes, ni impietati assentirentur. Hujusmodi erat post synodum Sidoniensem Orientis status.

Thracia ab erroribus hisce immunis erat : atque adeo populi Vitalianum accersivisse videntur, ut fidei causam susciperet, qui, comparato exercitu, Thraciam primum confinitimasque provincias victor obtinuit, exercitum deinde ad urbem Constantinopolitanam duxit, Theophane scribente ibid. : « Hoc anno Vitalianus occupata universa Thracia, Scythia, et Mysia, ducens secum ingentem Unnorum et Bulgarorum numerum cepit Anchialum, et Odyssopolim, ipsumque Thraciæ magistrum Cyrillum, prædis quaquaversum ad Byzantium usque abactis, comprehendit; ac cum Urbi parceret, ad Sosthenium castrametatus est, » etc. Noverat enim populum pro majori parte catholico dogmati adhærentem Vitalianus : proindeque noluit agrum victori exercitui diripiendum committere.

Anastasius et Vitaliani potentiam, et populum ipsum Constantinopolitanum veritus, iterum quod de œcumenica Heracleæ indicenda synodo promiserat, inter pacis cum Vitaliano pacta, adhibito etiam jurejurando, renovavit. Quæ Theophanes in hunc modum prodidit : « Anastasius rebus indesperatis, senatorii ordinis nonnullos qui de pace agenda eum rogarent, misit juravitque una cum universo senatu episcopos exsules Heracleæ Thraciæ se revocaturum. His additum voluit Vitalianus, ut uniuscujusque scholæ princeps idem jurejurando asseverent; atque ut Macedonius et Flavianus propriis thronis injuste expulsi eos reciperent, et reliqui pariter episcopi suos : et ita demum convocaretur synodus, ad quam pontifex Romanus, et cuncti accederent episcopi : ut hoc pacto, quæ adversus orthodoxos perperam decreta fuissent, communis judicii subjicerentur examini. Imperatore vero et universo senatu, et magistratuum populique reliquis jusjurandum interponentibus, et data fide res ordine exposito gerendas affirmantibus, pax conciliata, et ipse domum repetiit, » etc. Imperator interim tempori, quousque Vitalianus exercitum dimitteret, inserviens, laudatas epistolas Hormisdæ dedit, quatenus sanctis obtemperare conditionibus videretur, et populos in tranquillitatem adducere. Eidem Hormisdæ scripsit et Vitalianus.

Pontifex itaque Anastasii imperatoris, magis tamen Vitaliani pre[illegible]ermotus, ne sedis apostolicæ sollicitudini de[illegible] sed fidei in Oriente periclitanti suppetias ferret, epistolas Occidentis episcopis, synodum Romæ indicturus, dedit, prisco scilicet receptoque more, quo consuevere pontifices ante œcumenicam quamlibet synodum Occidentalium episcoporum consultationes audire, vel Romam convocando, vel coactis per metropolitanos in diœcesibus particularibus synodis singulorum sensa perquirendo; atque inde legatos Occidentalium consensum perlaturos deligebant, qui apostolicæ sedis nomine conciliis præessent, et decreta moderarentur. Quod ex epistolarum epigraphe, quæ legatis tradebantur planum est. Sic Agatho ante synodum VI istiusmodi Occidentalium conventus indixit, ac in epistola : « Agatho episcopus servus servorum Dei cum universis synodis subjacentibus concilio apostolicæ sedis. » Celebratæ sub Hormisda Romanæ synodi memoriam debemus libro Pontificali, qui habet lin. 5 : « Ex constituto synodi misit in Græciam, » etc. Itaque synodus Romana eodem tempore ab Hormisda celebratur, in qua epistolæ imperatoris et Vitaliani lectæ sunt, ordo constitutus pro Orientalium Ecclesiarum unione instituenda, obtestationes discussæ, delectisque legatis commonitoria tradita, qui subinde iter ad Anastasium susceperunt

Synodos autem particulares ab Occidentis metropolitis fuisse celebratas, hæc commonstrant. Docet primo Avitus Viennensis doctrina celeberrimus, quem ab Hormisda pontifice fuisse admonitum ipse innuit in epistola, qua requirit an cessaret Orientalium schisma. Exstat illa in tom. II operum Sirmondi, ac inter alia hæc habet : « Dum religionis statui, et plenis catholicæ fidei regulis perspicitis convenire, ut gregem per tota vobis universalis Ecclesiæ membra commissum pervigil cura vestræ adhortationis informet, Viennensem provinciam superiore anno, si meminisse dignemini datis ad humilitatem meam litteris visitastis, quæque ad me secundum quod opportunitas contulerat per Arelatensis Ecclesiæ clericos pervenerunt, et quidem plenissimæ sollicitudine pastorali. In quibus nos, sicut per conversionem provinciarum, id est Dardaniæ, Illyrici, vel Scythiæ, ad communionem gaudiorum provocastis, sic admonitione cautissima, quid nos per ignorant am prævenire possit, instruitis. Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jamdudum per beatissimos decessores sanctæ sedis vestræ calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem nostram apostolicæ ad nos diligentiæ provisione perlata est. » Discimus ex hac epistola dedisse Hormisdam Arelatensi primati epistolam ejusdem rei discutiendæ gratia, eumdem primatem per Ecclesiæ cursores ad Viennensem direxisse : argumentum consultationis omne fuisse, ut cum schismate Nestoriana et Eutychiana causa penitus aboleretur : episcopos Gallicanos consona ad præcedentes pontificias constitutiones rescripsisse. Quod et similiter Arelatensem fecisse, vix ullus est ambigendi locus (apud Labb. tom. IV. *Concil.*, pag. 1474). Exstat Hormisdæ epistola eidem data, in qua provinciarum conversionem memorat, quæ Vitaliano impellente, deposito schismate, apostolicæ sedis communionem receperant. « Episcopi tam Dardaniæ, quam Illyrici pene omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes B. Petri apostolorum principis communionem et scriptis, et legationibus destinatis, se apostolicis regulis obedire confirmarit, » etc. Et in epistola ad Avitum idem pontifex (apud Sirmond. ibid. p. 125): « Epiri metropolitanus, hoc est, Nicopolitanus episcopus, cum synodo sua nuper segregatus ab impiis, ad apostolicam communionem deprompta quæ efficeret, professione se contulit. Quæ ideo scriptis æstimavimus indenda præsentibus, ut, sicut sortem nos convenit dolere pereuntium, ita lætemur pariter de salute remeantium; et ut fideles constituti ab eis longius instruantur, qua virus eorum sollicitudine debeat effugi, quos et a suis videant tam justa detestatione vitari, » etc. Pontificem ad eosdem quoque Gallicanos episcopos ipsa hæc monumenta direxisse in Encyclica indictiva concilii Occidentalium vel Romæ celebrandi, vel juxta veterem consuetudinem in quibusvis provinciis, a quibus Encyclicæ omnium vota responsaque continentes ad pontificem ipsum rescribebantur : imo ad Gallicanos non solum, sed ad reliquos omnes Occidentis primates direxisse, suadet tum singularis Hormisdæ zelus, tum legatorum delectus, qui ex hujus synodi, et Occidentalium constituto missi sunt ad Heracleense concilium.

Digitized by Google

Illyricianis vero conversionis et resipiscentiæ causa fuit lapsus Thessalonicensis primatis, de quo ibi Theophanes : « Episcopo vero Thessalonicensi ob imperatoris metum cum Timotheo Constantinopolitano episcopo communionem tenente, quadraginta Illyrici, Græciæque episcopi, una convenientes, tabulis etiam testibus professi sunt, ab eo velut metropolita se discedere, missisque Romam tabulis. Romani pontificis communionem observare polliciti sunt, » etc. Itaque legati cum instructionibus, et libello fidei, seu professione ab hæreticis et schismaticis edenda, quam Hormisdas synodi Rom. consensu ediderat, Constantinopolim perrexerunt. Sed cum Vitalianus militias dimisisset, ad consueta perjuria reversus Anastasius, conventum Heracleensem irritum fecit. Cujus inanem exitum sic ibid. Theophanes : « Cæterum Hormisdas Romanus episcopus a Theudericho sollicitatus, et Vitaliano vices redditurus, Evodium episcopum, et Vitalianum archidiaconum, indicto Heracleæ concilio, legatos misit. Accesserunt etiamnum ex diversis locis circiter ducenti episcopi, » etc. Et hæc, quoad trium horum conciliorum initia et acta. Heracleensis ejusdem exitum in sequentibus prosequemur.

Linea 5. — *Humanitatem ostendens sedis apostolicæ.* Inter alia synodi constituta unum fuit, ut cum episcopis lapsis remisso jure ageretur. Jure enim canonum schismatici et hæretici, aut in utroque crimine contumaces perpetua depositione plectendi erant. Quemadmodum enim in communi omnium naufragio lapsorum Ariminensium, episcopi omnes palinodiam recinentes, absoluti et restituti sunt propriis sedibus ex Liberii pontificis humanitate, ut est in ejusdem epistola, exstante inter fragmenta S. Hilarii; cui et adhæserat S. Athanasius in altera epistola, quam canonicam appellant Græci, proindeque inter alias canonicas in corpore juris can. Ecclesiæ Græcæ inserta est, de quo et S. Hieronymus in dialogo adv. Luciferianos : pari ratione in hoc casu incedendum judicavit Hormisdas cum lapsis Orientis episcopis, a quo profectum discimus in Romana synodo laudatum constitutum. Eo vel maxime pronum fuit pontifici *humanitatem* hanc adhibere, quod Anastasius criminatus fuisset *propter duritiam decessorum* separatos esse Orientales a Romana Ecclesia. Quod Cyrillus quoque in Vita Sabæ non obscure notavit (apud Coteler., tom. III, p. 295). « Cum patriarcha Elias Hierosolymitarum pontificatum obtinuisset, tertio imperii Anastasii anno, conturbata est Ecclesia Dei, in tres partes divisa, pontificibus quidem Romanis dividentibus a Byzantinis, eo quod sacris diptychis insertum esset nomen Acacii episcopi quondam Constantinopolitani, qui illorum non secutus fuerat accuratam diligentiam, rigidamque disciplinam. » Hormisdas itaque, ut omnem amoveret dissensionum causam, moderato cum lapsis episcopis jure incedendum decrevit.

Linea 8. — *Cum consilio regis Theodorici.* Eadem habet recitato loco Theophanes, expressius addens, pontificem *a Theodorico sollicitatum.* Imo direxit et ipse rex legatum Agapitum, qui interesset concilio, deque eodem mature delecto, hæc in epistola exstante apud Baronium. (Ad ann. 515, pag. 644.) « Sed licet omnis legatio virum sapientem requirat, cui provinciarum utilitas totiusque regni status committetur vindicandus : nunc tamen necesse est prudentissimum eligere, qui possit contra subtilissimos disputare, et in conventu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna res est contra artifices loqui, et apud illos aliquid agere, qui se putant omnia providere. »

Linea 11. — *Euntesque ad Anastasium Augustum nihil egerunt.* Concilium itaque indictum, in quod jam Heracleæ convenerant 200 Orientis episcopi, cum imperator liber a Vitaliano esset, irritum evasit. Prosequitur enim ibid. Theophanes : « Qui tam a scelerato imperatore, quam a Timotheo Constantinopolitano episcopo delusi, re infecta recessere. Impius siquidem imperator, pactis violatis, ad papam Romæ ne veniret, clam significavit : aliunde vero Vitaliano sacram Romam mittendam dederat, qua papam ad concilium Heracleæ celebrandum, ut accederet dolose invitabat. » Tametsi autem dicatur, frustra fuisse priorem hanc legationem, id intelligendum respectu imperatoris, non aliorum episcoporum, quorum plurimi fidei libello a synodo Romana directo subscripserunt, quod recte disputat, et fuse Baronius. Inter hos laudandi Illyriciani, qui epistolam Hormisdæ dederunt, testantes se, cum Constantinopoli degerent, propositæ formulæ subscripsisse. (Apud Labb. ibid., p. 1449.) « Plurimi ex nobis in regnante fuere Constantinopoli cum vestri sanctissimi vicarii Ennodius et Fortunatus episcopi, Venantius presbyter, Vitalis diaconus, et Hilarius notarius degerent pietatis agonem. » Quæ postrema verba innuunt legatos a perjuro imperatore certamina plurima pertulisse. Subjungunt deinde et metropolitanum suum in plena Illyriciana synodo subscripsisse : « Nobiscum autem fuit inter sanctos factus pater atque archiepiscopus Alcyson, qui cum omni præsumptione supplicibus uteus libellis apud vestram beatitudinem dignus effectus est apostolicæ sedi vestræ communicare vobiscum. » Tenebantur enim suffraganei episcopi, oblato publico cuipiam decreto subscribentes, illud idem Metropolitano intimare, juxta id quod actione 4 concilii Niceni II advertit Tharasius et nos fuse in priori de encyclicis epistolis dissert. Atque adeo exemplar libelli ab Hormisda propositi, subscriptique regredientes ex urbe regia ad metropolitam ex more detulerunt. Episcopos etiam Dardaniæ, Thraciæ et Scythiæ libellum eumdem fuisse professos, testatur in sua epistola Arelatensi et Viennensi metropolitis data Hormisdas. Imo episcopi recenter electi tenebantur fidei professionem juxta Hormisdæ libellum emittere. Alcysone enim metropolita denato cum suffectus fuisset Joannes, epistolam scripsit cum hac epigraphe : *Domino meo per cuncta sanctissimo, et beatissimo Patri Patrum, comministro et principi episcoporum Hormisdæ, Joannes in Domino salutem.* In eadem formularii compendium ita proposuit. « Ego... decenter ad vestras orationes concurro, et juxta consuetudinem apostolicæ sedis vestræ, qua cunctarum Ecclesiarum curam habet, et Nicopolitanorum habere dignamini, secundum antiquam spiritalem dispositionem vestram... Votum autem mihi est, vestram sequi doctrinam, sicut inter sanctos prædecessor meus Alcyson exstiterat : et anathematizo Dioscorum, ac Timotheum appellatione Ælurum, et Petrum horum successorem; et Petri communione cum his permistum Acacium, et Petrum qui Antiochenam perturbavit Ecclesiam, sequens in omnibus synodicas et apostolicas epistolas, scriptas a vero præsule R. E. Leone. » Consuetudinem vero, ut suffraganei certiorem redderent metropolitam, hinc ortam reor, quod, cum unanimes omnes cum primate esse deberent in deposito custodiendo, docendisque populis : unde in concilio Chalcedonensi, act. 4, cum edenda foret fidei professio, dixit Beronicianus : *Singuli episcopi fidem suam per metropolitam constituant manifestam, ut nulla dubietas aut discordia relinquatur*, etc. Ad metropolitas ob id dirigebantur statuta concilii, ut per ipsam suffraganeis omnibus intimarentur. Sic exsules Africani episcopi, ac demum revocati, in eo cilio Carthaginensi priorem cleri ordinem restaurantes, et id decreverunt : *Ut secundum Nicænas dispositiones confirmationem eorum quæ fiunt in concilio, dandum uniuscujusque provinciæ metropolitano.* Ut legitur in Actis ejusdem synodi tom. II *Concil.* edit. Harduini, pag. 1079.

Anastasius vero tametsi Heracleense concilium in irritum abire jusserit, fidei suæ professionem emisit, exstantem apud Labbeum p. 1433, ne populi, qui in partes catholicorum manserant, turbas iterum

Digitized by Google

excitarent. In eadem anathema dicit Nestorio, et Eutycheti, eorumque dogmata perversa esse fatetur. Simulat callidus et versipellis princeps venerari se Chalcedonensem synodum, cujus eousque tanto molimine promoverat damnationem. Ad Acacium quod attinet, expungi haud posse scribit ex diptychis, ne in Orientis Ecclesiis majora dissidiorum semina excitarentur. Atque hæc omnia per duos legatos Theopompum comitem domesticorum, et Severianum comitem sacri consistorii ad Hormisdam direxit. Apud Labb., ibid., p. 1430. Legatio istiusmodi laicorum, qui ecclesiastica negotia, ac de fide quidem tractarent, insolens Hormisdæ visa est, tum quod juxta Ecclesiæ morem ex cleri albo deligendi essent, qui res fidei tractaturi erant : tum quod idipsum promisisset, quando pontifici Heracleensem synodum denuntiavit. Legimus hæc in epistola Hormisdæ apud Sirmondum tom. II, p. 151 in qua respondet Avito exspectanti, poscentique gesta concilii Heracleensis, et insuper missæ a sede apostolica et Occidentalium synodo legationis eventum. Pontifex enim exponit primum schismaticorum perfidiam, et Anastasii perjuria, subindeque addit : « Nam unde est, quod cum per Ennodium fratrem et coepiscopum nostrum, sacerdotales viros ad confirmanda ea quæ sedes apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent, multa quoque quæ ad correctionem pravitatis suæ a nobis quæsita fuerant pollicentes non solum non religiosos viros, penes quos causæ ipsius plena esse posset instructio secundum constituta propria non miserunt : verum etiam quasi res parva gereretur, laicos et alienos ab ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de cœno quo immersi tenentur, evolvere; verum etiam catholicæ fidei claritate fulgente, sua, quod absit, se posse crediderunt obscuritate fuscare. Hæc fuit nostri causa silentii, quam vos quoque spirituali vobis prudentia revelante vidistis, quid enim de hac causa poteram directis litteris indicare, quam in statu suo videbam duram pertinaciter custodire perfidiam? » etc. Ex quo et illud discimus pontificem, postquam synodica Occidentalium sensa per encyclicam habuerat, etiam legationis eventum per alias epistolas exposuisse. Quod ut præstaret, secundæ in Orientem legationis fructum exspectabat, adeo ut Avitus silentia prior solverit, cui in hac epistola moræ causas aperuit pontifex.

Linea 7.—*Sub Joanne episcopo Constantinopolitano.* Expungenda hæc sunt, et reponenda p. 84, lin. 1, ubi sic legendum : *Tunc Hormisda episcopus cum consilio regis Theodorici direxit a sede apostolica sub Joanne episcopo Constantinopolitano Germanum.* Occurrit sæpius hæc transpositio; quod suo loco observatum est. Legati enim illi Constantinopoli fuere, cum Joannes ad episcopatum assumptus est : siquidem tempore prioris hujus legationis erat pseudoepiscopus Timotheus Eutychianista.

Linea 11. — *Idem secundo misit.* Legationis hujus meminit Hormisdas in laudata epistola ad Avitum apud Sirmondum. Occasionem habuerat pontifex ex plurium Orientalium episcoporum conversione, quos ut juvaret, secundam novis adjectis instructionibus adornavit legationem. Ad hæc perdurabat conceptus de Vitaliano metus, quod avertit Cyrillus in Vita Sabæ : *Anastasius . . . detentus a Vitaliano barbaricis moribus consilium cœpit ea in re interim quietem et silentium tenere*, etc. (*Ibid.* pag. 320.)

Linea 13. — *In quo libello noluit consentire Augustus.* Tenor libelli erat cujusmodi strictim exhibetur in instructione legatis data, modumque præscribit, quo fidei professio emittenda foret. (Apud Labb. p. 896.) « Consentientes etiam episcopi in Ecclesia præsente plebe Christiana hæc prædicare debeant : amplecti se sanctam fidem Chalcedonensem, et epistolas S. Leonis papæ, quas scripsit contra hæreticos Nestorium, et Eutychen, et Dioscorum : sed et contra sequaces eorum Timotheum Ælurum, Petrum, vel contra eos qui in ipsa causa tenentur obnoxiis : simul etiam et Acacium, qui quondam Constantinopolitanæ Ecclesiæ fuit episcopus; sed et Petrum Antiochenum anathematizantes cum sociis eorum. Hæc manu propria electis venerabilibus viris scribentes, faciant secundum textum libelli, quem per notarium nostrum edidimus, » etc.

Hinc etiam constat semper in hisce apostolicæ sedis legationibus notarium adfuisse, qui exciperet subscriptiones professionesque subinde, ut alias vidimus, in archivis Ecclesiæ Romanæ diligenter asservatas.

Linea 13. — *Contestationes secretas.* Hormisdas præter epistolas imperatori, aliisque in secunda hac legatione directas, præscius circulatoriæ artis tum ejusdem imperatoris, tum Timothei pseudoepiscopi Constantinop. 19 secretas contestationes legatis tradidit, ut si imperator præpediret, ne palam per Orientem apostolicæ sedis statuta vulgarentur; laborarent per delectos viros, ut hæ contestationes seu comminationes clanculum in primariis circumquaque sedibus appenderentur. Illustre id genus contestationum exemplum docemur ex Actis concilii Ephesini, quando Nestorius pravum suum dogma evulgare cœpit. Cum enim is, aulæ potentia fretus, veritatis defensoribus minas et exsilia passim intentaret (qua de re Cœlestinus in epist. ad clerum et populum Constantinop. cisdem dirigens sententiam in Nestorium, et fusius monachi in supplicatione Theodosio exhibita; quæ exstant prima parte conc. Ephes., et Socrates lib. VII; Evagrius, lib. I; Liberatus, lib. I memorant) Eusebius, tunc Scholasticus, postea Dorileensium episcopus, strenuusque subinde catholicæ fidei propugnator in synodo Chalcedonensi, debacchantem in dies magis hæresiarcham perspiciens, pavidosque alios omnes, secretam contestationem vulgavit, nomine suo quidem suppresso, sed ex cujus lectione agnoscerent omnes, damnari in ea Nestorium, eamdemque episcopis et catholicis omnibus direxit, legentes per SS. Trinitatem adjurans, ut illam in omnium notitiam pervenire curent. Exstat hæc cap. I, primæ partis Ephes. conc. edit. Hard. ac istiusmodi titulum præfert. « Contestatio proposita in publico contra clericos Constantinop. et in Ecclesia insinuata, quia sectator esset Nestorius Pauli Samosateni anathematizati ante annos 160 ab orthodoxis episcopis, » etc. Contestationis initium ita habet : « Conjuro accipientem hanc cartham per sanctam Trinitatem, ut eam palam faciat episcopis, presbyteris, diaconibus, lectoribus, laicis habitantibus Constantinopolim, insuper etiam exemplar eis præbeat, ad increpationem hæretici Nestorii, quia similia sapit anathematizato Paulo Samosateno ante annos 160 ab orthodoxis episcopis, » etc. Subsequuntur deinde Pauli dicta et Nestorii, ut inferant lectores, Nestorium eadem cum Paulo Samosateno dogmatizantem, ceu hæreticum damnandum, habendumque esse. Vetus interpres ad calcem notam hanc apposuit : « Hæc contestatio posita est Constantinopoli in publico, adhuc tenente Nestorio sedem ejusdem Constantinopolis, et male docente, » etc. Itaque hujusmodi contestatione publice per fidos catholici dogmatis assertores appendebantur, si quod erat principum interdictum, aut superior potestas, inhibens discussionum harum publicationem. Marius Mercator in scholiis ad 3 Nestorii sermonem observat Eusebium primo obstitisse hæresiarchæ, publice blasphemanti. « Cum Nestorius in media Ecclesia profanis uteretur vocum novitatibus, quibus et θεοτόκον et geminam Christi nativitatem insectabatur, vir quidam sane probus, qui adhuc inter laicos erat, sed tamen admirabilem sibi collegerat eruditionem, ferventi et religioso zelo permotus, et intensiori voce exclamans, inquit, ipsum ante sæcula Verbum etiam secundum subiisse generationem, id est illam secundum carnem, et ex muliere, » etc. Laicum hunc

Digitized by Google

fuisse Eusebium, et Nestorium publice reprehendisse, dicitur in Breviculo Eutychianistarum. « Cum Eutychen Eusebius Dorylitanus episcopus suadere talia reperisset, zelo fidei, quem etiam cum agens in rebus esset, ostendit, ipse enim Nestorium quoque in tempore reprehendit in Ecclesia res sacrilegas prædicantem, » etc. Eusebius itaque persecutionem passus est, fortassis exsul, quod initium contestationis innuit, siquidem per alios eadem Constantinopoli vulgata fuit, non ab ipso Eusebio : proindeque absens supponitur. Ac quidem a publica ea priori reprehensione, mala plurima eumdem sustinuisse, probant Leontii Byzantini verba lib. III cont. Nestor. et Eutych. : « Proposita est utriusque refutatio, Pauli (scilicet Samosateni) et Nestorii ex testimonio publice proposito, ut aiunt, ab Eusebio qui tunc florebat in judicandi potestate, postea autem præfectus fuit Ecclesiæ Doryleensium, qui divino zelo, ut testantur, incensus, hæresim Nestorii et Eutychetis reprehendit et convicit, infinitis periculis pro pietate objectus, » etc. Recitat subinde laudatam contestationem. Has itaque contestationes laudat liber Pontificalis, quas Hormisdas, præscius futuri certaminis, legatis dedit. Tertullianus pridem cum ob persecutiones vetitum Christianis esset apologias edere, vulgavit tamen, et quod sine nomine ac clanculum, tacitum libellum ipso in limine dixit. Imo ne a proposita Nestorianismi causa discedamus, similes occultæ contestationes vulgatæ sunt per Orientem contra S. Cyrillum a Nestorianis, de quibus idem Cyrillus (tom. I *Concil.*, edit. Hard., part. I, Conc. Ephes., c. 12). « Ad Bapham martyrium diaconum, qui ecclesiasticorum negotiorum præfectus duas carthulas miserunt, alteram a Photio, aut alius ejus farinæ nomine contra commonitorium, quod ad monachos scripserat compositam : alteram forma quaternionis, cum nova plane ac absurda inscriptione in hunc modum : Adversus eos, qui propter unionem, aut Unigeniti deitatem interimunt aut humanitatem deificant, » etc. Perdurabat et S. Gregorii M. ævo consuetudo, scribente eodem lib. V, epist. 30 : *Nocturno silentio, in civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem.*

Num. 85, linea 5. — *Cum militibus et magistrianis.* Perjurus imperator legatos non dimisit tantummodo, sed perdi, ærumnisque affici jussit. Militum custodiæ eos tradidit, ac insuper præfectianos et magistrianos adhibuit, qui et caverent ne cum aliquo loquerentur, et imperatoria edicta proponerent civitatibus quibus distincte vetitum, ne sedis apostolicæ legatos exciperent. Equidem majoris momenti edicta per magistrianos et præfectianos vulgari consuevisse multa docent. Joannes Antiochenus ut Ephesum venit, horum opera Candidiano comiti adventum suum significavit, quatenus ille episcopis in concilio adunatis renuntiaret. Ita Nestorius in epist. Theodosio data in cod. Cassin. c. 8, pag. 30, ubi de Candidiano. « Quia vero agnovit magnificentia ejus et sanctissimum Joannem... et eos qui cum eo sunt, propinquasse : hoc enim directi ab eo præfectiani et magistriani manifestum fecerunt. » In controversiis acri animorum contentione habitis legitimum concilium inter et schismaticos Orientales, epistolæ imperatoris per hos leguntur allatæ; quod passim in Actis videre est. Non secus cum Leo imperator sensa episcoporum omnium postularet, Encyclicas totius orbis metropolitis magistriani detulerunt. Quod legimus in synodica Sardianæ synodi III, P. Conc. Chalced. c. 22, pag. 729, edit. Hard. : « Quoniam divina sanctione per Eudoxium virum devotum magistrianum religiosissimo nostro metropolitæ Eutherio data, convocati sumus in civitate Sardianorum, litteris memorati sanctissimi viri metropolitæ nostri directis : congregatisque nobis in urbe prædicta, vestræ pietatis litteræ sunt directæ, » etc. Ex quo non abs re notabis, a magistrianis monitum metropolitam pleno jure suffraganeos in synodum coegisse, ubi magistrianus principis postulata exponebat : ut propterea actio synodalis omnino episcoporum fuerit, principum vero postulatio simplex. Quod et contigisse legimus in synodo Rhodiensi ibi c. 25, pag. 756, magistriani synodo epistolam tradebant, et regressuri, testimonium se dedisse probans repetebant. Magistrianorum etiam et præfectianorum erat publica quævis edicta et acta excipere, ac deferre. Hinc in cod. Cassin. edicto a C. V. Christiano Lupo, c. 133, pag 274, de nefariis actibus cujusdam Anastasii ait Theodoretus : « Sed et in regia urbe multos habet, qui conspexerunt ejus illecebras præfectianos et magistrianos, et publicos civitatis quorum testimonia, in scripto nobis Chalcedone oblata nos legimus. » Theodosius, ut motam controversiam Patres Ephesinos inter et Orientales terminaret, jussit per magistrianum utramque partem contendentium proprias sedes repetere, ac peculiariter ad Joannem patriarcham direxit, qui imperatoris voluntatem cæteris metropolitis aperiret. Executus est Joannes, perscriptamque a se epistolam magistriano dedit ab imperatore misso, ut ad Alexandrum Hieropolitanum metropolitam deferret. Cum vero is nec legere, imo ne recipere quidem vellet, eam recitavit Magistrianus, ejusque exemplar notario Alexandri tradidit, et scriptam ab Alexandro testificationem recepit, quam Joanni ostenderet. Hujus antiqui moris monumentum exstat in synodico Cassin., c. 127, merito recolendum ad hierarchici ordinis ostensionem, cum imperatoris petitiones per primates metropolitis innotuisse constet : constet etiam quomodo epistolis, religionis bono a metropolitano directis subscribere tenerentur episcopi, ut penes eumdem consentientium unaquaque de re episcoporum documenta servarentur. Hinc si quando episcopi ipsi subscribere non possent, per notarios subscribebant. Unde in concilii Ephes. subscriptionibus occurrit (apud Balsam. in n. collect. Conc., p. 633). *Venantius episcopus Hierapoleos subscripsi per notarium meum Theodorum.* Ex quibus omnibus liquido apparet, quemadmodum encyclicæ pro terminandis controversiis editæ Ecclesiis innotescerent, exhibitusque in iis episcoporum consensus facillime agnosceretur. Adde supradictis palladium magistrianum, a Theodosio missum ad utriusque partis episcopos Ephesi decertantes regressurum ab utraque litteras ad imperatorem retulisse in quibus testantur omnes recepisse se epistolas divales per eumdem magistrianum allatas. Imo præfectis provinciarum si quæ publicanda dirigeret imperator, jubebat pariter ut rescriberent, seque publicasse testarentur. Unde ad edicti calcem, quod per imperium omne adversus Porphyrium, Nestorium, et Irenæum vulgavit, exstans in part. Conc. Ephes., hæc demandat præfectis. *Magnificentia tua nostræ pietatis scopum assecuta, curet hæc observari, et primo quoque tempore transacta reddi.* Legitur et ejusdem mandati exsecutio additurque nota hujusmodi : *Lecta sunt hæc in ecclesia Solitariorum, 23 Pharmuti, hoc est Aprilis indictione IV anno Diocletiani* 164. Et cum Candidianus comes direxerit contestationem sanctæ synodi Ephesinæ, ut ab incœptis quiescerent, addit in fine : « *Cognoscite igitur quod scripti hujus exemplar etiam domino nostro piissimo imperatori transmissum est.* Et altera manu : *Propositum est decimo Kal. Julii in Ephesina civitate.* Exstat in syn. Cassin. c. 9. Congruit ergo receptæ consuetudini liber Pontificalis, memorans cum legatis milites missos fuisse, qui arcerent eosdem ab omni Orientalium commercio, neve alio pergerent, sed recta Romam regrederentur : magistrianos vero et præfectianos, qui civitatibus intimarent, ne quis legatorum scripta suscipere, aut cum eis conferre quidquam auderet.

Linea 7. — *Secretius.* Acacius, cujus partes tuebatur Anastasius, primus legitur qui custodias in itineribus locarit, ne scripta apostolica per Orientis

Digitized by Google

Ecclesias vulgarentur, unde coacti fuere Rom pontifices sententiam in Acacium latam secreto evulgare. Testatur enim Gelasius in epist ad episcopos Dardaniæ hæc in causa Acaciana acta fuisse ab apostolica sede (tom II Conc p. 915) : « Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo præsulis apostolici, cujus erat utique potestatis legitimæ, probatur esse deprompta, præcipue cum secreta dirigenda videretur : ne custodiis ubique prætentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita, necessarium habere non posset effectum : tamen quia orthodoxis ubique dejectis, et hæreticis tantummodo eorumque consortibus jam relictis in Oriente, catholici pontifices aut residui omnino non essent, aut nullam gererent libertatem. » Quemadmodum autem pontificis decreta in causa Acaciana, tametsi secreto appenderentur, nihilominus præsulis Romani nomine legebantur inscripta : ita, quanquam contestationes secreto a monachis per præcipuas Orientis urbes appenderentur, nomen Hormisdæ, omniumque Occidentalium consensum præferebant. Quod infra notabimus.

Linea 7. — *Suprascriptas epistolas fidei* 19. Quas supra contestationes dixerat, vocat hic epistolas fidei : apte quidem utrumque, advertente ad annum 516, proindeque circa id temporis, Theophane. « Monachi deserta Palæstinæ loca inhabitantes, divino fervore accensi, quatuor fidei scriptas ediderunt obtestationes; quarum duas quidem ad imperatorem, ad provinciæ præfectos unam, et alteram ad Hierosolymorum episcopum miserunt, palam professi a sancta Chalcedonensi synodo nullatenus se discessuros, neque cum impio Severo communionem habituros, quandoquidem vel ipsis sacris locis incendio consumptis, et morti parati forent. » Quæ et leguntur in Vita Sabæ, pag 313, ibid. Hinc contestationum usus et argumentum constat.

Linea 7. — *Per manus monachorum.* Zelo equidem monachorum stetit in majoribus fidei certaminibus definiti catholici dogmatis professio. Qua de re passim ecclesiastici primi scriptores. Satis erit illud commemorasse, quod Sozomenus habet lib VI, c. 20, ubi disserit, Lucium pseudoepiscopum Alexandriæ tuto sedem suam retinere potuisse ob monachorum fidem : « Lucius adjuncto sibi duce Ægypti, cum magna militum manu adversus monachos in solitudine degentes expeditionem suscepit. Sic enim existimabat, si homines tranquillitatis amantes molestius exagitaret, fore ut illos sibi morigeros haberet, eaque potissimum ratione Christianos in urbibus agentes, ad suas partes traduceret... quorum testimonio adhærent multitudo vulgi, eamdem cum illis doctrinam fidei profitebatur : quippe quæ de dogmatibus disputare et garrire, neque vellet, neque nosset : penes illos autem veritatem esse crederet, qui virtutem factis suis profiterentur. » Addit quæ cap 27 facile Orientem ad Eunomii et Apollinaris dogmata declinaturum, nisi monachi obstitissent. « Populus enim in illis regionibus, cum monachos... ob virtutem atque opera valde admiraretur, recte illos sentire existimabat : eos vero qui aliter sentirent tanquam adulterinis opinionibus inquinatos aversabatur. » Eadem repetit Philostorgius lib III, num 18, Theodoretus, legatus ad Theodosium missus, ad schismaticorum causam tuendam, scribit Alex Hieropolit (in syn Cassin. c. 20) : *Clerus vero universus cum bonis illis monachis nos valde impugnat*, etc. Conqueritur imo horum opera ne collectas quidem fieri in Ecclesia posse. Hoc ipso tempore cum Anastasius post synodum Sidonionsem direxisset. *Anastasium Pamphili ducatui Palæstinæ præfectum* ut Joannem patriarcham e throno deturbaret, ac cognosceret Severum Antiochenum patriarcham, necnon Chalcedonensi concilio anathema dicerent universi; patriarchæ deliberandi dies aliquot petiit et obtinuit. Interim « omnem monachorum cœtum ad sanctam civitatem convocavit, et undique collegit; quam multitudinem quidam numerando renuntiarunt agmen decem millia monachorum continuisse. » Cum hi astarent in ecclesia, et adesset præfectus, Joannes responsurus « ascendit in ambonem archiepiscopus, secum habens Theodosium et Sabam monachorum principes et ductores; omnisque populus per multas horas clamabat : hæreticos anathemati subjice, synodum confirma. Statim igitur ex consona unaque voce tres illi anathematizabant Nestorium, Eutychen, Severum, Soterichum Cæsareæ Cappadociæ, et omnem, qui synodum Chalcedonensem non reciperet. Quæ postquam ii tres prædicaverunt, atque descenderunt, reversus abbas Theodosius, hanc ad populum vocem emisit : Si quis, inquit, quatuor synodos non admittit sicut quatuor Evangelia, anathema sit. His itaque gestis dux quidem multitudine monachorum territus in Cæsaream fugit. » Itaque per monachos apostolicæ sedis legati contestationes affigi in præcipuis Orientis viribus allaborarunt. Contumacior Acacianorum et malæ causæ studium impulit apostolicam sedem istiusmodi ratione fidei oppugnatæ prospicere.

Linea 9. — *Qui erant complices Anastasii.* Acaciani nempe, sedi apostolicæ infensissimi, Acacii vestigia prementes, quem notavimus primum interdixisse, ne apostolica rescripta vulgarentur, autographas fidei epistolas, e locis undequaque dimotas ad imperatorem miserunt.

Linea 10. — *Pro crimine.* Respiciunt hæc verba edictum, civitatibus per magistrianos et præfectianos missum, ne cum legatis loqueretur ullus, seu apostolica exciperet scripta : aut si mavis, quod Basiliscus, Zeno et Anastasius, edicto caverint, ne quis auderet apostolicæ sedis decreta appendere. Acaciani itaque secretam epistolarum Hormisdæ publicationem, ceu crimen imperatori detulerunt, qui durius ob id pontifici rescripsit, ut mox dicemus. Invexerant patriarchæ Constantinopoli, ut Ecclesiasticorum nullus imperatorem conveniret, nisi a patriarcha præsentaretur. Hinc Hormisdas ipse in commonitoriis traditis legatos monet, ne apostolica decreta imperatori offerant præsente Timotheo Constantinopolitano, neve illo in hæresi contumaciter persistente, decreta ulla obsignent. Servitus hæc per Acacianos inducta est, ut gnari, quid apostolica rescripta statuerent, principes ad libitum possent circumvenire. Verum tametsi Acaciana cohors secretas hujusmodi publicationes, ceu crimen reputarit, secus plebs, quæ ferventius veritati institit, insectata imperatorem, ut mox ex Theophane adnotabimus. Imo, Anastasio denato, electoque Justino, nihil vehementius inter acclamationes expostulavit populus, quam illud (tom. II Concil., p. 1338, l. D) : *Synodica Romana modo valeant.* Quæ haud dubie erant novemdecim fidei epistolæ appensæ, et ab Acacianis criminatoribus ad imperatorem Constantinopolim directæ, de quibus et Justinianus, adhuc comes, ad Hormisdam in hunc modum scripsit : *Scimus enim litteras vestræ beatitudinis, et antecessorum vestrorum ad Orientem directas, quid super hanc eamdem causam contineant.*

Linea 10. — *Furore repletus.* Imperator Anastasius Acacianorum suasu, hæc fidei scripta, velut tumultuum incitamenta traducentium, durius egit cum Romano pontifice, ac tum primum, solutus Vitaliani metu, in eumdem debacchari cœpit. Hæc ob Acacianos. Sed populus imperatoris perjuriis, et mala fide perspectis in eumdem commotus est, imprimis ut audivit male habitos apostolicæ sedis legatos, et solutam ab imperatore Heracleensem synodum. De quibus ita Theophanes : « Plebs autem omnis, et Senatus universus Anastasium, ceu perjurum, conviciis impetebat. Ad quæ nefarius ille impudentissime dicebat : haberi legem, quæ imperatorem in necessitate constitutum pejerare ac mentiri jubeat. Hæc ille scelestus Manichæorum discipulus, » etc. Hinc hausisse censeas Thomam Hobbe-

Digitized by Google

sium exitialia religioni, imo et regnis axiomata, quæ id generis multa in libro de Cive perscripsit. Pravam hanc Acacianorum artem, ut et reliquorum Anastasii aulicorum, paucis Avito sic renuntiat Hormisdas (apud Sirmond. ibid. p. 131) : « Sed quantum ad Græcos ore potius præferuntur pacis vota, quam pectore, et loquuntur magis justa, quam faciunt : verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant : quæ fuerint professi negligunt, quæ damnaverint hæc sequuntur, » etc. Sed in monachos præcipue, quos exsecutores esse noverat, diram movit persecutionem, ducibus Severo Antiocheno, et Petro Apameensi pseudoepiscopis : quam monachorum lanienam retulerunt ad pontificem Hormisdam; atque inter cætera (apud Labb., p. 1461) : « Quoniam Christus Deus noster Principem pastorum, et Doctorum, et Medicum animarum constituit vos, et vestrum sanctum angelum : dignum est passiones quæ nobis contigerunt exponere, et immisericordes ostendere lupos qui dissipant gregem Christi. Qui autem sunt isti, et qui adversus nos armaverint, audisti utique, Beatissime. Severus ille et Petrus, qui nunquam in Christiano numero reputati sunt, qui per singulos dies sanctam Chalcedonensem synodum, sanctissimum et beatissimum Patrem nostrum Leonem publico anathemate impetentes, qui judicium Dei nihil æstimantes, et colendos canones SS. PP. conculcantes, illudere prædictam sanctam synodum suppliciis inæstimabilibus affligentes, euntibus nobis ad mandram Domini Simeonis pro causa Ecclesiæ insidiati sunt nobis in itinere perditi, coinquinati et supervenientes occiderunt ex nobis 350; quosdam autem vulneraverunt, alios vero qui potuerunt ad colenda altaria fugere, ibidem peremerunt, et monasteria incenderunt, » etc. Monachorum horum memoria die 31 Julii recolitur. De his vide relationes monachorum in concilio Constantinopolitano sub Menna, tom. II concil.

Linea 12. — *Percussus est fulmine divino Anastasius.* De ejusdem obitu Cyrillus in Vita Sabæ, ubi susceptum a S. abbate iter ad solandum Eliam episcopum refert, et genus mortis Anastasii, et diem a sancto antistite prædictum notavit. Etenim « reversus, inquit Cyrillus, Hierosolymam agnovit, nocte decimæ diei Julii mensis, qua patriarchæ Eliæ visum objectum est, tonitruis et fulgoribus circa palatium volutatis imperatorem Anastasium omnino solum fere absumptum, eumque animo concidentem, ac de locis in loca fugientem, in uno e parvis cubiculis ab ira divina comprehensum fuisse, prostratum, occisumque, ita ut repente mortuus sit. » Quæ verba prædictis plane consentiunt. Eadem habet Theophanes, et Zonaras, Annal. lib. XIV, 57. Hinc verba, quæ ab inscio Amanuensi inserta sunt in Vita Anastasii pontificis, hic restituenda sunt, et, ut oportet, ad Anastasium imperatorem referenda. Ipsa circumstantia ibid. adnotata mendum et transpositionem intercurrisse indicat, dum refertur percussum fuisse, cum Acacianorum causæ patrocinaretur Anastasii pontificis tempore : cum tamen Acacianorum criminationes ob appensas clanculum Horm isdæ contestationes audiverit, duriora ob id Hormisdæ rescripserit, et Acacianorum causam, catholicos dira exagitans persecutione, foverit.

Linea 14. — *Auctoritatem suam.* Imperialia rescripta nomine, inter alia, *auctoritatis* indigetarunt Græci. Hinc in Liberio legimus : *Tunc missa auctoritate Catulinum agentem in rebus.* Et apud Marculphum lib. I, formul. 3 et 4 : *Ut hæc auctoritas perpetuum obtineat vigorem, manu propria firmavimus*, etc. Proprie itaque erat *auctoritas* epistola, quam imperatores manu propria obsignabant. Priscæ hujus consuetudinis vestigia in Justino notanda sunt, qui recens electo Romano pontifici epistolam misit cum sua fidei professione, suaque manu obsignatam, de qua Gregorius II in epist. ad Leonem Isauricum, qui affirmat easdem manu imperatoris signatas servari adhuc in scriniis sedis apostolicæ ad vicinia S. Petri. Necessaria erat obsignatio istiusmodi, cum per hanc et reliquas aliis patriarchis datas, edicta Anastasii adversus synodum Chalcedonensem anti-quarentur, necnon episcopi ob eamdem fidem exsules revocarentur. Meminit Cyrillus ejusdem auctoritatis in Vita Sabæ ibid. : « Cæterum sic defuncto Anastasio, statim Justinus ubi imperium assumpsit, leges tulit, quibus jubebatur, ut omnes ab Anastasio in exsilium pulsi revocarentur : item synodus Chalcedonensis sacris diptychis insereretur, » etc. Verum cum hæc Justini auctoritas, per Orientem quaquaversum directa, causa fuerit ut plurimæ cogerentur synodi, et episcopi undequaque encyclicas ederent, ut iterum approbarent Chalcedonense concilium, eodem modo, quo factum est sub Leone imperatore juxta formam tomi encyclici, exstantis in part. conc. Chalced., ob id anteaquam notas prosequamur, ad hujus rei illustrationem discutienda est Palæstina synodus, quam collectores omnino prætereunt.

De synodo Palæstina sub Joanne patriarcha Hierosolymitano.

Justinus imperium adeptus, duo in limine præstitit : fidei professionem ad Hormisdam Rom. pontificem direxit, edictaque per imperium vulgavit, ut libello seu epistolis fidei secreto per monachos appensis, subscriberent. Cum enim episcopi facta sibi conventuum copia congregati in synodis, subscriptum libellum ediderint, in quo comprehensa ea omnia quæ legatis in Orientem sub Anastasio proficiscentibus, pontifex in instructionibus dederat; fuerit oportet et in epistolis illis appensis expositus idem libellus, addita contestatione, ut si quis eidem non subscriberet, alienus esset a catholicæ Ecclesiæ communione : cui etiam subscribi jusserit imperator. Et quidem de Joanne Hierosolymitano, cui utpote primati jussa hæc delata fuere, ita Cyrillus in Vita S. Sabæ (ibid. p. 326) : « Quæ Justini jussa postquam Hierosolymam delata fuissent, infinita multitudo monachorum et laicorum congregata est : concurrit quoque S. Sabas, et episcoporum concilium, celebratoque festo, sexta Augusti mensis promulgata sunt divinæ jussiones, et quatuor synodi in sacris diptychis repositæ sunt. » Synodus hæc cum anno 518, die 6 Augusti coacta fuerit, cumque Anastasius intra Julii diem 9 et 10 noctu obierit; consequitur synodorum celebrationem haberi cœptam continuo ab obitu Anastasii, anteaquam pontifex novam adornasset legationem, novumque fidei libellum dirigeret. Joannes Hierosolymitanus acta eadem proposuit in synodo Palæstina episcopis Cæsariensi et Scythopolitano. Unde subjungit Cyrillus : « Tunc archiepiscopus Hierosolymorum Joannes suadet sancto Patri nostro Sabæ transire usque in Cæsaream et Scythopolim una cum aliis quibusdam eremi hegumenis, ad patefaciendas imperatoris litteras, et quatuor concilia per urbes sacris diptychis inserenda. Cum autem Cæsaream pervenissent, occurrit iis sanctus Joannes Chuzibita, qui illius urbis pontificatum eo tempore obtinebat : expletisque illic quæ mandata fuerant, etiam Scythopolim advenerunt. Atque in occursum eorum cuncti cives una cum sanctissimo metropolita Theodosio prodiere ad sancti Thomæ apostolium seu templum. Regressique cum psalmis, synaxim in vetere sancta ecclesia celebrarunt. Tunc publicantur divinæ litteræ, necnon quatuor synodi in sacra diptycha referuntur, » etc.

Ante synodum Palæstinam celebrata est synodus Constantinopolitana, ac ad populi quidem postulata, qui Joannem patriarcham abscedere passus non est, nisi tria hæc præstaret. 1. Sacris diptychis quatuor synodos œcumenicas restituere. 2. Anathema Nestorio et Eutycheti dicere. 3. Severum anathematizare. Unde inter acclamandum dicebant : *Synodica Romana modo valeant;* nempe contestationes, quæ clanculum appensæ fuerant, et per Acacianos prohi-

Digitized by Google

litæ, ne executioni mandarentur. Cum vero tria illa signanter in epistolis fidei præceperit pontifex, eademque populus in plena Constantinopolitana synodo solemniter a patriarcha publicari postularet; quod et de ambone fecit; constat per synodos particulares, jussu metropolitanorum congregatas, solemnem rescriptorum apostolicæ sedis professionem fuisse editam, atque imprimis per laudatam Constantinopolitanam, cujus ope inita pax est Orientalem inter et Occidentalem Ecclesiam. Avitus Viennensis nullum adhuc aut ab Hormisda, aut a Joanne Constantinopolitano gestorum nuntium acceperat. Quamobrem eidem Joanni epistolam scripsit, quam primus edidit Sirmondus tom. II, pag. 41, ac post initium hæc notanda : « Cum enim, ut præcipuum sacerdotem, justo vos desiderio sitiremus, adjecit vir illustris Laurentius honorem vestri animis nostris, indicans apicibus suis omne nubilum, quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuscaverat, redintegratæ pacis serenitate detersum : et eam cum Romano antistite vos habere concordiam, quam velut geminos apostolorum principes mundo assignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici potest, de tantarum ac talium Ecclesiarum pace non gaudeat, quas velut in cœlo positum religionis signum pro gemino sidere mundus exspectat. Quis non merito delectetur infirmantium reditu, incolumium statu, cum aliis ovibus intra claustra salvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat evagata, cœlestibus caulis lætitia plaudente revocatur? Custodite igitur, quasi Patres, traditam vobis etiam super nos Ecclesiæ disciplinam. Concordiæ vestræ tantum opus est magisterio, quantum et exemplo. Quam charitatem populis suadebimus, si hanc in nostris rectoribus nescianus? Quid in corpore firmum videri poterit, quid nutat in vertice mancum? Ergo piam redeuntibus date, ne quis intentione pereat, prædicationem. Prospicite ne speculata signa tam fera bestia populetur, si ab unitate sensus vestri Roma dissultet. Memores vero nostri, quia si super dissensionem vestram sol occidat, damnum Orientis est, prosperrimum quem supradixi nuntium per fidelissimum virum ad notitiam nostram firmate rescripto; ut exspectans Occidentalis Ecclesia in sermonibus vestris donum cœlestis oraculi, quod se lætatur accepisse per condiscipulum, multiplicari sibi gaudeat per magistrum, » etc. Eadem fecit Tyria synodus, ut ex epistola synodica constat, exstante in synodo sub Menna. Fecit et Illyriciana, cujus responsiva epistola Hormisdæ data exstat tom. II Conc. inter Hormisdæ epistolas.

Cum apostolicæ sedis legati advenerunt, continuo episcopi a singulis civitatibus subscriptos libellos offerebant, stare fuse in relationibus Dioscori sedis apostolicæ legati, exstantibus inter pontificis epistolas, et apud Baronium. Solemnis autem hæc professio per encyclicas epistolas, ab Orientis episcopis, in causa trium capitulorum edita, et facta earum medio confirmatio altera, proponitur a Rustico diacono, ceu Ecclesiæ judicium, et indubium fidei argumentum. (In Bibl. Max. PP., tom. X, pag. 382.) Sic enim, ubi numerum in synodis et subscribentium in suis sedibus episcoporum censet : « Licet sufficeret tibi unica auctoritas synodi universalis, quæ numero superat universas, quæ toties cunctarum Ecclesiarum consona sententia confirmata est, tam per encyclicas regnante Leone, quam per libellos sacerdotum forsan duorum millium et quingentorum, imperante Justino, post schisma Petri Alexandrini, et Acacii Constantinopolitani, » etc. Neque mirum videbitur subscribentium et libellorum numerum innotescere potuisse : siquidem testatur Dioscorus in relat. subscriptos libellos omnes ad apostolicam sedem fuisse missos; et Hormisdam, cum recepisset Epiphanii Constantinopolitani antistitis synodicam, Joanni denato suffecti, monuisse in responsis, ut fidei causam promoveat, et resipiscentes episcopos benigniter excipiat : « ita tamen, ut eos qui fuerint Urbis communione sociati, vel per eos sedi apostolicæ, vestra nobis scripta declarent, quibus etiam continentia librorum, quos obtulerint, inseratur, » etc. Necessaria erat istiusmodi cautio, ut ex libellis subscriptis, qui in archivis asservandi erant, unanimis Ecclesiæ consensus perspici potest. Quod vero attinet ad schismatis tempus, ad turbas in Oriente per Acacianos motas, et encyclicarum ope compositas repressasque subscribentibus tot ubique episcopis, hæc annotavit Facundus adv. Mocianum, (ibid. pag. 109) : « Quia supradictus Zeno sedis apostolicæ decreta contemnens, prædicto Acacio communicabat, et omnes Ecclesias in sui regni finibus constitutas idem facere compellebat, Anastasio deinde in imperium et præsumptionem similem succedente, omnis Oriens præter admodum paucos qui in illa multitudine occulti latebant, a communione sedis apostolicæ per 49 ferme annos usque ad tempora Justini permansit, » etc. Atque hæc quoad synodos secundo celebratas ab episcopis, ut Chalcedonense concilium confirmaretur, et unio tandem Romanam inter et Orientalem Ecclesiam sancireturo.

Num. 84, linea 14. — *Hic papa Hormisda.* Dixerat antea Hormisdam consilio consensuque Theodorici legationem direxisse : addit jam eumdem Ravennam adiisse, ut regis consilio legationem et auctoritatem mitteret. Sciebat enim Theodoricum ab ineunda cum Orientalibus unione et pace alienum haud esse. Scribit enim de eo Jornandes : *Athalaricum, filium filiæ suæ Amalascuntæ, regem constituit, eisque in manda is dedit, ac si testamentali voce denuntians, ut principem Orientalem placatum semper propitiumque haberent*, etc.

Linea 15. — *Et vinculum chirographi.* His significari arbitror causam Acacianæ damnationis uberius fusiusque discussam. Quemadmodum antea edidit Gelasius scriptum *de vinculo anathematis*, ubi demonstrabat jure canonum damnatum fuisse Acacium. Cum enim Acaciani, ut mox refertur, regererent, reddendam rationem esse, causamque et æquitatem aperiendam damnationis Acacii, voluit pontifex legatos uberius instruere, quatenus ostenderent, merito anathemate percussum fuisse Acacium. Justinus equidem operose institit apud episcopos, ut damnatio hæc reciperetur vulgata (*epist* 31). Scripserat imperatori Hormisdas, quam maximas agens gratias ob priora vulgata edicta subjungens : « Tantæ magnanimitati gratias agentes, quanta possumus petitione deprecamur, ut Acacii nomen cum sequacibus suis, quod plenæ unitatis Ecclesiarum impendit gaudium, damnationis ordine sit remotum, » etc. Rescribit ad hæc Justinus, ac de Acacio quidem hæc notat : « Negatum est inter divina mysteria memoriam inposterum fieri Acacii prævaricatoris, quondam urbis hujus episcopi; necnon aliorum sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt apostolica, vel successores erroris facti sunt, nulla usque ad ultimum diem suum pœnitentia correcti, etc. » Hinc secunda vulgavit edicta, de quibus exemplum recolens Joannis Constantinopolitani et cleri, qui Acacium conceptis verbis anathemate in suo libello perculerunt, loquitur Dioscorus in sua relatione : *Ut exemplum imitentur civitatis regiæ, destinanda ubique principalia decreta diximus*, etc. Hæc ut legit pontifex, Joanni patriarchæ rescripsit, quatenus imperatorem sollicitaret ad hæc scripta circumquaque dirigenda, (*epist* 44). « Ea perficere quæ regalibus litteris dignatus est polliceri, ut missis ad eos edictis, quos ab Ecclesiæ matris uberibus etiam nunc devius error abducit, diabolicam fraudem, et auctoritate religionis, et moderata potestate compescat imperii, etc. » Potuit ergo cui tanta inerat de Acacii damnatione sollicitudo, uberiorem tractatum edere, seu chirographum de vinculo anathematis in Acacium lati, ut contumacium voces compesceret.

Digitized by Google

Linea 17. — *Hic invenit Manichæos.* Horum perfidia Anastasii favore et sequela creverat; ut propterea et hos comprimere ad Hormisdæ zelum spectarit. In Oriente quidem qui potissimum in Justinum conjurarunt Manichæi fuere. De quo Marcellinus in Chron. (apud Sirmond. tom II, pag. 378) : « Justinus a senatu electus imperator continuo ordinatus est, Amantius palatii præpositus, Andreas, Misael, et Ardabur cubicularii; Manichæorum fautores, et Justini Augusti deprehensi sunt proditores. Quorum duo, Amantius et Andreas, ferro trucidati sunt : Misael et Ardabur Sardicam in exsilium missi sunt, » etc. Ac inter acclamandum quidem, cum populus (ubi sup.) *synodica Romana valere* petiit, in Amantium quoque plura, et hæc inter alia clamavit. *Novum Isumam ejice foras; novus Isumas Amantius est. Nugatorem ejice de palatio*, etc. Hinc promota videtur proditio in Justinum sub initium suscepti imperii, quando istiusmodi acclamationes a populo factæ sunt. Intra tempus illud trucidatum fuisse Amantium, aliæ acclamationes ostendunt, in quibus gratulatur imperatorem populus. Ibid. *Mortuus est Amantius rebellis Trinitatis*, etc. Interim perfidia hæc diu pervagata Orientem, nec radicitus exstirpata, fons fuit Mahumeticæ impietatis, quæ initio seq. sæculi Orientem infecit, et deinde Iconomachismi sub Leone Isaurico.

Linea 19. — *Hujus temporibus episcopatus in Africa.* De epocha regressus hujus episcoporum in Africam, plurima erudite congessit Norisius Pelag. Hist. lib. II, c. 21.

Num. 83, linea 1. — *Eodem tempore.* Hæc una est ex consuetis amanuensium transpositionibus, cum quæ hic referuntur, ad alterius pontificis gesta spectent. Clodoveus denatus est ann. 511, ut Francici scriptores probant. Hormisdas vero creatus est pontifex anno 514. Regnum seu corona donaria erant, quæ ornandis apostolorum sepulcris mittebantur. Donaria istiusmodi per modum coronæ oblata passim leguntur in templis tum gentilium, tum Christianorum. Interim frequentata apostolorum principis sepulcra, et cumulata donariis hoc eodem tempore, prodit epistola Hormisdæ ad Epiphanium recenter electum Constantinopolitanum antistitem, qui cum synodica donaria miserat, de quibus Hormisdas ipse ad epistolæ suæ calcem hæc addidit : « Suscepimus calicem aureum, patenam argenteam, et alium calicem argenteum, et vela duo, ministerio basilicæ B. Petri apostoli profutura, a charitate tua directa. »

BINII ET LABBEI.

Num 82, linea 5. — *Eodem tempore ex constituto synodi misit in Græciam*, etc. Restituta fides catholica, nexibusque schismaticis liberata, hoc bonum secum attulit ut Lazorum regem et populum, hactenus veræ religionis expertem ad Christianam fidem amplectendam induxerit. (Auct. Miscell. lib. xv).

Linea 13.—*Textum libelli.* Exstat inter epistolas Hormisdæ cujus initium tale est: *Prima salus est*, etc. Inter alia sacra sua hoc scripsit : *Nos jubere volumus, non nobis juberi :* Exstat epistola hæc inter alias Hormisdæ cujus initium tale est : *Etsi magnum aliquid.* Circa finem hujus epistolæ ait : *Injuriari et annullari sustinere possumus, juberi non possumus.* Et imperator hæreticus Pharaoni simillimus, ut exertum contra se Vitaliani gladium vitaret, et instantia Dei flagella subterfugeret, astute simulavit se velle Romano pontifici parere : atque adeo nonnisi per speciem ferream cervicem inclinavit : quando vero hæc pericula amota vidit, Moysem cum Deo, pontificem cum Christo, obfirmata obstinatione contempsit. Quid post hæc acciderit in Oriente, videre est ex relatione archimandritarum et monachorum secundæ Syriæ, quæ exstat inter epistolas Hormisdæ post vigesimam secundam, in concil gen.

Num. 83, linea 13. — *Justinus orthodoxus, et direxit*, etc. Decreto, et concilio synodi Constantinopolitanæ, ut patet ex notis ejusdem synodi et ex epistolis Justini, Joannis Constantinopolitani, et Justiniani ad Hormisdam scriptis.

Num. 84, linea 1. — *Tunc Hormisda*, etc., *direxit a sede apostolica Germanum*, etc. Hac legatione Orientales ad unionem, et communionem Ecclesiæ Romanæ recepti fuerunt, postquam jussui Romani pontificis obtemperantes, nomina Acacii, Euphemii, et Macedonii e diptychis sacris expunxissent, fidem catholicam integre professi fuissent, et memoriam Zenonis, atque Anastasii hæreticorum e numero imperatorum abstulissent. Horum nomina in codice Justiniani diversis legibus alibi præfixa adhuc inveniuntur, ideo quod Tribonianus homo gentilis et impius eumdem codicem compilarit. Contigit hæc conciliatio Orientalis Ecclesiæ cum Romana sub consulatu Justini, anno Domini 519, Hormisdæ pontificatus anno sexto.

Linea 19 — *Hujus temporibus episcopatus in Africa revocatus est, qui ab hæreticis fuerat exterminatus.* Auctoritate quorumdam regum Vandalorum constitutum fuerat, ne catholici in Africa in locum defunctorum alios episcopos ordinarent. Verum Hildericus Henrici filius post obitum Trasamundi regis regno potitus anno nono Hormisdæ pontificis, qui est Christi 522, præcepit (teste Isidoro in chron.) ut sacerdotes catholici ab exsilio reducerentur, et Ecclesiæ aperirentur, idque priusquam regnaret, ne violaret religionem juramenti, quo Trasamundo prædecessori jam mortuo promiserat, se catholicis in suo regno nullas Ecclesias aperturum, ullaque privilegia restituturum esse. Voluit Deus beatissimum pontificem, etiam hac benedictione augere, ut post restitutam Orientalem Ecclesiam catholicæ communioni, Africanam quoque longa persecutione vexatam atque novissime a Trasamundo rege omnibus ejectis episcopis proculcatam, pristino splendori restitutam videret.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Vacationem sedis ab obitu Symmachi definit Bibliothecarius diebus septem. Electus itaque fuerit Hormisda successor die 26 et ordinatus die Dominica 27 Julii ejusdem anni 514. *A consulatu senatoris ad consulatum Symmachi et Boetii* sedem ejusdem deducit Bibliothecarius; nam consulatum *Maximi*, quo obiit Hormisda, tribuit Joanni papæ successori. Summam temporis definivit annis novem (ita enim codices præstantiores Frcherianus, Regius, Mazzarinus, et Thuanus primus Fabrotti, Cassinensis, et Vaticanus Holstenii et Schelestratii, et Cavensis Peniæ; licet in aliis unitas desideretur, amanuensium consueta injuria), diebus 27. Hos tamen puto legendos 13, ut paria hæc faciant cum anno et die depositionis, expressis sect 86, versu 11 et 12. *Sepultus est in basilica B. Petri apostoli* 8 *Idus Augusti consulatu Maximi. Et cessavit episcopatus dies septem.* Anni novem et dies 12 numerati ex 26 Julii 514 inclusis extremis, pertingat ad diem 6 Augusti seu VIII Idus : in qua non modo Romanum, sed etiam Bedæ martyrologium ejusdem pontificis memoriam recolit.

Hormisdam superfuisse usque ad annum 523, præter auctores supra indicatos, testatur antiquum marmor Vaticanum hodie superstes in sacris basilicæ cryptis, et ab Eminentissimo card. Norisio productum hist Pelag lib II, cap 21; pag 329, ubi enumeratur Fl. Maximo V. C. consule concessum fuisse locum sepulturæ quibusdam conjugibus a papa Hormisda. Complures epistolæ hujus pontificis cum præservent consulatum quo datæ fuerunt, exactas reddunt chronologicas rationes ejusdem pontificatus, ut in Prolegomenis ad eosdem annos videre licet.

Digitized by Google

NOTÆ HISTORICÆ.

Num 82, linea 3. — *Hic composuit clerum, et psalmos erudivit.* Cur dicatur Hormisda cleram composuisse id optime exposuit initio notarum V. C. Bencinus. Cætera quoque gesta ejusdem hac et sequenti sectione narrata per Bibliothecarium tum ipse, tum R. P. Pagius, tum Ill D. archiepiscopus Sommier dilucide ostendunt in suis commentariis. Quare his ulterius illustrandis non immoror. Corrigendum puto unicum verbum : *et psalmos erudivit :* ubi mendum est manifestum, legendum arbitror, *et epistolis erudivit.* Nempe uti Romanum clerum in factiones antea divisum, et Orientalem ab Occidentali sejunctum per schisma, et hæresi dissociatum, restituta pace atque unitate composuit; ita etiam suis epistolis erudivit in eadem doctrina catholica, ac pace tuenda, quam tot litterarum monumentis commendat et fulcit. Mopinot n. 12 laudati opusculi de nova editione epistolarum Summ pontif'a P. Constantio adornata ait. « Neque prætermisit sedulus editor Hormisdæ litteras, de monachorum Scytharum contentione scriptas vindicare: cui defensioni non plures modo notas, sed bifariam, eamque late fusam Dissertationem impendit. Priori parte explanat intricatoria quædam Historiæ capita, probatque nihil a sanctissimo papa assertum, quod a catholica fide abhorreat; nihil repudiatum, aut certe silentio pressum, quod non ecclesiasticæ pacis amor et Christianæ prudentiæ ratio repudiari aut certe silentio premi juberet, » etc.

Num. 84, linea 19. — *Hujus temporibus episcopatus in Africa post annos 74 revocatus est*, etc. Lege 84; nam anno 439, Gensericus Carthaginem invasit, et Quotvultdeum episcopum, navi vetustæ impositum, cum maxima cleri parte in exsilium trusit, Carthaginem pastore, clero, locis sacris, et senatu spolians, uti ex Victore Vitensi aliisque historicis probat card. Noris. Hist. Pelag. l. II, cap. 21, et post eum Ruinartius ind. Chron. ad edit. Vict. Vitensis. Anno autem 523 hæc adnotat ex iisdem Historicis. « Transamundo defuncto succedit Hildericus Hunnerici filius, qui pacem Ecclesiæ Africanæ restituit, revocatis ab exsilio episcopis. Sunt autem anni 84 ex 439 ad 523. »

Consulendus est quoque auctor præstantissimus *in capite* 12 suæ historiæ Persecutionis Wandalicæ, *ubi diligentissime* pertractat gesta Africanæ Ecclesiæ occasione pacis sibi restitutæ : quæ cum illustrent plurimum *revocationem episcopatus* a Bibliothecario hic indicatam, et Hormisdæ pontificatum sub quo contigit, nonnulla ex eodem cap. 12 Ruinartii hic transcribenda censuimus.

« CAP. XII. *Pax Ecclesiæ Africanæ restituta.* — 1. Ex Trasimundi morte mutata est omnino Africanæ Ecclesiæ facies : *Mirabilis* nempe *bonitas*, inquit Fulgentii Vitæ auctor cap. 28 : « Hildelerici regnare « incipientis, Ecclesiæ catholicæ per Africam con- « stitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi « proprium donavit antistitem, cunctisque in locis « ordinationes pontificum fieri clementissima aucto- « ritate mandavit. » Bonifacii ordinationem in Ecclesia sancti Agilei apud Carthaginem fieri præcepisse Hildericum in regni sui exordio, restituta omnibus catholicis libertate, testatur Vitus auctor fragmenti Victonis chronico subjuncti apud Canisium. At Victor Tunnonensis episcopus in chronico contendit id ab Hilderico antequam regnum capesseret præstitutum fuisse : quod ipse a Trasamundo sacramento fuisset obstrictus, uti supra diximus, ne posteaquam regnum fuisset adeptus catholicis unquam restitueret libertatem. « Hilderix, *inquit*, qui ex Valentiniani imperatoris filia a Giserico captivata et Ugnerico juncta natus est, regnavit annis 7, mensibus 3. Hic ergo sacramento a decessore suo obstrictus, ne catholicis in « regno suo aut ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret; priusquam regnaret, ne sacramenti terminos præteriret, præcipit et sacerdotes catholicos ab exsilio redire, ecclesias aperire, et Bonifacium cum « dogmatibus divinis satis strenuum ad postulatio- « nem totius Urbis Carthaginensis Ecclesiæ episco- « pum consecravit. » Idem testatur Isidorus in brevi chronico Vandalorum æra 553. Porro tanta Hilderici erga catholicos benevolentia nonnullis persuasit, ipsum catholicam fidem professum fuisse, quam ab Eudoxia matre sua accepisset. Eam tamen mansuetudini ipsi innatæ potius referendam esse alii censent, cum teste Procopio, nulli unquam, nec catholicis, nec aliis gravis fuerit.

« 2. *Devotionem* populi Carthaginensis, qua gratulabundus excepit sanctos confessores, ac præsertim Fulgentium, ab exsilio redeuntes, describit auctor Vitæ ejusdem sancti Fulgentii cap. 29 : « Resonabat, « *inquit*, divina laus ex omnibus linguis. Ad sancti « quippe Agilei basilicam sequens populus et præ- « cedens, confessorum beatorum triumphum no- « bilem celebrabat. » Sed singularis erat omnium in beatum Fulgentium affectus. Ubi, inquit Vitæ ipsius auctor, facies Fulgentii apparuit, immensus nascitur clamor, altercantibus omnibus quis primo salutaret agnoscendum, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Cum vero immensa pluvia eodem tempore supervenisset, impeditus non est populorum concursus; imo *tantum fides nobilium crevit, ut planetis suis super beatum Fulgentium grataater expansis repellerent imbres, et novum tabernaculi genus artificiosa charitate componerent.* Hic vero observare juvat, quanta fuerit beatorum confessorum religio, qui e longa peregrinatione reduces, ut primum attigerunt littus, e navibus egressi statim ad ecclesiam sancti Agilei properarunt, gratiarum actiones publicas Deo redditurі : et quidem ut paulo inferius habet auctor Vitæ laudatus, *vix appropinquante vespere sanctæ memoriæ Bonifacio episcopo repræsentati benedixerunt omnes, et laudaverunt communiter Deum.*

« 3. Fulgentius post aliquot dies Ruspas profectus per *omnes itineris prolixi vias gaudia majora reperiens, in occursum suum populis undique tendentibus, cum lucernis, et lampadibus et arborum frondibus, reddentibus gratiam ineffabili Deo... per omnes ecclesias tanquam proprius episcopus suscipiebatur.* Sedi suæ restitutus simul cum suis monachis vixit, ita tamen ut absque abbatis Felicis conscientia quidquam de rebus ad monasterium pertinentibus non ageret. Monachos sæpius *ad ecclesiasticam militiam* assumpsit; adeo omnia temperans, ut *nulla lis aliquando inter monachos et clericos ventilaretur.* Plura habet idem Vitæ auctor de Fulgentii in plebe regenda sedulitate, variisque libris pro fidei catholicæ defensione editis. Sed de istis fusius disserere ad nostrum non pertinet institutum. At omittere non licet eximium summæ humilitatis exemplum, quod ab ejus Vitæ auctore refertur cap. 29. Cum enim pro reparanda Ecclesiæ disciplina post reditum ab exsilio Patres Bizaceni ad concilium Tuncense convenissent, Fulgentius Quodvultdeo episcopo, qui se eo priorem existimabat, omnium judicio prælatus est. Quod tunc quidem tacite tulit beatus antistes, ne auctoritatem concilii excusando minuere videretur. Sed paulo post in synodo Suffetana preces supplices coram omnibus Patribus fudit, ut sibi volenti Quodvultdeus anteponeretur, *timens propter suum honorem generari fratri scandalum meliusque judicans per charitatem se fieri minorem, quam sine charitate majorem.* Cum itaque ruinis Ecclesiæ suæ reparandis totus insisteret, quod etiam Bonifacius Carthaginensis episcopus generali totius Africæ concilio convocato quod anno 525 habitum est, per universam Africam fieri procurabat, ad meliorem vitam anhelans, in insulam Circinam cum paucis fratribus majoris perfectionis studio secessit, ubi paulo post *ad extremam usque horam sana mente perseverans*, inquit Vitæ ipsius auctor, ipsis Januarii Kalendis, post peractam vesperam migravit e vita, anno postquam Ecclesiæ

Digitized by Google

Ruspensi præfectus fuerat vigesimo quinto, ætatis vero suæ sexagesimo quinto. Quibus verbis annum æræ vulgaris 533 indicari probat Henricus Norisius lib. II Historiæ Pelag., capite ultimo. *Fulgentium die 1 Januarii recentiora simul et vetera Martyrologia commemorant, quem merito ut sanctissimum doctorem, vigilantissimum antistitem, invictissimumque Christi confessorem Ecclesia catholica veneratur.*

« 4. Cæterum pax ab Hilderico concessa, nonnisi aliquod veluti præludium fuit summæ illius tranquillitatis, quam Ecclesia Africana post paucos annos consecuta est. Etenim Gelimer Gelilaride Genserici filio natus, cui post Hilderici mortem Vandalorum regnum debebatur, moræ impatiens, pulso Hilderico anno 531 regnum invasit. Favit ejus rebellioni Hilderici indoles; is nempe adeo timidus erat, ut ne quidem gladii aspectum ferre posset. Deinde idem Hildericus Gothorum animos a se alienos fecerat, ob Amalafridæ Theodorici Magni filiæ necem. Hæc Trasamundo nupserat: at cum post mariti mortem, ut narrat Victor Tunnonensis, ad barbaros fugiens, commisso prælio Capsæ prope eremum intercepta fuisset, *paulo post in custodia defuncta est.* Quod ægre ferens Athalaricus, Theodorici ex Amalasuntha filia nepos, qui Ostrogothis in Italia imperabat, ea de re conquestus est apud Cassiodorum lib. IX Variarum epistola, quæ est ad Hildericum data, ubi *violentam* fuisse Amalafridæ mortem dicit, minaturque se reginæ ex *Amali sanguine* exortæ cædem armis brevi vindicaturum, nisi ipsi, cunctique Gothorum genti fiat satis. Amalafridam in vinculis detentam, et Gothos omnes a Vandalis interfectos fuisse scribit Procopius lib. I Historiæ Vandalicæ, incusatos res novas in regis reginque perniciem moliri. Non tamen Gothos adversus Hildericum quidquam istis temporibus tentasse legimus, quod forte paulo post Hildericus e solio a Gelimere absque negotio fuisset dejectus, quorum animos tyrannus ille regnum affectans haud dubium placaverat. Theodoricum has injurias ultum non fuisse testatur laudatus Procopius, quod non satis valere se classe ad petendam Africam judicaret. Cæterum Hilderico favebant Justinus Augustus, et qui paulo post imperium adeptus est, Justinianus, quod ex matre Eudoxia genitus Hildericus imperatorum Romanorum affinis esset. Et quidem Justinianus factus imperator, cum Gelimer Hildericum e solio dejecisset, fœdus inter Zenonem et Gensericum regem olim initum abrupit, atque comparato ingenti exercitu, per Belisarium ducem, victo, captoque Gelimere, qui paulo post Constantinopolim ad triumphum perductus est, Africam totam recuperavit, ut fuse scribit Procopius in libris de Bello Vandalico. Belisarii triumphum egregie repræsentat idem auctor, qua occasione Gelimer illustre rerum humanarum fragilitatis re simul et voce exemplum dedit. Adductus quippe ad circum cum stirpis regiæ principibus cæterisque primoribus Vandalorum, qui natalibus, aut etiam corporis proceritate erant spectabiles, statim atque imperatore in sublimi sede positum vidit, quo ipse venisset malorum considerans, neque ad lacrymas, neque ad lamenta prolapsus, has in voces erupit ex sacris libris desumptas: *Vanitas vanitatum, vanitas.* Recenset Procopius spolia pretiosiora, quæ ex Vandalis reportata in triumphum ferebantur. *Erant,* inquit laudatus auctor, *ea quibus solitum ministrare regi Vandalo, sedes aureæ et pilenta, quæ regiam matronam vectaverant, gemmarum præterea incredibilis splendor, ex auro pocula quæque alia regiæ mensæ ostentamenta. Tum vero argenti centena aliquot millia pondo, pretiique ingentis alia, quæ, Romano quondam palatio direpto Gizerichus abstulerat.* In his et illa quæ captis olim Jerosolymis Romam pertulerat Titus Vespasianus. Omnia quoque imperialia ornamenta, quæ Gensericus Roma capta in Africam transtulerat, sibi restituta fuisse testatur Justinianus imperator cod. lib. I, tit. 27. Anno sequenti, qui erat vulgaris æræ 535, Belisarius consulatum adeptus, more veterum consulum triumphavit, ac captivorum humeris portatus, currique impositus, ut Procopius narrat, *inde missilia de Vandalorum spoliis* sparsit in vulgus, *vasa* scilicet *argentea, zonas aureas, variaque regii luxus instrumenta,* quæ plebs cum magnis plausibus recipiebat.

« 5. Maximus vero hujus victoriæ fructus fuit pax Ecclesiæ Africanæ: persecutionem quippe, quam nonnulli sub Gelimeris tyrannide recruduisse volunt, penitus tunc temporis exstinctam fuisse nemo diffitetur. Certe Gelimerem catholicis favisse nemo sibi persuadebit, quem scilicet etiam in suos fuisse sævissimum omnes consentiunt, ut ne quid dicam de Hilderico optimo principe, quem crudeliter cum aliis ipsius affinibus occidi jussit, ut testatur Victor Tunnonensis in Chronico, ad quartum Justiniani Augusti consulatum: qui auctor non semel observat *multos nobilium Africæ* ab eodem rege fuisse interemptos, quorum bona per fas et nefas postea diripiebat. Eumdem vero Arianorum sectæ addictissimum fuisse ex Procopio colligimus, qui lib. II de bello Vandalico refert, Gelimerem speciosis in Galatia prædiis, quæ cum propinquis inhabitaret, a Justiniano donatum quidem fuisse, patriciatus vero dignitatem non fuisse adeptum, quod ab *Arii placitis* discedere noluisset.»

« 6. Recuperata itaque a Romanis fuit Africa indictione duodecima Justiniano, Augusto IV et Paulino consulibus, id est vulgaris æræ anno 534, post annos scilicet septem supra centum, quam a Vandalis occupata fuerat. Simulque restituta fuit imperio Carthaginensis civitatis anno postquam a Genserico capta fuerat nonagesimo quinto. Publicas ea de re gratiarum actiones Deo Opt. Max. Justinianus Augustus, in constitutione de officio præfecti prætorio Africæ, quæ habetur in codice Justiniani lib. I, titulo 27, ubi sibimetipsi de tanto beneficio sibi a Deo concesso gratulatur: « Quas, inquit, gratias, aut quas laudes Domino Deo nostro Jesu Christo exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere, nec lingua proferre. Multas quidem et antea a Deo meruimus largitates, et innumerabilia circa nos ejus beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egisse cognoscimus. Præ omnibus tamen hoc, quod nunc omnipotens Deus per nos pro sua laude, et pro suo nomine demonstrare dignatus est, excedit omnia mirabilia opera quæ in sæculo contigerunt, ut Africa per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinque annos a Vandalis captivata: qui animarum fuerant simul hostes et corporum. Nam animas quidem, diversa tormenta atque supplicia non ferentes, rebaptizando ad suam perfidiam transferebant; corpora vero liberis natalibus clara, jugo barbarico durissime subjugabant: ipsas quoque Dei sacrosanctas Ecclesias suis perfidiis maculabant, aliquas vero ex eis stabula fecerunt. Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis suas pœnas miserabiliter [*mallem legere* mirabiliter] loquebantur. Alii vero post diversa tormenta per diversas dispersi provincias vitam in exsilio peregerunt. Quo ergo sermone, aut quibus operibus dignas Deo gratias agere valeamus,» etc. Hac in constitutione imperator Africam in pristinum statum restitutam iisdem privilegiis gaudere vult, quibus antea perfruebatur. Præter præfectum prætorio, quem Carthagine commorari jussit, cæteros quoque officiales instituit, qui per diversas Africæ regiones in majoribus urbibus sedes proprias haberent, eisque omnibus stipendia singillatim assignavit, diœcesim Africanam septem in provincias partitus est: Tingitanam scilicet et quæ antea Proconsularis vocabatur, Carthaginem, Byzacium, Tripolim, Numidiam, Mauritaniam, et Sardiniam, quarum priores quatuor a consularibus, tres vero posteriores a præsidibus administrari voluit. In sequenti constitutione de militaribus officiis ac judicibus agit, assignans loca, in quibus mili-

Digitized by Google

tum duces per varias Africæ provincias instituti sedes habere debeant.

« 7. Nec his contentus imperator, ut Africam pristino splendori restitueret, novas urbes ædificavit, veteres renovavit, alias vero muris cinxit, omnem denique regionem magnificentissimis ædificiis, necessariisque monumentis adversus barbaros, et ornavit, et protexit, ut fusius narrat Procopius libro sexto de Ædificiis a cap. 3 usque ad finem. Ex his caput Vadam in Bizacena, et Tuccam in Proconsulari urbes de novo exstructas recenset, Leptim-Magnam Tripolitanæ metropolim pene dejectam muris cinxit : in ea vetus palatium, quod olim a Severo Augusto, qui ibi natus fuerat, ædificatum, sed penitus fere collapsum restauravit. Carthaginem Justinianeam appellari voluit, quo nomine etiam donavit Adrumetum, Bizacei metropolim, olim ut Plinius observat, Sissam nigram dictum, quæ civitas adeo a barbaris neglecta, ut vix antiqui splendoris umbram retineret. Bagum vero in Proconsulari urbem, antea vix notam *vere urbem*, inquit Procopius, fecit, quam ipsius cives, ne ingrati viderentur, in honorem Theodoræ Justiniani uxoris Theodoriadem appellarunt. Ex ejusdem Augustæ nomine Theodorianæ balneæ *spectatu dignæ*, inquit idem auctor, dictæ sunt. Alia in aliis Africæ locis publica ædificia ab eodem imperatore constructa videsis apud laudatum auctorem. »

Num. 85, linea 1. — *Venit regnum cum gemmis pretiosis a rege Francorum Clodoveo*, etc. Aspirante divina gratia per S. Clotildem conjugem Christianam ad fidem conversus Clodoveus, ut ex Gregorio Turonensi, Aimonio, aliisque historicis Francorum colligitur, imitatus est Constantinum, coronas aureas inter cætera dona offerentem tum in basilica Salvatoris, tum in Vaticana, tum in Paulina via Ostiensi. In basilica Constantiniana sive Salvatoris, num. 36, lin. 12 : « Obtulit coronas quatuor cum delphinis viginti ex auro purissimo pensantes singulas libras quindecim. » In Vaticana, num. 38, lin. 21 : « Coronam auream ante corpus (B. Petri) ubi est Pharmecantharus cum delphinis quinquaginta, qui pensant libras triginta quinque. » Et in basilica S. Pauli, num. 40, lin. 5 : « Omnia vasa sacrata aurea et argentea, aut ærea ita po uit sicut in basilica S. Petri apostoli, ita et B. apostoli Pauli ordinavit. » Uterque princeps respexisse censendus est ad visionem seniorum Apocalypseos, qui divinitatem Redemptoris nostri profitebantur oblatione coronarum suarum ante illius thronum. Nam multo ante apud antiquos soli Deo coronas oblatas fuisse testatur etiam Plinius, lib. XVI, cap. 4, unde mos invaluit, ut sacerdotes, aræ, victimæ coronarentur : quo ritu scilicet cultum divinum illi se præstare homines faterentur, quem Deum habebant. Christo igitur Deo nostro ante aras basilicarum præcipuas uti Constantinus Augustus coronas dedicavit, ita et Clodoveus : ita expians a decessorum suorum superstitione regni sui insignia, quæ falsis numinibus accepta cum ethnici parentes retulissent, ipse agnito vero Deo unice tuendam, et suprema potestate regendam subdebat. Reliquos ante Clodoveum stirpis suæ principes addictos fuisse ethnicarum superstitionum erroribus, testantur præter historicos omnes etiam cimelia illa aurea, gemmæque in ejusdem Patris sepulcro repertæ, quas erudito commentario Chiffletius illustravit in sua *Anastasi Childerici regis* : ubi Apidis sive Solis ex Ægyptia superstitione ad Francos tunc ethnicos derivatum simulacrum ex auro gemmisque fabrefactum ostendit cap. 10, et equi consepulti superstitio, quam cap. 15 prosequitur. Clodovei vero filii multo diversus auri et gemmarum usus a paterna superstitione facessit in exemplum sanctissimæ religionis nostræ apud augustam posteritatem suam. Ut enim ille ante quatuordecim sæcula primitias regum Christo dicabat in oblata apud aram primi Christi vicarii corona : ita continuata in Clodovei successoribus jura sanguinis et avitæ pietatis apud aram Lauretanam sanctissimæ Virginis Christi matris ostentant coronas duas aureas maximi pretii, quas anno 1639 Ludovicus XIII transmisit hac inscriptas dedicatione :

Sceptra dedit Christus mihi : Christo reddo coronam.

Videndus ea de re commentarius historicus de coronis plurima eruditione refertus et anno 1712 editus a Martino Schemeizel cap. 6, art. 30, pag. 69.

Linea 9. — *De chlamyde, vel de stola imperiali suffitorium super confessionem beati Petri apostoli.* Exemplum pervetustum Bibliothecarii in Laurentiana bibliotheca asservatum habet : « De chlamyde vel de stola imperiale subsistorium super confessionem beati Petri apostoli. Hæc omnia a Justiniano Augusto orthodoxo votorum causa oblata sunt. » Cangius in Lexico mediæ Latinitatis ex aliis codicibus observans variatam dictionem, recte colligit reddendam esse *substratorium*. Nam *substratorium*, inquit, *est mappa altaris cui corporale insternitur*, quod comprobat testimonio ordinis Romani. Piissimorum igitur principum hujus ætatis hoc studium fuit, ut regia insignia Christo Domino, regum scilicet Regi, suis in altaribus thronum excitanti subderent ac dedicarent. Ut igitur Clodoveus rex coronam ante aram pensilem, ita Justinianus imperator stolam Augustæ dignitatis obtulit in substratorium altaris : unde repetenda sunt pretiosa stragula, quæ fronti altarium deducto ad nostram ætatem ritu prætendimus, quæ dicimus etiam pallia, et pallas, Italice *paliotti*. Ex imperiali ac regia chlamyde ad usum regalis Christi sacerdotii antiquitus oblata, partim in indumenta ministrorum, partim in altaris ipsius ornamentum concesserunt, uti fusius ostendemus infra in diatriba *de Indumentis sacerdotalibus*. Ex ætate Clodovei ac Justiniani ita fideliter custoditus est mos, præsertim in Gallia, ut hodierna regia chlamys, quæ inaugurationi Christianissimorum regum adhibetur Rhemis, offeratur subinde apud ædem Sandionysianam in sacris thesauris reservanda : et ex illa fiant sacerdotum pallia, seu cappæ (*pluvialia* vulgo dicimus) in festis solemnibus adhibendæ. Nec secus Græci atque Orientales præsules ex stola imperiali sua *sticharia*, et *pallia* pretiosa, in tesseram regalis Christi sacerdotii præferentes, eadem supra mensam altaris extendunt, tanquam substratoria descensuro in eamdem Domino, non dispari sensu pietatis ab eo, quem exercebant pueri Hierosolymitani, vestimenta substernentes in via per triumphalem ingressum, quo ad redemptionem humani generis absolvendam unigenitus Dei Filius accessit.

CIACONII.

Num 82, linea 1. — *Natione Campanus.* Patria Venafranus.

SOMMIER.

Num 82, linea 8. — *Direxit quoque Ennodium*, etc. Pars catholicorum Orientalium impatiens tyrannicæ persecutionis qua opprimebantur ab Anastasio, concitaverunt Vitalianum magistrum equitum ad rebellionem : qui potitus compluribus locis, ad ipsas regiæ Urbis portas cum accessisset, compulit imperatorem ad pacis conditiones a se petendas. Has inter numerabantur : primo, ut concilium generale sub auctoritate Romani pontificis indiceretur, in quo catholicorum justis petitionibus satisfieret. Utraque pars, nempe tam Vitalianus quam imperator, litteras misit ad Hormisdam, qui successerat Symmacho.

In litteris imperatoris hæc legebantur : « Opportunum esse perspeximus quæ apud nos sub religionis specie commoventur, auditui vestro committere. Ante hoc siquidem duritia eorum, quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat sollicitudo com-

Digitized by Google

missa, temperare nos a transmittendis faciebat epistolis. « Nunc autem currens de vobis suavis opinio ad memoriam nostram bonitatem paternæ affectionis adduxit, ut illa requiramus, quæ Deus et Salvator noster sanctos apostolos divino sermone docuit, ac maxime B. Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit. His itaque præfatis initiis hortamur, ut ad ea quæ de Scythiæ partibus mota sunt, unde et concilium fieri convenire perspeximus, mediatore se apostolatus vester faciat : ut contentionibus amputatis unitas sanctæ restituatur Ecclesiæ. » (Anast imp *epist* 1 *ad Hormisd pap.* Vid ejusd epist 5 ad eumdem.)

Symmachus in hanc sententiam respondit : Gratias a se Deo persolvi, quod videat imperatorem in ea dispositione versari, ex qua sperari possit Ecclesiæ pax : opus certe supernæ Dei clementiæ, a decessoribus suis semper expetitum fusis ad Dominum precibus. *Quos etiam rerum actus paternæ traditionis ministros, et rectæ fidei declarant fuisse custodes.* Hujusmodi vero pax cum sit origo, mater et conservatrix bonorum omnium, nihilque sit illa efficacius ad veræ fidei normam retinendam, quisquis Christiana professione censetur nihil non agere, nihil non perpeti debet, ut integra custodiatur.

Allegavit subinde ad eumdem principem duos episcopos, presbyterum unum, ac diaconum unum Constantinopolim cum indiculo rerum ab iis agendarum, et methodo agendi publice ac privatim tam cum episcopis, quam cum imperatore, præsertim circa revocationem episcoporum ab exsilio religionis causa expulsorum, quorum judicium sedi apostolicæ reservaretur, quemadmodum et aliorum præsulum, qui accusarentur de persecutione catholicis intentata, ac de restitutione illorum orthodoxorum, qui ab ejusdem S. Sedis communione nunquam divisi, fuerant a propriis sedibus per vim expulsi. Continebatur etiam formula professionis tanquam prælimare exhibenda, tum ab imperatore, tum ab episcopis Orientalibus super acceptatione sacri concilii Chalcedonensis, epistolæ dogmaticæ S. Leonis, et approbatione anathematis prolati contra Nestorium, Eutychetem, eorumque sectarios, et asseclas Acacium, Petrum Antiochenum, eisque associatos. *Indicul Legat Hormisd ad Anast August.* In epistola ad Anastasium per legatos perferenda S. Hormisda hæc enuntiat : « Nulla vobis, sublimissime Domine, triumphorum materia potest esse jucundior, quam de subjugatione perfidiæ, si tamen majorum nostrorum diffinitio et sanctorum Patrum in suis radicibus inconcussa permaneat. » (*Epist.* 3 *S. Hormisd.*)

« Sublesta imperatoris fides elusit omnem beati pontificis curam. Plebs autem et senatus (Constantinopolitanus) universis Anastasium ceu perjurum (ait Theophanes in Chron) conviciis impetebat. Ad quem nefarius ille impudentissime dicebat haberi legem, quæ imperatorem in necessitate constitutum pejerare ac mentiri jubeat. » Ut abrumperet omne commercium cum Hormisda, brevem epistolam ad illum dedit, turbato sermone de misericordia Dei mussitantem, in qua declarabat se inposterum destiturum ab ulla re ex Hormisda expetenda, quem nosset in obstinatione denegandi obduratum. « Postulationem nostram a præsenti tempore taciturnitate comprimimus : irrationabile judicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari se nolint contumaciter respuentes. Injuriari enim et annullari sustinere possumus, juberi non possumus. » (*Anast imp epist* post 22 Hormisdæ.)

Quod autem Anastasius nullo penitus sensu religionis tangeretur expressius demonstravit epistola monachorum Syriæ secundæ ad Hormisdam, in qua indicantes illatas Ecclesiis et suis cædes, rapinas, incendia, conqueruntur ab ipso imperatore, per emissarios suos hæc sacrilegia et scelera fuisse perpetrata. Præstat epistolæ verba reddere.

« Sanctissimo et beatissimo universi orbis terræ patriarchæ Hormisdæ continenti sedem principis apostolorum Petri deprecatio et supplicatio minimorum archimandritarum, et cæterorum monachorum vestræ secundæ Syriæ provinciæ. Quoniam vere Christus Deus noster principem pastorum et doctorum et medicum animarum constituit vos et vestrum sanctum angelum ; dignum est passiones quæ nobis contigerunt, exponere, et immisericordes ostendere lupos, qui dissipant gregem Christi, ut auctoritatis baculo eos expellat de medio ovium : verbo autem doctrinæ animam sanet, et orationis medicamentis mitiget... Joanne et Sergio, quos miseramus Constantinopolim, putantes vindictam fieri de his quæ commissa sunt. Sed eos nec verbo, dignatus est; sed etiam cum grandi contumelia expulit, comminatus eis qui ista porrigerent. Unde hinc est nos, vel sero cognoscere, quoniam tota pravitas et audacia talium malorum adversus Ecclesias facta, ipsius immissione composita est. (*Relat archimandr.*, etc, post 22 ep. Hormisd.)

« Deprecamur ergo, beatissime, supplicantes et rogantes, ut exsurgatis cum fervore et zelo, et condoleatis juste pro corpore laniato, nam caput estis omnium ; et vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, Patres blasphematos, et talem synodum anathemate impetitam. Vobis a Deo data est potestas et auctoritas ligare et solvere... vobis veris pastoribus et doctoribus, quibus cura pro salute ovium commissa est, occurrit ipse grex cognoscere suum pastorem ab immitissimis bestiis liberatus, et vocem sequens pastoris ; sicut Dominus ait : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me* (*Joan* x, 27). Ad perfectam autem notitiam vestri sancti angeli anathematizamus in eadem nostra deprecatione virtutem habente libelli omnes projectos et excommunicatos a vestra apostolica sede. » (*Ibid.*)

Ad hæc pontifex Hormisda respondit ad patientiam eos adhortatus. Tum subdit : « Qui mundani sunt Ecclesias tenere non possunt, quia eis magis convenit discere quam docere. Nefas est enim altaribus piis peregrina inferre libamina, quia certos religiosis disciplinis terminos Deus noster inter ipsa quoque cultus sui præscripsit initia : inter Levitas et populum suum divisit officia. Alia est potestas hominum, alia ministeria sacerdotum. Incitavit potius Dominum, quam placavit, qui externum ignem divinis aditis sacrorum temerator invexit. Quis enim sibi in alienis institutis jubendi auctoritatem possit assumere? cum non sit ambiguum offerentis honorem debitum pro sola officii præsumptione punitur. In regia Ozias cum reverentia et administratione permansisset, si monitus tantæ districtionis exemplo, ac religionis institutis sinendo potius, quam assuendo, meliora tentasset. Sed dum nec prohibentibus cultoribus templi pertinax temerator assistit, inter ipsa lepræ abominatione perculsus altaria, et officia regni perdidit, dum ministeria sacerdotis invadit. » (*Hormisd pap. epist* 33.)

« Sciant ergo non esse accepta a Deo, quæ de mandatis ejus a præsumptoribus assumuntur ; quando unum ad ostensionem divinæ sententiæ punitur vivacis dedecoris pœna servavit, et alios velox flamma consumpsit... Equidem nobis cura non defuit. Nam geminæ legationis officio quidquid in precibus humile, quidquid in allegatione rationabile, quidquid in mandatis salubre detulimus. Sed nunquid ideo negligenda est justitiæ via, qua errores suos diligit cum obstinatione perfidiæ (Anastasius imperator) non simus jungendi cum cadentium lapsu, sine nostra contagione pereant, qui nec ab impietatibus suis errore castigato declinant. » (*Ibid.*)

S. Avitus episcopus Viennensis circa id tempus scripserat ad Hormisdam, circumferri rumores de reconciliatis cum apostolica sede Orientalibus. Quare tum suo, tum collegarum episcoporum nomine

Digitized by Google

flagitabat, ut dignaretur rescribere quid sibi præstandum foret. Neque enim diversam a sede Romana sententiam tum se, tum Galliarum episcopos habituros. « Utrum' fervor schismatum præfatorum vobis, Christo favente dicentibus, digna fuerit correctione restinctus... diversorum relatione comperimus de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Romanæ jactare se Græciam : quod sicut amplectendum si veraciter dicitur, ita metuendum est, ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo cuncti, ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consulat, respondere debeam instruatis : quia cum securus, non dicam de Viennensi, sed de Galliæ devotione pollicear, omnes super statu fidei vestræ captare sententiam. Orate, ut sicut nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separet. » (*Aviti Viennensis epistola* post 9 Hormisdæ.)

Ad hæc rescribit Hormisdas. « Quantum ad Græcos, ore potius præferunt pacis vota, quam pectore; et loquuntur magis justa, quam faciunt. Verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant. » (*Hormisd. epist.* 10 *ad Avit Vienn.*)

Num. 84, linea 1. — *Tunc Hormisda episcopus*, etc. et lin. 16. *Reintegravit ad unitatem sedis apostolicæ damnantes Petrum et Acacium, vel omnes hæreses.* Ex lib. VI, cap. 19, D. archiepiscopi Sommier.

Post obitum Anastasii Justinus in imperio successor electionis suæ litteras ad pontificem Hormisdam dedit illo usus exordio : « Dei beneficia licet multis, maxime tamen summis pontificibus convenit indicari. » Quibus Hormisdas ita rescripsit : « Venerabilis regni vestri primitias, fili gloriosissime, loco muneris, gratulationem suam catholica transmittit Ecclesia, per quas se post tantam discordiæ fatigationem requiem pacis invenire confidit. Debitas B. Petro apostolo imperii vestri primitias reddidisti : quas hac ratione devote suscepimus, quia Ecclesiarum per vos proxime futuram credimus sine dubitatione concordiam. » (*Hormisd. epist.* 28.)

Ad hæc Justinus ablegato ad Hormisdam comite Grato ab ipso requisivit, ut Constantinopolim mitteret idoneos ministros ad Ecclesiarum unitatem restituendam, una cum litteris tum a se datis, tum ab episcopo Constantinopolitano eadem postulante, quibus iste inseruit fidei professionem, conciliorum quatuor œcumenicorum receptionem, Justiniano etiam comite imperatoris nepote eadem perscribente atque significante omnia ad pacem conspirare, neque ullam superesse jam disputationem, quam de Acacii memoria : circa quam Hormisdæ peculiare mandatum exspectaretur.

Romanus pontifex, præmisso lætitiæ suæ testimonio super indicatis dispositionibus ad pacem, ita respondit : « Recipere Chalcedonense concilium, et sequi S. Leonis epistolas, et adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. » Hormisdæ epistola 29 et in epistola 24 ait : « Hortamur, frater, ut ab omni te hæreticorum contagione Acacium cum sequacibus suis damnando disjungens, una nobiscum Dominici corporis communicatione pascaris. Si nobiscum universa prædicas, cur nobiscum non universa condemnas? » Similes sensus præfert in epistolis 21 et 22, ubi etiam addit : « Quid opus est de judicatis rebus verba facere, cum nos hortari tantummodo deceat, ut expressa superius simulatione submota, sub omni puritate pacem debeant a quibus hæc dicuntur optare. »

Has epistolas pontifex adornata legatione transmisit ad Justinum, cujus de imperio gratulari significavit, « quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit, juxta ejus sacras litteras, ut secundum ea quæ sunt ab apostolicæ sedis constituta præsulibus, Deo auctore, et regno ejus adnitente, Ecclesiarum et pax et unitas his temporibus desiderata proveniat. » Libelli formulam legatis tradidit, sub qua reciperent Constantinopolitanum episcopum, cæterosque ad catholicam unitatem sub ea professione accedentes, quos encyclicis epistolis, ipsimet ad concordiam exhortarentur.

B. Hormisdas gaudio quod speraverat Deo largiente potitus est; cum juxta vota sua videret omnium ferme Ecclesiarum pacem restitutam. Legatorum in itinere primi qui occurrebant episcopi Aulonis, Scampidis, et Lychnidis formularium subsignarunt ita propositum, uti Constantinopolitanus acceptaverat et subscripserat :

« Sanctissimas Dei Ecclesias, id est superioris vestræ et novellæ istius Romæ unam esse accipio : illam sedem apostoli Petri, et istius augustæ civitatis unam esse definio. Omnibus actis a sanctis quatuor istis synodis, id est Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, et Chalcedonensi, de confirmatione fidei et statu Ecclesiæ assentior, et nihil titubare de bene judicatis patior. Sed et conantes et enixos usque ad unum apicem placitatum perturbare, lapsos esse a sancta Dei generali et apostolica Ecclesia scio : et tuis verbis recte dictis evidenter utens per præsentia scripta hæc dico, quia prima salus est fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare : quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus; quia in sede apostolica inviolabilis semper conservatur religio. » (*Libell. Joann. episcopi Constantinop.* post epist. 40 Hormisd.)

« De hac igitur fide non cadere cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses, præcipue Nestorium hæreticum, Eutychen, Dioscorum, etc. Anathematizamus similiter Acacium complicem eorum, et sequacem factum, necnon et perseverantes eorum communioni... Probamus et amplectimur epistolas omnes B. Leonis papæ urbis Romæ, quas conscripsit de recta fide. Quapropter, sicut prædiximus, sequentes in omnibus sedem apostolicam et prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt : et propterea spero in una communione vobiscum quam apostolica sedes prædicat me futurum, in qua est integra Christianæ religionis, et perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est in omnibus non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo a professione mea dubitare tentavero, his quos condemnavi, et per condemnationem meam propriam consortem me esse profiteor. Huic professioni vero subscripsi mea manu, et direxi per scripta tibi Hormisdæ sancto et beatissimo, » etc. (*Ibid.*)

Adjunctas huic professioni accepit Romanus pontifex gratulatorias epistolas tum episcopi Constantinopolitani, tum Justini Augusti, ejusque conjugis, necnon Justiniani comitis, et aulæ procerum super unitate Ecclesiarum et exstinctione schismatis per annos triginta quinque apud Orientales radicati. His officiis laudem rependit Hormisdas, eosque ad perseverantiam hortatur, qui accesserant, aut insudaverant huic unioni conciliandæ : ad quam ut Alexandrinos quoque, aliosque collatis studiis revocare non desinat, hortatur imperatorem. Neque id incassum recidit; cum ad eam unitatem complures tandem accesserint, quos enumerat pontifex in epistola 51 ita scribens : « Libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis poposcerit, ad eam possit admitti, secundum quam et de Thraciæ, et Scythiæ, Illyricique partibus, vel Epiri veteris, sed et secundum quod de Syria multos jam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere, et devia declinasse. » (Hormisd ep. 51 *ad omnes episcopos Hisp.*)

Nonnulli ex Scythia monachi hanc pacem ferme

Digitized by Google

turbarunt, alterum schisma inducturi per novitatis ideam a se obstinate promotam *de uno ex Trinitate in carne crucifixo* : cujus thematis inspectionem cum legatis apostolicæ sedis primum obtulissent Constantinopoli, fuissentque fraudati spe approbationis ; ablegarunt Romam quæsitum ab ipsomet pontifice autoramentum suæ productionis. Hormisdas a legatis admonitos, providenter dilata ad ipsorum adventum causa, non esse ulterius procedendum in illa duxit, cum accepisset monachorum missos, tædio exspectationis affectos hinc excessisse, et cæteroqui compertum haberet, scandalum potius divisionum, quam ædificationem Ecclesiæ fore exspectandam, si de inutili hujusmodi enuntiato esset interloquendum. (*Vide epist Justini Aug et aliorum post Horm epist* 65, 67 et 71. *Item ejusdem Horm epist* 70.)

Postrema ista nobis manifestat tanti pontificis laudabilem circumspectionem ad declinandas hujusmodi tricas et ex animis fidelium amovendas, ut solidioribus studiis scita Patrum, et ratas sententias sibi consectandas proponerent : cum in Fausti libris sibi delatis ita rescribit :

« Ili vero, quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant : neque illud recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut Ecclesiæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religionis præjudicium comparare. Fixa sunt a Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta... Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstiones, et de his quæ habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina? cum Christiana fides canonicis libris, et synodalibus præceptis, et Patrum regularibus constitutis stabili et inconcusso termino limitetur. » (*Hormisdæ epist* 70, *ad Possessorem.*)

Num. 85, linea 1. — *A rege Francorum Clodoveo Christiano.* Eamdem firmitatem veteris disciplinæ, quam in scriptis Patrum quærendam proponit, consectatus esse cognoscitur B. Hormisdas etiam in regimine Ecclesiarum, dum sancto Remigio Rhemorum episcopo, per quem Clodoveus rex ad fidem christianam accesserat, vices apostolicas mandat per universum illius regnum, salvis juribus metropolitanorum, quæ antiquitus obtinuerant : cui etiam *paternas regulas et decreta a sanctis definita conciliis omnibus servanda mandavit.* (Hormisd. *epist.* 1 *ad Remig.*) Pari commendatione Joannem Tarraconensem per Hispaniam citeriorem, per Bœticam vero et Lusitaniam Sallustium Hispalensem vicarium apostolicum instituit. (*Evist.* 24 *ad Joan. Tarraconensem.*)

Detulit etiam in Oriente Epiphanio Constantinopolitano vicariam potestatem Romanæ sedis ad recipiendos, et unitati Ecclesiæ consociandos eos qui non simulata, sed vera conversione ab hæreticorum erroribus et schismaticorum consortio ad catholicum cœtum se conferrent : cum scilicet perspectam haberet multiplici documento Epiphanii diligentiam ac providentiam. (*Hormisd. epist.* 80 *ad Epiphan. Constantinopolit.*)

ALTASERRA.

Num 83, linea 10. — *Furore repletus Anastasius Augustus contra papam Hormisdam inter alia sacra sua hoc scripsit, dicens :* Sacra sunt epistolæ principum. Anastas ipse in Constantino : « Iisdem temporibus misit supra fatus imperator ad Constantinum pontificem sacram, per quam jussit eum ad regiam ascendere urbem. » Et inf eod : « Dominus autem Justinianus imperator audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, a Nicæa Bithyniæ misit sacram, gratiarum actione plenam. » Et infra : « Cujus et sacram cum pravi dogmatis exaratione Constantinus suscepit. » Et rursus eod : « Post aliquod vero temporis Scholasticus cubicularius, patricius, et exarchus Italiæ veniens Romam, detulit secum sacram Anastasii principis. » Idem in Joanne IV : « Dirigens per eos et sacram, per quam denominatum pontificem conjuravit. » Augustin lib contra Donatistas post collat., cap. 31 : « Illi portam multorum imperatorum sacra, nos sola portamus Evangelia. » Pelag epist ad Laurentium ep. Centumcellens : « Sacram insinuant se clementissimi principis impetrasse. » Can. *Principali* 83 dist.

Num 84, linea 4. — *Textum libelli pœnitentiæ.* Id est, formulam professionis fidei et ejurationis hæresis, quæ facienda erat a Petro Alexandrino et Acacio Constantinopolitano episcopis. Supra dixit simpliciter, *Textum libelli.* Textus pro libro, vel codice. Gregor lib VII, ep. 49. *In textu Heptatici.* Idem lib XII. epist 30 in fine dixit, *codicem Heptatici,* Textum vitæ Guinisi monachi Cassinensis dixit Leo Ostiens lib III, Chronic Cass 47.

Num. 84, lin. 6. — *In quibus et Justinus imperator et Vitalianus consul simul occurrerunt cum gloria et laudibus.* Justinus imperator et Vitalianus consul obvii occurrerunt legatis sedis Apostolicæ cum gloria et laudibus, id est, cum crucibus et cereis, et canticis laudis. Eadem cum pompa Joanni papæ occurrere cives Constantinopolit. Anastas. in Joanne : « Qui dum ambulassent cum Joanne papa, occurrerunt beato Joanni milliario XII omnis civitas cum cereis et crucibus : in honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli. » Constantinopoli cum gloria susceptus est Agapitus. Anastas in ejus Vit. *Et susceptus est Agapitus cum gloria.* Vigilio occurrit cum Justiniano plebs CP. cum canticis. Anastas in Vigilio : *Et plebs illa psallebat ante eum usque ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ, Ecce advenit Dominator Dominus,* etc. Henrico III, regi Anglorum Parisios venienti solemni cum pompa obvii processere scholares Parisienses cum cereis et vestibus festivis, quas comitissas appellant. Matth Paris ad ann 1254. *Cereos vestesque festivas, quas comitissas appellant, et omnia quæ gaudium poterant attestari, emerunt.*

Linea 17. — *Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exsilio deportavit.* Manichæi flagellis cæsi, Urbe pulsi. Bœticum hæresis damnatum flagellatum refert Augustin in psalm CXXII : *Nam quis dubitet nuperrime, sicut audivimus a fratribus, qui interfuerunt coepiscopis nostris, illum Bæticum inimicum contra Dominum latrantem, digne flagellatum fuisse.*

Num 85, linea 1. — *Eodem tempore venit regnum cum gemmis pretiosis a rege Francorum Clodoveo Christiano.* Clodoveus ab Anastasio imperatore accepit codicillos consulatus, una et coronam auream, quam ipse obtulit beato Petro, quæ dicta est regnum, forte quod a rege oblata esset. Sigebert ad ann 510 : « Clodoveus rex ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu, et coronam auream cum gemmis, et tunicam blateam accepit : et ex eo die consul et Augustus est appellatus ; ipse vero rex misit Romam sancto Petro coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet. » Inde quælibet corona aurea regnum dictitari cœpit Romæ. Anast in Constantino : « In die autem qua sese invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostraxit, pedes osculans pontificis. » Idem in Leone III : « Fecit autem isdem beatissimus pontifex in basilica beati Andreæ regnum ex auro purissimo, necnon et supra altare beatæ Petronillæ, fecit regnum aureum cum gemmis pretiosissimis. » Et infra : « Et in titulo sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Calixti, fecit regnum ex auro purissimo. » Et infra : « Regnum spanoclystum ex auro purissimo. » Idem in Gregorio IV : « Regnum aureum unum, quod usque hodie super altare dependet. » Idem in Sergio II : « Regnum aureum valde pretiosissimum cum gemmis prasinis, hyacinthinis et albis. » Et infra eod : « Regnum de argento cum tintinnabulis. » Idem in Leone IV : « Obtulit regnum de argento purissimo,

Digitized by Google

pretiosissimisque gemmis, habens in medio crucem. » Et infr eod : « Regnum quod pendet super altare majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis. »

Linea 3. — *Et Evangelia cum tabulis aureis, cum gemmis pretiosis.* — Codicem Evangeliorum reponi in cista aurea et gemmis ornata, mos fuit. Gregor Tur *de Glor confess* cap 63 : « Tunc capsam ad sancta Evangelia recludenda, patenamque et calicem ex auro puro, pretiosisque lapidibus præcepit fabricari. » Anastas in Leone IV : « Sed et Evangelium cum tabulis argenteis. » Leo Ostiens lib III, chronic Cass 30 : « Evangelium cum tabula fusili argentea opere anaglypho. »

Linea 8. — *Pallia olobera blattea, cum tabulis auro tectis de chlamyde vel de stola imperiali.* Pallia olovera blattea sunt vestes seriæ, infectæ mero seu vero conchylio seu murice, id est purpura. Anast in Felice II : « Pallia olovera auro texta quatuor. » Quibus privatis interdictum, L. ult C. Th. *de vestib olover.* Blattea dicta a Latino *blatta*, quod est genus vermiculi, qui prehensus rubore inficit manus. Sic pallium blatteum, blatteam tunicam dixit Vopiscus in Aurelian : « Cum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur. » Ut et paulo post : « Idem concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent. » Et Gregor Tur Hist lib II, cap 38 : « Igitur ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit, et in basilica beati Martini tunica blattea indutus est. »

Num. 86, linea 8. — *Scyphos argenteos stationales sex cum crucibus pensantes singulos libras sex.* Scyphi stationales erant qui per acolythos præferebantur ante stationes, ut et calices. Anastas. in Leone III : « Fecit vero isdem antistes beato Petro apostolo calicem aureum diversis ornatum pretiosis lapidibus, qui præcedit per stationes, pensantem libras tredecim. » Et infr. eod. : « Fecit vero communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes per manus acolythorum numero viginti quatuor. »

PAGI.

Num. 83, linea 12. — *Eodem tempore nutu omnipotentis percussus est fulmine divino Anastasius imperator, et obiit. Sumpsitque imperium Justinus orthodoxus*, etc. Anastasio imperatore, die nona mensis Aprilis anni quingentesimi decimi octavi mortuo, in ejus locum subrogatus est Justinus maximus Chalcedonensis concilii defensor, qui Kalendis Augusti se in imperatorem electum esse Hormisdæ significavit, aliisque litteris VII Idus Septembris Constantinopoli datis, ab Hormisda petiit per Gratum comitem, ut ad pacem Orientali Ecclesiæ reconciliandam, et ad lapsos recipiendos, Constantinopolim legatos mittere dignetur. Joannes Constantinopolitanus episcopus, per eumdem Gratum missa fidei professione ad Hormisdam, qua synodum Chalcedonensem recipere se testabatur; et sancti Leonis, Hormisdæque ipsius nominibus in sacra diptycha restitutis, viam ad unitatem aperuit. Hormisda in epistola 29 ad Joannem responsoria, ipsum ad communionem Ecclesiæ admittendum pollicitus est; si nomen Acacii e sacris diptychis expungeret : « Ista, inquit, laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus : quia recipere Chalcedonense concilium, et sequi sancti Leonis epistolas, et adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. »

Anno itaque quingentesimo decimo nono, Hormisdas non dubitans quin Justinus imperator, et Joannes Cappadox episcopus Constantinopolitanus, qui anno præcedenti synodum Constantinopoli celebrarat, in qua excommunicatis Eutychianis, eorumque defensoribus, receptum est Chalcedonense Concilium cum sancti Leonis epistola, cujus nomen in sacris diptychis restitutum, sincere de pace agerent, Germanum et Joannem episcopos, Blandum presbyterum, Felicem et Dioscorum diaconos, legatos Constantinopolim misit, eisque indiculum rerum agendarum dedit, et epistolas ad Justinum imp., ad Euphemiam Augustam ejus conjugem, ad Joannem episcopum Constantinopolitanum, ad archidiaconum et clerum Constantinopolitanum, ad Justinianum domesticorum comitem, postea Justini in imperio collegam et successorem, ad quosdam patricios, ad præfectum prætorio Thessalonicensem, et ad quasdam celeberrimas feminas senatorias, perferendas, quæ omnes exstant tom IV Concil. a pag 1476 ad 1484. Libellum fidei præterea edidit, tradiditque legatis, cui subscribere Constantinopolitanus episcopus, aliique antistites deberent, antequam in communionem sedis apostolicæ reciperentur. Eo libello, Acacio dicebatur anathema : non item Euphemio et Macedonio, ejusdem sedis episcopis Joannis decessoribus; eorum enim damnationem ab episcopis non esse exigendam existimavit Hormisdas; satis esse, si eorum nomina ex sacris diptychis expungerentur, quod constat ex indiculo legatis dato, ibidem pag 1476 relato.

Ubi legati Constantinopolim pervenerunt, Joannes Constantinopolitanus episcopus libello fidei, ab iisdem sibi oblato subscripsit; anathema dixit in Acacium : episcoporum, qui in ejus communione perstiterant, Euphemii scilicet et Macedonii; nec non Anastasii et Zenonis imperatorum nomina ex Ecclesiæ tabulis expunxit. His conditionibus pax constituta, et redintegrata communio est Ecclesiam Constantinopolitanam inter et Romanam eodem anno quingentesimo decimo nono. Hæc constant ex libello Joannis Constantinopolitani ad Hormisdam, qui exstat eodem tomo Concil pag 1486. Quare Hormisdas epistola 45 ad Joannem scripta ipsum laudat, quod ad unitatem Ecclesiæ redierit, et hortatur ut Alexandrinæ et Antiochenæ Ecclesiarum unionem procuret, et epist 41 ad Justinum gratulatur ejus opera Constantinopoli pacem vigere, et, ut hoc ipsum Antiochiæ et Alexandriæ faciendum curet, etiam hortatur. Hormisdæ papæ legati, inquit Theophanes in Chronico, hanc pacem sancivere, *freti Vitaliani adhuc viventis potentia, et Joannis Cappadocis Constantinop episcopi etiam superstitis diligentia.*

Porro licet Euphemii et Macedonii nomina e sacris diptychis expuncta fuerint, a communione tamen catholica episcopi illi non sunt segregati. Id constat ex indiculo laudato, quem dedit Hormisdas prædictis legatis, in quo numero V, dicit Hormisdas : « Quod si de anathemate Acacii consentiens (nempe Joannes Constantinopolitanus episcopus) successores ejus dixerit recitandos, ob hoc quod propter definitionem Chalcedonensis synodi aliqui eorum exsilio fuerint deportati, insinuabitis nihil vos de libelli forma posse decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac non poteritis intentione deflectere, saltem hoc acquiescite, ut anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de prædecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de diptychorum inscriptione vocabulis. Quo facto episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite. » Hormisdas itaque Euphemium et Macedonium anathematizandos non censuit, imo cum, anno 520, Justinus imp epistola, quæ exstat tom IV Concil pag 1527, petiisset, ut damnato Acacii nomine, et erroris auctoribus anathematizatis cæterorum nomina in diptychis retinerentur, et Hormisdas epistola 78 ad eum rescribens in priori sententia perstans, petita minime concesserit; ne tamen Ecclesiis Constantinopolitanæ, Ponti, Asiæ, Palæstinæ, ac totius præsertim diœceseos Orientalis seu Anthiocheni patriarchatus vis inferri videretur, negotium omne anno 521 Epiphanii tunc episcopi Constantinopolitani prudentiæ permisit, cui ideo vicariam sedis apostolicæ præfecturam delegavit epistola 80 *septimo Kalendas Aprilis Valerio V.C. cos* data. Orientales itaque episcopi in sedis aposto-

Digitized by Google

licæ communionem tandem admissi sunt, quamvis Euphemium et Macedonium non damnassent, eorumque nomina e diptychis expungi passi non essent. Certe Macedonii nomen in diptychis, quibus inscriptum fuerat, remansisse, et a quibus ablatum restitutum fuisse, indicat sacer cultus ei a Græcis exhibitus, et eorum menæa fidem faciunt.

Num. 84, linea 4. — *Qui venientes juxta Constantinopolim*, etc. Anno quingentesimo decimo nono, legatis Hormisdæ papæ Constantinopoli agentibus monachi Scythæ, inter quos eminebat Joannes cognomento Maxentius, hanc sententiam, *Unus e Trinitate in carne crucifixus est*, omnibus et credendam et defendendam, ad seditionem usque inculcabant. His acriter restitit Victor diaconus, ac plerique alii in eo offensi, quod novam populis thesim proponerent, veluti Chalcedonensis synodi decreta non sufficerent. Cumque libri Fausti non modo in Occidente, verum etiam in Oriente ab aliis defenderentur, ab aliis acerrime confutarentur, iidem monachi illos ut hæreticos damnabant, dum plures Byzantii eos catholicos esse asserebant. Unde lites in immensum crevere, et principes etiam viros in partes distraxere. Vitalianus, qui anno 520 consulatum gessit, monachis favebat; Justinianus vero, Justini imperatoris nepos, eis adversabatur in ea quæstione. Monachi Scythæ, quod ab adversariis tanquam Eutychiani per contemptum se traduci viderent, fidei libellum legatis Hormisdæ exhibuerunt, in quo suam de Christo fidem pluribus exponebant. Eo tamen dicta omnia collimabant, ut a legatis hæc inibi inserta thesis reciperetur : *Unus de Trinitate crucifixus est in carne.* Postea, quid de divina gratia contra Pelagianos et Cœlestianos sentirent, explicabant. Contra vero Fausti sententiam in fine concludebant : « Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, nostrum est velle, Dei autem perficere, cum idem doctor, et velle et perficere donum testetur esse divinum. »

Legati hisce de rebus nihil se a pontifice in mandatis habuisse dicebant, imo aperte sibi injunctum, ne aliis sese causis immiscerent. Verum intercessione imperatoris Justini coacti, monachis tandem aures dedere; et illis, cum Victore diacono alterius factionis primipilo, sæpius auditis, quo hominum molestia sese liberarent, tale demum responsum dedere : *Quod non est scriptum a papa Leone non suscipimus.* Novas enim præter synodum Chalcedonensem theses de Christo populis inculcare, et hunc articulum, *Unus e Trinitate crucifixus est carne*, uti appendicem synodo adjicere (ita enim legati suspicabantur) temeritati atque insolentiæ proximum judicabant. Nihil tamen coram legatis de gratia et libero arbitrio, vel de Fausti libris disputatum fuit. Monachi hac repulsa in indignationem acti, Romam ad Hormisdam legationem mittere decernunt. Quatuor monachi ad eam obeundam electi : sed ubi primum eos Romam profectos innotuit, Justinianus et legati litteras ad Hormisdam dederunt, quibus eumdem de iis, quæ in illa quæstione cum monachis acta essent, certiorem reddebant, simulque pontificem hortabantur, ut monachos procul a conspectu ex Urbe pelleret. Legatorum litteræ datæ III Kal. Julias anni 519, et epistola Justiniani, leguntur tom. IV Concil., pag. 1516.

Hormisdas suum aliquanto tempore judicium suspendit, sed cum decrevisset monachos Byzantium dimittere, causa ad Joannem patriarcham Constantinopolitanum delegata, hoc summopere legatis apostolicis displicuit; nolebant enim causam ad Joannis tribunal devolvi, quem a Vitaliano monachis acquisitum suspicabantur. Quare cum postea accepisset Hormisdas, non solum Vitalianum, sed et Justinianum, mutata sententia, monachis patrocinari, et hunc pro iis ex accusatore strenuum intercessorem agere; ex alia vero parte Dioscori unius ex legatis pontificiis epistolam recepisset, Joannem uti divenditæ forte monachis fidei insimulantis, integram causam pendere jussit usque ad reditum legatorum. Quod cum monachorum oratoribus, qui Romæ aderant, innotuisset, diuturnioris in Urbe moræ impatientes, clam se Roma subducere tentarunt. Verum id Hormisdas prohibuit, ut constat ex ejus epistola 63 ad legatos, III Nonas Decembris data. Acta hæc anno 519. Cæterum cum legati ad Hormisdam papam scripsissent, eam thesim sic a monachis exprimi, *Unum de Trinitate crucifixum*, ideoque in suspicionem vocatos; quasi unam tantum in Christo naturam prædicarent; monachi eo dicto se in invidiam trahi protestati sunt; eorum enim hæc erat assertio : *Unum de Trinitate passum carne*, unde in libello fidei hæc scripserunt : « Deum Verbum Unigenitum Filium Patris Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius Divinitatis esse credimus. »

Anno 520, Justinianus, qui monachos Scythas protegebat, iterum ad Hormisdam papam, in eorum favorem scripsit, et in suis litteris eos apprime catholicos contestatus, litem verbotenus tantum esse autumabat, iterumque rogabat, ut jam tandem eos cum responso dimitteret, quorum doctrinam juxta traditionem Patrum dici vulgo affirmabat. His Justiniani litteris respondit Hormisdas epistola 67 eaque perstringit Justinianum, qui sententiam in Scythica causa mutasset; illum tamen hortatur, ut cum imperatore agat, quo Victor, aliique, qui a monachis accusabantur, Romam mittantur, ut melius causa tractari possit. Justinus etiam imperator XV *Kalendas Februarii Vitaliano et Rustico coss.* ideoque anno 520, eadem de causa ad Hormisdam scripsit.

Scythæ monachi longiores Romæ moras trahentes, pontificios legatos opperiri jussi, episcopos Africanos, qui a Trasamundo Vandalorum rege in Sardiniam exsules deportati fuerant, misso legato cum professionis fidei libello in partes pellicere tentarunt. Communi consensu libellum in octo capita digestum producunt, eumque per Joannem diaconum ad episcopos Africanos dirigunt. In eo libello usque ad caput quintum inclusive de persona Christi Domini suam ipsorum fidem exponunt; capite vero quarto de illa thesi adeo controversa hæc scribunt : « Idem Deus Verbum etiam cum propria carne unus est ex Trinitate, non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Verbi Dei est, qui est unus ex Trinitate. »

Defensa thesi de Verbo uno ex Trinitate passo in carne, a capite sexto usque ad finem libri, de Gratia et libero Arbitrio quid sentiant, in eodem libello exponunt. Inde de peccato originali, ejusque pœnis, de humani generis gratia reparatrice, juxta sancti Augustini doctrinam copiose et erudite disserunt; in fine capitis sexti fidem præcipue dari a Deo tradunt, ac sine meritis prædestinationem.

Præsules Africani, quorum ingens apud Sardiniam erat numerus, monachorum Scytharum libello lecto, non modo illorum fidem ex integro commendarunt, verum etiam alterum et ipsi volumen pari titulo *de Incarnatione et gratia* seposuerunt, in quo omnes Scytharum sententias approbarunt, aliisque insuper solidioribus argumentis muniverunt. Illi autem fuerunt quindecim episcopi, quorum nomina initio libri recensentur; unius tamen Fulgentii Ruspensis, qui scientia cæteros antecellebat, stylo volumen illud elucubratum fuisse ex discipulo sancti Fulgentii in ejus Vita cap. 20 colligitur. Illa fidei monachorum commendatio initio statim præfixa apparet : « Vestram, inquiunt, simul alacres et fidem cognovimus et salutem; imo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit. » Fausti sententiam de initio fidei ex viribus naturæ a capite 17 acute refellunt : nulla tamen censura Faustum perstringunt; illius enim libros nondum viderant.

Dum hæc in Sardinia geruntur, legati Scytharum, cum Dioscorum unum ex pontificiis legatis, quem

Digitized by Google

hostem infensissimum semper experti fuerant, propediem Romæ adfuturum intelligerent, ne ejus auctoritate opprimerentur, diuturniorem se Romæ moram facere non posse dictitantes, ex Urbe egressi sunt. Antequam tamen Roma evaderent, libellos atque exemplaria, quibus eorum de Trinitate et divina gratia sententia exprimebatur, ad principum statuas appenderunt, ut eo prætextu aliquod receptui velamen esset. Eosdem ad principum statuas exclamasse scribit Hormisdas ad Possessorem, ut populum Romanum in commiserationem traherent, quorum tamen clamores surda aure Romanos pertransisse eodem auctore accepimus.

Possessor unus ex Africanis præsulibus a Trasamundo in exsilium missis, tunc Constantinopoli morabatur. Hunc Vitalianus et Justinianus induxerunt ad Hormisdam pontificem de Fausti Regiensis libris consulendum. Possessoris epistolam, Justino diacono delatore, accepit Hormisdas eo tempore, quo amaro in monachos erat animo, ob nuperam eorumdem discessionem jure indignatus. Epistola 70 data Idibus Augusti. Possessori respondens Hormisdas, in priori ejus parte pluribus in monachos invectus est, eosque tantum non hæreticos appellavit. De Fausto vero hanc sententiam tulit, his verbis concepta: « Hi vero quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant: Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare. » Cum vero passim diceretur Faustus contra sanctum Augustinum scripsisse, idem sanctus Pontifex ea sententia, libris Fausti omni prorsus auctoritate exutis, volumina postrema sancti Augustini legenda ingessit, veluti purissimos fontes indicans, e quibus doctrinam catholicam de libero arbitrio et gratia Dei hauirent. Hæc omnia ex libro II, cap. 18 et seqq. Historiæ Pelagianæ car- A dinalis Norisii summarie descripta, ubi et demonstratur, monachos Scythas, non solum ab hæresi Eutychiana immunes fuisse, sed etiam ejusdem hæresis strenuos expugnatores exstitisse, licet obstinatum eorum studium, quo præconceptæ sententiæ ad cæterorum usque contemptum adhæsere, culpa non caruerit. Legi etiam potest Natalis Alexander sæculo VI, dissert. 2. Porro hanc monachorum Scytharum propositionem anno 534 approbavit Joannes II, ut in ejus pontificatu dicetur, quam Hormisdam intempestivam judicans, et turbandæ potius, quam ædificandæ Ecclesiæ opportunam, nequidem examinare voluit, eam intactam et indiscussam relinquens, cujus prædicationem tunc nociturum prævidebat, quod nonnullam, . specietenus, affinitatem habere videretur cum recens damnato Petri Fullonis dogmate, et quod absque ejus ope synodus Chalcedonensis Eutychetis et Nestorii hæresim confixisset.

A SCHELESTRATE.

B Num 84, linea 19. — *Episcopatus in Africa post annos 74, revocatus est.* Episcopi, quibus Symmachus vestes et pecuniam singulis annis ministrabat, sub Symmachi successore ab exsilio revocati sunt, postquam 74 annos in exsilio peregerant. Ita auctor Libri Pontificalis, quibus non obest Marcellinus comes, dum Justiniano IV et Paulino coss tradit, Africæ provinciam, et Carthaginem anno excidionis suæ 94 receptos fuisse, pulsis Wandalis, et Gelimero eorum rege. Hæc enim de fugatis ex Africa Wandalis, et receptis a Justiniano civitatibus intelligenda sunt, cum auctor Libri Pontificalis agat de restitutis catholicis episcopis, quæ restitutio diu ante facta est, ut notat in Annalibus mss Onufrius Panvinius; affirmat enim, post Trasamundi mortem Ildericum Eudoxiæ filium patris crudelitate contempta orthodoxos omnes, quos Trasamundus relegaverat, et præsertim episcopos, reduxisse. Hoc enim factum est sub Hormisda.

LV. SANCTUS JOANNES.

ANNO CHRISTI 523, JUSTINI IMP. 6, THEODORICI 31.

87 *Joannes, natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annos duos, menses octo, dies* 22 [a], *a consulatu Maximi usque ad consulatum Olybrii*, temporibus Theodorici regis et Justini Augusti Christiani. *Hic vocatus est a rege Theodorico Ravennam.* [b] *Quem ipse rex rogans misit in legationem Constantinopolim ad Justinum* imperatorem orthodoxum, quia eodem tempore Justinus imperator *vir religiosus summo ardoris amore religionis Christianæ voluit hæreticos extricare. Nam summo fervore* Christianitatis hoc consilio usus est, ut *Ecclesias Arianorum* catholicas consecraret. Pro hac causa hæreticus rex Theodoricus audiens hoc exarsit [c], *et voluit totam Italiam gladio exstinguere.* Eodem tempore *Joannes papa* ægrotus infirmitate *cum fletu ambulavit, et* senatores, et consules *cum eo*, id est *Theodorus, Importunus, Agapitus* exconsul [d], *et alius Agapitus* patricius, qui hoc *accipientes in mandatis legationem, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis, quod si non, omnem Italiam gladio perderet.* Qui dum ambulassent cum Joanne papa, occurrerunt beato Joanni milliario 12 omnis civitas cum cereis et crucibus in honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli. Quia veteres Græcorum hoc testificabantur, dicentes, a tempore Constantini Au-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B. m. 9. d. 14. [b] *Vide Baron. ad ann. Domini* 525 [c] Hac itaque causa hæreticus rex audita exarsit [d] C. exconsules.

Digitized by Google

gusti, et beato Silvestro episcopo sedis apostolicæ, usque ad Justini Augusti tempora non meruisse partes Græciarum beati Petri apostoli vicarium suscepisse cum gloria.

88 Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo humiliavit se pronus [a], et adoravit beatissimum papam Joannem. Eodem tempore beatus Joannes papa cum senatoribus suprascriptis cum grandi fletu rogaverunt Justinum Augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui vero papa Joannes, vel senatores viri religiosi omnia meruerunt, et liberata est Italia a rege Thodorico hæretico. Justinus imperator tamen gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis vicarium beati Petri apostoli videre regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus. Eodem tempore cum hi suprascripti, id est papa Joannes cum senatoribus, Theodoro exconsule, Importuno exconsule, Agapito exconsule (Agapito patricio defuncto Thessalonicæ), positi essent Constantinopoli, *Theodoricus rex* hæreticus *tenuit duos senatores* præclaros, *et exconsules* Symmachum et Boetium, et occidit, interficiens gladio [b].

89 Eodem tempore revertens Joannes venerabilis papa, et senatores cum gloria, dum omnia obtinuissent a Justino Augusto, rex Theodoricus hæreticus *cum grandi dolo et odio suscepit* eosdem, papam Joannem et senatores, quos etiam gladio voluit interficere, *sed metuebat indignationem Justini Augusti* : quos *tamen in custodiam omnes* afflictos cruciavit [c], *ita ut beatissimus Joannes* episcopus primæ sedis *papa in custodia* afflictus *deficiens moreretur. Qui defunctus est Ravennæ in custodia* XV [d] *Kalendas Junias* martyr. *Post hoc factum nutu Dei omnipotentis* nonagesimo octavo die, *postquam defunctus est* beatissimus Joannes *in custodia, Theodoricus rex* hæreticus subito *interiit*, et mortuus est. Hic papa Joannes fecit cœmeterium beatorum martyrum Nerei, et Archilei via Ardeatina. Item renovavit cœmeterium Felicis et Adaucti; item renovavit cœmeterium Priscillæ via Salaria. Eodem tempore positum est ornamentum super confessionem beati Pauli apostoli de gemmis prasinis et hiacynthinis. Item hujus temporibus Justinus imperator obtulit patenam auream cum gemmis, pens. libr. viginti; calicem aureum cum gemmis, pens. libr. quinque; scyphos argenteos quinque; pallia auro texta quindecim, quæ ipse Joannes detulit apostolis beatissimo Petro et Paulo, et ad sanctam Mariam, et ad sanctum Laurentium. Hic ordinavit episcopos per diversa loca numero 15. Cujus corpus translatum est de Ravenna, et sepultum est in basilica beati Petri apostoli sub die VI Kalend. Jun. Olybrio consule, et cessavit episcopatus dies 58

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C in terram. [b] *Vide Baron. ad ann. Dom.* 525] *et* 526. [c] *C*, maceravit. [d] *C*, 12. *Vide Baron. an.* 526.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 87, *lin* 1, *B*, patre Constantino. *lin* 3, *A*, et Justiniani Augusti. *lin* 4, *A*, ad Justinianum imperatorem. *lin* 11, *AB*, Agapitus exconsules. *lin eadem*, *A*, qui hoc acceperunt in legationum mandatis. *B*, qui hanc accep. *lin* 14, *A*, occurrerunt ei a 12 milliario, etc. civitas tota. *B*, cives omnes. *lin* 16, a tempore Constantini Aug beatique Silvestri episcopi sedis apostolicæ temporibus Justiniani Augusti partes Græciarum meruisse, beati Petri apostoli vicarium vidisse, et cum gloria suscepisse.

Num 88, *lin* 5 *A*, quo impetrato liberata est Italia ab hæretico rege Theodorico imperator tu. *lin* 6, *A*, *B*, videre in regno suo. *lin* 7, eodem tempore idem papa senatores Theodorum importunum exconsules, et Agapitum patricium defunctos Thessalonica posuit Constantinopolim Theodoricus rex tenens interfecit gladio.

Num 89, *lin* 1, *A*, eodem tempore Joannem venerabilem papam et senatores cum gloria revertentes, dum omnia obtinuissent a Just Aug rex Theodoric hæreticus cum grandi dolo et odio suscepit, quos etiam gladio interficere voluit. *lin* 4, *AB*, hos tamen omnes in custodia afflictos cremavit. *lin* 6, *A*, hic defunctus est, etc., XV Kalend Jul martyr. *lin* 11, *B*, refecit cimiterium. *lin* 10, Nerei et Archillei, *A*, *B*. *lin* 10, *A*, et Audacti, et cimiterium Priscillæ. *lin* 15, *AB*, quæ ipse Joannes detulit ad beatos apostolos Petrum et Paulum, et ad S. Mariam, etc. *lin* 17, *B*, translatum est Ravenna Romam.

Ex codice Regio Mux et Thu.

Num. 87, *lin* 2, dies 16. Fuit autem a cons M. v. a. c. Olibrii, temp. *lin* 6, hæreticos exterminare, ut Arianorum ecclesias catholicas consecraret. Nam summo fer chr hoc consilio usus est. Hac itaque causa hæreticus rex Theodericus exarsit [M, exterminare. Nam summo fervore Christianitatis h. c. u. est, ut Ar. eccles cathol consecraret. Hac itaque causa h. rex Th. audita ex.] *lin* 9, exstinguere, et dissipare; quod et fecisset, nisi beatis papa Joannes legationem, quam præceperat hæreticus Theodericus recepisset. Qui accepta legatione pergens Constantinopolim ad Justinum imperat cum senatoribus,

Digitized by Google

id est Theodoro, Importuno, Agapito, et cum consulibus Agapito et Patricio retulit imperatori, quod a Theoderico acceperat in mandatis, ut redderentur ecclesiæ hæreticis in p. o. Quod si non, omn Ital glad. perderet. Qui cum appropinquasset civitati, ipse rex, et omnis civitas obviam venit cum cereis et crucibus, quasi beatus Petrus præsentialiter adesset. Etiam veteres Græci hoc testificabantur, dicentes : Sicut tempore Constantini A. ac B. beati Silvestri episcopi sedis apostolicæ : sicque Justini A. temporibus meruisse partes Græciarum B. Petri vicarium suscipere cum gloria. Tunc Justinus A. d. h. Deo, hu. se pr. in terram.

Num 88, *lin* 2, Joannem. Tunc beatissimus papa Jo. cum S. S. c. g. f. rogavit Justinum Aug ut i. acc in consp ejus esset; qui et impetravit, et tota Italia liberata est ab impio Theoderico hæretico. Tunc Justinus imperator gaudio repletus est, quia mer. it suis temporibus vicarium beati Petri apostoli in regno suo videre, de cujus manibus Justinus A. cum gloria est coronatus. Iisdem temporibus dum prænominatus papa cum senatoribus Theodoro exconsule, Importuno exconsule, Agapito exconsule, et alio Agapito expatritio defuncto Thessalonica esset Constantinopolim Theodericus hæreticus tenuit duos senatores, et ex consulibus Symmachum et Boetium, quos gladio interfecit.

Num 89, *lin* 1, itaque sanctissimus papa rediens a Constantinopoli cum omnia a Justino imperatore obtinuisset, tentus est a rege Theoderico hæretico, missusque in custodia voluit eum interficere. Sed metuens indignationem Justini Aug facere non potuit; tamen in custodia tenuit eum, ubi fame et siti, cum senatoribus et consulibus, defunctus est apud Ravennam xv Kal Julii. Post hoc factum n. D. omn 9s die postquam defunctus est beatus Joannes papa in custodia Theodoricus rex hæreticus subito interiit, et mortuus est. Hic papa restauravit cimiterium beatorum martyrum Nerei et Achillei via Ardeatina, et cimiterium sanctorum martyrum Felicis et Ad. et cimiterium Priscillæ. Hic posuit ornatum supra confessionem beati Pauli apostoli. *lin* 12, hiacynth. Huic obtulit Justinus imp apud Constantinopolim patenam auream [*M*, catenam aur] pens lib 20. *lin* 15, quinque, pallia auro texta 15, quæ ipse Joannes papa detulit, et ad beatos apostolos Petrum et Paulum, et ad sanctam Mariam, et ad sanctum Laurentium posuit. H. ord episc per diversa loca 15; hujus corpus translatum est d. Ravenn et sepultus est Romæ in basil.

Ex codice Thuano altero

Num 87, *lin* 1, menses 9, dies 16. *lin* 6, amoris ardore r. *lin* 9, ad gladium e. *lin* 10, Theodoricus I. A. exconsules. *lin* 12, in mand. legationum. *lin* 13, ad gladium p. *lin* 14, milliario 15.

Num. 88, *lin* 7, in regno suo.

Num 89, *lin* 1, revertentes. *lin* 5, in custodia o. a. cremavit. *lin* 6, quia tamen d. e. R. in c. *lin* 10, refecit. *lin* 10, Achillei. *lin* 11, cimit P. eod. *lin* 12, de gemmis, pens lib 20, calicem a. *lin* 14, scyphos aureos q. *lin* 15, obtulit ad beatos apost Pet et Paul et ad sanctum Laurent. *lin ult*, dies 80.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num 87, *lin* 1; *Flor*, mens 9, *d.* 17 *lin.* 5, *Flor*, religiosissimi ardoris amore. *lin* 12, *Flor*, *legationum*. *lin* 13, milliario 14, *Flor*, XV.

Num 88, *lin* 1, *post* promus *Vat addit* in terram. *lin* 6, videre regno suo, *Flor addit* in.

Num 89, *linea* 5, *Flor* cremavit; *alius codex*, maceravit. *lin* 9, *Vat* restauravit. *lin* 11, *Vat* posuit. *lin* 13, *post* imperator, *idem addit* : apud Constantinopolim. *lin* 15, *Vatic* et ad beatos apostolos Petrum et Paulum... et ad sanctum Laurentium posuit.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 87, *lin* 7, hoc consilium. *lin* 8, Theodericus. *lin* 10, Theodorus. *lin* 17, a beato Silvestro e. s. a. Justini Aug temporibus meruisse.

Num 88, *lin* 2, cum senatores suprascriptos. *lin* 7, in regno suo. *lin* 8, cum his suprascriptis. *lin* 9, Agapito exc et Agapito p. d. Thessalonicam, et istos suprascriptos. *lin* 11, exconsulem.

Num 89, *lin* 2, Theodericus. *lin* 4, metuens. *lin ead.* custodiam. *lin* 6, qui tamen. *lin* 8, Theodericus. *lin* 10, Achillei *lin* 14. ornatum. *lin* 15, optulit *lin* 15, beatis P.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Num. 87, linea 8. — *Voluit totam Italiam gladio exstinguere.* Vaticanus codex 4985 hæc ita habet : « Qui et faceret, nisi beatissimus papa Joannes legationem, quam præceperat hæreticus Theodericus, accepisset. Qui accepta legatione pergens Constantinopolim ad Justinianum imperatorem cum senatoribus Theodoro, Importuno, Agapito exconsulibus, et Agapito patricio, retulit imperatori, quæ a Theoderico acceperat in mandatis, ut redderentur ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis : quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui dum appropinquasset civitati; ipse rex et omnis civitas obviam venit cum cereis et crucibus, quasi beatus Petrus præsentialiter adesset. Etiam veteres Græci hoc testificabantur, » etc.

BENCINI

Num. 87, linea 3. — *Hic vocatus a rege Theodorico*, etc. Patet hic Anastasium biblioth. latinitati donasse acta multa pontificum, suaque, paucis immutatis, fecisse, quæ Theophanes in Chronico Græce scripserat, ut ex utriusque collatione cuivis constare potest. Aliqua etiam videtur desumpsisse ex Anonymo, qui Chronicon edidit, a Constantio Chloro ad Theodoricum deductam. Edidit Valesius in sua Marcellini edit. Conferantur Anonymi verba cum iis Libri Pontificalis, et planum erit, narrationem, imo et verba ex Anonymo fuisse desumpta. Ita enim ille : « Credens quod cum pertimesceret Justinus imperator, mittens et evocans Ravennan Joannem sedis apostolicæ præsulem, dixit ad eum : Ambula Constantinopolim ad Justinum imperatorem, et dic ei inter alia, ut reconciliatos hæreticos in catholica restituat Ecclesia, » etc. Plures enim ex Arianis, Justino elaborante, conversi fuere, quos Arianæ communioni et Ecclesiæ, cui acriter patrocinabatur Theodoricus, restituendos fore a pontifice credidit, et restitui postulavit. Sed iniquam petitionem in hunc modum rejecit pontifex, ex eodem Anonymo : « Cui papa Joannes ita respondit : Quod facturus es, rex, facito citius : ecce in conspectu tuo adsto, hoc tibi ego non promitto me facturum, nec illi dicturus sum. Nam in aliis causis, quibus mihi injunxeris, obtinere ab eodem, annuente Deo, potero. Jubet ergo rex iratus navim præparari, et superimpo itum eum cum aliis episcopis et senatoribus Constantinopolim dirigit. Sed Deus, qui fideles cultores suos non deserit, cum prosperitate perduxit. Cui Justinus imperator venienti ita occurrit, ac si beato Petro : cui, audita legatione, omnia repromisit facturum, præter reconciliatos, qui se fidei catholicæ dederunt, Arianis restitui nullatenus posse, » etc.

Linea 5. — *Quia. . . Justinus. . . voluit hæreticos extricare.* Orientem scilicet ab omni hæresi exsolvere. Quo modo Plautus Epid 1, 2, 49 : « Aliqua ope me exsolvam, extricabo me aliqua. » Et apud Horatium in, Od. 5, 31 : *Extricatæ margaritæ*, id est expurgatæ, perpolitæ. Vinnius quoque ad Ciceronem, Famil. 5, 10, *De Dionysio tuo adhuc nihil ex-*

Digitized by Google

trico. Itaque ad componendum Orientem, tot sectarum multitudine susdeque motum, constituerat imperator hæreticos omnes exstirpare. Habuerat et impulsorem S. Sabam, qui cum Justinum sub imperii initia adiisset, quædam pro monachis postulaturus, quæ obtinuit, prophetico spiritu eidem prænuntiavit hæc (*ibid.*, pag 314) : « Et credo atque confido, Deum pro hisce quemque ipsi gratis operibus adjuncturum imperio vestro Africam et Romam, omnemque reliquam Honorii ditionem, quam amiserunt, qui ante vestram piissimam serenitatem imperarunt. Insuper uti vos Arianam hæresim cum Nestoriana, et illa Origenis e medio tollatis, atque a hac harum trium hæreseon liberetis Ecclesias Dei, » etc. Quamobrem autem tres hasce hæreses tantum a Justino eliminandas prænuntiavit Saba, in hunc modum adnotat ibid. Cyrillus : « De Arii quidem hæresi, quando quidem Gothi, Visigothi, Vandali et Gepidæ, qui Ariani erant, in toto Occidente dominabantur, noratque animo ex inspiratione, imperatorem ipsos devicturum. » Coperat itaque Justinus ab Arianorum exstirpatione opus, quod, quam feliciter catholicæ fidei cederet, Orientales Ariani Theodorici patrocinium postularunt. De vaticinii complemento hæc infra idem Cyrillus, c. 74 : « Deus vero remunerationem imperatori infinite multiplicatam præbuit, senisque prophetiam ad effectum perduxit. Qui imperator paulo post tempore duo tropæa erexit, et coronas duarum victoriarum tulit, quales nondum antea ulli præcedentium imperatorum contigerat reportare. Africam enim et Romam a perduellionibus detentam recuperavit, duosque reges adductos Constantinopolim vidit; atque ita terræ marisque dimidiam partem brevi tempore Romanorum imperio restituit; tum Occidente toto a servitute memoratorum tyrannorum, qui Ariani erant, liberato, divinis constitutionibus edixit, Arianis ubique auferri ecclesias, juxta divini sensus mandatum, sive prædictionem..»

Linea 14. — *Occurrerunt... cum cereis et crucibus.* Solemnis hoc ævo erat istiusmodi occursus suscipiendis spectabilioribus viris. Exstat in Actis concilii Ephesini epistola episcoporum Constantinopoli degentium ad legitimam synodum data, in qua narrant susceptam a Dalmatico apud Theodosium imperatorem pro Patribus Ephesinis defensionem; quem, posteaquam catholicorum acta imperatori reserasset, ejusque flexisset animum, populus *cum cereis* occurrens, ad Ecclesiam deduxit. Legati quoque Hormisdæ, Justino imperante, cum urbes ingrederentur, simili pompa excepti sunt; quod testatur Dioscorus in relat et Hormisdas in epistolis. Etenim de adventu in urbem Scampum differentes, deque Troio episcopo, cleri, populique occursu, narrant obviam legatis ivisse « prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos susceperunt, » etc. Addunt legati ibid reperisse Stephanum Vitaliani consanguineum, ac Leontium missos ab imperatore, ut legatos apostolicæ sedis deducerent. In electione metropolitanorum idem observatus mos. Hinc cum electus fuit Saturninus metropolita a Maximiano Constantinopolitano, hæc de populi occursu leguntur in synodico Cassin, c. 115, pag 238 : « Præparantes ut unus occurreret populo cum crucibus et cereis, » etc. Qua ratione Italiæ urbes ingredientem exarchum excipiebant : et ex solemnitate exceperunt Carolum Romani, ut narratur infra in Adriano I, ubi et illud notatum : « Sicut mos est ad exarchum sive patricium suscipiendum, » etc. De eadem consuetudine Gregorius Turon lib VI, c. 11 : « Ingrediuntur utrique civitatem dux scilicet et episcopus cum signis et laudibus, diversisque honorum vexillis, » etc. Imo hoc ipso tempore si qui magnates regem convenirent ad grates et officii causa, cereos adhibebant. Audiendus Theophanes in Chron ad ann 522 : « Hoc anno ad Theodoricum, qui rex regnabat, accessit femina senatorii generis Romana Juvenilia nomine, regemque hisce verbis allocuta : Tertium jam annum cum Firmo patricio controversiam habeo, fac ut expediar. Rex accersitis utriusque partis judicibus : Nisi, inquit, juxta constitutum diem sententiam tuleritis, et litigantes dimiseritis, plectam vos capite. Illi vero biduo invicem congressi, sententia ex legibus data, utrumque dimiserunt. Tunc Juvenilia accensis cereis regem convenit, ut gratias ageret, quod a lite esset absoluta. At rex indignatus, accersitis judicibus : Quare, inquit, quod uno biduo confecistis, protraxistis ad triennium? et exemplo utriusque partis judices securi percussit : ex quo ingens in alios exortus est terror, » etc.

Num 88, linea 1. *Humiliavit se pronus.* Eadem habet anonymus Valesianus, unde excerpta hæc, et hoc inserta loco videntur. Eadem et de Justiniano leguntur in vita Agapeti : « Humiliavit se sanctæ sedi apostolicæ, et adoravit beatissimum papam. » In perscriptis hoc tempore epistolis, directisque ad Romanos pontifices, illustria sunt Orientalis Ecclesiæ erga eosdem venerationis documenta Justinianus adhuc comes sic Hormisdæ inscribit epistolam : « Domino meo sanctissimo Hormisdæ, primo archipontifici, et papæ urbis Romæ, Justinianus comes salutem, » etc. Pompeius, Anastasii imperatoris nepos eidem in hunc modum scribit : « Domino meo beatissimo et apostolico Patri Hormisdæ, archiepiscopo universalis Ecclesiæ, salutem, » etc. Juliana Anicia, insignis mulier, inter gratulantes adfuit, cum Anastasiam monuit Hormisdam, ut paulo diuturniorem suorum legatorum in Oriente moram permittant, firmandæ pacis gratia, quæ nonnisi apostolicæ sedis ope firmari poterat. Et Theodoritus Lignidensis in epigraphe : « Domino, sancto, beato, prædicabili et adorando apostolico Patri Hormisdæ, papæ urbis Romæ humilis famulus tuus, » etc. In ipsa autem epistola ait : « Parvulis et exiguis chartis Hormisdæ, prædicandis et adorandis sese præsentare vestigiis, » etc.

Num. 89, linea 1. — *Eodem tempore.* In anonymo Valesiano iidem narrationis modi occurrunt. « Reversus igitur Joannes papa a Justino, quem Theodericus cum dolo suscepit, et in offensa sua eum esse jubet, qui post paucos dies defunctus est, » etc.

Linea 8. — *Theodoricus rex hæreticus subito interiit*, etc. Valesianus anonymus addit, quo auctore et impulsore hæc in catholicos acta fuerint, edictumque emanatum, quo catholicis Ecclesiæ eriperentur. « Igitur Symmachus scholasticus Judæus jubente non rege sed tyranno, dictavit præcepta sic : Quarta feria septimo Kal. Septembris, indictione IV, Olybrio cos ut die Dominica adveniente, Ariani basilicas catholicas invaderent. » Itaque in Oriente Justini zelo edicta in Arianos executioni demandata sunt. Quod subiratum regem impulit ad omnes per regni sui ditionem ecclesias publico edicto, uno eodemque die Arianis consignandas. Subjungit tamen Anonymus : « Sed qui non patitur fideles cultores suos ab alienigenis opprimi, mox intulit in eum sententiam Arii auctoris religionis ejus. Fluxum ventris incurrit, et dum intra triduum evocatus fuisset, eodem die quo se gaudebat ecclesias invadere, simul regnum animam amisit, » etc. Cui concinit S. Gregorius M. Dialog lib. IV, c. 36. Hinc suspicor Anonymum fuisse scriniarium sedis apostolicæ, cujus erat acta hæc colligere : unde et Gregorius M. historiam exscripserit. Atque ex his monumentis, per synchronos scriptores congestis, facta videntur additamenta antiquis Rom. pont. catalogis.

Linea 19. — *Cessavit episcopatus dies quinquaginta et octo.* Joanne denato, præter Theodorici edictum de catholicorum ecclesiis invadendis, peculiare aliud perscriptum reor ad clerum Romanum, ut eligendus pontifex regis placitum et consensum expostularet. Hinc interpontificii diuturnitas, obsistente populo novis hisce regis præsumptionibus : ac tan-

Digitized by Google

dem ob commune bonum, et Ecclesiarum pacem cedente. Quod ostendit Athalarici successoris epistola, senatui Urbis data, apud Cassiodorum lib VIII varior., num 15, ubi inter cætera rex : « Gratissimum nostro profitemur animo, quod gloriosi avi nostri (Theodorici nempe) respondistis in episcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem visus est pontificem delegisse, ut nulli merito debeat displicere : ut agnoscatis, illum hoc optasse præcipue, quatenus bonis sacerdotibus ecclesiarum omnium religio pullularet. Recepistis itaque et divina gratia probabiliter institutum, et regali examinatione laudatum. Nullus adhuc pristina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cujus votum contigit a principe superari, » etc. Hinc laicalium præsumptionum exordia circa confirmationem tum pontificum, tum aliorum episcoporum; quæ inductæ sunt per Arianos Italiæ reges, et quas, expurgata recuperataque Italia, Orientis imperatores nentiquam deposuere, ut suis locis advertit Liber Pontificalis.

BINII ET LABBEI.

Num 87, linea 1. — *Joannes natione Tuscus*, etc. Cum septem dierum spatio sedes apostolica pastore vacasset, totius cleri consensu subrogatus est in locum Hormisdæ Joannes Etruscus Constantii ex presbytero filius, Idibus Augusti anno Christi nati 523, qui est Justini sextus imperii, et Theodorici trigesimus primus, regni Italici. Hujus temporibus magna Æthiopum copia ad Ecclesiam accessit. Ex Manichæis plurimi per Justinum imperatorem, et Cabadem Persarum regem interfecti fuerunt. Euphemia Augusta de catholica fide optime merita ex hac vita migravit.

Linea 9. — *Eodem tempore Joannes papa ægrotus infirmitate cum fletu ambulavit.* Minis Theodorici regis commotus pontifex, invitus et præter consuetudinem antecessorum legationem subiit. Eidem in itinere posito acciderunt quæ sanctus Gregorius lib III Dialog, cap 2, narrat his verbis : « Gothorum tempore, cum Joannes vir beatissimus hujus Romanæ Ecclesiæ pontifex ad Justinum seniorem principem pergeret, in Corinthi partes advenit, cui necesse fuit ut in itinere ad sedendum equus requiri deberet. Quod illic quidam vir nobilis audiens, equum quem præ magna mansuetudine ejus conjux sedere consuevit, ita ei obtulit, ut eo ad loca alia perveniente, cum alius equus potuisset inveniri, deberet ille, quem dederat, propter suam conjugem transmitti. Factumque est ut dum usque ad certum locum prædictus vir equo eodem subvehente perductus esset, qui mox ut alium reperit, illum quem acceperat remisit. Cumque eum prædicti nobilis viri conjux ex more sedere voluisset, ultra non valuit : post sessionem tanti pontificis mulierem ferre recusavit. Cœpit namque immenso fletu et fremitu, atque incessanti, totius corporis motu, quasi despiciendo prodere, quia post membra pontificis mulierem ferre non posset. Quod vir ejus prudenter intuitus hunc ad eumdem venerabilem virum protinus remisit, magnis precibus petens, ut equum ipse possideret, quem juri suo sedendo dedicasset. » De eodem etiam illud inquit idem S. Gregorius : « Mirabile a nostris senioribus narrari solet, quod in Constantinopolitana urbe ad portam, quæ vocatur Aurea, veniens populorum turbis sibi occurrentibus in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit, et manu superposita oculorum tenebras fugavit. »

Num 88, linea 7. *Eodem tempore cum hi suprascripti, id est papa*, etc. Cum Theodoricus audiisset Joannem pontificem pro ecclesiis Arianorum restituendis nihil egisse, sed potius ablatas Arianis ecclesias divino cultui dedicasse, in nobilissimos senatores gladium Romæ convertit. Hæc eadem auctor historiæ Miscellæ, lib 15, et Gregor Turon prædicto loco testantur.

Linea 11. *Symmachum.* Symmachus socer fuit Boetii, vir consularis, omnium scientiarum, et præcipue rerum theologicarum peritissimus. Ad hunc Boetius scripsit librum de Trinitate, suorumque scriptorum arbitrum appellat. Priscianus grammaticus Constantinopoli docens librum suum de ponderibus et mensuris eidem inscripsit.

Lin ead *Boetium.* Severinus Boetius secundum consul Symmachi filiam Rusticianam nomine uxorem habuit, ex qua duos suscepit filios consulares, quos optimis moribus imbui curavit. Philosophus, theologus et mathematicus insignis fuit. Hunc Theodoricus, ideo quod senatum de crimine læsæ majestatis calumnia accusatum defendisset, Ticinum relegavit, ibique tandem post multas carceris angustias, eumdem capitis supplicio affecit, et glorioso martyrio condecoravit. De scriptis illius, vide Baron anno 526, Possev in apparatu sacro.

Num. 89, linea 18. — *Sepultum* IV *Kalend Jun.* Sexto Kalendas Julias legi debet. Nam VI Kal. Junias mortuus est; sexto autem Kal Julias Romam translatus sepultus fuit in basilica Vaticana.

Linea 19. — *Cessavit episcopatus dies quinquaginta et octo.* Hoc toto quinquaginta et octo dierum interstitio sedis vacantis altercatum est Romæ de electione pontificis : et licet vota eligentium in alium conspirassent, accidit tamen jussu Theodorici regis Ariani, ut quem ille designarat Felicem IV eligere debuerint. Sicut ergo Constantinus imperator Arianus, relegato Liberio, illi subrogavit Felicem Secundum : ita Theodoricus princeps Arianus ejusdem nominis Felicem IV. Hac occasione factum est, ut post hæc tempora etiam Orientales imperatores non alium a clero Romano pontificem eligi permiserint, quam talem quem ipsi suo assensu confirmarent : ob quod sanctus Gregorius plurimis in locis gravissime ingemiscit.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

In consulatu Maximi (nempe anno Christi 523) cum sedes vacasset septem diebus post obitum S. Hormisdæ, ex die VI ad XII Augusti, die XIII in quam cadebat Dominica, ordinatus est pontifex Romanus S. Joannes, ut scribunt Anastasius, et Ordericus. Sedes illi tribuitur annorum duorum, mensium octo, et dierum sexdecim, in codicibus Anastasianis Regio, Mazarino, et Thuanis duobus, necnon in aliquot catalogis præstantibus, Palatino-Vaticano, et Bergomensi apud Schelestratum (Lucensis, Cavensis, et Farfensis unicam diem superaddunt, et Bergomensis unitatem mensibus deduci), et tamen dies ejusdem obitus Ravennæ in custodia apud Bibliothecarium sect 89, lin 6, signatur XV Kal Junias, et corpus inde Romam delatum sepultum dicitur in basilica S. Petri die VI Kal Jun Olybrio consule, nempe XXVII Maii anno 526. In martyrologio Romano, et Usuardi refertur ejus memoria ad eamdem diem. Sed in Martyrologiis Bedæ et Adonis, habetur die subsequenti 28. Colligere hinc possumus, cur præter annos duos et menses octo, tribuantur ejusdem sedi dies sexdecim. Licet enim a die 13 Augusti, unde exorsus est pontificatum ad diem obitus 18 præter menses solidos, effluxerint dies tantum quinque, qui memoriam ejus viderant indicatam die 28 mensis Maii, ex die ordinationis et exordii 15 ad diem 28 (inclusis extremis) collegerunt dies sexdecim. Sunt igitur revera a die ordinationis 13 Augusti 523, ad diem 18 Maii 526, qua martyr decessit Ravennæ in custodia, anni duo, menses octo, dies quinque, seu computatis extremis dies sex.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num 87, linea 1. — *Joannes, natione Tuscus*, etc. Ad illustrandum natale solum hujus beati pontificis

Digitized by Google

et martyris inclyti, Senarum cives hæc documenta manorum, qui Constantinopolim sit profectus. conferunt.

Lilius seu Hieronymus Gigli in suo Diario fastorum Senensium ad diem 28 Maii hæc scribit, per nos Latine reddita : « Omnes scriptores qui Vitas pontificum ediderunt Joannem asserunt fuisse Etruscum. Sigismundus Titius natum putat Populoniæ, quam civitatem cum barbari destruerent, affirmat, eumdem commigrasse Senas cum aliis pluribus. Hanc propterea patriæ loco a se deinceps habitam honorasse perhibet sede episcopali. Huic Malevoltius subscribit. Vetustior tamen probata a nobis fuit Senensis cathedra episcopalis ex his quæ diximus die tertia Februarii in Natali S. Blasii. R. Pater Ugurgerius refert, nonnullos scriptores concivem nostrum statuentes hunc sanctum pontificem : cui suffragatur recepta apud nos traditio. Nec desunt qui vicum etiam Fontisbrandi, inter suburbia tunc recensitum, nobilitatum fuisse ferant ipsius domicilio. In aula Bayliatus Senarum inter alios pontifices Senensi Colonia ortos visitur S. Joannes Primus. » Assertores hujusmodi traditionis, præter indicatos a Lilio, proferuntur etiam ab aliis eruditis viris Julius Piccolomineus in suo libro, cui nomen est *Senæ illustres*, Jugurthas, Orlandus, Tommasius, Malavoltius parte I historiæ Senensis, Joannes Bisdomini in Chronico rerum Senensium inedito, scriptor sæculi XII, Hildobrandinus auctor sæculi XIII, Maccabrunius de laudibus Etruriæ Gallacis Petri in alio chronico inedito, et F. Petrus Castruccius ord Prædic Florentius in sua hebdomade historica Tuderti impressa anno 1655. In cathedrali ecclesia metropolitana inter insignes reliquias hujus sancti martyris et pontificis mandibula asservatur.

Num. 89, linea 6. — *Qui defunctus est Ravennæ in custodia* XV *Kal Jun martyr.* Ita consignatur dies obitus sancti pontificis. Festum vero pertinet ad commemorandam translationem, quando Ravenna, ubi glorioso martyrio occubuit, Romam delatum est sacrum ejus corpus : adnotante card Baronio in Martyrologio ad diem 27 Maii, qua colitur.

Linea 10. — *Felicis et Audacti.* Hujus sacri cœmeterii partem insignem decimo ab hinc anno detectam prope basilicam S. Pauli via Ostiensi supra clivum eidem proximum versus Ardeatinam indicavimus tom II in Prolegomenis.

Linea. 15. — *Pallia auro texta quindecim, quæ ipse Joannes detulit*, etc. Ex imperiali aut regia stola pretiosæ hujusmodi texturæ offerri passim consuevisse a pietate Augustorum pallia sacris altaribus paulo ante diximus in notis ad S. Hormisdam.

CIACONII.

Num. 87, linea 9. — *Ægrotus infirmitate cum fletu ambulavit.* Beatissimus pontifex Joannes, cum Constantinopolim proficisceretur, et ad Corinthianam civitatem pervenisset, equus requirebatur, quem pontifex illo itinere equitaret. Quidam nobilis mansuetum quemdam, quem uxor conscendere solebat, obtulit, precatus tamen ut invento alio redderetur, ob suæ conjugis usum, quæ lenitate illius summopere delectabatur. In itineris processu, reperto alio, opportune illum patrono remisit, super quem cum vellet uxor sua de more sedere, non tulit equus, ferociens, et calcitrans, ullum ulterius in eum conscendere, super quem beatissimus pontifex equitarat. Quod animadvertens nobilis ille, donatum misit sanctissimo pontifici, precatus, ut eum perpetuo in sui obsequio retineret : ut B. Gregorius Magnus tradit lib III Dialog cap 2.

Num 88, linea 7. *De cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus.* Antequam abcederet Joannes pontifex Constantinopoli, voluit Justinus Cæsar ab ipso diademate imperii coronari primus existens, qui a pontifice Romano imperatoris insignibus sacraretur, et primus pontificum Ro-

SOMMIER.

Num. 87, linea 4. — *Quem ipse rex rogans misit in legationem.* Ex lib v, cap 20. Justinus imperator ductus zelo ita præservandæ catholicæ religionis ab omni inquinamento et admistione cujusque falsæ credulitatis, ut nulla eidem adversa secta omnino vigeret, legem tulit, qua contra Manichæos exsilium et mors, cæteris autem hæreticis, Judæis et paganis exclusio a quocunque reipublicæ munere decernebatur. Arianos ab initio indulgentius habuit, ne rex Theodoricus, qui eamdem hæresim profitebatur, irritatus contra catholicos in Italia, quam tenebat, vehementer sæviret. Verum paulo post, neglecto hujusmodi periculo, eadem sanctione qua cæteros hæreticos duxit esse Arianorum perfidiam coercendam, illorumque ecclesias jussit Catholici ritus dedicatione ab omni profanatione expurgari. Theodoricus ea de causa excandescens cogitabat Italorum ruina ac cædibus de severitate legis ulcisci, et ab hac religionis sede catholicos universos eliminare. Agendum tamen duxit cum Justino Augusto moderatius, et litteris ad eumdem datis quasi amice impetrandam revocationem legis adversus Arianos latæ.

Hanc ut efficacius obtineret, legatione uti decrevit, nunquam ante audita, adeoque supra cæteras celebranda, qua scilicet perfungi adigeret ipsum pontificem summum, ea de causa Constantinopolim profecturum, ut pro Arianorum ecclesiis peroraret.

Joannes papa, qui Hormisdæ successerat, ut averteret ab Italiæ cervicibus cladem imminentem a rege hæretico et barbaro, non secus agendum duxit, ac Leo Magnus apud Attilam legerat, suscepta pro Romanis legatione : etiamsi redimi videretur vexatio Urbis nimia humiliatione pontificis, quem nunc ablegatum agere principis sæcularis vulgo jactarent, et contra rem Christianam susceptis negotiis implicari. Verum sanctus pontifex, probe perpendens mala quæ ab usurpatore hæretico infinita propemodum imminebant, et averti poterant interposita unica ista apud Justinum suasione, ut hæreticos indocilitati propriæ relinqueret possidendos, et reprobato sensui perversæ obstinationis, legatione perfungi non detrectavit. Necessarium esse duximus hæc mandata, et susceptæ legationis consilium paulo enucleatius distinguere, ut historicorum fidei consultum sit, quæ plerique visa est sibi non constare. Tres præcæteris sunt attendendi, nempe Anonymus quidam ad calcem Ammiani Marcellini editus cum notis Valesii; Bibliothecarius, et Theophanes. Perpensis trium istorum testimoniis, colligitur tria objecta legationis proponi. Primum ab Anonymo, ut scilicet ad Arianismum redire compellerentur, qui eadem secta derelicta ad catholicam fidem accesserant. Secundum a Bibliothecario enuntiatum, nempe ut Ecclesiæ Arianis ereptæ, et catholici ritus professoribus attributæ, prioribus possessoribus redderentur. Tertium vero a Theophane narratum, ne scilicet in posterum quispiam per vim adigeretur ad abjurandam Arianam perfidiam.

Joannes papa de primo illo articulo apud Justinum agere non modo recusavit; sed regi Ariano cædes minanti his verbis respondisse traditur, ab Anonymo ita perscriptis : « Cui papa Joannes ita respondit : Quod facturus es, rex facito citius. Ecce in conspectu tuo adsto. Hæc tibi ego non promitto facturum, nec illi dicturus sum. Nam in aliis causis, quæ mihi injunxeris, obtinere ab eodem annuente Deo potero. De se itaque pœnas quas mallet sumere fortiter permisit, ne indignam pontifice petitionem proponendam Justino susciperet.

Duos postremos articulos obstinuisse narratur, eo temperamento usus inter discrimina, quæ utrimque imminebant orthodoxis, ut perniciosius semper averteret. Hanc pontificis laboriosam curam suscepti ili-

Digitized by Google

neris ac legationis ratam habuit Deus edito per servum suum miraculo restitutæ visionis cæco in ingressu regiæ urbis, quod sanctus Gregorius commemorat Dialog lib III, cap 2, et honorifica receptione, quam Bibliothecarius describit in hac sectione. « Occurrerunt B. Joanni papæ a milliario duodecimo omnis civitas cum cereis et crucibus in honorem BB. Petri et Pauli apostolorum, » etc. Justinus vero Augustus qui eumdem Christi vicarium pronus in terram adoravit, licet corona donatus jam fuisset solemniter ab Epiphanio patriarcha Constantinopolitano, voluit iterum a Petri successore coronari; quod præter Bibliothecarium narrat etiam Aimoinus lib II, cap 1. Theophanes addit eumdem Joannem, qui causa salutis publicæ legationem humiliter susceperat, cum invitaretur ab Epiphanio patriarcha « congressum denegasse, donec ipse qui Romanus esset pontifex primum in consessu locum obtineret. » Confirmat Marcellinus scribens in chronico de Joanne : « Dexter dextrum Ecclesiæ insedit solium, dieque Domini nostri resurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit. »

Ab imperatore impetravit duos postremos articulos illius petitionis, cujus primum nunquam a se propositum iri aperte dixerat Theodorico. Justinus pariter negaverat se id præstiturum etiamsi a se peteretur, cum de illo forsitan percepisset ex litteris Theodorici. Neque enim a senatoribus quos Joanni legationis comites Theodoricus addi voluerat, par est diversam suspicari a Romano pontifice petitionem; cum de illorum religionis cura testetur Bibliothecarius scribens : « Joannes papa et senatores viri religiosi omnia meruerunt, et liberata est Italia a Theodorico; » et auctor Miscellæ asserat, « Justinus eis quod petebatur concessit; » cum constet ex anonymo supra indicato, Justinum spopondisse se omnia facturum præter permissionem impune relabendi in hæresim Arianam iis qui ad catholicam fidem ex illa conversi fuerant. Hoc scilicet Theodoricus cupiebat, sed legationis princeps Joannes aperte negabat se unquam postulaturum, et comites legationis senatores viri religiosi maluerunt deferre exemplo pontificis summi, quam hæretici regis cupiditati.

Reversi in Italiam legati impetratæ a Justiniano indulgentioris erga Arianos clementiæ præmium obtinuerunt longe diversum a rationabili exspectatione. Barbarus enim rex tam Joannem pontificem quam senatores Ravennam appulsos tetro carceri mancipavit, processurus utique ad extrema supplicia, nisi indignationem Justini timuisset. Tanto attamen additamento sævitiæ carceris incommoda cumulavit ut ærumnis confectus Joannes vita cedens eo martyrio sit coronatus : ad cujus feretrum dæmoniacus deductus confestim liberatus est. Quare certatim senatores et populus de velis ejus reliquias sibi conquirebant.

Hæc omnia comprobant stetisse promissis Joannem, qui fortiter repugnaturum se edixerat Theodorico in priori articulo petitionis, quam nec ipse nec senatores in se recepisse, aut Justino proposuisse inveniuntur. Auxerunt Theodorici suspicionem honores maximi apud Constantinopolim redditi Joanni papæ ac senatoribus Romanis, interpretante scilicet rege eosdem redditos eo consilio, ut senatus Urbis acrioribus stimulis exciteretur ad Gothorum jugum excutiendum. Historia certe refert pari suspicione ductum Theodoricum Symmacho et Boetio mortem intulisse, viris utique præ cæteris illustribus in senatu.

PAGI.

Num 88, linea 7. *De cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus*, etc. Porro licet, Justinus Augustus jam coronatus fuisset a Joanne patriarcha Constantinopolitano, ut constat ex ejusdem Joannis epistola ad Hormisdam papam, iterum tamen a Joanne papa coronari voluit, quod, præter Anastasium diserte testatur Aimoinus lib II, cap 1, scribens, Joannes papa : « Justino Augusto ut vicarius beati Petri imperialem imposuit coronam. » Nec insolens fuit subsecutis sæculis imperatores et reges secundo, aut etiam tertio coronari. Ante Justinum quidam imperatores, a temporibus Theodosii Junioris, qui teste Theodoro lectore lib II, a Proclo Patriarcha Constinopolitano coronatus est, coronam imperialem susceperunt ab episcopis, sed nullus ante Justinum ab aliquo pontifice Romano solemnem benedictionem acceperat. Antequam imperatores benedictione pontificali donarentur, fidei professionem emittebant, de qua, sicuti et de ritu quo consecrabantur, lege Edmundum Martene lib II, cap 2, de antiquis Ecclesiæ Ritibus. De benedictione imperatorum Occidentis post imperii renovationem lege dicenda in Leone III, et de benedictione regum dicenda in Zacharia.

LVI. SANCTUS FELIX IV.

ANNO CHRISTI 526, JUSTINI IMPER. 9, THEODORICI 34.

90 *Felix natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos quatuor, menses* duos, *dies* 14 [a]. Fuit autem temporibus [b] Theodorici regis, et Justini [c] Augusti, a Consulatu Mamortini [d] *usque ad consulatum Lampadii, et Orestis a die* 4 *Idus Juliarum usque in quarto Idus Octobris. Hic fecit basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani in urbe Roma,* in loco qui apellatur via Sacra, *juxta templum urbis Romæ.* Hujus temporibus consumpta est incendio basilica sancti martyris Saturnini, via Salaria, quam a solo refecit. Qui etiam ordinatus est cum quiete, et vixit usque ad tempora Athalarici regis. *Hic fecit ordinationes duas* in urbe Roma per menses Februarii et Martii, *presbyteros quinquaginta quinque, diaconos quatuor, episcopos per* diversa *loca* numero triginta novem [e]. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli IV Idus *Octobris; et cessavit episcopatus* mens. 1, dies 15 [f].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, dies 18. [b] Justini, et Justiniani imp et Athalarici regis, a Cons Olybrii ad Lampadium et Orestem. [c] C, Justiniani. [d] C, Maburti. B, Mavortii. [e] CB, 29. [f] CB dies tres.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 90, *lin* 1, *AB*, dies 13. *lin* 2 *A*, Justinianii. lin 9, *AB*, episcopos 29. *lin* 11, *AB*, episcopatus dies 3.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 90, *lin* 1, natione Samius. *lin ead*, d. 13. *lin* 3, die 4 Idus Julii, usque in quartum Idus Octobr. *lin* 5, urbis Romæ, vel Romuli. *lin* 6, quam ipse a solo ref. *lin* 8, per mensem F. *lin* 9, loca 29. *lin* 11, episcop dies 3.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, dies 13. *lin* 2, a cons ab hortu. *lin* 4, iduum. *lin* 9, 29, *lin* 11, episc dies 4.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Num 90, *lin* 1, *Flor Vat et Cass.*, dies XIII. *lin* 2, *Vat et Flor.*, Maburtii. *lin* 4, *Flor.*, III Idus. *lin* 11, *Flor.*, *Vat et alii*, Cessavit episcopatus dies 3.

Additur in ms. codice bibliothecæ reginæ Sueciæ, uti etiam in ms. codice Colbertino.

57 Bonefatius sedit annos 2, dies 25. [*Colb XXVI*]

58 Joannes sedit annos 2, menses 3, dies 25. [*Colb.*, mens 4, dies 26.]

59 Felix sedit annos 4, menses 2, dies 12.

60 Bonefatius sedit annos 2, dies 26.

61 Joannes sedit annos 2, menses 3, dies 5. [*Colb.*, dies 6.]

62 Agapitus sedit menses 11, dies 17. [*Colb.* dies 18.]

63 Silverius sedit annum 1, menses 5, dies 11.

64 Vigilius sedit annos 16 [*Colb.*, annos 17], menses 6, dies 26.

65 Pelagius sedit annos 4, menses 10, dies 18.

66 Joannes sedit annos 12, menses 11 [*Colb.*, *mens* x] dies 26.

67 Benedictus sedit annos 4 [*Colb addit* mens dies XXVIII].

68 Pelagius sedit annos 10, menses 2, dies 10.

A beato Petro usque nunc fiunt anni 444 et menses 6, excepto intervallo episcopatus.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 5, in locum. *lin* 11, XXIX.

NOTÆ VARIORUM.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Felix*, etc. Theodoricus interfector Joannis, usurpato sibi jure temere eligendi, et nominandi sedis apostolicæ episcopum, postquam hac de re quinquaginta et octo dierum interregno disceptatum esset, Felicem virum in Romano clero probatissimum nominavit, ne qua occasione suæ voluntati resisti posset. Accidit ea nominatio, nominatimque a toto clero facta approbatio vigesima quarta Julii, anno Domini 526. Justini imperatoris anno imperii nono, Theodorici regis trigesimo quarto anno regni Italiæ. Sed absque dilatione Deus auctorem tanti sceleris Theodoricum sævum, barbarum, durumque tyrannum repentina vindicta cœlitus immissa prostravit, et post acceleratum dirum exitium ad inferos perpetuo relegavit. « Accidit, inquit Procopius *de bello Gothorum* lib. I, cum cœnanti illi ministri apposuissent miræ magnitudinis piscis caput decoctum, Symmachi nuper occisi caput illi visum fuerit, præfixis et exstantibus inferiore in labro dentibus, et torve intuentibus oculis furibunde sibi et acerbe comminari : qua visione territus in morbum inciderit, et non longe post mortuus fuerit. » Refert S. Gregorius lib IV Dialog, cap 30, quod quidam solitarius viderit eum inter Joannem papam et Symmachum patricium, quos occiderat, discinctum, et discalceatum, et vinctis manibus deductum in Vulcani ollam jactari.

Linea 1. — *Sedit annos quatuor.* Annis quatuor, mensibus duobus, et diebus decem et octo, sedisse colligitur ex principio et fine pontificatus.

Linea 11. — *Cessavit pontificatus mensem unum, dies quindecim.* Ab obitu Felicis usque ad electionem Bonifacii Secundi tres dies intercesserunt. Legitur autem hic sedes vacasse uno mense et quindecim diebus ; sed intelligendum est de tempore illo, quando post schisma sublatum Bonifacius cognitus est ab omnibus legitimus pontifex.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedis vacationem a Joannis pontificatu definiunt Catalogi Lucencis, et Farfensis cum Bibliothecario dierum quinquaginta et octo. Cum tamen exordium sedis Felicis IV qui ei successit, ducat Bibliothecarius hoc num. lin 3, ex die IV Idus Julii (quæ anno 526 fuit Dominica, et apta ordinationi episcopali), recte infert Pagius, vacationem sedis fuisse dierum quinquaginta quinque, Consulatu Olybrii supra dixit signari annum obitus S. Joannis 18 Maii et consequenter electionis Felicis, eodem anno peractæ mense Julio. Huic tamen exordienti consulem Mavortium tribuit Bibliothecarius, qui signat annum 527 proxime consequentem, ex consuetudine superius observata tribuendi sedi pontificis eos consules, quorum in magistratu Pascha ipse celebrabat. His de initio constitutis in Felice IV procedit inoffensa ejus regiminis chronologia annorum quatuor, mensium duorum, dierum tredecim, omnibus in catalogis præstantioribus, Palatino-Vaticano, Farfensi, Lucensi, Cavensi, et Bergomati concordibus numeris consignata, non secus ac in plerisque codicibus Bibliothecarii, licet in nonnullis unitas diebus addatur. Decesserit itaque S. Pontifex die 25 Septembris, licet sacrum ejus corpus sepulturæ mandatum sit in basilica Vaticana IV Idus Octobris, teste Bibliothecario : et cum sedes vacasse dicatur diebus tribus ex Bibliothecario, et catalogis Farfensi, ac Lucensi, electio Bonifacii successoris parianda est cum die 28 Septembris anni 530, et ordinatio assignanda diei proxime consequenti 29 Septembris, quæ fuit Dominica.

Vexant attamen hanc chronologiam subscriptiones litterarum apostolicarum et conciliorum observatæ a duobus doctissimis cardinalibus Baronio, et Norisio, qui inter se dissident earumdem subscriptionum causa. Consilium Arausicanum II, celebratum contra Semipelagianos et Massilienses a Cæsario Arelatensi episcopo, subscriptum fuit V Nonas Julii Decio Juniore consule, nempe anno æræ Christi 529. Ejus concilii Acta, ut confirmarentur a sede apostolica, Cæsarius transmisit Romam ad Felicem papam, perferente Armenio presbytero et abbate. Dum is iter prosequitur, aut Romæ dum moratur, e vivis erepto Felice IV sublectus fuit Bonifacius : qui in litteris confirmationis ejus concilii rescribens, et Cæsario nuntians se in locum Felicis successisse, signat epistolam VIII Kal Febr. Lampadio, et Oreste cons..., nempe Christi anno 530. Sirmondus : « Baronii chronologiam secutus (Scribit card Noris hist Pelag lib II, cap 23, pag 333) legendum putat P. C. Lampadii et Orestis, qui est annus 531. Card Baronius Anastasium imitatus Bonifacii initia statuit Lampadio et Oreste cons mense Octobri, finem vero 17 Octob post consulatum Lampadii et Orestis anno scilicet 531. Sed utrobique eumdem errasse certum est. Etenim celebrata anno 529, V Nonas Julias synodo II, Arausicana, Cæsarius ejusdem confirma-

Digitized by Google

tionem petiit a Felice papa, misso Romam Armenio, » etc. Et relata epistola Bonifacii respondentis Cæsario VIII Kalen Febr. Lampadio et Oreste VV. CC. coss ubi habetur mentio synodi a Cæsario celebratæ. « Quis vero existimet, inquit, Cæsarium post annum scripsisse ad sedem apostolicam, se synodum apud Arausicam coegisse? » Quare anno eodem 529 celebrati abs se concilii Felicem papam certiorem reddidisse dicendus est. Dum vero Armenius litteras Romam delaturus esset, mortuo Felice, eodem anno successit Bonifacius, qui anno sequenti, die 25 Januarii respondit Cæsario. Certe subscriptiones epistolarum Felicis, quæ ponuntur datæ consulibus Lampadio et Oreste, ex hac Bonifacii subscriptione corrigendæ sunt, præsertim cum et alteram datam ad Sabinam XII Kal Novembris ipse etiam Baronius eadem spongia emendandam dicat. Sed neque finis pontificatus Bonifacii recte statuitur a Baronio, ac cæteris communiter cum Anastasio die 17 Octobris P. C. Lampadii. Nam apertæ falsitatis convincuntur ex Actis synodi Romanæ a Bonifacio eodem celebratæ, et a Luca Holstenio editæ, ubi sessio prima ita incipit : « Post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. sub die 7 Iduum Decembrium in consistorio B. Andreæ apostoli presidente venerabili viro papa Bonifacio, » etc. Ex quibus verbis vixisse Bonifacium usque ad Decembrem 521 evidenter demonstratur.

Sunt igitur tam in sententia Baronii, quam in sententia Norisi corrigendæ subsignationes aliquot epistolarum. Baronius epistolam Bonifacii ad Cæsarium male signatam « putat VIII Kal Febr Lampadio et Oreste coss 530, et veram lectionem fuisse autumat VIII Kal Febr post consulatum P. C. Lampadii et Orestis 531. » Norisius corrigendam asserit subscriptionem epistolæ Felicis Kal Martii Lampadio et Oreste cons uterque corrigendam subsignationem alterius epistolæ ejusdem Felicis ad Sabinam XII Kal Novembris Lampadio et Oreste.

Cum itaque in utraque sententia plures epistolæ in notis temporis exprimendis mendose transcriptæ inveniantur, et corrigendæ, vix possumus fidere illarum indicationi. Destrui propterea non potest ex unico testimonio harum subsignationum spongiam desiderantium, Chronologia Felicis, aliunde comprobata ex Anastasio, et catalogis : præsertim cum admissa unica emendatione datarum litterarum a *Bonifacio* ad Cæsarium, quam Baronius et Sirmondus amplectuntur, ut signatæ sint VIII *Kal Februar P. C. Lampadii et Orestis* (non Lampadio et Oreste cons) recte procedant universa. Synodus Arausicana celebrata dicitur mense Julio 529. Confirmatio petitur a sede apostolica anno 530 circa Autumnum. Improbat Norisius hanc moram annalem Cæsarii. Verum, si ratio habeatur bellorum crudelium tum temporis miscentium Gallias, in quibus Sigismundi Burgundiorum regis uxor privignum insimulabat apud patrem, « illum inhiare paterno regno per ejus necem obtinendo, et usque in Italiam dilatando, ut regnum quod avus Theodoricus in Italia tenuit ipse possideret. » Et cruenta prælia passim conserebantur (quæ ex Gregorio Turonensi, Aimoino, et Procopio colligit Petavius in Chronol ad ann 528) mirum videri non debet, ut præsules catholici anni dilationem in legatione ad pontificem Romanum adornanda interposuerint, ne tanta in suspicione, ac motuum bellicorum frequentia alio tendere præsumerentur illorum petitiones in Italiam directæ.

Prudenti ac dilatione concessa, dederit litteras Cæsarius ad Felicem Lampadio et Oreste cons. Christi 530, circa initium Autumni. Armenius legatus in urbem veniens Felicem per eos dies vita functum, et Bonifacium electum reperit : a quo responsa ad Cæsarium cum optata confirmatione gestorum data sunt VIII Kal Febr P. C. Lampadii et Orestis, nempe XXV Januarii 531. Intactam vero relinquimus signationem epistolæ Felicis ad omnes episcopos Kal Martii Lampadio et Oreste cons. Neque consulatum hunc mutamus in altera ejus Felicis ad Sabinam, modo legatur XII Kal Septembris, quæ XII Kalend Novembris consignatur. Bonifacii vero litteræ alia non indigent emendatione quam unica jam indicata, et admissa a Baronio et Sirmondo. Constat vero fides Chronologiæ actorum synodi Romanæ a Bonifacio eodem celebratæ, et a Luca Holstenio editæ, ubi sessio prima ita incipit : « Post Consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. sub die VII Iduum Decembrium in consistorio B. Andreæ apostoli præsidente venerabili viro papa Bonifacio ; » cum ejus sedem pertigisse admittamus cum Anastasio, et catalogis, ad mens Novembris anni 531. Iterum post consulatum Lampadii et Orestis, ut num seqq dicemus.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Basilicam SS. Cosmæ et Damiani*, etc. *Via sacra juxta templum urbis Romæ.* Sæpe a nobis productus præsul Ciampinus tomo II vet Monim, cap 7, antiquariorum lites componit de templo Romuli vel urbis Romæ ibidem sito in via Sacra, ubi SS. Cosmæ et Damiani ecclesia a Christianis erecta, et a Felice IV magnificentius restituta et ornata fuit, additis etiam ex musivo opere sacris imaginibus, quas ille incidi curavit et exposuit. Subest imaginibus epigraghe sequenti hexasticho inclusa :

Aula Dei claris radiat speciosa metallis
In qua plus fidei lux pretiosa micat.
Martyribus medicis populo spes certa salutis
Venit, et ex sacro crevit honore locus.
Obtulit hoc Domino Felix antistite dignum
Munus, ut ætheria vivat in arce poli.

Præter imagines Christi Domini, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, et sanctorum martyrum Cosmæ, et Damiani, ac Theodori, visitur etiam in illo musivo figura Felicis Quarti, colobio seu casula sacerdotali ac pallio ornata, et hujus ædis sacræ a se fundatæ ac dotatæ proplasma seu typum offerens. Verum hæc recensior est, restituta scilicet sub Urbano VIII, cum vetus intercidisset, ut ibidem tradit Ciampinus. Ichnographia urbis Romæ sub Severo principe marmoreis tabulis incisa, et in pavimento templi urbis Romæ a Severo constituta, quemadmodum Bellorius ostendit, confracta per ætates barbaras, et hujusce templi rotundi parietibus temere affixa, quod nunc est vestibulum sacræ ædis BB. Cosmæ ac Damiani, nullo servato ordine aut connexione, reperta fuit ante annos circiter 150, tradente Flaminio Vacca, qui cæmentariis aderat. Eamdem a secundo excidio redemptam Farnesii principes suo in palatio ad campum Floræ ita præservarunt, ut Camillus card de Maximis potuerit pretiosum illud vestigium æneis tabulis ad prototypum delineatis incidere, et notis V. C. Joan Petri Bellorii ornatum posteritati commendare.

Linea 7. — *Qui etiam ordinatus est cum quiete.* etc. Non sunt otiosa Bibliothecarii verba cum asserit *cum quiete* ordinatum fuisse Felicem Quartum. Nam vis illata libertati electionum a Gothis regibus, quam deplorat Baronius ad annum 526, productis ex Cassiodoro litteris Athalarici ad senatum lib VIII, epist 15, altercationes excitaverat per bimestre illud spatium vacationis sedis, ad schismatis periculum disponentes (quod paulo post in morte Felicis, et electione Bonifacii Dioscorus excitavit), nisi temperamento aliquo moderationis cleri suffragia cum assensu principis composita illustre electi meritum potius quam præsumptionem regis pensitassent.

CIACONII.

Linea 4. — *Hic fecit basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani*, etc. Hæc basilica adhuc exstat in urbe, via Sacra, in Foro Romano juxta ruinas templi pacis.

PAGII.

Linea 1. — *Felix natione Samnius*, etc. Felicem

Digitized by Google

Quartum sancti Gregorii Magni Romani pontificis atavum fuisse existimavit Joannes diaconus in Vita S. Gregorii lib I, cap 1, et post eum Leo Ostiensis in Chron lib. I, cap 1 in fine. Sed Baronius tam in Annalibus, quam in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem XXV Februarii, in eam sententiam propendet, ut opinetur, non Felicem Quartum, sed Felicem Tertium fuisse atavum sancti Gregorii : Nam Felix Tertius, inquit, Romanus fuit, Quartus autem Samnis natione, et patria Beneventanus : et perspicuum est omnibus sanctum Gregorium non ex Samnitibus originem ducere, sed ab antiquis Romanis senatoribus, quod et ipse Joannes diaconus, absque ulla dubitatione confirmat. Præterea, si tempora attendamus, quibus vixit uterque Felix, magis congruit, ut Felix Tertius, quam Quartus atavus sancti Gregorii dici debeat : si enim numeres annos ab obitu Felicis Tertii usque ad electionem S. Gregorii papæ jam senis, intercurrisse invenies annos centum et unum ; si autem recenseas annos ab eo tempore quo Felix Quartus ex hac vita decessit, usque ad ejusdem S. Gregorii pontificatum, annos tantum sexaginta numerabis. Ex quibus concludit æquius videri, ut Felix Tertius potius dicatur ejus atavus, quam Quartus, qui eodem S. Gregorio jam nato, gessit pontificatum.

Linea 2. — *A consulatu Mamertini*, etc. Exstat tomo IV Concil epistola Felicis papæ ad Cæsarium Arelatensem episcopum de laicis ante probationem ad sacerdotium non promovendis, quem Baronius anno 488 Felici Tertio adjudicaverat, quia in præcedentibus Conciliorum editionibus dicitur *data* III *Non Feb P. C. M. Sev Boetii V. C.* qui consulatus in eum annum incidit. Sed Sirmondus veram hujus subscriptionis lectionem ex Ms. Arelatensi restituit, in eo enim legitur : *Data* III *Nonas Februarias post consulatum Mavortii* anno 527 consulis. Ea itaque epistola non a Felice III, quo sedente Cæsarius tantum monachus erat, sed a Felice IV, anno 428 scripta.

Cum Semipelagianorum factio in Galliis hoc tempore potentior esset, quam ut episcoporum viribus superari posset, Cæsarius Arelatensis episcopus Felicis Quarti auxilium imploravit, quo hostes de superiori loco percuteret, iisque dejectis catholica doctrina in nobilissima provincia sarta tectaque servaretur, inquit cardinalis Norisius lib II, *Hist Pelag*, cap 23, ubi gesta in synodo Arausicana II accurate explicavit. Celeberrimus in urbe Arausicana conventus agebatur, in dedicatione basilicæ a Liberio ex præfecto prætorio exstructæ. Erat hic Cæsario amicissimus, a quo lethali vulnere sauciatus, sanitati restitutus fuit ut tradit Messianus lib II *de Vita Cæsarii*, cap 5. Arausicam non modo sacri antistites, sed et nobilissimi quique confluxerant ; ideoque Cæsarius opportunam occasionem nactus, coacto episcoporum, ac virorum illustrium senatu, sententias a sede apostolica ad se transmissas protulit; id enim ex præfatione synodi Arausicanæ II quinto nonas Julii anni 529 celebratæ colligitur, ubi hæc recitantur : « Pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia et libero arbitrio minus caute, et non secundum fidei catholicæ regulam sentire velint. Unde id nobis secundum auctoritatem et admonitionem sedis apostolicæ justum, et rationabile visum est, ut pauca capitula ab apostolica sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus, in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter, ac oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere deberemus; quibus lectis, qui huc usque, non sicut oportebat, de gratia et libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat. » Tredecim episcopi huic synodo subscripsere.

Huic synodo Arausicanæ secundæ præfuit sanctus Cæsarius Arelatensis episcopus tanquam Felicis IV pontificis Romani delegatus, ut diserte docet Hincmarus Rhemensis archiepiscopus in libro *de Prædestinatione*, cap 12, ubi ait : « Nam ideo dicuntur electi, quia de massa perditionis sunt gratia electi, nullum habentes meritum antequam eligantur, quorum electio ipsa est Dei misericordia, sicut in Arausicana synodo, cui beatus Cæsarius ex delegatione sedis apostolicæ præsedit, et capitula ab apostolica sede directa, subscribenda et tenenda omnibus protulit. Cap 14 dicitur, nullus miser, » etc. Cæsarium synodo Arausicanæ præfuisse ex delegatione sedis apostolicæ repetit iisdem verbis Hincmarus cap 22, pag 134 et 142 editionis Sirmondi. De ejus synodi, sicuti et de Valentinæ, anno 530 celebratæ, confirmatione agemus in Bonifacio II, Felicis successore.

Linea 4. — *Fecit basilicam SS. Cosmæ et Damiani, etc.* Felicis res gestas, ob injuriam temporum, jejunas admodum nobis esse relictas, maxime dolendum. De eo hæc tantum habet auctor Libri Pontificalis sive Anastasius : « Hic fecit basilicam Sanctorum Cosmæ et Damiani in urbe Roma, ad locum, qui appellatur via Sacra, juxta templum urbis Romæ. Hujus temporibus consumpta est basilica Sancti Martyris Saturnini via Salaria, quam a fundamentis restituit. » Cum porro sanctorum Cosmæ et Damiani nomina in canone missæ recenseantur, hic ex cardinali Bona lib II *Rer liturgic* cap 12, num 3, observandum tria fuisse paria sanctorum ejusdem nominis Cosmæ et Damiani : unum martyrum in Arabia, alterum confessorum in Asia, tertium martyrum, qui Romæ martyrium subierunt. Priorum memoria in Menæis legitur die 17 Octobris; confessorum die prima Novembris; Romanorum die prima Julii. Omnes fuerunt professione medici, et dicti Anargyri, quia sine pretio ægrotos curabant. Ex qua professionis et nominum similitudine facile æquivocatio et confusio oriri potuit; et credibile est, quod cum amissa fuissent acta Cosmæ et Damiani Romanorum martyrum, per ignorantiam seu negligentiam, Arabes, quorum passio illustrior fuit, substitutos, ita ut coli cœperint Arabes die 25 Septembris. Agit de his omnibus Florentinius in notis ad martyrologium Hieronymianum ad eumdem diem, et advertit, Romanis, non Arabibus dicatam hanc fuisse ecclesiam a Felice IV, eorumque natalitia, tum in veteri Calendario, tum in libro Sacramentorum sancti Gregorii, eidem diei 27 septembris ascripta fuisse, et hos procul dubio esse, qui in canone missæ nominantur censet cardinalis Bona laudatus.

SOMMIER.

Linea 7. — *Qui etiam ordinatus est cum quiete.* Ex lib VI, cap 22.

Rex Theodoricus, postquam carceris afflictione necem intulerat Joanni papæ, arrogavit sibi potestatem deligendi successorem sedis apostolicæ. Quo facilius autem eluderet Romanorum oppositiones, virum nominavit supremæ huic dignitati communi calculo responsurum, Felicem scilicet ejus nominis Quartum, meritorum laude ita apud omnes celebrem, ut nemini posset displicere.

Tyrannicæ tamen usurpationi regis Theodorici pro viribus restitit clerus, imo et senatus, et populus Romanus, quoad potuit : donec cedendum tempori duxit, hac saltem conditione præmissa, ut electiones in posterum haberentur a clero de more; electus vero sui regiminis jura non exerceret, nisi requisita confirmatione Theodorici, ejusve successorum. Gemebat sub jugo tyrannico Romana Ecclesia, quod Odoacer semel ausus fuerat imponere in pontificis electione; sed Symmachus papa in concilio Romano fortiter excussit, iniquissima lege abrogata. Hanc vero duram conditionem a Theodorici præpotentia profectam sustulit serius restituta libertas post Longobardorum excidium, ut suo loco dicemus

Digitized by Google

LVII. BONIFACIUS II.

ANNO CHRISTI 530, JUSTINIANI 4, ATHALARICI 5.

91 *Bonifacius*, natione Romanus, ex patre Sigilbuldo [a], sedit annos duos, viginti sex [b]. Fuit autem temporibus Athalarici regis hæretici, et Justiniani Augusti. Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione. Qui Dioscorus ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius vero in basilica Julii. Et fuit dissensio in clero, et senatu dies 28 [c]. Eodem tempore defunctus est Dioscorus II [d] Idus Octobris [e]. Ipsis diebus Bonifacius zelo et dolo ductus cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis chirographi reconciliavit clerum. Quem chirographum archivo Ecclesiæ retrusit [f], quasi damnans Dioscorum. Et congregavit clerum. Cui tamen in episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro.

92 Hic presbyteris, et diaconibus, et subdiaconibus, atque notariis scutellam [g] de adeptis hæreditatibus obtulit, et alimoniis multis in periculo famis clero subvenit. Hic congregavit synodum in basilica beati Petri apostoli, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinarent [h]. Quo constituto cum chirographis sacerdotum, et jusjurando ante confessionem beati apostoli Petri in diaconum Vigilium constituit [i]. Eodem tempore facta iterum synodo, hoc censuerunt [j] sacerdotes omnes propter reverentiam sedis sanctæ. Et quia contra canones fuerat hoc factum, et quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius papa reum se confessus est majestatis, quod diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi, et ante confessionem beati apostoli Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum, et cleri, et senatus, incendio consumpsit. Eodem tempore venit relatio ab Afris episcopis de constitutione, ut cum consilio sedis apostolicæ omnia Carthaginensis episcopus faceret. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli sub die 16 [k] Kalen. Novembr., consulatu Lampadii, et cessavit episcopatus dies 6 [l].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, Sigebuldo. *B*, Sigisvultho. [b] *B*, ann 1, d. 2, a Coss Lampadio et Oreste, usque ad ann 531, vacuum consulatu. [c] *C*, 29., [d] *C*, pridie. [e] *Vide Baron ann Domini* 530. [f] *C*., reclusit. [g] *C* Scutellas. [h] *Vide Baron ad ann* 531. [i] Constituit, s. *successorem*. [j] Cassaverunt *B*. [k] *C* 17. [l] *C* mens 2, dies 15.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 91, *lin* 1 a Sivigundo. *lin* 2, Justini *B*.

Num 92, *lin* 14, *A*, XV Kalend *B*, XVII Kalend. *lin* 15, *V*, mens 2, *d*. 15, indict 11, mens 1, d. 15.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 91, *lin* 2 et Justini *A*. *lin* 3, ordinatus est sub cont. Dioscorus in basilica Constantiniana, B vero in basil Juliæ. Fuit itaque dissensio in clero et populo, et senatu dies 28, donec defunctus est Dioscorus II Id. Octobr. *lin* 6, zelo ductus ab eo acta synodo sub vinc anathem per cyrographum damnavit Dioscorum, et reconciliavit clerum qui ejus ordinationi consenserat, quem cyrographum in arch eccl retrusit, cui tamen in episcopatum n. subsc.

Num 92, *lin* 1, diaconis atque subdiaconis et notar scutellas argenteas de adept h. *lin* 4, constitutum cum cyrographis sacerdotum, et jusjurandum ab eis exegit ante confessionem beati Petri apostoli, ut in electione Vigilii diaconi post eum consentirent. Eodem tempore facta est iterum synodus; et quia hoc consenserant sacerdotes et omnes presbyteri reverentia sanctæ sedis, et quia contra. *lin* 8, majestatis A de eo, quod diaconi (*M*, in diaconi) Vigilii subscriptione suo cyrographo ante confessionem beati Petri apostoli fecerat. Itaque in præsentia omnium sacerdotum, et cleri et senatorum ipsum constitutum in incendio cons. *lin* 12, ab Africanis ep. de const et concilio sedis apost. *lin* 14, sub die 17 mens. Octob. *lin ead*, episcop mens 2, d. 15.

Ex codice Thuano altero.

Num 91, *lin* 1, Sigibuldo. *lin* 3, sub intentione *lin* 5, pridie Id. Octob. *lin* 7, retrudit.

Num 92, *lin* 1, scutellas. *lin* 3, sibi success ordi narent, quod constituit cum cyrographis, *lin* 7, sedis apostolicæ. *lin ead* ad eum respic. *lin* 14, sub die 17 mens Octob cons. *lin* 15, episcop mens 2 d. 15.

Apud Pentam ex codice Cavensi.

Num 91, *lin* 1, Bonifatius n. r. e. p. Sigibuldo, *lin* 2, Justini. *lin* 4, Bonifatius v. i. 6 Juli. *lin* 6, cy rographi rec clero. *lin* 8, episcopatum.

B *Num* 92, *lin* 2, optulit. *lin* 4, quod constitutum cum cirografis s. e. jusjurandum. *lin* 9, quod in diaconum v. s. s. cyrografie. a. c. b. A. Petri ipsum constitutum.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 91, linea 4. — *Et fuit dissensio in clero et senatu.* Senatus jura principis tuebatur : siquidem, ut ex Athalarici epistola constat, demandatum fuerat, ut sub regis examine successorum electio institueretur : clerus vero Romanus libertatem electionis tuebatur; unde totum hoc dissidium ortum est. Stabat pro Dioscoro clerus, illo scilicet, ut reor, quem Hormisdas legatum in Orientem miserat, imperante Justino, cujus et exstant legationis obitæ relationes inter Hormisdæ epistolas. Senatus vero pro Bonifacio videtur stetisse, quod genere Gothus esset, ut nomen Sigilbuldi, qui dicitur Bonifacii pater, indicat. Bonifacius electus, cum pro successore Vigilium, inconsulto principe, designasset, obstitit senatus. Exstat Silverii pontificis sententia anathematis, in Vigilium dicti hac de causa : « Quia contra jura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii papæ, ipso vivente designari conabaris, nisi tibi amplissimi senatus obviasset justitia, » etc. Duo itaque obstabant designationi per Bonifacium præsumptæ, jura canonica, et justitia, seu regia præsumptio, quæ nullum citra regis examen pontificem designari patiebatur. Ad præcavendam equidem regum servitutem arbitrabatur clerus, consultius esse, ut pontifex successorem sibi designaret; et Silverius supponit, haud irritam a pontifice declaratam istiusmodi designationem; subjungit enim: « Tunc providentia pastorali ac pontificali auctoritate, tua exsecranda jam debuerant auspicia detruncari. Sed dum pravum vulnus in te neglectum est, insanabile accrevit apostema, » etc. Sed infra dicitur adactum fuisse, senatu jubente, Bonifacium (pag. 99, lin. 9) : « ut reum se confiteretur majestatis, quod diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi, et ante confessionem beati apostoli Petri successorem constituisset, » etc. Majestatis scilicet regiæ; quippe edicto caverant Gothorum reges, ne absque proprio assensu ac examine pontifex alius approbaretur. Exoptabat autem Silverius, edicto suo determinasse potius Bonifacium, ne successoris electio a quopiam, nec ullo casu fieri posset. Interim gravem in episcoporum omnium electionibus servitutem induxisse Gothos, hujus temporis scriptores annotant : in tantum, ut et examen sibi ipsis assererent, et electos pecunia taxarent. Quod ad Romanos pontifices attinet, hæc scripsit Athalaricus in epistola Joanni II, data (apud Cassiod. lib. IX; n. 15) : « Et quia omnia decet sub ratione moderari nec possunt dici justa, quæ nimia sunt, cum de apostolici consecratione pontificis intentio fortasse pervenerit, et ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum, cum collectione chartarum censemus accipere, » etc. Scripserat antea : « Quod etiam ad universos patriarchas et metropolitanas ecclesias volumus pertinere, » etc. Proinde reliquorum etiam episcoporum ibidem taxat confirmationem. Exarchos, Italia a Græcis recuperata, electionum factarum chartas exspectasse, docet Pelagius in epistola Valesiano, Justiniani imperatoris patricio, data. « Recolere enim debet celsitudo vestra quid per vos Deus fecerit tempore illo per Istriam et Venetias, tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus : non tamen Mediolanensem episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum principem exinde retulissetis, et quod fieri debuisset ejus iterum scriptis recognovissetis, et inter ubique ferventes hostes, Ravennam tamen, et is qui ordinabatur, et is qui ordinatus erat, providentia culminis vestri deducti sunt, » etc. A barbaris itaque Gothis et Arianis servitutis hujus in sacris electionibus arcessenda origo est, imo et a Paulianistis, qui primi ad Valerianum imperatorem istiusmodi concertationes deferre ausi sunt; cum tamen jurgia hæc vel a sede apostolica, vel a primate cum suis episcopis, in synodo congregatis, juxta canonicas sanctiones finiri deberent.

Linea 8. — *Cui tamen in episcopatu nullus subscripsit*, etc. Controversia hic fuit magna animorum contentione, ab Acacianis primum, hoc ipso subinde tempore in Oriente et Occidente exagitata, an scilicet mortui subjici anathemati possent. Insederat nonnullos e Romano clero opinio, mortuos anathemati subdendos non esse. Ex his fuit Rusticus, Dioscorus, aliique inter Occidentales, testantes in dictis scriptis, quanto astu utriusque partis assertores disputarint. Acacianorum quidem inter alia argumenta, quibus anathemati Acacii jam denati subscribere renuebant, præcipuum erat, quod vivens ipse Acacius, a præsule tantummodo apostolicæ sedi damnatus fuisset, mortuus autem antequam episcopi alii anathema in ipsum dixissent. Id omne tamen confutarat pridem laudatus sup. Gelasius, asserens, propterea Orientem Acacii damnationi subscribere detrectasse, quod potior pars ejusdem schismati adhæreret, ejusdemque potentia itinera circumquaque custodiis dispositis præpedirent, ne Apostolica rescripta publice proponerentur. Itaque cum Bonifacius sententiam anathematis dixerit in Dioscorum mortuum, magna cleri pars, Dioscoro favens, subscribere Bonifacio recusavit. De hac controversia plurima congerit Facundus Hermianensis episcopus in duodecim lib. pro trium capitulorum defensione editis; et in catalogo duodecim auctorum, qui subjici solet Isidori libello de Viris illustribus, legitur : « Ferrandus ad Pelagium et Anatolium Romanos diaconos consulentes eum, utrum licet quemquam damnare post mortem, edidit rescriptum, ubi inter alia sic locutus est : Quid prodest dormientibus Ecclesiam perturbare? si quis adhuc in corpore mortis hujus accusatus et damnatus antequam mereretur absolvi, de Ecclesia raptus est, absolvi non potest ulterius humano judicio. Si quis accusatus ante diem sacri examinis repentina vocatione prævenitus est, intra sinum matris Ecclesiæ constitutus, divino intelligendus est judicio reservari. De hoc nullus homo potest manifestam proferre sententiam, cui si Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostra severitas; sed si supplicium præparavit, nihil prodest nostra benignitas, » etc. Ex istiusmodi diaconorum Romanorum consultatione, et Ferrandi responsione liquet, controversiam hanc, Bonifacio sedente, contentiose agitatam fuisse. Eadem de re Facundus lib. IV, c. 3, ubi fuse rei hujus historiam omnem pertractat, tom. II apud Sirmondum, pag. 524.

BINII ET LABBEI.

Num. 91, linea 1. — *Bonifacius.* Post interregnum triduanum in basilica Julii anno Domini 530, qui est quartus Justiniani, et secundus Athalarici regis Italiæ Bonifacius Secundus genere Gothus creatus est pontifex 15 die Octobris. De hoc scribit Ado in Martyrologio, quod ecclesiam Sancti Michaelis Archangeli nomine constructam in summitate circi dicaverit.

Num. 92, linea 2. — *Hic congregavit synodum.* Cum Gothorum reges impie sibi usurpassent Rom. pontificis electionem, ad hujusmodi præsumptam, et vi usurpatam licentiam ex Gothorum manibus extorquendam, Bonifacius Ecclesiæ consultum esse judicavit, ut nullo relicto sedis vacantis loco, successorem sibi eligeret. Quod licet speciem quamdam justitiæ præ se ferret, postea tamen ab omnibus est reprobatum.

Linea 5. — *Eodem tempore facta iterum synodo.* Secundam synodum Romanam intelligit, qua acta prioris concilii rescidit, et irritavit.

Linea 13. — *Carthaginensis episcopus.* Præerat


Digitized by Google

his temporibus Carthaginensi Ecclesiæ Reparatus episcopus.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Bonifacium II sedisse annos duos et dies viginti sex cum Anastasio omnes catalogi tradunt. Illum ordinatum vidimus die Dominica XIX Septembris 530. Mors itaque referenda est ad diem XXV Octobris. Catalogus Vaticanus 600 annorum præfixus decreto Anselmi Lucensis, et a Schelestratio editus in appendice ad tom. I Antiquit. Ecclesiæ, pag. 647, indicat obiisse die VI Kal. Novembris, seu 27 Octobris. Bidui differentia facile intelligitur ab amanuensibus admissa. Datæ ab illo litteræ ad Cæsarium Arelatensem VIII Kal. Februarii P. C. Lampadii et Orestis declarant successisse Felici in eorumdem consulatu circa finem Septembris, cum a die 25 Septembris, qua vita defungebatur Felix, triduo tantum vacaverit sedes. Subscripta vero synodus Romana post consulatum Lampadii et Orestis VII Id. Decembris superstitem declarat anno 531. Denique antiqua inscriptio exstans in titulo S. Petri ad Vincula ostendit anno 532 qui dicebatur : *Iterum post consulatum Lampadii et Orestis*, successisse decedenti Bonifacio Joannem cognomento Mercurium, uti card. Norisius laudato loco (lib. II, *Hist. Pelag.*, cap. 23) observat, eamdem describens, quam dabimus correctiorem ex prototypo.


SALBO PAPA · N · IOHANNE COGNOMEN
TOMERCVRIO EX SCE ECCL · ROM · PRESBYTE
RIS ORDINATO EXTIT · SCI CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP · PATRONO SVO AVINCLSEIVS SEVER/S · PB · ERT
ET · IT · PC LAMPADIET ORESTIS · VV · CC VRBI ✠ CLVSCED RI NVSES

uccessioni Joannis papæ fit locus eodem anno 532 *iterum post consulatum Lampadii et Orestis* ad finem vergente ; nam si Bonifacius obiit VI Kal. Novembris, ut catalogi testimonio asseritur ; cum sedes inde vacaverit mensem unum et dies quindecim, ut affirmat Lucensis catalogus editus in Prolegom. tomi II, pag. 19, nempe usque ad XI Decembris, supersunt dies viginti ex eodem anno quibus inscriptio ita a Severo presbytero *salvo papa N. Joanne* post ejus electionem potuit dedicari. Jure autem subdit Norisius corrigendum esse scholiastem inceptum Ciaconii, qui annum 531 putat hic designari ex nota IT PC *iterum post consulatum*. « Certe, ait Norisius, rideo scholiastem Ciaconii, qui in margine argutulus notat veteres usos ea nota IT. Nempe *iterum*, hoc est, inquit, anno 531. Inepte : cum hic annus sit post consulatum ; sequens vero iterum post consulatum Lampidii. »

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 92, linea 11. — *Eodem tempore venit relatio ab Afris episcopis*, etc. Hæc periocha differenda erat amanuensi ad pontificatum Joannis Secundi successoris, cum Bonifacius II obierit anno 532, succedente ipsi Joanne II, ordinato die XXIII Januarii 533. Concilium autem Africanorum præsulum Carthagine celebratum (post ejusdem urbis recuperationem devicto Gelimere per Belisarium anno 534) sub Reparato episcopo Carthaginensi nonnisi eodem anno 534 vel 535 haberi potuit. Ab illo autem concilio ad Joannem papam directæ synodicæ et consultationes de recipiendis ad Ecclesiam Arianorum presbyteris qui Arianam hæresim abjurarent dum a legatis Romam perferuntur, Joannes II moritur. Quare Agapetus papa Joannis successor ordinatus die 2 Junii 535, legatos excipit, et respondet synodicæ episcoporum concilii Africani. Hac de chronologia consulendus Ruinartius in Hist. persecut. Vandalicæ parte II, cap. 12, n. 9.

Vide etiam notas Pagii ad Joannem II, n. 11, quibus consentit etiam archiepiscopus Sommier Hist. dogm. lib. VI, cap. 26 circa finem.

Inserenda erat potius approbatio concilii Arausicani II per Bonifacium II papam rite peracta : et quidem memoranda ; cum adnotante cardinali Norisio finem imposuerit diuturno certamini Semipelagianorum quod annis plusquam centenis Gallias in partes distraxerat. Ejusdem synodi chronologiam a pluribus male vexatam restituit feliciter certis documentis doctissimus cardinalis, Hist. Pelag. lib. II, cap. 22 et ordinavit historiam, ostendens quæ Felix papa IV quæve Bonifacius II Felicis successor in ea causa decreverint. Sanctus enim Cæsarius Arelatensis antistes « animadvertens Semipelagianorum factionem in Galliis potentiorem esse, quam ut suis, aut collegarum viribus superari posset, Felicis IV auxilium imploravit, quo hostes de superiori loco perculeret, iisque dejectis Augustiana æque, ac catholica doctrina in nobilissima provincia sarta, tectaque servaretur. Felix roganti suppetias tulit, neque illi diu consultandum fuit, undenam in Gallias auxilia submitterentur. Etenim decessorum vestigiis inhærens ex ecclesiasticis scriniis aureas S. Augustini sententias de divina gratia, et libero arbitrio selectas ad Cæsarium magno cum Augustiniani nominis incremento transmisit. » Hæc autem capitula ex Augustini sententiis selecta, et ab apostolica sede transmissa ubi Cæsarius proposuit ab omnibus observanda, et a concilii Patribus subscribenda docet, canones ex iisdem contextos : quibus Cæsarius subscribit cum cæteris V *Nonas Julii Decio Juniore V, C. consule*, id est, ann. 529. Atque ita, ut Sirmondus scribit tomo I concil. Gall. ad hanc synodum, « gravi ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos et doctissimos utrimque viros in Gallia centum et amplius annis exercuit, finem postea tandem attulit synodus Arausicana II, quæ totam de gratia et libero arbitrio controversiam ex S. Augustini sententia composuit. » Sequitur Norisius : « Cæsarius, etc., omnium a se gestorum illa in causa Felicem IV, certiorem fieri curavit. . . « Verum Felix pontifex decessit IV Idus Octobris, cui suffectus fuit ipse Cæsarii amicus Bonifacius, qui acceptis ab Armenia litteris VIII Kal. Febr. respondit. Do initium epistolæ Bonifacii ad Cæsarium : « Per filium nostrum Armenium, presbyterum et abbatem litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet inscius sacerdotii mihi commissi (ita enim ex vetustissimo codice Vaticano legit Holstenius in notis ad Synodum Bonifacii II) sub ea, qua in Deo tenemur charitate direxeras, quibus crediderас postulandum, ut id quod a beatæ recordationis decessore nostro papa Felice pro catholicæ fidei poposceras firmitate, mea explicaretur instantia. Sed quid id voluntas superna dis-

Digitized by Google

posuit, ut quod per nos ab illo speraveras a nobis potius impetrares, etc. Indicas enim, quod aliqui episcopi Galliarum, cui cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum qua in Christum credimus naturæ esse velint, non gratiæ, et hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri, postulans, ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, qua vos e diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium juxta catholicam veritatem per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate sedis apostolicæ firmaremus... atque adeo de hac re multi Patres, et præ cæteris beatæ recordationis Augustinus episcopus, sed et majores nostri apostolicæ sedis antistites, ita ratione perhibentur disseruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia... quod etiam fraternitatem tuam habita collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum juxta fidem gaudemus sensisse catholicam, in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt, fidem, qua in Christo credimus, gratia divinitatis præveniente conferri; adjicientes etiam, nihil prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore (Joan. xv) : *Sine me nihil potestis facere*, etc Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis *approbamus*, etc., et subscribitur epistola data VIII. Kal. Februarias Lampadio, et Oreste VV. CC. cons. » Ibique habetur mentio synodi a Cæsario celebratæ. Quis vero existimet Cæsarium post annum scripsisse ad sedem apostolicam se synodum apud Arausicam coegisse? Quare anno eodem 529 celebrati a se concilii Felicem papam certiorem reddidisse dicendus est. Dum vero Armenius litteras Romam delaturus esset, mortuo Felice eodem anno 529 successit Bonifacius, qui anno sequenti die Januarii respondit Cæsario. Certe subscriptiones epistolarum Felicis, quæ ponuntur datæ consulibus Lampadio et Oreste, ex hac Bonifacii subscriptione corrigendæ sunt, præsertim cum alteram datam ad Sabinam XII Kal. Novembris ipse etiam Baronius eadem spongia emendandam dicat. Sed neque finis pontificatus Bonifacii recte statuitur a Baronio, ac cæteris communiter cum Anastasio die 17 Octobris post consulatum Lampadii. Nam apertæ falsitatis convincuntur ex Actis synodi Romanæ a Bonifacio eodem celebratæ, et a Luca Holstenio editæ, ubi sessio prima ita incipit. « Post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. sub die VIII Iduum Decembrium in consistorio B. Andreæ apostoli præsidente venerabili viro papa Bonifacio, » etc. Ex quibus vixisse Bonifacium usque ad Decembrem anni 531 evidenter demonstratur, etc.

« Hinc factum est, ut horum duorum pontificum (Felicis IV, et Bonifaci II) sanctionibus Cassiani, Fausti, ac reliquorum ejusdem doctrinæ hominum errores tanquam hæreses postea ab orthodoxis omnibus rejecti fuerint, neque amplius inter adiaphora numerari potuerint. Ita longissimo certamini, quod centum annos et quod excurrit Gallias præsertim in partes distraxerat, Augustino causa adjudicata ab utroque pontifice finis tandem impositus fuit. »

CIACONII.

Num. 91, linea 2. — *Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione.* Dioscorus diviso bifariam clero in demortui Felicis locum subrogatur, non sine simoniæ nota, ut Athalaricus rex ad Joannem Secundum Romanum pontificem aperte tradit, ac potiores in pontificatu Romano partes habere videbatur quam Bonifacius, factaque magna seditione cleri mors Dioscori certamen diremit.

A Num. 92, linea 4. *Ut sibi successorem ordinaret.* Gothorum reges Italiæ dominantes, impie sibi vindicarant Romani pontificis electionem; ut autem ejusmodi præsumptam et vi usurpatam licentiam ex Gothorum manibus Romana Ecclesia extorqueret, hoc prætextu usus est Bonifacius, novam hanc, et a prædecessoribus hactenus intentatam viam aggredi, nempe ut successorem deligens pontifex nullum relinqueret vacantis sedis locum. Quod quidem licet speciem justitiæ aliquam præseferret, postea tamen ab omnibus est improbatatum, ac rescissum.

ALTASERRA.

Num. 92 linea 1. *Hic presbyteris, et diaconibus, et subdiaconibus, atque notariis scutellas de adeptis hereditatibus obtulit, et alimoniis multis in periculo famis clero subvenit.* Menstruæ sportulæ seu annonæ erogabantur presbyteris, diaconis, et minoribus clericis. Cyprian, (*epist.* 34) : « Cæterum presbyterii B honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensura [*lege* mensurnæ] æquatis quantitatibus partiantur. Hinc clerici qui menstruas sportulas accipiebant de penu Ecclesiæ, fratres sportulantes dicti. » Idem (*epist.* 66) : « In honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificiis non recedant. » Vel fratres mensurantes. Idem (*epist.* 28) : « Interea se a divisione mensurantium contineant, non quasi a ministerio ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur. » Et hujusmodi annonæ seu sportulæ clericis distribuebantur, per scutulas, vel scutellas, id est, per tesseras seu signa quæ dicebantur scutulæ vel scutellæ, quod essent in formam scutelli seu scutuli. Scutella est diminutivum scutulæ, quod est signum in formam scuti seu scutuli. Cassian. coll. 1. cap. 5 : « In parvissima quadam scutula, quæ depicta in se continet præmia, jacula vel sagittas intorquere contendunt. » Et hoc C est quod dicitur hic Bonifacius presbyteris et clericis scutellas obtulisse de rebus Ecclesiæ, id est, particulas rerum quæ obveniant Ecclesiæ ex testamento vel donatione fidelium : quia erogatio hujusmodi fiebat per scutellas, id est, per signa seu tesseras. Unde distributiones annonæ vel annonæ ipsæ dictæ sunt scutellæ. Signum pro signato, sicut in libris Juris tesseræ frumentariæ accipiuntur pro annonis frumentariis quæ præstitabantur per tesseram, L. *Mortua* § 1, L. *Titia. de legat.* 2. Alias scutella pro vasculo in quo pulmentum deponitur. Joann. diacon. lib. II, cap. 23 : « Cui dedisti duodecim nomismata et argenteam scutellam, quam tibi miserat cum infusis leguminibus beata Sylvia mater tua. »

Linea 3. — *Hic congregavit synodum in basilica beati Petri apostoli, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret.* Bonifacius II, in synodo Romana constitutum fecit, ut sibi liceret successorem designare, et Vigilium diaconum successorem elegit, D exacto chirographo et jurejurando cleri Romani : sed Bonifacius facti pœnitens, in secunda synodo, quod gestum erat, rescidit, quia contra canones hoc factum fuerat. Romanus pontifex non potest designare successorem, can. *Si quis papa*, can. pen. 29 dist., can. *Episcopo.* et seq. 8, qu. 1.

PAGII.

Num. 92, linea 3.— *Congregavit synodum in basilica beati Petri, etc.* Duas sub Bonifacio Romanas synodos ex Anastasio explicat Baronius, in quarum priori, in Sancti Petri basilica congregatis, Bonifacius « fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret; quo constituto cum chirographis sacerdotum et jurejurando ante confessionem beati Petri apostoli diaconum Vigilium constituit, » id est successorem. Baronius scribit, quod cum Gothorum reges impie sibi usurpassent Romani pontificis electionem ad hujusmodi usurpatam licentiam ex Go-

Digitized by Google

thorum manibus extorquendam, Bonifacium Ecclesiæ consultum esse judicasse, ut nullo relicto sedi vacanti loco, successorem sibi eligeret. Quod licet speciem quamdam justitiæ præseferret, postea tamen ab omnibus est reprobatum atque rescissum.

Nam, ut subdit idem Anastasius, « eodem tempore, » seu, non multo post, « facta iterum synodo, hoc censuerint (cassaverunt) sacerdotes omnes propter reverentiam sanctæ sedis, et quia contra canones hoc fuerat factum, et quia culpa eum (Bonifacium) respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius papa reum se confessus est majestatis, quod diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi ante confessionem beati Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum, et cleri et senatus incendio consumpsit. » Idem Baronius ait Bonifacium reum majestatis ex ea parte Gothis videri potuisse, quod contra regis voluntatem, ad quem Romani pontificis electionem spectare Theodoricus statuerat, successorem sibi instituisset. Sed quod addit, illud constitutum in priori synodo Romana fuisse a Bonifacio ambitione et consilio Vigilii, constare ex decreto anathematis Silverii papæ in Vigilium, subsistere non potest; cum ex infra dicendis in Silverio, decretum illud sit suppositilium.

Post Baronii mortem Lucas Holstenius bibliothecæ Vaticanæ præfectus in Collectione Romana publicavit ex Barberina bibliotheca tertiam synodum a Bonifacio II Romæ coactam, quæ duabus sessionibus constat. Habita est *post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. sub die* VII *Iduum Decembrium*, ideoque anno quingentesimo trigesimo primo, in causa Stephani Larissensis episcopi, metropolitani Thessaliæ, qui canonice electus et ordinatus, mox Probiani, unius e suffraganeis suis, aliorumque improborum factione, ab Epiphanio Constantinopolitano patriarcha irregulariter exauctoratus apostolicam sedem appellarat. Misit Stephanus querimoniarum et appellationis libellos per Theodosium Echiniensem in Thessalia episcopum, necnon epistolas Damasi, Siricii, Innocentii primi, Cœlestini, Sixti, et Leonis pontificum Romanorum, quibus probavit Romanum pontificem Illyrici Ecclesias jure patriarcho semper rexisse, præter jus primatus, quo Ecclesiæ præest universæ. Duplicem illam potestatem optime distinxit idem Theodosius Echiniensis episcopus sessione II dicens : « Nam constat, venerandos sedis vestræ pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, et solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vendicasse. »

Linea 13. — *Sepultus est*, etc. *Consulatu Lampadii*, etc. Celebrata, sub finem pontificatus Felicis IV Valentina synodo, Cæsarius Armenium abbatem circa mensem Augustum anni quingentesimi trigesimi Romam misit, ut a Felice IV confirmationem obtineret eorum quæ in Arausicana et Valentina synodis definita fuissent. Certe hanc ultimam a Bonifacio fuisse confirmatam diserte scribit auctor Vitæ sancti Cæsarii, qui post laudata verba subdit : « Beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ papa, eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit. » Mortuus enim erat Felix IV et Bonifacius II ordinatus, cum Armenius Romam pervenit. Bonifacius in epistola ad Cæsarium, quæ exstat tom. IV concil. pag. 1687, ait : « Per filium nostrum Armenium presbyterum et abbatem litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet, inscius adhuc sacerdotii mihi commissi, sub ea, qua in Deo tenemur charitate direxeras, quibus credideras postulandum, ut id quod a beatæ recordationis decessore nostro papa Felice pro catholicæ fidei poposceras firmitate, mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, a nobis potius impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. » Et infra : « Quapropter affectu congruo salutantes superscriptam confessionem vestram consentaneam Patrum regulis approbamus. » Quibus verbis synodus Arausicana II confirmatur. Unde in codicibus Mss. Fossatensi et Laudunensi, synodo Arausicanæ II præponitur epistola laudata Bonifacii II ad Cæsarium, cum hac adnotatione : « In hoc codice continetur synodus Arausicana, quam per auctoritatem S. papa Bonifacius confirmavit. » Quod porro legitur in fine epistolæ, eam datam « VIII, Kalend. Februarias Lampadio et Oreste VV. CC. coss. » anno scilicet 530 additum fuit epistolæ, quia Felix IV mortuus tantum est die XVIII Septembris ejusdem anni, eique Bonifacius post triduum substitutus. De quibus lege Baronii criticam anno 529 et seq.

Anastasius scribit Bonifacium I sedisse *annos duos et dies viginti sex*, sepultum autem esse in basilica beati Petri apostoli, *sub die* XVI *Kalend. Novemb. consulatu Lampadii*; sed legendum, iterum post consulatum Lampadii, qua formula notatur annus 532, ut demonstratur in eadem Baronii critica, ad annum 531. Quare cum Bonifacius pontificatum inierit die vigesima prima Septembris anni quingentesimi trigesimi, mortuus est die decima sexta mensis Octobris anni quingentesimi trigesimi secundi, et die decima septima ejusdem mensis sepultus.

SOMMIER.

Num. 92, linea 11. — *Venit relatio ab Afris episcopis de constitutione*, etc. Opportune meminisse constat episcopos Africanos de consulenda in gravioribus negotiis sede apostolica, ut in pontificatu Joannis II proxime sequenti videbimus. Interim ex D. archiep. Sommier observandum est, sub hoc Bonifacio non destitisse alios quoque metropolitanos, et episcopos jura sedis Romanæ tum ratione primatus sui supra universas Ecclesias, tum sui patriarchatus Occidentalis inclusas in hoc tractu provincias ab usurpatorum attentatis, et ausibus vindicare. Documentum profert illustre de Illyrici provinciis in hoc numero recensendis lib. VI, cap. 23, Hist. dogm. ubi sermo est de gestis sub Bonifacio secundo, quod ita exponit :

« In concilio Romæ habito super appellatione ad sanctam sedem interposita per Stephanum Larissensem metropolitam Thessaliæ, quem Constantinopolitanus patriarcha deposuerat, lecta est ejusdem metropolitani petitio hujusmodi concepta verbis :

« Quoniam nullus ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ a Salvatore omnium et primo pastore vobis est collata, potest præcellere potestatem, exiguum est vel humile, in quo providentia vestra respicit. Quoniam vos apud Deum omnes præcellitis, tanto vos necesse est cogitare, quia hæc est probatio Deum amantium, et post Deum pater et doctor S. Ecclesiæ Petrus et vestræ et totius mundi testatur, etc. Probo beatæ memoriæ quiescente, qui factus fuerat Larissæ Ecclesiæ episcopus.... convenit S. provinciæ synodus, et totius civitatis possessores, omneque corpus Ecclesiæ : et communi omnium testimonio, nihil consuetudini detrahente sum ordinatus episcopus.... sed nescio unde incitati Antonius presbyter, Probianus Demetriadæ civitatis episcopus, etc. Ad regiam urbem subito profecti sunt; et quamdam componentes accusationem huic ejusdem civitatis archiepiscopo Epiphanio querelas deposuerunt, dicentes meam ordinationem sanctis canonibus minime convenire. Commonitorium faciens ad Thessaliam direxit provinciam, præcipiens me a sacro recedere ministerio, utpote non secundum canones ordinatum. Ego vero ad principatum sanctarum Ecclesiarum traditum vobis respiciens, dixi ut si oporteret me ad aliquem accusantem respondere, aut de mea ordinatione aliquid judicare non sub eo-

Digitized by Google

qui judicare, dignatur, causam me dicere necesse est, sed alibi apud quem sacrorum canonum lex custoditur, et usque hactenus consuetudo servatur; memoriam faciens vestri sancti capitis et apostolicæ sedis, dicens vos esse dominos hujus examinationis.

« Nec hæc ad quietem meam sufficere potuerunt: Sed invitus ad regiam urbem sum deductus... Nullum nocens nisi cum eligentibus me consensi; et quia fiducialiter dixi, quod si oporteret examinationem aliquam fieri, ab eo fieri deberet, qui est hujus examinationis dominus constitutus. Deteriora ab his qui minantur me sustinere confiteor: damnationem, exsilium, et quantæ sunt criminum vicissitudines immerenter exspecto... Ideo supplico vobis auxilium mihi ferentes vestri, et vestrorum decessorum illius beatæ sedis recordantes, quia nullum unquam ab aliquo injuste nocer passi sunt. Hoc opus vestrum est, beatissime, diu et noctu, SS. Patrum, et venerabilis atque apostolicæ vestræ sedis leges, aique constituta in omnibus quidem Eccles is, præcipue autem in vestra Illyricana provincia custodire.

« Ex his quidem qui me elegerunt, et sæpius scriptis suis suam electionem firmaverunt, ut dignus sacerdotio judicarer, videntes mei studii esse antiquam consuetudinem in sanctis nostris Ecclesiis revocare, separantes me apud beatissimum præsulem sanctæ regiæ urbis Ecclesiæ accusaverunt. Ille autem accusationem suscipiens nihil ante discutiens de his quæ oportet requiri de episcopo accusato, continuo me ab omni ecclesiastico ministerio separavit... cum venisset in Thessalonicam vir religiosissimus, qui præceptum deserebat, continuo ei dixi: Apostolicam sedem, id est vestram beatitudinem, causas nostræ provinciæ et audire convenit, et finire. Sed regiæ urbis sanctissimus archiepiscopus non quiescens, etiam me contra canones exhiberi præcepit, et cum venissem, conventum faciens, episcoporum qui ibi commorabantur, hoc denuo allegare non distuli, sancti et beati capitis vestri sedem apostolicam implorans, et consuetudinem, quæ usque hactenus in nostra tenuit provincia, non debere convelli; et supplicabam ne auctoritas sedis apostolicæ, quæ ut a Domino nostro Jesu Christo et a sacris canonibus data est, ita et antiquam consuetudinem servata est, in aliquo violaretur.

« Sed nec a sua voluit intentione recedere... sentientes autem, ut arbitror, meæ vitæ insidiatores, quia ordinem sanctarum Ecclesiarum vindicatis, omni conatu usi sunt, ut antequam aliqua ordinatio vestra proveniat, suam perficiant voluntatem. Supplicabam ut non ante sententia diceretur, quam quæ acta sunt ad vos beatissimos referantur, ut inde vestræ causæ discussio servaretur. Quod dictum magis eos adversum me amplius incitavit, putantes de sacrarum ecclesiarum regiæ urbis jure aliquid minui, quod ego apostolicum vestram sedem visus sum nominasse. Ego enim dixi, quia auctoritas sedis apostolicæ, quæ a Deo, et Salvatore nostro summo apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiæ. Sententia igitur lecta justam denuo vestram audientiam imploravi, apud quem nulla cujuslibet disceptatio vestram potest disturbare justitiam... Cum relecta fuisset sententia, mox in custodiam Dei amatoribus sacræ Ecclesiæ defensoribus datus sum, ut non possim ad vestigia vestræ beatitudinis convolare.

« Ut exemplo isto nemo audeat de sanctarum nostrarum Ecclesiarum jure quidquam dicere, nec memoriam facere antiquitatis, vel eorum, quæ usque hactenus tenuerunt: quia studii eorum est, ut subordinationem, et jus sanctæ regiæ civitatis Ecclesiæ nos miseros efficiant. Pro quibus omnibus lugentes die ac noctu omnium Salvatori Jesu Christo Deo nostro lacrymas fundimus, et miseram nostram prætendimus canitiem, supplicantes ne nos in manibus eorum tradi patiamini. Pro his enim, et vestram appellamus beatitudinem, et apostolicam sedem, sperantes ut ista congrua emendatione corrigentes, remedium dare dignemini; quatenus Dei amator vir, qui sedis apostolicæ jus custodire contendens, tanta visus est pericula sustinere, apostolica auctoritate suo restituatur officio: prospicientes in futurum, ut consuetudo sanctarum Ecclesiarum nostræ provinciæ nullatenus convellatur... quia non usque ad Stephanum Dei amatorem eorum conquiescit intentio. Sed ex aliis plurimis ista facient: et ante quiescent, quam ut ad effectum desideria sua perducant. »

Unus ex episcopis ablegatus a provincialibus viva voce hæc protulit. « Ex relatione libellorum vestra cognoscit beatitudo quæ acta sunt contra sanctorum canones, et ordinationem decessorum vestrorum. Nam constat venerandos sedis vestræ pontifices quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, et solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit: specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse. »

Evidenter igitur patet, utraque jura et patriarchatus Occidentalis et summi pontificatus fuisse recognita in una eademque persona Romani pontificis per supplicationes hic recitatas, et per declarationem Græci episcopi: qui ad hanc rem congessit testimonia superiorum pontificum Romanorum, necnon legum imperialium, aperte declarantia censeri inter cæteras provincias Occidentalis patriarchatus etiam Illyricum: quæ documenta produximus supra in SS. pontificibus Damaso, Siricio, Innocentio, Bonifacio I, Cœlestino I, Sixto III et Leone Magno.

Licet non exstet judicatum Bonifacii II super hujusmodi causa, attamen dubitandum non est quin pronunciarint justa petita episcopi Larisseni Thessaliæ metropolitæ

LVIII. JOANNES II.

ANNO CHRISTI 531, JUSTINIANI 5, ATHALARICI 6.

93 *Joannes*, qui et Mercurius, natione Romanus, ex patre Projecto, de Celio monte, sedit annos duos [a], menses quatuor, dies sex. Fuit autem temporibus Athalarici regis, et Justiniani Augusti [b]. Eodem tempore vir religiosus Augustus, summo amore Christianæ religionis misit fidem suam chirographo scripto proprio ad sedem apostolicam 5 per episcopos Epaziun [c], et Demetrium. Ipsis diebus obtulit Christianissimus impe-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. tres. [b] *Vide Baron ad ann* 533. [c] *C B*, Hypatium.

Digitized by Google

rator Justinianus Augustus beato Petro apostolo scyphum aureum circumdatum de gemmis prasinis, et albis, et alios calices argenteos 2; scyphum pens. lib. 5; calices argenteos, pens. sing. lib. quinque; pallia olovera [a] auro texta quatuor. Hic fecit ordinationem [b] in urbe Roma per mensem [c] Decembris, presbyteros quindecim, epi-
10 scopos per diversa loca numero 21. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli VI Idus Jun. post consulatum iterum Lampadii [d], et cessavit episcopatus diebus septem [e].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, Palliola vero. [b] *CB*, unam. [c] *C*, Kalend. [d] *B*, sub coss, Bellisarii. [e] *C*, sex.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 93, *lin* 1, qui et martyrius. *lin* 7, *B*, scyphos argenteos. *lin* 11, *A*, IV Kal Jul., *B*, VI Kal Jun. *lin* 12, *AB*, dies 6.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 93, *lin* 1, martyrius qui et Joannes, n. R. *lin* 4, scripto cyr propr. *lin* 5 Hypatium. *lin* 6, Apostolo hæc dona scyph a. e. gemmis pr. hyacynthinis, pens lib 4; scyphos argenteos 2 pens sing lib 6; ca-
A lices argenteos 2 pens sing lib 3; pallia ol. *lin* 9, ordin unam per mens. Dec. *lin* 10, loca 11. lin 11 VI Kal Junii. *lin* 12, dies 6.

Ex codice Thuano altero.

Num 93, *lin* 8 palliola vero a. t. *lin* 11, VI Kal Jun. *lin* 12, dies 6.

Apud Pemam ex codice Cavensi.

Num 93., *lin* 11, consulatu.

NOTÆ VARIORUM

ALTASERRA.

Linea 3.—*Eodem tempore vir religiosus Augustus misit fidem suam chirographo scripto proprio ad sedem apostolicam per episcopos*, etc. Justinianus imp misit professionem fidei ad Joannem secundum Rom pontificem ex antiqua consuetudine. Symmachus pontifex in Apologetic advers Anastas : « Omnes catholici principes, sive cum imperii gubernacula susceperunt, sive cum apostolicæ sedi novos agnoverunt præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem se ipsos profitentur alienos: quod chartis quoque suis apud te etiam possumus astruere, nisi te æmulum et reum, et inimicum vitaremus et judicem. »

BENCINI.

Linea 4.—*Misit fidem suam.* Orientis imperatores olim imperii jura suscepturi, publicam fidei suæ professionem, propria etiam manu subscriptam, patriarchæ Constantinopolitano, et apostolicæ sedi exhibere tenebantur. Consuetudinis hujus mentio occurrit apud Evagrium lib III, c. 32, ubi de Anastasio imperatore : « Verum alia erant, quæ animum Anastasii occulte pungerent. Nam cum Ariadna Anastasium imperiali purpura vestire vellet, Euphemius regiæ urbis episcopus consensum suum accommodare renuit, priusquam Anastasius cautionem propria manu scriptam et jurejurando firmatam ipsi dedisset, qua pollicebatur, fidem se illibatam servaturum, nec quidquam novi in sanctam Dei Ecclesiam invecturum esse, si imperii compos fieret. Hanc ille chartam Macedonio sacrorum vasorum custodi commendaverat. Hæc autem idcirco egerat Euphemius, quod Anastasius Manichæorum sectæ addictus esse a plerisque crederetur. Postquam igitur Macedonius episcopalem sedem adeptus esset, Anastasius cautionem suam reddi sibi voluit, asserens contumeliam fieri imperio, si supra memoratum chirographum in Ecclesia reconditum servaretur. Sed cum Macedonius strenue admodum resisteret, seque fidem proditurum negaret, omni insidiarum genere eum appetiit Anastasius ut episcopatum ei adimeret, » etc. Quod subinde variis adhibitis artibus tandem obtinuit. Tanti erat hæc imperatoris professio ad ejusdem retegendas fraudes : unde summa Ecclesiarum cautio in retinendis servandisque ecclesiasticis chartis, illi concreditis, qui Ecclesiæ pretiosiora servabat. Ad sedem vero apostolicam cum Anastasium, tum ejus antecessores fidei suæ professionem direxisse, asserit audacter Symmachus, eidem Anastasio epist 7 in hunc modum scribens : « Omnes catholici principes, sive cum imperii gubernacula susceperunt, sive cum apostolicæ sedis novos agnoverunt præsules institutos, ad eos sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse instituti, » etc. Felix pariter tertius eidem imperatori perjuria objicit, patrata contra fidei professionem, ad apostolicam pridem sedem directam (tom II Concil, p. 815) : « Professionem tuam conscientiamque recolendam sensibus tuæ pietatis insinuo. Palatii tui facito scrinia recenseri, et scripta illa diligenter investigari, quæ ad apicem summæ regrediens potestatis ad decessorem meum pietas tua pro communi gratulatione direxit, » etc. Justinus eadem cum Hormisda, et nunc Justinianus cum Joanne secundo præstiterunt. Quemadmodum vero Constantinopoli in sacrorum vasorum armario istiusmodi authenticæ imperatorum professiones diligenter religioseque asservabantur, non secus Romæ factum, testatur Gregorius secundus hæc Leoni Isaurico scribens (tom IV, Conc, p. 2) « Acceptas epistolas tuas in sancta Ecclesia repositas in limine confessionis sancti et gloriosi ac principis apostolorum Petri diligenter servamus ; ubi et Christi amantium præcessorum tuorum, qui imperarunt, sunt litteræ, » etc.

Linea eadem.— *Chirographo scripto proprio.* Erat enim *auctoritas* directa ad testificationem, et indubium documentum reddendum, ut supra ex Marculpho notatum est. Scriptum proprium vocat, non quod imperiali manu subscripta tantummodo esset epistola sed quod imperiali etiam atramento perscripta Istiusmodi fuisse imperialium auctoritatum notas, prodidit ibid Gregorius : « Illud autem inprimis præcipuum est, quod litteræ tuæ sigillis imperatorum obsignatæ diligenter sunt, et accuratæ intus subscriptiones per cinnabarim propria manu tua, ut mos est imperatoribus scribere. » Notæ itaque imperialis rescripti, seu unde deprehendatur scriptum proprium imperatoris esse, per cinnabarim habitæ sunt. Procopius electi Justini ignorantiam in litteris prodens, arrepta occasione imperiale atramentum describit, misturamque fuisse ait ex cinnabari aliisque liquoribus, unde scripta dicebantur phœnicia,

Digitized by Google

et addit (*Arc hist* pag 26) : *Calamus colore imbutus, quæ scribere mos est imperatoribus*, etc. Colores hi in antiquissimis Mss quandoque occurrunt : apti enim sunt ad litteras ob misturæ perfectionem a temporum injuriis servandas. Imo in Mss plerumque istiusmodi Phœniciæ litteræ comparent, reliquis ex alia mistura abolitis. Describitur autem mistura ab eodem ibid Procopio. Hinc Anastasius in notis marginalibus ad act 10 synondi VIII asserit, aulicum semper cujusdam fuisse gradum, imperatorium hocce atramentum conficere et servare imperatoris usibus. « Præpositus caniculi est, qui curam et custodiam gerit caniculi, id est atramentarii, ex quo imperator Phœnicias litteras scribit in chartis, » etc. Et in C. leg 6, de diversis rescriptis, occurrit. « Sacri affatus quoscunque nostræ mansuetudinis in quacunque parte paginarum scripserit auctoritas, non alio vultu, aut colore, nisi purpurea tantummodo inscriptione lustrentur : scilicet ut cocti muricis et triti conchilii ardore signentur. Hanc autem sacri encausti confectionem nulli sit licitum aut concessum habere, » etc. Hac de re videsis Salmasium ad Solinum. Illius dignitas vocabatur Caniclini, de qua Pachimeres lib VIII, c. 32, et lib IX, c. 24, et passim apud scriptores Byzantinos. Rescripta, quæ sacri affatus ab imperatore Leone dicuntur hujusmodi erant, repetita l. 4 Cod de divers Rescript. « Non alio vultu penitus, aut colore, nisi tantummodo, inscriptione lustrari jussit ut cocti muricis, et triti conchilii ardore signentur : eaque tantummodo fas sit proferri vel dici rescripta in quibuscunque judiciis, quæ in chartis sive membranis, subnotatio principis subscriptiones impresserit, » etc. Et hæc Leonis senioris lex, qui primus usum in rescriptis excogitavit. Veteres autem minio scribere consuevere ; de quo Plinius lib XXXIII, c. 7 : « Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque litteras, vel in auro, vel in marmore etiam in sepulcris facit, » etc. Testatur M Crusius Turogr pag 191, vidisse se concilium Constantinop, in quo subscriptio Jo. Cantacuzeni erat ex cinnabari, episcoporum vero ex atramento. Asservatur etiam inter Mss Colbertina Jo Palæologi subscriptio ex eodem atramento. Vas autem ubi illud recondebatur aureum erat lapidibus pretiosis distinctum, quod discimus ex Niceta in Man lib III, n. 4 : *Calamarium aureum margaritis et pretiosissimis gemmis insignitum*, etc. De quo adeundus et Petrus diaconus in Chron Cassin lib IV, c. 13.

BINII ET LABBEI.

Linea 1.—*Joannes* cognomento Mercurius Romanus anno, ut constat ex vetere inscriptione apud S. Petrum ad vincula, post consulatum Lampadii et Orestis qui est 531 Christi nati, imperatoris Justiniani, et Athalarici regis Italiæ 6 circa finem anni illius electus est Romanus pontifex.

Linea 4.—*Misit fidem suam.* Intelligit illum fidei professionem, quæ continetur in epistola Justiniani ad Joannem papam, non vero illud prolixius edictum, cui in Suriana editione præfixa reperitur ejusmodi inscriptio mendosa : « Edictum piissimi imperatoris Justiniani fidei confessionem continens, et refutationem hæreseon, quæ adversantur catholicæ Dei Ecclesiæ, Joanni papæ secundo transmissum, ut patet in vita ejusdem papæ ex Libro Pontificali. » Hanc inscriptionem mendosam esse dixi, quia constat illud edictum, vel potius libellum tempore Vigilii conscriptum esse, quem adversus tria capitula Theodorus Cæsariensis episcopus ab ipso imperatore edi curavit, ut testatur Liberatus in Breviar cap 24.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Joannis II cognomento Mercurii, ejusque successoris Agapeti epochæ colliguntur securius, si jungantur simul. Nam codices Anastasiani, et catalogi consentiunt tum in sede annorum 2, mensium 4, dierum A 6, Joanni tribuenda ; tum in diebus 6, vel septem vacationis sedis ab ejus obitu computatis ad electionem Agapeti ; tum in summa undecim mensium, et dierum 18 vel 19 huic assignanda : quem Bibliothecarius tradit profectum fuisse Constantinopolim I Kal Maii (ubi alii putant legendum X Kal Martii) ibique ægritudine correptum vita migrasse decimo Kalendas Maii anno scilicet subsequenti : unde Romam reportatum ejus corpus sepultum fuit in basilica Vaticana 10 Kal Oct qua ejusdem memoria colitur. Est itaque summa annorum trium, ac mensium quatuor ab exordio pontificatus Joannis ad mortem Agapeti numeranda : cui summæ aliquot dies addere oportet, ab electione scilicet ad ordinationem Agapeti, si ejusdem epocham historicus numeravit ex die consecrationis potius quam electionis. Joannis initium pariandum esse probavimus sectione superiori cum die 12 Decembris ab electione celebrata anno 532. Cum mors Agapeti signenda sit die X Kal Maii, nempe B 22 Aprilis, ut habent codices Anastasii ; et statuatur anno 536, uti statuimus ; hoc intervallum temporis ab exordio Joannis ad finem Agapeti est annorum trium, mensium 4 et dierum 10. Ex hac summa tribuimus Joanni annos duos, menses quatuor dies sex, computandos ab electione 12 Decembris 532 ad 18 Aprilis 535; Agapeto menses 11, dies 18, ordine retrogrado numerandos ex die mortis certo 22 Aprilis 536 ad 6 Martii 535. Dies igitur 17 interceptos anno 535 inter mortem Joannis 18 Aprilis et consecrationem Agapeti successoris 6 Maii (quæ fuit Dominica) ita partiemur. Dabimus cum Anastasio septem vacationi sedis ex die obitus Joannis II, 18 Aprilis ad 25 ejusdem mensis 535, diei proximæ 26 Aprilis alligabimus electionem Agapeti : ex quo die ad 6 Maii decem qui supersunt elapsos fuisse dicimus ab electione ad ordinationem Agapeti.

Cum igitur summa duarum epocharum in utroque extremo junctim conveniat, et codices Anastasii consentiant catalogis in assignandis Joanni annis 2, C mens 4, diebus 6, quisquis exordium Joannis nobiscum affigit diei 12 Decembris 532 ejusdem obitum pariare debet cum 18 Aprilis 535, et quisquis post hunc enumerat dies 7 vacationis sedis ad electionem successoris Agapeti tribuendam diei 25 aut 26 ejusdem mensis, recte statuit post alios decem dies Agapeti ordinationem die 5 Maii, quæ fuit eo anno Dominica IV post Pascha, celebratum die 8 Aprilis.

Circa finem sectionis Bibliothecarii textus refert Joannem sepultum in basilica principis apostolorum VI Idus Junii, *post consulatum iterum Lampadii*. Negligentia amanuensis transtulit notam consulatus ab electione et ordinatione suscepti episcopatus ad terminum pontificatus et vitæ. Nam annus christianæ æræ communis 532, qui nomen præfert *iterum post consulatum Lampadii et Orestis*, pertinet ad initia susceptæ a Joanne dignitatis, cujus documentum D evidens superest in vetusto marmore tituli S. Petri ad vincula, quod ab aliis chronologis et historicis persæpe editum, et a me quoque in prolegomenis tomi I, num 42, hic reponerem nisi ante duas paginas cum Norisio recitassem in notis chronologicis ad Bonifacium II.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1.—*Joannes cognomento Mercurius.* Quasi Laurentianæ Biblioth Florentinæ dicitur hic pondere *Mercurius.*

Linea 3 —*Vir religiosus Augustus*, etc. *Misit fidem suam*, etc. Non repetam ea quæ de Joannis II approbatione circa has litteras Justiniani erudite collecta legis in notis Pagii et Sommier. Unicum indicabo additamentum ex epistola Mopinot supra memorata : in qua circa finem numeri 12 nobis indicat adornatam a Constantio alteram dissertationem, ubi « demonstrat approbatam quidem a Joanne II, quam Hormisdas usurpare noluerat locutionem · *Unus de*

Digitized by Google

Trinitate crucifixus est; at neutrum tamen papam cum altero pugnare; imo eamdem utriusque fidem, eumdem utriusque animum fuisse; quippe diverso temporum et controversiarum statu debuisse aliam ab altero teneri agendi rationem. »

CIACONII.

Linea 1.—*Joannes qui et Mercurius.* Hujus pontificis mentio exstat in antiqua marmorea tabula posita in basilica S. Petri ad vincula.

PAGII.

Linea 2.—*Sedit annos duos.* Interpontificio durante, complures ut ad pontificatum adipiscerdum sibi aditum præpararent, Ecclesiæ bona effuderant, et alii pecunia aliquos ex senatoribus corruperant; quod indigne ferens senatus, adversus eos, qui ideo turpiter aliquid accepissent, senatus consultum promulgavit. Joannes vero papa electus apud Athalaricum regem egit, ut qui ecclesiasticos canones proculcarent, regis perterrerentur edicto: per defensorem enim Ecclesiæ ab ipso Athalarico petiit, ut adversus hujusmodi Simoniacos, regia ageret potestate, pœnisque sæcularibus eosdem comprimeret, quos nec Dei timor neque ecclesiastica censura corrigeret. Athalaricus adversus Simoniacos edictum emisit, quo senatus consultum confirmatum est de quo locuti sumus initio pontificatus Felicis IV, quodque exstat apud Cassiodorum lib IX, epist. 15, et apud Baronium anno 533.

Linea 4. — *Misit fidem suam chirographo*, etc. Sub Hormisdæ pontificatu diximus, monachos Scythas multa peregrinationum incommoda, multosque labores pertulisse ad defensionem illius propositionis, *Unus e Trinitate passus est carne.* Hæc autem propositio a Joanne II, tandem approbata. Monachis Scythis acerrime restiterant alii monachi *Acœmetæ* dicti, qui videntes Scytharum causam superiorem evadere, et tam episcopis Orientalibus, quam Justiniano imperatori propositionem illam probari, æmulatione quadam accensi, legatos ad Joannem II anno quingentesimo trigesimo tertio misere, Cyrum et Eulogium, qui opinionem, seu errorem, in quem æstu pugnæ abrepti erant, apud sedem apostolicam defenderent, ejusque approbationem a summo pontifice impetrarent. In eo Acœmetarum error versabatur, quod negarent: *Unum de Trinitate incarnatum et carne passum, et beatam Mariam vere et proprie esse Dei Genitricem.* Adversus illos misit Justinianus Romam Hypatium Ephesiorum episcopum, et Demetrium a Philippis, qui sedem apostolicam consulerent de his quæstionibus; et fidem imperatoris, imo totius Orientalis Ecclesiæ, in ipsius ad Romanum pontificem epistola, quæ exstat tom. IV Concil., pag. 1742 expositam approbari obtinerent.

Joannes itaque papa, acceptis Justiniani imp. litteris ejusque legatione, de quibus mox locuti sumus, in synodo Romana propositionem hanc, *Unus e Trinitate crucifixus est carne*, examinavit, fidei professionem litteris imperatoris insertam approbavit, nec non edictum fidei, quod ante missam legationem promulgaverat, ne Acœmetarum legati aliquam ipsi calumniam inferent: *Proinde*, inquit Joannes in epistola ad Justinianum, VIII Kalend. Aprilis Justiniano Aug. et Paulino coss. data, ideoque anno 534, quæ exstat tom. IV Concil., pag. 1744, *Serenitatis vestræ apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros, fratres et coepiscopos meos, reverentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei, et pro submovenda hæreticorum contentione, secundum apostolicam doctrinam, fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu, quod quia apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus.*

In eadem epistola pontifex, Acœmetas monachos, obstinato animo in errore perseverantes, communione privavit, nisi ad sanam mentem redirent: « In quibus, inquit, observantes ea quæ ab ipsorum sunt statuta pontifice, eos minime in nostra communione suscepimus, et ab omni Ecclesia catholica esse jussimus alienos, nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocius sequi, habita regulari professione, signaverint. » Eodem anno 534 Joannes papa, eadem de causa, litteras ad Avienum, Liberium, aliosque senatores dedit, quæ exstant eodem tomo Concil., pag. 1751, in quibus tres sibi ab imperatore propositas quæstiones testatur, de quibus dissidia orta erant. Prima, *utrum unus ex Trinitate Christus Deus noster dici possit:* hoc est, una de tribus personis sanctæ Trinitatis persona? Secunda, *an Deus Christus carne pertulerit, impassibili deitate?* Tertia, *an proprie et veraciter Mater D. N. Jesu Christi Maria semper Virgo debeat appellari?* Quas propositiones tanquam fidei catholicæ consentaneas se probasse scribit Joannes II, easdemque subjectis Scripturæ sacræ et SS. Patrum testimoniis confirmat. Denique Vigilius papa, cum trium capitulorum proscriptioni consentire nollet, ut Justiniani animum quoquo modo deliniret, in encyclica epistola propositionem supra memoratam se approbare testatus est: *Passus*, inquit, *carne est pro nobis Dei Filius, crucifixus carne est, et mortuus carne est.* Eadem etiam propositio anno 553 definita fuit in synodo quinta Collat. 8, canone 4 et seq. Hæc ex Baronii critica excerpta. De monachis Scythis vide dicta in Hormisda.

SOMMIER.

Linea 3. — *Vir religiosus Augustus... misit fidem suam chirographo scripto proprio ad sedem apostolicam*, etc. Ex lib. VI, cap. 25 Sommier.

Vidimus in Hormisda controversiam a Scythiæ monachis excitatam in Ecclesia super themate *de uno ex Trinitate in carne passo*, et illius pontificis prudentem curam in resecandis hujusmodi quæstionibus inutilibus. Aliis igitur monachis Orientis, quos *Acœmetas* appellabant, nempe *non dormientes*, ex eo quod officium divinum continenter in choro persolverent continua successione sibi invicem in psalmodia succedentes, citra ullam intermissionem, his, inquam, monachis Acœmetis placuit in alteram partem a prioribus illis deflectere et refragari, dicendo, non debere a nobis affirmari, quod unus ex Trinitate fuerit incarnatus et passus in carne, neque quod beata Virgo vere et proprie fuerit Mater Dei. Romam igitur hi postremi ablegarunt quæsitum definitionem super articulo a se proposito. Visum est imperatori Justiniano ea de re pariter ad pontificem Joannem scribere, qui tum primum Bonifacio successerat, his verbis.

« Reddentes honorem apostolicæ sedi, et vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, et est, ut decet, patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ apostolicæ sedis, et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, quæ hactenus obtinet, et incommote permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes universi Orientalis tractus, et subjicere, et unire sedi vestræ Sanctitatis properavimus. In præsenti ergo quæ commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme custodita, et prædicata, necessarium duximus ut ad notitiam vestræ Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. » (*Epist. Justiniani imper. ad Joan. pap. II*, leg. 8, *tit. de Summa Trinitate.*)

Post hæc imperator exposito errore Acœmetarum, quos dicit sectatores esse Nestorii, professionem fidei emittit. « Omnes vero (inquit) sacerdotes san-

Digitized by Google

ctæ catholicæ, atque apostolicæ Ecclesiæ, et reverendissimi archimandritæ sanctorum monasteriorum sequentes Sanctitatem vestram, et custodientes statum, et unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quem habent ab apostolica vestræ sanctitatis sede, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit, et obtinet, uno consensu confitentur, Dominum N. J. C. ante sæcula et sine tempore de Patre natum, in ultimis diebus descendisse de cœlis; et incarnatum de S. Spiritu, et sancta atque gloriosa Virgine, et Dei Genitrice Maria natum, et hominem factum; et crucifixum unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis... Ideo et S. atque gloriosam Virginem Mariam proprie et vere Dei Matrem esse dicimus: Non quia Deus Verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de cœlis, et ex ipsa incarnatus, et homo factus, et natus est... Sicut vestra apostolica sedes docet, atque prædicat. Unde properavimus hoc ad notitiam referre vestræ sanctitatis per Hypatium et Demetrium reverendissimos episcopos, ut nec vestram sanctitatem lateat, quæ a quibusdam paucis monachis male et judaice secundum Nestorii perfidiam denegata sunt. »

Pontifex declaravit orthodoxam hujusmodi professionem fidei ab imperatore transmissam. Vide sequentia in notis Pagii ad hanc sect. et infra in Agapeto.

LIX. SANCTUS AGAPETUS.

ANNO CHRISTI 535, JUSTINIANI 9, THEODATI REGIS 2.

94 *Agapitus*, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, clericus ad S. Joannem et Paulum, sedit menses 11, dies 18. [a] Hic ortu episcopatus sui libellos anathematis, quos invidiæ dolo extorserat Bonifacius presbyteris, et episcopis contra canones, et contra Dioscorum in medio Ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, et absolvit totam Ecclesiam de invidia perfidorum [b]. Hic missus est a Theodato rege Gothorum ad domnum Justinianum Augustum in legationem, quia eodem tempore domnus Justinianus imperator Augustus indignatus est Theodato regi, eo quod occidisset reginam Amalasintham [c] filiam Theodorici regis commendatam sibi, qui eum regem fecerat.

95 Qui vero Agapitus ambulavit Constantinopolim x Kalend. Maii, ingressus Constantinopolim, et susceptus est Agapitus episcopus cum gloria. Et primum cœpit habere altercationem cum piissimo principe Justiniano Augusto de religione. Cui beatissimus Agapitus episcopus constantissimæ fidei apostolorum responsum reddidit, dicens: Dominum nostrum Jesum Christum Deum et hominem esse, hoc est duas naturas esse in uno Christo; et dum contentio verteretur [d], ita Dominus affuit, ut episcopum Constantinopolitanum nomine Anthimum inveniret hæreticum. Et cum contentio verteretur cum Augusto, et Agapito papa, hoc dixit ei Justinianus imperator: Aut consentis nobis, aut exsilio te deportari faciam. Tunc beatissimus Agapitus papa respondit cum gaudio, dicens ad imperatorem: Ego quidem peccator ad Justinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi: nunc autem Diocletianum inveni, qui tamen minas tuas non pertimesco. Et dixit ei iterum Agapitus venerabilis papa: Tamen ut scias te idoneum [e] non esse religioni Christianæ, episcopus tuus confiteatur duas naturas in Christo. Tunc ex præcepto Augusti accersito episcopo Constantinopolitano, nomine Anthimo, et discussione patefacta [f] nunquam voluit confiteri in doctrina catholicæ responsionis ad interrogationem beati papæ Agapiti, duas naturas in uno Domino Jesu Christo. Quem convicit sanctus papa Agapitus, et glorificatus est ab omnibus Christianis.

96 Tunc piissimus Augustus Justinianus gaudio repletus humiliavit se sanctæ sedi apostolicæ, et adoravit beatissimum papam Agapitum. Eodem tempore ejecit Anthimum a communione, et expulit in exsilium. Tunc piissimus Augustus Justinianus rogans beatissimum Agapitum papam, et in loco Anthimi episcopum consecravit catholicum nomine Mennam. [g] Qui vero Agapitus papa omnia obtinuit, ex qua causa directus fuerat. Post dies vero aliquantos ægritudine commotus [h], defunctus est Con-

NOTULÆ MAGINALES FABROTTI.

[a] *Baron* vult plus anno vixisse. [b] *Vide Baron ad ann Domini* 536. [c] Malasuntham. [d] *B*, versaretur. [e] *CB*, tu eum. [f] facta. [g] *Baron* negat, ann 536. [h] *C*, correptus.

Digitized by Google

stantinopoli x Kalendas Maii. Cujus corpus in loculo plumbeo translatum est usque in basilicam beati Petri apostoli, ubi et sepultus est XII Kalend. Octobris. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca 11, et 10 cessavit episcopatus dies viginti quatuor [a].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, mensem unum, dies 28.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 94, *lin* 8, *B*, Amalasuentam.

Num 96, *lin* 5, *A*, ex quibus, *B*, propter quæ. *lin* 9, *A*, ordinationem 1, *B*, ordinationem. *lin* 10, *A*, diaconos 3. *lin* 10, *B*, mens unum, d. 25.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 94, *lin* 2, 19, hic in ortu E sui libellum an. quem invidiæ zelo. *lin* 3, can adversum D. (*M*, adversus.) *lin* 6, quia eodem temp imperator indignatus erat adversus Theodatum, eo quod occ reg Amalanitam; et mox : quæ eum regem f.

Num 95, *lin* 1, domnus vero papa perrexit Constantinopolim x Kal Maii et ingressus urbem susceptus est cum gloria, et primo c. h. Alat cum piissimo rege, id est imper Justiniano de religione fidei. Cui Agapitus papa const fid apostolicæ res reddidit de Domino nostro Jesu Christo Deo et homine, hoc est duas naturas in uno Christo esse. Dum vero contentio verteretur (*M*, intentio, *et ita, ut videtur, legebatur in R, sed emendatum*, contentio) ita ei Dominus affuit, ut episcopus Constantinopolitanus nomine Anthemius inveniretur hæreticus. Sed cum contentio diu verteretur inter Augustum et Agapitum papam, dixit ei Justinianus A.: Aut consenti nobis, aut in exsilium te deportari facio. Tunc Agapitus papa respondens cum gaudio, dixit imperatori: Ego quidem peccator. *lin* 12, inveni : verumtamen minas t. non p. Dixit ei iterum Agap ven papa: Scias te idon non esse f. c. nisi episcopus tuus c. d. n. in Christo esse. Tunc ex pr. A. accersitus est episc. Constantinopol Anthemius, et disc pat n. v. conf in A doctrinam cath resp ut ad interr. *lin* 17, Christo confiteretur, quem cum vicisset papa Agap glorificatus est.

Num 96, *lin* 1, Aug gaudio repletus, humil se sedi apost et prostravit ante pap Agap. Tunc ejectus est Anthemius a communione, et expulsus in exsil. Justinianus vero A rogavit beatissimum papam ut in locum ejus alterum episcopum catholicum consecraret nomine Mennam. Eodem tempore venerabilis papa omnia obtinuit ab imper quorum causa directus fuerat. Post dies aliquantos ægritudine detentus, defunctus est Constantinopoli. *lin* 8, sepultum est x Kalend Octobr. Hic fecit ordinationem unam in Urbe *R*. *lin* 10, mens 1, dies 28

Ex codice Thuano altero.

Num 94, *lin.* 9, Amalasuntham.

Num 95, *lin* 4, apostolicæ. *lin* 6, intentio v. *lin* 7, Antemum. *lin ead* et cum intentio. *lin* 15, Antemo. *lin* 16, in hoc doctrinam.

B *Num* 96, *lin* 2, papam, ut in loco Anthemi episcopum catholicum consecraret n. *M*. *lin* 10, episc mens adomnum. 1, d. 28.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 94, *lin* 1, Agapitus. *lin* 3, Bonifatius. *lin* 8, Theoderici.

Num 95, *lin* 1, Magii. *lin* 5, hominem, hoc est duas naturas in uno Christo. *lin* 9, consentis. *lin* 11, Dioclitianum inv quod.

Num 96, *lin* 1, humiliavit sanctæ a. e. a. b. Agapitum papam. *lin* 4, Anthimi episcop consecravit catholicum. *lin* 5, obtinuit. *lin* 7, magii.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 94, linea 5. — *Hic missus est a Theodato... eo quod occidisset reginam Amalasintham*, etc. Anastasium ex operibus scriptorum Græcis, quæ latinitati donavit, plurima desumpsisse, pronum est, et obvium conferenti hæc cum iis quæ ex Theophane commemoravimus. Hæc vero de Amalasinthæ occisione ex Procopii libb. de Bello Gothico, ubi consimilia is narrat, videtur scripsisse. Hic arcanam historiam Procopii fortasse non vidit Anastasius, ubi ille quod perperam in lib. Gothicorum scripserat, emendavit, exterioremque occisionis causam aperuit. Pag. 71[illegible] historiæ arcanæ recitandus est, ut observ[illegible] nostræ de factis additamentis a posteriori manu prioribus catalogis confirmentur; utque pateat ex quibus fontibus ista prodierint. Descripserat Procopius Amalasunthæ propositum de mora Constantinopoli trahenda, et ubi locorum domicilium per servos suos delegerit, communi civium jure victura, continuo subjungit. « Theodoræ statim C occurrit feminæ illius nobile genus, regia dignitas, forma corporis singularis, acre et industrium ingenium; ob idque non dubitavit, quin sibi et ab illius virili animi majestate, et levitate conjugis metuendum foret. Nec sane leviter hanc patefecit rivalitatem, sed insidias ac necem reginæ molita, viro confestim persuasit ut Petrum ad eam legaret in Italiam. Huic ergo Cæsar proficiscenti, quæ opportuno loco narravi, imperat: at Augusta (cujus metu veræ tunc locus narrationi non fuit) hoc unum committit, ut Amalasunthæ paret, maturetque necem, magnorum injecta spe bonorum, si jussis pareat. Ille vel dignitatis, vel divitiarum spe in Italiam statim transmisit; nam ad nefarias cædes moderate venire mens humana nequit; Theodatum rationibus mihi quidem obscuris in Amalasunthæ cædem impellit. Exinde Petrus ad Magistri dignitatem magna quidem potentia, sed odio omnium evehitur. Atque is fuit Amalasunthæ rerum exitus, » etc. Suasorem vero auctoremque necis hujus fuisse Petrum, repetit infra, ejusdem indolem proponens. « Senserunt hi ingentes ac pene quotidianas Petri officiorum magistri rapinas, qui etiamsi miti atque minime injurio esset ingenio; fuit tamen furacium hominum postremus, turpisque compendii plenus, qui etiam ut supra exposui, Theodorici filiæ Amalasunthæ necis auctor fuit, » etc. Eadem de re Jornandes de reb. Get., pag. 175. Advertit autem in chronico Theophanes factam Petri consilio limitaneorum militum reformationem, imperio exitialem : quippe irruentes D subinde Saraceni Asiæ provincias brevi ab Orientali imperio sejunxerunt.

Linea 8. — *Commendatam sibi*, a Theodorico patre scilicet, qui hæc teste Jornande, ibid. pag. 173, jusserant. « Sed postquam ad senium pervenisset, et se in brevi ex hac luce egressurum agnosceret, convocans Gothos comites, gentisque suæ primates, Athalaricum infantulum adhuc vix decennem filium filiæ suæ Amalasunthæ, qui Eutrace patre orbatus erat, regem constituit, eisque in mandatis dedit, ac si testamentali voce denuntians, ut regem colerent, senatum populumque Romanum amarent, princi-

Digitized by Google

pemque Orientalem placatum semper propitiumque haberent. Dum ergo ad spem juventutis Athalaricus accederet, tam suam adolescentiam, quam matris viduitatem Orientis principi commendavit, » etc.

Num. 95, linea 2. — *Et primum cœpit habere altercationem.* Justinianus, domesticis publicisque rebus compositis, religionis disceptationibus adjecit animum. Hæc Procopius liberrimus quidem, sed nec iniquus factorum censor (*in Bello Goth.* l. III) : « Perpetuo sine custodibus desidet ad multam noctem in Musæo cum senioribus quibusque sacerdotibus, attentissimo studio arcana Christianorum dogmatum investigans. » etc. Haud æquo satis animo cum quibusque sacerdotibus, proindeque et cum Agapeto Rom. pont. fidei controversias interserebat. Fuit hæc imperatorum Orientis Zenonis, Anastasii aliorumque insolens præconceptio, ut eam Christianorum partem foverent in dissidiis, quæ potentior et asseclarum numero copiosior esset. Hinc cum Eutychianorum partes invalescerent, pessimi illi principes ab Eutychianis stetere : Anastasius quidem non quod Eutychianorum deliria consectaretur, siquidem Manichæis dedisse nomen, jam supra nobis adnotatum, promovit eorumdem causam; sed quod potentior esset episcoporum populorumque numero : Zeno autem, ut utraque parte dissidiis hisce enervata, idololatriam restitueret. Non secus, advertente Procopio in Historia arcana, Justinianus, edomito fere armis, moderatoque sanctissimis legibus terrarum orbe felix; felicior, nisi Theodoram consiliorum rerumque gerendarum participem habuisset, ex condicto cum Theodora convenit, ut catholicorum ipse, illa Eutychianorum partes foverent; et quæcunque demum pars superior evaderet, illam consectarentur ambo. Procopius descripto versipelli Theodoræ animo, ad rem subinde pergit (pag 47 *Hist Arc*) : « Nunc vero summam habeamus rerum ab ea conjugeque gestarum : nam illis in re gerenda nihil non in communi actitatum; licet diu multumque omnibus opinionem fecerint, quasi in diversas irent sententias, et contraria studia : nam deprehensum est demum ex industria hanc illos speciem simulationis induisse; ne subditi communicatis consiliis, seditionem agitarent quandiu de illis opinio esset in ambiguo. Principio quidem simulatis his ex adverso studiis Christianos inter se quæstionibus, ut paulo post dicam, concitatos, deinde vero factionum populares distraxerunt, » etc. Et paulo infra pag 49 : « His artibus, re quidem inter se condicta, sed palam simulatis dissidiis, ac subditorum animis in diversum actis, tyrannidem sibi firmius asseruerunt, » etc. Arrepta scilicet cum imperio in res civiles, et multo acrius, occultius licet, in ecclesiastica statuta et leges effreni licentia. Hinc in Agapetum altercationes, et in Vigilium Romanos pontifices sævitia, religione, ceu Lesbia regula usus, quod pietatem privatis imperii et reipublicæ commodis metiretur : neque de Deo quid sentiretur recte, quidve doceretur, rebus ita ferentibus, vehementer laboraret. Egregius de eo locus est Evagrii lib IV c. 10 : « Et Justinianus quidem eos qui in Chalcedonensi synodo convenerant, et quæcunque ab illis fuerant exposita, acriter defendebat. Ejus vero conjux Theodora ab illorum partibus stabat, qui unam in Christo naturam assererent : sive quod ipsi revera ita sentiebant... sive per quamdam simulationem, » etc; seu ut vertit Jo. Langius *ex composito*, etc.; aut ut Christophorsonus : *dedita opera*; seu denique, ut omnium optime Valesius : « Sive per quamdam simulationem ita inter ipsos convenerat, ut alter quidem corum partes defenderet, qui duas in Christo Deo naturas esse diceret post unitionem; altera vero illorum, qui unam duntaxat naturam asseverabant, » etc. Causam hujus aperuit laudatus Procopius, quod videlicet merito timendum esset Justiniano ob ingentem illorum numerum, qui ex genere Anastasii erant, ejusdemque a partibus stabant. Sic enim Ille lib I de Bello Persico cap 11 : « Mortuo Anastasio Justinus imperium suscepit, Anastasii propinquis omnibus, quamvis et magnus eorum esset numerus, et summus splendor, a successione submotis, » etc.

Linea 7. — *Anthimum inveniret hæreticum.* In pontificis hujus Actis, ut et sequentium referendis, quousque Paulus diaconus historiam suam produxit, Anastasius ejusdem integra capitula, iisdem sæpe verbis, Pontificum vitis inseruit. Sic enim Paulus Diaconus lib XVII, pag 675 : « Facta cum eodem de fide collatione, reperit eum in Eutychetis dogma corruisse, a quo primitus graves beatus antistes minas perpessus est. Sed cum illius inconcussam in fide catholica constantiam cerneret, siquidem ad hoc usque verbis progressus fuerat, ut talia a præsule audiret : Ego ad Justinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi, sed Diocletianum inveni, » etc. Ipsa hæc Acta probant, Justinianum, non ex animo, sed ut tempori inserviret, catholicorum defensionem suscepisse. Scripserat ibid cap 9 Evagrius, reliquisse imperatorem provincias quasdam hæreticorum regimini liberas. Hinc ex Ecclesia Trapezuntina ad episcopatum Constantinopolitanum evectus fuerat Anthimus, tametsi compertum omnibus esset, Eutychiana eum perfidia commaculatum esse. Atque ob id advertit Liberatus in Breviario, Justinianum simul et Theodoram ab Agapeto pontifice postulasse ut Anthimo communicaret : « Petentibus principibus ut Anthimum papa in salutatione et communione susciperet : illud fieri, inquit, posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse, aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus papæ minas intentante, in hoc papa perstitit, ne ejus audiret petitionem, » etc.

Num. 96, linea 1. — *Justinianus... humiliavit se.* Videns scilicet cleri populique Constantinopolitani fidem, et Agapeti apud eosdem eximiam, ut se catholicæ fidei assertorem ostenderet, pontifici professionem fidei, propria manu signatam, misit, quæ in hanc modum incipit, (*apud Labb.* tom. IV Conc., p. 182) *Prima salus rectæ fidei.* Recepit, approbavitque pontifex, et imperatori rescripsit, laudans et hanc secundam, et priorem decessori suo directam professionem. Hanc tamen ea suscipit conditione : « Non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ patrum nostrorum regulis conveniens, confirmamus, atque roboramus, » etc. Hæc porro pontificis verba diligenter annotanda sunt. Justinianus enim confessionem hanc Constantinopoli editam, in diversas provincias misit, tertio suo consulatu, anno Christi 533, quæ et Græce et Latine exstat cod. de sum. Trinit. 50, 6. Pontifex scilicet ita illam approbat, ut nihil præter recta sentientis confessio reputari velit, non autem, ut professionis regulam proponentis, quod sibi aliquoties vindicasse Justinianum, nove[illegible]eadem eodemque sensu loquitur Facundus [illegible]s in hunc modum aggressus. « Confessionem [illegible]æ fidei, clementissime imperator, magni concilii Chalcedonensis definitionibus consonantem et approbavi semper, et adversus multorum contradictiones asserui, » etc. Pergit deinde ostendere, quemadmodum ejusdem Justiniani professio et utramque Nestorianorum Eutychianorumque hæresim destruat, et Chalcedonensem fidem, collatis sententiis, omni ex parte contineat.

Linea 2. — *Ejecit Anthimum.* Dejectionem hanc his verbis refert Liberatus : « Anthimus vero videns sese depulsum, pallium quod habuit imperatoribus (reddidit) et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc papa principis favore Menam pro eo ordinavit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica S. Mariæ, » etc. Atque hic utriusque simulatio se insigniter prodit; cum Theodora Anthi-

Digitized by Google

mum, tametsi e sede Constantinopolitana, ut Eutychianistam dejectum, tueri nunquam desierit : Justinianus vero, qui nihil consiliorum suorum apud Theodoram celabat, totus a pontificis nutibus pendens videri voluit; imo in Novella 42, exstante tom. IV Conc. Labb., hujusmodi sensa expressit, ubi de Anthimo, pag. 1400 : « Qui quidem dejectus est de sede hujus regiæ urbis a sanctæ et gloriosæ memoriæ Agapeto, sanctissimæ Ecclesiæ antiquæ Romæ pontifice, eo quod nullo modo sibi convenienti, contra omnes sacros canones se intruserit sedi; sed et communi sententia ipsius sanctæ memoriæ viri primum, atque etiam sanctæ synodi hic celebratæ, condemnatus atque depositus fuit, eo quod a rectis dogmatibus recessit, » etc. V. Concilium Constantinopolitanum sub Menna.

Linea 5. — *Episcopum consecravit catholicum, nomine Mennam.* Desumpta ex Theophane hæc videntur, in hunc modum scribente : « Agapetus Constantinopolim hoc anno profectus adversus impium Severum, et Halicarnassi antistitem Julianum, et reliquos alios Theopaschitas, concilium convocavit. Ex his Anthimus Constantinopolitanus episcopus, tanquam eorum sententiæ particeps, cum sedem mensibus decem tenuisset, munere abdicatur, et depulsus est. Mennas vero presbyter et hospitii cui nomen N. præpositus a Romano pontifice Agapeto in ejus locum ordinatur. »

BINII ET LABBEI.

Num. 94, linea 1. — *Agapetus.* Anno Christi 535 ipsa hieme Agapetus archidiaconus apprime eruditus, in locum Joannis papæ subrogatus fuit, ut constat ex epistolis Agapeti ad Justinianum imperatorem, et Reparatum Carthaginensem episcopum hoc anno scriptis.

Linea 2. — *Sedit menses* 11, *dies* 18. Baronius Agapetum plus uno integro anno sedisse probat ex epistolis ad eum scriptis, et ab eodem rescriptis.

Num. 95, linea 1. — *Ambulavit Constantinopolim.* Pontifex legationem suscipiens Constantinopolim proficiscitur; cui cum itineris expensæ deessent, vasa sacra arcario regio oppignerare debuit, quæ eadem opera Cassiodori recepit. In itinere positus, mutum simul et claudum magna adstantium admiratione in partibus Græciæ curavit. (S. Gregor. 3, Dial. cap. 3.)

Num. 96, linea 6. — *Defunctus est Constantinopoli* x *Kalendas Maii.* Anno 536 defunctum esse omnes fatentur, sed cum XII Kalendas Octobris ejus memoria celebretur in Ecclesia, quod hic, de tempore obitus et sedis vacantis refert Anastasius, fide caret. Quam historiam de Agapeto refert Sophron. in Prato spirituali, cap. 150, apud Baron. invenies anno prædicto, num. 66 et seqq

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Satis extensum fuit sectione præcedenti, exordium Aga[illegible] ducendum, electionis quidem ex die 25 aut [illegible]is, ordinationis vero ex die 6 Maii 535. Consensus codicum Bibliothecarii et catalogorum in ejusdem sede stabilienda mensium 11, dierum 18 vel 19, evincit desisse cum ejus vita die ferme anniversario suæ electionis 25 Aprilis 536. Annus signatur consulatu *Belisarii*, et in Occidente etiam dicitur *post consulatum Paulini Junioris.* Ita vero subsignantur complures epistolæ Agapeti, quæ datæ sunt XV Kal. Aug. et V Idus Septembr. *Post consulatum Paulini Junioris* ad eumdem pontificem Justinianus transmittit fidei professionem, non Belisario V.C. consule, sed ut Binius adnotat corrigendam, *Post consulatum Belisarii*; cum data sit XVIII Kal. Aprilis. Veram lectionem epistolæ, et subsignationis hanc esse quam Binius conjecit, ex Vaticano codice ostendit card. Norisius in opusculo *De Uno ex Trinitate passo* : uti observat Pagius in crit ad Baronium ad ann 535, num. 5, et ad ann 536, num 4, A ubi etiam ex Actis concilii Constantinopolitani sub Menna fit manifestum. Hæc eadem Acta demonstrant S. Agapetum obiisse Constantinopoli ante diem 2 Maii, qua celebrabatur; cum in iis dicatur *Agapetus sanctæ memoriæ*, ut monet Pagius a l ann 536, num 5. Supra vidimus illius mortem esse referendam ad diem 15 vel 25 Aprilis : cui omnia documenta concordant.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num 94, linea 2. — *Sedit menses* 11. Dignum tanto pontifice elogium contexit Pagius, quando amplissima illius gesta comparans cum angustia temporis ad regendam Ecclesiam ipsi divinitus assignari scribit in fine num 13 : « Vix alius pontifex inveniri potest, qui adeo brevi tempore Ecclesiæ catholicæ præsidens talia tantaque perfecerit, cujusque æque apud Occidentales atque Orientales sint amplissima conclamata præconia. »

B Gesta per ipsum tam in Occidente ante legationem ab eo susceptam Constantinopolim, quam in Oriente occasione illius itineris, ita sunt enucleata et illustrata per notas Sommier et Pagii, ut nostra non egeant repetitione. Quin etiam ultra ejus vitam visa est prorogari illius regiminis providentia per legatorum auctoritatem : quam ipse suo delectu probatis viris impertiens reddidit in benemerendo de Ecclesia etiam post obitum efficacem. Quantum enim promoverint causam fidei, et catholicæ unitatis in concilio Constantinopoli celebrato sub Menna post Agapeti migrationem e vita, tum ipse sanctus patriarcha Menna, tum pontificii legati, omnes scilicet deligente Agapeto ad illa munera promoti, præstat ex numero 14 Pagii Junioris in Agapeto mutuari.

« Antequam, inquit, Agapetus Constantinopolitanum iter susciperet, illuc præmiserat Sabinum Canusinum, Epiphanium Asculanum, Asterium Salernitanum, Rusticum Fesulanum, et Leonem Nolanum episcopos, quos apostolicæ sedis legatos constituerat. Eos nulla imminuta potestate Constantinopoli reliquit, quando decessit. His, communicato cum Menna Constantinopolitano episcopo consilio, cura potissima fuit, ut quæ ab Agapeto vivente constituta fuissent, iisdem observandis Orientales episcopi suis ipsorum verbis obligarentur. Quare ab ipso Menna, et legatis apostolicis celebratum est Constantinopoli sexto Nonas Maii ejusdem anni 536 concilium, cui interfuerunt quinquaginta episcopi, in quo constitutum est, ut quæ ab Agapeto contra Anthimum et hæreticos Acephalos decreta fuerant, exsecutioni mandarentur. Damnati iterum fuere Anthimus, Severus, Petrus Apameensis et Zoaras. Decretorum Agapeti ac synodi exsecutionem Justinianus imperavit Novella 42 et hæreticos illos in exsilium misit. Data est VIII Idus Augusti post consulatum Belisarii V. C., ut in Actis concilii legitur, cujus quinta et ultima sessio habita est pridie Nonas Julias. Baronius et cum eo alii existimant, concilium illud in monasterio sancti Dii archimandritæ celeberrimi congregatum fuisse; verum illud habitum in Occidentali atrio venerabilis ædis beatæ Mariæ Virginis, ostendit Henricus Valesius in notis ad lib IV Evagrii, cap 3. »

CIACONII.

Num 94, linea [illegible]. — *Eo quod occidisset reginam Amalasintam filiam Theodorici regis.* Erat hæc femina ita Græcis et Latinis litteris imbuta, ut cum quovis docto disputante congredi auderet. Præterea linguas Barbarorum omnium ita callebat, ut sine interprete cum his omnibus loqueretur, qui tunc Romanum invaserant imperium.

PAGII.

Num 94, linea 2. — *Libellos anathematis quos invidiæ dolo*, etc. Diximus in Bonifacio II hunc pontificem anathematizasse Dioscorum antipapam, cujus

Digitized by Google

anathematis meminit Anastasius in ejus Vita, illudque æmulationi et dolo tribuit. Justinianus etiam imperator in edicto adversus tria Capitula, Dioscorum ob causam pecuniariam, id est ob simoniæ crimen, post mortem anathematizatum scribit. Agapetus, ubi pontificatum adeptus est, anathema illud, ceu injustum, sustulit, ut tradit idem Anastasius in ejus Vita. Quam ob causam injusta visa sit Agapeto excommunicatio in Dioscorum antipapam a Bonifacio lata, ex veteribus monumentis minime compertum est.

Num. 95, linea 1. — *Decimo Kal. Maii ingressus Constantinopolim.* Agapetus jam Constantinopolim pervenerat medio mense Martio anni quingentesimi trigesimi sexti ; fidei enim confessio quam Justinianus ei obtulit, dum Constantinopoli esset, signatur in codice Vaticano apud cardinalem Norisium in Dissertatione historica de Uno ex Trinitate carne passo, data XVII *Kal. Aprilium P. C.* id est post consulatum *Belisarii V. C.* ideoque die decima sexta Martii anni 536. Imo jam Constantinopoli erat die decima tertia Martii, ut mox videbitur. Agapetus in itinere constitutus, in quodam Græciæ loco mutum et claudum natum per sanctissimi missæ sacrificii oblationem ambulare et loqui fecit, ut indubitatus est testis S. Gregorius Magnus lib. III, Dialog. cap. 3. Ut plane illud contigerit Agapeto, quod olim primo Romano pontifici, eidemque apostolorum principi Petro, dum rogatus a mendico claudo eleemosynam dare, pro petita pecunia, qua carebat, sanitatem omni pretiosiorem auro contulit.

Anastasius scribit Agapetum a Justiniano imperatore omnia obtinuisse pro quibus missus fuerat, sed redarguitur ex Liberato hujus temporis scriptore, qui loco laudato ait imperatorem minime acquievisse Agapeto pacem Theodato petenti, quod magnam pecuniarum vim in exercitu comparando jam insumpsisset. Quare spe pacis frustratus, Christi legationem cœpit obire. Anthimum Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopum intrusum hæreticum, post Epiphanii patriarchæ obitum, ex Trapezuntino episcopatu ad illam Ecclesiam translatum, agente Theodora imperatrice, Eutychianis partibus addicta, quarum princeps erat Anthimus, in salutationem et communionem suscipere noluit, nisi prius, libello oblato, se orthodoxum probaret, et ad sedem suam Trapezuntinam reverteretur. Nec a sententia dimoveri unquam potuit, quamvis id vehementer ab ipso peteret imperator (cui nondum compertus fuerat Anthimus hæreticus), nec non Theodora Augusta imo et recusanti exsilium minaretur : quando et constantissime Agapetus imperatori respondit : « Ego quidem peccator ad Justinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi : nunc autem Diocletianum inveni : qui tamen minas tuas non pertimesco. » Cum vero post hæc interrogatus ab eo coram imperatore Anthimus, renuisset confiteri duas in Christo naturas, tunc idem imperator, fraude comperta, *humiliavit se*, inquit Anastasius, *sedi apostolicæ, et adoravit beatissimum papam Agapetum.*

Deinde Agapetus Anthimum sacerdotio et Christiana communione privavit, ejusque loco Mennam presb. præpositum xenodochii majoris constituit et consecravit episcopum Constantinop., ut narrat Liberatus in Breviario, cap. laudato 21 : « Petentibus, inquit, principibus ut Anthimum papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat translatitium hominem in illa sede permanere : Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus papæ minas intentante, in hoc papa perstitit ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns sese depulsum, pallium quod habuit imperatoribus reddidit, et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc papa, principis favore, Mennam pro eo ordinavit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica sanctæ Mariæ. » Ea ordinatio peracta est ab Agapeto die 13 mensis Martii ; in Codice enim Vaticano laudato legitur pag. 45 : « Exemplar libelli Mennæ presbyteri ac xenodochi, qui factus est episcopus Constantinopolitanus sub die III Idus Martias, iterum post consulatum Paulini Junioris viri clarissimi. » Ex quo constat verum esse quod superius diximus Agapetum die 13 mensis Martii jam Constantinopolim pervenisse, ideoque in Anastasio, ubi legitur eum pervenisse Constantinopolim *X Kalendas Maii*, legendum esse *X Kalendas Martii*. Porro primatum gloriosius exercere non potuit Romanus pontifex, quam Constantinopolitanum patriarcham hæreticum exauctorando, et in ejus locum alium ordinando, idque nulla convocata synodo.

Antequam Mennas ab Agapeto papa ordinaretur, suæ fidei professionem publice edidit, eique subscripsit, quam olim præscripsisse diximus Hormisdam papam omnibus Orientalibus communionem catholicam expetentibus. Postquam vero ordinatus est, obtulit rursum more majorum, Romano pontifici Agapeto libellum fidei, quo omnes condemnavit hæreses, et catholicam fidem professus est, quod diserte asserit Vigilius papa in epistola ad Justinianum, quæ exstat tom. V Concil., pag. 314. Hisque omnibus peractis, idem Agapetus pontifex, litteris suis circularibus, omnes episcopos Orientales, de cunctis reddidit certiores, quarum quidem exstat exemplar ad Petrum Jerosolymitanum episcopum eodem Conciliorum tomo, pag. 47, ubi etiam inter Mennæ dignitatis prærogativas adnumerat, quod a temporibus Petri apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepisset episcopum Romanæ sedis manibus ordinatum.

Postridie ab ordinatione Mennæ Justinianus imperator epistolam dedit ad Agapetum, cujus initium : *Ante tempus in hac regia urbe*, etc. In ea narrat imperator se edictum contra Acæmetas, Nestorium et Eutychianos publicasse, ejusque tenorem epistolæ a se ad Joannem papam scriptæ inseruisse, *quam*, inquit, *pro integritate fidei memoratus prædecessor vester libenti gratulatione suscipiens, suo ac totius Ecclesiæ Romanæ firmavit assensu*, ubi intelligit decreta a Joanne II papa contra Acæmetas monachos, de quibus in ejus pontificatu locuti sumus. Rogat autem imperator Agapetum, ut decreta a Joanne auctoritate sua confirmaret. Exstat ea epistola tom. IV Concil., pag. 1788. Data autem dici debet pridie Idus Martii, seu die 14 ejusdem mensis. Postea die decima sexta Martii imperator professionem fidei a se signatam ad eumdem pontificem destinavit, quæ incipit his verbis : *Prima salus est rectæ fidei*, etc. exstatque eodem tomo Concil., pag. 1801. Agapetus Justiniani epistolam cum insertis litteris ad Joannem II papam, rescripto ad eumdem principem approbavit. Initium epistolæ Agapeti est : *Gratulamur, venerabilis imperator*, et exstat loco laudato pag. 1789.

Significat Agapetus Justiniano expositionem fidei ab illo per legatos ad Joannem papam decessorem suum missam, et ab eodem pontifice roboratam se quoque laudare et amplecti, addens : « Non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus. » Postea quoslibet eidem professioni fidei, *præsenti definitione* iterum confirmatæ, repugnantes *sanctæ communionis extraneos* declarat. Deinde ait : « Unde et Cyrum ejusque sequaces, jam ante pro hac insania ab Ecclesiæ catholicæ communione suspensos, nisi resipiscant, nullatenus patimur eos sacræ communioni restitui. » Insaniam vocat Acæmetarum obstinatam pervicaciam, qua contra definitionem a Joanne II emanatam negabant Christum unum esse ex Trinitate, qua de re vide dicta in Joanne papa. Tandem inserit epistolam imperatoris ad Joannem II, et concludit : « Et huic fidei quisquis contradicere præsumpserit, a catholica communione se noverit alie-

Digitized by Google

num. Data XV Kal. Aprilis Constantinopoli, post consulatum Belisarii V. C. » Harum epistolarum et professionum fidei chronologiam restituit cardinalis Norisius in laudata dissertatione, ex codice Vaticano, ut legere est in critica Baronii ad annum 535 et seq.

Num. 95, linea 2. — *Et primum cœpit habere altercationem*, etc. Agapetus papa a Theodato Gothorum rege compulsus est Constantinopolim se conferre, ut Justinianum Augustum removeret a consilio recuperandæ Italiæ, cum Africam recepisset. Verum irrita fuit hujusmodi deprecatio apud principem bellici apparatus expensas gravissimas reputantem. Quare unice intendit pontifex ad negotia religionis pertractanda. Theodora Augusta, quæ clanculum favorem præstabat inimicis concilii Chalcedonensis Anthimum Trapezuntinum episcopum in illo numero censitum transferri curaverat ad sedem patriarchalem regiæ urbis. Qui cum perciperet ortam de se suspicionem, quasi rectam fidem non profiteretur, promiserat imperatori « se omnia facere quæcunque summus pontifex magnæ sedis apostolicæ decerneret : et ad sanctissimos patriarchas scripsit, se sequi per omnia apostolicam sedem. » (*Synodi* v *act.* 4.)

His cautionibus fretus Justinianus, Theodoræ etiam conjugis quæ plurimum apud illum poterat suasione permotus, petiit ab Agapeto, « ut Anthimum papa in salutatione et communione susciperet. Ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur (id est Trapezuntinam) : impossibile esse aiebat translatitium hominem in illa sede (Constantinopolitana) permanere. » Liberat. in Brev. cap. 21 : « Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus papæ minas intentante, in hoc papa perstitit ne ejus audiret petitionem. »

Ipsemet imperator, qui putabat Anthimum sentire cum catholicis, exsilium papæ minari cœpit. Sed responso Agapeti sacerdotalis constantiæ pleno permotus, ad explorandam Anthimi fidem, eumdem advocari jussit. Quid actum deinde sit Bibliothecarius exponit. Interrogatus enim a B. Agapeto, num duas in Christo naturas confiteretur, nunquam consensit in hac doctrina catholicæ Ecclesiæ. Intelligens itaque Justinianus detectam a sancto viro Anthimi perfidiam, procidit ad pedes Agapeti veneratione erga ipsum ductus, Deum glorificantibus universis qui aderant, et sanctæ sedis majestatem recognoscens. Ad hæc, Romanus pontifex, quem Zonaras ait (*in Annal. Justiniani*) visum fuisse a Deo missum Constantinopolim ad confundendam perfidiam Anthimi ejusque gregalium, non secus ac Petrum miserat Romam ad subvertendas præstigias Simonis magi, instructo contra Anthimum judicio, eumdem accusantibus nonnullis e sacerdotibus primariis, et archimandritis monasteriorum, nequidquam vero adhibente protectionis suæ præsidium Theodora Augusta, reus peractus, declaratus fuit intrusus malis artibus in Constantinopolitanam sedem, et ab episcopatu depositus per sententiam Agapeti.

Quis igitur dubitare poterit post hæc gesta de Romani pontificis auctoritate et potestate super Ecclesias universas, tam in episcopalibus causis quam in cæteris, quas majores appellant : cum citra convocationem concilii Agapetus papa deposuerit ex primaria sede Orientalium patriarcham regiæ urbis, ejusque in locum provexerit eum qui legitime præsentabatur?

Fuit hic Mennas, de cujus ordinatione Agapetus encyclicam epistolam misit ad episcopos Orientales, paterna charitate eosdem corripiens, quod inconsulta sede apostolica consensissent intrusioni Anthimi. Laudibus deinde prosequitur Mennam, cujus dignitati accessisse id observat, quod ab ætate apostoli Petri nemini episcoporum Orientalium contigerat, ut scilicet manibus successoris ejusdem principis apostolorum episcopus ordinaretur.

« Et forsitan, inquit, vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta pervenit, ut illis ipsis similis esse videatur, quos in his quandoque partibus apostolorum Principis electio ordinavit. » (*Epist.* 8 *Agapeti papæ apud syn. sub Menna, act.* 1 *in fine.*)

Episcopi, et archimandritæ catholici, qui regia in urbe tunc aderant, libellos supplices Agapeto porrexerunt hisce titulis inscriptos. « Domino nostro sanctissimo, ac beatissimo Patri Patrum, archiepiscopo Romanorum, et patriarchæ Agapeto ab episcopis Orientalis diœcesis, etc., domino nostro sanctissimo et beatissimo archiepiscopo antiquæ Romæ, et œcumenico patriarchæ Agapeto, Marianus, et cæteri archimandritæ, » etc. (Ibidem.)

His instantibus S. Agapetus damnavit Severum pseudopatriarcham Antiochenum, Petrum Apamensem, et Zonaram monachum Syrum, hæreticos Acephalos, quos imperator Justinianus post obitum Agapeti in exsilium expulit, per novellam 42 præcipiens, ut decreta pontificis exsecutioni demandarentur.

Lex ista Cæsarea data est post synodum sub Menna celebratam, quæ actione quarta ita declarat : « Nos implentes ea quæ a sanctissimo papa in epistola synodali acta fuere, etc., sequentes ea quæ a beatissimo papa bene examinata sunt, conspicimus ipsum (Anthimum) esse alienum ab omni sacra dignitate, et efficacia : et juxta ipsius sanctissimi papæ sententiam a catholica appellatione. »

Quod attinet ad Severum, aliosque sectarios, quorum de condemnatione petebatur exsecutio sententiæ jam ab Agapeto prolatæ, Mennas patriarcha respondit : « Nos, sicut vestra charitas, apostolicam sedem sequimur, et obedimus, et ipsius communicatores habemus, et condemnatos ab ipsa et nos condemnamus. » (Ibid.)

Sententia, quam Patres pronuntiant, de Severo, ejusque consortibus ita loquitur : « Contempserunt quidem Ecclesiam Romanam, successorem apostolorum, quæ sententiam contra ipsos tulit... Propterea igitur sequentes SS. Patrum nostrorum sententias contra Severum, Petrum, et Zonaram, et alios quicunque communicant ipsis in impietate, ac contra complices eorum... Illos tanquam lupos irruentes in ovile Christi abjicimus, et simili anathemate ferimus. » (Ibid., act. 5.)

ALTASERRA.

Num. 96, linea 7. — *Cujus corpus in loculo plumbeo translatum est, usque in basilicam beati Petri apostoli.* Corpora majorum solebant condi in loculis plumbeis. Anast. in Joann. III de Narsete : *Cujus corpus positum est in locello plumbeo.* Idem Paul. Varnefr. de Gest. Longobard. lib. II, cap. 11. Veteribus loculus pro feretro, in quo condebantur corpora mortuorum, quæ non cremabantur. Plin. lib. VII, cap. 2, de pollice Pyrrhi regis : *Hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo.*

Digitized by Google

LX. SANCTUS SILVERIUS.

ANNO CHRISTI 536 JUSTINIANI 10, THEODATI 3.

97 Silverius, natione Campanus, ex patre Hormisda, episcopo Romano, sedit annum unum [a], menses quinque, dies undecim. Hic levatus est a tyranno Theodato sine deliberatione decreti : qui Theodatus corruptus pecunia [b] data talem timorem induxit clero, ut qui non consentiret in ejus ordinationem, gladio puniretur. Qui quidem sacerdotes [c] non subscripserunt in eum secundum morem antiquum, vel [d] decretum confirmaverunt ante ordinationem. Jam autem ordinato sub vi et metu Silverio, propter adunationem Ecclesiæ et religionis, post modum sic subscripserunt presbyteri. Post menses duos nutu divino exstinguitur Theodatus tyrannus, et levatur rex Guitigis [e]. Eodem tempore Guitigis ambulavit Ravennam, et cum vi tulit filiam Amalasinthæ [f] reginæ sibi uxorem. Hoc [g] indignatus domnus imperator Justinianus Augustus, quia reginam sibi commendatam occidisset Theodatus, misit Vilisarium [h] patricium cum exercitu, ut liberaret omnem Italiam a captivitate Gothorum. Tunc veniens patricius suprascriptus in partes Siciliæ, fuit ibidem aliquantum temporis. Audiens autem quod Gothi sibi fecissent regem contra votum domni Justiniani Augusti, venit in partes Campaniæ juxta civitatem Neapolim, et obsedit eam cum exercitu suo, quia noluerunt ei cives Neapolitani aperire [i]. Eodem tempore pugnando patricius contra civitatem introivit, et ductus furore interfecit Gothos, et omnes cives Neapolitanos, et misit prædam, et nec ecclesiis pepercit prædando. Ita ut uxoribus præsentibus maritos earum gladio interficerent [j] et captivos filios, et uxores nobilium exterminarent [k]; nullis parcens, nec sacerdotibus, nec servis Dei, nec virginibus sanctimonialibus.

98 Eodem tempore bellum fuit maximum, veniente Guitige contra Vilisarium [l] patricium, et contra urbem Romam. Ingressus autem Belisarius in Urbem IV Idus Decembris, custodiis, et munitionibus, vel fabricis murorum, et reparatione fossati circumdedit civitatem Romanam, et munivit; noctu [m] ipsa qua introivit Vilisarius patricius, Gothi, qui erant in civitate, vel foris muros, fugerunt, et omnes portas apertas dimiserunt, et fugerunt Ravennam. Et post hoc colligens Guitiges [n] rex multitudinem exercitus Gothorum, regressus est contra Romam IX Kalendas Martii, et fixit castra ad pontem Milvium, et cœperunt obsidere civitatem Romanam. Tunc patricius Vilisarius, qui pro nomine Romano erat, inclusit se Romæ intra civitatem, et custodivit civitatem.

99 His diebus obsessa est civitas, ut nulli esset facultas exeundi, vel introeundi. Tunc omnes possessiones privatæ vel fisci, vel Ecclesiæ, incendio consumptæ sunt, homines vero gladio interempti sunt. Quos gladius, gladius; quos fames, fames; quos morbus, morbus interficiebat. Nam ecclesiæ et corpora sanctorum martyrum exterminatæ sunt a Gothis. Intra civitatem autem grandis fames erat, ita ut aqua venundaretur pretio, nisi nympharum remedium subvenisset. Pugnæ autem maximæ erant contra civitatem. His diebus Vilisarius patricius pugnando contra regem Guitigem, vel multitudinem Gothorum, protexit Romanos, vel civitatem custodia sua liberavit, et nomen Romanum. Tunc obsessa est civitas annum unum, et portus Romanus a Gothis. Patricius ve-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, annos tres. [b] pecuniæ dato. *Baron negat pecun. datam.* [c] *C*, sacerdotes quidam. [d] *C*, neque. *Vide Baron. ad ann. Domini* 536. [e] Vbigites. *B C* Vitigis. [f] *C*, Amalasunthæ. [g] *C*, ob hoc. [h] Belisarium. [i] *Vide Baron ad ann* 537. [j] interficeret. [k] exterminaret. [l] Belisarium, *hic et infra.* [m] *C*, nocte. [n] Witiges.

Digitized by Google

nerabilis Vilisarius pugnando vicit Gothos, et postmodum fugerunt Gothi Ravennam post annum unum.

100 Eodem tempore tanta fames fuit per universum mundum, ut Dacius episcopus civitatis Mediolanensis relatione sua hoc evidenter narraverit, quod in partibus Liguriæ mulieres filios suos comedissent penuria famis, quas retulit ex Ecclesiæ suæ fuisse familia [a]. Eodem tempore ambulavit Vilisarius patricius Neapolim, et ordinavit eam. Et postmodum venit Romam; qui susceptus est a domno Silverio benigne, et abiit [b] Vilisarius patricius in palatium Pincianum [c], Id. Maii [d], indict. XV. Tunc erat Vigilius diac. apocrisiarius Constantinopoli. Dolens autem Augusta pro Anthimo patriarcha, quod depositus fuisset a sanctissimo Agapito papa, qui eum hæreticum reperisset, et in locum ejus constituisset Mennam servum Dei [e]: tunc Augusta, concilio usa cum Vigilio diacono, misit epistolas suas Romam Silverio papæ, rogans et obsecrans: Ne] pigriteris ad nos venire, aut certe revoca Anthimum in locum suum. Qui dum legisset beatissimus Silverius litteras, ingemuit, et dixit: Modo scio quia hæc causa finem vitæ meæ adduxit [f]. Sed beatissimus Silverius fiduciam habens in Deo et beato Petro apostolo, rescripsit Augustæ: Domina Augusta, ego rem istam facturus nunquam ero, ut revocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit jussiones ad Vilisarium patricium per Vigilium diacon. ita continentes: Vide aliquas occasiones in Silverium papam, et depone illum ab episcopatu, aut certe festinus transmitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium archidiaconum, et apocrisiarium nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthimum patriarcham. Et tunc suscepit jussionem Vilisarius patricius, dicens: Ego quidem jussionem facio, sed ille, qui interest in nece [g] Silverii papæ, ipse rationem reddet de factis suis Domino nostro Jesu Christo. Et urgente jussione exierunt quidam falsi testes, qui et dixerunt: Quia nos multis vicibus [h] invenimus Silverium papam scripta mittentem ad regem Gothorum: Veni ad portam, quæ appellatur Asinaria, juxta Lateranas, et civitatem tibi trado, et Vilisarium patricium. Quod audiens Vilisarius non credebat. Sciebat enim quod per invidiam hæc de eo dicebantur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, pertimuit.

101 Tunc fecit beatum Silverium papam venire ad se in palatium Pincis [i]. Et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum. Quo ingresso Silverius cum Vigilio soli in Mausole. Antonina patricia jacebat in lecto, et Vilisarius [j] sedebat ad pedes ejus. Et dum eum vidisset Antonina patricia, dixit ad eum: Dic, domine Silveri papa, quid fecimus tibi et Romanis, ut tu velis nos in manus Gothorum tradere? Adhuc eo loquente ingressus Joannes subdiaconus regionarius primæ regionis, tulit pallium de collo ejus, et duxit in cubiculum. Et exspolians eum, induit eum veste monachica [k], et abscondit eum. Tunc Sixtus subdiaconus regionarius regionis sextæ, videns eum jam monachum, egressus foras, nuntiavit ad clerum, dicens: Quia domnus papa depositus est, et factus est monachus. Qui etiam audientes fugerunt omnes, quem suscepit Vigilius archidiaconus in sua quasi fide, et misit eum in exsilium in Pontias [l]. Et sustentavit eum pane tribulationis et aqua angustiæ [m]. Qui deficiens, mortuus est, et confessor factus est. Qui et sepultus est in eodem loco XII Kalendas Julii. Ibique occurrit multitudo male habentium, et salvantur. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, presbyteros * 14, episcopos per diversa loca num. 19, et cessavit episcopatus dies * quinque.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * et de quadam ex familia Ecclesiæ suæ hoc retulit. [b] * habitavit. [c] * in palatio Pinciano. [d] * VI Id. Maii. [e] *Vide Baron. ad ann.* 538. [f] *C*, adducit. [g] *B*, intercedit in necem. [h] * sæpius. [i] *B*, in Pincis vel Pincii. [j] * Belsarius patricius. [k] * monastica. [l] *C*, ad Pontianas. [m] *Vide Baron. ad ann.* 538.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES

Num. 99, *linea* 2, pribatas vel fisci, vel Ecclesiæ. *in.* 3. Quos gladius gladius, et quos famis famis, etc., *lin.* 4. Nam ecclesias. *lin.* 6, Nisi nympharum remedio. *lin.* 7. His diebus Bilisarius patricius repugnando contra regem Guttigem. *lin.* 9. Liverabit, et nomen Romanum. *lin.* 10. Eq portus Romanus a Gotthis. Patricius vero Bilisarius vicit Gotthos : et postmodum fugaverunt Gotthi Rabennam post annum 1.

Num. 100, *lin.* 1, Tanta famis fuit, etc., ut Datius episc. civitatis Mediolani. Relatio ipsius hoc evidenter narrabit, eo quod in partes Lyguriæ mulieres filios suos comedissent penuriæ famis. De quas retulit Ecclesiæ suæ fuisse familia. Eodem tempore ambulabit Bilisarius patricius Neapolim ordinabit eam et postmodum venit Romam. Qui susceptus est a domino Silverio venigne, et abiit Vilisarius patricius in palatio Pinciano sexta die mens. Maio ind. xv. Tunc erat Vigilius diaconus apocrisiarius Constantinopolim. Dolens autem aug. *lin.* 9, Quod hereticum eum reperisset. *lin.* 10, Cum Vigilium diaconum, *lin.* 12. Anthimum patriarcham, *lin.* 13. Quia hanc causam finem vitæ meæ adduxit.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 97, *lin* 1, *A*, sedit mens. 9. *lin* 5, *B*, neque decretum. *lin* 8, post menses vero. *lin* 9, *A*, Wittigis. *lin* 17, *A*, Neapolitanos interfecit, prædamque misit, nec in ecclesiis; *B*, Neapolitanos, et fecit tantam prædam, ut nec in ecclesiis parceret. *lin* 18, *B*, ita ut uxores præsentibus maritis earum. *lin* 20 *B*, non virginibus nec sanctimonialibus.

Num 98, *lin* 1, *A*, eodem tempore veniens Wittigis contra Vilisarium, et contra urbem Romam, *B*, bellum fecit maximum Witigi. *lin* 4, *B*, nocte iosa introivit. *lin* 5, Gothi vero.

Num 99, *lin* 2, *B*, incendio foris consumptæ. *lin* 8, *B*, repugnando.

Num 100, *lin* 7, *B*, v idus Maii. *lin* 12 *B*, quas duni delegisset.

Num 101, *lin* 3, *A*, cum Vigilio sola in mausoleo Antonina ; *B*, cum Vigilio solo in mausoleum. *lin* 16, *AB*, numero 18.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 97, *lin* 2, dies 12. *lin* 3, pecunia talem timorem indixerat clero, ut qui non consentiret ejus electioni glad. pun. Equidem sacerdotes non subscripserunt in eum sec. ant. morem. *lin* 6, ordinationem. Postmodum vero jam ordinato et cum vi et metu (*M*, omni vi et m.) propter adunationem tamen Ecclesiæ, et cleri religiosi subscripserunt presbyteri. Post menses vero duos. *lin* 8, Vitiges R. (*M*, Witiges). Eo tempore Vit. R. amb. R. et cum vi t. f. Amalasindæ reg. s. n. propter hoc in imper. Justin., et quia r. s. c. occiderat Th. m. B (*M*, Vilis). *lin* 12, Goth. veniens vero patricius fuit in parte Siciliæ aliquantum temporis A. autem eo quod G. fec. sibi R. c. v. I. A. *lin* 15, quia nol. c. N. aper. ei. eo tempore. *lin* 17, int. et Goth. et o. c. n. ita ut uxores præsentibus maritis earum interfici juberet gladio : et captivos filios, et filias eorum exterminaret, nulli parcens nec sacerd. nec virginibus sanctimonialibus, nec servis Dei. Invasit quoque prædam omnem, ita ut nec ecclesiis parceret in prædando.

Num 98, *lin* 1, veniente autem Belisario patricio Romam, bellum magnum fecit Vitiges contra eum, et contra urbem Romam. Ingressus autem Belisarius Romam Idus Decemb. custodibus, et m. et fab aut r. f. *lin* 4, munivit. Nocte vero ipsa. *lin* 5, Belis. urbem, Gothi, qui erant intus, vel foris muros, omn. *lin* 6, et Ravenn. fugerunt. Postea colligens Vitiges R. *lin* 7, regressus contra R. x Kal. Mart. fixit castra. *lin* 9, civitatem. Tunc Belis. patr. *lin* 10, erat, clausit se intra civitatem, et custodivit eam.

Num 99, *lin* 4, nam et eccl. et corpora martyrum A sanctorum exterminata sunt a Goth. *lin* 6, n. remediis sub. Pugnæ quoque erant quotidie contra civitatem his diebus. Sed Belisarius patric. repugnando contra reg vit *lin* 9, et civit. c. sua lib et pugnando vicit Gothos, ut postmodum fugarent Romani Gothos in Ravennam.

Num 99, *anteced lin* 1, Per annum vero unum obsessa est civitas a Gothis, et portus Romanus, ita ut exeundi et intrandi non esset cuiquam facultas concessa. Tunc omnes posses privatæ fisci vel Ecclesiæ inc.

Num 100, *lin* 1, post annum unum eod temp t. f. f. per un. orbem, ut Clar episc (*M.*, Darius) Mediol. *lin* 2, quod in partes L. *lin* 3 famis, et de quadam ex famil Eccl suæ hoc retulit Eod temp. *lin* 4 Belis Neapolim, et ordin eam; postmodum revenit Romam, et susceptus est a D. papa Silverio. b. et habitavit in palatio Pincis v Id. Maii, indict xv. Tunc Vigilius d. apocrisarius erat in Constantinopolim. Dolens autem erat B A. *lin* 8, a sancto A. P. eo quod hæret eum reperuisset. *lin* 10 Tunc Augusta, usa consilio Vigilii diaconi, misit epistolas Romam Silverio papæ, rogans ne pigritaretur ad eam venire, aut certe revocare Anthimum in locum suum. Quas litteras cum legisset Silverius papa, ingenuit, et dixit. *lin* 14 *add*, sed fiduciam habens in Deum, et B. Petrum apostolum resc A. sic domina Aug rem istam n. f. e. *lin* 17, jussionem ad B. patr p. V. d. dicens : Vide aliquam occasionem in Silv P per quam deponas illum de episcopatu, aut certe transmittas eum ad nos. Ecce ibi habes archidiaconum et apoc Vigilium nostrum car. *lin* 21, patriarcham. Tunc suscepta jussione B. pat dixit : Ego q. ejus juss facio. Sed et ille cui int (M, sed et ille, qui interest) ut Pilatus dixit : Neci ejus Silverii papæ : ipse reddat rationem de factis suis D. N. J. C. Sed urgente jussione astiterunt quidam falsi testes, et dixerunt : Quia nos sæpius inv. *lin* 26, juxta Lateranis. *lin* 27 et 28, quod aud Belis patricius non cr. *lin* 28, sed cum m.

C *Num* 101, *lin* 1, tunc fecit eum venire ad se pal Pincis, et a primo et secundo velo r. o. cl. Cumque ingressus fuisset Silverius cum Vigilio solus in mausoleo, ubi Antonina patricia jacebat (*M*, in mauseolo) in lecto, et Besilarius patricius sed ad p. e. Antonina dixit ad eum. *lin* 6, in manibus Goth adhuc ea loquente, ingr est I. *lin* 7, et tulit p de c. e. et duxit eum, in c. seorsum expol eum, et induit eum. v. m. et abscondit. *lin* 9, monachum factum. *lin* 11, quod audientes, f, o. Vigilius autem diaconus et apocrisarius promiserat Augustæ Anthemium revocare, si sederet in sede Petri apostoli (*M*, in S. Sancti P. A) et quia Silverius papa noluit hoc facere, accusatus est et ejectus ab episcopatu, missusque in exilium in Pontias, quem suscepit Vigilius archidiaconus in sua quasi fide, et sust eum p. t. *lin* 13 et 14, et conf. f. et sepultus est. *lin* 15, et sanati sunt. Hic fecit ordinat 1 in urbe R. per mens Decemb, presbyt 14, diaconos 5, episcop per diversa loca 18, D et cessavit episcop dies 6.

Ex codice Thuano altero.

Num 97, *lin* 1, episcopus Romanus, sedit ann. I, mens. 10, d. 11. *lin* 8, Witingis. Eod. temp. amb. Wittigis a. *lin* 14, eo quod Goth. *lin* 15, cœpit obsidere eam. *lin* 18, ut nec ecclesiis parceretur prædando, *lin* 19, interficeret, *et mox* exterminaret.

Num 98, *lin* 10, inclusit Roma civitate. His d.

Num 99, *lin* 6, erat, ut a. v. p. nisi n. rechelus sub. *lin* 8, repugnando c. r. Witigem. *lin* 10, patricius Bilis.

Num 100, *lin* 3, famis, de quibus retulit Ecclesiæ suæ fuisse extam. *lin* 6, in palatio Pontiano v Id. *lin* 8, Anthemo. *lin* 9, quod hæret rep. *lin* 11, ne pigeas. *lin* 12, qui cum I. beatus. *lin* 22, et dixit : Ego.

Num 101, *lin* 2, quo ingressus Sil c. V. S. in

Digitized by Google

mausoleo Aug. *lin* 3 et 4, et Bilis patricius s. *lin* 5, domne. *lin* 6, nos in Goth potestatem t. Adhuc ea l. *lin* 8, veste monastica. *lin* 11, qui aud.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 97, *lin* 2, tiranno. *lin* 6, jam ordinato sub vim, et metum, propter. *lin* 7, postmodum jam ordinato Silverio sic subscrips. p. *lin* 18, et nec in ecclesiis, *lin* 20, nullis parcentibus.

Num 98, *lin* 1, veniens Guitigis. *lin* 2, Romam iii Idus Decemb. *lin* 8, pontem Molvie. *lin* 10, Roma.

Num 99, *lin* 1, esseundi. *lin* 3, gladius gl. et quos famis famis. *lin* 4 *et* 5, corpora martirum sanctorum, *lin* 5, 6, fames, ita ut a. v. p. n. nimpharum, *lin* 8, repugnando. *lin* 11 *et* 12, Ravenna.

Num 100, *lin* 1, Datius. *lin* 2, Mediolane relatione sua evid narravit q. in partes. *lin* 3, ret Ecclesiæ suæ f. ex familia. *lin* 16, dampnatum. *lin* 23, ipse reddat rationem. *lin* 25 nos vicibus. *lin* 27, Vilisarius patricius.

Num 101, *lin* 3, mausolco, *lin* 3 et 4, Vilisarius patricius.

NOTÆ VARIORUM

A. SCHELESTRATE.

Licet notæ Schelestratii ad catalogos et Vitas Romanorum pontificum a bibliothecariis collectas desinant in Felice quarto, post dissert. tertiam pag. 496, *attamen in serie chronologica ab eodem suis notis præmissa, in fine dissertationis secundæ, brevissimas addit, vel suas, vel Holstenii post Felicem quartum, demortuum anno* 530 *usque ad annum* 8 *Joannis tertii ineuntem, æræ Christianæ* 566, *quarum selectiones adjungimus primo numero uniuscujusque pontificis. Et cum variantes lectiones codicum Bibliothecarii præstantiorum ipse non ediderit ultra Felicem quartum, nos curabimus ut illæ saltem hic inserantur quæ ex codice Farnesiano (quem cæteris antiquitate præstare judicat cum Holstenio) per nos cum editione Velseri collato annis* 1720, 1726, *diligenter desumptæ fuerunt Colorni. Quia vero codex Farnesianus, uti alibi indicatum fuit, caret initio, ita ut quidquid ante Silverium papam scriptum fuerat desideretur, imo et initium Vitæ Silverii fuerit deperditum, reddemus ex num. nonagesimo nono, ex quo superstes est variantes lectiones, non omissis etiam illis quæ tantummodo vitiosa orthographia differunt. Nam licet ad historiæ documentum varietas illa non pertineat, attamen valet ad codicis vetustatem comprobandam æqualem ætati Anastasii, Gothorum et Longobardorum barbariem nondum oblitæ in pronuntiatione et scriptura vocum Romanorum. Opportune autem cadet ut tantæ antiquitatis codex suppleat monimenta catalogorum vetustiorum ibi circiter desinentium, ubi Farnesiani codicis superstes portio ducit exordium.*

Scribit *Schelestratius in fine suæ seriei chronologicæ, pag.* 326, *hunc observationem ad annum Christi* 566, *post cons. Basilii XXV.*

« Hic desinunt Fasti consulares. Quamvis enim Marius episcopus Aventicensis in appendice ad Chronicon Eusebii Fastos consulares usque ad secundum Tiberii annum, qui cum anno vulgari 386 concurrit, producat, et tabulæ Græcæ, quas Vossius Heraclio ascribit, usque ad annum 630 Fastos consulares prosequantur, speciales tamen consules non assignant. Unde, iis omissis Fastis, finem impono cum anno quo Justinianus obiit, quo etiam plures Catalogi summorum pontificum finem accipiunt. »

In supplementum igitur Catalogorum complurium hic desinentium succedent lectiones codicis tantorum judicio habiti omnium antiquissimi ex pluribus Bibliothecarii exemplis a se inspectis in celeberrimis bibliothecis Italiæ et extra Italiam.

BENCINI.

Num. 97, linea 1. — *Silverius*, etc. Quæ hic narrantur exscripta videntur ex Paulo Diacono, ut cit. locum conferenti planum erit. Quemadmodum vero erratum sit a vulgato Anastasii codice, dies tantum 24 inter Agapeti mortem, et Silverii ordinationem ponente; quod spatium ne suffecisse quidem videtur, ut Constantinopoli mortis nuntius Romam mitteretur : id qua ratione emendandum sit docet Papebrochius in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum pontificum in Silverio pag. 79, et dissert. 13 de ordinat. et abdicat. S. Silverii, atque Vigilii subrogat.

Linea 9. — *Guitigis ambulavit Ravennam*, etc. Hæc et quæ deinceps sequuntur, eadem fere ad verbum leguntur apud Paulum diaconum, ibid. pag. 676. Instituta utriusque collatio præclare ostendit, unde facta hisce pontificum gestis additamenta desumpta sint. Jornandes rem eamdem ita prodidit ibid. pag. 177 : « Ante paucos dies rex Witiges egressus, Ravennam profectus, Mathesuntham filiam Amalesunthæ, Theodorici quondam regis neptem, sibi in matrimonium sociarat. »

Linea 11. — *Quia reginam sibi commendatam*, etc. Causas aucupabat Justinianus, ut Italiam armis a bello abs Gothorum tyrannide vindicaret. Witiges, Justiniano inconsulto, uxorem Amalasuntham, Theodorici, neptem acceperat, quatenus hoc vinculo regnum sibi inter Gothos firmaret. Hinc imperator matrimonium illud, quia se, cui avus regnum et filiam commendaverat, inconsulto, celebratum sit, irritum declaravit, armisque Witigem coegit reginam regnumque relinquere. Siquidem, *per vim secum auferens Mathesuntam* (scribit Paulus Diaconus) Witige capto, *patricioque effecto, administrationem illi juxta Persarum terminos tribuit : ibique Witigis degens vitam finivit*, etc. De novis autem ejusdem nuptiis hæc Jornandes ibid. pag. 179 : « Mathesuntam jugalem ejus fratri suo Germano patricio conjunxit imperator. De quibus Posthumus patris Germanus natus est filius, item Germanus. In quo conjuncta Anitiorum gens cum Amala stirpe, spem adhuc utriusque generis Domino præstante promittit, » etc. Unde fortissimum regnum, dinque regnans Gothorum gens, tandem anno, ut scribit ibid. Jornandes, millesimo et trecentesimo a Justiniano imperatore per Belisarium devicta est et deleta.

BINII ET LABBEI.

Num. 97, linea 1. — *Silverius*, etc. Cum in fine anni Christi 536 Romani Agapetum papam mortuum esse cognovissent, Theodatus rex per vim et metum, ut ait Anastasius, intrusit Silverium Campanum. Hunc Romanus clerus a se antea improbatum paulo post recepit et approbavit, ut schisma evitaretur. Quo die et mense creatus fuerit non satis constanter affirmari potest.

Linea eadem. — *Ex patre Hormisda*, etc. Liberatus episcopus in Breviar., cap. 22, Silverium Hormisdæ papæ filium asserit : haud dubie tamen legitime ex præcedenti legitimo matrimonio natum; alioquin ad tantam dignitatem plane inhabilis fuisset.

Linea 3. — *Qui Theodatus corruptus pecunia data*, etc. Quod Anastasius hic scribit de simoniaco ingressu Silverii falsum esse colligitur : tum quod Liberatus, qui his temporibus vivebat, adeoque majore fide dignus, Silverii creationem enarrans loco supracitato, ne verbo hujus rei meminit; tum maxime, quod Silverius sedis suæ invasori Vigilio in libello sententiæ, quem de ipsius damnatione conscripsit, crimen simoniæ potenter objiciat; quod sane non ita libere egisset, si ejusdem criminis ipse reus exstitisset.

Linea 8. — *Exstinguitur Theodatus tyrannus*, etc. Theodatus ex Urbe profugus, dum Ravennam versus abiret, prævenius a militibus quos Vitiges Gothorum

Digitized by Google

dux miserat, occisus est, cum regnasset annos tres, ut testatur Procopius.

Linea 13. — *Audiens quod Gothi sibi fecissent regem*, etc. Errat Anastasius. Nam post Neapolim occupatam Gothi a Theodato desciverunt, et Vitigem elegerunt, ut ex Procopio constat.

Num. 98, Linea 2. — *Ingressus autem Belisarius in Urbem* IV *Idus Decembris*. Hac de re Evagrius lib. IV, cap. 18, hæc scribit: « Civitas Belisario sine pugna tradita est, et Roma denuo Romanis subjicitur post annos sexaginta, quibus ab Erulis et Gothis occupata fuisset, non a die Apellei, hoc est ad quintum Idus Decembris, undecimo anno imperii Justiniani : » qui est annus Christi 537, post devictum ab Odoacre Erulorum rege Augustulum sexagesimus.

Linea 7. — *Guitiges rex ingressus est contra Romam*, etc. Qua obsidione hoc mirandum est primo, quod integro anno obsidionis nunquam illo loco Urbem expugnare conati fuerint, ubi murus ab alto B divisus est, et quasi jam casurus deorsum inclinabatur. Secundo magis mirandum est, quod hostes Romanæ Ecclesiæ Ariani nihil contumeliæ aut damni intulerint ipsis apostolorum basilicis extra Urbem positis; sinentes illic catholico ritu, teste Procopio, libere sacra peragi : aliter sane quam recentes hæretici nostri temporis, a quibus nihil prius cogitatum est unquam, quam ut sacra monumenta sanctorum, Deo dicata, incendiis, et rapinis devastent, et emoliantur.

Num. 100, Linea 10. — *Tunc Augusta consilio usa.* Hanc eamdem historiam Procopius de Bello Gothico lib. I et Liberatus in Breviar. cap. 22 recensent. Ea, quæ ab Anastasio et Procopio prætermissa sunt, videre poteris apud Liberatum allegato loco.

Linea 20. — *Qui nobis pollicitus est revocare Anthimum.* Adde promissionem duorum auri centenariorum, si, remoto Silverio, se Vigilium ordinari curaret.

Num 101, Linea 12. *Misit eum in exsilium*, etc. Quod C hæretica femina petierat, ambitiosus diaconus procurarat, Belisarius, Pilato deterior, impie admodum consummavit; meritoque e summa gloria ad summam miseriam et paupertatem dejici meruit.

Linea ead. *Et sustentavit eum pane tribulationis*, etc. Liberatus inquit Silverium duobus Vigilii defensoribus et servis traditum, sub eorum custodia inedia defecisse. Hanc ob causam, pestis, fames, et bella exorta fuerunt, de quibus Baronius anno 539.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Silverium sedisse annum 1, menses 5, dies 11, cum in exsilium pelleretur cum præstantioribus Anastasii codicibus potiores Catalogi definiunt. Et quidem in exsilium pulsus est, dum a Vitige Roma obsideretur. Obsidere autem cœpit Urbem Vitiges circa æquinoctium vernum, labente indictione XV, ut D Procopius scribit : et per annum solidum et dies 9 irrito conatu perstitit in obsidione Urbis. Ut vi. Conficta contra Silverium calumnia, ut Theodoræ Augustæ odio in eumdem fieret satis, relegatur pontifex a Belisario, quasi Gothorum auxiliator esset, in insulas Pontias, substituto in ejus locum Vigilio, intruso, et simonia eo pseudopontifice, ex præpotentia Theodoræ Augustæ, et ordinato die 22 Novembris 537. Triduo ante ordinationem Vigilii pulsus est Urbe Silverius; cum ex die Dominica VIII Junii 536, Romæ sedisset annum 1, menses 5, dies 11, quot enumerantur ad 19 Novembris 535. Superstes beatus pontifex in suo exsilio usque ad mensem Junium 538, quo martyrium complevit (ex Bibliothecario sect. 101), depositus est 20 Junii, qua colitur. Verus pontifex cum hactenus fuisset Silverius, et Vigilius invasor; a morte attamen Silverii consensus cleri cum accessisset ad promovendum in ejus locum Vigilium, eumdem ex invasore reddidit legitimum successorem.

NOTÆ HISTORICÆ

In fine vitæ Felicis quarti, et consulatu Lampadii et Orestis, æræ Christi communis 530, deserebamur a secundo catalogo Romanorum pontif. sub Justiniano, cujus duplex exemplum Schelestratius nobis ostendit, nempe unum reginæ Christinæ Suecie, nunc Alexandrino Vaticanum, alterum vero Colbertinum. Quare in illo finem editionis suæ fecit Schelestratius, addens tantummodo in calce editionis, reperiri tam in Colbertino, quam in Alexandrino-Vaticano sequentium pontificum nomina, et epochas usque ad Pelagium secundum ita digestas.

57 Bonifacius sedit annos 2, dies 25 [*Colb.*, 26].
58 Joannes sedit ann. 2, mens. 3, dies 25 [*Colb.*, m. 4, d. 26].
59 Felix sedit annos 4, mens. 2, dies 12.
60 Bonifacius sedit annos 2, dies 26.
61 Joannes sedit annos 2, mens. 3, dies 5 [*Colb.*, dies 6].
62 Agapetus sedit menses 11, dies 17 [*Colb.*, d. 18].
63 Silverius sedit ann. 1, mens. 5, dies 11.
64 Vigilius sedit ann. 16 [*Colb.*, an. 17], mens. 6, dies 23.
65 Pelagius sedit ann. 4. mens. 10. dies 18.
66 Joannes sedit an. 12, mens. 11 [*Colb.*, m. 10], dies 26.
67 Benedictus sedit annos 4 [*Colb.*, *add.*, m. d. 28].
68 Pelagius sedit an. 10, mens. 2, dies 10.

Cum in hoc Pelagio II, cui succedit S. Gregorius Magnus, desiturus sit tomus hic tertius nostræ editionis (*a*), damus ex appendice illius secundi catalogi chronologiæ pontificiæ consecutionem tali testimonio confirmatam.

Quod autem attinet ad consecutionem historiæ ex catalogo secundo, quæ ibi desinit in Felice quarto, et C consulibus Lampadio et Oreste, Christi 530, in locum catalogi substituemus lectionem vetustissimi codicis Anastasiani, quam esse Farnesiani illius, cujus scripturæ specimen dedimus in prolegomenis, asseverant Lucas Holstenius et Schelestratius. De appendice nominum et epocharum post Felicem IV, in illo catalogo descripta usque ad Pelagium II, vide quæ scripsimus in cap. 4 dissertationis nostræ ad Catalogos Romanorum pontificum. Nunc igitur catalogi defectum supplebimus ex antiquissimi codicis Bibliothecarii variantibus lectionibus ab editione Velseri et Fabrotti hic apponendis; cum has varias lectiones post Felicem quartum non dederit Schelestratius, et nos ex autographo Farnesiano diligenter transcripserimus dum Colorni moraremur annis 1720, 1726, serenissimo duce Parmensi Francisco id benigne permittente; cum paucos ante annos codex ille ab urbe Roma, ubi Holstenius et Schelestratius contulerant cum Valseriana editione, Parmam translatus fuisset. Textum igitur Biblioth. ex hoc num. 99, unde Farnesianus codex superstitem nobis præservat illius exemplaris lectionem, exhibebimus de more servato in editione tomi primi : et apponemus variantes lectiones Farnesiani, quibus etiam addemus lectiones alterius codicis bibliothecæ Laurentianæ : quem anno proxime elapso 1726, cum observassem antiquitate commendabilem, et minori barbarie transcriptum quam cæteri paris ætatis; curavi ut illius exemplum diligenter collatum studio viri clarissimi D. Antonii Gori mihi amicissimi, ac editione castigata veterum in Etruria exstantium inscriptionum cum eruditis observationibus nuper vulgata celebris, ad me transmitteretur. Variantes igitur lectiones codicis Farnesiani signabimus littera *F*, et Laurentiani exempli littera *L*

(*a*) Editionis scilicet Romano-Vaticanæ.

Digitized by Google

PAGII.

Num. 97, linea 2. — *Levatus est a tyranno Theodato*, etc. et linea 7. — *Postmodum sic subscripserunt presbyteri*, etc., Cum auditus esset Romæ obitus sancti Agapeti papæ, atque jam haberentur more majorum sacra comitia de novo creando pontifice, Theodatus rex Gothorum, ut tradit Anastasius in Silverio, Silverium natione Campanum, Hormisdæ quondam pontificis Romani filium, ex legitimo ante pontificatum matrimonio susceptum, per vim et metum ordinari curavit pontificem, quamvis multi ex clero ejus electioni refragarentur, qui tamen postea, ad evitandum schisma, subscripserunt. Unde species addita postmodum calumniæ, quasi Gothis faveret. Simoniacam labem ipsi perperam inurit idem Anastasius. Liberatus enim in Breviario, cap. 22, ubi de Silverio ex subdiacono, ut ipse scribit, in pontificem electo, agit, nec alius quisquam antiquorum, nihil penitus habet de pecunia a Silverio collata. Ordinatus est autem Silverius die octava mensis Junii, in quam anno quinquagesimo trigesimo sexto Dominica cadebat. Licet enim codices mss. Anastasii in interpontificio, quod fuit post mortem Agapeti, varient, præferenda tamen videtur lectio eorum qui habent interpontificium fuisse unius mensis et dierum viginti octo, qui nihilominus unum diem plus numerant; ex tempore quippe quo sedit, sequitur eum ordinatum die octava Junii, et consequenter interpontificium fuisse dierum *quadraginta septem*, qui leguntur in Catalogis 1 et 3, tomo primo criticæ Baronianæ præfixis.

Interea vero, ut tradit Liberatus loco laudato, Vigilius Agapeti defuncti diaconus Constantinopoli degens, cum Theodora Augusta secreto egit ut pontificatum obtineret, eique promisit, si in papam eligeretur, sublaturum se synodum Chalcedonensem, atque Anthimum, Severum, aliosque ipsis confœderatos Acephalos communione donaturum.

Num. 98, linea 1.—*Eodem tempore bellum fuit maximum*, etc. Hæc autem acciderunt durante urbis Romanæ obsidione, ut tradit Procopius lib. 1 *de bello Goth.*, cap. 25, ideoque anno 537, quo Romana urbs a Vitige rege obsessa est. Id confirmatur ex Anastasio in Silverio, et ex Continuatore Marcellini : qui tradunt hæc accidisse indictione XV, quæ anno 537 in cursu erat Depositus est autem Silverius die decima octava Novembris, ut ex ejus sedis duratione constabit. Vigilius vero ordinatus est X Kalendas Decembris, seu die XXII Novembris, quæ erat Dominicalis, ut testatur Anastasius in Vigilio.

Num 101, linea 12.—*Et sustentavit eum pane tribulationis*, etc. Sanctus hic pontifex in exsilio ærumnis confectus, inediaque consumptus, die vigesima Junii extremum diem clausit, ejusque memoriam, sub martyris titulo quotannis eo die Ecclesia celebrat, Sepultus est autem, ut ait Anastasius, in eodem loco, et ad ejus sepulcrum multitudo concurrens languentium sanitatem obtinere consuevit. Ejus mors immerito ascribitur Vigilio. Procopius enim in Historia Arcana, cap 1, loquens de Antonina Belisarii uxore, ait: *Fuit ille minister sceleris quidam ex famulis Eugenius nomine, qui et commissi contra Silverium piaculi satelles fuerat*, ubi Alemannus in notis ad librum illum observat Procopium indicare Silverium ferro, aut alia sanguinaria hominis arte necatum : insuperque Liberatum scribere, Silverium inedia defecisse, quod ab aliis acceperat; sed Procopium scripsisse quæ ipsemet viderat. Quoad annum mortis Silverii, Baronius credit esse annum 540. Annotator vero Baronii annum 538, sed cum, tam Anastasius quam catalogi pontificatum Silverii in ejus depositione absolvat, quocunque ex illis annis obierit, chronologiæ pontificiæ nihil officit. Licet usque ad mortem semper legitimus perseveraverit pontifex, Anastasius tamen sedis ejus durationem *ad annum unum, menses quinque, et dies undecim* coarctat, ex quo sequitur verum esse quod superius diximus, cum scilicet depositum die decima octava mensis Novembris anni quingentesimi trigesimi septimi.

Exstat tomo V Concil. epistola Silverii papæ ad Vigilium, qua ei exprobrat ambitionem sedis apostolicæ, et simoniæ crimen admissum, eumque sententia anathematis condemnat; cui subscribunt quatuor episcopi, nempe Terracinensis, Fundanus, Firmanus, et Minturnensis, quos Baronius supponit in insula Palmaria cum Silverio papa concilium celebrasse, et in Vigilium anathematis sententiam tulisse. Verum illa epistola, cujus initium : *Multis de transgressionibus irretitum*, etc., supposititia est, ut ostendunt styli barbaries, falsa nota consularis, et emendicatæ ex epistola Felicis II ad Acacium sententiæ. Præterea nullo Historicorum testimonio confirmantur, quæ de Vigilio narrat Silverius, scilicet *cruentis sanguine manibus* leviticum munus affectasse. *Decessoribus suis* subrepsisse, et senatus justitia repressum fuisse. Tertio denique incredibile est Silverium, quem statim a dejectione sua sub inimicorum custodia detentum, ac in exsilium deportatum Liberatus testatur, indicto episcoporum conventu anathematis sententiam in sedis suæ pervasorem pronuntiasse. Neque enim id contingere potuit eo tempore, quo Patarам, patria pulsus, sede privatus pontifex incolebat, cum huic anathematis decreto, non Asiani, sed Itali subscribant episcopi. Post reditum Silverii, excommunicatum Vigilium nemo dixerit; statim enim Silverius Vigilio æmulo suo traditus est, et in Palmariam, vel Pontiam insulam deportatus, ubi verisimile non est custodum vigiles oculos fallere, synodos indicere, canonicas sanctiones condere, anathematismos in adversarios torquere potuisse.

CIACONII.

Num. 98, linea 2. — *Ingressus Belisarius in Urbem*, etc. Belisarius tyrannus et sacrilegus in cathedram Petri, et in universam Romanam Ecclesiam, eam barbarice, tyrannice, injuriis, damnisque afficiens atque profanans, injiciens violentam manum in ipsum Romanum pontificem; deturpans inhonestansque ipsum visibile loco Christi positum Ecclesiæ caput. Magna quidem hæc fuit, et horribilis in Ecclesia Romana tempestas, furente hæretica femina excitata, ab ambitioso diacono procurata, per Belisarium autem impie consummata; sed luit pœnas infelix, et imperatorem, quem sibi per Theodoram Augustam lucrari conatus, eadem via imperatorem sibi infensissimum nactus, in ordinem est ab ipso miserabiliter redactus, et tanto ipse facinore perpetrato, ut offensum divinum numen sibi conciliaret, mox Romæ ecclesiam erigendam curavit, cujus præ foribus hujusmodi incidi voluit patrati facinoris perpetuum monumentum. Quæ hodie, eversa eadem ecclesia, tabula marmorea inscripta, remansit in muro ecclesiæ Cruciferorum ad Aquam Virginem e regione montis Quirinalis, quæ hæc habet :

Hanc vir patricius Vilisarius Urbis amicus
Ob culpæ veniam condidit ecclesiam.
Hanc ideirco pedem sacram qui ponis in ædem
Ut miseretur eum sæpe precare Deum.
Janua hæc est templi Domino defensa potenti,

Num. 99, linea 5. — *Intra civitatem autem grandis fames erat, ita ut aqua venundaretur pretio, nisi nympharum remedium subvenisset.* A Gothis obsessa urbe Roma, eo penuriæ rerum omnium deventum est, ut aqua veniret, nisi Urbi succursum esset nympharum remedio, id est, auxilio aquæ nympheorum, id est balneorum, quæ frequentiora erant Romæ.

Num. 100, linea 7. — *Tunc erat Vigilius diaconus apocrisiarius Constantinopoli.* Apocrisiarii seu responsales erant missi seu legati, qui nomine Romani pontificis semper erant in comitatu imperatoris, ut rebus Ecclesiæ prospicerent. Eo munere functum

Digitized by Google

esse Gregorium in aula Constantinopolitana tempore Pelagii, testis est Joannes diaconus ejus Vit. lib. I, cap. 26: « Nec multo post pro responsis ecclesiasticis ad urbem Constantinopolim a Pelagio præsule destinatur. » Hodie nuntii apostolici vocantur. Per apocrisiarios mandata pontificia perferebantur ad patriarcham CP. Anastas. in Theodoro: « Tunc sanctissimus Theodorus papa scripsit Paulo patriarchæ regiæ civitatis, tam rogans, quamque regulariter increpans, necnon per apocrisarios per hoc maxime destinatos præsentialiter admonens et contestans. » Idem in Martino: « Qui videlicet apocrisiarii, ex præceptione apostolicæ auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet. » Idem in Nicolao: « Arsenium episcopum hujus almæ sedis apostolicæ apocrisiarium et missum illico destinavit. »

Num 101, lin 2. — *Et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum.* Silverius ingressus ad Belisarium intra Pincianum palatium; clerici vero qui eum prosequebantur, retenti ad primum et secundum velum, id est, ad primas et secundas fores, ut constat ex hoc loco et epist. Silverii ad Amatorem, quæ exstat in can. *Gulisarius* 23, qu. 4. Vela sumuntur pro foribus, quia fores augustarum vel majorum ædium erant velis obseptæ. Tranquil. in Claudio: « Interque prætenta foribus vela se abdidit. » Anast. in Gregor. IV: « Vela Alexandrina tria ante portas majores pendentia, habentia homines et caballos. » Tertull. adversus Valentinian: « Tot syparia portarum. » Anastas. in Leone III: « Et alia vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu. » Sidon. lib 1, epist. 2: « Pellitorum turba satellitum pro foribus immurmurat, exclusa velis, inclusa cancellis. » Foribus ecclesiarum etiam vela apposita. Hieronym. ad Heliodor. « Janitor creber in porta, vela semper in ostiis. » Nec velis caruere etiam fores scholarum. Augustin de verb Apostol serm 25: « Quamvis ille esset paganus grammaticus melior ad velum, quam ad cathedram. » Laudatur Alexander Severus quod domi salutaretur quasi privatus patente velo, remotis admissionalibus. Lamprid. in Alexandro: « Salutabatur vero quasi unus ex senatoribus patente velo, admissionalibusque remotis. » Et hoc est quod ait L. pen C. *de naufraq. levato velo.*

Num. 101, lin 6. — *Joannes subdiaconus regionarius primæ regionis tulit pallium de collo ejus.* Fabianus pontifex notariis per septem regiones Urbis dispositis, ut martyrum gesta colligerent, testimonii causa adjecit totidem subdiaconos: hinc dicti subdiaconi regionarii, ut hic et infr. eod.: « Tunc Sixtus subdiaconus regionarius regionis sextæ. »

Lin 12. — *Et misit eum in exsilium in Pontias.* Silverius in exsilium relegatus in Pontiam insulam, quæ est in ora maris Tyrrheni. Ibidem exsulasse Flaviam Domitillam persecutore Domitiano legitur Martyrol Rom. 7 Maii.

Lin 13. — *Qui deficiens mortuus est, et confessor factus est.* Silverius in exsilio mortuus in insula Pontia habitus est numero confessorum. Idem de Martino mortuo in exsilio in Chersoneso insula, Anastas. in ejus Vit. *Et ibidem ut Deo placuit, vitam finivit in pace Christi confessor.* Hoc distant confessores a martyribus, quod martyres sunt, qui extrema passi sunt pro fide: confessores, qui aliquid passi sunt pro fide, puta exsilium, carcerem, tormenta, non usque ad necem. Optat Milevit. lib 1 advers. Donatist: « Nam ferme ante annos sexaginta et quod excurrit, per totam Africam persecutionis est devagata tempestas, quæ alios fecerit martyres, alios confessores. » Hanc distinctionem juvat Cyprian (*epist.* 5): « Quemadmodum autem ad sumptus suggerendos, sine illis qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti, » etc.

SOMMIER.

Num. 100, linea 7. — *Dolens autem Augusta*, etc. Quæ hic narrat Bibliothecarius barbaro stylo, cultiori exposuit Liberatus illorum temporum æqualis cap. 22 sui Brev., ut adnotat D. archiepiscopus Sommier lib. VI, cap. 30 Hist. dogm. ita complexus rerum seriem.

Unicum nobis superest monumentum, sed illud gloriosissimum, pontificatus S. Silverii, qui successit Agapeto, nempe illius exsilium ac martyrium pro defensione fidei catholicæ fortiter toleratum.

Theodora Augusta, ad Eutychianismum promovendum summopere intenta, post Agapeti mortem illico seduxit Vigilium diaconum, qui tunc apocrisiarius erat Romanæ sedis apud regiam urbem, sponsione maximi pontificatus pacta cum ipso, Anthimi restitutionem, ejusque sectariorum, et irritationem sacri Chalced. concilii. Vigilius munitus ab eadem litteris commendatitiis apud Belisarium, tum temporis magistrum utriusque militiæ, in Italiam confestim contendit; verum apostolicæ sedi pontificem datum jam reperit Silverium. Belisarius, qui Romam a Gothica servitute vindicaverat, intendit animum ad secreta mandata Theodoræ exsequenda. Sive igitur ad Silverii depositionem dirigendæ erant machinæ, sive ad pacta Vigilii ab ipso extorquenda, nempe de abolendo concilio Chalcedonensi, ac de Anthimo et Acephalis communioni restituendis.

Diaconus Liberatus auctor æqualis narrat Belisarium in Urbe tunc agentem, vocato ad se Silverio, exprobrasse beato pontifici perduellionis crimen: quasi ipse ad Gothorum regem dedisset litteras, quibus excitaretur ad urbem Romam proditione recuperandam. « Fertur enim (Liberatus ait) Marcum quondam scholasticum, et Julianum quondam prætorianum fictas de nomine Silverii composuisse litteras, regi Gothorum scriptas, ex quibus convinceretur Silverius Romanam velle prodere civitatem. Secreto autem Belisarius et ejus conjux persuadebant Silverio implere præceptum Augustæ, ut tolleretur Chalcedonensis synodus, et per epistolam suam firmaret hæreticorum fidem. Silverius, implorata ope cœlestis auxilii, fusis ad Deum precibus, iterum sistitur Belisario, qui excluso pontificis comitatu solum cum admisisset, ab oculis omnium eripuit Silverium. » « Et postera die convocato clero, mandavit eis ut alium papam eligerent. Quibus dubitantibus, et nonnullis renitentibus, favore Belisarii ordinatus est Vigilius. Silverius autem in exsilium missus est in civitatem provinciæ Lyciæ quæ Patara dicitur. Sed Siricio veniente Pataram, venerabilis episcopus civitatis ipsius venit ad imperatorem, et judicium Dei contestatus est de tantæ sedis episcopi expulsione: multos esse dicens in hoc mundo reges, et non esse unum sicut ille papa est super Ecclesiam mundi totius a sede sua expulsus. Quem audiens imperator revocari Romam Silverium jussit, et litteris ipsius judicium fieri. » Liberatus diaconus ibi. Verum Theodora Augusta irritum reddi cupiens imperatoris mandatum arcebat a regressu Italiæ Silverium. Prævaluit imperatoris jussio; nec tamen Belisarius ab injuria destitit. Cum enim Vigilius de Silverii innocentia conscius sibi timeret, Belisario suasit ut in custodiam sibi contraderet Silverium: si secus faxit, a pactis conditionibus se quoque recessurum. « Ita Silverius traditus est duobus Vigilii defensoribus, et servis ejus. Qui in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodia defecit inedia. » (*Ibid.*)

Digitized by Google

LXI. VIGILIUS,

ANNO CHRISTI 540, JUSTINIANI IMP. 14, VITIGIS REG. 4.

102 Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne consule, sedit annos 17 [a], menses quinque, dies 26. Eodem tempore Vilisarius patricius commisit bellum cum Guitige [b] rege Gothorum, qui rex fugiens noctu insecutus est eum Joannes [c] magister militum, cui cognomen Sanguinarius, et tenuit eum, et adduxit ad Vilisarium, et ad Vigilium Romam. Tunc dederunt ei sacramenta in basilicam Juli [d], ut salvum illum perducerent ad Justinianum imperatorem. Quem cum duxissent Constantinopolim, gavisus est imperator, et fecit eum patricium et comitem, et transmisit eum juxta fines Persarum, et ibi vitam finivit. Vilisarium vero interrogavit imperator, quomodo se haberet cum Romanis vel quomodo in loco Silverii statuisset Vigilium. Et, dato ab eo responso, gratias ei egerunt imperator et augusta; et data ei dignitate, iterum misit eum in Africam ad Gundarum • regem Guandalorum [f], et ut quæ fecerat in Italia faceret et in Africa. Qui veniens in fines Africæ sub dolo pacis interfecit Gundarum [g] regem Guandalorum, et redacta est Africa sub rempublicam. Tunc Belisarius patricius de spoliis Guandalorum [h] veniens Romam, obtulit beato Petro apostolo per manus Vigilii papæ crucem auream cum gemmis, quæ pensat libras centum; in qua scripsit victorias suas [i]. Cerostatas argenteas deauratas majores duas, quæ stant usque hodie ante corpus beati Petri apostoli. Sed et alia multa dona et eleemosynas pauperum largitus est. Fecit etiam Belisarius patricius xenodochium in via lata, et [j] in via Flaminia juxta civitatem hortas [k] monasterium sancti Juvelanis, ubi possessiones et dona multa largitus est.

103 Eodem tempore Theodora augusta scripsit ad Vigilium papam: Veni, adimple nobis quæ pro bona voluntate tua promisisti de patre nostro Anthimo, et revoca eum in officium suum. Ad hæc rescripsit Vigilius: Absit hoc a me, domina Augusta. Prius locutus sum male et insipienter, modo autem nullo modo tibi consentio, ut revocem hominem hæreticum et anathematizatum. Et si indignus vicarius sum beati Petri apostoli, quomodo fuerunt antecessores mei sanctissimi Agapitus et Silverius, qui eum damnaverunt? Tunc Romani fecerunt suggestiones suas contra Vigilium, eo quod cum consilio ejus depositus fuisset Silverius beatissimus papa suggerentes [l] pietati tuæ, quia male agit cum servis tuis Romanis, et cum ipsa plebe sua: quia homicidam illum accusamus. Sic est in furorem versus, ut daret alapam notario suo, qui mox ad pedes ejus cadens, exspiravit

104 Item dedit neptem suam Vigiliam [m] Asterio consuli, filium mulieris viduæ; quo casu faciente, fecit eum teneri nocte, et tandiu cædi quandiu vitam finiret. Quo audito, Augusta misit Anthemium scribonem cum jussionibus suis, et cum virtute majore Romam dicens: Excepto in basilica sancti Petri parce [n]. Nam si in Lateranis, atque in palatio aut in qualibet ecclesia inveneris Vigilium, mox imposito in navi [o] perduc eum usque ad nos. Nam si non feceris, per viventem in sæcula excoriari te faciam. Qui Anthemius scribo veniens Romam, invenit eum in ecclesia sanctæ Ceciliæ x Kalendas Decembris. Et ro-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 16. [b] Witige. [c] • quem fugientem ins. est Joannes. [d] C. Julii. [e] *C*, Gontharidem, *hic et infra*. [f] • Vandalorum. [g] • Guntharum. [h] *Vide Baron. ad ann.* 545. [i] *C*, Cerostrata. [j] • Aliud. [k] C, ortas *vel* ostia. [l] *C*, suggerimus, inquiunt. [m] *C*, nepotem suum Vigilius. [n] • Si eum inveneris in basilica B. Petri apostoli parce. [o] • impositum in navim.

Digitized by Google

gante populo tentus est. Erat enim natalis ejus dies, munera tradens populo, qui tenens deposuit eum per Tiberim, et misit in navim. Plebs autem [a] sequebatur eum acclamantem [b], ut orationem ab eo acciperent. Data oratione, respondit omnis populus Amen, et mota est navis. Videntes Romani, quod movisset [c] navis, in qua sedebat Vigilius, tunc cœpit populus jactare post eum lapides, fustes, cacabos, et dicere : Fames tua tecum, mortalitas tecum : male fecisti Romanis, male invenias ubi vadis. Et quidem [d] amatores ejus secuti eum sunt de ecclesia.

105 Qui ingressus Siciliam in civitatem Catanensem, permissus est facere ordinationem per mensem Decembris presbyteros et diaconos, in quibus retransmisit Romam Ampliatum presbyterum, et vicedominum suum, et Valentinum episcopum, a sancta [e] Rufina, et Secunda, ad custodiendum Lateranis [f], et gubernandum clerum. Et vale faciens omnibus, ingressus est Constantinopolim in Vigilia Domini nostri Jesu Christi. Obvius est ei imperator, et osculantes se cœperunt flere, et plebs illa psallebat ante eum usque ad ecclesiam sanctæ Sophiæ : Ecce advenit dominator Dominus, etc.

106 Per biennium vero fuerunt contentiones de Anthimo patriarcha, quomodo promisisset eum in locum suum restituere, cautionem manus suæ ei ostendentes quomodo promiserat eum in ordinem suum revocare. Sed Vigilius nullatenus eis voluit consentire, sed tanta roboratus virtute magis mori desiderabat, quam vivere [g]. Tunc Vigilius papa dixit : Ut video, non me fecerunt ad te venire Justinianus, et Theodora piissimi principes, sed hodie scio quod Diocletianum et Eleutheriam inveni; facite ut vultis, digna enim factis recipio. Tunc dedit alapam in faciem ejus quidam dicens : Homicida, nescis, quibus loqueris? Nescis quia Silverium papam occidisti, et filium mulieris viduæ ad calces et fustes interfecisti. Tunc fugiens in ecclesiam sanctæ Euphemiæ, tenuit columnam altaris. Qui tractus est ab ea, et ejectus foris [h] ecclesiam. Fecitque Theodora Augusta mitti funem in collum ejus, et trahi per totam civitatem usque ad vesperum. Tunc missus est in custodiam, et dabatur ei modicum panis et aquæ. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missi sunt in exsilium per diversa loca, ad metalla incidenda.

107 Tunc Gothi fecerunt sibi regem Baduam [i], qui Totila nuncupabatur, et descendit Romam, et obsedit eam. Et facta est fames maxima in civitate Romana, ut etiam natos suos vellent comedere. Die [j] autem tertia decima introivit in civitatem Romanam, indict. XIV [k], per portam sancti Pauli. Tota enim nocte fecit buccina clangi, usque dum cunctus populus fugeret, aut per ecclesias se celarent, ne gladio Romani vitam finirent. Ingressus autem rex habitavit cum Romanis, quasi pater cum filiis. Tunc quidam de senatoribus fugientes Techeus [l], Albinus, et Basilius patricius exconsules, ingressi sunt Constantinopolim, et præsentes ante imperatorem afflicti et desolati. Consolatus est autem eos imperator, et ditavit eos, sicut digni erant consules Romani.

108 Eodem tempore misit imperator Justinianus Narsetem eunuchum et cubicularium suum in Italiam, qui, data pugna cum Gothis, donavit ei Deus victoriam, et occisus est rex, et multitudo Gothorum interfecti sunt. Tunc adunatus clerus rogaverunt Narsetem, ut una cum ejus suggestione rogarent principem, ut si adhuc viveret Vigilius papa, aut presbyteros, seu diaconos [m], vel clerus, qui cum eodem Vigilio fuerant in exsilium deportati, reverterentur. Suscepta autem relatione Narsetis, vel cuncti cleri Romani lætus effectus est imperator, et omnes inclyti ejus eo quod

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * Plebs autem et populus. [b] * acclamans clamantes. [c] mota esset *C*. [d] quidam. [e] *C*, ad sanctas. [f] Lateranas *C*. [g] *Vide Baron. ad ann. Domini* 547. [h] *C*, foras. [i] *C*, Badiullam. [j] *C*, quadam die. [k] *C*, 13. [l] *C*, Cintheus. [m] * Presbyteri, diaconi. *Vide Baron. ann.* 554.

Digitized by Google

requiem donasset Deus Romanis. Et mox misit jussiones suas per diversa loca, ubi fuerant in exsilium deportati in Gypso et Proconisso [a], et adduxit eos ante se imperator, dicens eis : * Vultis recipere Vigilium, ut fuit papa vester ? gratias ago, minus non ? hic habetis, nisi archidiaconum vestrum Pelagium, et manus mea erit vobiscum [b]. Responderunt omnes : Imperet Deus pietati tuæ, restitue nobis Vigilium, et quando voluerit eum Deus transire de hoc sæculo, tunc cum vestris perceptionibus donetur nobis Pelagius archidiaconus vester [c]. Tunc dimisit omnes cum Vigilio, et venerunt in Siciliam in civitatem Syracusanam, et ex multa afflictione calculi dolorem habens, defunctus est Vigilius. Cujus corpus ductum est Romam, et sepultum est ad sanctum Marcellum via Salaria, in cœmeterio Priscillæ. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, presbyteros 46, diaconos sexdecim, episcopos per diversa loca octuaginta et unum. Et cessavit episcopatus dies 26 [d]

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *C*, Gyssa, et Proconneso. [b] * Si vultis recipere Vigilium, ut sit papa vester, gratias agimus, sin autem, hic habetis Petrum, et archidiaconum Pelagium, pro quibus manus mea erit vobiscum. [c] *C*, noster [d] *C*, menses 3 ; *B*, menses 3, dies 5.

VARIÆ LECTIONES

Ex Codice Farnesiano et Silverio.

Num 102, *lin* 2. Menses sex, dies viginti quinque. *lin* 4. Magister militum cognomento Sanguinarius, tenuit eum, et ad Vigilium Roma. *lin.* 6. in Vasilica Juli, ut salbum illum, *lin.* 7. duxissent in Constantinopolim. *lin.* 10. statuisset illum. Tunc gratias ei egerunt imperator et Augusta. Et data ei iterum dignitate, misit eum in Africa ad Gundarit regem Gaundalorum. Ut quæ fecerat in Italia faceret in Africa. *lin.* 14. tunc Vilisarius patricius de spolia Vandalorum veniens Roma optulit. *lin.* 16. cum gemmis qui pensat lib. c. in qua scripsit victorias suas. cirostatos argent. deauratos majores. 11. qui stant usque odie. *lin.* 19. fecit enim Vilisarius, etc. Juxta civitate Ortas, etc. monasterium sancti Jubenalis.

Num 103, *lin.* 3. in officio suo. *lin.* 9. male aget cum serbis, etc. Et quia homicidam illum accusamus. Sic est in furore versus. *lin.* 11. notario suo. Mox ad pedes ejus cadens expirabit.

Num 104, *lin.* 1. Item dedit nepotem suam. *lin.* 2. Quandiu vitam finivit, etc. Misit Anthimum scribonem cum jussiones suas cum virtute magna. *lin.* 6. Mox imposito in nabem perduc eum usque ad nos. Nam per viventem in sæcula, etc. Qui Anthimus scribon. *lin.* 8. Decembr. munera erogantem ad populum. Tentus. Et deposuerunt eum. Ad Tiberim miserunt eum in nabem. Plebs et populus sequebatur eum. Ad clamantes. *lin.* 15. Et quidem atores ejus.

Num 105, *linea* 1. In civitate Catanense. *linea* 5. Constantinopolim vigilias Domini nostri Jesu Christi. Oblius est ei imp. obsculantes se cœperunt flere.

Num 106, *lin* 1. Per viennium vero fuerunt intentiones. *lin* 3. Quomodo promiserit eum revocare in locum suum. *linea ead.* In ordine suo revocare. *linea* 4. Sed amen tota virtute. *linea* 5. Fecerunt venire. *linea* 7. Facite ut bultis. *linea* 9. Hinc fugiens in basilicam sanctæ Eufemiæ et tenens. Qui tractus ab ea ejectus oris ecclesia. Fecit mitti funem in collo ejus. Et rabentes eum, etc. ad vespera. Tunc missus in custodia dabatur ei modicum panem et aqua. *linea* 13 fissi in exsilio per diversa metalla incidenda.

Num 107, *lin* 2. Et facta est famis in civitatem Romam. *linea* 3. Quadam die intrabit Romam a porta sancti Pauli ind. XIII : tota enim nocte fecit buccina sangi, etc., populus fugeret. *linea* 6. Finirent. Habebit rex eos Romanis. *linea* 7. Et fugientes Citheus, Albi[illegible], etc. Et præsentati ante imperatorem. *linea* 9. Tunc consolatus est eos imperator, et ditabit eos sicut, etc.

Num 108, *lin* 2. In Italia, etc. Donabit. *lin* 5. Aut presbyteri seu diac etc. In exsilio deportati. *lin* 6. Suscepta relatione Narsetis vel cuncto clero Romano letus effectus est imperator. Et omnis Syncletus ejus. *lin* 9. In exilio dep. *lin* 9. Imp et dixit eis, etc. Gratias ago minus. Ne hic habetis archidiaconum vestrum Pelagium. *lin* 12. Imperet Deus magestati tuæ, *alio charactere* (ñ. Aug restituetur vobis Vigilius, et quando eum voluerit Deus transire) de hoc sæculo cum vestra preceptione donatur nobis Pelagius archidiaconus noster. Tunc emisit omnes cum Vigilio. Venerunt Siciliam in civitate Syracusas. Afflictus calculi dolore abens mortuus est. Cujus corpus ductus Romæ. *lin* 18. presbyteros XLV, diac XV, episc per diversa loca LXXXI, et cessabit episc m. III d. v.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 102, *lin* 2, *AB*, menses 6, dies 23.

Num 104, *lin* 1, *A*, filiumque, *B*, filio. *lin* 5 *deest* nam. *lin* 6, *A*, nam ego eo vivente. *lin* 9, *A*, populo prædicantem.

Num 105, *lin* 3, *B*, Valentinum presbyterum ; *A*, ad S. Rufinam ; *B*, de S. Rufina.

Num 106, *lin* 5, *B*, ad se. *lin* 6, *A*, Lutherium, *B*, Eleutherium.

Num 107, *lin* 3, *AB*, quadam die. *lin* 4, *AB*, indict 13. *lin* 7, *A*, Cetheus, *B*, Citheus ; *AB*, patricii.

Num 108. *lin* 5, *AB*, presbyteri, diaconi. *lin* 11, *A B*, nisi *deest*. *lin* 13, *AB*, præceptione. *lin* 15, *AB*, noster. *lin* 14 *B*, coli dolorem. *lin* 18, *A*, presbyteros 45. *lin eadem A*, diaconi 15.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num 102, *lin* 2, mens 6, dies 26. Hujus temporibus Belis patr bellum fecit cum Vitige R. Goth qui fugit noctu, secutusque eum J. m. cognomento Sanguinarius, apprehendit, et tenuit, et duxit ad Belisarium patricium, et ad Vigilium papam. Tunc deduxerunt eum in basilica Juliæ, dederuntque ei sacramentum, ut salvus duceretur ad Justinianum imperatorem ; quem cum vidisset imperator, gavisus est fecitque patricium et comitem, transmisitque eum i. f. P. ibique v. f. imperator autem Belisarium patricium interrogavit. *lin* 11, et iterum data ei d. m. e. in Afr ad Guntharum R. Vandalorum, ut quæ fec. *lin* 13, in finibus Afr. *ibid.* Guntharum R. et redacta est Afr sub republica. Tunc Belis Patr de spol Vandal (*M*, Wand). *lin* 16, gemm pensantem lib. *lin* 17, cerostata argentea deaurata majora duo. *lin* 19, dona obtulit, et eleem pauperibus largitus est. Fecit enim Belisar xenodochium in via lata, et aliud in via Flaminia, et juxta civit. Ortas fecit monasterium S. Juvenalis.

Digitized by Google

Num 103, *lin* 2, bona fide tua, et vol prom de patre no. Anthemio, et rev eum in officio suo. *lin* 9, papa, mandantes Augustæ : suggerimus pietati tuæ, quia male agit Vigilius com· *lin* 10, et quia homicida illum acc. Sic est enim in furorem versus, ut dederit alapam notario suo, et mox ad pedes ejus cadens exspiraverit (*M*, exspiravit).

Num 104, *lin* 1, item nepotem suum (sed emendatum, item neptem suam) Vigilio Asterii consulis filio mulieris viduæ, qua casu faciente fecit teneri noctu filium mulieris viduæ, et tandiu cædi qu. u. f. (*M*, Item a nepote suo Vigilio Asterii cons filio casu faciente fecit ten n.). *lin* 3, Scribonem suum cum jussione sua, et virtute majore R. d. Si eum inveneris in basilica beati Petri apostoli, parce, quod si (*M*, si) in Lateranis, aut in palatio. *lin* 6, mox impositum in navem, perduc usque ad nos ; quod si non feceris, per viv in sæc ex. te faciam. Eodem tempore Anthemius. *lin* 9, Dec erat enim dies natalis ejus, munera erogantem ad populum. Tenentes itaque eum deposuerunt ad Tiberim, miseruntque in navem. Plebs vero, et populus sequebatur eum, acclamantes, ut orat. ab eo accip. *lin* 13, Vigilius, post eum jacere lapides cœperunt, fustes, cacabos, et dicere. *lin* 14, mort tua ib. vadis. Sed quia amatores ejus sec sunt eum de Eccl.

Num 105, *lin* 1, Catinensem. *lin* 2, diaconos, remisitque Romam *A*. *lin* 3, ad sanctam Rufinam, et ad custodiendum, et gubernandum clerum : et Val o. pervenit Constantinopolim in vigil. Natalis Domini nostri Jesu Christi. Tunc obvius fuit ei imper. *lin* 6, flere. Plebs vero universa cum clero psall.

Num 106, *lin* 1, per biennium autem f. c. de Anthemio. *lin* 2, restit et cautionem manus suæ ei ostendebant, per quam promiserat eum in ord suo revoc. Vigilius tamen nullat vol eis consent sed tota virtute magis mori desider q. v. Tunc dixit eis Vigilius. *lin* 5, non me fec venire ad se. *lin* 6 Dioclitianum, et Leuterem in. *lin* 7, tunc dedit quidam alapam in faciem ejus, dicens, *lin* 9, fugiens in basilicam *lin* 10, qui tractus ab ea, ejectus est foris eccl. et fecerunt mitti funem in collo ejus, et trahi eum per totam civit usque ad vesp ; postea missus est in custod. *lin* 13, aquæ ; clerum autem Romanum qui cum eo erat, miserunt in exsil per diversa metalla incidenda.

Num 107, *lin* 1, eodem tempore Gothi f. s. R. B. qui Tot nuncup qui descendens Romam, obs eam, et facta est max fam. *lin* 3, introiv civit a porta S. Pauli indict 13. *lin* 5, populus fugam caperet, aut per eccles se celaret, ne Romani gladio vitam finirent, *lin* 7 et 8, Cethegus ; *M*, Cetheus, Alb et Bas patricii, et consules ex consensu ingressi sunt Constant et præsentati ante imper. *lin* 9 sicuti d. e.

Num 108, *lin* 1, Justin Augustus. *lin* 3, interfecta est. *lin* 4, cum eorum suggest rogaret pr. *lin* 5, aut presbyteri, seu diaconi. *lin* 6, qui cum eodem fuerant et in exsilium deportati erant, Romam reverti permitterentur. Susc. relatione Nars. *lin* 8, dedisset Deus Rom. mox misit jussu S. in Gypso, et Pr., et adduci eos præcepit ante se imper, dixitque eis : Si vultis recipere Vigilium, ut sit papa vester, gratias agimus. Sin autem hic habetis Petrum, et archidiaconum Pelagium, pro quibus manus mea erit vobiscum. *lin*. 12, piet. tuæ, ut restituas nobis modo Vigilium, et quando eum Deus voluerit, tr. *lin* 13, sæculo, tunc cura erit præceptionis tuæ, ut donetur nobis Pelagius archidiac noster. *lin* 14, venerunt Siciliam in civitatem Syracusas, ubi afflictione calculi. *lin*. 15, nimium dolorem habens mortuus est. Cujus corpus ducunt Romam, sepultumque est ad S. Marcell. via Salar. Hic fecit ordinat. *lin. ult.*, episc. menses 3, dies 5.

Ex codice Thuano altero.

Num 102, *lin* 2, m. 6, *ib*. Belisar. *lin* 3, Witige. *lin* 4, qui cognomento Sanguinarius. *lin* 5, in basilica Julia. *lin* 10, Vigil Tunc grat *lin* 11, in Africam. Qui v. *lin* 13 et 14, Wintarim R. Wand. *lin* 15, de sp. Wand. *lin* 17, centum, scribens vict s. et cereostata deaurata majora duo.

Num 103, *lin* 1, Veni, et ad. *lin* 7 et 8, fec suggestionem c. V.

Num 104, *lin* 1, filio mulieris vid quo casu. *lin* 3, visione sua cum v. *lin* 6, impositum in navem p. *lin* 8, Decemb erat en. dies nat e. munera eum rogantem a populo tentus est, et deposuerunt ad Tiberim et miserunt eum in navem. Plebs, et populus sequeb eum, acclamantes. *lin* 11, data orat dixerunt omnes populus A. *lin* 14, mort tua t. ibid invenies.

Num 105. *lin* 1, Catin. *lin* 3, ad S. Rufinum et Secundum,

Num 106, *lin* 1, intentiones. *lin* 2, ostendens, q. p. eum ordine suo revocare, et mox, ei vol c. *lin* 9, in basilicam S. Euph, *lin* 12, vesperam.

Num 107, *lin* 1, Bandua. *lin* 3, quadam die intravit Romam a porta S. Pauli indict 13. *lin* 5, fugerent. *lin* 7, Cithes. *lin ead*, patricii, *ibid*, et præsentati imperatori alll et d. tunc cons est eos imper Justinianus.

Num 108, *lin* 1 Nars. eun. et cub. s. mittens in. *lin* 5, aut presbyter, seu diaconi v. c. *lin* 6, in exsilio. *lin* 10, gratias ago nimis ne hic h. arch. v. P. *lin* 12, rest. n. modo Vigil. *lin* 13, cum vestra præceptione d. n. P. a. noster. Tunc dimissi omnes cum V. *lin* 15, Syracusis, afflictus calculi d. h. mortuus est. *lin* 17, Salaria. Hic fecit. *lin* 18, ep. m. 3, d. 6.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 102, *linea* 4, Sanguinarius tenuit. *lin* 14 et 15, Wilisarius. *lin* 19 helemosinas.

Num. 104, *lin* 3, Anthimum. *lin ead* juss suis cum v. m. ad Rom. *lin* 6, nam per viventem, *lin* 7, Anthimus.

Num 105. *lin* 1, Catenensem. *lin* 5, Constantinopolim vigilia.

Num 106, *lin* 1, intentiones. *lin* 2, locum suum et cautionem. *lin* 4, sed tamen virtute. *lin* 5, ad se ven. *lin* 14, loca et metalla.

Num. 107, *lin* 1, nuncupabatur, descendit.

Num 108, *lin* 11, archidiaconem. *lin* 12, adimperet. *lin* 13, preceptionibus. *lin* 16, sepultus.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 102, linea 7. — *Et fecit eum patricium et comitem*, etc. Patriciatus erat culmen dignitatum : tamen interdum patriciatui addebatur dignitas comitivæ, quasi accessio et complementum omnium dignitatum. Synes. (*epist.* 144) : Περὶ τοῦ Κόμητος ἐγγράφεις, λεγὼ δὲ τοῦ τυχόντος ἀρχῆς τῶν ἐν τῇ πατρίδῃ στρατιωτῶν. *De comite scripseras, intelligo autem de eo, qui adeptus est præfecturam militum in patriam.* Joseph Tiberiadensi præposito ædificiis ecclesiarum Tiberiadis comitivæ honorem adjecit Constantinus : de quo Epiphan, hæres. 30 : Ἀξίωματος Κομιτῶν ἔτυχε. Comitis nomen datum est omnibus, qui ex sacro comitatu assumerentur, ut patet ex Notit. dignit. imper. Necnon nomen et dignitas comitis addi solebat honoratis, id est iis qui functi erant omnibus muneribus reipublicæ gradatim, et per ordinem. L. 75 C. Th. *de Decurionibus*.

Num. 104, lin. 3. — *Quo audito, Augusta misit Anthemium scribonem cum jussionibus suis.* Scribonum varium erat munus in perferendis et exsequendis mandatis imperatoris. Anast. in Theodoro : [illegible] misit Ravennam per manus Maurini scr[illegible]. De quo plura in Gregor., lib. VIII, epist. 30, et lib. XII, epist. 30.

Lin. 7. — *Anthemius scribo veniens Romam invent eum in ecclesia sanctæ Ceciliæ* X *Kalendas Decembris, et rogante populo tentus est : erat enim natalis ejus*

Digitized by Google

dies, munera tradens populo. Vigilius memoratur fuisse in ecclesia sanctæ Cæciliæ in die natali ejus, et munera tradidisse populo. Hic locus intelligi potest de eucharistia, quia Græci eam vocant τὸ δῶρον, τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια δῶρα. . . .

Lin 10. — *Plebs autem sequebatur eum acclamantes, ut orationem ab eo acciperent : data oratione, respondit omnis populus, Amen.* Oratione data Romanus pontifex benedicebat populo. Anast. in Stephano IV : « Illicque oratione ab episcopo data juxta antiquitatis morem, tribuentemque pacem omnibus, in Lateranense introduxerunt patriarchium. » Idem in Sergio II : « et data a prædicto almo pontifice super populum oratione, ab ecclesia pariter omnes regressi sunt. » Cum sacerdos benedicit, populus respondet, *Amen.* » Ambros. in psalm. XL : « Sicut enim cum sacerdos benedicit, populus respondet, Amen. Confirmans benedictionem sibi, quam plebi sacerdos a Domino deprecatur, ita in psalmo responsum est, Fiat, fiat, quasi Amen, amen. »

Num. 105, linea 2. — *Retransmisit Romam Ampliatum presbyterum, et vicedominum suum.* Vicedominus est vicarius episcopi in temporalibus, can. *Diaconum*, can. *Volum.* 89 dist., can. *Salvat.* 1, qu. 3.

Linea 5. — *Ingressus est Constantinopolim in vigilia Domini nostri Jesu Christi.* Vigiliæ cum jejunio præcedunt majores solemnitates, puta Nativitatis Domini, Pascha, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ, Joannis Baptistæ, Apostolorum : inde dictæ, quia orationis causa in his de nocte solebant celebrari vigiliæ, cap. *Quæsivit de V. S.* Ambros. serm. 60, de fest. Pasch. et Pentecost. « Tunc enim sicut modo fecimus, jejunavimus Sabbato, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes institimus. » Gregor. de Mirac. D. Martin. lib. II, cap. 25 : « Nam cum in venerabili Dominicæ Nativitatis nocte sacrosanctis deducta excubiis, procedentes de ecclesia ad basilicam sancti ire destinaremus. » Ambrosius de Virginibus lib. III : « Dies factus est Petrus, dies Paulus : nox fuit, cum pauciores ad vigilias convenerunt. » Sed licet desierint vigiliæ, mansit nomen, et in vigiliis jejunium. Auctor sermon. ad fratres in Eremo serm. 25 de Nativitate Joannis Baptistæ : « Hæc autem festivitas non solum apud fideles, sed apud infideles vigiliam habet : in hoc festo maxime pagani infideles ad ecclesiam suam conveniebant vigilantes, sed destructis vigiliis illis, adhuc tamen antiquitatis nomen tenemus, quia dum jejunamus, vigiliam nuncupamus. »

Num. 108, linea 3. — *Tunc adunatus clerus rogaverunt Narsetem, ut una cum ejus suggestione rogarent principem.* Suggestio est inductio, admonitio. Anastas supr. eod : « Tunc Romani fecerunt suggestiones suas contra Vigilium. » Idem in Joann III : « Tunc Romani invidia ducti suggestionem fecerunt Justiniano et Sophiæ. » Et infra : « Ut cognovit Joannes papa, quia suggestionem suam ad imperatorem contra Narsetem misissent. » Suggerenda idem est Victor Uticens de persec Vandalic lib II : « Nullum invenit remedium imminens calamitas, nisi a sancto Eugenio rationabilis, si cor barbarum moveretur, suggerenda daretur tali texto conscripta. » Et infra : « Et quia secundo responso suggerendam me promisi oblaturum. »

BENCINI.

Num. 102, linea 16. — *Crucem auream*, etc. Desumpta hæc sunt ex Paulo Diacono, qui rem citato loco sic prodit : « Belisarius ut Africam attigit, Guntharith subito pacis illico peremit, residuosque Vandalorum reipublicæ jugo substravit. Victor exinde Belisarius Romam venit : auream crucem centum librarum pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas victorias descripserat, beato Petro per manus papæ Vigilii detulit, » etc. Prisco scilicet heroum ducumque more, qui scuta, ubi eorum victoriæ tropæaque descripta erant, in aris celebrioribus appendebant. Qua de re passim Pausanias.

Num. 107, linea 1. — *Tunc Gothi*, etc. Quæ hic narrantur, fere ad verbum leguntur apud Paulum Diaconum. Pressuræ autem Vigilii et persecutiones, quas Constantinopoli passus est, produnt Justiniani versipellem in religione simulationem, eam partem fovendis, quæ asseclarum provinciarumque numero potentior esset, et pontifices favoribus modo, modo artibus et ærumnis excipientis. Hinc suppressa arbitror et antiquata tot præclarissimorum virorum monumenta, qui eodem ævo inclaruerunt : Ut merito illud Facundi, hoc ipso tempore scribentis, usurpandum sit, lib. X (apud Sirmond. tom. II, pag. 728) : « Non enim quisquam scire aut reminisci omnia potest, quia nec omnia quæ scripto mandata sunt, hactenus perseverant, » etc. Cum enim Oriens tot sectis, plerisque omnibus catholicæ fidei adversantibus, distractus esset : Justinianus vero anceps quam potissimum sequeretur, magis magisque hæreret, obliterata sunt plurima catholicorum scripta. Ac id quidem Vigilius non obscure videtur innuisse in epistola sua, scribens in hunc modum : « Et ideo si causa Ecclesiæ ordinatur, ut pacem ei, quam avunculi sui piissimus princeps fecit temporibus, et modo restituat, ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior, » etc.

BINII ET LABBEI.

Num. 102, linea 1. — *Vigilius*, etc. Cum Vigilius favore Theodoræ Augustæ in sedem apostolicam intrusus post obitum Silverii se pontificatu subdole abdicasset, ea spe fortasse, ut per studia Belisarii legitime eligeretur, electuris novum pontificem Romanæ Ecclesiæ clericis ille metus incessit, ne si Vigilium multis criminibus notorie contaminatum eligerent, in sacros canones delinquerent ; si vero præterirent, schismati et periculosissimæ hæresi occasionem præberent. Post longam consultationem, ad avertendum schismatis, et hæreseos periculum, divino instinctu fortasse omnium consensu electus est Vigilius : catholicus quidem, sed propter ambitionem hæreticorum conversatione pollutus. Post emissam fidei confessionem omnisque hæreseos exsecrationem evectus est in thronum pontificium IV Kalendas Julii anno Christi 540, qui est Justiniani 14. Hæc omnia nutu Dei facta esse probavit eventus : admirabili enim exemplo accidit, ut qui ad maledicendum populo Dei antea fuerat inductus, idem ad benedicendum eidem converteretur ; quemque Theodora imperatrix ad revocandum Anthimum in sedem pontificalem evexerat, ille post legitimam sui electionem anathema adversus eumdem atque collegas ipsius hæreticos irrogatum iterum confirmaverit.

Linea ead. — *Sedit annos septemdecim*, etc. Sexdecim annis sedem apostolicam tenuisse Vigilium scribit Baronius anno 555.

Linea 10. — *Gratias ei egerunt imperator et Augusta*, etc. Justinianum de revocando Anthimo in sedem suam conscium non fuisse, sed potius ea omnia secreta machinatione Theodoræ Augustæ cum Vigilio commissa esse, indicat epistola Justiniani ad Mennam, in cujus fine inter alios exsecrandos hæreticos condemnandos enumerat Anthimum Trapezuntis episcopum. Unde patet quod ipse imperator Belisario hac in causa gratias non egerit, nisi forte persuasum sibi habuerit, Silverium justa sententia condemnatum, eique Vigilium legitima subrogatione suffectum fuisse.

Linea 11. — *Iterum misit eum in Africam*, etc. Hæc sub pontificatu Joannis Secundi anno Christi 535, contigisse videntur.

Linea 15. — *De Spoliis Guandalorum, Romam veniens*, etc. Hæc oblatio, cujus etiam meminit auctor Miscellæ Historiæ, fortasse facta est sub pontificatu Silverii, anno Christi 537, quando Belisarius post devictos Gothos Romam subegit. Si tamen aliqua

Digitized by Google

donatio facta est Vigilio, oportuit eam oblatam fuisse per ministros Belisarii in ejusdem absentia. Nam ipsum Belisarium quarto anno belli Persici Romam non fuisse ingressum, videre est ex Procopio.

Num. 104, linea 1. — *Item dedit neptem suam.* Historiam quæ in hac sectione continetur, et quæ in superiori CIII ab illis verbis : *Tunc Romani fecerunt suggestiones suas*, de fide suspectam esse Baronius anno 546, num. 54, probat.

Thomæ Aceti observatiunculæ.

Num. 104, linea 4. — *Excepto in basilica S. Petri varce. Nam si in Lateranis*, etc., *perduc usque ad nos.* Vide quanti tunc temporis habebatur vel apud hæreticam feminam *principis apostolorum basilica*, ut ibi tantum Romanus pontifex contra ebullientem Augustæ iram præsidium inveniret, atque incolumis servaretur.

Num. 105, linea 5 - - *In vigilia Domini nostri.* Procopius de Bello Gothico cap. 3, transacta hieme, redditoque navigandi opportuno tempore, Vigilium e Sicilia solvisse, et Constantinopolim appulisse scribit : idque superioribus Anastasii verbis est convenientius. Nam si prope diem Natalis Domini mense Decembri, quod ait, ordinationem habuit, quomodo in vigilia ejusdem Natalis Domini potuit Constantinopolim pervenisse. Baronius anno 547, num. 36.

Num. 106, linea 7. — *Tunc dedit ei alapam*, etc. Hæc quæ sequuntur contigerunt post obitum Theodoræ anno Christi 551, quando excitata in eum rursus persecutione per Theodorum episcopum Cæsariensem debuit confugere Chalcedonem in basilica S. Euphemii, ut patet ex epistola Vigilii ad universam Ecclesiam scripta. Unde quæ mistim, et confuse de Theodora Augusta jam ante triennium defuncta, deinceps ab Anastasio recensentur suis quæque locis lector restituat.

Num. 107, linea 1. — *Totila descendit Romam, et obsedit eam*, etc. Anno Christi 546 obsideri cœptam, Isauri milites anno sequente Totilæ prodiderunt, cum Romanis dira fame pressis sordidissima quæque deficerent, et multi mortui conciderent. Occupatam Urbem Totilas jam diruere, et in ovium pascua redigere incœperat; sed Belisarii litteris sapienter id dissuadentibus sæpius lectis, consilio destitit. Belisarius eamdem recuperavit postquam Totilam eodem anno 547 iterum campestri prælio superasset.

Num. 108, linea 1. — *Eodem tempore misit Justinianus Narsetem eunuchum.* Illo anno quo imperator ad instantiam Vigilii papæ edictum de tribus Capitulis promulgatum revocavit, seque Romano pontifici obsequentem præbuit, Narses dux Romani exercitus Dei auxilio per intercessionem beatæ Mariæ semper Virginis fretus, Totilam una cum toto exercitu anno decimo regni ejus (prout S. Benedictus monachus eidem prædixerat), fudit et interemit; ipsamque Urbem jam secundo ab ipso occupatam, secundo recuperavit, anno nimirum Christi 553. Claves portarum Narses, teste Procopio, Constantinopolim misit ad Justinianum imperatorem. Ita clavibus Urbis potitus est imperator, quando claves Petri in Vigilio recognovit.

Linea 10. — *Vultis recipere Vigilium*, etc. Justinianus hoc loco sacrilege confirmationem, et abrogationem Romani pontificis usurpat, quanta vero totius imperii jactura, clare infra patebit. Dolendum est, quod clerus Romanus populo poscenti promiserit, post obitum Vigilii non alium suffectum iri pontificem, quam quem imperator præsentasset, cum ea ratione ducta sit in captivitatem domina gentium, et regina provinciarum facta fuerit sub tributo.

Linea 16. — *Defunctus est Vigilius*, etc. Pelagius diaconus in suspicionem occisi Vigilii incurrit; verum seipsum de illata calumnia expurgavit, ut patet infra in Vita Pelagii.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Licet Vigilius Romanæ sedis invasor, utpote factione Theodoræ Augustæ intrusus in locum Silverii vi depositi et in exsilium pulsi, annos sui pontificatus revera non debeat ordiri, nisi a legitima electione, qua post Silverii obitum cleri suffragiis eidem suffectus fuit; attamen ipsi vulgo tributum uit etiam tempus, quo Silverius apud Pontias insulas exsul agebat. Assignantur enim illi a Bibliothecario et catalogis anni decem et octo, menses quinque (plures codices legunt menses sex, dies viginti sex, alii viginti quinque). Vita migravit die IV Idus Jan. juxta Panvinium, cui subscribit Holstenius in diagrammate chronologico, et notis ad Romanam synodum sub Bonifacio II, necnon card. Norisius de synodo V œcum. cap. 8, circa finem. Cum anno æræ Christianæ 555 (indictione II, inchoata jam ex Septembri superiori 554) dies illa IV Idus Januarii emortualis Vigilii recte componitur. Nam Marcellinus in Chronico refert, anno P. C. Basilii XIII (qui æræ Christianæ fuit 554), indictione II, quæ cœpit numerari ex mense Septembri, Vigilium papam a Romanis imperatoribus (Justiniano et Justino Jun.) tandem exsilio relaxatum Romam redire cœpisse. Hæc recte componuntur cum appulsu in Siciliam circa finem Autumni ejusdem anni : ubi morbo correptus mense Januario proxime sequenti, cum quo inchoat annus 555 vita migravit. Consonat hæc attributio temporum cum chronologia et historia Joannis Malalæ, sub eodem Justiniano scribentis. Narrat enim pag. 230, mense Augusto indict. XV (qui est annus 552). « Narses cubicularius Romanorum exarchus de victoria sua nuntium Romam misit : prælio enim cum Totila Gotho commisso Narses superior factus eum occidit, vestesque ejus cruentatas Constantinopolim transmisit. » Huic suffragatur Marcellini Chronicon, Totilæ cædem referens, indictione XV, P. S. Basilii anno 12. Biennio post eam victoriam refert Chronicon Marcellini dimissionem liberam Vigilii, ab imperatore ante detenti in regia urbe Constantinopoli, ut Romam redire posset cum suis. Hoc autem biennium ex morte Totilæ impendit Narses in recuperanda Italia, Roma præsertim, et Gothis undique expellendis, donec Teja, qui a Gothis Totilæ successor assumptus fuerat fortiter dimicante in ponte super Draconem fluvium, e monte Vesuvio prope Neapolim labente, et in prælio cæso, Gothis omnibus vitam paciscentibus ab Italia pulsis, imperii tranquillitas constabilita est. Ita enim sublata suspicionis et calumniæ occasione, qua Vigilius et Romani proceres quandoque impetebantur, permissa est redeundi facultas; cum teste Anastasio impetrassent Romani a Justiniano, optionem offerente tum Vigilii restituendi, tum Pelagii eidem subrogandi, ut Vigilius sedi suæ redderetur. Cum Gothorum omnium excessus ex Italia biennio post mortem Totilæ contigerit, nempe anno 554, dimissio Vigilii, et profectio Romanorum reducum in Italiam eodem anno circa Autumnum recte collocatur; et mors Vigilii in Sicilia IV Idus Jan. anni 555.

Anni septemdecim ejus sedis cum mensibus quinque vel sex et diebus viginti quinque si ex quarto Idus Januarii in superiora retrocedendo numerentur, incidet initium Vigilii in mensem Junii, vel Julii anni 537, quo tamen anno diximus Silverium papam mense Novembri exsulare jussum die 19. Mensium itaque numerum esse minuendum credo in ejus epocha, quam ad annos septemdecim, mensem unum dies viginti quinque redigendam puto. Ut autem mensium numerus ita sit auctus inde profectum credo, quod cum legitimus Vigilii pontificatus non cœperit nisi ex morte Silverii, novaque electione Vigilii, nempe ex mense Julio; insidebat omnium animis, ex eo mense sedis Vigilii verum exordium esse ducendum. Annorum vero numerus, qui unitate minuendus erat (superstite Silverio exsule usque ad

Digitized by Google

Junium anni 538) non ita tenebatur exploratus in hominum memoria, uti anni tempestas, qua decesserat. Quare in catalogis mirum non est, si per ætatem tot bellis ac vicibus captivæ ac liberæ urbis refertam, annorum numerus a sede usurpata, mensium vero a sede legitima possessa in Vigilio signatus fuit.

Huic nos tribuimus sedis legitimæ annos sexdecim, menses 6, dies 17, computandos ex die circiter 24 Junii 538 (ut demus quatridui spatium ex 20 Junii, qua martyrium consummavit in insula Pontia Silverius fame confectus, ad perferendum ejus mortis nuntium in urbem, et novam electionem legitimam Vigilii a clero celebrandam) ad diem 11 Januarii 555, Vigilii emortualem. Ante hos annos 16, menses 6, dies 17, usurpaverat Sedem Silverii Vigilius intrusus ex die 22 Novembris 537, ad 24 Junii 538, mensibus 7, diebus 2, qui additi annis 16, mensibus 7, diebus 17 constituunt summam ann. 17, mens. 1, dierum 19, et cum quatriduo a morte Silverii ad legitimam electionem Vigilii complent summam annorum 17, mens. 1, dierum 25, numerandum ex triduo post relegationem Silverii, perperam vero auctam mensibus 4 vel 5, et illi attributum annorum 17, mensium 5 vel 6, dierum 25 aut 26, ex errore jam indicato.

NOTÆ HISTORICÆ.

Num. 102, linea 1. — *Ex patre Joanne consule*, etc. Joannes cognomento *Gibbus* fuit consul Occidentalis anno æræ Christi 499. Fuit alius Joannes cognomento *Scytha* cos. anno 498, sed Orientalis. Joannem illum Gibbum crediderim habendum esse patrem Vigilii. Nam Fl. Joannes consul Occidentalis anno 456 nimium distare videtur ab ætate Vigilii, ut pater ejus credi possit : quemadmodum et Fl. Joannes, qui consulatum iniit anno 467, cum Fl. Pusæo paulo remotior videtur quam ætas ferat, ut filium pontificem superstitem habeat post annos nonaginta. Fl. Joannes vero Palladius Eutychianus V. C. comes et præfectus anno 536, ita nominatus in Actis concilii Constantinopolitani sub Menna qui biennio post consul fastos signavit, cum sit orientalis et æqualis ætate Vigilio, ejusdem genitor censeri non debet. Præter hos Joannes nemo hujus nominis consul in fastis hac ætate legitur. Quare ad Joannem Gibbum *referendam* puto originem Vigilii papæ.

Linea 14. — *Tunc Belisarius patricius de spoliis Guandalorum*, etc. Coarguunt aliqui Bibliothecarium, negantes adventum Belisarii in Urbem, et oblationem hujusmodi donorum sub pontificatu Vigilii contigisse : quos inter card. Baronius ad annum 545. Verum pace tanti scriptoris, ea de re satis constat. Procopius Belisarii in bello comes, et a secretis ipsi datus a Justiniano, diserte scribit lib. primo belli Gothici seriem rerum dictim a Belisario gestarum, et tempus, modumque ingressus in urbem Romam imperio recuperatam et moram biennii solidi ibidem protractam partim sub pontificatu sancti Silverii, partim sub Vigilio, primum invasore, deinde legitimo successore. Cum enim receptam Carthaginem narrasset Procopius lib. II de Bello Vandalico, et reditum Belisarii Constantinopolim consulatum, ac triumphum ipsi a Justiniano delatum tradit, qui incidit in æræ Christianæ annum 535, uti ex Fastis liquet. Eodem anno sui consulatus mittitur cum classe in Siciliam Belisarius : cujus prudentia et virtute insula illa imperio recuperata est, ita ut postremo sui consulatus die Syracusas ingressus fuerit victor Belisarius. Procopius de Bello Goth. lib. I, num 4. Mox ad Neapolis obsidionem convertitur impiger dux, et intra diem 20 stratagemate eamdem obtinuit. (*Ibid.*, num. 9.) Tum ad urbem Romam recuperandam se confert, quam Vitiges cæso Theodorico successor datus, in Gothorum potestate permansuram putabat, præsidio suorum ibi relicto, et senatoribus aliquot obsidium loco secum ductis Ravennam, Silverioque pontifice (male in aliquot codicibus Lugdunensis editionis 1594 expresso nomine Liberii) necnon senatu et populo adactis ad sacramentum fidelitatis. (*Ibid.*, num. 10.) Vix pervenerat Ravennam Vitiges, cum Belisarius benevolos receptores nactus exercitum via Latina ad Urbem admovit, et Gothis ultro excedentibus, Urbe potitus est. Librarii error ascripsit annum Justiniani undecimum, qui erat decimus enuntiandus, non secus ac paulo ante *Liberium* pontificem pro *Silverio* obtrusit. Gestorum series demonstrat, esse annum proximum a consulatu Belisarii; cum dux ille supremo sui consulatus die, hoc est 31 Decembris 535 Syracusas ingressus fuerit, et paucis mensibus anni 536 exactis potitus Neapoli, recta Romam contenderit, et nullo vetante obtinuerit, muros instauraverit, et ad sustinendam diuturn obsidionem a Gothis se ac Romanos accinxerit, et duces submiserit ad Tusciam recuperandam. (*Ibid.*, num. 13.) Labente anno 537 Vitiges ad Urbem castra posuit, et per annum integrum ac dies novem in obsidione perstitit, donec irrito conatu recedere coactus fuit (lib. II, num. 8) exacta æstate anni 538. Biennio igitur solido in Urbe moratus est Belisarius; ex autumno anni 536 ad autumnum anni 538. Hoc ipso biennio summum pontificatum Romanum administrarunt S. Silverius ex die 8 Junii anni 536 ad diem 19 Novembris 537, qua die nefarie pulsus in exsilium astu Theodoræ in insula Pontia diuturnum martyrium sustinuit usque ad XX diem Junii insequentis anni 538, signatum triumphali ejus exitu e mortali vita ad immortalem. Vigilius vero ejusdem Theodoræ jussu per Belisarium expulso Silverio invasor redditus cathedram Romanam occupabat immeritus toto exsilii ejus tempore : deinde ex invasore legitimus successor redditus, paucis diebus post mortem Silverii, Romani cleri accedente consensu, nempe circa finem Junii 538, potuit a Belisario oblata dona basilicæ Vaticanæ inferre, quæ memorat Bibliothecarius. Præsumendum vero est, post Urbis obsidionem solutam circa initium autumni 538 hanc oblationem contigisse, ut gratiæ Deo habendæ testimonium foret de tanta felicitate imperio, Urbi, ac duci parta in expulsione Gothorum a præcipua Italiæ parte, post Siciliam et Africam liberatam.

Num. 103, linea 3. — *Ad hæc rescripsit Vigilius : Absit hoc a me, domine Augusta*, etc. Quomodo ex invasore scelesto transformatus in legitimum sedis apostolicæ successorem, et constantiæ pontificiæ exemplum Vigilius, divina aspirante gratia, et cleri suffragiis in illum rite collatis, ne Ecclesia Dei diro schismate scinderetur, id ita perspicue per card. Baronium ostensum fuit ad annum 540, et illustratur per notas D. archiepiscopi Sommier, et VV. CC. Bencini, et Pagii, ad ejus Vitam hic inserendis, ut nostræ elucidationis ad textum Bibliothecarii locus non supersit. Unicum additamentum indicabimus tot cogitatis illustrium scriptorum accessurum ex domo Constantio in nova editione epistolarum summorum pontificum : de quo in epistola illius Prodroma hæc pollicetur D. Monpinot num. 13.

« XIII. Dum in singulis pontificibus immoror, sentio me epistolæ modum ac limites egredi. Itaque cæteris prætermissis, in Vigilio desinam.

« Quam multas pro fide molestias devoravit Vigilius, quanto animi robore steterit adversus Eutychianos ignorat nemo. Et tamen tot ærumnarum, tot egregie factorum præludium, si veteres recentioresque scriptores audimus, luctuosa fidei proditio fuit. Vexatur pontifex, traduciturque tanquam sacrilegæ nundinationis reus, qui pudore omni postposito, inita cum hæreticis nefaria societate, proculcatis Ecclesiæ legibus, ejurata synodi Chalcedonensis fide, Romanam sedem invaserit. Atque hæc macula jam in ejus nomine sic insedit inveteravitque, ut qui de ejus pontificatus initiis aliter sentiat, neminem hodie unum esse putem. Res est, fateor, invidiosa contra omnes niti, sententiæque communi reclamare. Verum id si

Digitized by Google

postulet veritatis amor, agaturque præsertim magnorum virorum fama, nemo cordatus reprehendat. Itaque impactam sanctissimo papæ calumniam propulsare suscepit Constantius : qua ratione, paucis indicabo.

« XIV. Parum habet vir doctus Isidori litteris et pseudo-Damasi sive libri Pontificalis, narrationi fidem derogare. Expendit præterea Africanorum scriptorum, Facundi Hermianensis, Victoris Tunonensis, episcoporum, et Liberati Carthaginensis diaconi de Vigilio dicta. Hoc enim cardine tota fabula vertitur. Eorum, inquam, criminationes rimatur penitus, easque tum inter se, tum etiam et cum aliis historiæ monimentis collatas funditus subruit. Ad hæc investigat quæ Silverii in exsilium pellendi causa ; quæ Vigilii in ejus locum promovendi ratio ; quæ pontificatus ejus initia ; quibus auctoribus, et quo tempore moveri cœperit de tribus capitulis controversia ; quid in his primo defendendis, deinde damnandis idem pontifex sibi proposuerit. Ejus denique gesta omnia sedulo excutit ; suam singulis chronologicam notam assignat ; certa ab incertis, vera ab falsis accurate secernit, atque hæc varia criticæ rei argumenta sic ad examen vocat, nullum ut sit, unde non aliquid ad calumniæ confutationem extundat.

« 1. Quod in pontificum Vitis legimus, constitutum a Bonifacio II, fuisse (id quod impermissum erat) ut sibi e vivis sublato successor eligeretur Vigilius, hoc ne veri quidem specimen habere, Constantius probat. Eodem quoque loco habendam esse ostendit epistolam Silverio affictam, qua Vigilium notat sanctus pontifex, tanquam primæ sedis cupiditate vel tum flagrasset, cum e diaconatus gradu non excesserat.

« 2. Ad calumniam itidem amandanda sunt chirographa, quibus Facundus, Victor, Liberatus et alii Vigilium spopondisse aiunt, se, si pontifex in Silverii locum crearetur, tria capitula damnaturum. Hoc Vigilius neque pollicitus unquam est, neque polliceri potuit, quippe qui pontificatum prius adeptus erat, quam de capitulis tribus damnandis cuiquam in mentem venisset. Neque melioris fidei est epistola eidem papæ attributa, qua primariis Acephalorum ducibus, Theodosio, Anthimo et Severo fingitur communionem suam impertire, idque præstare quod chirographis datis promisisse dicebatur. Refellitur hæc præcipua fabulæ pars disertissimis Africanorum ipsorum, cleri Romani, Justiniani Augusti, ac Vigilii denique, ut de aliis sileam testimoniis.

« 3. Epistola hæc neque ante exitum anni 548 procusa est, quo nimirum tempore suum Vigilius *judicatum* protulit; neque alios habuit auctores, quam Acephalos, qui cum ejusdem papæ constantiam nulla neque occulta, neque aperta vi frangere potuissent, eo demum conatus omnes suos intendere, ut odium illi catholicorum conflarent, dissipatis per provincias rumoribus improbissimis, scriptisque ejus nomine conflictis, quibus ad Eutychianas partes perfide olim transisse diceretur. Deinde calumniæ fidem adjunxere Africani trium Capitulorum defensores, eaque sumpsere pro veris, quæ per se ipsi cognoscere vix poterant, nimirum studio partim abrepti, prætereaque in exsilium ejecti, et ab Vigilii communione propter Capitulorum damnationem abalienati. Quidquid autem de chirographis, deque epistola memorant, hoc tam diverse tamque impedite memorant, ut neque inter se, neque cum idoneis hujus ævi monimentis, immo nec secum ipsi, Facundus in primis et Liberatus, conciliari possint.

« 4. Est illud quidem non ita perspicuum, Vigilii promotione canones nihil læsos esse : hanc enim, Silverio in exsilium pulso et superstite, factam esse nemo inficias ire potest. Non desunt tamen quæ legitimam fuisse persuadeant; ejusque rei testes citat Constantius non Vigilium modo ipsum, sed clerum Romanum, sed Gallos Hispanosque præsules, A imo et Orientales, quorum gesta dictaque, si recte interpretentur, Vigilium probant statim in sui pontificatus initiis, et Silverio vivente, pro legitimo pontifice habitum, ejusque rescripta in sedis apostolicæ rescriptis numerata.

« 5. Quæ de ejusdem papæ Constantinopolim profectione, maxime de profectionis causa, deque populi Romani dicteriis violentiæ additis fabulatur pseudo-Damasus, hæc tametsi refelli vix opus erat, suo tamen in loco refelluntur, nec sine aliquo operæ pretio. Pari studio excutiuntur synodi quintæ interpolationes, juramentum nequiter pontifici affictum, litteræ duæ ad Justinianum et Theodoram ejus nomine falso insignitæ, cæteraque hoc genus alia, quæ non levem ejus integritati labem aspergebant.

« 6. Neque prætermissum id quod alii partim veteres, partim recentiores tradunt : Vigilium scilicet, si non erroris defensione, saltem levitate peccasse; si non dolo malo, saltem exsilii impatientia, trium B Capitulorum damnationi assensisse. Utrosque evanguit Constantius nuda et simplici rerum expositione; inanemque hanc sive exsilii fabulam, sive levitatis exprobrationem explodit. Uno verbo quidquid flagitiose procudit malevolentia falsariorum, quidquid hominum, præjudicatis opinionibus indulgentium credulitas incaute admisit, hoc diligens editor extricando retegendoque confutavit. »

Diatribam hanc ut seorsim ederet, suadebant amici ; tum quia ad libri molem satis accedit, paginas quippe continet plus octoginta ; tum quia reliqui operis gustum dare potest. Verum illam vir prudens suo servari loco maluit, ratus, id quod res est, hanc inter et Vigilii litteras tantum esse cognationis, ut mutuam sibi lucem utræque præstent; adeoque sine maxima lectoris molestia dissociari nequeant.

CIACONII.

Num. 102, linea 1. — *Vigilius natione Romanus*, etc. C Hujus Vigilii ingressus parum legitimus fuit, cum præter ecclesiasticas regulas prædecessore suo Silverio vivente, et pontificatus administratione submoto, per vim pontificatum Romanum occuparit, et ideo sextum schisma, quod Silverii morte finitum est, notatur. Proculdubio Vigilius ambitionis spiritu diu laboravit. Nam paulo ante sub Bonifacio II papa se in pontificatu adjutorem et successorem creari procuravit, et ea re illi tunc ex animo succedente, aliquo tempore post, Silverii locum invasit, ut auctor est Anastasius ubi supra. Quæ omnia illi Silverius exsul in epistola quadam quæ II tom. Conciliorum excusa est vehementer exprobrat.

PAGII.

Linea 10. — *Quomodo in locum Silverii*, etc. Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, et Agapeti papæ Constantinopoli apocrisiarius, anno quingentesimo trigesimo sexto, post Agapeti mortem, Romam reversus cum D litteris Theodoræ Augustæ, ut in pontificem Romanum eligeretur, opera Belisarii, sanctum Silverium, jam Romæ ordinatum et sedentem, in exsilium a Belisario mitti curavit anno quingentesimo trigesimo septimo, die decima octava Novembris ; ipseque in ejus locum intrusus, ordinatus est antipapa die vigesima secunda ejusdem mensis, ut in Silverio narravimus. Certe per aliquot dies vacasse sedem post Silverii depositionem, colligitur ex Procopio lib. I de Bello Gothico cap. 25, ubi postquam dixit Belisarium in Græciam Silverium relegasse, subdit : « Ac Vigilium paulo post ad pontificatum provexit. » Liberatus etiam, Silverii depositione narrata, ait : « A suis ulterius non est visus. Et altera die Belisarius convocatis presbyteris et diaconibus et clericis omnibus mandavit eis, ut alium sibi papam eligerent. » Ex quibus inferre licet, die 19 Novembris anni 537, qui est *alter* dies a depositione Silverii, Vigilium electum fuisse, et ordinationem ejus dilatam in pro-

Digitized by Google

ximam Dominicam, scilicet in diem 22 Novembris, ad quem diem respexit Procopius, scribens *paulo post* irrogatum Silverio exsilium, Vigilium ad pontificatum evectum. Unde duo ex catalogis tom. I criticæ Baronianæ præfixis habent cessasse sedem *diem* unum, respicientes ad ejus electionem ; et Anastasius respiciens ad ordinationem scripserat cessasse sedem dies quinque sed a librariis addita est sine dubio unitas, ex ipsomet enim Anastasio constat Vigilium ordinatum die 22 Novembris, cum scribat eum diem fuisse diem Natalis ejus. Ab eo itaque die, usque ad mortem Silverii, Vigilius fuit antipapa, de quo vide dicta in Silverio.

Tres supersunt Vigilii antipapæ epistolæ. De priori egimus in Silverio; secunda in conciliorum Collectione scripta dicitur ad Eutharium adversus Priscillianistas et Arianos ; sed Baluzius tomo I novæ Collectionis conciliorum, pag. 1468, demonstrat eam inscribi debere *Profuturo*, qui hoc tempore Bracarensis episcopus erat, idque auctoritate plurium codicum bibliothecæ Colbertinæ; et insuper ejus, sub nomine Profuturi, mentio est in gestis concilii primi Bracarensis, ubi fertur scripta ad interrogationem ejus, et propter prolixitatem gestis minime inserta. Ex hac epistola intelligimus errorem rebaptizantium, olim a sancto Stephano papa hujus nominis primo, et postea in concilio Nicæno damnatum, ac a sancto Augustino in Africa impugnatum, sæculi sexti initio in Hispaniis ab Arianis et Priscillianistis redintegratum fuisse. Datam illius epistolæ restituit idem Baluzius ex exemplari Colbertino, in quo dicitur, *data Romæ* III *Kal. Julii Flavio Joanne viro clarissimo consule*, cum in collectione Conciliorum dicatur *data Kal. Martii Volusiano et Joanne viris clarissimis coss.*, cum tamen nullus per hæc tempora Volusianus consulatum gesserit, et Joannes solus sine collega, anno 538, in Oriente consul processerit, ut omnes Fasti habent, et habetur in sequenti Vigilii epistola.

Baronius existimavit Vigilium, postquam Silverii mortem ac miracula eam secuta accepisset, pœnitentia ductum pontificatui male usurpato renuntiasse, et post dies sex, ut habet Anastasius, libera cleri electione iterum pontificem Romanum electum esse. Verum ex dictis constat, Anastasium ibi non loqui de vacatione sedis, quæ post Silverii mortem contigerit, sed de ea, quæ accidit a die decima octava Novembris anni 537, postquam pontificatu depositus fuit, ad diem ordinationis Vigilii, quæ quinto post die peracta est, nempe 22 Novembris. Mortuo postea Silverio consensit quidem clerus Vigilii pontificatui, et suffragiis suis legitimum Ecclesiæ pastorem declaravit, tam Belisarii potentia coactus, quam ecclesiasticæ pacis et unitatis studio ; sed aliquam abdicationem intervenisse gratis asseritur, et sine ullo alicujus auctoris testimonio.

Subito itaque Vigilius in alterum virum mutatus, sancto Spiritu, qui Ecclesiam regit, operante, quæ alias in synodi Chalcedonensis fidem ad Theodoram Augustam sacrilege scripserat, solemni fidei professione delevit, ut videre est in ejus epistola IV ad Justinianum imperatorem scripta, qua quatuor synodos Œcumenicas, et sancti Leonis epistolas, aliorumque decessorum, se recipere, et secundum eas credere professus est, confirmavitque Agapeti papæ in Anthimum e sede Constantinopolitana depositum, aliosque acephalos constitutum. Eadem de re scripsit Vigilius ad Mennam episcopum Constantinopolitanum epistolam V qua gratulatur eum, hæreticis damnatis, sanctas quatuor universales synodos amplecti ; et ab hæresi resipiscentes recipi debere statuit, dummodo anathema dicant eis, qui prædictas quatuor synodos in causa fidei non sequuntur, vel sancti Leonis papæ venerabilia constituta in omnibus non confitentur. In fine legitur : « Flavius Dominicus vir clarissimus, comes domesticorum, exconsul ac patricius, has schedas a beatissimo atque apostolico papa Vigilio in causa fidei factas ad Domnum nostrum Justinianum piissimum et Christianissimum principem ; sed et ad Mennam virum beatissimum Constantinop. archiep. civitatis relegens, conferens, consentiensque subscripsi die XV Kalend. Octobr, Justino viro clarissimo consule » ann. Chr. 540, quo ideo utraque ep. ad Justinian. et ad Mennam scripta est a Vigilio qui eas Romæ prædicto dom. tradidit, ut patet ex epist. ad Mennam.

Num. 103, linea 1. — *Theodora Augusta scripsit ad Vigilium papam*, etc. Nunc explicanda est controversia de tribus capitulis, quorum occasione celebrata est quinta synodus œcumenica, Constantinopolitana secunda, ex cardinali Norisio in Dissert. de synodo quinta cap. 3 et seqq. Pelagius Vigilii papæ apocrisiarius Constantinopoli, ut Theodori Cæsareæ Cappadocum episcopi, magni Origenistarum patroni, qui magna apud Justinianum gratia et auctoritate pollebat, potentiam atque existimationem deprimeret, cum Menna episcopo Constantinopolitano, Justino suasit, ut libellos contra Origenem, ac sectatores, a monachis sibi oblatos susciperet, et Origenem damnaret : « Annuit, inquit Liberatus, cap. 23, imperator facillime, gaudens se de talibus causis judicium ferre. Jubente eo dictata est in Origenem et in illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes una cum Menna archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano, Zoilo Alexandrino, Æphremio Antiocheno, et Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus et subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens fuerat ante damnatus. » Encyclicam itaque epistolam scripsit Justinianus ad quinque orbis patriarchas, in qua Origenis errores de mysterio Trinitatis, de animarum præexistentia, de anima Christi, aliisque de rebus refert, ac sanctorum Patrum testimoniis eosdem impugnat, quorum summarium continetur in novem canonibus, quos epistolæ subjicit, et notis illustrat Lupus in commentario ad synodum quintam. Ubi hæc epistola publicata, atque teste Liberato laudato, a Vigilio papa, aliisque patriarchis subscripta fuit, grave origenianæ doctrinæ vulnus illatum est. Hæc post annum 560, et ante annum 544 gesta.

Ex damnatione Origenis orta de tribus Capitulis controversia, quæ ingentium turbarum et calamitatum origo fuit ; Origenis enim defensione desperata, ad ultionem animum dolose verterunt Origenistæ. Theodorus Cæsareæ metropolita, cognomento Arcidas, quem diximus magnum fuisse Origenistarum patronum, Justiniano imperatori suasit, Acephalos compendio ad subscribendam synodum Chalcedonensem adduci posse, si tria tantum, quibus hi plurimum offendebantur corrigeret. Nempe si damnaretur Theodorus episcopus Mopsuestiæ Nestorii magister, cujus laudes habentur in epistola Ibæ episcopi Edesseni in synodo Chalcedonensi recitata. Deinde si prohiberentur libri Theodoreti episcopi Cyrensis contra duodecim Capitula sancti Cyrilli in Ephesina synodo consecrata, quos libros patres Chalcedonenses non condemnarant, contenti dicto contra Nestorium a Theodoreto præsente anathemate. Tandem si rejiciatur memorati Ibæ epistola ad Marim Persam, in qua laudat Theodorum, sanctum Cyrillum accusat, ac Ephesinam synodum, latæ citra examen præcipitis contra Nestorium sententiæ insimulat. Iis tribus capitulis proscriptis, subitam Theodorus Cæsareæ metropolita pollicetur Acephalorum unionem.

Ea tamen mente hæc Justiniano suggerere visus est Theodorus, ut concilii Chalcedonensis correctio strueretur, quod usque ad minimum iota Pelagius Romanæ sedis apocrisiarius, cum Occidentali Ecclesia, sartum tectumque volebat. Theodora Augusta, quæ palam Acephalis studebat, id ipsum quod suaserat antistes Cæsareensis, Justiniano inculcat, sed eo consilio pessima mulier facinus moliebatur, ut ubi semel Chalcedonensis concilii correctio in aliquibus fieret, jam universim ejusdem auctoritas collaberetur, ac

Digitized by Google

nullius ponderis evaderet, quod alicubi errasse monstraretur : « Hæc audiens imperator, inquit Liberatus in fine sui Breviarii, et dolum dolorosum minime prospiciens, suggestionem eorum libenter accepit, et facere promptissime spopondit. » Et postea : « Annuit his princeps, et hoc se lætus implere promisit, et relinquens operis sui studium unum in damnationem trium capitulorum condidit librum pro delictis nostris nobis omnibus notissimum. » Hoc est primum edictum a Justiniano imperatore contra tria Capitula emissum, quod non exstat, ut mox videbitur.

Stephanus diaconus, qui Pelagio a Vigilio Romam evocato apocrisiarii munere apud imperatorem fungebatur, palam edicto restitit, ac Mennam Constantinopolitanum episcopum ob datum consensum, fractæ fidei reum increpuit, cui et a pluribus episcopis libelli dati sunt ad Vigilium transmittendi, in quibus protestabantur : *Quod a Constantinopolitano episcopo coacti subscriberent.* Facundus tamen Hermianensis lib. IV, c. 4, scribit Mennam Constantinopolitanum, Petrum Hierosolymitanum, et Ephremium Antiochenum episcopos, licet nolentes et invitos edicto subscripsisse. Pelagius diaconus, qui tunc Romæ versabatur, quique Origenistarum impugnator erat, adversus edictum insurrexit, sicut et episcopi Africani. Divisa igitur est in partes Ecclesia ; nam Oriens edictum recepit ; at Occidentales Illyrici, Itali, Galli, Hispani, et ut jam dictum est, Africani pro tribus Capitulis depugnarunt.

Vigilius itaque ac reliqui Occidentis episcopi edictum contra tria Capitula subscribere recusabant, arbitrati id absque gravi in synodum Chalcedonensem injuria perfici nullo modo posse. Quare cum per hujusmodi Ecclesiarum dissidia annus traheretur, Justinianus curavit plena synodo quæstionem in regia urbe discuti. Quo tamen patriarchas facilius eo pertraheret, Acephalorum sectæ ad Orthodoxam societatem reducendæ studium prætexuit. Vigilius etiam ab imperatore ad synodum vocatus fuit, qui tamen non recta Constantinopolim perrexit, sed in Siciliam ivit, eo consilio, ut ibidem synodus cogeretur. Diu in Sicilia permansit, nam Procopius lib. III de Bell. Goth. cap. 6, loquens de ejus Constantinopolim adventu, ait : « Vigilius Romanus pontifex Bizantium imperatoris accitu venit ex Sicilia, ubi jam diu degerat profectionis illius causa. » Diutinam Vigilii in Sicilia moram probant etiam legationes quas ibidem excepit. Africæ quippe et Sardiniæ episcopi eum per Oratores rogarunt, ne novis Justiniani contra tria Capitula decretis acquiesceret, ut testatur Facundus lib. 4, cap. 3.

Roma egressus est Vigilius circa finem anni 544 et quidem die 22 Novembris, ut ait Anastasius, qui scribit, eum fuisse *Natalis ejus diem ;* licet enim ibidem multa fabulosa de Vigilio habeat, inde tamen non sequitur eum etiam in die, quo Roma discessit, falsum esse. Annus eruitur ex Victore Tununensi, qui ejus profectionem narrat *post consulatum Basilii V. C. anno* IV, qui secundum ejus supputandi modum est annus 544. Præterea Vigilius ipse in epistola encyclica anno 552 Nonis Februarii data, tradit hæc se ad Justinianum suo nomine per nuntium deferenda dixisse : « Nos ad pietatem tuam festinantes ante septem annos de civitate nostra sic egressi sumus, ut nulla haberemus privata negotia. » Quare cum septem annos numeret, ex quo Roma discesserat, confirmat quod scribit Victor laudatus, eum Roma discessisse anno 544 et quidem exeunte, ut ex Anastasio diximus.

Vigilium profectionem illam invitum et coactum suscepisse docet idem Victor Tununen. loco laudato, ubi scribit : « Justinianus imperator Acephalorum subreptionibus instigatus Vigilium Romanum episcopum subtiliter compellit, ut in urbem regiam properaret, et sub prætextu congregationis eorum, qui ab Ecclesiæ sunt societate divisi, tria Capitula condemnaret. » Clerici etiam Italiæ in epistola, quam anno 552, legatis Francorum Constantinop. proficiscentibus scripserunt, inquiunt : « Veniens ibi (scilicet Constantinopolim) ante sex annos istos beatissimus papa Vigilius, magis autem, ut quod verius est dicatur, prope violenter deductus. » Ex quo etiam confirmatur, Vigilium anno 544 Roma exiisse. Hæc tamen non favent Anastasio scribenti Vigilium captum esse Romæ jussu Theodoræ Augustæ ab Anthemio Scribone, et navi impositum per vim Constantinopolim deductum, quæ et plura alia ab eodem Anastasio narrata sunt mera fabulosa ut observavit Baronius. Certe Justinianus, qui Vigilium in suam sententiam pertrahere volebat, eum indigne haberi mandare non potuerat. Unde Victor Tununensis ait tantum eum *subtiliter* compulsum, et clerici Italiæ *prope violenter* deductum esse.

Dum Vigilius in Sicilia moras traheret, ad eum Constantinopoli venit Datius metropolita (ibi enim morabatur vel fuga lapsus ad evadendas cruentas Gothorum manus, ut ait Baronius, vel causa fidei ibidem exactus, ut scribit sanctus Gregorius papa lib. III Dialog. cap. 4), a quo intellexit Mennam patriarcham Constantinopolitanum, latam a Justiniano contra tria Capitula sententiam subscripsisse, indeque non modo Stephanum Vigilii apud Justinianum apocrisiarium, sed plerosque etiam episcopos ac laicos ab ejus communione se segregasse : unde Vigilius in litteris ad Mennam, quas Facundus in libro contra Mocianum laudat, scribit : « In Siciliensi insula constituti, fratre et coepiscopo nostro Dario referente didicimus, quod ipse et alii consacerdotes nostri et multi filii Ecclesiæ Christianæ a tua se nihilominus communione subtraxerint. » Quare facundus loquens de profectione Vigilii ex Sicilia, ait Vigilium per litteras Mennam increpasse, quod edicto Justiniani subscripsisset. Quomodo postea cum eo se gesserit Constantinopoli infra dicetur.

Tandiu in Sicilia remansit Vigilius, non solum ut synodum in ea insula fieri posse impetraret, quo ex Oriente, Occidente, atque Africa episcopi facili navigatione se conferrent ; verum etiam ne Romam a Gothis obsessam periculosis temporibus deserere videretur. Sed tandem anno 546 jam, ut videtur, multum provecto, facta in Peloponeso excursione terrestri itinere Constantinopolim perrexit ; nam per Helladem et Illyricum eumdem iter habuisse tradit Facundus lib. IV, cap. 3. Thessalonicæ obviam habuit Sebastianum diaconum apostolicæ sedis in Dalmatia quæstorem, quem in provinciam Vigilius redire jussit mandans, ne Constantinopolim accederet, nisi post exactas Prævalis pensiones. Ingressus est autem Constantinopolim Vigilius die 25 Januarii anno 547, ut habet Continuator Marcellini ad eum Christi annum

Vigilius summo honore a Justiniano imperatore exceptus est, ut testatur Theophanes in Chronico, ubi addit : « Tantis honorum et cultus indiciis ab imperat. decoratus, adeo animatus est, ut a communione exclusionem menses quatuor sustinendam Mennæ Constantinopolitano episcopo in pœnam imponeret. » Sed Theodora imperatrix Mennam Vigilio conciliavit ; subdit enim Theophanes : « Vigilius pariter a Theodora Augusta rogatus, Junii die vigesimo nono, qui sanctis apostolis sacer, patriarchæ Constantinopolitano Mennæ pa[illegible] restituit. » Quare cum Mennas per quatuor menses a communione suspensus fuerit, ab ea circa finem mensis Februarii a Vigilio papa exclusus fuerat. Id autem accidisse anno 547 demonstrat idem Theophanes scribens : « Eodem anno die 11 Maii sanctæ Pentecostes sabbato cum ludi circenses celebrarentur, » etc. Quo Paschali charactere designatur annus 547. Pascha enim eo anno die 24 Martii celebratum est. Decretum etiam contra Acephalos promulgavit Vigilius, quamvis ipsis faveret Theodora Augusta, ut testatur

Digitized by Google

sanctus Gregorius M. lib. II, epist. 36, ad episcopos Hyberniæ.

Interim tamen Vigilius experiebatur, quam prudenter decessores pontifices Græcorum synodis non interfuissent. Talis enim ac tanta eidem violentia inferebatur, ut in publico conventu semel in hasce querelas eruperit: *Contestor, quia etsi me captivum tenetis, beatum Petrum apostolum captivum facere non potestis.* Horum testis venit Italiæ clericus in epistola, seu libello supplici dato legatis Childeberti Francorum regis Constantinopolim proficiscentibus, quo enixe rogabantur, ut Vigilii papæ causam susciperent. Hoc unum, ut superius diximus, petebat Vigilius, ut in Sicilia, vel alio quopiam loco Occidenti proximiori œcumenica synodus haberetur, ad quam Latini commode commeare possent. Sed ex Justiniani decreto res in urbe regia ventilanda erat. Quare urgente synodum imperatore, Vigilius Constantinopoli concilium quorumdam episcoporum anno 548 coegit. *Adfuere*, inquit Facundus in libro contra Mocianum, *septuaginta circiter episcopi cum Romano antistite congregati.* Sed cum secus quam sperabat Vigilius, rem succedere animadverteret, eodem Facundo et quibusdam aliis Afris tria Capitula vehementius propugnantibus, Acta synodi interrumpens statuit per semetipsum sententiam proferre.

Diuturnioris itaque in urbe regia moræ impatiens, ac Justiniani violentiis fractus *Judicatum* ad Mennam Constantinopolitanum patriarcham scripsit, in quo propugnata huc usque tria Capitula, mutata derepente sententia damnavit, adjecta tamen clausula: *Salva in omnibus reverentia synodi Chalcedonensis.* Ipse Vigilius in litteris contra Theodorum Cæsareæ metropolitam rem ita narrat: « Pro scandalo refrenando condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda, tali scilicet conditione, ut omni imposterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo, nec litteris quisquam facere ex eadem causa præsumeret. » Jam enim Vigilius videre cœperat, quod Græci recte monebant, tria Capitula ad synodum Chalcedonensem non spectare, quæ jam finita erat, antequam illa nominarentur, et de quibus Leo Magnus minime sententiam tulerat, quippe qui Acta synodi usque ad definitionem fidei solummodo approbarat. Judicatum porro tradidit Vigilius Mennæ Sabbato sancto, seu die 11 Aprilis, ut ipsemet asserit in epistola ad Rusticum et Sebastianum Romanæ Ecclesiæ diaconos.

Utrique parti se fecisse satis Vigilius putavit, Græcis, quod tria Capitula condemnasset; Latinis, quod salva synodo Chalcedonensi id se fecisse contestaretur. Præsto erant Vigilio inter alios Rusticus et Sebastianus doctissimi Romanæ Ecclesiæ diaconi, qui uterque Judicatum summis laudibus extulit. At Facundus episcopus Hermianensis qui etiam Constantinopoli aderat, Vigilium mendacii, proditionis, collusionis cum Acephalis, ambitionis, venalitatis arguit, ut videre est in libro præsertim contra Mocianum. Africani non modo Judicatum non approbarunt, sed eidem consentientes ecclesiastica communione privarunt. Idem ab Illyricis episcopis factum. Fremebat universus occidens, palamque Justiniani jussis non modo episcopi, sed integræ plebes refragabantur; imperator ex Vigilii Judicato lites in immensum excitas intelligebat, quas tamen eo scripto componendas speraverat. Quamobrem famæ suæ consulens Vigilius, datis ad nobiles episcopos litteris, scilicet ad Valentinianum Tomitanum in Ponto metropolitam et ad Aurelianum Arelatensem anni 550 initio, docuit in Judicato suo se nihil contra Chalcedonensis synodi reverentiam admisisse. Utraque epistola inserta est Actis quintæ synodi collatione VII.

Anno quingentesimo quadragesimo nono Rusticus et Sebastianus diaconi Ecclesiæ Romanæ, magni illi, ut numero superiori diximus, Judicati præcones ac laudatores, Felicis monachi Africani, Gillitani monasterii Hegumeni persuasionibus victi, a priori sententia discessere, ac perfricta fronte a Vigilii communione segregati, hostium numerum auxere, ac litteras quaqua versum disseminarunt, quibus significabant Vigilium *aliquid scripsisse, quod reperiatur adversum diffinitioni sanctæ Chalcedonensis synodi*, teste ipsomet Vigilio in sententia adversus eos lata anno 550 post diem XVIII mensis Martii, ut ostendit auctor criticæ Baronii eo anno num. 4. Vigilius enim justa contra eosdem indignatione concepta, ubi ad meliorem frugem eos reverti nolle cognovit, utrumque anathemate perculsum dignitate ac gradu submovit. Sententia in eosdem a Vigilio lata inserta est Actis synodi quintæ Collat. VII. Rusticus erat Vigilii papæ nepos, et Baluzius tomo I novæ Collectionis conciliorum in Præfatione ad Acta synodi Chalcedonensis num. 25 et pag. 1228, ostendit hunc Rusticum unum eumdemque cum illo fuisse, qui priorem versionem Latinam concilii Chalcedonensis cum codicibus antiquis contulit.

Eodem anno quingentesimo quadragesimo nono episcopi Illyrici, ubi primum Judicatum Vigilii ad eos pervenit, synodum indixere, et communi consilio trium Capitulorum defensionem suscepere, teste Victore Tununensi ad eumdem annum scribente: « Illyriciana synodus in defensione trium Capitum Justiniani Augusti scribit, et Benenatum primæ Justinianæ civitatis episcopum obtrectatorem eorumdem trium Capitum condemnat. » Mirum non est, inquit cardinalis Norisius in eadem Dissert. de synodo quinta, cap. 4, Benenatum solum ex Illyrici metropolitis contra tria Capitula sensisse, erat enim episcopus, novæ Justinianæ a Justiniano imperatore præfectus.

Anno quingentesimo quinquagesimo Africani antistites, Reparato Carthaginensi episcopo duce, grande facinus ausi, non modo Judicatum rejecerunt, verum etiam Vigilium ipsum anathemati subjecerunt, teste Victore Tununensi in Chronico, qui fusius, quam cæteri, gesta in causa de tribus Capitulis suis fastis inseruit: « Post consulatum Basilii, inquit, anno X, ideoque anno 550, Africani antistes Vigilium romanum episcopum damnatorum trium Capitulorum synodaliter a catholica communione, reservato ei pœnitentiæ loco, recludunt, et pro defensione trium memoratorum Capitulorum litteras satis idoneas Justiniano principi per Olympium magistrianum mittunt. » Ex quo patet Africanos episcopos eo usque temeritatis erupisse, ut ipsum pontificem Romanum palam anathemate percellerent. Sed et eosdem pari pœna Vigilius multaverat, nam Judicati detractores ipso facto anathemati subjiciebantur, quod ex his, quæ in sententia ejusdem Vigilii contra Rusticum et Sebastianum leguntur, intelligitur: « Quos pro hoc, ait Vigilius, quod contra Judicatum nostrum scripserant, per ejusdem Judicati seriem constabat jam a nobis communione suspensos. »

Justinianus imperator acceptis actis synodalibus episcoporum Illyricorum, quibus anno quingentesimo quadragesimo nono tria Capitula defenderant, actisque Concilii in Africa eamdem in rem anno quingentesimo quinquagesimo coacti, contra Illyricos et Africanos rescripsit, ut docet Isidorus in libro *de Viris illustribus* cap. 12: « Justinianus, inquit, imperator condidit quoque et rescriptum contra Illyricianam synodum, et adversus Africanos episcopos, in quo tria Capitula damnare contendit. »

Vigilius nulla re in dies magis angebatur, quam quod Judicatum emiserat, cujus scripti non semel eumdem pœnituit; videbat enim Occidentales ob id, omni erga apostolicam sedem reverentia deposita, rebellasse. Quare prudenti consilio cum Justiniano egit, ut a Menna sibi Judicatum illud restitueretur,

Digitized by Google

unde postea in synodo plenaria, velut ex integro eadem causa tractaretur nullaque fieri posset ex priori illo decreto Patribus in dicenda sententia præscriptio. Judicatum itaque suum ex Mennæ manibus recepisse Vigilium, omnemque deinceps usque ad concilium, de tribus Capitulis quæstionem, sub anathematis pœna interdixisse, testatur clerus Italiæ in libello Francorum legatis tradito, ipseque Vigilius in sententia contra Theodorum lata. Illius Judicati nec unicum exemplum apud Mennam remansisse, eo argumento probat cardinalis Norisius laudatus cap. 4, quod cum postea collatione VII quintæ synodi ex scriptis Vigilii tria Capitula ad apostolica sede damnata esse demonstrare Græci Patres conarentur, ac sententiam contra diaconos Romanos Rusticum et Sebastianum, itemque epistolas ad Valentinianum Tomitanum, Aurelianum Arelatensem episcopos, Judicatum minime protulerunt. Ita cardinalis Norisius.

Verum post editam illam de synodo quinta dissertationem, Baluzius in nova collectione conciliorum acta vulgata concilii quinti cum Mss. Bellovacensi, et Parisiensi diligenter contulit, multas varias lectiones ex his notavit, et præterea varia fragmenta publicavit quæ sunt magni momenti, inter ea insigne fragmentum ex Judicato Vigilii quod ad nos non pervenit, supplevitque sacram divalem Justiniani, quæ mutilata in omnibus conciliorum editionibus legitur. In hac epistola, seu epistolæ fragmento ait Justinianus, Vigilium in suo Judicato tria Capitula anathematizasse his verbis : « Et quoniam his quæ nobis de nomine Theodori Mopsuistini scripta porrecta sunt, multa contraria rectæ fidei relegantur, nos monita Pauli sequentes Apostoli dicentis, *Omnia probate, quod bonum est retinete*, ideoque anathematizamus Theodorum, qui fuit Mopsuestiæ episcopus cum omnibus suis scriptis, et qui vindicant eum. Anathematizamus et impiam epistolam, quæ ad Marin Persam scripta esse ab Iba dicitur, tanquam contrariam rectæ Christianorum fidei, et omnes qui eam vindicant, vel rectam esse dicunt. Anathematizamus et scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem, et duodecim capitula sancti Cyrilli scripta sunt. » Et hæc quidem in ea, quæ dicitur Judicatum, inserta sunt, inquit Justinianus in dicta epistola. Ex quibus patet Justinianum et consequenter Mennam patriarcham apud se retinuisse exemplum Judicati Vigiliani. Ideo autem lectum non fuit Collatione VII, quia Vigilius die decima quarta Maii, duodecim diebus ante eam Collationem, quæ habita est die XXVI ejusdem mensis, Constitutum suum ediderat, quo tria Capitula defendebat, ideoque Judicatum ab eo revocatum censebatur.

Cum accepisset Justinianus nomen Theodori e sacris diptychis ecclesiæ Mopsuestenæ, cujus olim episcopus fuerat, erasum esse, ad Joannem metropolitam Justinopolitanum in Cilicia minori, et ad Cosmum episcopum Mopsuestiæ litteras dedit die 17 Junii anno 550, ut collecta provinciæ synodo investigaretur, quandonam id factum esset. Adfuere cum Joanne metropolita octo alii episcopi, seniores clerici, et nobiles civitatis. Prolata sunt Mopsuestenæ Ecclesiæ diptycha, in quibus antistitum illius sedis nomina ita inscripta legebantur : « Pro requiescentibus episcopis Protogene, Zosimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Bassiano, Auxentio, Palatino, Jacobo, Zosimo, Theodoro, Simone, » qui duo ultimi paulo ante defuncti erant. Recitato hoc diptycho Stephanus presbyter annos septuaginta uno minus natus dixit : « Nullatenus scio, vel audivi Theodorum, qui olim in nostra civitate fuit episcopus, nominatum in sacris diptychis. Cognovi autem ex quo huic connumeror clero, quod illo adempto ex ipsis aliquando Cyrillus Alexandrinæ civitatis episcopus in illius loco insertus est sacris diptychis requiescentium episcoporum, qui usque nunc pro ipso prædicatur. » Idem cæteri tum clerici, tum nobiles cives contestati sunt. Itaque Theodorus inter Olympium et Thomam in sacris olim libris legebatur, ex quibus postea expunctus fuit. Hæc expunctio declarabat Theodorum mortuum fuisse in communione Ecclesiæ, post mortem vero errorum accusatum, atque convictum communione privatum fuisse. Synodus itaque Mopsuestena hanc sententiam de Theodoro pronuntiavit, causa ejusdem diligenter discussa : « Nunc veritatis revelata est ratio et valde evidenter declarata est, Theodorum veterem in antiquis temporibus extra prædicationem divini mysterii fuisse, et sacris diptychis ejectum esse, et in illius vocabulum rescriptum esse Cyrillum sanctæ memoriæ. » Patres hoc ipsum statim Justiniano imperatori per litteras significarunt, cujus etiam rei Vigilium certiorem reddidere, ut jusserat imperator. Exstat epistola ad Vigilium Collat. V, synodi quintæ.

Successit annus quingentesimus quinquagesimus primus Vigilio infaustus ob Justiniani furorem, et in apostolicam sedem injurias. Theodorus Cæsareæ metropolita induciarum impatiens, fidemque servare nescius, contra tria Capitula librum publice coram plerisque episcopis in palatio legendum curaverat. Quod ubi Vigilius accepit, hominis petulantiam exsecratus, graviori quidem pœna eumdem afficere decreverat, sed quod ille Justiniano charissimus erat, mitius consilium iniens eumdem accersitum, patrati facinoris reprehendit. Ille ut erat prono ad fingendum animo facti veniam supplex petiit, impetravitque, quod postea ei exprobravit Vigilius in sententia contra eum lata. At ingens pontificis ad parcendum facilitas, ad graviora facinora tentanda eum promptiorem reddidit, ut ex sequentibus apparebit.

Advenere hoc eodem anno quingentesimo quinquagesimo primo Constantinopolim evocati Africani episcopi Reparatus et Firmus, ille proconsularis, hic Numidarum primas, Primasius Adrumetinus, ac Verecundus Nicensis, pro trium Capitulorum defensione obstinatissimi. In Reparatum totius Africæ primatem vehementior impressio facta est, at ille nec gratia, nec minis inflexus est, sed tria Capitula constanter propugnavit. Quare indignatus imperator eum in exsilium misit, in quo vixit usque ad annum 563. Nunquam tamen Synodum quintam recipere voluit, quam Romani pontifices subscripserant, sed in schismate mortuus est. Firmus Numidarum *primas donis principis corruptus*, ut habet Victor Tunnensis, *damnationi eorumdem Capitulorum assensum præbuit*. Primasius diu contra Justinianum stetit, subscripsit enim hoc eodem anno decretum contra Theodorum, et anno 553 Vigilii Constitutum. Verum a Justiniano relegatus, audita morte Boethii primatis Byzaceni, ut ei succederet, Capitulorum damnationi nomen dedit, et in Africam reversus, cum rapinis et violentiis Ecclesiæ statum turbaret, a provinciæ synodo depositus est, ut scribit Victor Tunnensis ad annum post consulatum Basilii XII. Verecundus Nicensis, cum Justiniani furori se subduxisset, Chalcedonem fugiens, ibidem mortuus est, ut infra dicetur.

Jusserat Justinianus nobiliores singularum provinciarum episcopos Constantinopolim accedere. Sed cum Africani tria Capitula defenderent, et Illyrici venire noluissent, ac insuper videret ex Occidente paucos ad synodum accedere, neque Vigilium sine Occidentalibus episcopis quidquam decernere velle, incentore Theodoro Cæsareæ episcopo, eodem anno 551. Edictum contra tria Capitula publicavit, atque palam in ecclesia regiæ urbis, et alibi suspendi jussit. « Constantinopoli vero, inquit clerus Italiæ in suo libello, cœperunt iterum beatissimum papam Vigilium compellere, ut si Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ episcopi nollent, ipse cum Græcis episcopis ea capitula condemnaret. Sed beatissimo papa Vigilio nullatenus acquiescente, edicta ex nomine imperiali, tam in ecclesia Constantinopolitana, quam in diversis locis suspendi fecerunt, per quæ eadem Capitula damnarentur. » Istud secundum Justiniani edictum contra tria Capitula a priori, anno 544 emisso, di-

Digitized by Google

versum esse, jam supra probatum est. Istud autem circa diem 14 Julii anni 551 appensum esse ostendit cardinalis Norisius laudatus cap. 5.

In hoc edicto Justinianus ecclesiæ dogmata contra Arium, Nestorium, atque Eutychetem statuit, recipit quatuor synodos œcumenicas, postea novem canones statuit contra Nestorianos, atque Eutychianos, qui ad verbum omnes fere approbati sunt a synodo quinta. Postea hunc canonem ponit : « Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, et Eutychen, et omnes, qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, talis anathema sit. » Quo in canone cum Origenis nomen non legatur, optime colligit Baronius edicti auctorem fuisse Theodorum Cappadocem Origenistarum ducem. Cumque in eodem quoque Acephalorum hæresis pluribus proscribatur, cardinalis Norisius recte deducit eumdem Theodorum non fuisse Acephalum, in qua secta cum fuisse tradit Liberatus in Breviario cap. 24. Postea Justinianus transit ad tria Capitula, quibus sub pœna anathematis damnatis, diffusam disputationem init contra trium Capitulorum defensores, ostenditque hæreticos, vel schismaticos, licet defunctos posse damnari.

Porro Acephalos dictos fuisse illos hæreticos qui neque sanctum Cyrillum Alexandrinum, neque Joannem Antiochenum aut Orientales episcopos sequebantur, auctor est Liberatus in Breviario cap. 9, ubi loquens de defensione Orientalium episcoporum pro duabus naturis Christi a Cyrillo composita, ait : « Quam quicunque tunc minime receperunt, hos esse puto auctores Acephalorum, qui neque Cyrillum habent caput, neque, quem sequantur, ostendunt. » Leontius tamen lib. de Sectis nonnisi post concilium Chalcedonense Acephalos hæreticos nominari cœpisse scribit. Sed inter utrumque auctorem concordiam iniri posse vult Garnerius in Historia Theodoreti cap. 6, apud quem legi potest.

Sed ut ad tria Capitula redeam, ubi Vigilii edicta principis contra tria Capitula publice affixa intellexerit, in Placidianam domum, tum Latinos, tum Græcos episcopos venire jussos hisce admonuit : « Quicunque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab apostolicæ sedis communione suspensum. » Ita clerus Italiæ. Ipsemet Vigilius in epistola encyclica, quam anno 552 scripsit, testatur se hoc eodem anno 551 coram diversis provinciarum episcopis, ac Constantinopolitano clero in Placidiana domo publice protulisse hæc verba : « Rogate piissimum principem, ut edicta sua, quæ præcepit appendi, removere dignetur, et constitutum commune exspectare, id est ut scandalizati episcopi Latinæ linguæ ad synodum veniant, aut certe remota omni violentia suas scripto declarent sententias. Quod si forte preces nostras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad divisionem tendit, nec contra constitutum commonitione aliqua veniatis. Quod si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noveritis ex præsenti die, ut prævaricatores apostoli Petri per ministerium vocis meæ haberi suspensos. »

Post verba mox laudata clerus Italiæ addit : « Sed et sanctus Datius Mediolanensis episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit, dicens : Ecce ego et pars omnium sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, id est Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ atque Venetiæ, contestor, quicunque in edicta ista consenserit, suprascriptarum provinciarum pontifices communicatores habere non poterit. Quia constat apud me edicta illa sanctam synodum Chalcedonensem et fidem catholicam perturbare. » Datium nihilominus Mediolanensem damnationi trium capitulorum ante mortem, quæ anno 552 contigit, subscripsisse tradit Victor Tunnunensis in Chronico, quod tamen valde dubium esse ostendit annotator Baronii. Zoilus episcopus Alexandrinus, qui edicto consensum dare noluit, depositus est, et in ejus locum Apollinarius substitutus, et quidem ante mensem Septembrem ejusdem anni 551, ut in eadem critica Baronii legere est.

At Theodorus Cappadox auctor edicti, Græcorum catervam secum trahens, ad ecclesiam in qua suspensa erant edicta, se contulit, ac sacrosancta mysteria celebravit. Justinianus indignatus, Vigilium non solum edictis imperatoris adversari, verum etiam et eidem obtemperantes, ab illo ecclesiastica communione privari, eum custodiæ tradi jussit, qui sibi timens, una cum Datio Mediolanensi episcopo in ecclesiam Sancti Petri in Hormisda se recepit, ut non solum clerus Italiæ, sed ipsemet etiam Vigilius in laudata encyclica narrat : « Cum in eadem ecclesia, inquit, a comitatu prætoris cum multitudine armatorum militum veniente, tanquam ad bellum instructa acie, a sancto ejus altare tracti pedibus traheremur, et super nos etiam ipsa altaris mensa recideret, nisi clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata. » Ibidem autem eam violentiam mense Augusto sibi factam affirmat.

Quare Vigilius non jam fomenta, sed ferrum admovendum ratus, in Italorum episcoporum congressu pluribus Theodori episcopi Cæsareensis in apostolicam sedem injuriis recensitis, quas et scripto consignavit, hanc contra eumdem sententiam protulit : « Theodorum Cæsareæ Cappadociæ civitatis quondam episcopum sententiæ promulgatione tam sacerdotali honore, et communione catholica, vel omni officio episcopali, seu potestate spoliatum esse decernimus. » Memnam vero Constantinopolitanum patriarcham, ac consentientes episcopos a sacra tantum communione suspendit. Hæc sententia *data* XIX *Kalendas Septemb. imperante domino Justiniano PP. Augusto anno* XXV, *post consulatum Basilii anno* X, ideoque die XIV mensis Augusti anni 550. Eam tamen sententiam minime publicandam duxit Vigilius, veritus ne Justinianum, cujus furorem jam expertus erat, in rabiem rursus impelleret, Theodoro præsertim omnia ex arbitrio faciente.

Exstat tomo V Conciliorum epistola encyclica Vigilii, alias mutila, nunc integra, in qua suarum calamitatum seriem pontifex exponit. Cum apud divi Petri in Hormisda moraretur, Belisarius et Cethegus, et Petrus exconsules, ipseque Justinus imperatoris nepos, cum Marcellino quæstore ad Vigilium venere, ut accepto juramento in Placidianas ædes veniret, secus vel *sub omni violentia* e templo retrahendum. Sed cum ibidem se recepisset, et tamen tam sancta fide posthabita, in dies sævius se tractari animadverteret; semel, iterum, ac tertio Belisarium, aliosque judices contestatus est, ut jusjurandi religione tenerentur, *quatenus*, inquit, *nullas inquietudines, aut molestias, sicut nobis juratum fuerat, pateremur.* Interea Justinianus veritus, ne Vigilius iterum e Placidianis in templum confugeret, misso clam milite ædes sedulo custodiendas jussit, quod ubi Vigilio significatum fuit, biduo ante Natalem Domini fugam meditatus, nocte intempesta ex Placidiano Palatio cæcis vestigiis discedens Chalcedonem transfretavit, atque apud D. Euphemiæ domicilium habuit. Vigilium Datius Mediolanensis secutus est, aliique etiam Latini episcopi, inter quos fuit Verecundus Nicensis in Byzacena provincia episcopus, quem paulo post ibidem defunctum scribit Victor Tunnunensis.

Anno quingentesimo quinquagesimo secundo Justinianus Vigilii constantiam, ut experimentis sibi satis jam probatam prospiciens, sepositis minis eumdem per legatos convenit; legatione autem Belisarius, aliique mox memorati quinto Kalendas Februarii perfuncti sunt. Illi cum Vigilio egerunt, ut accepta iterum publica fide, Constantinopolim rediret, quibus pontifex in hanc sententiam respondit : « Si causa Ecclesiæ ordinatur, ut pacem ejus, quam avunculi sui (id est Justini imperatoris) piissimus princeps fecit temporibus, et modo restituat, ego sacramentis

Digitized by Google

opus non habeo, sed statim egredior. Si autem causa Ecclesiæ finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo, quia nunquam de S. Euphemiæ basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum. » Hæc ubi Justinianus a legatis accepit, epistolam, seu, ut Vigilius loquitur, chartam ad eumdem misit, mendaciis ac injuriis refertam. Eam Petrus referendarius pridie Kalendas Februarias tulit. Cum vero non esset imperatoris *manu subscripta*, neque Petrus eidem nomen dare vellet, vel signare diem, quo allata fuerat, nullam illi Vigilius fidem præstandam duxit. Cæterum ne ream conscientiam silentio apud imperitos prodere videretur, objecta quæcunque crimina validissime se confutasse, in epistola encyclica contestatur.

Die vero quinta Februarii ejusdem anni, Vigilius illam famosam, ad universam Ecclesiam, dedit epistolam, qua cuncta, quæ gesta essent, innotescerent. In ea exponit causas secessus sui ad sanctam Euphemiam, et quid ibi egerit cum legatis Justiniani, simulque fidei suæ confessionem interserit. De sententia in Theodorum Cappadocem lata, qua episcopatu deponebatur, sub finem scribit : « Pro mansuetudinis vestræ intuitu, et spe conversionis ejus, sicut dictum est, publice proferre distulimus. » Data dicitur hæc encyclica *Nonis Februarii imperante domino Justiniano PP. Augusto anno* XXV, *post consulatum Basilii anno* X, sed legendum, *anno* XI, ut annus XXV Justiniani cum mense Februario conjunctus manifestum facit. Est inter epistolas Vigilii in Collectione conciliorum ordine XV.

Justinianus synodi peragendæ cupidus, aures jam tandem Vigilio dare cœpit, videbat enim reluctante pontifice Romano nihil solidum ea in causa statui posse. Quare non amplius alieno erat a Vigilio animo : quod ubi Mennas Constantinopolitanus, ac Theodorus Cæsariensis, aliique intellexere, libellum fidei contexuerunt, illumque Vigilio adhuc in templo divæ Euphemiæ commoranti obtulere. In eo expedita fidei professione juxta decreta quatuor synodorum generalium, facti veniam a Vigilio his verbis postularunt : « De injuriis autem quæcunque beatitudini, vel sedi vestræ factæ sunt, eas quidem non feci, sed quia pro pace Ecclesiæ modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia vero tempore discordiæ excommunicatos, vel non receptos a beatitudine vestra in communionem suscepi, pariter veniam postulo. » Subscripsere libellum *Mennas Constantinopolitanus*, *Theodorus Cæsareæ Cappadociæ*, *Andreas Ephesinus*, aliique. Post hæc Justinianus edicta revocat, et jam Patribus Constantinopolim ad synodum venientibus ex integro causa trium Capitulorum dijudicanda dimittitur. Interea Mennas ineunte circiter Decembri ejusdem anni quingentesimi quinquagesimi secundi, diem obiit, cui substitutus est statim sanctus Eutychius.

Hic anno quingentesimo quinquagesimo tertio ineunte, cum esset novus patriarcha Constantinopolitanus, professionem fidei ad Vigilium misit, in qua laudatis quatuor synodis generalibus, atque sancti Leonis epistolis, Vigilium rogat, ut jam tandem concilium de tribus Capitulis inchoet. Subscripsere epistolam Eutychius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus. Dominus Antiochenus, patriarchæ, et Elias Thessalonicensis metropolita. Vigilius ipsorum fidem collaudavit respondens VIII Idus Januarii; petitioni vero de discutienda causa trium Capitulorum hæc reponit : « Annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, et finis detur placitus Deo, et conveniens iis, quæ a sanctis quatuor sunt definita conciliis. » At illis clausulis, *facto regulari conventu*, *servata æquitate*, ita synodum indici pontifex consentiebat, ut et Latini episcopi pari numero adessent, ne decretis postea synodalibus adversarentur. Porro Vigilium relicta Chalcedone, iterum Constantinopolim petiisse, post acceptam die Theophaniorum Eutychii epistolam ostendit cardinalis Norisius laudatus, cap. 6.

Cum itaque Vigilius Occidentales episcopos, timore Justiniani, adesse nolle intelligeret, se cum paucis Italis atque Illyricis rem ita definire posse negabat, ut nulla deinceps ab Occidentis episcopis contradictio fieret. Ea tandem sententia placuit, ut pari Latinorum, ac Græcorum numero synodus componeretur, quod ante festum Paschæ, anno 552, die 20 Aprilis celebratum, statutum fuisse observat idem cardinalis Norisius citatus, cap. 7. Ipsemet enim Vigilius in Constituto ad Justinianum, ait : « Postea vero hoc magis cum consensu fratrum nostrorum, nostrarum partium episcoporum nuper ante sanctum Paschæ diem pietas vestra constituit, ut ex æquato numero his pontificibus qui in Constantinopolitana urbe præsentes sunt, de tribus Capitulis, ex quibus quæstio vertitur, secundum superius designatum fratrum nostrorum episcoporum professionem deberemus inire tractatum. » At Græci episcopi his intellectis tumultuari, venisse se ex longinquis provinciis synodi œcumenicæ causa, hujus auctoritatem, ac nomen deprimi, si a paucissimis celebretur : plurimos sapientissimos excludendos, si pari cum Latinis numero coeundum sit. Synodos frequentissimas a solis Græcis celebratas : in Chalcedonensi sexcentorum et triginta Patrum conventu, legatos tantùm Leonis papæ ex Latinis interfuisse; Nicænam omnibus venerabilem synodum ex Græcis tantum conflatam : notam esse Occidentalium in trium Capitulorum defensione obstinationem, cum quibus se ex æquato numero Orientales disputationem ineant, paribus hinc inde suffragiis, re infecta Concilium dimissum iri. Justinianus his acceptis, contra pacta conventa, a priori sententia discessit, synodumque indixit ad diem quintum mensis Maii, ut habent codices Bellovacensis, et Parisiensis, non vero ad diem quartum ejusdem mensis, ut legitur in codicibus editis. De quo legendi Garnerius in Dissert. de quinto synodo generali, cap. 5, et Auctor criticæ Baronii ad annum 553, num. 11.

Die itaque quinta mensis Maii anni quingentesimi quinquagesimi tertii prima synodi collatio habita est. Adfuere tres patriarchæ, Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domnus seu Dominus Antiochenus, Jerosolymitanus per vicarios. Patres universim centum sexaginta quinque. Lecta est sacra divalis Justiniani, per Theodorum Silentiarium ad synodum perlata, qua imperator significabat, nihil antiquius sibi fuisse, quam, hæresibus eliminatis, quietem Ecclesiæ dare post excitatos ab Acephalis tumultus : Patres ad trium Capitulorum examen, et ad judicium de illis ferendum hortabatur, quæ Romani pontificis Judicato jam confixa essent. Lectæ sunt deinde Eutychii recens episcopi Constantinopolitani inaugurati litteræ ad Vigilium datæ, fidei professionem ipsius continentes, et preces humillimas, ut *præsidente* ejus *beatitudine* controversia de tribus Capitulis finiretur, et Vigilii litteræ ad Eutychium et subditos ipsi episcopis, de quibus mox locuti sumus.

Sed cum scirent episcopi Græci synodum, Romano pontifice non præsente, nihil haberi apud Occidentales, eamque pro œcumenica haberi non posse, nisi saltem per legatos Romanus pontifex adesset; nobilissima ad Vigilium destinata legatione trium patriarcharum, omnium primatum autocephalorum, aliorumque antistitum eum rogarunt, ut synodo interesset, et secum disputaret de tribus Capitulis, quemadmodum datis ad Eutychium litteris pollicitus fuerat. Eis reposuit Vigilius : « Se propter corporis infirmitatem non posse ad hanc petitionem respondere, in postero autem die pollicitus est manifestare quid ei de tali conventu placuerit. » Notandum autem est legatos illos non citatoria mandata, sed preces Vigilio detulisse : « Pervenientes, inquiunt, ad san-

Digitized by Google

etissimum papam senioris Romæ petivimus ejus beatitudinem convenire et disputare nobiscum de tribus Capitulis. » Atque ita prima collatio abiit.

Postridie nempe sexta Maii iidem patriarchæ, primates, atque episcopi Vigilium iterum convenere, enixe postulantes, ut ad synodum accederet; quibus ille respondit, cum illis convenire non posse, quod Occidentales episcopi sibi adhærentes numero ab Orientalibus vincerentur : quamobrem se circa trium Capitulorum quæstionem, seorsim in scriptis dicturum sententiam, eamque missurum imperatorem, a quo propterea postulaverat inducias. At Justinianus viginti dierum inducias, quas Vigilius postulaverat, concedere recusavit cæteris episcopis longioris apud regiam urbem moræ incommoda causantibus. Quare gloriosissimi judices imperatoris nomine, mandarunt episcopis, ut etiam Vigilio absente synodum haberent.

Collatio itaque secunda peracta est die octava Maii, in qua legati a priori collatione destinati, Vigilii responsa retulerunt. In ea Patres, episcopos ad Vigilii patriarchalem jurisdictionem exspectantes, ad synodum invitarunt, qui constanter adesse sine Vigilio pernegarunt. Sequenti die, nempe die nona Maii iterum simul Græci antistites coeuntes, tertiam collationem habuerunt. In ea quatuor synodorum fidem professi sunt, earumque definitiones, necnon doctrinam sanctorum Patrum, quos ceu magistros Ecclesia veneratur : reprehensa est etiam nimium in plerisque radicata opinio, sine Chalcedonensis synodi injuria damnari non posse tria Capitula. Et sic habita est tertia collatio.

Triduo post, nempe die duodecima mensis Maii collatione quarta synodus causam ipsam discutere incœpit Lectæ sunt plures sententiæ ex libris Theodori Mopsuesteni excerptæ, itemque symbolum Judaicum quod Theodoro olim a Charisio Philadelphiensis in Lydia Ecclesiæ presbytero ascriptum fuerat, et Marius Mercator fusius circa annum 431, impugnaverat, tanquam ab eodem Theodoro compositum. Dictum in eas blasphemias, et in ipsum Theodorum a Patribus anathema : « Hoc symbolum, exclamavit universa synodus, Satanas composuit. Anathema ei qui hoc symbolum composuit. Hoc symbolum Ephesina prima synodus una cum auctore ejus anathematizavit. Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Evangelia reprobavit : iste dispensationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematizant eum : defensores ejus Judæi sunt, sequaces ejus pagani sunt. »

Quinta collatio habita est die decima septima Maii, ut ostendit Baluzius in nova Collectione conciliorum, pag. 1510. In hac recitata sunt quæ a sanctis Patribus contra Theodorum Mopsuestenum scripta fuerant, et quæ contra eumdem legibus imperatorum erant sancita. Recensita sunt testimonia sancti Cyrilli, quibus præfati Theodori errores perstringit. Lectus est libellus sancto Proclo episcopo Constantinopolitano ab episcopis, clericis, et monachis Majoris Armeniæ, et Persidis contra eumdem Theodorum oblatus; item fragmentum tomi a S. Proclo scripti ad Armenos; variæ sancti Cyrilli Alexandrini epistolæ, quibus probatum est Nestorium hæresim suam, et blasphemias ex Theodori fonte hausisse. Epistola Rabulæ Edesseni episcopi contra Theodorum. Fragmentum ex Historia ecclesiastica Hesychii presbyteri Jerosolymitani, ex quo ejusdem Theodori probata est impietas. Leges Theodosii et Valentiniani imperatorum contra Theodori et Nestorii nomen et doctrinam. Fragmentum epistolarum Theophili Alexandrini ad Porphyrium Antiochenum, et S. Gregorii Nysseni ad Theophilum. Testimonia Theodoreti, qui Theodorum adversus S. Cyrillum vindicans, fidem facit errores, quos Theodoro tribuit Cyrillus, vere ipsius esse. Tandem recitari jussa est Mopsuestena synodus, ex cujus Actis probatum est Theodori nomen ex Ecclesiæ Diptychis jam olim expunctum fuisse, et in locum ejus S. Cyrilli nomen substitutum.

Post hæc disceptatum est, utrum liceret defunctos anathemate damnare : quod licitum esse et quandoque necessarium gravibus momentis probatum est; et verosimiliter in hac collatione variæ sancti Augustini epistolæ lectæ sunt, nam in definitiva sententia, prolata in octava collatione contra tria Capitula : « Augustini, inquiunt Patres, religiosæ memoriæ, qui inter Africanos episcopos resplenduit, diversæ epistolæ recitatæ sunt, significantes, quod oportet hæreticos, et post mortem anathematizari. » Ea testimonia adduxit in Synodo Sextilianus Tuniensis in Africa episcopus, Primasii novi Carthaginensis antistitis in locum Reparati exsulis ordinati legatus, quæ lecta grandi præconio excepit Benignus Heracleæ Pelagoniæ in Macedonia episcopus, ac vicarius Eliæ metropolitæ Thessalonicensis, addens hanc esse perpetuam Ecclesiæ traditionem.

In eadem quinta collatione factus est postea transitus ad examen alterius Capituli, scriptorum scilicet Theodoreti, multaque ex ejus Operibus contra sanctum Cyrillum deflorata. Recensitæ ejusdem epistolæ ad Andream Samosatenum, ad Nestorium post initam pacem inter Orientales et sanctum Cyrillum. At denique ejus epistola ad Joannem Antiochenum post mortem Cyrilli, qua suam de ejus obitu significabat lætitiam, multisque ipsum onerabat maledictis. Baronius et post eum multi alii viri docti existimantes illam epistolam Theodoreto suppositam, quintæ synodi Patres errore facti deceptos esse scripserunt. Verum Garnerius in Auctario ad librum epistolarum Theodoreti pag. 99, ostendit eam epistolam, non ad Joannem, sed ad domnum Antiochenum Joannis successorem datam, verum esse fetum Theodoreti. Ejus argumenta apud eum et apud auctorem criticæ Baronianæ ad annum 444, numero 7 et seqq. legenda, ex qua anno 553 expungenda illa verba, quæ in numero 13 memoriæ lapsu irrepserunt: *Verum Patres synodi* et reliqua usque ad finem numeri; et eorum loco hæc substituenda : « Verum Patres synodi errore facti decepti non sunt, ut vult Baronius, cum epistola illa ad Joannem Antiochenum, seu potius ad Domnum Joannis successorem a Theodoreto scripta, supposititia non sit, ut suo loco ostendimus. » Quod obiter notatum sit. Synodus discussis Theodoreti dogmatibus, dixit : « Ex his quæ Theodoretus impie conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis concilii. Sciens enim ejus blasphemias, prius quidem multis sæpius usa est contra eum exclamationibus : postea vero non aliter eum suscepisset, nisi prius anathematizasset Nestorium, et ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit, defendens eas. »

Vigilius die decima quarta Maii inter quartam et quintam collationes Constitutum suum emisit. In eo queritur pontifex synodum contra pactas conditiones coactam. Tum aggreditur disputationem de tribus Capitulis, et sexaginta sententias, quæ Theodori Mopsuesteni esse dicebantur, ab imperatore per Benignum episcopum Heracleæ Macedoniæ ad se transmissas damnat. Theodori vero personam ac nomen damnari non posse multis argumentis probat. Ex quibus de Theodoro Mopsuesteno sic colligit : « Eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam damnari concedimus. » Subdit tamen se omnia capita et scripta evangelicis et apostolicis, ac sanctarum quatuor synodorum et apostolicæ sedis non congruentia doctrinis, non solum sensu, sed vel etiam aure admittere nusquam velle.

Quoad Theodoretum, decernit ejus scripta speciatim non debere damnari; cum in synodo Chalcedonensi Nestorio anathema dixerit, quod solum ab eo postularunt Patres. Quamobrem indignum esse ait Vigilius, ut sub ejus viri nomine aliqua Nestoriana dogmata damnentur, qui cum Patribus ipsum Nestorium, ejusque dogmata damnavit, idque in in-

Digitized by Google

juriam cedere Chalcedonensis concilii. Unde ita colligit : « Hac ergo rerum veritate perpensa, statuimus atque decernimus nihil in injuriam atque obtrectationem probatissimi in Chalcedonensi synodo viri, Theodoreti episcopi Cyri, sub taxatione nominis ejus, a quoquam fieri, vel proferri ; sed custodita in omnibus personæ ejus reverentia, quæcumque scripta vel dogmata ejus, cujuslibet nomine prolata, sceleratorum Nestorii atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus atque damnamus. » Ne vero Theodoretum defendendo, in hæreseos Nestorianæ suspicionem veniret, eam quinque anathematismis percellit.

Denique nec epistolam Ibæ sub ejus nomine damnandam censet : tum quia relecta ea in synodo Chalcedonensi, orthodoxus Ibas judicatus est : tum quia subscripsit decretis ejusdem sanctissimæ synodi et epistolæ sancti Leonis : unde in sedem suam, consentientibus Patrum suffragiis, restitutus est. Nefas enim esse retractare quæ a concilio Chalcedonensi erant judicata, cujus decreta se inconcussa semper esse voluisse probat ex epistola sua, sive *Judicato* de tribus Capitulis *ad Mennam*.

His demum verbis constitutum suum claudit : « Statuimus et decernimus nulli ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinenti licere quidquam contrarium his, quæ præsenti asseruimus, vel statuimus Constituto, de sæpe dictis Capitulis, aut conscribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam post præsentem definitionem, movere ulterius quæstionem. Si quid vero de iisdem tribus Capitulis, contra hæc, quæ hic asserimus, vel statuimus, nomine cujuscunque ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinentis, factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, et a quolibet ubicunque repertum ; hoc modis omnibus, ex auctoritate sedis apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, refutamus. » Sexdecim episcopi Vigilianum illud constitutum subscripserunt, et quidem illi fere omnes qui ejusdem contra Theodorum Cappadocem sententiam subsignarunt, tres diœcesis Illyricanæ, ex Græcis vero pastor metropolita Iconii in Lycaonia, et Vincentius metropolita Claudiopolitanus provinciæ Ponticæ Honoriadis.

Licet autem Vigilius constitutum suum die decima quarta Maii emiserit, et quinta collatio die decima septima ejusdem mensis habita fuerit, in ea tamen lectum non est, sive quod illud nondum accepisset imperator, sive quod se accepisse dissimularet. Imo in aliis synodi collationibus constitutum lectum non fuisse recte probat Petrus de Marca in dissert. de Vigilii decreto pro confirmatione quintæ synodi, ubi num. 12 refellit sententiam Baronii scribentis constitutum a Justiniano ad synodum missum. Si enim illud relectum fuisset in synodo, illius recitatio relata esset in Acta, quibus insertæ sunt minoris momenti relectiones. Deinde promulgatio constituti aliena fuisset ab instituto et a prudentia imperatoris, qui damnationi trium Capitulorum, cum totus incumberet, non debuit suis votis officere, Vigilii auctoritate prolata, quæ desiderium ejus improbaret. Imo vero, ut facilius obtineret, quem sibi proposuerat eventum, neu quis exspectaret quid principi Vigilius respondisset, quemadmodum pollicitus erat se facturum, per Constantinum sacri palatii quæstorem Justinianus in collatione VII synodo suggessit, Vigilii mentem satis explicatam esse ex iis, quæ hac de re sæpius docuerat, cum scriptis, tum viva voce. Plura alia hanc in rem congerit Petrus de Marca laudatus, et Baronii rationibus respondet, ostenditque Justinianum, cum probe sciret primam in synodis œcumenicis semper fuisse sententiam Romani pontificis, qua non exspectata nihil decerni moris erat, ne prætermissa videretur hoc in negotio Vigilii auctoritas, constitutum quidem suppressisse, sed alias Vigilii priores sententias, quæ annis superioribus ab eo latæ erant, Synodo exhibuisse, ut in Actis omnia rite et solemniter gesta fuisse viderentur. In eo tamen fallitur Marca, quod existimare videatur Judicatum Vigilii a Justiniano synodo exhibitum fuisse et in ea lectum ; illud enim a veritate alienum esse mox ostensum est. Ex opinione porro Baronii novatores intulerunt, pontificis Romani scripta in synodo non solum discuti, sed etiam refutari, et definitionem illius decretis promulgatis contrariam cum anathemate proferri. Sed ex vera rerum gestarum narratione, hanc illationem frivolam esse constat.

Collatio sexta habita est die decima nona Maii. In ea discussum tertium Capitulum, scilicet epistola Ibæ ad Marim Persam. Recensita est epistola Proeli episcopi Constantinopolitani ad Joannem episcopum Antiochenum, in qua scripsit, apud se accusatum esse Ibam, quod Nestorii dogmata diligeret, ac nonnulla ex impiis Theodori Mopsuesteni Capitulis in Syrorum linguam transtulisset et quacunque transmisisset. Propterea sæpius accusatum, et in synodo Berytensi æque purgatum. Relecta sunt pleraque acta Ephesinæ synodi ; epistolæ sancti Cyrilli ad Nestorium, et hujus ad Cyrillum ; Cœlestini papæ ad Nestorium epistolæ ; duodecim sancti Cyrilli anathematismi ; sancti Leonis epistola ad Flavianum, et Patrum Chalcedonensium ipsam approbantium suffragia, symbolum Nicænum et Constantinopolitanum ; denique synodi Chalcedonensis definitio fidei. Cum quibus instrumentis collata Ibæ epistola, convicta est erroris, et omnes episcopi exclamaverunt : « Epistola hæretica est. Epistolam, quæ dicitur Ibæ omnes condemnamus. Istam omnes anathematizamus. Epistola aliena synodo est. Epistola contraria definitioni est, tota epistola hæretica est. Tota epistola blasphema est. Qui hanc non anathematizat, hæreticus est. Qui eam suscipit non confitetur Deum Verbum hominem factum esse. Qui eam suscipit, Cyrillum non suscipit. Anathema Theodoro, et Nestorio, et epistolæ quæ dicitur Ibæ. »

In collatione septima, die vigesima sexta Maii peracta, Constantinus sacri palatii quæstor, cum instrumentis probantibus Vigilium tria Capitula semper exsecratum esse ac damnasse, ad synodum missus est ab imperatore. Recitatum itaque anathema latum a Vigilio contra Romanos diaconos Rusticum et Sebastianum *Judicati* impugnatores, et trium Capitulorum pervicacissimos defensores. Lectæ item epistolæ a Vigilio hac de controversia scriptæ ad Valentianum episcopum Tomitanum in provincia Scythiæ, et ad Aurelianum episcopum Arelatensem ; ex quibus omnibus liquebat, Vigilium non semel tria Capitula condemnasse. His itaque omnibus in consessu Patrum perlectis, ultimum de tribus Capitulis judicium in diem lunæ sequentem, Junii mensis secundum dilatum est.

In collatione octava et ultima dicta die secunda mensis Junii celebrata, omnibus, quæ antea gesta erant, compendio recensitis, definitivam adversus tria Capitula sententiam protulit synodus, in qua hæc inter alia leguntur : « Condemnamus autem et anathematizamus una cum omnibus aliis hæreticis, qui condemnati et anathematizati sunt a prædictis quatuor conciliis, et a sancta catholica et apostolica Ecclesia, et Theodorum, qui Mopsuestiæ episcopus fuit, et impia ejus conscripta : et quæ impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem, et contra duodecim Capitula sancti Cyrilli, et contra Ephesinam I synodum, et quæ ad defensionem Theodori et Nestorii ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus et impiam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse ; quæ denegat Deum Verbum de sancta Dei Genitrice et semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse ; et S. memoriæ Cyrillum, qui recte docuit, tanquam hæreticum, et similiter Apollinario scribentem, calumniatur : et inculpat quidem Ephesinam I synodum, tanquam sine examinatione et quæstione Nestorio ab ea depositio : et duodecim S. Cyrilli Capitula impia et con-

Digitized by Google

traria rectæ fidei vocat : defendit autem Theodorum et Nestorium, et impia eorum dogmata et conscripta. Prædicta igitur tria Capitula anathematizamus, id est Theodorum impium Mopsuestenum, cum nefandis ejus conscriptis : et quæ impie Theodoretus conscripsit : et impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, et defensores eorum. »

Sententiæ subjiciuntur quatuordecim anathematismi, quorum tres postremi feriunt tria Capitula : duodecimus non solum impia Theodori scripta, sed ejus etiam nomen et personam, defensoresque configit. Decimus tertius et decimus quartus percellunt quidem Theodoreti scripta, et Ibæ epistolam, eorumque defensores : Theodoretum autem ipsum et Ibam orthodoxos antistites, et in pace Ecclesiæ defunctos non perstringunt. His omnibus subscripsere Eutychius Constantinopolitanus patriarcha, concilii præses, Apollinarius Alexandrinus, Dominus Antiochenus, et alii suo ordine.

Non solum tria Capitula, sed etiam Origenistas damnavit quinta synodus. Cedrenus enim ad annum Justiniani XXVI refert litteras ejusdem imperatoris ad quintam synodum, quibus Patres hortatur ad Origenem damnandum : « Vos hortamur, ait, o sanctissimi Patres, ut in unum collecti subjectam expositionem, et singula ejus capita examinetis, damnetisque cum Origene omnes, qui idem sentiunt. » Præterea in secunda professione fidei, quæ habetur in libro Diurno Romanorum pontificum, postquam actum est de quatuor prioribus synodis œcumenicis, subnectitur : « Hæc igitur sancta atque universalia quatuor concilia, etiam sanctum quintum concilium venerandum assecutum est, et sub piæ memoriæ Justiniano principe apud Constantinopolitanam urbem est congregatum, etc. In hoc Origenes cum impiis discipulis et sequacibus Didymo et Evagrio, et qui Creatorem omnium Deum, et omnem rationalem ejus creaturam gentilibus fabulis prosecuti sunt, æternæ sunt condemnationi submissi. » Ex quo et sequitur Origenem et sectatores ejus, Justiniano imperante, non solum in privato, ut scribit Garnerius in Diff. de quinta synodo, sed etiam in universali concilio Constantinopolitano damnatos esse.

Cæterum cognitionem de Origene, ejusque damnatione trium Capitulorum damnationem præcessisse, Theophanes et auctor Chronici Alexandrini indicant, dum scribunt, synodum celebratam esse primo et præcipue adversus errores Origenis, et Evagrii, ac Dydimi ; secundo autem loco adversus tria Capitula. Præterea ut inquit cardinalis Norisius citatus cap. 6, synodus canone, seu anathematismo undecimo ait : « Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Origenem cum impiis eorum scriptis, et omnes alios hæreticos, qui condemnati et anathematizati sunt a sancta catholica et apostolica Ecclesia, etc., anathema sit. » Quatuordecim canones editi sunt collatione VIII quæ cum postrema fuerit in causa trium Capitulorum, evidens est antea jam Origenis causam cognitam fuisse ; alioquin is indicta causa damnatus esset. Denique Theodorus Cappadox Origenis patronus probaturus posse Theodorum Mopsuestenum, licet olim mortuum jure damnari, ita synodum allocutus est collatione V : « Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos, necnon etiam Origenem, et si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit, post mortem invenerit anathematizatum ; quod nunc in ipso fecit et vestra sanctitas, et Vigilius papa religiosissimus antiquioris Romæ. » Fatente ergo Origenistarum principe, a synodo quinta et a Vigilio papa Origenes damnatus fuit, et quidem antequam terminata esset trium Capitulorum cognitio.

Vigilium statim non approbasse concilium, ob idque in exsilium a Justiniano imperatore missum, Baronius aliique Anastasium secuti memoriæ prodiderunt, in quo Anastasius fidem meretur ; licet enim A Eustathius in Vita sancti Eutychii episcopi Constantinopolitani et Victor Tununensis in Chronico de hoc exsilio ne verbum quidem habeant, non inde Anastasio fides deneganda, quia argumentum negativum nullis aliis suffultum, valde infirmum est. Certe Justinianus Vigilium post concilii quinti celebrationem, cui ipse refragatus esset, eo minus Constantinopoli versari permisisset, quo non solum alios episcopos definitioni concilii contrarios, aut in exsilium misit, aut dignitate deposuit, ut scribit Liberatus in fine sui Breviarii ; sed etiam quia in collatione septima litteras misit ad Patres, quibus prohibuit Vigilii nomen in sacris diptychis recitari. Eas litteras refert Baluzius in nova Collectione concil., pag. 154. Quare Justiniano non magis religio fuit, Vigilium in exsilium mittere, quam prohibere, ne nomen ejus in diptychis recitaretur. Vigilii exsilium diserte etiam affirmat Continuator Marcellini mox laudandus.

B Idem Anastasius tradit, clerum Romanum Narsetem imperatorii exercitus in Italia ducem rogasse, ut una secum imperatorem deprecaretur, quo Vigilius ex exsilio reverteretur ; et imperatorem, tam Narsetis quam cleri Romani relatione recepta, Vigilium et presbyteros ejus revocasse ex Præconneso, quæ insula est parva Asiæ et Mysiæ Minoris in Propontide, quod anno quingentesimo quinquagesimo quarto factum docet Continuator Marcellini : *Vigilius*, inquit, *papa tandem ab imperatoribus Romanis et Narsete de exsilio relaxatus*, ubi librarius loco, *ab imperatore Romano*, scripsit, *ab imperatoribus Romanis*.

Vigilium, antequam exsilio solveretur consensisse synodo, eamque approbasse testatur Evagrius, lib. IV, cap. 37, et Pelagius II papa in epistola prolixa ad episcopos Istriæ, quæ exstat inter fragmenta synodi quintæ, tom. V Concil., pag. 615. Marca in laudata Dissert. de epistola Vigilii pro confirmatione synodi V refert epistolam Vigilii *ad Eutychium archiepiscopum Constantinopoleos, et ad præjacentem synodum*, quæ C dicitur data *ante sextum Idus Decembris, imperii domini nostri Justiniani æterni Augusti anno* XXVII, *post consulatum Basilii V. C. anno* XII, ideoque anno 553 existimatque illam esse, quam Vigilius pro synodi quintæ confirmatione dedit. Sed hæc epistola aliquibus viris doctis de suppositione suspecta visa est. Baluzius laudatus pag. 1551 invenit in veteri codice bibliothecæ Colbertinæ *Constitutum Vigilii pro damnatione trium Capitulorum*, datum mense Februario anni 554 ; in ejus enim fine legitur : *Data* VII *Kalendarum Martiarum imperante domino Justiniano perpetuo Augusto anno* XXVII, *et post consulatum Basilii V. C. anno* XIII *Constantinopolim*. Quod constitutum videtur esse germanus et genuinus libellus, quo Vigilius synodum V confirmavit, et Constantinopolim tam ad imperatorem, quam ad episcopos misit : nihil enim in eo continetur, quod a stylo Vigilii dissentiat. In eo Vigilius fuse, docteque tria Capitula explicat, refellit et damnat, tandemque concludit : « Prædicta igitur tria impia Capitula D anathematizamus atque damnamus, id est, epistolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam, in qua nefandæ superius designatæ blasphemiæ continentur, et impium Theodorum Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, et quæ impie Theodoritus conscripsit, etc. Quæcunque vero sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicunque reperta, præsentis nostri plenissimi Constituti auctoritate vacuamus. »

Postquam Vigilius ad synodi sententiam accessit, Romam dimissus est ; sed antea mense Augusto cum imperatore serio egit de universo provinciæ, ac præsertim urbis Romanæ regimine meliorem in formam reducendo. Justinianus ejus petitioni morem gerens nobilem sanctionem Constantinopoli edidit *Idibus Augusti* datam, qua Italis plurimum indulsit, illorumque fortunas diuturno bello Gothico, quo fuerant fatigati, depressas erexit. In ea de virginibus Deo

Digitized by Google

dicatis hæc habet Justinianus : « Cum autem tyrannicæ ferocitatis præsumptionem res etiam illicitas quasi permissas egisse sine dubio sit : sancimus, ut si qui mulieres Deo sacratas, vel habitum religiosum habentes sibi conjunxisse inveniantur, nulla eis tenendi, vel dotes forte conscriptas, iterum monasteriis, vel ecclesiis, aut sancto proposito, cui dedicatæ sunt, restituantur. » Hanc sanctionem cum Vigilius redieus in Italiam referret, calculi dolore oppressus in Sicilia usque ad mortem remansit.

Porro, ut ad synodum quintam redeam, vere dixit Gregorius Magnus in quinta synodo non esse actum de fide, sed de solis personis. Deinde non quintum, sed sola quatuor prima concilia tanquam Dei Evangelia veneratur idem Gregorius. Quare licet hujus concilii summa sit auctoritas, parem tamen cum aliis quatuor auctoritatem non habet. Hinc idem Gregorius in epistola 34, lib. III, ad Constantium episcopum Mediolanensem, qui conabatur Theodelindam Longobardorum reginam piissimam, a defensoribus trium Capitulorum seductam, ad communionem Ecclesiæ reducere, prudenter respondit : « Quod scripsistis, quia epistolam meam reginæ Theodelindæ minime transmittere voluistis, pro eo quod quinta synodus in ea nominabatur ; si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretur. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor synodos solummodo laudaremus, quintæ synodi nullam mentionem faceremus. » Judicavit itaque Constantius per pravum et erroneum de quinta synodo judicium non deperdi fidem, ideoque posse illud dispensatorie ad tempus tolerari, quod Gregorius comprobavit ; cum tamen circa fidei decreta dispensatorie dissimulari non possit. Successores tamen Vigilii et præcipue S. Gregorius synodum quintam approbarunt, ut ex dicendis constabit.

A

B

C

SOMMIER.

Num. 103, lin. 3. — *Absit hoc a me, domina Augusta. Prius locutus sum male*, etc. *Modo autem*, etc. Non sine validissimis rationum momentis accusat Baronius tanquam suppositam epistolam, quam Liberatus attribuit Vigilio (in Brev., cap. 22), impiam et hæresibus infectam. Sin autem a Vigilio perscriptam doceret ; constat evidenter ante legitimum ipsius pontificatum esse referendam ad tempus illius schismatis, et intrusionis in Petri sedem superstite vero pontifice Silverio. Solemnis enim professio fidei quatuor conciliorum, et epistolæ dogmaticæ S. Leonis ac successorum constituti, quam Vigilius de more transmittit tum ad imperatorem, tum ad patriarcham Constantinopolitanum, quando a morte Vigilii sedere cœpit legitimus ejusdem, et patri successor, satis est ad iniustam illius pontificatus calumniam diluendam. *Vid. Vigilii papæ epist.* 4.

« Hæc ego, inquit, quæ de fide a Patribus SS. quatuor synodorum, et a designatis beatæ recordationis papæ Leonis epistolis, atque a suprascriptorum prædecessorum nostrorum constitutis sunt venerabiliter definita, per omnia nos sequentes, et eorum doctrinæ contrarios probabili apostolicæ sedis auctoritate damnantes anathematizamus eos, quicunque de fidei ejus expositione vel rectitudine aut disputare perverse, aut infideliter dubitare tentaverint, » etc.

Vigilius papa nonne devotus fuisset diris, ac despectui orbis universi, si produci potuisset hujusmodi epistola ab illo signata, qualem Liberatus obtrusit, et fidei professio quæ præscriberet epistolam dogmaticam Leonis Magni, et definitionem concilii Chalcedonensis ?

Idem sentiendum est de alia epistola ad Mennam Constantinopolitanum, quæ repugnaret quintæ ejus epistolæ in sanctis quatuor ejus conciliis recognoscenti *fidei orthodoxæ atque apostolicæ fundamenta.*

Vide Pagium eadem observantem in notis per nos selectis.

Prudens œconomia Vigilii papæ in negotio trium Capitulorum cognoscitur ex adductis per eumdem D. archiep. Sommier, cap. 33, necnon a Pagio consideratis in Vigilio, ubi etiam uterque complectitur historiam controversiæ de tribus Capitulis, secutus vestigia cardinalis Norisii in Dissert. de synodo quinta cap. 3 et seqq. Vide supra notas Pagii.

LXII. PELAGIUS.

ANNO CHRISTI 555, JUSTINIANI IMPERATORIS 29.

109 Pelagius, natione Romanus, ex patre Joanne Vicariano, sedit annos quatuor[a], menses decem, dies decem et octo. Et dum non esset episcopus, qui eum ordinaret, inventi sunt duo episcopi Joannes de Perusia, et Bonus de Florentino[b], et Andreas presbyter de Hostia[c], et ordinaverunt eum pontificem. Tunc non erant in clero, qui poterant eum promovere, quia et monasteria, et multitudo religiosorum, et sapientium nobilium subduxerunt se a communione ejus, dicentes quia in morte Vigilii papæ se immiscuit, ut tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses, et Pelagius papa consilio inito data litania a sancto Pancratio cum hymnis, et canticis spiritualibus venerunt ad sanctum Petrum apostolum. Qui Pelagius tenens Evangelia, et crucem Domini super caput suum in ambonem ascendens satisfecit cuncto populo et plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium. Item adjecit Pelagius papa, et dixit : Peto enim, ut petitionem meam confirmetis, ut si quis ille est, qui promovendus in sancta Ecclesia dignus invenitur ab ostiario, usque ad gradus episcopatus, ut neque per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat. Vos omnes scitis, quia simoniacus est. Sed si quis doctus in opere Dei est, et bonam vitam habens, jubemus

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C, ann. 11. [b] Ferentino C. [c] Ostia C.

Digitized by Google

eum non per dationem, sed per bonam conversationem usque ad primum gradum venire. Eodem tempore posuit Valentinum notarium suum timentem Deum, et restitui fecit omnia vasa aurea, et argentea, et pallia per omnes ecclesias. Eodem tempore initiata est basilica apostolorum Philippi et Jacobi, quæ dum initiaretur fabricari, a mortuus est, et sepultus est in basilica beati Petri apostoli. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, presbyteros 26, diaconos novem, episcopos per diversa loca numero 49. Qui etiam obiit die 2 mensis Martii [a], et cessavit episcopatus menses tres, dies 25.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, VI Non. Martias.

VARIÆ LECTIONES.

Ex Codice Farnesiano.

Num. 109, *lin* 2. Et diu non essent episcopi qui eum ordinarent inventi sunt duo, etc. Et Andreas presbyter de ostis et ordinaverunt pontificem. *lin* 5. Promovere nam monasteria. *lin* 7. Eodem tempore Narsis patricius, etc. Ad sanctum Pancratium. *lin* 10. Suum ascendit in ammone. Et sic satisfecit. *lin* 12. Promovendus in sancta Ecclesia ab ostiario usque ad gradum episcopatus. *lin* 14. Quia Simoniacum est. Sed quis si ille doctus in opere Dei bonam vitam, etc. Non per dationem, sed jubemus eum per bonam conversationem usque ad summum gradum venire. *lin* 17. Notarium suum et restitui fecit *lin* 19. Jacobi qui dum initiaretur. *lin* 21. Diaconi VIII, episcopi per diversa loca XXXXIX deposit die II mens mart et cessabit episcopatus etc.

Apud Fabrottum ex codice Frehert.

Lin 2, menses tres, dies 5. *lin* 1, *B*, 11 annos. *lin* 3, *AB*, Ferentino. *lin* 4, *AB*, qui non possent promoveri. *lin* 7, *A*, Narses patricius. *lin* 8, *AB*, ad S. Pancratium. *lin* 10, *A*, ad perditionem. *lin* 21, *B*, 69 episcopos. *lin* 22 *A*, quo deposito. *lin* 23, dies 26.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, Joanne Vicario, sedit annos XI, m. 10, d. 28; dum non esset eo tempore episcopus, qui ordin. eum in s. duo episc. Joannes Perusinus, et Bonus Ferentinus, et A presb. Ostiensis, et ordin. eum P. Tunc non erat in clero, qui posset promoveri, A quia monasteria, et multitudo rel. sapientium et nobilium s. *lin* 7, se miscuisset (*M*,, immiscuisset). *lin* 8, Letania. *lin cad* spiritalibus. *lin* 9, Ap. Tunc Pelag. *lin* 10, ascendit: et sic satisfecit. *lin* 12, Peto ut pet. m. c. ut quisquis ille sit, qui prom. est in S. Eccl. ab ostiario usque ad gradum episcopi, neque per a. neque per alias (M, aliquas) pr. prof. vos enim scitis omnes (*in M deest* omnes) quia simoniacum est. Sed si q. d. i. op. Dei fuerit, bon. vit. h. *lin* 16, conv. per hos omnes gradus ascendere, quod viva voce confirmatum est ab omnibus. Eodem tempore præposuit Val. *lin*. 18, eo quoque tempore in. est. ab eo bas. *lin*. 19, quæ dum fabricaretur, m. e. et sep. in basil. *lin* 21, loca 51 (*M*, 49) et cessavit episcop. m. 3, d. 26.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, ann. 11, m. 10, d. 18; et dum non essent episcopi qui eum ordinarent. *lin* 3, Ferentino. *lin* 4, tunc non erant qui pot. promoveri. B *lin* 8, letania ad S. Petr. *lin* 10, et in amb. ascendit, et sic sat. *lin* 12 *et* 13, prom. est in S. Eccl. ab ostiario usque ad gradum episc. v. n. p. a. n. per alias p. p. *lin* 22, 49, et cess. episc. m. 2, d. 25.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 4, hostis. *lin ead.*, qui poterant promoveri. *lin* 7, Nersis. *lin* 14, proficiant. *lin* 15, sed si quis ille doctus i. o. D. e. e. b. v. h. non p. dation. sed jubemus eum p. b.

NOTÆ VARIORUM.

In Farnes cod LXII, qui est in Velser cod LXI. C

Holsten in notis: *Vigilius Romam rediens moritur* IV. *Idus Januar. Pelagius succedit circa medium Aprilis, consecratus ipso die Paschæ*, XVI *Kal Maias*. ad ann 556 Chronicon in cod Ms. reginæ Sueciæ, scriptum ante 500 annos, habet sub Justino; *Anno Justiniani* XIX *et anno Verbi incarnati* 561. Ubi annum Incarnationis 561 componit cum anno 29 Justiniani juxta nostram sententiam, quæ Christum quinque annis ante æram vulgarem natum fuisse perhibet. Cum enim Justinianus annum 29 gesserit anno æræ vulgaris 556, his adde quinque annos, habebis annos 561.

ALTASERRA.

Linea . — *Eodem tempore Narses et Pelagius papa consilio inito, data litania a sancto Pancratio, cum hymnis et canticis spiritualibus venerunt ad sanctum Petrum apostolum.* Litania seu processio solemnis indicta per Pelagium ab æde sancti Pancratii ad basilicam S. Petri apostoli. Pestis depellendæ causa solemnem D litaniam indixit Gregorius I, de quo Gregor. ipse lib. II, epist. in Præf. Gregor. Tur. lib. X, cap. 1, Paul. Diac. de gest. Longobard. lib. III, cap. 25. Litaniarum usum laudavit Justinianus Novella CXXIII, cap. 22. Solemnis Litania per singulas hebdomadas die Sabbati indicta ab Honorio. Anastas. in Honorio: « Hic fecit constitutum in Ecclesia, et decrevit ut per omnem hebdomadam Sabbato die exeat litania ad beatum Apollinarem, et ad beatum Petrum apostolum, cum hymnis et canticis populus omnis occurrere debeat. »

Linea 9. — *Pelagius tenens Evangelia et crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens satisfecit cuncto populo et plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium.* Pelagius in ambone, id est pro suggestu Ecclesiæ, se purgavit de nece Vigilii per SS. Evangelia et crucem Domini. Similiter Leo III de objectis sacramento se purgavit, adhibitis duodecim episcopis, in ambone ecclesiæ Anast. in Leone III can. *Auditum*, can. *Omnibus*, 2, qu. 5, can. *Nos si.* cad. caus., qu. 7, et Sixtus III, quodam Basso accusatus in synodo se purgavit, can. *Mandastis*, 2, qu. 5.

BENCINI.

Linea 6. — *Subduxerunt se a communione ejus*, etc. Tametsi Justinianus Pelagio faveret, ut satis constat ex superioribus gestis, in quibus clero proposuit Petrum, et Pelagium, addens: *pro quibus manus mea erit vobiscum*, etc., quia tamen inductas a Theodorico rege, circa Romanorum pontificum electionem, servitutes promovere se velle significaverat, clerus Romanus tueri non destitit libertatem pro electionibus canonicis rite obeundis. Erat Pelagius non spernendæ probitatis vir, quem Vigilius Constantinopoli regrediens, apocrisiarium reliquerat, ut ait Liberatus in Breviario c. 22. Idemque, cum Totilas exitium

Digitized by Google

Urbi minabatur, grandia obiit munera, sic recensita a Procopio lib. III Gotth. Bell., c. 8 : « Erat tunc forte inter Romanos et sacros viros Pelagius qui tam diaconus, qui diu Byzantii commoratus, maximam sibi cum imperatore conciliaverat amicitiam. Unde et pecuniarum vi maxima circumfultus, Romam se paulo antequam obsideretur contulerat. In eaque deinde obsidione necessariis indigentibus, ejus pecuniæ partem largitur imperterritus, cum vel ante hac esset inter Italos omnes vir probus; majorem, ut par erat, charitatis, et in proximos quosque benevolentiæ gloriam retulit, » etc. Tres itaque dissidiorum clerum inter et senatum occurrisse videntur occasiones in Pelagii electione : prima, quod per Narsetem, tunc in Italia agentem, pontificem eligi curaverit Justinianus : quæ sacrarum electionum præsumptio ecclesiasticæ libertati contraria erat. Secunda, quod Pelagio calumniam instruxissent æmuli, quasi Vigilii mortem accelerasset. Tertia tandem, quod cleri Romani pars cum quibusdam Occidentis provinciis adhuc in trium Capitulorum defensione persisteret. Unde Pelagii communionem et epistolas rejiciebat. Pelagium vero electum a clero fufisse, trium Capitulorum defensionem sustinente, ex eo liquet, quod Victor Tunnunensis, qui cum aliis Africanis stabat pro trium Capitulorum defensione, habet in Chronico : « Pelagius Romanus archidiaconus trium præfatorum defensor Capitulorum, Justiniani principis permissione de exsilio redit, et condemnans ea, quæ dudum constantissime defendebat, Romanæ Ecclesiæ episcopus a prævaricatoribus ordinatur, » etc. Prævaricatores apud Victorem illi omnes sunt, qui justam trium Capitulorum damnationem tuebantur. Itaque Romanus Clerus sub initium pontificatus Vigilii in duas partes distractus, ad schisma ruebat. Contrariæ etiam parti adhæserant Tusciæ episcopi, ad quos epistolam direxit Pelagius, eosdem objurgans, quod pontificis nomen diptychis sacris non retinerent : « Quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, si inter sacra mysteria secundum consuetudinem, nominis memoriam non retinetis, in qua licet indigne, apostolicæ sedis per successionem episcopatus præsenti tempore videtis consistere firmitatem, » etc. Scripsit et ad alios Occidentis episcopos, ut in se conflatas calumnias evacuaret.

Linea 7. — *Eodem tempore*, etc. Ex Marcellino additionem hanc petitam reor, qui in Chronico ad ann. 554 hæc habet : « Vigilius papa ab imperatoribus Romanis, et a Narsete de exsilio relaxatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi decessit : moxque Romam perlatus apud S. Marcellum in via Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus Pelagius papa quinquagesimus duodecimus sedit annos undecim, mensibus decem. Qui a populo Romano factionis contra Vigilium incusatus, celebratis una cum Narse litaniis, apud S. Petrum in ambone conscenso, Evangelioque super caput suum posito, juramento se crimine purgavit, » etc.

Linea 17. — *Et restitui fecit omnia vasa aurea et argentea*, etc. Restitutio hæc, pontificis sollicitudine promota, ac quidem Valentino notario agente probat supra factam animadversionem, omnia scilicet, ad Romanam Ecclesiam spectantia, a notariis fuisse excepta, ac in peculiari quopiam catalogo descripta, ab iisdem fuisse asservata, ubi munerum rationes, pondera, oblatoresque notabantur. Ex hisce autem catalogis potuit Anastasius oblationes sigillatim describere, gestisque addere cujuscunque pontificis. Neque enim potuisset Pelagius facile restitutionem jubere, nisi exstitissent catalogi, unde dignoscerentur vasa, et quomodo eadem aut allata, aut alio distracta fuissent. Summa hinc in hisce notariis exigebatur fidelitas : unde de Valentino additur, quod *Deum timens* fuerit. Contigisse autem potuit ea vasorum sacrorum distractio vel ob longiorem Vigilii moram in urbe Constantinopolitana, vel etiam quod apostolica sedes, ut Vigilio exsulanti suppetias ferret, sacra vasa pignoraverit. Episcopos enim propter obeunda conciliorum gratia itinera, propriis levandis necessitatibus pignori sacra vasa dedisse, frequenter notatum legimus. Hinc in tomo Encyclico, in quo scilicet encyclicæ epistolæ reservantur ab episcopis scriptæ pro concilii Chalced. auctoritate confirmanda, synodus episcoporum provinciæ Helenoponti laudat Leonem imperatorem, quod pro eadem controversia concilii œcumenici celebrationem vetuerit, atque hanc ex aliis rationem addit (Part. III conc. Chalced., c. 33, pag. 736, 737) : « Nihil enim aliud student, qui optant synodos congregari, nisi ut vasa sacra plurimi sanctorum episcoporum vendentes, pro sumptibus et expensis et subvectionibus animalium pretia universa consumant; et aliqui eorum in peregrinatione, aut mari, vitæ hujus luce privati, onus hoc atque peccatum congregantibus concilium providere noscantur. Sed jubete potius singulos sacerdotum in propria Ecclesia positos, et ubi constituti sunt permanentes, orationes et preces pro vestræ serenitatis imperio celebrare, » etc. Quod et in aliis synodis sancitum reperimus. Distractionis ejusdem altera quoque fuit occasio ex Theodorici edicto, quo, post Joannis I pontificis obitum, jusserat, ut electiones omnes episcoporum a regio consensu penderent : unde pravi homines aulicos muneribus cumulantes, consensum artibus hisce extorquebant. Pridem invaluerat Simoniaca hæc pravitas, adeo ut Athalaricus hæc Joanni II scripserit (Apud Cassiod. lib. IX, epist. 15, pag. 590) : « Vos autem qui patriarcharum honore reliquis præsidetis ecclesiis, quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberavit, restat ut bona imitantes exempla, sine aliquo ecclesiarum dispendio dignos majestate pontifices offeratis. Iniquum est enim, ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis divina consideratione præclusimus. Quapropter si quis apostolicæ præsulem Ecclesiæ vel patriarcharum episcopum, sive per se, sive per parentes nos servientium quascunque personas aliqua suffragii crediderit ambitione promovendum, et ipsum reddere accepta defluimus : et quod est canonibus statutum, eum modis omnibus esse passurum. Si quis vero quæ dederit, aut promiserit eodem superstite timuerit publicare, ab hæredibus ejus Ecclesia repetat, cujus suffragio antistes deprehenditur ordinatus : nota infamiæ nihilominus superstites inurente, » etc. (Ibid. num. 16.) Imo scribens Salvatio Urbis præfecto, edictum marmoreis tabulis incisum, ad fores basilicæ S. Petri apponi jussit. « Ut principale beneficium, et præsentibus hæreat sæculis et futuris, tam definita nostra, quam senatus consulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, et ante atrium B. Petri apostoli in testimonium publicum collocari. Dignus enim locus est, qui et gloriosam mercedem nostram, et senatus amplissimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus, quo redeunte noscamus impleta quæ jussimus. Incertum enim videtur habere, quod præcipit, cui rerum effectus tardius innotescat, » etc. Ex quibus illud auctoramentum habet, quod supra notavimus, exsecutores publicandæ cujuslibet regiæ auctoritatis de re præstita rescribere debuisse. Ad publicas hasce tabulas Pelagii verba respiciunt, quæ hic lin. 12 habentur : « Item adjecit Pelagius papa, et dixit : Peto enim, ut petitionem meam confirmetis, ut si quis ille est, qui promovendus in sancta Ecclesia dignus invenitur ab ostiario, usque ad gradus episcopatus, ut neque per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat. Vos omnes scitis, quia Simoniacus est, » etc. Extremis verbis edictum repetit foribus S. Petri tunc asfixum. Addit subinde : « Sed si quis doctus in opere Dei est, et bonam vitam habens, jubemus eum non per dationem, sed per bonam conversationem usque ad primum gradum venire, » etc. Ultimo hoc constituto denotat inchoatam cleri reformationem sub Agapeto, cum ob bar-

Digitized by Google

barorum incursiones litterarum studia exoleverint, quando Cassiodorus restaurationis consilia cum Agapeto communicavit, ut in ipsa præfatione institutionum scribit : « Nisus sum cum beatissimo Agapito urbis Romæ, ut sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum Hebræis sedulo fertur exponi ; collocatis expensis in urbe Romana professos doctores scholæ potius acciperent Christianæ, unde animæ susciperet æternam salutem... Sed cum propter bella ferventia, et turbulenta nimis in Italico regno certamina, desiderium meum nullatenus valuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis, temporibus inquietis, » etc. Paulatim tamen ut academiæ inductæ sunt in Italiam, credibile est ad incrementa studiorum constitutionem hanc a Pelagio editam, ut docti tantum promovendi essent. Hinc in eodem tempore Primasius, Africæ primas, liberas provincias a barbaris videns, promovit studia anno circiter 550. Exstat Junilii ad Primasium epistola, in qua ejus postulata de restaurandis studiis proponuntur, adjecta responsione. Quæsiisse Primasium scribit (In *Bibl. max. PP.*, p. 540) : « Si quis esset inter Græcos qui divinorum librorum studio intelligentiaque flagraret? Ad hæc ego respondi, vidisse me quendam Paulum nomine, Persam genere, qui in Syrorum schola in Nisibi urbe esset edoctus, ubi divina lex magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis, grammatica et rhetorica ordine et regulariter traditur, » etc.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Pelagius.* Adrianus papa in epistola ad Carolum Magnum de Imaginibus, hæc de Pelagio scribit : « Multo amplius vero ejus sanctissimi successores domnus Pelagius et domnus Joannes, miræ magnitudinis ecclesiam Apostolorum a solo ædificantes, historias diversas tam in musivo quam in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus, et nunc usque hactenus a nobis venerantur. »

Linea 19. — *Initiata est basilica apostolorum Philippi et Jacobi.* Hanc ecclesiam Pelagius incœpit, Joannes vero successor ejus perfecit, atque titulo sanctorum Philippi et Jacobi eamdem consecravit, juxta verbum quem teste Baronio antiqua monumenta Vaticanæ basilicæ a Manlio collecta habent :

Pelagius cœpit, complevit papa Joannes.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedis vacationem ab obitu Vigilii, vita perfuncti in Sicilia circa diem IV Idus Januarii anni 555, ad ordinationem Pelagii successoris die Dominica 18 Aprilis, recte numerant catalogi Lucensis, et Farfensis cum codicibus Bibliothecarii Farnesiano, Regio, Mazzarino, et Thuanis mensium trium, dierum sex vel quinque (si excludantur extremi). Sedes illi tribuitur annorum quatuor, mensium decem, dierum octodecim, non modo in Lucensi, et Farfensi, ac in codicibus Bibliothecarii Farnesiano, Velseriano, Cavensi, aliisque communiter, sed etiam in sepulcrali ejus epigraphe Vaticana, quam referunt card. Baronius in Annalibus, Gruterus in Thesauro vet. Inscrip., Manlius et ex eo Aringhius Romæ subter lib. II, c. 8, Romanus Canonicus apud Paulum de Angelis, Descript. basil. Vatic., pag. 77, aliique passim historici, et antiquarii, post carmina complura, ita signatam.

HIC REQUIESCIT PELAGIUS
QUI SEDIT ANNOS IV.
MENSES DECEM DIES XVIII.
DEP. IV. NONAS MARTIAS.

Biduo ante depositionem obierat, juxta Bibliothecarium : *qui obiit die 2 mensis Martii.* Mors itaque Pelagii pertinet ad annum 560 et diem 2 Martii. Corrigendus idcirco Panvinius in Chronico, et illi adhærens Holstenius, qui illam differunt ad annum 561, non secus ac Aringhius, qui cum Baronio scribens electum Pelagium anno 555 mortuum asserit 559. Nam ratio annorum et mensium ita produci aut breviari non patitur terminos, ut respondeant summæ in epocha lapidis sepulcralis expressæ, uti observat card. Norisius dissert. hist. de synodo V œcum., cap. 9, § 1 in fine.

Non est cur immoremur in causa erroris investiganda, per quam in aliquot catalogis, et exemplaribus Bibliothecarii anni sedis Pelagii signentur 11 : suspicari possumus errorem natum ex chronico Marcellini : ubi post consulatum Basilii anno XIV legitur : *Vigilius papa*, etc., *in Sicilia morbo calculi tactus decessit*, etc., *pro quo ordinatus Pelagius papa LXII*, sedit annis undecim, menses decem, etc. Nam si continuator Marcellini ex Græco textu alicujus chronici tribuentis Pelagio *ETIΔ* (annos 4), loco litterarum *ETI* seu notæ Δ pinxit *ETIA*; facile ex vero numero 4 prodiit falsus numerus 11. Verum de causa erroris alii disquirant. Nobis satis est genuinis ex documentis epigraphis sepulcralis, et codicum emendationum ac vetustiorum statuere, tribuendos esse Pelagio primo annos quatuor, menses decem, dies octodecim juxta catalogos, ac textum Bibliothecarii. Ibidem legimus post obitum Pelagii sedem vacasse mensibus tribus, diebus viginti quinque. Quare successor Joannes III electus fuerit pontifex die 27 Julii 560, et ordinatus Dominica subsequenti, quæ incidit in Kal. Augusti.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 6. — *Subduxerunt se a communione ejus, dicentes, quia in morte Vigilii papæ se immiscuit*, etc. Hujusmodi popularis erroris falsitatem, et inde subsecutæ purgationis Pelagii ex ambone, cui Bibliothecarius cum vulgo adhæsit, in notis Pagii reperies castigatam. Plenius tamen a card. Norisio in Dissert. de synodo quinta œcumenica, nono capite : primo, qui ex Tununensi chronico, aliisque documentis, et gestis perpensis, et collatis illud genus purgationis canonicæ ultro a Pelagio præstitum fuisse collegit, non causa calumniæ a se removendæ circa mortem Vigilio acceleratam, cujus pontificis et apocrisiarius fidelis, et socius persecutionum fuerat trium capitulorum causa, sed quia voluit avertere suspicionem improbationis quintæ synodi post condemnata tria Capitula, quæ prius defenderat; cum Occidentales episcopi complures eam condemnationem putarent prævaricationem habendam esse sacræ synodi Chalcedonensis. Rem totam diligenter exponit Norisius toto § 1, quem inscribit de Pelagio primo, respondens temerariis insultibus Petri Halloix, sibi plaudentis in propugnatione deploratæ causæ Origenistarum, et per summam impudentiam censoria virgula passim notantis synodum V œcumenicam, pontifices summos, et doctissimos Patres, quæ ad hunc locum Anastasii a vulgari rumore liberandum conferunt, ita concludit :

« Quare coram populo in ambone nihil abs se contra Vigilium intentatum jurejurando haud affirmavit, sed quod nihil contra synodi Chalcedonensis fidem in trium capitulorum abs se statutum fuisset. Ignorantia controversiæ de tribus Capitulis Anastasium, veterem alioqui scriptorem, in eas fabulas impegit, queis cæteri scriptores fidem habuere. »

Vide etiam emendatos ab eodem Norisio hac occasione leviores errores historicorum ætatis nostræ aut proximæ superioris illustrium circa gesta Pelagii primi.

CIACONII.

Linea 1. — *Pelagius natione Romanus.* Consecratus XVI Kal. Maii, die Dominico Paschæ, ob eximias dotes et virtutes quibus præditus fuit, ad Petri cathedram evectus.

Digitized by Google

PAGI.

Linea 1. — *Sedit annos quatuor*, etc. Pelagius sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, natione Romanus, Vicariani filius, Vigilio successor datus est post trium circiter mensium interpontificium. Constat enim eum ordinatum mense Aprili ex ejus epitaphio *infra* referendo, et quidem die XI ejusdem mensis, quæ anno 555 Dominicalis erat. Eum consecratum mense Aprili anni quingentesimi quinquagesimi quinti invicte probatur ex ejus epistola 6 ad episcopos Tusciæ data XV Kalend. Martii anno XV post consulatum Basilii V. C., qui est annus 556, quo ideo, ante mensem Aprilem, imo et mense Februario, quo, ea epistola data, jam pontifex Romanus erat. Dies vero ordinationis deducitur ex ejus sedis duratione in dicto epitaphio memorato.

Linea 2. — *Et dum non esset episcopus qui eum ordinaret*, etc. Pelagius ante pontificatum Constantinopoli fuerat Vigilii papæ apocrisiarius apud Justinianum imperatorem, cum quo, ut ait Procopius mox laudandus, maximam sibi conciliaverat amicitiam. Dum eo munere fungeretur, auctor fuit Justiniano ut Origenistas damnaret, ex dictis in Vigilio. Constantinopoli Romam rediit, a Vigilio evocatus anno 544, antequam imperator primum edictum contra tria Capitula emitteret. Anno 546 ad Totilam Gothorum regem Romam obsidentem legatus missus, eum mitiorem reddidit capta urbe, a quo quidquid voluit, obtinuit. Id describit Procopius lib. III de Bell. Goth., cap. 2 : « Erat tunc quidem, ait, forte inter Romanos et sacros viros Pelagius quidam diaconus, qui diu Byzantii commoratus, maximam sibi cum imperatore conciliaverat amicitiam. Unde et pecuniarum vi maxima circumfultus, Romam se paulo ante quam obsideretur, contulerat. In eaque deinde obsidione necessariis indigentibus ejus pecuniæ partem largiter impartitus, cum vel ante hac esset inter Italos omnes vir probus, majorem (uti par erat) charitatis et in proximos quosque benevolentiæ gloriam retulit. Hunc igitur cum præ fame indigna quæque Romani et difficillima paterentur, facile suadent, conventum ut Totilam precaretur, paucorum sibi dierum inducias his conditionibus daret : ut si intra constitutum inter se tempus nemo sibi suppetias ex Byzantio venerit, sine mora se ipsi, Urbemque barbaris proderent. His cum mandatis ubi ad Totilam Pelagius venit, et ab eo est perbenigne susceptus, » etc.

Totilas Urbem ingressus orandi gratia Petri apostoli templum ingreditur; sed Gothi interea, quos obvios habent, obtruncant. Unde hoc pacto ex militibus quidem desiderati viginti duntaxat sunt, sexaginta e plebe homines. Ineunti itaque id Totilæ templum, Pelagius ipse sese obviam offert, Christi in manibus Evangelia gestans, supplexque factus et genu procumbens : Parce, inquit, o princeps, tuis. Tum ille arridens, et sane profusius, ita præfatus est : Nunc mihi supplicaturus advenisti, Pelagi? Ita quidem, respondit, quandoquidem tuum me servum effecit Deus, sed ab aliis jam abstine manus, qui tibi in servitutem cessere. His itaque victus precibus Totilas, Gothis militibus edicto mox imperat, Romanorum de cætero ut neminem obtruncarent, et prædis abstinerent. Deinde Pelagius Romanorum captivorum libertatem obtinuit a Totila, a quo et ad Justinianum cum Theodoro uno ex præcipuis urbis rectoribus legatus missus est pro pace impetranda, ut habet Procopius laudatus.

Pelagius postea a Vigilio papa Constantinopolim evocatus fuit, ut sibi in difficili causa de tribus Capitulis auxilio esset, sub quo etiam constanter pro tribus Capitulis decertavit. Legitur enim subscriptus Constituto Vigiliano. Cum nollet synodum quintam subscribere, in exsilium missus est, teste Victore Tununensi mox laudando. Justinianus Vigilii morte intellecta Pelagium ab exsilio revocavit, qui principi morem gerens, tria Capitula damnavit, eoque pacto ad Romanam sedem evectus est. Hæc Victoris Tununensis verba : « Pelagius Romanus archidiaconus trium præfatorum defensor Capitulorum Justiniani principis persuasione de exsilio redit, et condemnans ea, quæ dudum constantissime defendebat, Romanæ Ecclesiæ episcopus a prævaricatoribus ordinatur. » Ita loquitur Victor, quia trium Capitulorum erat obstinatissimus defensor.

Hæc paulo fusius narrata sunt, ut pateat deceptum esse Anastasium, quando scripsit Romanos a communione Pelagii se subtraxisse, quod auctor publicaretur malorum, quæ Vigilius Constantinopoli perpessus fuerat; subdens Pelagium tenentem *Evangelia et crucem Domini super caput suum in ambonem* ascendisse, *et sic* satisfecisse *cuncto populo et plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium*. Quomodo enim id verum esse potest, cum constet Pelagium Vigilii persecutionum socium fuisse; cum eo et pro eo stetisse, ac subscripsisse constitutum ejus, quo quinta synodus irritabatur, indeque in exsilium expulsum esse, et tria Capitula, ut ait Victor in Chronico, *constantissime* defendisse? Quare coram populo in ambone nihil a se contra Vigilium tentatum jurejurando non affirmavit Pelagius, sed quod nihil contra synodi Chalcedonensis fidem in trium capitulorum damnatione a se statutum fuisset.

Cum enim Romæ innotuisset, Pelagium tria Capitula condemnasse, singuli quique tum sacri, tum laici homines ab ejus communione se separabant, neque in tota Italia tertius inveniri potuit episcopus, a quo consecraretur; illum quippe Chalcedonensis synodi prævaricatorem detestabantur. Quare a Perusino, et Ferentino episcopis, ac Andrea presbytero Ostiensi consecratus fuit, ut tradit idem Anastasius. Procul ergo a vero sunt quæ scripsit, populum Romanum Pelagio offensum fuisse, quia auctor fuerat persecutionum Vigilii; sicuti et quod tradit; Vigilio in custodiam detruso, clerum Romanum missum esse in exsilium *ad diversa metalla* incidenda. Constat enim ex eodem Victore Tununensi, eos qui tria Capitula defendebant, ab imperatore in longinqua monasteria ablegatos. Porro ignorantia controversiæ de tribus Capitulis Anastasium, veterem alioqui scriptorem, in eas fabulas impegit, quibus plures scriptores fidem habuere, ut ait cardinalis Norisius in Dissert. de synodo quinta, cap. 9, § 1, ubi hæc observavit.

Linea 4. — *Ordinaverunt eum pontificem*. Ab ordinatione Pelagii non recedendum nisi prius observemus in ejus electione novum morem inductum esse, et Justinianum imperatorem, qui jam ab annis quatuor Roma potiebatur, confirmandi Romani pontificis auctoritatem sibi, suisque posteris arrogasse, exemplo ducto a Gothorum regibus, qui confirmationes electionum ad se traxerant. Inde post Vigilii mortem interpontificium trimestre fuit, et post mortem sequentium pontificum solito etiam diuturnius; quia confirmatio ex aula imperatoris exspectanda erat. Imperatores vero electionem non confirmasse, nisi soluta auri quantitate consueta, discimus ex Anastasio in Agathone. Tertiam hanc electionis pontificæ periodum his verbis explicat Mabillonius in commentario prævio in Ordinem Romanum paragr. 17, ex opere Ms. Onuphrii Panvinii *de varia creatione Romani pontificis*. Gothis Italiæ ditione a Narsete omnino exactis, Italiaque cum urbe Roma in Orientalis imperii portionem redacta, insignior fuit in electione papæ mutatio usque ad Carolum M. Mortuo pontifice cura sedis apostolicæ vacantis tribus præcipuis cleri ministris committebatur, scilicet archipresbytero, archidiacono, et primicerio notariorum. Ab his quam primum de morte papæ nuntium significatur exarcho, quem, Gothis pulsis, Ravennæ instituit imperator.

Post justa defuncto persoluta, exactumque tribus jejunium, de eligendo pontifice tractabatur. Huic electioni intererant clerus, optimates, populus et

Digitized by Google

milites, hoc est militum stationes, qui ad tutandam adversus Longobardos reliquam Italiæ partem, Romæ potissimum et Ravennæ consistebant. De electione mox referebatur ad imperatorem, a quo petebatur, expectabaturque factæ electionis approbatio. De ea item scribebatur ad exarchum, ad judices, archiepiscopum, et apocrisiarium Ravennæ, ut electioni faverent. Post datam ab imperatore approbationem, electus tandem ordinabatur ad confessionem S. Petri, ibique fidem profitebatur, moxque fidei suæ confessionem ad omnes Ecclesias dirigebat. Hæc omnia constant ex libro Diurno Romanorum pontificum, cujus formulæ ab eo tempore, id est post electionem Pelagii, in usu esse cœperunt. Ita Mabillonius, cui in omnibus consentit auctor criticæ Baronii, nisi in eo quod ait morem hunc usque ad Carolum Magnum perdurasse; regnante enim Pipino Francorum rege Ecclesiam ab illa servitute liberatam fuisse, infra cum eodem auctore videbimus; licet Ludovico Pio imperante, mos ille in pristinum statum restitutus, et pontificum Romanorum ordinatio coram legatis imperatoris iterum peracta fuerit.

Linea 17. — *Eodem tempore initiatus est basil. SS. Apost.*, etc. Pelagium inchoasse ædificationem basilicæ apostolorum Philippi et Jacobi testatur Anastasius in ejus Vita. Quæ *dum initiaretur*, inquit, *fabricari, mortuus est, et sepultus in basilica beati Petri apostoli sexto Nonas Martii.* Mortuus est itaque Pelagius anno quingentesimo sexagesimo, nocte inter ultimum Februarii et primum Martii diem, dieque quarta ejusdem mensis sepultus est, ut legitur in ejus epitaphio; ordinatus enim fuerat die undecima Aprilis anni 555, et sedit juxta idem epitaphium *annos quatuor, menses decem, dies decem et octo; depositus* IV *Non. Martii.* Sic enim omnia cohærent. Basilicam sanctorum Apostolorum a Joanne ejus successore perfectam esse, in ejus pontificatu videbimus. Dicta est autem basilica apostolorum Philippi et Jacobi, quia ejus dedicatio peracta est die prima Maii SS. apostolis Philippo et Jacobo sacra; ædificata est enim in honorem duodecim apostolorum, ut legitur in bulla Joannis III Pelagii successoris, quam refert Baronius anno 569, de qua infra.

SOMMIER.

Linea 2. — *Et cum non esset episcopus qui eum ordinaret*, etc. Theodoricus, ejusque successores Gothorum reges in Italia, tyrannicam vim sibi arrogaverant confirmandi Romani pontificis post electionem a Romano clero peractam. Imperator Justinianus, cum a jugo eorumdem barbarorum Romam et Italiam armis suis liberasset, ex indicata usurpatione jus sibi proprium constituit, cujus abusus eo usque protractus fuit et continuatus, quousque Pipinus et Carolus Magnus, ope victoriarum suarum, et acquisitionum in Italia, Ecclesiæ Romanæ præsidium tulerunt ad recuperandam pristinam libertatem. Quandiu autem violenta illa servitus eamdem oppressit, hæc erat methodus electionum, quam Panvinius refert apud Mabillonium in commentario prævio ad Ordinem Romanum : « Mortuo pontifice, sedis apostolicæ vacantis cura tribus præcipuis cleri ministris committebatur : scilicet archipresbytero, archidiacono, et primicerio notariorum. Ab his quam primum de morte papæ nuntium significabatur exarcho, quem Gothis pulsis Ravennæ instituit imperator. Post justa defuncto persoluta exactumque tridui jejunium, de eligendo pontifice tractabatur. Huic electioni intererant clerus, optimates, populus et milites : hoc est militum stationes, qui ad tutandam adversus Longobardos reliquam Italiæ partem Romæ potissimum et Ravennæ consistebant. De electione mox referebatur ad imperatorem : a quo petebatur, expetebaturque factæ electionis approbatio. De ea item scribebatur ad exarchum, ad judices, archiepiscopum, et apocrisiarium Ravennæ, ut electioni faverent. Post datam ab imperatore approbationem, electus tandem ordinabatur ad confessionem sancti Petri ibique fidem profitebatur : moxque fidei suæ confessionem ad omnes Ecclesias dirigebat. Hæc omnia constant ex libro Diurno Romanorum pontificum, cujus formulæ ab eo tempore, id est, post electionem Pelagii in usu esse cœperant. »

Linea 6. — *Subduxerant se a communione ejus*, etc. Cum Pelagius recepisset, atque approbasset, perinde ac ipsius decessor, damnationem quinque Capitulorum, non aliter ac schismatici habendi erant ii qui his de rebus diversimode sentirent a Romanæ sedis judicio. Prima itaque cura pontificis in eo versabatur, ut omnes perduceret ad eam unitatem cujus centrum est apostolica sedes. Initium duxit Pelagius ab Urbis clero et populo avertendo a separatione, discusso ab eorum mentibus præjudicio, quo laborabant, quasi non posset assensus præstari damnationi trium Capitulorum, quin eodem tempore improbaretur sancta synodus Chalcedonensis.

Deinde scripsit ad episcopos Etruriæ in hanc sententiam : « Directam nobis relationem defensore Ecclesiæ nostræ Jordane deferente suscipientes satis mirati sumus, ita vos apostolicæ auctoritatis oblitos, ut divisionem vestram ab universali Ecclesia, meo etiam volueritis, quod absit, consensu firmari : et quos decuit popularem ignorantiam sacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam sedis apostolicæ plebis velle sequi judicium. Nec ista dicentes injuriam nostram dolemus, quibus donante Domino propositum est in mansuetudine superoptantes omnia fraternæ pacis vincula custodire : sed, sicut diximus, divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus Dominicæ sententiæ memor, qua fundamentum Ecclesiæ in apostolicis sedibus collocavit, in schismate esse dicat quicunque se a præsulis earumdem sedium auctoritate vel communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria secundum consuetudinem nominis memoriam reticetis; in quo, licet indigno, apostolicæ sedis per successionem episcopatus præsentis temporis videtis consistere firmitatem? » Pelag. I, *epist.* 18, *ad episcopos Tusciæ.* Ad tollendam vero ab ipsorum animis inquietudinem, et scrupulum, quo videbantur affecti, reputantes non posse recipi quintum concilium damnans tria Capitula, quin simul non damnaretur concilium Chalcedonense, et antiqua fides; de hoc declarationem emittit fidei suæ, eamque renovat in encyclica epistola ad omnes Ecclesias data, cujus in limine ita præfatur : « Nihil contra fidem Patrum, contraque quatuor synodorum firmitatem ullatenus esse tentatum, magisque id actum, ut memoratarum synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret. » *Epist.* 40, *ad univers. popul. Dei.*

Eodem de argumento perscripsit in Gallias ad regem Childebertum, necnon ad episcopum Arelatensem, ad dissipandum scilicet falsum rumorem, qui de quinta synodo excitabatur.

Ut felicius consequeretur votorum suorum summam, quæ erat schismatis ad exstinctionem directa, imploravit subsidium sæcularis potestatis in epistola secunda ad Narsetem commemorans : « Hoc et divinis et humanis legibus fuisse statutum, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, et ejus pacem iniquissime perturbantes, a sæcularibus etiam potestatibus comprimantur. Ad regem Childebertum (*epist.* 16) convertens adhortationes, fervorem ipsius fidei excitat, ut per universas Galliæ vestræ, inquit, regiones curam impendat, ne illic scandala seminantes, sicut in partibus istis facere conabantur, frontis tuæ procacitate impellente discurrant : et aliquos fratres coepiscopos nostros, vel creditas eis plebes ad dissensiones exagitent. Quia dum rectæ fidei non sint, dolore oppressionis suæ ut se ad nutrienda scandala catholicis

Digitized by Google

familiares efficiant, etiam rectam fidem se simulant vindicare : maxime apud eos, qui fraudes ipsorum, et dolos ignorant. »

Narseti quoque insinuat (*Epist.* 5, *ad Nars.*) ut si inquieti hujusmodi homines inveniant quidpiam sibi molestiam ingenerans in decisione synodi generalis Constantinopoli celebratæ per primam indictionem nuper elapsam, « ad sedem apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis, qui dare et accipere rationem possent dirigant ; et non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est sanctam Ecclesiam, lacerent. Comprimendos autem subdit hujusmodi homines principali, vel judiciali auctoritate ; quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt, ut si qua ecclesiastici officii persona, cui subjectus est restiterit, vel seorsum collegerit, aut altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur atque damnetur. Quod si forte et hoc contempserit, et permanserit, divisiones et schisma faciendo ; per potestates publicas opprimatur. » Producit auctoritatem synodi Chalcedonensis act. IV, in epistola archimandritarum, et sancti Augustini in Enchirid. cap. 72.

Sanctus hic pontifex potitus est laude, et felicitate spectandi labores suos coronatos compressione schismatis per Africam, Illyricum, et Italiam, imo per universum Christianum orbem, exceptis tantummodo Ecclesiis Istriæ, ac Venetiæ, subjectis metropolitæ Aquileiensi. Victor Tunun. in Chron. ad ann. 554, 555 et 559.

In Galliis non modo unitatem cum sancta Romana sede custodivit, sed etiam Romanæ sedis *vicarium per universam Galliam* constituit episcopum Arelatensem, rogante Childeberto ; cum antea ab inclinatione Romani imperii in illa provincia ecclesiastica, parti ejusdem solummodo a Romanis pontificibus Arelatensis præficeretur.

LXIII. JOANNES III.

ANNO CHRISTI 559, JUSTINIANI IMPERATORIS 33.

110 Joannes natione Romanus, ex patre Anastasio, illustri viro, sedit annos 12, dies 27, menses 11 [a]. Hic amavit et restauravit cœmeteria sanctorum martyrum. Hic constituit ut oblationes et ampullæ [b] vel luminaria in eisdem cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Hic perfecit ecclesiam apostolorum Philippi et Jacobi, et dedicavit eam. Eodem tempore Heruli in Tarsia [c] venerunt, et levaverunt sibi regem Sindualt [d], et premebant cunctam Italiam. At egressus Narses ad eum, interfectus est rex, et omnem gentem Herulorum sibi subjugavit. Deinde venit Amingus dux Francorum, et Buccellinus. Simili modo et ipsi premebant Italiam. Sed auxiliante Domino et ipsi a Narsete interfecti sunt. Erat ergo tota Italia gaudens. Tunc Romani invidia ducti suggestionem fecerunt Justiniano [e], et Sophiæ, quia expedierat Romanis Gothis servire, quam Græcis. Ubi Narses eunuchus imperat, et servitio non subjicit. Et piissimus princeps noster hæc ignorat. Aut libera nos de manu ejus, et civitatem Romanam, aut certe nos gentibus deserviemus [f]. Quo audito, Narses dicit : Si male feci Romanis, male inveniam. Tunc egressus Narses de Roma, venit Campaniam, et scripsit genti Longobardorum, ut venirent, et possiderent Italiam. Ut cognovit Joannes papa, quia suggestionem suam ad imperatorem contra Narsetem misissent, festinus venit Neapolim, cœpitque eum Joannes papa rogare, ut reverteretur Romam [g]. Tunc Narses dixit : Dic, sanctissime papa, quid male feci Romanis ? Vadam ad pedes ejus qui me misit, ut cognoscat omnis Italia, quomodo totis viribus laboravi pro ea. Respondit Joannes papa, dicens : Citius ego vadam, quam tu de hac terra egressus fueris. Reversus est ergo Narses cum sanctissimo Joanne papa. Tunc sanctissimus papa retinuit se in cœmeterio sanctorum Tiburtii et Valeriani, et habitavit ibi multum temporis, ut etiam episcopos consecraret ibidem. Narses vero ingressus Romam, post multum temporis mortuus est ; cujus corpus positum est in locello plumbeo, et reductæ sunt omnes divitiæ [h] ejus Constantinopolim. Eodem tempore Joannes papa et ipse mortuus est, et sepultus in basilica beati Petri sub die 13 mensis Julii [i]. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris presbyteros viginti novem [j], diaconos tredecim, episcopos

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 13, minus 14 d. [b] *C*, amulæ. [c] *C*, Turciam vel Tusciam. [d] *C*, Sindual. *Vide Baron. ad ann. Domini* 555. [e] *C*, Justino. *Vide Baron. ad ann. Domini* 567. [f] Vide *Paulum Diac. lib* 1 *de Gestis Longobard., cap.* 5. [g] *Baron. loc. cit. probat Narsetem jam ante Constantinopolim revocatum.* [h] *C*, reductum est cum divitiis. [i] *C*, III Idus Jul. [j] *C*, 38.

Digitized by Google

per diversa loca numero septuaginta * et unum, et cessavit episcopatus menses 10, dies 3.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

* C, 61.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano.

Num. 110. *Lin* 1. Joannes, etc. Anastasio illustre sedit ann. 12, menses 10, dies 26, hic amavit et restauravit cymiteria sanctorum martyrum. Hic instituit, ut oblatione et amula vel luminaria in eadem cymiteria, etc. ministrarent. *lin* 6. In Tarsiam fecerunt, etc. Sindual: et premebant cuncta Italiam, qui egressus est Narses ad eos. *lin* 10. Erat enim tota Italia, etc. Suggesserunt Justiniano. *lin* 12. Servitio nos subjecit. *lin* 13. De manu ejus. Aut certe et civitatem et nos gentibus deserimus. Quo audito Narsis. *lin* 16. Narsis de Roma venit Campania, et scripsit genti Langobardorum, etc. Ut cognovit Joannis. *lin* 21. Totis viribus laborabi. *lin* 26. Reversus Narsis cum. *lin* 29. Beati Petri apostoli. *lin* 30. Presbyteros 34, episc. per div. loca 61 et cessabit, etc.

Apud Fabrottum ex codice Frehert.

Lin 3, ampulæ, *B*, amula. *lin* 6, *A*, Sinduwalem; *A B*, fecerunt et levaverunt. *lin* 12, *B*, fortiter imperat. *lin* 27, *A*, omnes divitiæ ejus Justiniano. *lin* 30, *A B*, presbyteros 39. *lin* 30 *et* 31, *A*, episcopos 62.

Ex codice regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, an. illustri sed. ann. 12, m. 10, d. 26. *lin* 2, cimiteria sanctorum, et instituit ut obl. et luminaria per eadem cimiteria omnibus Dominicis de Lateranis min. Hic perfecit basilicam A. *lin* 6, in Tharsia fecerunt, et l. s. R. Sindirald. et prem. totam Italiam, tunc egressus Narses ad eos, interfecit regem eorum, et om. 9. H. prælio sibi sub. D. v. Hermingus d. F. et Buxillinus, s. m. et ipsi cœperunt premere Italiam. *lin* 10, sunt. Unde erat t. l. g. *lin* 11, ducti, suggesserunt Justiniano A. et S. Augustæ, dicentes: Expedierat R. magis G. s. q. Græcis, ubi N. e. i. et servituti male nos subjicit, et p. *lin* 14, ejus, aut certe civitatem Rom. et nos gentibus deserviemus. *lin* 15, dixit. *lin* 16, in Camp. *lin* 17, ut cognovit autem Jo. *lin ead.*, suam Romani ad l. *lin* 18, Neapolim, et cœpit eum rogare ut r. *lin* 20, dic. domine P. *lin* 21, tot. Ital. (*M*, omnis). *lin.* 22, dic. Prius ego vadam, quam tu de hac terra egrediaris. Cujus deprecatione flexus Narses reversus est Romam. Tunc venerabilis papa Joannes retin. *lin* 25, multo tempore ut c. ep. ibidem cons. *lin.* 26, non post multum temp. m. *lin* 27, et reductum est cum omnibus divitiis ejus Constantinop. *lin* 28, sep. est in basil. beati Petri apost. Hic fecit ordinat. 2 per m. Dec., presb. 39, diac. 13, episc. per diversa loca 61, etc.

Ex codice Thuano altero.

Lin 2, 12, m. 11, d. 26. *lin.* 3, Hic instituit ut obl. et amulæ. *lin* 6, Sindualch. et p. c. l. qui eg. N. *lin* 8, Immingus. *lin* 11, suggesserunt I. *lin* 27, et reductus est cum omnibus divitiis ejus. *lin* 28, et sepultus est in basilica beati Petri apostoli. Hic f. *lin* 31, 61, e. c. ep. m. 10, d. 3, sub die 14, m. I.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 3, instituit. *lin* 7, Italiam. Qui egress. *lin* 10, erat enim. *lin* 15, Narsis. *lin* 18, cepit. *lin* 23, Reversus Narsis. *lin* 30, presb. XXXVIII.

NOTÆ VARIORUM

In Farnes. cod. LXIII, notæ a Schelestrate, pag. 324, *ad ann.* 559.

Holsten. in Notis: « Pelagius papa moritur 2 Martii. Sedes vacat dies viginti quinque. Joannes papa tertius succedit circa diem 28 Martii. Sedit annos tredecim minus dies quatuordecim. »

Et ann. 562 Chronicon Alexandrinum: « Indict. x. Justiniani Aug. 35, Basilio 21, solo cos. 20, Martii anno 3, Olymp. 335, completi sunt anni 532. Cycli, seu orbitæ fest. S. et Vitalis crucis, in qua Christus verus Deus noster mortem pro nobis subiit. » Ubi tantum uno anno a chronotaxi nostra discrepat.

ALTASERRA.

Lin. 3. — *Hic constituit ut oblationes, amulæ, vel luminaria in eisdem cimiteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur.* Oratoria erant in cœmeteriis Urbis, in quibus sacrificium missæ per singulas dies Dominicas celebrari solebat: ideirco ne sumptus deesset, Joannes III constituit ut oblationes, id est panis qui offerendus erat sacrificii causa, hamæ seu amulæ, id est, urceoli quibus continentur vinum et aqua ad sacrificium missæ, et luminaria, id est cerei ministrarentur de Lateranis, id est de Lateranensi basilica. Idem constitutum a Gregorio tertio. Anast. in ejus Vit.: « Iisdemque institutis disposuit, ut in cimiteriis circumquaque positis Romæ in die natalitiorum eorum (id est, SS. apostolorum et martyrum) luminaria ad vigilias faciendas, ut oblationes de patriarchio, per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, per quem præviderit pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem. »

BENCINI.

Linea 5. — *Eodem tempore Heruli*, etc. Potiora hujus pontificis acta similibus verbis a Paulo Diacono referuntur (*lib.* XVIII, pag. 677) imo integer hic confuse exscriptus, ex eodem restitui debet, et ex Mario Aventicensi, claro hujus temporis scriptore ac chronologo, cujus opusculum exstat inter script. Franc. du Chesne, tom. I, ubi hæc adnotanda reliquit: « Anno secundo cos. Justini Junioris Augusti indict. I. Hoc anno Narses ex præposito et patricio post tantos prostratos tyrannos, id est Baduillam, et Teiam reges Gothorum, Bucellinum ducem Francorum, necnon et Sindovalem Erulorum, Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi destruxerunt, laudabiliter reparatas, de ipsa Italia a suprascripto Augusto remotus est, » etc.

Linea 10. — *Tunc Romani invidia ducti*, etc. Exscripta et hæc ex eodem Paulo sunt, hoc tantum discrimine, quod hic scriptores proditoriæ epistolæ Romani dicuntur, a Paulo autem duces (*ibid.*, pag. 677). De gestis Longobardorum idem Paulus lib. II, c. 5, pag. 51, *Romanos* fuisse *accusatores et ex invidia ductos* advertit. Ex iis Longobardorum gestis Pauli Diaconi, per sequentia Romanorum pontificum gesta, integra capitula Anastasius exscripsit, et ubi desiit Paulus, seqq. pontificum gesta jejune perscripta sunt. Quæ vero cum Paulus de Longobardorum evocatione per Narsetem facta, tum ex ipso liber pontificalis narrant tametsi a quibusdam fabulis accenseantur, perperam nihilominus: quippe inter mss. Colbertina exstat Melliti opusculum, cum epigraphe: *Brevis temporum expositio.* Et hanc se absolvisse anno 614, eademque in expositione legitur: « Narses patricius, postquam sub Justiniano Augusto Totilam Gothorum regem in Italia superavit, Sophiæ Augustæ Justini conjugis minis perterritus, Longo-

Digitized by Google

bardos a Pannoniis invitavit, eosque in Italiam perduxit, » etc.

Linea 31. — *Cessavit episcopatus menses decem, dies tres*, etc. Interpontificii diuturnitas orta est ex Longobardorum irruptione, de qua Paulus Diaconus ibid., cap. 7, pag. 57, et accuratius Sigebertus in Chronico. Dire adeo sæviit, ut pontifex in cœmeteriis delitescere coactus fuerit, quemadmodum hic notatur. *Vide eumdem lib.* XVIII, *pag.* 778.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Sedit annos duodecim*, etc. Annis tredecim atque diebus quatuordecim pontificatum tenuisse indicant ea tempora quibus hoc munus apostolicum administrare cœpit, et desiit. Tertio Idus Julii defunctum esse fatetur Anastasius : si ergo vigesima septima Junii post interregnum trium mensium, et viginti quinque dierum, pontificatum adeptus fuit anno Christi 559, necessario affirmari debet, quod qui ad mensem Julium anni 572 supervixit, per annos tredecim et dies quatuordecim sedem pontificiam obtinuerit.

Linea 8. — *Deinde venit Amingus*, etc. Hæc, teste Agathia lib. IV, contigerunt anno vigesimo nono Justiniani imperatoris, anno Domini 555, sub pontificatu Vigilii, et Theobaldo Francorum rege. *Vide Baronium, anno* 555, *num.* 12 *et* 15.

Linea 10. — *Tunc Romani*, etc. Hanc historiam tanquam fabulosam et plane commentitiam refellit Baronius anno 567, num. 11 et seqq., ubi auctore Corippo grammatico Africano, ostendit Narsetem ante annum 567, quo Longobardi ex Pannonia in Italiam irruere cœperunt, Constantinopolim revocatum, magnumque honorem consecutum fuisse; Longinum autem in locum Narsetis subrogatum esse probat ex Cedreno, Corippo, aliisque scriptoribus.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedem Joannis tertii, licet diuturnam, utpote ad annos tredecim, triduo vel quatriduo minus extensam (ex Bibliothecario et catalogis) penuria documentorum reddit obscuram, observante etiam Pagio; cum nec gestorum ipsius indicatio, nec epistolæ superstites habeantur. Monumentum anni ejusdem pontificatus quarti superest in vetusto marmore Vaticano, reperto in ruderibus veteris basilicæ, et indicante locum assignatum deponendo Marcello subdiacono regionis sextæ.

LOCVS MARCELLI SVBD. REG. SEXTE
CONCESSVM SIBI ET POSTERIS EIVS
A BEATISSIMO PAPA IOANNE
QVI VIXIT ANN. PL. M. LXVIII
DEP. P.C. BASILII. V. C. ANN. XXII
IND. XI. VNDECIMV. KAL. IANV
ARIAS

Indictio undecima labens post consulatum Basilii anno 22, die 22 Decembris demonstrat annum æræ Christianæ 563, qui erat tertii hujus papæ Joannis quartus annus, cœptus ex die Kal. Augusti, uti supra ostendimus in fine not. chronol. ad Pelagium, vetusta chronica cum additamentis nos destituunt ad Marcellinum quinquennio ante, hoc est post consulatum Basilii anno XVII in quem desinunt.

Joannis Malalæ chronographia hac ipsa indictione XI quæ in lapide Vaticano signata est, pariter abrumpitur. Memorat quasdam regiones Africæ mense Januario a Mauritanis fuisse occupatas, et contra eos missum fuisse ab imperatore Justiniano Marcianum nepotem.

Chronicon Paschale producitur quidem ad annos Phocæ et Heraclii, sed postremis annis Justiniani, et per universum imperium Justini Junioris, nihil ferme recitat, quam imperatorum nomina, et characterem indictionis per annos singulos. Quare vix quidquam possumus expiscari tum e Græcis, tum e Latinis chronographis æqualibus ad hujus pontificis annos illustrandos.

Terminum sedis ac vitæ Joannis III plura exemplaria Bibliothecarii referunt ad diem 31 Julii; sed legendum videtur 23. Cum enim ipsi assignentur anni 12, menses 11, dies 26 aut 27, nempe anni solidi 13 triduo vel quatriduo minus; recte ex die electionis quam statuebamus in fine not. chron. ad Pelagium 27 Julii anni 560 ea summa desinit in diem 23 Julii 573. Catalogus Lucensis obitum Joannis retulit ad XIII Kal. Augusti. Si legendum esset X Kal Augusti, quæ est ipsa dies 23 Julii modo per nos constituta, et comprobata, ex epochis indicatis, adamussim omnia congruerent. Facile tamen intelligit unusquisque tridui differentiam in amanuensium aut supputatorum numeros irrepere potuisse.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Restauravit cimiteria sanctorum martyrum*, etc. Quæ scilicet fuerant cum ecclesiis superstructis devastata a Gothis in obsidione annali sub Vitige. Vide superius adnotata ad Vitam S. Silverii, num. 99. Præ cæteris autem cœmeteriis et ecclesiis super eadem constructis videtur Joannes adjecisse animum ad reparandum celebre illud via Tiburtina, in agro Verano, quod sanctæ Cyriacæ fundatricis nomine, et sancti Laurentii in eo sepulti basilica illustratur. Nam in reparandis ædibus monasterii basilicæ adhærentibus tubus plumbeus repertus fuit inter cimelia nostra spectandus, in quo leguntur litteræ :

† SALVO PAPA IOANNE
STEFANUS PP REPARAVIT

Scilicet † *Salvo papa Joanne Stephanus præpositus reparavit*. Ad hunc enim Joannem referri oportere epigraphen, ac reparationem illius jussu a Stephano præposito curatam, suadent ea quæ considero. Primum est, in obsidione Urbis a Vitige per annum producta aquæductum præcipuum, per quem aquæ Julia, Marcia, Tepula, et Anio novus in colles Urbis influebant, et fistulas derivabant adjacentibus Urbi ecclesiis circa vias Tiburtinam, Latinam, et Appiam, fuisse a Gothis non modo occupatum, sed etiam intercisum, et ingestis ruderibus impeditum ab aquis subministrandis, quemadmodum Procopius, qui in Urbe tunc aderat, descripsit belli Gothici lib. II, cap. 3, et post novennium, nempe anno 547, mense Decembri capta iterum Roma per Totilam, non ductus modo diffracti erant, sed de Urbe omnino evertenda Totilas cogitavit, licet mitigato tantisper furore tertiam murorum partem a Capena porta ad Prænestinam disjecisse satis ipsi visum fuit. Quamris autem quinquennio post Narses in Italiam missus Urbem recuperaverit, jacebant adhuc pleraque ædificia in eo tractu a Gothis vastata : neque ædes sacræ reparatorem facile obtinebant, diuturnam per absentiam Vigilii papæ ad Orientem evocati, et in exsilium missi, et in reditu vita functi in Sicilia biennio post Urbem a Narsete recuperatam ad quam vivus pervenire Vigilius non potuit. Successor autem ejus Pelagius turbis plerumque vexatus per illius quinquennii priorem partem, quo non integro pontifex fuit, cœpit Ecclesias intramœnianas reparare, ac titulum SS. Philippi, et Jacobi apostolorum construere, quem morte præventus huic Joanni successori absolvendum reliquit. Ruinas igitur et labes illatas cœmeteriis martyrum, et ecclesiis suburbanis supra ea constructis, et ductibus aquæ Claudiæ, Marciæ, Juliæ, Tepulæ per annos viginti, occasione belli Gothici diffractis, reparare nemo poterat ex Joannis Tertii decessoribus. Quare cum ipse dicatur amator, et instaurator fuisse cœmeteriorum SS. martyrum, ab illa reparatione cœpisse credendus est, quæ erat omnium maxime necessaria ad ministros ibidem detinendos, ac ministeria in eisdem sacris locis procuranda, nempe ab aquarum influxu restituendo, et ductibus restaurandis ad usum basi-

Digitized by Google

licæ, monasteriorum, et prætorii, et balnei quæ omnia constructa legimus apud ædem S. Laurentii extra muros et Cyriacæ cœmeterium a beato Hilaro supra (*num.* 71) et hebdomadariorum ibidem residentium ex institutione Simplicii (*num.* 72). Pelagius vero alter, qui post triennium Benedicti, successor illius et hujus Joannis fuit, basilicam eandem Laurentianam a fundamentis restituit (*infra num.* 112). Quare ad Joannem hujus nominis III arbitror pertinere epigraphen reparationis plumbei tubi ibidem repertam, et curatam per Stephanum præpositum. Ætate istius Joannis inveniuntur *præpositi* officiis et fabricis, tam in Orientali imperio, quam in Occidentali. *Præpositus palatii* Anantius apud Marcellinum comitem in Justino memoratur, qui in chronico Alexandrino nudo vocabulo dicitur Πραιπόσιτος et in pavimento basilicæ sancti Pauli Petrus *præpositus* legitur *Rusticio V. C. consule*, nempe anno Christi 520. Apud Cassiodorum lib. II plures Theodorici regis occurrunt epistolæ directæ *Fausto præposito*: quarum ex contextu apparet ad ejus curam pertinuisse millenam deputandam ad exhibitionem thermarum. Epist. 28, lib. II, apud quem Theodorici regis ministrum præter alios præpositos digniores, reperimus etiam in hoc genere ad rem structoriam pertinente formulam constituendi *præpositum calcis*. (Lib. VII, num. 17.) Occurrunt etiam per idem tempus *Stephani* a scriptoribus æqualibus memorati, quorum unus haberi possit *præpositus* iste sub Joanne papa in tubo expressus. Nam et ille apud senatorem, qui ex *principe officii* sive *præposito* in memorata epistola 28, lib. II evehitur ad comitivam primi ordinis, salvis suæ scholæ privilegiis, ad sacræ ædis Laurentianæ reparationem procurandam honeste adhiberi potuit a Joanne Tertio, si ad ejusdem pontificatum vitam produxit; aut ille Stephanus, quem Totilas Urbe expugnata uti legimus apud Procopium belli Goth. lib. III, c. 20, e Romanis elegit, ut legatione fungeretur nomine suo apud Justinianum imperatorem pacis et fœderis causa, dum ipsius Urbis a se expugnatæ atque a suis deformatæ, et vastatæ opera complura instaurabat; sive etiam ex viris ecclesiasticis legendus esset Stephanus, ille reparator ductuum S. Laurentii extra muros; non excludendus est ab eo numero diacon. Stephanus, quo aporisiario usus est Vigilius apud imperatorem; cum diaconis Romanis hanc curam susceptam comprobent inscriptiones compleres, et præsertim illa, quam Hilarus archidiaconus (postea pontifex) statuit in æde altera S. Laurentii apud portam Exquilinam, per nos producta in notis ad Hilarum pag. 169.

Hæc obiter adnotasse non pigeat, ut hujus etiam ætatis, monimentorum veterum cæteroqui jejuna, quæ supersunt cimelia ad illustrandum pontificatum Joannis, et reparationes cœmeteriorum sub ipso institutas post cladem Gothicam, conferamus.

Alterius quoque cœmeterii monumenta vidimus in Exquiliis egesta anno 1691, prope basilicam Liberianam in hortis Perettianis nunc Negroniis, quæ ostendebant intramœnianum cœmeterium illud potuisse sub Justino, fortasse adactis Romanis, intra pomœrium cœmeterii aperiri in Urbis pestilentia, et obsidione annali sub Vitige, et in frequentibus infestationibus suburbiorum. Præ cæteris marmoreis tabulis ibidem repertis quibus occludebantur loculi defunctorum, illam adnotavi, quæ fuerat primum adhibita a Munio Modestino ad cineres contegendos Muniæ Modestinæ virginis filiæ suæ ethnicorum in monumentis, ut epigraphe docebat interius incisa, quam retulit Fabrettus pag. 144, num. 164. Deinde a Christianis asportata et collocata in hoc cœmeterio ad usum sepulcri Christianæ puellæ, signata fuit in adversa superficie marmoris hac inscriptione, quæ indicat annum æræ Christianæ 567, Joannis tertii pontificis octavum ineuntem.

† HIC REQUIESCIT IN SOMNO PACIS
FLORA QUAE VIXIT ANN. V. D. XXVIII
DEP. Ψ SUB. D. III. ID. AUG. IND. XV. P. C.
DOMINI. N. JUSTINI PP AUG. Ψ

Deposita enim dicitur sub die tertio Idus Augusti indictione quintadecima post consulatum Domini nostri Justini perpetui Augusti, qui sunt characteres anni 567.

Linea 23. — *Sanctissimus papa continuit se in cimiterio SS. Tiburtii, et Valeriani, et ibi habitavit multum temporis ut etiam episcopos consecraret ibidem.* Cohærent hæc de Joanne narrata cum cæteris a card. Norisio perpensis de Joannis Tertii constantia in tuenda synodo V contra episcopos Venetiarum schismaticos et aliquot ex Italicis ipsis adhærentibus, et synodo quinta infensis. Schismaticorum consilium fuit evocationem Narsetis ex Italia insinuare Justino, ut possent sub Gothis vel Longobardis tueri schisma, quod totis viribus imperator religiosissime nitebatur evertere. Vide quæ card. Norisius scribit Dissert. de syn. V œc., cap. 9, § 3. Flagellum Gothorum et cujuscumque barbara colluvionis in Italiæ perniciem immissæ habebatur jure merito Narses. Hoc ab Italiæ cura remoto, res processura erat ex voto schismaticorum. Quare subornatis sive Romæ, sive in aula principis hominibus invidis, qui calumnias in ipsum construerent, et apud Cæsarem promoverent, liberum sibi fore sperarunt imminuta potentia principis schismati infesti, sub aliorum regum præsidio in male suscepta obstinatione persistere. Quare sicuti e diptychis Romani pontificis nomen expunxerant, ita ministros præstantiores Romani imperii ex Italia removeri satagebant. E contra Joannes sanctissimus æque ac providentissimus pontifex cum probe intelligeret, quantum momenti habitura esset in præsentia ac tutela Narsetis non modo tranquillitas reipublicæ, sed etiam unitas Ecclesiæ Dei; statim ac vidit Narsetem invidorum calumniis et artibus schismaticorum, qui Romanos subornaverant, quasi tædio affectum in Campania concessisse, non destitit adesse celeriter, et in Urbem revocare. Qua de causa communes cum Narsete hostes fortasse expertus eosdem, qui erant inimici pacis publicæ et catholicæ unitatis, declinandæ persecutionis gratia in cœmeterio Tiburtii et Valeriani, quod in Callixti parte censetur, diu moram duxit, ibique episcopos consecravit.

Ab his autem, quos per Italiam ut plurimum episcopos constituebat, exegit constanter ut jurarent, et subsignarent, juxta synodi quintæ decreta se profiteri. Perspicuis documentis epistolarum magni Gregorii, ejusque decessoris Pelagii hoc demonstrat card. Norisius, ita de ipso scribens laudato § 3, cap. 9, pag. 89.

« Cæterum perieulosissimis temporibus Joannes pontifex animum non despondit, sed et Romanæ rei labenti opem ab imperatore petiit, et synodum V defendit. Etenim ii, qui urbium antistites consecrabantur, in synodi quintæ decreta jurabant, fidei datæ chirographum ad apostolicam sedem transmittebant. Horum testis venit Gregorius lib. III, epist. 2 ad Constantium. Et quidem, inquit, si quid de tribus Capitulis, in quocunque vel verbo, vel scripto nominatum est, bene fraternitas tua reminiscitur, quamvis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem sedi apostolicæ remiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc urbanam præturam gerens pariter subscripsi, » etc. Quam præturam in annum 571 cadere invictis rationibus ibi demonstrat Norisius ex pag. 99. Idem eminentissimus scriptor collegit aliud testimonium constantiæ Joannis tertii cum aliis in Petri sede decessoribus tum in approbatione, tum in exigenda synodi V subsignatione ex litteris Pelagii secundi, quas refert pag. 85. « De Joanne tertio, inquit, qui Pelagio I successit dicendum hic est, postea de Benedicti sententia disseremus. Pelagius II, qui quintus a Vigilio pontifex sedit, in litteris ad Heliam, et episcopos Istriæ testatus est,

Digitized by Google

ipsius decessores synodum v approbasse, ac tria « Capitula condemnasse. » Et pag. 96 ex epistola S. Gregorii ad Constantium subdit hæc verba : « Quia postquam talis scissura pro nulla re facta est, jussum fuit, ut sedes apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiæ in sacerdotum mentibus per omnia custodiret. » Deinde concludit : « Vides ergo a novis episcopis transmitti solitam cautionem, qua tria Capitula ejurabant. Illam ergo Laurentius misit anno 571, et sub id temporis rectius Gregorii Magni prætura statuitur. Quare teste eodem pontifice a Pelagii I temporibus, quando in Italia ob tria Capitula plerique episcopi a Romani pontificis communione discesserant, dum quisque novus antistes eligebatur scripto tria Capitula damnabat, ac ad Romanum pontificem chirographum transmittebat, ut jam Holloix apertæ falsitatis reus habeatur, qui Benedictum, ac Joannem decessorem tria capitula minime damnasse, affirmare non dubitaverit. »

A

CIACONII.

Linea 23. — *Narses vero ingressus Romam*, etc. Incisa inscriptio a Narsete prope Romam cum adhuc viveret Justinianus, anno præcedente 564 in ponte a se restituto super Anienem fluvium adhuc visitur.

« Imperante domino nostro piissimo ac triumphali semper Justiniano PP. Aug. anno XXXIX, Narses vir gloriosissimus, ex præposito sacri palatii ex cons. atque patricius apud victoriam Gothicam ipsis eorum regibus celeritate mirabili conflictu publico superatis atque prostratis libertate urbis Romæ, ac foris Italiæ restituta pontem viæ Salariæ usque ad aquam a nefandissimo Totila tyranno distructum purgato fluminis alveo in meliorem statum, quam quondam fuerat, renovavit.

Quam bene curvati directa est semita pontis
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rigidas subjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra, Quirites,
Et Narsim resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum. »

PAGII.

Linea 1. — *Sedit annos duodecim.* Post mortem Pelagii cessavit episcopatus menses quatuor, dies decem et septem, non vero, ut legitur in Anastasio, menses tres, dies viginti quinque ; cum enim, ex ipsomet Anastasio constet Joannem III natione Romanum, Anastasii viri illustris filium sedisse *annos duodecim, menses undecim, dies viginti sex*, et sepultum esse *in basilica B. Petri sub die* XIII *mensis Julii*, constat pariter interpontificium in Anastasio male descriptum esse, Joannemque ordinatum die decima octava mensis Julii, in quam anno quingentesimo sexagesimo Dominica incidebat. Licet autem Joannis III pontificatus tam diuturnus fuerit, ejus tamen gesta, deficientibus antiquis monumentis, pene ignota sunt.

Linea 4. — *Hic perfecit ecclesiam sanctorum duodecim apostolorum.* De Joanne III Anastasius scribit : *Hic perfecit ecclesiam sanctorum Philippi et Jacobi, et dedicavit eam.* Pelagius Joannis decessor eam basilicam inchoaverat, ut diximus cum eodem Anastasio. Ea nunc vocatur basilica duodecim Apostolorum. Baronius enim anno 559 refert antiquum exemplar bullæ Joannis III e manuscriptis, ut ait, Vaticanis excerptum, cui hujusmodi inscriptio præposita legitur : « Exemplum bullæ papæ Joannis tertii, ubi dicit basilicam duodecim apostolorum initiatam per Pelagium prædecessorem suum, et morte prævento non absolutam consummasse, titulumque cardinalem eam constituisse, et assignat eidem basilicæ parochiæ fines, et eam diversis donariis donat de suo vestiario. » De eadem basilica loquitur Adrianus papa in epistola ad Carolum Magnum de Imaginibus, dicens Pelagium et Joannem miræ magnitudinis ecclesiam Apostolorum a solo ædificasse, et historias diversas tam in musivo, quam in variis coloribus cum sacris pinxisse imaginibus, *et nunc usque hactenus*, inquit, *a nobis venerantur.* De eadem ecclesia vide dicta in Pelagio. Idem Libri Pontificalis auctor scribit Joannem III constituisse ut oblationes et annuæ vel luminaria in cœmeteria per omnes Dominicas ministrarentur. Ex quo, in Stephano papa hujus nominis primo deduximus, non solum persecutionis tempore, sed etiam multo postea ritum offerendi in cœmeteriis obtinuisse. De quo vide etiam dicenda in Gregorio III.

B

Linea 15. — *Tunc egressus Narses de Roma*, etc. et lin. 17.—*Ut cognovit Joannes*, etc. Anno quingentesimo sexagesimo octavo Italicæ quieti infestis nominibus Longobardi a Narsete, ut nobiles scriptores prodidere, invitati, Alboino rege ductore in Italiam descendentes Aquileiam, ac vicina Venetiæ oppida uno fere impetu occuparunt. Ita illarum urbium antistites, a Romano imperio separati, securius atque insolentius synodum quintam deinceps impugnarunt. Verum periculosissimis temporibus Joannes papa animum non despondit, sed et rei Romanæ labenti opem ab imperatore petiit, et synodum quintam defendit. Etenim ii, qui urbium antistites consecrabantur, in synodi quintæ decreta jurabant, ac fidei datæ chirographum ad apostolicam sedem transmittebant, ut testis est Gregorius Magnus lib. III, epist. 2, ad Constantium, ex qua eruitur Joannem papam exegisse tale juramentum a Laurentio electo episcopo Mediolanensi : « Et quidem, inquit Gregorius, si quid de tribus Capitulis in quocunque vel verbo, vel scripto nominatum est, bene fraternitas tua reminiscitur, quamvis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem sedi apostolicæ remiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc urbanam præturam gerens pariter subscripsi. » Initium pontificatus Laurentii, hactenus in tenebris sepultum, nos docuere Mabillonius tomo I Musæi Italici, part. II, et Papebrochius in Exegesi de episcopis Mediolanensibus præfixa tomo VII Sanctorum mensis Maii ; incidit autem in mensem circiter Januarium anni 573 ex quo consequens est Laurentium cautionem ad Joannem papam transmisisse, qua tria se Capitula damnare jurejurando affirmabat, quam syngraphum ab eo Joannes papa exegerat, cum enim synodum quintam approbasset, trium Capitulorum damnationem recte factam propugnabat.

C

Linea 31.—*Et cessavit episcopatus*, etc. Licet Anastasius scribat post mortem Joannis III cessasse episcopatum *menses decem, dies tres*, ex ipsomet tamen Anastasio constat diuturnius fuisse interpontificium ; cum enim tradat Benedictum ejus successorem sedisse *annos quatuor, mensem unum, dies viginti octo*, et sepultum esse *in basilica B. Petri apostoli in Secretario, sub die* XXX *mensis Julii*, si ab illo die retrocedamus, inveniemus, juxta Anastasium, Benedictum natione Romanum, ex patre Bonifacio, a Græcis Bonosum nuncupatum, ordinatum fuisse die tertia mensis Junii anni quingentesimi septuagesimi quarti, in quam eo anno Dominica cadebat ; et consequenter ex ipsomet Anastasio, post Joannis III mortem, cessasse sedem menses decem et dies viginti unum. Tam longi interpontificii causa in tumultus a Longobardis Italiam turbantibus excitatos videtur referenda. Obiit Benedictus nulla re gesta, quæ ad nos pervenerit, celebris.

D

SOMMIER.

Linea 1. — *Sedit annos duodecim, dies viginti septem, menses undecim.* Defectu veterum monimentorum vix quidpiam nobis innotescit de pontificatu Joannis III, etiamsi ad annos ferme tredecim solidos pertigerit illius duratio. Gregorius Turonensis *lib.* II.

Digitized by Google

cap. 20, commemorat, ejusdem auctoritate restitutos fuisse sedibus suis Saloricum ac Sagittarium episcopos, qui ad ipsum provocaverant depulsi a synodali sententia Lugdunensis concilii. Qui accedentes coram papa Joanne, exponunt se nullis ratio- A nis existentibus causis dimotos. Ille vero epistolas ad regem dirigit, in quibus locis suis eos restitui jubet: quod rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, implevit.

LXIV. BENEDICTUS.

ANNO CHRISTI 573, JUSTINI JUNIORIS 8.

111 Benedictus, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit annos tres [a], mensem unum, dies decem et octo. Eodem tempore gens Longobardorum invasit omnem Italiam, simulque et fames nimia, ut etiam multitudo castrorum se tradidissent [b] Longobardis, ut temperare possent inopiam famis. Et dum cognovisset Justinus piissimus imperator, quia Roma periclitaretur fame et mortalitate, misit in Ægyptum, et oneratas naves frumento transmisit Romam, ot sic misertus est Deus Italiæ. In istis laboribus et afflictionibus positus sanctissimus papa venerabilis mortuus est, qui et sepultus in basilica beati Petri apostoli in secretario, sub die 30 mensis Julii [c]. Hic fecit ordinationem unam [d], presbyteros 15, diaconos tres, episcopos per diversa loca 21, et cessavit episcopatus menses 3, dies 10.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *CB*, quatuor. *Vide Baron. ad ann. Domini* 568. [b] *C*, traderent. [c] *C*, prid. Kal. Aug. [d] *C*, per mensem Decemb.

VARIÆ LECTIONES.

Ex Farnesiano codice LXIV.

Num. 111. *Lin* 1, Benedictus, etc. Sedit annos IV, mensem I, dies XXVIII, eodem tempore gens Langobardorum invaserunt. *lin* 4, ut temperare possent inopie famis. Et dum cognobisset Justinianus. *lin* 6, et oneratas naves frumento transmisit Romæ, etc. Deus terræ Italiæ. *lin* 7, sanctissimus papa Benedictus, etc. In secretarium, etc. ordinationem per mensem Decembr.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 1, *AB*, annos 4; *AB*, dies 28. *lin* 5, Justinianus *AB*. *lin* 10, *B*, episc. 20.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, ann. 4, m. 1, dies 28. *lin* 4, se tradidisset B L. *lin* 5, Justinianus p. I, quia periel. R. a fame, et m. *lin* 7, Deus terræ Italiæ in istis laboribus et afflictionibus positæ. Sanctissimus vero Benedictus papa m. est. *lin* 9, secretario. Hic fecit ordin. I per m. Decembr. *lin* 11, mens. 10, die 5 (*M*, m. 2, d. 10).

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, ann. 4, mens. 1, d. 29. *lin* 5, fame, mis. *lin* 9, unam per mens. Decembr. *lin* 10, loca 22.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 1, Bonifatio. *lin* 2, Langobardorum invaserunt. *lin* 5, Justinianus. *lin* 7, terræ Italiæ. *lin* 9, ordinat. 1 per mens. Decemb.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 8. — *Sepultus est in basilica beati Petri apostoli in secretario.* Secretarium est sacrarium ecclesiæ, in quo vasa sacra asservantur. Græci διακονικὸν appellant, syn. Laodicen. can. 21, Agath. cap. 66, can. *Non oportet.* 1, et 2, 23, dis'in. Sulpic. Sever. dialog.: « Præteriens ergo Martinus in secretario ecclesiæ habuit mansionem. » Greg. Tur. lib v, cap. 18: « Nos collecti in unum sedebamus in secretario basilicæ beati Petri, etc. » Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. III, cap. 26: « Juxta cujus absidam, bicameratam domum ad thesaurum ecclesiastici ministerii recondendum exstruxit, quæ videlicet domus secretarium appellatur. » Ante secretarium sepultus est Gregor. I. Anast. in ejus Vit.: « Et sepultus in basilica beati Petri apostoli ante secretarium. » In secretario stabant Rom. pontifices processuri ad Ecclesiam. Idem in Adriano secundo: « Hinc sanctissimo papæ Adriano cum episcopis et proceribus, in secretario sanctæ Mariæ Majoris juxta morem sanctæ sedis apostolicæ residenti, se satis humiliter præsen- C tarunt, dona et epistolas obtulerunt. » Alias secretarium est prætorium judicis, L. 3, C. *Ubi senator, vel clariss.* Ambros. serm. 4: « Sed forte judicem metuis, quem in secretario reliquisti. » Augustin. de sermone Domini in monte cap. 21: « Quemadmodum etiam in hac ordinatione reipublicæ, vel a secretario, vel a prætorio judicis extramittitur, qui in carcerem traditur. » Symmach. lib. X, epist. 36: « Cum examinandos ritus Bassi præfecti Urbis potestas vicaria ad secretarium commune prodidisset. »

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Benedictus.* Cum Romana sedes ob tumultus bellicos vacasset menses decem et tres dies, Benedictus, quem Græci Bonosum nominant, creatus est pontifex decimo sexto Maii, anno Christi Redemptoris 577. Hujus temporibus Longobardi, maxima ex parte idolorum cultores, Ecclesiam dira persecutione vexarunt, loca sacra effossis sanctorum martyrum sepulcris profanarunt, ædificia in suburbiis D Romæ diruerunt, sanctum Cerbonium episcopum cum suis clericis in exsilium fugarunt, octoginta ru-

Digitized by Google

sticos, quorum quadraginta immolatitias carnes comedere, alii caput capræ adorare recusabant, supplicio mortis affecerunt. Hac persecutione ea miracula contigerunt, quæ in libris Dialogorum recensentur apud S. Gregorium de sancto Cerbonio episcopo, sanctulo, aliisque presbyteris.

Lin. ead. — *Sedit annos tres.* Annis quatuor, mense uno, et viginti octo diebus sedem pontificiam tenuit. Obiit enim anno Redemptoris nostri 557, pridie Kalendas Augusti.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Bene licti electio diuturnæ sedis vacationi finem imposuit. Mensibus decem ac diebus tribus illam definit Bibliothecarius, nec non catalogi Lucensis ac Farfensis. Hanc tamen rationem dissidere arguit Pagius a contextu ejusdem Bibliothecarii, in quo obitum Joannis III referebat ad diem 13 Julii, quem nos ad diem 23 retulimus ex eodem contextu. Hinc sedem vacasse tradit Anastasius, et cum eo catalogi Indicati mensibus 10, diebus 3. Incidit ergo electio Benedicti in diem 27 Maii anni 574, et ordinatio in Dominicam proxime subsequentem, quæ fuit 31 Maii. Sedisse dicitur annos 4, mensem unum, et dies 28, in codicibus Bibliothecarii, Farnesiano, Regio, Mazarino, ac Thuanis. Vel ista summa deducitur ex die electionis; et mors ejusdem parianda est cum die 25 Julii an 578, vel deducitur ex die ordinationis; ac et mors assignanda erit diei 27 Jul. ejusdem anni, triduo post depositum fuerit ejus corpus apud S. Petrum in secretario sub die 30 Julii : quemadmodum legimus in omnibus codicibus Bibliothecarii. Non video cui censuram incurrere debeat apud Pagium castigata hæc ratio chronologiæ, ac sibi constans in singulis assertis ac mensuris temporum Joannis decessoris, et successoris Benedicti. Hujus pontificatus epocham infelix eventus signat, nempe diffusio Longobardorum per universam Italiam; quam Paulus Diaconus ita conjungit cum epochis Francorum regum, et pontificum Romanorum lib. II, cap. : « Iis diebus, quibus Longobardi Italiam invaserunt, Francorum regnum, mortuo jam rege Chlotario, ejus filii quadrifariam regebant divisum. Primus ex his Aripertus sedem habebat apud Parisios; secundus vero Gunthramus civitati præsidebat Aurelianensi; tertius quoque Hilpericus cathedram habebat apud Suessionas, in loco Chlotarii patris sui; quartus nihilominus Sigebertus apud urbem regnabat Mettensem. Hoc etiam tempore Romanam Ecclesiam vir sanctissimus Benedictus papa regebat, Aquileiensi quoque civitati, ejusque populis beatus Paulus [*lege* Paulinus] patriarcha præerat. Qui Longobardorum barbariem metuens ex Aquileia ad Gradus insulam confugit secumque omnem suæ thesaurum ecclesiæ deportavit. »

Hæc narratio Pauli Diaconi illustrat chronologiam et gesta tum Benedicti, de quo hic agimus, tum Pelagii secundi proximi successoris, præsertim si addantur illa quæ pro consueta copia eruditionis omnigenæ attulit card. Norisius agens de synodo V œcum., cap. 9, § 3. Nos satis ducemus attendere indicationem pontificatus Benedicti, inchoati mense Maio 574, quemadmodum supra statuimus, et mense Julio 578 completo infausto decennio, ex quo anno præcedenti (nempe 567) Longobardi e Pannoniæ sedibus evocati in perniciem Italiæ anno præcedenti 577, et ineunte vere confestim effusi supra tractum Aquileiensem, Alboino rege ductore, Aquileiam ipsam, et vicina Venetiæ oppida uno ferme impetu occupaverunt. Ita (subdit Norisius) illarum urbium antistites a Romano imperio separati, securius atque insolentius synodum V deinceps impugnarunt.

Illustratur autem connexio epocharum Gothicæ expulsionis, Longobardicæ irruptionis, et Francicorum regum quatuor a Paulo diacono descriptorum ex istorum nummis, videndis apud V. C. le Blanc, in Tractatu historico monetarum Franciæ, Gallico idiomate edito cum figuris nummorum Ariberti (quem etiam *Niaribertum et Charibertum* monetarii exprimunt, et *Cherebertum et Heribertum*); Gunthrami, qui *Gunthaeram rex* legitur, ascripto suæ urbis nomine *Senoni Civita;* et Sigiberti apud Massilienses signatis monetis, eorumque patris Chlotarii ferentibus epigraphen VICTORIA GOTHICA, quæ in filiis deinde non invenitur, utpote Gothis ab imperio Italiæ per Narsetem omnino depulsis.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Eodem tempore gens Longobardorum invasit Italiam*, etc. Quæ ex hac irruptione Longobardorum damna tulerit Ecclesia, ejusque unitas, et historia, supra attigimus in Joanne, secuti auctoritates a card. Noris collectas scriptorum æqualium. Cum eodem auctore Chronologiam istorum temporum male vexatam etiam a clarissimis ætatis, quæ nos proxime præcessit, scriptoribus restitutam produximus ex illius dissert. de syn. V œcum., cap. 9, § 3 et 4; quemadmodum et Benedicti papæ constantiam in decessorum suorum vestigiis, synodi V comprobatione, et consueto ab episcopis sacramento exigendo assertam, quam Magni Gregorii et Pelagii secundi epistolis reddidit evidentem.

CIACONII.

Linea 1. — *Benedictus*, etc. Græci hunc non Benedictum, sed Bonosum a cognomento appellant, ut Evagrius lib. V, cap. 16, testatur.

Linea 5. — *Quia Roma periclitaretur fame*, etc. Benedicti apud Tiberium Augustum preces urbi annonæ inopia laboranti multum profuerunt; multa enim frumenti millia mittens ab Ægypto Justinus imperator Benedictum civesque omnes magno beneficio affecit.

PAGII.

Linea 7. — *In istis laboribus*, etc. *Mortuus est*, etc. Anastasius in Benedicto scribit, ejus tempore gentem Longobardorum invasisse totam Italiam, simulque et famem nimiam, ita ut etiam multitudo castrorum se traderet Longobardis, ut temperare posset inopiam famis. Subdit postea : « In istis laboribus et afflictionibus positus sanctissimus Benedictus papa mortuus est, qui sepultus est in basilica beati Petri apostoli in secretario, pridie Kalendas Augusti. » Obiit itaque Benedictus die trigesima mensis Julii anni quingentesimi septuagesimi octavi, non vero anni quingentesimi septuagesimi noni, ut vult Papebrochius, hoc enim ultimo anno, die 18 Februarii jam sedebat Pelagius II, Benedicti successor, ut constat ex ejus epistola eo die data, et recitata in synodo Gradensi, de qua in ejus pontificatu sermo erit.

Linea 10. — *Et cessavit episcopatus*, etc. Vide notas Pagii in num. seq.

SOMMIER.

Linea 2. — *Eodem tempore gens Longobardorum*, etc. Pontificatus Benedicti I ad quadriennium extensus incidit in persecutionem Longobardorum, et in flagella pestilentiæ ac famis, quibus Italia desolata est. Quare nulla ejusdem monumenta ad nos pervenerunt. Decretales enim, quæ nomen præferunt hujus pontificis, suppositionis vitio laborant.

Digitized by Google

LXV. PELAGIUS II.

ANNO CHRISTI 577, JUSTINI JUNIORIS 12.

112 Pelagius, natione Romanus, ex patre Vinigildo, sedit annos decem [a], menses duos, dies decem [b]. Hic ordinatur absque jussione principis, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam, et multa vastatio ab eis in Italia fieret. Eodem tempore tantæ pluviæ fuerunt, ut omnes dicerent, quia aquæ diluvii super nos inundantur [c], et talis clades fuit, qualem a sæculo nullus meminit fuisse. Eodem tempore investivit corpus beati Petri apostoli tabulis argenteis deauratis. Hic domum suam fecit ptochium pauperum [d], et senum. Hic fecit cœmeterium beati Hermetis martyris. Hic fecit supra corpus beati Laurentii martyris basilicam a fundamento constructam, et tabulis argenteis exornavit sepulcrum ejus. Qui mortuus est, et sepultus ad beatum Petrum apostolum sub die septima mensis Februarii [e]. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, presbyteros viginti octo [f], diaconos septem [g], episcopos per diversa loca 48. Et cessavit episcopatus menses sex, dies 25. *A morte sancti Silvestri usque ad hunc primum Gregorium fuerunt anni* 246.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, 12. [b] *B*, 27. [c] inundaverunt. [d] Xenodochium pauperum senum. [e] *C*, Idus Febr. [f] *C*. 82. [g] *C* 8.

VARIAE LECTIONES.

Ex Farnesio codice LXV.

Num. 112. *Linea* 1. Pelagius natione... manus ex patre Unigildo. *linea* 3, in Italia fierent. *linea* 4 et 5, *aquæ* diluvii superinundarent. Et talis cladis *fuit*, qualis a sæculo nullus meminit fuisse, etc. Investibit. *linea* 7, pauperum senum.

Apud Fabrottum ex Codice Freheri.

Lin 1, *A*, patre Hunniwildo. *lin* 7, *AB*, pauperum senum, *lin* 13, *B*, menses 3.

Ex Codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, *Pelagius postponitur Gregorio in cod Reg, non in Maz. lin ead*, Pelag n. R. ex p. Winigillo (*M*, Pelag 2). *lin* 2, hic ordinatus fuit ab. *lin* 3, civitatem, et m. v. fieret ab iis per totam Italiam. Eo tempore. *lin* 5, inundaverunt, *ib.* nullus f. m. *lin* 6, tabulis lapideis deauratis (*in ora R*, argenteis). Hic domum suam fecit xenodochium pauperum senum. H. *lin* 9, exornavit supra corpus ejus. Q. m. est et s. in ecclesia beati Petri ap. Hic fecit. *lin* 12, pre 28 (*M*, 38), diac 8. *lin pen*, dies 28. *Cætera desunt.*

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, Unigeldo. *lin* 2, ord ex præcepto jussionis P. *lin* 5, superinundaverunt. *lin* 7, fecit xenodochium paup sen. *lin* 8, martyris. Hic fecit basilicam a f. c. *lin* 13, m. 3, d. 25.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 1, Unigildo. *lin* 3, Langobardi. *lin* 5, cladis.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic ordinatur absque jussione principis, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam.* Idem Sigebert in Chronic ad ann 581, et Paul Varnefrid de Gest Longobard, cap 20. Ex consuetudine Rom pontifices non solebant ordinari sine assensu imperatoris CP. can *Agatho*, 63 dist.

BENCINI.

Linea 2. — *Hic ordinatur absque jussione principis*, etc. Eadem simillimis verbis legas apud Paulum Diaconum. Ac is quidem lib. XVIII, pag 679, in hunc modum scribit: « Denique per Benedictum papam Pelagius Romanæ Ecclesiæ pontifex absque jussione principis ordinatus est, eo quod Longobardi Romam per circuitum obsiderent, ne posset quisquam a Roma progredi, » etc. De gestis vero Longobardorum lib. III, cap. 20, pag. 98, loco præpositionis *per*, legitur *post*. Unde restituitur germanus sensus.

Linea 4. — *Eodem tempore tantæ pluviæ*, etc. Hæc verba apud Paulum ibi cap. 23, pag. 100, exordium capitis faciunt, ubi et reliqua adduntur subsecuta mala, quæ hic Anastasius omisit.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Pelagius natione Romanus*, etc. Post vacationem trium mensium et undecim dierum, undecima Novembris anni 577 post Christum natum, sublegitur Pelagius Junior, ejus nominis secundus, Romanus pontifex, patre Vinigildo, et, ut putatur ex nomine, Gothico potius, quam Romano genere.

Digitized by Google

Linea 8. — *Hic fecit supra corpus B. Laurentii martyris*, etc. Cum sancti Laurentii corpus ab operariis quæreretur, miranda atque pavenda illa contigerunt, quæ sanctus Gregorius lib. III, epist. 30, enarrat his verbis : « Sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus sancti Laurentii martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi venerabile corpus ejus esset collocatum, et effoditur exquirendo, subito sepulcrum ejus ignoranter apertum est, et ii qui præsentes erant atque laborabant monachi, et mansionarii, qui corpus ejusdem martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus superesse potuisset, qui sanctum et justum corpus illius viderat. »

Observatio Philippi Labbei.

In fine cod Ms. V. clar Claudii Hardyi senatoris Parisiensis eruditissimi, quo hactenus usi sumus, hæc habentur : *A beato Petro usque nunc fiunt anni* 444 *et menses* 6, *exceptis intervallis episcopatuum. Finit.* Unde manifestissime arguitur, Anastasium Bibliothecarium non omnes Vitas scripsisse Romanorum pontificum, qui a Damasi papæ ætate ad sua tempora floruerunt ; sed ex variis hinc inde coagmentasse universam illam, quæ sub ejus nomine apparet, collectionem.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Causam diuturnæ vacationis Romanæ sedis ante Benedicti electionem sive ordinationem colligimus ex multo minori spatio interpontificii, quod ab ejusdem obitu ad electionem Pelagii effluxit. *Hic* (inquit Bibliothecarius) *ordinatur absque jussione principis, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam.* Ex quo Gothorum reges oppresserant Italiæ libertatem, litatum fuit quieti publicæ majoribus hostiis. Nam avertendorum schismatum gratia clerus patiebatur, ut inconsulto principe Romanus pontifex a se electus non collocaretur in throno apostolico. Hanc tolerantiam, erepta per vices Urbe a Gothorum servitute exhibebat imperatoribus, eorumque exarchis ad regendam Italiam missis. Cum igitur moriente Joanne III ortæ jam essent undique turbæ et suspiciones, dum Narses ordiretur funestam illam telam per accitum Longobardorum, quam fuerat comminatus ; electio pontificis successoris in illo rerum statu, undique intentante procellas Italiæ et imperio, protrahebatur, pluribus nuntiis ac responsis ultro citroque missis ad regiam orientalis imperii, exercentem in Urbem liberum dominatum depulsis Gothis. Sed in obitu Benedicti, cum Longobardi ita urbem cingerent atque obsiderent, ut non modo nuntios ad Cæsarem mittendi, sed neque commeatus ad Urbem inferendi potestas foret ; bimestri temporis spatio apostolicæ sedi datus est rector Pelagius. Tres attamen menses memorantur ac dies decem exacti ante publicatam electionem : quæ scilicet mora satis diuturna videri poterat ad fidem faciendam exspectatæ occasionis mittendi nuntium in orientem, si reversionis ac responsi percipiendi spes ulla affulsisset. His igitur centum diebus interpositis a morte Benedicti, electio Pelagii diaconi in pontificem Romanum celebrata est die 17 Novembris ; et subinde initiatus presbyterio novus Ecclesiæ rector ordinationem episcopalem suscepit die Dominica 27 Novembris. Sedisse legitur annos 10, menses 2, dies 10, tam in catalogis, quam in exemplaribus Anastasii. Sed ex epocha annorum Pelagii unitatem excidisse, et scribendum esse *sedit annos* 11, *menses* 2, *dies* 10, manifestum redditur ex ejus epistola, recitata in synodo, apud Gradum celebrata die 3 Novembris 579. *Imperante serenissimo Tiberio Constantino Augusto, anno ejus imperii quinto, et eodem consule, sub die* III *nonas Novembris, indict.* XIII, quæ data erat XII. Kal Martii ejusdem anni. Si enim conferatur cum epocha et epistolis Magni Gregorii, qui proximus fuit hujus Pelagii II successor, post septimum fere mensem vacationis sedis ordinatus die 3 Septembris 590 (uti omnes consentiunt) ; manifestum fit, initium pontificatus Pelagii deducendum esse ex fine Novembris 578, unde ad ejus obitum die 7 Februarii 590 colliguntur anni 11 solidi, menses duo, et dies decem. De synodo illa Gradensi, et Pelagii epistola ibidem recitata cum characteribus temporum indicatis videndus est præ cæteris card. Norisius in dissert de syn. V œcum., cap. 9, § 3, ubi in hoc stadio chronologis universis facem prætulit, quemadmodum et alibi sæpe ac feliciter præstitit in difficillimis, ac ferme desperatis temporum metis, et cursibus demonstrandis.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3. — *Et multa vastatio ab eis in Italia fieret.* Distracto siquidem Orientali imperio in bello Persico, segniores erant ejusdem principes ad auxilia in Italiam adversus Longobardos transmittenda. Quas autem vires ex Longobardorum dominatu amplificato caperet schisma non recipientium synodum V œcum. satis ex dissert. card. Norisii supra indicata in Benedicto, et ex notis Pagii ac Sommier ad hunc Pelagium elucet. Perstitit attamen indefessus Pelagius in pastorali cura seductas oves reducendi, edito etiam luculento tractatu, quem laudat B. Gregorius successor, eumdem transmittens ad episcopos Hiberniæ, epistola 36, ind. X. Quin etiam ejusdem Gregorii fetus esse dicitur, nempe epistola illa prolixior ad Istriæ episcopos data, quam Paulus Wanefridus lib. III de Gestis Longobardorum, cap. 20, scriptam affirmat Pelagii nomine a B. Gregorio, tum temporis illius diacono. Addit etiam Gregorius, expertum Pelagium schismaticorum pertinaciam, ad alia remedia confugisse : nempe ad exarchi Smaragdi auctoritatem, ut contumaces coerceret et adigeret ad parendum sedi apostolicæ. « Quo vero Pelagius ecclesiasticæ quieti, ac sancti V concilii dignitati prospiceret (ait Norisius pag. 104 diss. de Syn. V), vim etiam per Smaragdum adhibuit, memor sententiæ, olim contra eosdem Aquileienses schismaticos a Pelagio decessore latæ : « Vos ab iisdem apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quo quomodo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum canones per sæculares comprimi potestates. Ita unus Narsetem, alter Smaragdum in schismaticos concitavit. Adeo vero synodi V vindicem Pelagius sese ostendit, ut in epistola tertia ad Istros tria capitula condemnaverit, et in eadem etiam cum quinta synodo Origenem inter hæreticos rejecerit, imo eumdem omnium hæresiarcharum pessimum fuisse pronuntiaverit, hæc apostolico ore tonans : *Quid namque in hæresiarcha Origene deterius ?* et recitatis magnis Origenis præconibus concludit : *Nec illum a reatu proprio favor alienæ attestationis excusavit.* »

Vide apud eumdem Norisium quæ hac occasione diligenter expendit tum de apostolicæ sedis paterna clementia in exaudiendis precibus Heliæ Aquileiensis antistitis, postulantis, ut metropolitanam sedem suam gradum transferret, quod Pelagius benigne concessit initio pontificatus, ut collatis in eum beneficiis, licet schismaticorum antesignanum, faceret reverentiorem erga apostolicam sedem, aliisque paternæ charitatis officiis erga contumaces iterato exercitis. pag 101 ; tum quæ disseruit accuratissime de Aquileiensis patriarchatus titulo, hac occasione schismatis usurpari cœpto in illa ecclesia metropolitana, prolatis in medium Baronii, Sirmondi, aliorumque celebrium auctorum sententiis de origine illius primatus, quam cap. 10 doctissime, ut ejus consuetudo est, pertractavit.

Linea 7. — *Hic fecit cimiterium beati Hermetis martyris. Hic fecit supra corpus beati Laurentii mar-*

Digitized by Google

tyris vasilicam. Prosecutus est Pelagius reparationes sacrorum cœmeteriorum a Joanne III susceptas, quemadmodum in notis ad ejus Vitam ostendimus. S. Hermetis cœmeterium via Salaria intra primum ab Urbe lapidem celebratur scriptis veterum mediæ ætatis et recentiorum. Ex veteribus Martyrologiis in prolegomenis (*t.* CXXVII, *col.* 125-124), ubi dicitur etiam Basillæ, et ex descriptione Urbis sub Carolo Magno ibi pariter a nobis data in proleg (*col.* 365 *ejusd. tom.*). *In via Pinciana extra civitatem Proti et Hiacinthi, in dextera sancti.....* et *sancti Hermetis.* Ex scriptis mediæ ætatis produxi Malmesmuriensis historiam circa finem sæculi XI, opusculo in eisdem prolegomenis inserto (*col.* 515-516 *ejusd. tom.*) « Quarta porta, et via Salaria, quæ modo sancti Silvestri dicitur. *Ibi juxta viam sanctus Hermes requiescit et sancta vasella* (h. e. *Basilla*) et Protus et Hyacinthus, » etc. Ex recentioribus denique, præter Baronium in Matyrologio, et Annalibus, videndi Aringhius et Boldettus, ejusdem cœmeterii ichonographiam et lapides ibi repertos exhibentes. Vide etiam quæ a nobis de illo cœmeterio prolata sunt in notis ad S. Alexandrum.

De basilica S Laurentii extra muros supra illius venerandum corpus et cœmeterium Cyriacæ a Constantino primum ædificata, deinde a fundamentis restituta per hunc Pelagium, videndus Ciampinus tum in lib. de sacr. Æd. a Constantino Magno constructis cap. 6, tum tomo II veterum Moniment. Ecclesiæ Rom. cap. 13. Ostendit a Pelagio II fuisse restitutam a fundamentis servato veteri vestigio et aspectu frontis ad orientem converso qui postea ab Adriano papa I et ab Honorio III ad occidentalem plagam constitutus fuit versus urbis muros in nova constructione per ipsos curata et refecta. Producit etiam Ciampinus figuram musivi operis a Pelagio in sua reparatione additi supra arcum triumphalem presbyterii, ubi nunc etiam visitur superstes cum effigie ac nomine ejusdem Pelagii. Eamdem a Ciampino incidi jussam iconem, ut suis musivis insereret, beneficentia eminentissimi principis Alexandri Albani (cujus in Museo Ciampiniani operis æne tabellæ ab hæredibus pretio comparatæ hodie asservantur) impetravimus hic inserendam, ut hic etiam tomus editionis nostræ tertius [a], qui a Silvestro cœpit, ejusque imaginem et epocham in basilica patriarchali S Pauli ætate Leonis Magni depictam una cum successoribus compluribus indicavit, ostendat etiam in calce operis imaginem et epigraphen Pelagii II, pariter dedicatam et asservatam ætate nostra in superstite musivo patriarchalis basilicæ S. Laurentii extra muros : ad quem pontificem deducta series feliciter sistitur, ut tomi quarti et postremi post hunc secuturi frontem aperiat Magnus Gregorius, suo etiam nomine et epocha initii decoraturus hunc tertium, quem absolvimus. In fine enim numeri Pelagii secundi codices Anastasiani hanc periocham exhibent.

« A morte sancti Silvestri usque ad hunc primum Gregorium fuerunt anni 246. »

Papebrochius in Conatu Chronico Historico ad catalogum pontificum Romanorum pag. 88, n. 3 hæc scribit.

« Baronius, qui successores Vigilii justo citius inducendo in apostolicam sedem annos duos amiserat, videbatque Pelagium hunc omnino vixisse usque ad annum 590 ipsos eidem adjunxit, repugnantibus omnibus exemplaribus Anastasianis cum nostro ms. »


Viderat ante Papebrochium Norisius complures in chronologia ætatis Pelagii II et Gregorii Magni tum Baronio, tum Ricciolio (et huic quidem per solidum quadriennium pag. 93), lapsus contigisse, medicæ manus indigos, quam ipse scilicet admovit. Sequitur deinde Papebrochius, observans in catalogo Palatino pontificum Rom. et appendice abjecta codici primum Petaviano, deinde Christinæ reginæ, demum Alexandrino Vaticano per Schelestratum edito Antiquit. Eccl. tom. I, legi post Pelagium II hanc clausulam : *A beato Petro usque nunc fiunt anni* 444 *et menses* 1, *dies* 60, *excepto intervallo episcopatus* (quam tamen ad Felicem IV, in quo catalogus desinit, potius quam ad appendicem pertinuisse puto) : et ejus numeros componi nequaquam posse cum intervallo a martyrio B. Petri ad Pelagium II recte statuit. Convenit vero quam proxime (decisis a summa intervalli temporibus vacationis sedis) si ad Felicis IV tempora referatur. Denique Papebrochius convertitur ad aliam clausulam Pelagio subnexam in omnibus codicibus Anastasianis, quam hic retulimus.

« A morte S. Silvestri usque ad hunc Gregorium fuerunt anni 246. Hoc enim, inquit, verissimum est ; cum obierit Silvester anno 335 exeunte, et Gregorius sit ordinatus anno 590 ultra dimidium provecto. »

Contestibus igitur tam illustribus chronologiæ et documentorum veterum hujus tomi signaculi loco apponemus musivum a Pelagio II constructum, et nostræ ætati præservatum in basilica Laurentiana : ut gesta pontificum hoc intervallo recensita illustrentur constanter monimentis æqualibus eorumdem temporum perductorum a S. Silvestro ad S. Gregorium Magnum.

[a] Tomus noster secundus complectitur tomos tertium et quartum editionis Vaticanæ. EDIT. PATROL.

Digitized by Google



Digitized by Google

PAGII. A SOMMIER.

Linea 1. — *Sedit annos* 10, etc. Benedicto papa mortuo, sedes vacavit, non menses tres, dies decem, ut legitur in Anastasio, sed menses quatuor; quod facile est demonstrare. Cum enim constet Pelagium II Benedicti successorem mortuum esse die octava Februarii anni 590, postquam ultra annos 11, menses 2, et dies 10 sedisset, ejus ordinatio necessario trahenda est ad diem trigesimam Novembris anni 578 juxta nostram opinionem, vel anni 579 juxta eos qui volunt eum sedisse tantum annos 10. Sed hoc ultimum dici non potest; nam in synodo Gradensi, de qua mox, eodem anno 579 *die* III *Nonarum Novembrium* celebrata, lecta est epistola Pelagii II, die decima octava Februarii data, ex quo consequens est ejus ordinationem die 30 Novembris anni 578 peractam, ideoque et juxta Anastasium vacationem sedis post mortem Benedicti fuisse quatuor mensium, cum ipsemet asserat Benedictum obiisse die 30 Julii, et Pelagium die octava Februarii. Pelagius itaque hujus nominis II, natione Romanus, ex patre Vinigildo, ordinatus est Romanus pontifex die trigesima mensis Novembris sancto Andreæ apostolo sacra, anno quingentesimo septuagesimo octavo. Ordinatus est autem *absque jussione principis*, inquit idem Anastasius, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam, et multa *vastatio ab eis in Italia fieret*. Quare aliquando contigit, ut Romani pontifices, necessitate urgente, non exspectato imperatoris consensu, aut exarchæ, consecrati fuerint.

Linea 2. — « *Eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam, et multa vastatio ab eis in Italia fieret*, etc. Quæ mala consequerentur ex dominatu Langobardorum per Italiam in causa schismatis Aquileiensis, hic a Bibliothecario nominatim non recensentur; sed tantum generatim multa vastatio ab illis facta indicatur. Reperies diligenter inquisita et in seriem narrationis digesta ab eminentissimo card. Norisio in celebri dissert de Synodo V œcumenica : unde collegerunt scriptores proximi, et ex nostris auctoribus notarum Pagius ac Sommier.

« Perinde fuerit unum aut alterum ex his consulere, cum ex eodem fonte Norisiano gestorum seriem nobis exhibeant in compendium contractam. D. arch. Sommier lib. VI suæ Hist. dogm., cap. 39, ita exorditur a concessione per Pelagium facta transferendi metropolim Aquileiensem ex urbe Aquileiana ad oppidum B Gradense. »

Clerus Aquileiensis, qui hanc urbem deseruerat moventibus contra ipsum copias Longobardis, secesserat in oppidum Gradense; et archiepiscopus Elias petebat a Pelagio papa, ut eo transferret metropolim. Pelagius, ut animum illius molliret, et cum sectatoribus alliceret ad unitatem Ecclesiæ reintegrandam receptione quinti concilii generalis, hujusmodi petitioni clementer annuit.

Octodecim suffraganei episcopi Aquileiensis concilium celebrarunt in nova metropoli : ubi lecta fuit bulla Pelagii papæ castrum Gradense decernens a se constitui totius Venetiæ et Istriæ Metropolim, etc. *Vide in notis Pagii ex* 2 *ad* 9.

LXVI. SANCTUS GREGORIUS.

ANNO CHRISTI 590, MAURITII 5.

113 Gregorius, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annos tredecim, menses sex, dies decem [a]. Hic exposuit homilias Evangeliorum quadraginta; Job [b] libri XXXV; super Ezechielem libri XXII; Dialogorum libros IV, et Pastoralem; et multa bona alia, quæ enumerare non possumus [c]. Eodem tempore venit Romanus patricius et exarchus Romam, et dum reverteretur Ravennam, retinuit civitates quas Longobardi tenebant, id est Sutrium, Polimartium, Hortas, Tudertum, Ameriam, Perusiam, Luceolis et alias multas. [d] Eodem tempore beatissimus Gregorius misit servos Dei, Mellitum, Augustinum et Joannem, et alios plures cum eis monachos timentes Deum, in prædicationem [e] Anglorum, ut eos converterent ad Dominum Jesum Christum. Hic augmentavit in precatione [f] Canonis : *Diesque nostros in tua pace disponas*, et cætera. Hic fecit beato Petro apostolo ciborium cum columnis suis quatuor ex argento puro. Hic fecit ut super corpus beati Petri et beati Pauli apostoli missæ celebrarentur. Eodem tempore dedicavit ecclesiam Gothorum, quæ fuit in Suburra, in nomine beatæ Agathæ martyris. Hic domum suam constituit monasterium. Qui mortuus est et sepultus in basilica beati Petri apostoli ante sacrarium [g], die 12 mensis Martii. Hic fecit ordinationes duas, unam in Quadragesima et aliam in mense Septembris; [h] presbyteros triginta novem [i], diaconos quinque, episcopos per diversa loca 62; et cessavit episcopatus menses 5, dies 18 [j].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B.* novem d. [b] « super Job. [c] *Vide Baron tom* VIII, *ad ann* 595. [d] *Vide Baron ad ann. Domini* 601, pag 147. [e] « ad gentem. [f] « præfatione. [g] « Secretarium. [h] C. septimo. [i] C. 38. [j] C. 16.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES.

Ex Farnes cod LXVI

Num. 113, *linea* 2, hic exposuit homelias numero XL. Job. Ezechielum. Pastoralem, Dialogorum. et multa bona alia quæ enumerare non possumus. *lin* 5, et exarchus Romæ etc retenuit civitates, quas a Langobardis retenebantur. Sutrio... *lin* 9, timentes Deum, misit eos in prædicationem ad gentem Anglorum etc. hic augmentabit in prædicatione canonis d. n. i. t. p. dispone et cætera. *lin* 12, Apostolo ciburium. *lin* 13, super corpus beati Petri missas (missæ) celebrarentur. Item in ecclesia beati Pauli apostoli eadem fecit. *lin* 16, ante secretarium. *Lin.* 17 una in Quadragesima, et alia in mense Septembrio.

Ex codice bibliothecæ Vallicellanæ congregationis Oratorii, exstante in pluteo C, numero 79.

Linea 2, dies decem. Hic fuit temporibus Tiberii, Mauritii, et Focæ Augustorum. Hic. *lin* 2, n. 40, super Job libros XXXV, super Hiezechielem homilias XXII. *lin* 4. et multa alia, quæ numerare non possumus. *lin* 6, cœpit civitates, quæ a Longobardis tenebantur. Sutrium. *lin* 7, Tuder. *lin ead.*; eo tempore misit beatus Gregorius. *lin* 11, in prædicationem ad gentem Anglorum. *lin* 13, fecit ad beatum Petrum apostolum. *lin ead.*, puro. Hic jussit supra corpora beatorum Petri et Pauli missas celebrare [*lege* celebrari]. *lin* 14, in Subura. *Lin* 15 *vox* beatæ *deest. ibid.* Hic instituit domum suam monasterium, et mortuus est. *lin* 16, ante secretarium XII die. *lin* 18, aliam mense Septembri. *lin* 20, dies XVIII.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 11, *AB*, dispone. *lin* 12, *B*, apostolo super altare tegurium. *lin* 14, *AB*, quæ fuit. *lin* 17, *AB*, ante secretarium. *lin* 20 dies 19.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 2, mens 5 (mens 6) *lib.* Hic fuit temporibus Mauricii et Phocæ Augustorum. Hic expl. omelias evang num 40; super Job lib 35, super Ezech omelias 20, D. lib 4, Pastoralem et multa alia, quæ num non p. *lin* 5, Ravenn cepit civitates, quæ a Longobardis tenebantur. *lin* 7. Tuder *ibid.* Eo tempore misit B. Gregorius servos Dei Mellitum, Augustum (*M* Augustinum). *lin* 9, in prædicatione ad gentem A. *lin* 11, in præfatione C. *lin* 12, hic fecit ad B. P. M. ad S. P. *lin* 13, hic jussit supra corpora beatorum Petri et Pauli missas celebrari (*M*, celebrare) E. *lin* 15, hic instituit domum suam monast et mortuus est et sepultus in B. P. A. ante secretarium 12 die. *lin* 18, et al. m. Sept presbyt 39, diac 5, episc per diversa loca 62 (*M*, 70). *lin ult*, dies 19.

Ex codice Thuano altero.

Lin 3, in Job 35, in Ezech 20. *lin* 6, tenuit ci. quæ a Longobardis tenebantur. *lin* 9 et 10, ad gentes Anglorum. *lin* 11, dispone. *lin* 12, P. A. super altare ciborium ex argento purissimo. *lin* 13, hic præcepit ut supra beati Petri apost m. c. Item in ecclesia B. Pauli ap. eadem fecit. *lin* 14, quæ est. *lin* 16, et sepultus est ad B. P. ap. ante secretarium d. *lin* 18, mensis septimi. *lin* 19 et 20, episc dies 19.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 3, libr. XXXV, Ezechielem. *lin* 6, Polimarium. *lin* 7, Tuder. *lin* 9, tim Deum. Misit eos in prædic ad gentem Anglor ut eos converteret. *lin* 11, in prædicationem. *lin ead*, dispone. *lin* 12, ciburium. *lin* 15, Subora. *lin* 17, secretarium.

NOTÆ VARIORUM.

BALDINI.

Linea 14. — *Eodem tempore dedicavit Ecclesiam Gothorum, quæ fuit in Suburra, in nomine beatæ Agathæ martyris.* Quo proprie loco sita fuerit Suburra, dissentiunt antiquarii. Eorum sententias recitat Martinellus in libello Romæ edito anno 1638, in quo diaconiam S. Agathæ in Suburra describit et illustrat; quibus in medium allatis suam in re obscura quasi divinans sententiam proponit, scilicet ante amplificatum pomœrium Suburram tenuisse eam planitiem quæ extenditur sub colle Palatino ad amphitheatrum Titi; aucta dein Urbe prolatam fuisse ad Forum Nervæ, indeque per vallem positam Viminalem inter Quirinalem et Exquilinum colles excurrisse. In hac valle Sylvani templum fuisse opinatur Marlianus, templumque Sylvani conversum fuisse in ecclesiam S. Agathæ dicatam tradit Fabritius in Roma antiq his verbis : « Templum Sylvani nunc D. Agathæ, sub Viminali, in via Suburrana. »

Hanc ecclesiam B. Agathæ sacram Gothi, Ricimere patritiatum tenente, occupaverant, idemque Ricimer pluribus ornamentis auxerat, præsertim absidem marmoream, cujus fastigio ex musivo insculoi jusserat epigraphen :

FL. RICIMER V. I. MAGISTER UTRIUSQUE MILITIÆ PATRICIUS ET EXCONSUL ORD. PRO VOTO SUO ADORNAVIT.

Hanc legit Cæsar Baronius antequam absis ipsa vetustate fatiscens improvisa ruina collaberetur. Præstat hæc audire ab eodem card Baronio ad annum Christi 472 : Hic ille sacrilegus Arianus (Ricimer), qui cum tantam sibi in Romanum imperium usurpasset auctoritatem, invitis licet ipsis Romanæ Ecclesiæ pontificibus, barbarica tamen auctoritate in Urbe sibi ecclesiam vindicaret, in quam cum suis Arianis Gothis militibus conveniret. Fuit illa quidem titulo S. Agathæ ad radices Quirinalis montis contra Viminalem posita, parva licet, ab ipso tamen Ariano ornata catholico more, etenim ejus absidem marmorum crustis et imaginibus sacris Salvatoris ac duodecim apostolorum ex musivo egregie nobilitavit; permansit opus usque ad tempora nostra, cum nimia vetustate fatiscens absis ipsa ante quinquennium improvisa ruina collapsa funditus periit.

Verum anno Christi 591 B. Gregorius ecclesiam Ariana superstitione pollutam catholico ritu sacravit. Factum narrat Baronius his verbis : « Hoc item anno B. Gregorius papa dedicavit ecclesiam sanctæ Agathæ Romæ positam, quam Gothi Ariani sibi usurpaverant, quæ licet, illis ex Urbe Italiaque penitus ejectis et profligatis, relicta libera fuisset, tamen quod fermento Ariano videretur esse polluta, ac proinde non amplius sacra, sed exsecrabilis haberetur, Gregorius divinitus inspiratus adjecit animum ut eamdem sacris ritibus expiatam sacro cultui idoneam redderet Deoque sacraret. Id quidem hoc anno factum esse ex iis quæ ipse scribit in Dialogis, anno quarto sui pontificatus elaboratis, satis expresse patet, cum ante biennium id contigisse dicat, hoc ipso videlicet anno. Quæ autem tunc acciderint admiratione digna, ipse sic narrat Dial lib III, c. 30 : « Sed neque hoc silcam quod ad ejusdem « Arianæ hæreseos damnationem in hac quoque « urbe ante biennium pietas superna monstravit. Ex « his quippe quæ narro, aliud populus agnovit, « aliud autem sacerdos et custodes ecclesiæ se audisse et vidisse testantur. Arianorum ecclesia in « regione urbis illa quæ Suburra dicitur, cum clausa « usque ante biennium remansisset, placuit ut in « fide catholica, introductis illuc beati Stephani et « sanctæ Marthæ martyrum reliquiis, dicari debuisset, quod factum est. Nam cum magna populi « multitudine venientes, atque omnipotenti Domino « laudes canentes eamdem ecclesiam ingressi su-

Digitized by Google

« mus, cumque in ea jam missarum solemnia cele- A
« brarentur, et præ ejusdem loci angustia populi se
« turba comprimeret, quidam ex iis qui extra sa-
« crarium stabant, porcum subito intra suos pedes
« huc illucque discurrere senserunt; quem dum
« unusquisque sentiret, et juxta se stantibus indi-
« caret, idem porcus ecclesiæ januas petiit, et om-
« nes per quos transiit, in admirationem commovit,
« sed videri a nullo potuit, quamvis sentiri potuis-
« set: quod idcirco divina pietas ostendit, ut cun-
« ctis patesceret, quia de loco eodem immundus
« habitator exiret. Peracta igitur celebratione mis-
« sarum recessimus. Sed adhuc nocte eadem ma-
« gnus in ejusdem ecclesiæ tectis strepitus factus
« est, ac si in eis aliquis errando discurreret. Se-
« quenti autem nocte gravior sonitus excrevit, ac
« subito tanto terrore insonuit, ac si omnis illa ec-
« clesia a fundamentis fuisset eversa, et protinus
« recessit, et nulla illuc ulterius inquietudo antiqui
« hostis apparuit; sed per terroris sonitum, quem B
« fecit, innotuit, quod ab eo loco, quem diu tenue-
« rat, coactus exibat. Post paucos vero dies in ma-
« gna serenitate aeris super altare ejusdem ecclesiæ
« nubes cœlitus descendit, suoque illud velamine
« operuit, omnemque ecclesiam tanto terrore ac
« suavitatis odore replevit, ut patentibus januis
« nullus illuc præsumeret intrare. Sacerdos quoque
« et custos, et hi qui ad celebranda missarum so-
« lemnia venerant, rem videbant, ingredi minime
« poterant, et suavitatem mirifici odoris trahebant.
« Die vero alio cum in ea lampades sine lumine de-
« penderent, emisso divinitus lumine sunt accensæ.
« Post paucos iterum dies cum expletis missarum
« solemniis exstinctis lampadibus custos ex eadem
« ecclesia egressus fuisset, post paululum intravit,
« et lampades, quas exstinctas reliquerat, lucentes
« reperit, quas negligenter exstinxisse se credens,
« eas jam sollicitus exstinxit, et exiens ecclesiam
« clausit; sed post horarum trium spatium regres- C
« sus, lampades quas exstinxerat iterum accensas
« invenit, ut videlicet ex ipso lumine aperte clare-
« sceret, quia locus ille a tenebris in lucem ve-
« nisset. »

Hæc Baronius partim ex se, partim ex B. Gregorio refert; in qua tamen narratione duo videntur minus accurate conscripta, primum a Ricimere Ariano ecclesiam S. Agathæ catholico more exornatam fuisse absidе Salvatoris atque apostolorum sacris imaginibus ex musivo opere nobilitata; alterum, a beato pontifice Gregorio in eamdem ecclesiam inductas fuisse reliquias S. Stephani et S. Marthæ. Si enim diligentius animum intendisset ad ea, quæ Adrianus papa scribit Carolo Magno in epistola ad eum data, cujus hæc sunt verba: « Ecclesiam Arianorum, cujus ipse S. Gregorius in Dialogis meminit, placuit eidem S. Gregorio ut in fide catholica, introductis illic B. Sebastiani et B. Agathæ martyrum reliquiis, dedicare debuisset, quod et factum est, et diversis ipse B. Gregorius pingi fecit eam tam in D musivo, quam in coloribus, et venerandas imagines illic erexit, et a tunc usque hactenus venerantur, » non ea sibi excidere passus fuisset. Per hoc enim testimonium clare ostenditur sacras illas imagines Salvatoris et apostolorum absidi illi ex musivo adjectas, quas ante ejusdem absidis ruinam Baronius conspexerat, a sancto pontifice collocatas fuisse, non ab homine Ariano, neque iis temporibus quibus in Ecclesiis rarus adhuc imaginum usus; atque etiam palam fit reliquias a B. Gregorio illatas eidem ecclesiæ fuisse SS. Sebastiani et Agathæ, ut meliores etiam codices Dialogorum habent, et non SS. Stephani et Marthæ, ut ex corrupto aliquo exemplari Baronius exscripsit.

BENCINI.

Linea 2. — *Hic exposuit homilias Evangeliorum.* Veteri consuetudine receptum fuit ut homiliæ istius-modi in ecclesiis legerentur. Idcirco inter oblata ecclesiis donaria, infra in Stephano IV oblatum legimus librum XI Homiliarum. Interdum quoque liber sermonum oblatus dicitur, in quo scilicet sermones Patrum describi consueverant, atque iidem coram plebe in missarum solemnibus ad instar explanationis ad Evangelium lectitari. Liber Homiliarius audit apud Patres Turonensis synodi anni 813, can. 17; Moguntinæ, ann. 847, can. 2, aliarumque sæpius. Atque in iis describendis majorem exposcebat solertiam B. Augustinus in epist. 77: « Ut jubeas singulos, quos volueris, sermones seorsim conscriptos, et emendatos mitti nobis. » Confer ad hæc Beletum, c. 59; et Durandum lib. VI Ration., c. 1, n. 32.

Linea 3.—*Et Pastoralem.* Agnellus in lib. II Pontific., par. II, pag. 129, tom II Script. Rer. Italic., ubi Vitam describit Mariniani, episcopi Ravennatensis, causæ meminit ob quam pontifex Librum Pastoralem ediderit: « A beatissimo Gregorio Romæ consecratus, et ab eo hic missus est; et cum voluisset ex hac cathedra evadere, ne pontifex, dicebat, se tanti honoris pondera implere non posse. Tunc beatissimus papa Gregorius cœpit consolatoria verba referre, dicens: Ego propter te unum parvulum librum faciam. Tene eum quotidie præ manibus tuis; semper in ipsum intende; observa verba illius libri, et esto securus ab omni formidine. » Et scribens Librum Pastoralem misit. In vulgata tamen editione Liber Pastoralis a S. Gregorio Joanni Ravennatensi, prædecessori Mariniani, inscribitur. Qua de re videsis Bacchinium ibid. in notis.

Linea 4. — *Eodem tempore.* Anastasius hæc verba descripsit pro more suo ex Paulo Diac. l. IV, c. 8: « Hac etiam tempestate Romanus patricius et exarchus Ravennæ Romam properavit. Qui dum Ravennam revertitur, recepit civitates quæ a Langobardis tenebantur, quarum ista sunt nomina: Sutrium, Polimartium, Hortam, Tudertum, Ameria, Perusia, Luceolis, et alias quasdam civitates. Quod factum cum regi Agilulpho nuntiatum esset, statim Ticino egressus cum valido exercitu civitatem Perusium petiit, ibique per dies aliquot Maurisionem ducem Langobardorum, qui se Romanorum partibus tradiderat, obsedit, et sine mora captum vita privavit. Hujus regis adventu intantum beatus Gregorius papa exterritus est, ut ab expositione templi de quo in Ezechiele legitur, desisteret, sicut ipse quoque in suis homiliis refert. »

Linea 7. — *Eodem tempore.* Quæ hoc loco refert Anastasius de missione apostolica in Angliam instituta, eadem Paulus cap. 26 hisce verbis enarrat. « Hoc tempore idem beatus Gregorius Augustinum et Mellitum, et Joannem cum aliis pluribus monachis timentibus Dominum, in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos convertit. » Gemina sunt quæ noster edisserit. Quanquam dum hasce lacinias ad verbum ex Paulo Diac. in Gesta pontificum transcribit, ordinem temporum nullo loco habuit, tenuique delectu hinc et inde acta consarcinans, tenebras plusquam Cimmerias chronologiæ offudit. Sed de his postea fusius.

BINII ET LABBEI.

Linea 1.— *Gregorius* anno Domini 590, postquam sedes sex mensibus, et 26 diebus vacasset, factus est pontifex S. Gregorius, qui natus atavo Felice papa ejus nominis tertio, non quarto, ut vult Joannes Diaconus, patrem habuit Gordianum, matrem nomine Silviam inter sanctos relatam. Tarsillam atque Æmilianam Deo dicatas virgines, homil. 38 patris sorores fuisse scribit. Institutus fuit optimis moribus et bonis litteris; Græcæ tamen linguæ ignarus exstitit. Juris quoque consultum fuisse declarat ipse epist. 54, lib. II. Præclarissima hujus pontificis gesta per singulos annos sui pontificatus videre est tom. V Concil.

Digitized by Google

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Quod in Pelagii II notis querebatur cl. præsul Veronensis Franciscus Blanchinus (quem fuisse maximum apostolicæ sedis assertorem vindicemque acerrimum hæc ipsa Anastasiana editio testatur, quam imperfectam morte præventus reliquit); quod querebatur, inquam, litatum scilicet paci publicæ majoribus hostiis tolerando ut Romani pontifices a clero populoque electi non ante ordinarentur quam ab imperatoribus Orientis jussio seu confirmatio mitteretur, id Gregorio pontificias vehementer infulas renuenti valde opportunum visum fuit ad tantam dignitatem rejiciendam (*Joan. Diac.*, lib. I, cap. 40 et seq.). Pelagio enim mortuo, dum anno 590 inguinaria lues Romæ validissime grassabatur, continuo votis omnium electus Gregorius, qui paucos ante annos Cp. redierat, mœrens ac gemens ad Mauritium, cujus gratiam inierat dum apocrisiarii munere apud aulam fungebatur, dedit litteras eum orans ne suam electionem confirmaret. At durum Gregorio fuit contra stimulum calcitrare, litteræ enim a Germano præfecto Urbis interceptæ divini Spiritus voluntati non ausæ sunt resistere. Eædem tamen litteræ, utcunque interceptæ, magnum sunt argumentum auctoritatis ab Odoacre usurpatæ, ac veluti per manus in Augustos demissæ; ita ut difficillimis iis temporibus Christi vicarii principum jussioni viderentur obnoxii. Hinc diuturna interpontificia usque ad factam eamdem potestatem Ravennatensi exarcho Joannis IV temporibus, dum nuntii ultro citroque mittuntur; nec nisi dum Italia turpius laceratur, pontificis creatio præceps, ut vidimus in Gregorii prædecessore Pelagio, quem prodigii loco habet Anastasius ordinatum absque jussione principis. Æque diuturnis hujusmodi interpontificiis, librariorum socordia ut plurimum accedente, sequentium pontificum usque ad S. Martinum chronologiæ turbatio immodica nata est, quæ eruditos alios in aliam sententiam distraxit. Præ iis Sigonius, Panvinius, Baronius, Papebrochius, Pagius raro admodum conveniunt simul; cumque aut pauca aut nulla rem testantia superessent monumenta, sedes et interpontificia modo contrahere, modo producere iis impune licuit. Ea propter operæ pretium facturum me puto, si Libro Pontificali duce pontificiam chronologiam pessumdatam pro virili restituam. Hæc velut præfatus ad notas aggredior.

Dum Cp. adveniunt confirmatoriæ litteræ Gregorius, tametsi nullus electo in Ecclesiæ moderatione locus esset, morbo gliscente litaniam septiformem instituit, quam videsis ap. Sigon. de Regno Ital. lib. I, et ap. P. Mabillon. in Ord. Rom. Iis tandem post menses sex, dies 28, allatis consecratur, quamvis invitus, eodem anno Pelagii emortuali 590, die 3 Septembris, ut recte constanterque eruditi recentiores sentiunt, præsertim P. Mabillon. et card. Noris., in cujus verba jurare solet Blanchinus, cui si quid antiquitatis rerum ac moris didici, acceptum refero. Huc accedunt littera Dominicalis A, eo anno concurrens cum prædicta die, et dies emortualis 12 Martii anni 604, qui tanquam cardines totum Gregorianæ sedis tempus annorum 13, mens. 6, dier. 10, includunt; totidem quippe anni, menses, dies in Anastasii omnibus codicibus et plerisque Catalogis Gregorio ascribuntur. Extremi tamen dies non excluduntur, quod fieri quandoque solet ab Anastasio. Ex die vero ordinationis retrocedendo usque ad Pelagii emortualem habetur certum interpontificii spatium, non ut in vulgatis mensium 6, dier. 25, sed m. 6, d. 28, quod a Blanchini mente septimestri fere spatio definientis (quanquam morte præventus haud penitus rem discussit) non est alienum; namque is firmato emortuali die Pelagii 7 Febr. et ordinat. Greg. 3 septembr. cum utrumque pontificem septimestri fere interpontificio disjunxit, non vulgatum Anastasii codicem, sed Regium, Mazarinum et Thuanum primum A secutus est, qui habent menses 6, dies 28, quibuscum consentit tertius Ambrosianus to. III Italicor. scriptor. Et revera tantundem temporis inter prædictas dies 7 Febr. et 3 Septemb. numeratur inclusis extremis. Notatu hic dignum videtur quod sensibilis una mutatio styli ex tot illis quæ in codice Anastasiano inspiciuntur, in aliquot Gregorii prædecessoribus cœpta per complures ejus successores continuatur. A Vigilio siquidem usque ad Honorium constanter numeratur tempus sedium et interpontificii curiali more; inde autem Kalendæ, Nonæ, Idus postliminio revocantur. Et insuper, ut eruditissimus Ciampinus (*Exam. lib. Pont.* lib. III): « A gestis Vigilii, Silverii papæ successoris, usque ad Martinum exclusive mutationem aliquam stylus perpessus est; vix enim divertit an evangelico, qui est stylus planus, et apertus absque ullo fuco, ulloque verborum delectu. » Il vero aut evenerit ob calamitosissima Italiæ tempora quibus silentium litteris indictum fuerit, seu quavis B ex alia causa contigerit, non paucas eorum pontificum res in conjectura reposuit; secus est de Gregorio, cujus in chronotaxi stabilienda haud diu laborandum fuit. Exstant præ aliis ejusdem operibus epistolarum libri duodecim, quæ suas exhibent indictiones, et utcunque earum nonnullæ propriis amotæ locis reperiantur, pretiosius tamen monumentum ad tempora ejus sedis profanda excogitari non potest. Hinc est quod præter Paulum Diaconum (*lib.* IV, *cap.* 30) qui Gregorium e vivis migrasse perperam tradit, cum Phocas per indictionem VIII anno regnaret secundo, VIII pro VII usurpans, neque apud veteres, neque apud recentiores Martyrologos et eruditos ulla difficultas occurrit. Adeoque ego cum aliis diem ejus mortis 12 Martii 621 definiens, rem magis magisque astruere prætermitto. Plura totius Gregorii Vitæ chronologice discussa videsis apud card. Noris. de Synodo V, cap. 8, § 4 et seq.

CIACONI.

C Linea 1. — *Gregorius.* Sanctus Gregorius Magnus, Ecclesiæ doctor, Gordiani senatoris et Silviæ sanctissimæ matronæ filius, Romanus nobilissima et antiquissima Aniciorum familia, monachus, S. R. E. archidiaconus et apocrisiarius, Anglorum apostolus, impp. Tiberio Anicio, Constantino Mauritio, et Flavio Phoca Augg., sedit annos 13, menses 6, dies 8. Pestilentiæ acrius in dies Romæ furente, Urbs assiduis funeribus exhauriebatur. Qua re animadversa Gregorius IV Kal. Septembris populum ad concionem in basilicam S. Sasbinæ ad Aventinum vocavit; et divino repletus Spiritu, propter peccata populi ea flagella immitti dixit, precandum esse Deum lacrymis, oratione et pœnitentia anteactæ vitæ, ut furorem et iram suam temperaret. Feria igitur quarta prima luce jubet clerum egredi ab æde SS. martyrum Cosmæ et Damiani cum presbyteris regionis sextæ, omnes vero abbates cum monachis suis ab æde SS. martyrum Gervasii et Protasii, cum presbyteris D regionis quartæ; omnes abbatissas cum congregationibus suis ab æde SS. martyrum Marcellini et Petri cum presbyteris regionis primæ; omnes pueros et puellas ab æde SS. matryrum Joannis et Pauli cum presbyteris regionis secundæ: omnes laicos ab æde S. martyris Stephani, cum presbyteris regionis septimæ; omnes mulieres viris orbatas ab æde S. Euphemiæ cum presbyteris regionis quintæ; omnes conjugio sociatas ab æde S. martyris Clementis cum presbyteris regionis tertiæ: e singulis autem ædibus in hunc modum egressi in ædem B. Mariæ semper virginis matris Jesu Christi Domini nostri convenientes, ac longis ibi fletibus ac gemitibus Domino supplicantes, peccatorum suorum veniam implorarent. Itaque ab illo traditum hunc quoque manet ut post missarum introitum novies Domini Christive misericordiam per *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, imploraret Ecclesia. Interim pestilentia adeo in dies sæviebat, ut multi cum sternu-

Digitized by Google

rent, alii cum oscitarent, repente spiritum emitterent. A Quod cum sæpius eveniret, consuetudo inducta est, quæ nunc etiam observatur, ut sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admovendo, præsidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius ad cætera cœlestis iræ piacula postero anno 593 religiosam in die resurrectionis supplicationem instituit, atque solemni in pompa sanctam Virginis Dei genitricis imaginem extulit. Hæc ex Lucæ evangelistæ manu, ut traditio est, ad vivum expressa jam tum in æde B. Virginis ad Præsepe in Exquiliis sita eximia populi religione conservatur. Factum est autem ut imaginem ipsam quacunque ferretur, tetra pestilentia cœli gravitate cedente, optata salubritas sequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, ecce angelus sanctam Virginem his vocibus de cœlo alloquens est auditus : *Regina cœli lætare, alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit sicut dixit, alleluia.* Quam ubi Gregorius auribus orationem excepit, statim B divino incitatus Spiritu in hunc modum explevit : *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Exinde antiphona solemnis Ecclesiæ paschalis argumento lætitiæ mansit. Nec ita multo post angelus super Adriani molem astans ac strictum mucronem vagina recondens conspectus est.

Linea 11. — *Diesque nostros in tua pace disponas.* Hæc verba apponi jussit in Canone, quia Agilulphus, Longobardorum rex, cum esset Urbs præsidio vacua, castris mœnibus Urbis admotis, ingentem universæ civitati pavorem injecit, ita ut Gregorius ab expositione Ezechielis prophetæ, super quem Commentarios elaborabat, desisteret.

Linea 16.—*Sepultus in basilica beati Petri apostoli.* In extrema porticu ante basilicam S. Petri apostoli prope secretarium, quod nunc dicitur S. Maria de Febre, ubi etiam sepulti fuerunt Leo, Simplicius, Gelasius, Symmachus et aliquot alii Romani pontifices, ut libro IV ejus Vitæ tradit Joannes Diaconus. Cujus corpus postea Gregorius quartus intra basili- C cam transtulit et sub Andreæ apostoli altare collocavit. Priori ejus tumulo hoc epitaphium positum fuit.

Suscipe, terra, tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod vafess vivificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil jura nocebunt,
Cui vitæ alterius mors magis illa via est.
Pontificis summi hoc claudantur membra sepulcro,
Qui innumeris vixit semper ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actu quidquid sermone docebat,
Esset ut exemplum mystica verba loquens.
Ad Christum Anglos convertis pietate magistra,
Acquirens fidei agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul tactus, lætare triumphis,
Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

Petrus diaconus, qui fuit unus ex ejus intimis, aliquando jurejurando affirmavit se columbam lucu- D brantis pontificis auribus assidentem sæpius conspicatum esse.

Quandiu vixit Gregorius, multis morbis subjacuit; dolore namque stomachi frequenter cruciabatur, podagra et renum affectibus laborabat. Multa præter superius memorata sanctissimus hic pontifex in Ecclesia statuit, benedictionem ramorum et candelarum, quæ benedicuntur in Dominica in Ramis palmarum, et in die Purificationis B. M. V. Benedici cineres et imponi super capita hominum primo die Quadragesimæ inventum illius fuit, et lavari pedes mutuo ad imitationem Christi; præterea ut Antiphonæ canerentur, quæ vulgo Introitus vocantur. Stationes instituit; officium ecclesiasticum concinnavit et approbavit. Romanum cantum et collegium cantorum induxit, multaque alia fecit quæ sanctissimi ac vigilantissimi pastoris sapientiam et charitatem ostendunt.

Sed omnia illius gesta superare videtur quod Deus per illum operari dignatus fuit in liberatione animæ Trajani imperatoris, quingentis jam annis tartareo igne damnatæ, precibusque gloriosissimi pontificis ereptæ et inter salvandos collocatæ : citra testimonium gravissimorum auctorum, qui hoc attestantur, et communem sententiam, qui hoc idem profitentur, ego libello peculiari hujus argumenti edito omnes objectiones dilui et verissimum esse probavi.

Ferunt eo tempore, quo Hermenegildus martyrio a patre Leovigildo sub Gregorio coronatus fuit, Jesu Christi tunicam, quæ sorte uni militum obtigerat, inventam esse apud urbem Zaphat in arca marmorea eo loci repositam, Thomæ Hierosolymitani episcopi et Joannis Constantinopolitani ac Gregorii Antiocheni tempore.

Anno Christi 597, Gregorii 7, natus est in Arabia seductor ille Mahometus, pseudopropheta, pernicies orbis

MAFEI.

Linea 1. — *Natione Romanus ex patre Gordiano.* Gordiano patre, senatorii ordinis viro, matre Silvia, femina pietate conspicua, natus Gregorius; atavum habuit P. M. Felicem, Tertium, ut sentit card. Baron. in adnot. ad Mart. Rom., die 25 Februarii, et in Annal., ad annum 582; vel quartum, ut habemus in Joanne Diacono, quam lectionem probabilibus tuentur rationibus PP. S. Mauri. Præter Anastasium nostrum S. Gregorii Vitam Latinis litteris consignarunt Paulus Diaconus, quam sub ejus nomine ex mss. codd. dedit cl. Mabill. sæcul. pr. pag. 385; Joannes Diaconus, qui, jubente Joanne VIII, quatuor libris S. Gregorii Vitam complexus est; postremo eruditissimi PP. S. Mauri ex S. Gregorii scriptis potissimum ejusdem Vitam concinnarunt, quæ exstat tomo IV Operum S. Gregorii. Præterea Gregorius Turonensis, Beda et Ado episcopus Viennensis nonnulla ex ejusdem gestis scripserunt. S. Gregorii meminit etiam Photius in sua Bibliotheca, de quo paulo infra adnotatione quinta dicetur; Isidorus, Ildefonsus, Sigebertus, Trithemius, omnesque scriptorum Ecclesiæ nomenclatores.

Linea 2. — *Hic exposuit homilias Evangeliorum* 40. De his ita Sigebertus : « Scripsit ad Marianum vel Marinianum episcopum quadraginta duas Evangelii homilias. » Sed solum 40, juxta Anastasium, habemus, quarum exemplaria non ad Marianum, sed ad Secundinum Tauromenitanum episcopum misit. Quare consonat Anastasio Joannes Diaconus, qui lib. IV, cap. 74, de homiliis evangelicis ita scripsit : « Per stationes discurrens (*loquitur de Gregorio*) viginti homilias Evangelii diverso tempore coram populo declamavit; reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo aliis pronuntiare permisit. »

Linea 3. — *Job lib.* XXXV. Hoc opus S. Gregorius aggressus est instante potissimum S. Leandro Hispalensi episcopo, quicum Constantinopoli familiaritatem inierat, dum ille esset ad Tiberium apocrisiarius Pelagii; hic autem Hermenegildi nomine a Tiberio suppetias postularet. Tanti vero habiti sunt hi commentarii in Job, qui universæ evangelicæ moralis promptuarium jure possunt vocari, ut ipso vivente Gregorio ab episcopis cum ad eorum mensam, tum publice ad vigilias legi cœperint, quod ubi modestissimus pontifex intellexit, id quo minus fieret prohibuit, datis ad eos urgentioribus litteris, quæ in Regesto epistolarum videri possunt.

Ibid. *Super Ezechielem lib.* XXII. Homilias in Ezechielem in libros duos divisit, quorum primo tria Ezechielis capita et quarti partem duodecim homiliis exposuit, altero vero quadragesimum de visione templi in Jerusalem construendi homiliis decem explicavit. Casimirus Oudinus in Commentario de Script. Eccles. carpit S. Gregorium quod Ezechielem prophetam explicans ingenti saltu de quarto

Digitized by Google

ad quadragesimum caput transierit. Quanta autem id injuria scripserit, cognosci potest ex V. Beda et Joanne Diacono, qui causam cur solum Ezechielis prophetiæ partes aliquas S. Gregorius explanaverit, referunt; Beda lib. II Hist. gentis Angl. cap. 1, ait : « Primam quoque et ultimam Ezechielis prophetiæ partem, quæ videbantur obscuriores, per homilias viginti duas declaravit, et quantum lucis intus habeant, demonstravit. » Joannes vero Diaconus lib. IV, cap. 76 : « Primas quoque, et ultimas Ezechielis prophetiæ partes, quæ videbantur obscuriores, Romanis postulantibus pertractavit. » Si igitur a Gregorio, ut solum obscurioribus, singulari illius doctrina, lucem afferret, populus Romanus quæsivit, solamque id sibi summus papa proposuit, perperam a Casimiro de relictis intermediis capitibus Gregorius vellicatur.

Ibid. *Dialogorum lib.* IV. Quatuor libri forma dialogi Gregorium inter et Petrum ejus diaconum miracula Patrum Italicorum complectuntur, quos genuinos esse S. Gregorii Magni fetus, et non S. Gregorii II, ut quidam sensere, præter mss. fidem, ex lib. II Dialog., cap. 1, aperte demonstratur; nam ibi Vitam S. Benedicti abbatis exponens ea dicit de Benedicto se scribere, quæ a quatuor ipsius discipulis acceperat, quorum duo jam fatis functi, alii duo tum etiam erant superstites. Quæ profecto Gregorio secundo minime possunt convenire, nisi illos superstites monachos ducentis annis plus minus dicamus vixisse. Præterea S. Paterius, Gregorii Magni secundiarius ac discipulus, qui expositionem Veteris ac Novi Testamenti ex sancti doctoris sententiis concinnavit, longe plura ex libris Dialogorum excerpsit. Libros autem Dialogorum opus ad pietatem fovendam maxime utile, Casimirus Oudinus tanquam anilibus fabulis scatentes parvi facit. Sed contra injuriosas Casimiri censuras tota quanta est eruditorum pugnat antiquitas, ut recentiorem ætatem silentio præteream, quæ omnibus sæculis S. Gregorii doctrinam æque ac pietatem in hoc opere semper suspexit. Verum cum hoc loco perbreves adnotationes textui Anastasiano subjiciam, satius erit Casimiro Photii judicium opponere, cujus mentem acrem ac diligentiam nemo est qui perspectam non habeat. Photius igitur in ejus Bibliotheca codice 252, ita scriptum reliquit : Ὁ θαυμάσιος Γρηγόριος πολλὰς μὲν καὶ ἄλλας ψυχωφελεῖς τῇ Ῥωμαίων συνετύξατο βιβλους, ὁμιλίας τε τὰ εὐαγγέλια ἀναπτύσσων προσωμίλησεν. Ἀτὰρ δὴ καὶ βίους τῶν καὶ τὴν Ἰταλίαν ἀξιολόγους, καὶ διηγήματα σωτηρίαν ἐκπαιδεύοντα συγκαταμίξας τούτους ἐν τεσσάρσι διαλόγοις ἐφιλοπονήσατο. Ἀλλὰ γὰρ πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη οἱ τὴν Ῥωμαίων φωνὴν ἀφέντες, τῶν ἐκ τῶν πόνων αὐτοῦ ὠφελείας μόνοι ἀπήλαυον. Ζαχαρίας δέ, ὃς τοῦ ἀποστολικοῦ ἀνδρὸς ἐκείνου χρόνους ὕστερον τοῖς εἰρημένοις κατέστη διάδοχος, τὴν ἐν τῇ Ῥωμαικῇ μόνον συγκλειομένην γνῶσιν καὶ ὠφελείαν, εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ἐξαπλώσας, κοινὸν τὸ κέρδος τῇ οἰκουμένῃ πάσῃ φιλανθρώπως ἐποίησατο. Οὐ τοὺς διαλόγους δὲ καλουμένους μόνους, ἀλλὰ καὶ ὅλους αὐτοῦ ἀξιολόγους πόνους, ἐξελληνίσαι ἔργον ἔθετο. Hoc est. *Admirandus Gregorius multos quidem et utiles imprimis libros Latine conscripsit, ut homilias, quibus Evangelia populo explanavit. Quin etiam Vitas eorum, qui in Italia clari essent, salubribus admistis narrationibus, quatuor dialogis concinnavit. Etenim centum et sexaginta quinque annis ii qui Latinam linguam ignorarent, soli utilitate hujus operis frus rati sunt. Zacharias vero, qui hujus sancti viri post illud tempus successor fuit, cognitionem utilitatemque in Italia conclusam in Græcam linguam vertens, communem utilitatem orbi terrarum benigne exhibuit. Nec solum Dialogos, sed et dignos lectione alios labores in Græcam linguam transferre operæ pretium duxit.* Hactenus de Gregorii operibus Photius, cujus profecto testimonium ad rem nostram habendum est plurimi. Aut enim ante solemne schisma hæc Photius scripsit, ut equidem sentio (hoc opus enim Photius composuit antequam CP. sedem occuparet, cum obiret scilicet legationem pro Basilio in Assyria, ut ipse in epistola ad Tarasium testatur, quæ legitur in Græca editione, ad calcem operis, p. 892, et in aliis rectius præmittitur) aut post : si ante, tam accurate de codicibus a se lectis vir cæterum eruditione clarus liberum judicium profert, ut illi jure magis sit deferendum, quam Casimiro omnibusque ejus gregariis; sin autem post, saluberrimam certe esse Dialogorum lectionem dicere oportet, quam homo, quanquam Romanæ sedi infensus, summis tamen laudibus debuit probare. Legesis quæ scripturus ero in S. Zacharia, adnot. 2.

Ibid. — *Et Pastoralem.* Cum S. Gregorius supremam pontificatus dignitatem in spelunca detrectando aliquandiu declinasset, atque a Joanne episcopo Ravennate esset reprehensus, hunc librum Pastoralem scripsit pastoris officii gravitatem exponentem, opus sane ab omnibus animarum curatoribus assidue legendum. Qua de re multæ synodi, libri Pastoralis Curæ lectionem episcopis commendarunt, in quo unusquisque quasi in quodam speculo se quotidie contemplaretur. Testaturque Hincmarus Rhemensis archiepiscopus, in præfatione opusculi 55, sua ætate librum hunc una cum sacrorum canonum libro in manus episcopi qui ordinabatur tradi solitum in ipsa ordinatione a metropolitano, obtestante illum ut in vivendo, docendo et judicando ita se gereret sicut ibi scriptum erat, quod episcopus se facturum promittebat.

Linea 4. — *Et multa bona alia quæ enumerare non possumus.* Nempe librum Sacramentorum, Antiphonarium, Commentarium in librum primum Regum, Expositionem in Cantica canticorum et in septem psalmos pœnitentiales, necnon regestum Epistolarum, de quibus videri possunt PP. S. Mauri in editione Operum S. Gregorii Magni.

Linea 10. — *Hic augmentavit in precatione Canonis.* De hac additione ita Joannes Diaconus libro II, cap. 17. « Sed et Gelasianum Codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit. In Canone apposuit : *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.* »

Linea 13. — *Hic fecit, ut super corpus.* Horum verborum, *hic fecit, ut super corpus beati Petri et beati Pauli apostoli missæ celebrarentur,* sensum esse puto : aut sanctum Gregorium restituisse veterem ritum operandi divinis super corpus apostolorum Petri et Pauli in eorum basilicis, qui fortasse sedente hoc pontifice cessaverat, quod in illis vetustate fatiscentibus sacra celebrari non possent (in Regesto enim epistolarum mandat Sabino subdiacono, res Ecclesiæ in Lucania et Brutiis curanti, ut ad instaurandas apostolorum basilicas trabes ex his provinciis Romam advehi curet. Vide librum XII, epist. 20, 21, 22 et 25); aut eumdem Gregorium decreto firmasse, quod moribus jam et consuetudine Romanæ Ecclesiæ erat servatum, super corpus nempe sanctorum apostolorum Petri et Pauli missæ sacrificium offerri. Sanctus enim Hieronymus, qui duobus circiter sæculis sanctum Gregorium præcessit, ritum hunc Romanorum pontificum opposuit Vigilantio, qui ausus fuit sanctorum martyrum cultum de medio tollere. « Male ergo facit », inquit S. doctor libro adversus eumdem Vigilantium, « Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria. » Imo, ut supra sepulcra quorumcumque martyrum sacrificia peragerentur, jam olim a sancto Felice papa (cujus ordinationem fixit illustrissimus æque ac el. præsul Blanchinus die tertia Januarii

Digitized by Google

anni Christi 269) erat sancitum, ut scribit in ejus Vita Anastasius : *Hic constituit supra sepulcra martyrum missas celebrari.* Unde non solum supra tumulos martyrum, sed etiam in loco ubi mortalem vitam cum immortali commutarunt, altaria erecta fuisse, Acta martyrum non raro docent, quæ apud eruditissimum Ruinartium possunt videri. Mos igitur celebrandi divina mysteria supra martyrum memorias, vel saltem non sine eorum reliquiis super altare, ita antiquus solemnisque fuit in Romana Ecclesia, ut ab hac ad cæteras ritus profluxerit nullum templum nullumque altare sine illis ædificandi. Testem hujus rei satis superque sit S. Ambrosium adducere, qui epistola 52 ad Marcellam sororem, ritum innuit proprium fuisse Romanæ Ecclesiæ templa dedicandi cum martyrum reliquiis, dum de se ipso ita loquitur : « Cum basilicam dedicare vellem, mihi tanquam uno ore impellere cœperunt dicentes : Sicut in Romana, sic basilicam dedices. Respondi : Faciam, si martyrum reliquias invenero. » Sanctorum deinde Gervasii et Protasii invenit corpora, Romanoque ritu basilicam dedicavit. Sed plura de hoc argumento qui desiderat, legat rerum liturgicarum scriptores, et præsertim cardinalem Bona libro primo, capite decimo nono.

PAGII.

Linea 2. — *Hic exposuit homilias.* Gregorius homilias XI in Evangelia, quarum nonnullas, a se dictatas, assistenti plebi per notarium recitari jusserat, quasdam vero ipse pronuntiaverat, emendatas misit *ad Secundinum Tauromenitanum episcopum.* In earum præfatione ita habet : « Inter sacra missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, sancti Evangelii quadraginta lectiones exposui. Et quarumdam quidem dictata expositio, assistenti plebi est per notarium recitata; quarumdam vero explanationem coram populo ipse locutus sum, atque ita ut loquebar ita excepta est. » Hoc autem anno 592, Gregorius absolvit conciones omnes illas quadraginta, cum trigesima octava in basilica sancti Clementis hoc eodem anno dicta esse noscatur, dum a tempore illo ingruentis in Urbe pestilentiæ biennium ibi numeret cum res tunc gestas recenset. Quare cum pestilentia anno 590 in Urbe sævierit, hæc homilia 38, anno 592 certo habita est.

Linea 3. — *Super Ezechielem.* Annus quingentesimus nonagesimus quintus toti Italiæ calamitosus fuit, cum Longobardorum rex Agilulphus non solum civitates sibi per Romanum Ravennatensem exarchum ereptas, furore percitus iterum cepit, sed et ipsum agrum Romanum maxima depopulatione vastavit, ut constat ex Paulo Diacono lib IV, cap 7. Nihilominus Gregorius papa hoc eodem tempore, flagitante populo, difficillimas Ezechielis prophetias pro concione interpretabatur. Quod quidem a miratione dignum visum est, ut videlicet potuerit in tanto Urbis discrimine in his philosophari, et populus in eodem periculo constitutus conciones tales ab eo exigere. Sanctus Gregorius tamen vix tunc a cœptis est violenter abstractus, ubi vallata Urbe, vulnera civium, vincula atque cædes est oculis contemplatus. Has in Ezechielem prophetam homilias, a notariis, dum eas coram populo diceret, exceptas, postea idem pontifex emendavit, et ad Marinianum episcopum misit.

Ibid. *Job lib.* XXXV. Sanctus Gregorius Moralia in Job, de quibus nondum locuti sumus, rogante S. Leandro, virisque religiosis, quibuscum Constantinopoli conviveBat, dum sedis apostolicæ apocrisiarium apud Tiberium imperatorem ageret, concepit, perfectumque opus eidem Leandro Hispalensi episcopo nuncupavit. Opus illud moralis evangelicæ promptuarium est, concionatoribus et animarum curatoribus ac directoribus diligenter et assidue legendum.

Ibid. *Dialogorum lib.* IV. Inter hæc autem idem sanctissimus pontifex, laboribus et angustiis fatigatus, ad modicum temporis spatium solitudinem repetiit. Cum enim collegisset res præclare gestas sanctissimorum virorum Italiæ, eorum potissimum qui sua ætate vixerunt, quas vel ipse probe sciret, vel a viris fide dignissimis accepisset, diligentissimam in his curam impendens, easdem per dialogismum prosecutus est, interlocutorem adhibens Petrum diaconum, virum a pueritia sibi usu amicitiæ intimum, quem in solitudinem secum duxerat. Quæ omnia ipse in exordio operis pluribus aperit. Eos vero quatuor Dialogorum libros elaboratos anno 593, sui pontificatus quarto, ejusdem Gregorii sæpe in eodem opere testificatione certum redditur; dum de peste agens quæ Urbem vexavit eo anno quo ipse pontifex creatus est, ante triennium accidisse affirmat lib IV Dialog., cap. 16, 36 et alibi. Iidem Dialogorum libri postea a Zacharia papa e Latino in Græcum conversi sunt, ut tradunt Anastasius in ejus Vita, et Photius in sua Biblioth. cod. 252. Saxonice vero iidem libri versi sunt ab Alfredo, Saxonum Occidentalium rege, sed hæc versio interiit.

Nonnulli auctores non solum heterodoxi, sed etiam catholici, libros Dialogorum sancti Gregorii Magni esse negarunt, Gregorio II qui propterea *Dialogus* a Græcis appellatus sit, hoc opus tribuentes. Verum hi refelluntur ipsius Gregorii Magni epistola 1 libri secundi, indictione XI, ad Maximinianum Syracusanum episcopum, et ex initio libri secundi Dialogorum, ubi scripturus Vitam sancti Benedicti, ait accepisse se quæ de eo dicturus est, a quatuor ejusdem sancti discipulis, quorum adhuc duo in vivis erant; quæ certe dicere non potuit Gregorius II, centum quinquaginta annis junior. His accedunt auctorum, qui post sanctum Gregorium vixerunt, testimonia, qui summo consensu Dialogos illi tribuerunt. Ii autem sunt S. Paterius, ipsius discipulus, in Testimoniorum libro ex omnibus S. Gregorii operibus collecto; Taius Cæsaraugustanus episcopus, qui florebat anno 630, in Collectaneo ex Operibus S. Gregorii, quinque in libros diviso; S. Ildefonsus Toletanus archiepiscopus lib. de Script. Eccles. cap. 1, Julianus ejusdem Ecclesiæ episcopus in Prognostico futuri sæculi; Beda lib II. Hist., cap. 1. Paulus Diaconus et Joannes Diaconus in vita S. Gregorii, et alii quamplures a Natali Alexandro sæc. VI, cap. 3, art. 16, laudati, ubi et omnes adversariorum objectiones solvit. Quare Gregorius II perperam a quibusdam Græcis, *Dialogus* dictus est, hoc enim nomen sancto Gregorio Magno proprium esse ob editos Dialogorum libros perspicuum est.

Ante secessionem Gregorius, universalis Ecclesiæ curam gerens, quam plurimas ad diversos variis de rebus epistolas dedit. Epistola 39 libri secundi, ad Petrum subdiaconum Campaniæ, puellam servituti obnoxiam, monasticam vitam amplecti cupientem, redimi Ecclesiæ pecunia voluit, ut voti compos effici posset. Epistola 9 libri tertii, ad Januarium episcopum Calaritanum, adversus Judæos decernit, ne eorum ancillæ vel servi, ad ecclesiam confugientes illis redderentur; et epistola 37 libri secundi, ad Libertinum præfectum Siciliæ, mancipia Christiana a Nasate Judæo empta reddi libertati mandat, ipsumque puniri, quod lucri causa captandi, Eliæ prophetæ nomine erexisset altare, invitans Christianos ad ejus cultum. Cumque audisset in angulo quodam Siciliæ adhuc reperiri quosdam idololatras et angelorum cultores (quæ Judæorum hæresis erat), loci episcopum Eutychium admonuit pro eorum conversione strenue laborare, epistola 60 libri secundi, ad ipsum data. Denique tot se occupationibus et tribulationibus detentum fuisse anno 593 epistola 64 libri secundi ad Narsetem patricium, mense Augusto, indictione XI data significat, ut, quod ipse ait, neque legere, neque per epistolas multa loqui liceret; oblitumque se esse manducare panem suum a voce gemitus sui. Quæ videntur in causa fuisse cur secessum quæsierit; illæ enim omnes epistolæ datæ sunt ante mem-

Digitized by Google

sem Septembrem, sola excepta epistola 9 libri tertii, quæ data est mense Septembri, quo quartus ejus pontificatus annus incœpit, et quo se in secessu Dialogorum libros scripsisse, testatur. Unde conjicio Gregorium in solitudinem secessisse, et libros Dialogorum scribere cœpisse circa finem Septembris ejusdem anni 593, cum mensibus Octobris, Novembris et Decembris nullæ in ejus Registro epistolæ datæ reperiantur; non quod aliquas ex eo secessu non scripserit, sed, ut conjectura est, admodum paucas, quæ ad nos non pervenerunt. In eodem Registro ante mensem Maium anni 594, tres tantum exstant ejus epistolæ, quarum duæ datæ sunt mense Januario, et una mense Aprili, quod me monet suspicari non tam brevem fuisse ejus secessionem, ut existimat Baronius.

Lin. 3.—*Et Pastoralem.* Sed cum inter hæc, non solum pestis reliquiæ Urbem vexarent, verum etiam ventorum vehementia eadem conquassata esset, ac Longobardorum infestationibus incursaretur, diraque premeretur fame, ipse Gregorius, quo magis increbrescere vidit mala, eo fortius ad ea superanda animi virtute surgens, hoc ipso pontificatus sui exordio, præclarissimum de *Pastorali Cura* Commentarium elucubravit, occasione accepta litterarum Ravennatensis episcopi, quibus ab eo redargutus fuerat, quod pastoralem curam delitescendo fugere voluisset. Tanti habitus fuit in Galliis Pastoralis ille sancti Gregorii liber, ut pleraque Galliæ concilia eum legere episcopis jusserint, ejus monitis insistere et præcepta exsequi, ut Turonense canone 3; Cabilonense II, can. 4, anno 813, et Aquisgranense, can. 4, anno 836 celebrata. Imo Hincmarus Rhemensis archiepiscopus in præfatione opusculi LV testatur sua ætate in more positum fuisse ut Pastorale S. Gregorii M. una cum libro sacrorum canonum in manus episcopi qui ordinabatur, traderetur in ipsa ordinatione a metropolitano, obtestante illum ut ita servaret in vivendo, docendo et judicando, sicut ibi erat scriptum; quod et episcopus ipse spondebat. Hoc libro docet Gregorius quantum sit officii pastoralis pondus, quam ægre suscipiendum, et qua exsequendum cura. Quatuor in partes hunc librum distribuit. In prima explicat qualis ad episcopatus culmen venire quis debeat; in secunda docet qualem se in ipso regimine pastor debeat exhibere; in tertia explicat quomodo pastor docere debeat; in quarta denique docet pastorem, qui suo tam sancte munere fungitur, ad semetipsum redire debere, *nec recta respicere quæ egit, sed quæ agere neglexit*, tandemque librum sic concludit: « Ecce bone vir, reprehensionis meæ necessitate compulsus, dum monstrare qualis debeat esse pastor invigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Sed in hujus quæso vitæ naufragio orationis tuæ me tabula sustine, ut quia pondus proprium deprimit, tui meriti me manus levet. » Ita sanctus pontifex, humilitate maximus. Liber ille S. Gregorii ab Anastasio Antiocheno non multo post in Græcum sermonem versus, sed versio interiit. Saxonice etiam nono sæculo eumdem vertit Alfredus, seu Aelfridus, seu Aluerdus, occidentalium Saxonum rex.

Ibid. *Et multa bona alia.* Agendum nobis superest de operibus sancto Gregorio suppositis. Et primo quidem Expositio in septem psalmos pœnitentiales non est fetus S. Gregorii, nec alicujus auctoris ei æqualis, et ex modo loquendi de regia et imperiali auctoritate in eo usurpato, apparet illum Commentarium editum Gregorio VII sedente, et Henrico IV imperante, cui melius quam Mauritio aut Phocæ attribui possunt quæ auctor imperatori exprobrat, quod nempe schismate Ecclesiam sciderit, et simonia pacem Ecclesiæ turbarit. Non desunt tamen qui censent eam septem psalmorum pœnitentialium expositionem Gregorio VII adjudicandam esse, uti notavit Petrus Gussanvilla in ultima editione operum S. Gregorii Magni.

A Commentarius in libros Regum videtur etiam suppositus S. Gregorio, nam Paterio Romanæ Ecclesiæ notario, sanctique Gregorii discipulo, omnibusque antiquis, qui vel testimonia ex S. Gregorii operibus collegerunt, vel ea commemorarunt, vel eorum testimonia laudare solent, fuit incognitus. Deinde auctor hujusce Commentarii vulgata Scripturæ sacræ versione utitur; sanctus autem Gregorius Italica et Hieronymiana, et multa loca non eo modo affert quo solet S. Gregorius, ut ostendit laudatus Operum ipsius editor in præfatione tom. III. Præterea stylus a Gregoriano discrepat. Denique S. Gregorius de libris quidem Regum sermones habuit ad populum, sed illos scripto tradere præ infirmitate non potuit. Excepti autem sunt a quodam abbate Claudio, sed non juxta mentem sancti doctoris, ut ipse queritur epistola 22 libri X.

Linea 8. *Misit servos Dei Mellitum, Augustinum.* In Eleutherio papa diximus, ex Anastasio et ex Beda
B lib. I, cap. IV, Hist. Eccles. Anglorum, Evangelium a Britannis publice susceptum fuisse sub Lucio eorum rege. Sed cum medio sæculo quinto Britanni ab Anglis et Saxonibus ex insula expulsi fuissent, ea ad idolorum cultum iterum rediit. Quare Gregorius, qui, ut mox diximus, ante pontificatum de Anglorum conversione cogitaverat, anno 596 eam aggressus est, Augustino, monasterii S. Andreæ in Urbe a se præfecto, cum sociis in Angliam misso, cumque multiplicibus litteris ad reges Francorum et diversos Galliarum episcopos datis commendavit. Exstant ea lib. V Registri Gregoriani ab epistola 52 ad 59. Augustinus anno 597 a Virgilio Arelatensi episcopo ordinatus est episcopus, indeque in Britanniam reversus, Ethelbertum Cantii regem baptizavit, et in die Nativitatis Domini, indictione prima, anno 597, Kalendis Septembris inchoata, plus quam decem millia Anglorum baptizati sunt, ut scribit Gregorius in epistola 30 libri VII, ad Eulogium Alexandrinum episco-
C pum mense Junio sequenti data. Cum postea Augustinus sancto Gregorio suggessisset multam quidem esse messem in Anglia, operarios vero paucos, misit idem pontifex « plures cooperatores, ac veri ministros, in quibus primi et præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus; et per eos generaliter universa quæ ad cultum erant, ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, et vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum, et sacerdotalia, vel clericalia indumenta; sanctorum etiam apostolorum ac martyrum reliquias, et codices plurimos, » inquit Beda laudatus cap. 29, ubi et refert epistolam a Gregorio ad Augustinum, tunc Cantuariensem episcopum, scriptam, datamque die decima Kalendarum Juliarum, indictione quarta, anno 701 currente, qua significat se ei pallium dirigere, cujus usum ei concedit *ad sola missarum solemnia agenda;* simul et insinuat qualiter episcopos in Britannia constituere debeat.

In decretali epistola a sancto Gregorio ad Augu-
D stinum, qui eum de nonnullis consulnerat, quæ exstat etiam apud Bedam laudatum cap. 27, et in Registro Gregorii est 31 libri XII, mentio est vicariatus apostolici Augustino concessi, non quidem conceptis verbis, sed ex consequentia, ut colligitur ex septimo Gregorii responso ad interrogationem Augustini, qui ab ipso petierat qualiter deberet cum Galliarum et Britannicarum episcopis agere. Respondit Gregorius: « In Galliarum episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus, pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. » Cum pallio igitur conjuncta erat dignitas vicarii sedis apostolicæ, quam adimere Arelatensi episcopo noluit Gregorius. Porro privilegium illud personale tantum fuit, non vero perpetuum, ut manifeste colligitur ex epistola Gregorii ad Augustinum numero superiori laudata; cum præterea constet Cantuarienses archiepiscopos nonnisi de

Digitized by Google

post ista tempora factos fuisse vicarios Romani pontificis, ita ut Ecclesiæ illius episcopus diceretur legatus natus sedis apostolicæ. Ita Baluzius in supplemento lib. v de Concordia Sacerdotii et Imperii, cap. 42, num. 9, juxta ea quæ habet Marca lib. vi, cap. 7, num. 3, ubi ait, ævo divi Gregorii invaluisse usum ut Romanus pontifex pallio ornaret metropolitanos, quibus vices suas in provinciis committebat, uti archiepiscopum Thessalonicensem, et Justinianæ primæ sive Bulgariæ metropolitam; et in Galliis, Arelatensem. Verum de usu pallii, temporibus in quibus versamus, non est una constansque omnium sententia, ut videre est apud Garnerium in appendice ad notas capitis 4 libri de Ordine Romano. Sufficiat hic observare episcopos Britanniæ Augustino Cantuariensi a Gregorio subjici, his verbis quæ leguntur in fine septimi responsi: *Britanniarum vero omnes episcopos tuæ fraternitati committimus.*

Linea 10.—*Hic augmentavit in precatione Canonis.* Gregorius antiquum Missale Gelasianum, seu codicem de Missa recognovit. Nam Joannes Diaconus in ejus Vita a Mabillonio sæculo I Benedictino recitata hæc scribit lib. II, cap. 2: « Sed et Gelasianum codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit. » Tam Gelasii, quam Gregorii Missalia in abbatia Centulensi, sive sancti Richarii anno 831 exstasse, diximus in Gelasio. Ex libro Pontificali, et ex Beda lib. II Hist. Eccles., cap. 1, addidit Canoni missæ hæc verba: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari*, quod idem scribit Joannes Diaconus in ejus Vita. In missa orationi pro defunctis alia subnectitur incipiens: *Nobis quoque peccatoribus.* In hac autem aliquot sancti recensentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non est. Ii sunt ex diversis ordinibus selecti, ex diaconis Stephanus, ex apostolis Matthias, ex discipulis Barnabas, ex episcopis Ignatius, ex summis pontificibus Alexander, ex presbyteris Marcellinus, ex clericis minorum ordinum Petrus, ex conjugatis Felicitas et Perpetua; cumque nullæ essent ex virginibus, Gregorius Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam et Anastasiam huic parti Canonis adjunxit, ut scribit Aldelmus episcopus lib. de Virginitate, cap. 25.

SOMMIER.

Linea 8. — *Misit servos Dei Mellitum, Augustinum*, etc. Diximus in Eleutherio quod olim rex Britannorum Lucius ab eo pontifice Evangelii præcones efflagitans impetraverat eorumdem missionem fieri, quorum opera Christi fides in iis partibus nuntiata erat et Ecclesia fundata. Verum postmodo Anglo-Saxones idololatriam iterum advexere in eam insulæ partem, quam antiquis Britannis abstulerant. S. Gregorius, antequam pontifex crearetur, de illorum conversione sollicitus, in se onus illud suscipere, iis nempe fidem prædicare deliberaverat. Cum autem illud exsequi tum temporis nequivisset, postea factus Ecclesiæ caput ejus in rei memoriam rediit, electumque ob id monachum Augustinum, quem suo monasterio S. Andreæ præfecerat, eo misit aliis missionis sociis eidem datis. Plures iis litteras commendatitias tradidit ad reges Franciæ Theodoricum et Theodebertum, eorumque aviam Brunechildem variosque ad Galliarum episcopos, eos deprecans ut operariis hisce evangelicis præsidio essent, et adjumento in laboribus quos erant subituri. Suam iis benedictionem largitus est Deus eodem Gregorio teste lib. VII, ep. 30, ad patriarcham Alexandrinum: « Dum gens Anglorum, inquit, in mundi angulo posita in cultus lignorum ac lapidum perfidia nunc usque remaneret, ex vestræ mihi orationis adjutorio placuit ut ad eam monasterii mei monachum in prædicationem transmittere, Deo auctore debuissem. Qui data a me licentia a Germaniarum episcopis episcopus factus cum eorum quoque solatiis ad prædictam gentem in finem mundi perductus est: et jam nunc de ejus salute et opere ad nos scripta pervenerunt: quin tantis miraculis vel ipse vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant; ut apostolorum virtutes in signis quæ exhibent imitari videantur. In solemnitate autem Dominicæ nativitatis, quæ hac prima indictione transacta est, plus quam decem millia Angli ab eodem tuntiati sunt fratre et coepiscopo nostro baptizati. »

Hanc ob rem S. pontifex per litteras Augustinum hortatus fuit ut inter lætitiam et exsultationem, ob tantam rem, humilitatem et timorem Dei in suo corde servaret. Scripsit etiam ad regem ejus gentis, eum orans ut audiret foveretque illos qui subditis ei populis annuntiabant Christi regnum. Ad reginam pariter dedit litteras, cum Constantini imperatoris matre Helena illam conferens, eo quod Christianæ ambæ nationum, queis imperabant, corda ad evangelicam veritatem excipiendam disposuerant (*lib.* IX, *epp.* 58, 59, 60). Quo autem facilius eos populos ad Christi fidem pertraheret, litteras etiam dedit ad alios Evangelii præcones, quos Augustino suppetias ferre jusserat, in hanc sententiam: « Diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi; videlicet quia fana idolorum destrui in ea gente minime debeant, sed ipsa quæ sunt in eis idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur; altaria construantur; reliquiæ ponantur; quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari; ut dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat: et Deum verum cognoscens, et adorans ad loca quæ consuevit, familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitio SS. martyrum quorum reliquiæ hic ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis solemnitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant; ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est. Quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur. » (*Lib.* IX, *ep.* 71.)

Præterea usum sacri pallii Augustino concedens, eidem præscripsit qualia deberet fundamenta ponere ad recentem eam Ecclesiam stabiliendam: « Ut per loca singula, inquit, duodecim episcopos ordines, qui tuæ ditioni subjaceant, quatenus Londoniensis episcopus civitatis semper imposterum a synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta et apostolica, cui auctore Deo deservio, sede percipiat. Ad Eboracam vero civitatem te volumus episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinandum: ita ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, ut metropolitani honore perfruatur: quem tamen fraternitatis tuæ volumus dispositioni subjacere. Post obitum vero tuum ita episcopis, quos ordinaverit, præsit, ut Londoniensis episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit vero inter Londoniæ et Eboracæ civitatis episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. » (*Lib.* XII, *ep.* 15.)

Idem Augustinus de aliquibus rogavit pontificem circa disciplinam et mores; ad quæ pontifex singillatim respondens: « 1. Mos apostolicæ sedis est, inquit, ordinatis episcopis præceptum tradere ut de omni stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: una videlicet episcopo et familiæ ejus

Digitized by Google

propter hospitalitatem et susceptionem; alia clero; A tertia vero pauperibus; quarta ecclesiis reparandis. » (*Lib.* XII, *ep.* 31.) Cum autem Augustinus monasticæ disciplinæ assuetus esset, eum idcirco monuit ne viveret seorsum a clero, at recentem Angliæ Ecclesiam eo pacto institueret, quo exoriens Ecclesia instituebatur, in qua omnium nemini ulla res erat propria, at omnia erant communia. Ad cætera respondit :

2. Quod clericis ad sacros ordines non promotis nubere volentibus segregatæ portiones dandæ erant. Communiter autem viventes quod spectat, nil sibi suppetere ait circa hospitalitatem ab iis exercendam faciendasque eleemosynas, nisi quod erogandum iis erat omne superfluum in pia opera, Domino dicente : Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

3. Quod circa ritus et cæremonias ecclesiasticas potestatem ei faciebat consuedines ex aliis Ecclesiis, quas optimas duceret, congerendi, æque iis conficiendi Rituale pro Anglorum Ecclesiis.

4. Quod circa eorum punitionem, qui Ecclesiæ detrimentum important, patremfamilias imitari oportet : « Sic enim aiens, nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos et pro culpis verberibus feriunt; et tamen ipsos, quos doloribus affligunt, habere hæredes quærunt, et quæ possident, ipsis servant, quos irati insequi videntur. » (*Ibid.*)

5, 6, 7. Declarat, quod duo germani fratres singulas sorores possunt ducere : prohibet tamen nuptias inter duorum fratrum duarumve sororum filias, aut filios; si qui vero infidelitatis tempore ejusmodi nefando conjugio admisti fuerint, eos abstinere deinceps jubet, neque ob id a communione sejungit : eos contra excommunicari præcipiens, qui post conversionem similia conjugia contraxerint.

8. Circa ordinationem episcoporum, vetat posse fieri absque sociis, quos ex Gallia petendos ait : « Et quidem in Anglorum Ecclesia in qua adhuc solus tamen episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter, nisi cum episcopis potes. Nam quando de Galliis episcopi veniunt, illi in ordinationem episcopi testes tibi assistant... Cum igitur, Deo auctore, ita fuerint episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor episcopis fieri non debet. » (*Ibid.*)

10. Prægnantes mulieres, nec non parientes, enixasque una cum earum sobole præsertim si mortis periculum adsit, baptizari oportere docet. In nova lege nullum mulieribus præfinitum esse tempus, quo si pepererint, arceantur. Ad earum vero concubitum non debere viros accedere, quoad ablactentur liberi; qua in re consilium dedit, non præceptum. Et infra : « Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum; quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. » (*Ibid.*)

Linea 10. — *Hic augmentavit in precatione canonis*, etc. Ante Gregorium Gelasius meliori ordine digerendum curavit divinum officium ac præsertim Liturgiam : S. Gregorius, Gelasianum Rituale recognovit, multa detrahens quæ sive ab apocryphis auctoribus desumpta censuit, sive inconnexa et minus B apta judicavit. Aliquot commutatis, aliquot adjunctis unum volumen confecit : « Gelasianum Codicem, » ait Joannes Diaconus : « De missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit. » (*Vit. S. Greg.* lib. II, c. 17.) Volumen istud Sacramentarii nomine nuncupatur, in eoque ordo missæ reperitur ita dispositus : Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, qui dici consuevit ab episcopis Dominicis ac festis diebus, cæteris vero presbyteris illud dicere haud permittebatur præterquam die Paschatis. Oratio. Apostolus, sive Epistola. Graduale, seu Alleluia. Evangelium. Oratio super oblationibus. Præfatio. Sanctus. Oratio præparatoria ad consecrationem, quæ desuevit. Canon, cui S. Gregorius hæc adjecit : *Diesque nostros in tua pace disponas : atque ab æterna damnat one nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.* In *Nobis quoque peccatoribus*, ubi sanctorum fit mentio qui variis ex conditionibus sunt petiti, quia C virginum nullum nomen occurrebat, B. Gregorius posuit nomina sanctarum Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Anastasiæ (Aldem. *lib. de Virginit.*, c. 25). Post *Agnus Dei* variæ sunt orationes, collectæ et secretæ. Variæ Præfationes pro variis anni diebus Dominicis, festis ac ferialibus. Postremo fiunt oblatæ benedictiones pro variis rebus et exorcismi, qui debent baptismi administrationem præcedere.

LXVII. SABINIANUS.

ANNO CHRISTI 604, PHOCÆ IMPERATORIS 2

114 Sabinianus, natione Tuscus, de Civitate Ulera [a], ex patre Bono, sedit annum unum, menses quinque, dies novem [b]. Eodem tempore fuit fames in civitate Romana gravis. Facta autem pace cum gente Longobardorum, et jussit aperire horrea Ecclesiæ, et venundari frumentum populo per solidum unum [c] tritici modios triginta. Hic in ecclesia beati Petri apostoli luminaria dedit [d]. Quo defuncto, funus ejus ejectum [e] est per portam sancti Joannis, et ductum est foris muros civitatis per pontem Milvium. Qui et sepultus est in ecclesia beati Petri apostoli, die 22 mensis Februarii. Hic Ecclesiam de clero implevit. Hic episcopos fecit per diversa loca numero sex et viginti, et cessavit episcopatus menses 11, dies 26.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, Volaterra. [b] *B*, menses 5, dies 19. [c] * per solidos 13, *B*, pro modio sol 30. [d] * addidit [e] * evectum.

Digitized by Google

VARIAE LECTIONES.

Ex Farnesiano codice LXVII.

Num. 114, *lin.* 1, Savinianusn. T. de civitate Biera de patre Bono. *lin.* 2, fuit famis in civitate Roma gravis. Tunc facta pace. *lin.* 6, funus ejus ejectus est per portam sancti Joannis; ductus est foris muros civitatis pontem Mulvium: qui sepultus est, *etc.*, mense Februario.

Ex codice Vallicellano.

Linea. 1, ex patre Bono, de civitate Bleda. *lin.* 2, eo tempore. *lin.* 3, tunc fecit pacem cum gente Langobardorum, et fecit aperiri. *lin.* 4, per solidos XIII, tritici modios XXX. *lin.* 5, luminaria addidit. *lin.* 6 et 7, *deest verbum* est *post* ductum. *lin* 7. per pontem Molbii. Qui sepultus est in basilica beati Petri apostoli; hic Ecclesiam de clero implevit. Hic fecit episcopos per diversa loca XXVI.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 1, *AB*, Savinianus. *A* civitate Blera. *lin* 2, *B* dies 8. *lin* 4, *B*, per solidum unum 30 menses. *lin.* 8, *A*, die 21; *B*, 6 Kalend Mart. *lin* 9, *B*, viginti 6, depositus est sub die 11 mensis Februarii.

A

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, Tuscus ex patre Bono, de civitate Bleda, s. *lin* 2, eo temp. *lin* 3 gravis. Tunc fecit pacem cum g. L. et fecit aperiri h. E. et ven fruta pop per solid 13, tritici modios XXX; *additur* c. *in utroque exemplari. lin* 5, luminaria addidit. *lin* 6, evectum est per por S. J. et ductum foras muros. civit p. P. M. qui sepultus est in basilica beati Petri apost. Hic ecc de cl. imp. Hic fecit ep per diversa loca 26.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, Blera. *lin* 3, tunc facta pace cum gent. Longobard et i. aper ri h. e. et ven frumenta pro solido 1, mod 30, *lin* 5, lum addidit. *lin* 8, apostoli. Hic eccl.

Apud Pemam ex codice Cavensi.

B *Lin* 2, famis. *lin* 7, civitatis pontem Molvium. *lin* 9, num. XXVI

NOTÆ VARIORUM.

BALDINI.


Linea 3. *Jussit aperire horrea Ecclesiæ, et venundari frumentum populo per solidum unum tritici modios triginta.* Minus æquum erga Sabinianum papam cardinalis Baronius se præbet, cum ad annum Christi 605, ejus obitum referens, scribit: « Scripti codices repentini ejus obitus causam terribiliorem afferunt, cujus totius rei gestæ tragœdiam Sigebertus ita summatim complexus est. « Cum Sabinianus pa- « pa et ipse liberalitati Gregorii prædecessoris sui « derogaret, Gregorius eum per visum ter pro culpa « tenaciæ, et hujus derogationis increpatum, quod « non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans, et comminatus in capite percussit; quo ille « dolore vexatus non multo post mortem obiit. » Cujus rei gratia accidit, ut eo defuncto (ut habet Anastasius) non ex more per mediam civitatem deferretur cum funebri pompa ejus corpus ad basilicam S. Petri, sed ejiceretur extra Urbem per portam S. Joannis, deferreturque extra muros usque ad pontem Milvium, inde vero inferretur in ipsam S. Petri ecclesiam, ubi est sepulturæ mandatum; exasperatum enim fuisse adversus eum populum Romanum eo quod triticum Ecclesiæ non erogasset (ut Gregorius consueverat) in pauperes; sed venum exposuisset triginta solidis modium unum. »

Quibus documentis usus fuerit Sigebertus in concinnanda ea narratiuncula exploratum non habeo, et qui fuerint illi scripti codices in quibus Baronius illam eamdem legerit, cum ipse non dicat, divinare non possum. Sigebertus scribebat ad annum circiter 1101, post Sabiniani obitum fere quingentis annis; eumdemque iniquioris animi in pontifices Romanos fuisse satis ostendunt partes ab eodem susceptæ in causa Henricorum IV et V, adversus Gregorium VII ejusque successores Urbanum II et Paschalem II. Ea propter Natalis Alexander in c. 1 ad sæculum septimum Historiæ ecclesiasticæ, ex Sigeberto et Baronio recitatis illis iisdem de Sabiniano, pronuntiat esse illa apocrypha *cum nullo antiquitatis monumento nitantur.* Quid? si facile ostendi possit ex Anastasio Sabinianum fuisse haud illiberalem, cum horrea Ecclesiæ aperuit, seque minime degenerem prædecessoris Gregorii probasse, a cujus tamen liberalitatis exemplis multum abfuisse Sigebertus affirmavit? Fame non Urbs tantum, sed Italia omnis afflictabatur anno 605, ex testimonio Pauli Diaconi: « Hoc anno, *inquit*, fuit hiems frigida nimis, et emortuæ sunt vites pene in omnibus locis, messesque percussæ uredine passim evanuere. » Jussit C Sabinianus horrea Ecclesiæ aperiri, quæ utique clausa erant, « et venundari frumentum populo per solidum unum tritici modios triginta. » Sic Anastasius. Adhæreo huic lectioni, quam veriorem judico, et a qua fortasse alii recesserunt præeunte Sigeberto. Modius genus erat mensuræ apud Romanos, tertia pars amphoræ, capiens congios duos cum dualbus tertiis partibus congii. Accipio libens pro communi mensura congium, vas notissimum penes Romanos, qui ad congium cæteras mensuras, tam liquidorum quam aridorum, revocabant, indeque congiarium appellavere donum illud, imperatorum liberalitate datum populo. Exstat in ædibus Farnesianis, temporis edacitatem hominumque imperitorum injurias evasus, integerrimus et elegantissimus congius, Flaviæ gentis patris filiique nominibus insignis, additis siglis P. X, indicantibus *pondo decem*, pondus nimirum decem librarum. Continet ille libras decem aquæ, uncias videlicet centum viginti et libras septem cum semisse tritici, scilicet uncias nonaginta. Modius propterea capit aquæ libras viginti tres cum quatuor unciis, tritici vero libras viginti. Sabinianus igitur apertis horreis Ecclesiæ jussit venum ire libras sexcentas tritici pretio unius solidi.

Nomen *solidi* in re nummaria serius usurpatum est apud auctores linguæ Latinæ, et sæculo tantum Constantiniano adhiberi cœpit, primusque, quem sciam, fuit Lampridius, qui in Vita Alexandri Severi pro aureo solidum substituit. Notabilis est lex unica lib. X, tit. 76, *de argenti pretio, quod thesauris infertur*: « Jubemus ut pro argenti summa, quam quis thesauro fuerit illaturus inferendi auri accipiat facultatem, ita ut pro singulis libris argenti qui nos solidos inferat. » Pro singulis unciis auri numerabantur sex solidi, ut aperte tradit non minus eruditione et doctrina quam dignitate eminentissimus cardinalis Norisius in dissert. de Numismate Liciniani Licinii tom. II editionis Veronensis, col. 1150, D ubi inquit: « Etenim ex lege 13, *de susceptoribus*, emissa a Valentiniano seniore A. 367, ac laudato superius rescripto Honorii, dato anno 395, septuaginta duo solidi libram auri conficiebant; solidus vero valebat Romanæ monetæ denarios, seu, ut vocant, julios viginti quinque, ut erudite tradit doctissimus J. Fridericus Gronovius lib. IV de pecunia veteri, cap. 25, et alibi passim ex Dione lib. LV. » Per allatam legem quinque solidi jussi sunt æquivalere uni libræ argenti. Honorius vel fortasse variantem solidi valorem definito ejusdem pondere fixit,

Digitized by Google

vel auctor fuit Arcadio ut utriusque nomine dicta lex ferretur. Signata lex est Constantinopoli impp. Arcadio et Honorio AA., Cæsario et Attico coss. Illustratur hinc atque explicatur singularis nummus æreus tertiæ magnitudinis in regio Parisiensi thesauro asservatus, cujus pars antica refert caput Honorii corona gemmata revinctum cum epigraphe D. N. HONORIUS AUG., postica vero figuram muliebrem stantem cum bilance in dextra, et cornucopiæ in læva cum litteris EXAGIUM SOLIDI.



Est autem exagium idem ac exactum justumque pondus, seu *certæ ponderationis genus*, ut inquit Cujacius. Libra itaque argenti, cujus pretium æquant quinque solidi, erit juliorum centum viginti quinque, et uncia, juliorum decem cum quinque duodecimis; uncia vero auri, quam sex solidi complent, continebit valorem centum quinquaginta juliorum : nempe per ea tempora erat aurum ad argentum ut quatuordecim cum duabus quintis ad unum, in eadem ferme ratione in qua nunc est

Redeundo itaque unde discessimus, Sabinianus jubens vendi triginta modios tritici unum solidum, taxavit libras sexcentas tritici pretio viginti quinque juliorum : quod in maxima frumenti charitate eximiæ liberalitatis exemplum est, qua et ecclesiarum oneribus, et pauperum inopiæ insimul opportune consuluit; obque eam rem magnopere laudandus fuerat, non reus agendus. Hanc porro lectionem Anastasii præferendam esse illi qua Baronius usus est, inde facile est colligere quod si uni modio tritici a Sabiniano constitutum fuisset pretium triginta solidorum, ut Baronius legit, viginti libræ tritici constitissent septingentis quinquaginta juliis; quod immane pretium intolerabile fuisset, nec ea ratione jussisset pontifex aperiri horrea Ecclesiæ, sed claudi, ablata videlicet facultate universo populo emendi triticum.

Animadversione etiam indiget quod Baronius Anastasio ascribat, pro causa delationis corporis defuncti pontificis per portam S. Joannis extra muros Urbis ad ecclesiam S. Petri, eumdem assignare populi exasperationem ob auctum tritici pretium; cum Anastasius recitet quidem funus ductum extra portam S. Joannis, sed neque præter consuetudinem id factum fuisse adnotet, neque ullam ejus rei causam afferat ut legenti textum fit palam.

BENCINI.

Linea 2. — *Fuit fames.* Hæc pariter descripta sunt ex Paulo Diacono, lib. IV, cap. 30, qui, narrato Gregorii obitu, subjungit : « Cujus in locum ad apostolatus officium Sabinianus est ordinatus. Fuit autem tunc hiems frigida nimis, et mortuæ sunt vites pene in omnibus locis. Messes quoque partim vastatæ sunt a muribus, partim, percussæ uredine, evanuerunt. » Eadem leguntur apud Agnellum loco mox laudato, pag. 130.

Linea 3. — *Facta autem pace.* His afferre lucem possunt quæ habet Paulus ibid. c. 33 : « Rex Agilulphus pacem fecit cum Smaragdo patricio in annum unum, accipiens a Romanis duodecim millia solidorum. Civitates quoque Tusciæ, hoc est Balneum Regis, et Urbs vetus a Longobardis invasæ sunt. Tunc enim mense Aprili et Maio apparuit in cœlo stella, quam cometem dicunt. Dehinc Agilulphus rex iterum fecit pacem cum Romanis tribus annis. »

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Sabinianus.* Postquam, defuncto beato Gregorio, sedes apostolica mensibus quinque et novemdecim diebus vacasset, ipsis Kalendis Septembris, anno Christi nati 604, Sabinianus non sine tumultu (ut ex Bonifacii successoris illius constituto colligere licet) electus fuit. Hoc tam Latini quam Græci omnes confirmant. Qua auctoritate igitur fretus scribat Nicephorus Callistus quemdam Innocentem sancto Gregorio subrogatum fuisse, non video.

Linea 2. — *Fuit fames in civitate Romana.* De hac fame Paulus Diaconus lib. IV, cap. 9, ait : « Fuit hiems frigida nimis, et emortuæ sunt vites pene in omnibus locis, messesque percussæ uredine passim evanuere. » Hujus famis tempore, in detestationem avaritiæ contigisse videtur illud miraculum, quod sub pontificatu Sabiniani Sigebertus in Chronico verbis hisce describit : « Hoc tempore, inquit, pauper quidam cum a nautis eleemosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero : Desiste petere a nobis eleemosynam, qui nihil præter lapides habemus; dum subjecisset pauper : Omnia ergo vertantur in lapides; quidquid manducabile in navi erat, in lapides conversum est, colore et forma rerum eadem permanente. »

Linea 6. — *Quo defuncto.* Causam repentini obitus Sabiniani pontificis terribiliorem affert Sigebertus in Chron. his verbis descriptam : « Cum Sabinianus papa et ipse liberalitati Gregorii prædecessoris sui derogaret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ et hujus derogationis increpatum quod non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans et comminans in capite percussit. Quo ille dolore vexatus, non multo post mortem obiit. »

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Post S. Gregorii mortem non diutius vacasse apostolicam sedem, quam menses 5, dies 18, testantur præter cod. Anastasii vulgatum quatuor alii Codd. quibus utitur V. C. Ludov. Ant. Muratorius, Catalog. Farensis, et Lucensis, qui per librarii errorem pro

Digitized by Google

XVIII habet XXIII, ex facili mutatione V in X. Huc accedit auctoritas Freherianorum codd. Regii, Mazarini, et utriusque Thuani, qui dies licet 19 uno plus numerent, diem emortualem includunt, nihilque penitus chronologiam perturbant. Hanc unanimem catalogor. et codd. auctoritatem, cui Ordericus suffragatur, Antonius Pagius conatus est reprehendere, interpontificium ad menses sex diemque unam protrahens; quam feliciter, ex infra dicendis palam fiet. Equidem catalogor. et codd. consensui adhærens, ut Papebrochium fecisse video, et a S. Gregorii morte menses 5, dies octodecim, seu novemdecim die scilicet emortuali inclusa, enumerans, 30 Augusti mensis invenio litteram Dom. D prænotatam, quam esse ipsam ordinationis Sabiniani haud dubie agnosco. Sabinianus igitur, M. Gregorii olim apocrisiarius apud aulam Cp., die 30 Augusti, anno 604, ordinatus, sedit annum 1, menses 5, dies 8 seu 9, ut constantissime omnes tradunt. At in diebus manifestus est error aut ex duplici numeratione V semel pro mensibus recte adhibiti, iterumque perperam adjuncti diebus, ita ut ex IIII sint facti VIIII, aut ex additione V. Undecunque autem natus sit error, Sabiniani duæ depositiones memorantur in Cod. altero Freheriano, qui loquens primum de depositione ad S. Petrum, ait, VI Kal. Mart., nempe die 24 Febr., sepultum esse; deinde de prima depositione, loquens : *Depositus est*, inquit, *die* II *mensis Februarii*, nempe die 2, ut expresse habet alter ex codd. Ambrosianis. Ita enim Romanus num. II accipi debet, non pro cifra Arabica, quod sæpe esse factum a librariis satis superque testatur tum specimen cod. antiquissimi membranacei a V. C. Muratorio exhibitum Italic. Script., ubi legitur : *Qui fecit ordinat. per mens. Marcio pbros* II, *diac.* II, dum editi habent (in III) : *Qui fecit ordinationem unam per mensem Martium, presbyteros* II, *diaconos* 2; tum etiam Baronius, qui II pari modo interpretatus, Severino, contra omnium antiquorum fidem, pro duobus mensibus undecim tribuit. Quare juxta hanc primam cod. Freheriani depositionem (puta in Lateranensi ecclesia) non dies 9 supra annum et menses quinque, sed dies 4 sedisse Sabinianus videtur; a die enim ordinationis 30 Aug. ad depositionem 2 Febr. die ordinationis de more inclusa, sunt an. 1, m. 5, d. 4. Nec modica inde lux affulget Anastasianæ historiæ; Sabiniani enim funus nova prorsus, neque antea, nec post audita ratione elatum refertur extra urbis mœnia per portam S. Joannis. Hanc vero narrationem certe aliqua causa fulcit; quare ut non credam anilem Sigeberti fabulam, quam Sigonius et post eum Baronius adoptant, mihi tamen cum Papebrochio persuadeo, aut aeris intemperiem, aut glaciem ingentesve pluvias impedimento fuisse, quin statim perque consuetam viam pontificis cadaver efferretur. Cæterum Sabinianus, cum sedisset, a die ordinationis 30 Augusti 604, annum 1, menses 5, dies 4, obiit diem suum 2 Februarii anni 606, ut docent codd. Marquardi Freheri et Ambrosianus alter, ejusque corpus in Lateranensi basilica interim depositum, die 22, sive ut alii codd. habent, 24 ejusdem mensis ad S. Petrum delatum est.

CIACONII.

Linea 1. — *Sabinianus*, Boni filius, Bleranus, Tuscus, diaconus cardinalis et apocrisiarius apostolicæ sedis. Constantinopoli apud imperatorem a S. papa Gregorio missus. Imperatore Phoca Augusto, sedit menses 4, dies 19 : creatus Kal. Septembris, consecratus die Dominico Idibus Septembris.

Linea eadem. *De civitate Ulera.* Erat autem *Blera* civitas Tusciæ mediterranea Catoni, Plinio Ptolomæoque, vulgo *Bieda* vocata, cujus etiam nunc vestigia x a Viterbo B. M. inveniuntur.

Linea 4. — *Per solidum unum tritici modios triginta.* Frumentum quidem populo dividi jussit, verum non gratuito ut Gregorius, sed pretio solidorum tredecim in singulos modios constituto.

MAFEI.

Linea 2. — *Fuit fames in civitate Romana gravis.* Tempore hujus charitatis, quo universa civitas ingenti rei frumentariæ inopia laborabat, narrat Sigebertus Gemblacensis in Chronico, ad annum 607, Sabinianum, beati Gregorii liberalitati derogantem, egenis alimenta subtrahendo, a Gregorio per visum tribus vicibus frustra avaritiæ reprehensum, quarta post horribilem increpationem in capite fuisse percussum, illoque dolore vexatum paulo post mortem obiisse. Hanc vero narrationem Sigebertus fortasse exscripsit ex sancti Gregorii Vita a Paulo Diacono exarata, quam sua ætate excidisse Baronius dolebat. Sed illam narrationem esse fabulosam, ex silentio præsertim Joannis Diaconi ostendi potest, qui cum Pauli Vitam certe perlegerit, ut patet ex his verbis Joannis circa finem : « Cujus nimirum venerabile meritum quousque mundi hujus orbita volvitur, ut cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiet incrementum : » quæ ipsa verba habentur etiam in Vita Gregorii a Paulo Diacono scripta : de hac tamen beati Gregorii in Sabinianum increpatione nullum verbum habet, etsi multis capitibus, circa finem, miracula sancti Gregorii exponens, quamplura id genus describit; quo loco hoc exemplum percensere debuisset, quod vel in primis ad laudem sancti Gregorii pertinebat, ut nemo est qui non videat. Hinc fit ut facile ad credendum adducar, tempore Joannis Diaconi in Vita Pauli hæc de reprehenso Sabiniano non exstitisse, fuisseque ea deinceps a male feriato homine assuta; aut si habebantur, eadem certe ita exsufflanda, utpote nullis idoneis documentis innixa, Joannes judicavit, ut in fusiorem sancti Gregorii Vitam, jussu Joannis VIII elucubratam, illa non inferenda censuerit. At Sigebertus, qui imperatori Henrico, Romanæ Ecclesiæ persecutori et rebelli, adhærens, contra ipsum S. Gregorium VII papam, morum innocentia spectabilem, scribere litteras et opuscula ausus fuit, hanc fabellam etiam suo Chronico intexuit, per quam Sabinianus Romanus pontifex male in sequentem ætatem audiret. Sed hoc commentum tum Anastasio nostro repugnat, qui Sabinianum laudat de clero amplificato, auctisque in S. Petri basilica religiosis luminibus; tum famæ, quam sui Sabinianus reliquit, comitatis nimirum et benevolentiæ, quæ exprimitur in epitaphio Vaticano, quod ex Manlio refert Aringus Rom. subterr. lib. II, cap. 8 :

Hic hominum vitia blando sermone removit,
Nec culpis judex, sed medicina fuit.

PAGII.

Linea 4. — *Per solidum unum tritici modios triginta.* Verum, inquit Papebrochius in Conatu Chronico Historico, quia nonnulla exemplaria Anastasii videntur de pretio frumenti habuisse, quod Sabinianus pro modio frumenti solidos triginta exigeret, fabulam quis excogitavit, qua propter tenacitatem a suo decessore S. Gregorio per noctem apparente increpitus, percussusque in capite, non multo post obiisse fingitur. Sed nihil tale quispiam antiquorum de vita et miraculis S. Gregorii scribentium, ne quidem Joannes Diaconus, qui tamen finem libri IV ejusmodi vindictæ exemplis, per duodecim capita deductis, implevit. Mirum proinde est, subdit Papebrochius, fabulæ isti, a Sigeberto temere relatæ, fidem adhibuisse Baronium, qui etiam eo trahit, quod Sabiniano *defuncto*, ut ait Anastasius, *funus ejus evectum est per portam S. Joannis, et ductum foras muros civitatis per pontem Milvium*, ad ecclesiam Vaticanam : quod ille præter morem factum esse putat, ad avertendam a corpore injuriam, ab irato populo metuendam, si per mediam urbem funus duceretur; cum aliæ multæ causæ hujus novi-

Digitized by Google

tatis, eæque aliqua Sabiniani laude conjunctæ, possent a benigno conjectatore excogitari.

Linea 6. — *Quo defuncto.* De gestis a Sabiniano nihil aliud ad nos pervenit, præter ea quæ ex Anastasio mox retulimus, qui subdit, cum sedisse *annum unum, menses quinque, dies novem*, et sepultum esse *in Ecclesia beati Petri Apostoli die XXII mensis Februarii.* Quare cum Regino in Catalogo Pontificum Romanorum, Hermannus Contractus in Chronico, Ordericus lib. 2. et Honorius Augustodunensis, annum etiam unum, menses quinque et dies novem Pontificatui Sabiniani assignent, ex ipso Anastasio colligitur ejus ordinationem peractam esse die XIII. Septembris anni DCIV., et ejus mortem contigisse die XXII. Februarii anni DCVI.

LXVIII. BONIFACIUS III.

ANNO CHRISTI 606, PHOCÆ IMPERATORIS 4

115 Bonifacius, natione Romanus, ex patre Joanne Cataaudioce, sedit menses octo, dies viginti octo [a]. Hic obtinuit apud Phocam [b] principem, ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat [c]. Hic fecit constitutum [d] in ecclesia beati Petri, in qua sederunt episcopi septuaginta duo, presbyteri Romani triginta quatuor, diaconi et omnis clerus, sub anathemate, ut nullus pontifice vivente, aut episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato clero et filiis Ecclesiæ, tunc electio fiat, et quem quisque voluerit habebit [e] licentiam eligendi sibi sacerdotem. Qui defunctus, sepultus est in ecclesia beati Petri apostoli die duodecima mensis Novembris. Hic fecit episcopos per diversa loca numero viginti unum, et cessavit episcopatus menses decem, dies sex

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, 23. [b] * Jocam. [c] *Vide baron. ad ann. Domini* 606. [d] * *Id est*, decretum. *Vide Baron. ibid.* [e] * Quem voluerunt habeant.

VARIÆ LECTIONES.

Ex Farnesiano codice LVIII

Num. 115, *lin.* 1, Joanne Cataadioce, etc. menses VIII, dies XXII. Hic optinuit apud Focatem principem et sedis. *lin.* 5, in quo sederunt etc. presbyteri Rom. XXXIII, diaconi et clerus omnis. *lin.* 7, ut nullus pontificem viventem aut episcopum civitatis suæ præsumat loqui aut parentes sibi facere, *lin.* 9, et quis quem voluerit, etc.; quo defuncto sepultus est.

Ex codice Vallicellano.

Lin. 1, Bonifatius, *ubique ibid.* Cataadicem veladioce. *Hæc est varians lectio, quam forte in autographo antiquarius noster ad oram codicis notatam invenit. ibid.* sedit annos VIIII, dies XXVIII. *Hic perperam 9 anni pro totidem mensibus numerantur. lin.* 2, apud Focam principem. *lin.* 3, ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana. *lin.* 5, beati Petri apostoli, in quo resederunt. *lin.* 6. p. R. XXXIII *lin.* 6, 7, et clerus omnis. *lin.* 8, præsumeret loqui, aut partes sibi facere, nisi tertia die depositionis ejus, adunato clero, et filiis Ecclesiæ : et quem voluerint, habeant licentiam eligendi sibi, etc. *lin.* 11, B. Petri apostoli. Hic fecit episcopos. *lin.* 12, *Deest vox* numero. *lin.* 13, mensem I, dies VI.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 1, *A*, cata audiace; *B*, catadioce. *lin* 2, *AB*, dies 22, dicta. *lin ead AB*, Phocatem. *lin* 6. *B*, Romani 33, *lin* 8, loqui de electione. *lin* 11, *B*, 2 Novemb.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, Catadioce, sedit ann. 8. *Sic emendatum in R. cod.* (*M*, ann. 19), d. 28, *lin* 2, Focam. *lin* 3, ecclesiarum, quia eccl. *lin* 5, Petri apost. *lin* 6, Ro. 30, diaconi 3, et clerus omnis sub a. *lin* 8, nisi tertia d. *lin* 9, et quem voluerunt habeant. *lin* 11, apostoli. Hic fecit ep. p. d. *lin* 12, et cess. ep. mens. 1, dies 6.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, Cata adioce. *lin* 2, dies 22. *lin* 5. Petri Ap. *lin* 6, 32. *lin.* 9, et tunc el. fiat.

Apud Peniam ex codice Cavensi

Lin 2, optinuit aput Focatem. *lin* 7, clerus omnis. *lin* 9 *et* 10, et quis quem.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic obtinuit apud Phocam principem, ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum.* Id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Bonifacius III impetravit a Phoca ut Ecclesia Romana prima omnium Ecclesiarum diceretur, quia Constantinopolitana se primam jactabat propter imperii sedem illuc translatam. (Sigebert. *in Chronic. ad ann.* 607; Otho Frising. *Chronic.* lib. v, cap. 16; Amoin. lib. IV, cap. 4; Lupold. Babeng. *de Jur. Regni*, cap. 1.

Linea 5. — *Hic fecit constitutum sub anathemate, ut nullus pontifice vivente, aut episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere,*

Digitized by Google

nisi tertio die depositionis ejus, adunato clero et filiis Ecclesiæ; tunc electio fiat; etc. Bonifacii III decretum est, ne Rom. pontificis electio fiat, nisi post tertium diem depositionis, id est, sepulturæ defuncti. Can. *Nullus*, 76 dist., cap. *Bonæ memoriæ. de Elect.*

BENCINI.

Linea 2. — *Hic obtinuit apud Phocam.* Eumdem Paulum Warnefridi, verbis licet, sive arte, sive inscitia, commutatis inversisque exscripsit Anastasius. Hæc enim ille ibid. cap. 37 : « Hic rogante papa Bonifacio statuit sedem Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia CPna primam se omnium Ecclesiarum scribebat. »

Linea 5. — *Hic fecit constitutum.* Hoc Bonifacii ac successorum pontificum ambitum in electionibus comprimendum emanavit. Namque præcipuarum sedium Ecclesiæ habere consueverunt nonnullos velut candidatos, qui ut a vivente præsule designarentur, interdum non sine schismatis labe contendebant. In Antiochena Ecclesia, cum Meletium inter et Paulinum de episcopali gradu contenderetur, sex erant candidati. Quamobrem Flavianus presbyter ejusdem Ecclesiæ, jubente Theodosio imper., ad avertendum, quod invaluerat, schisma, advocavit Meletium, Paulinum cæterosque idoneos, affectantesque cathedram episcopalem, ascitoque partis utriusque populo, singulos jurejurando astrinxit ea de causa, quam recolit Socrates l. v, c. 5 : « Cum eos omnes qui ad episcopatum gerendum idonei videbantur, collegissent; erant autem sex numero, inter quos etiam erat Flavianus : eos sacramento adegerunt, ut altero e duobus episcopis mortuo, nemo ipsorum episcopalem sedem ambiret. » Paria scribit Sozomenus lib. VII, c. 3 : « Populo igitur ex utraque parte concitato, cum seditio futura expectaretur, admirabile quoddam concilium prævaluit, quo ad concordiam revocarentur. Placuit enim ut jurejurando sese astringerent ii qui ad regendum ejus loci episcopatum idonei esse putabantur sperabanturve, ex quibus erant tum alii quinque, tum Flavianus; se neque ambituros, neque electione ipsorum facta, episcopatum suscepturos esse, quandiu Paulinus et Meletius superstites essent; altero autem mortuo, passuros se, ut alter episcopatum solus obtineret. Igitur jurejurando in has conditiones præstito, universa fere plebs ad concordiam rediit. » Equidem Romæ archidiaconus infulas pontificales plerumque adipiscebatur, erantque fere designati pontifices qui archidiaconatu insignirentur.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Bonifacius*, quem S. Gregorius apocrisiarii munere fungentem miserat ad Phocam imperatorem.

Linea 2. — *Hic obtinuit apud Phocam.* Quidquid Phocas concessit, præter morem suorum antecessorum fecit in odium Cyriaci episcopi, a quo se impeditum aiebat, quod Germanus patricius, imperii perduellis, justam sceleris vindictam effugisset, ut ait Theophanes.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Pontificis Sabiniani mortem diuturna sedis vacatio excepit, mensium nempe undecim, dierum sex et viginti, qua in re catalogi fere omnes et codices auctoresque apud Pagium consentiunt. Ea propter Pagio ipsi nihil de spatio illo detrahere visum est. Sedis autem vacationem minime deduci oportere a 22 Febr., quæ dies excludi non potest, quippe non emortualis, sed sepulturæ, planum est; secus enim dies 17 Febr. occurrit anni 607, quæ coincidit cum feria sexta, quem in scopulum ob male constituta Sabiniani primordia Pagius offendit, et quasi bidui discrimen susque deque habendum esset, ordinationem Bonifacii transfert ad diem Dominicam, quæ 19 Febr. respondet, quod adeo abhorret a chronologica fide, ut satis inde agnosci possit non Pagium Anastasio, sed Anastasium Pagio deservire. Ineundi igitur videntur menses 11, dies 26; interpontificii ab ipsa emortuali die Sabiniani 2 Februarii anni 606; quibus rite enumeratis ac postremis exclusis, dies 29 Januarii sequentis anni 607 fit obvia, quæ cum litt. Dom. A prænotetur, Bonifacii ordinationem non obscure indicat. Solit autem pontifex menses 8, dies 22, ut habent Freheriani codd. et Thuanus alter cum primo et secundo Ambrosianis (licet in primo anni duo ante menses lapsi sint), necnon complures catalogi, præsertim Blanchinianus inedit., Ordericus et A. A. apud Pagium : quare vulgato aliisque habentibus dies 28, non est cur fides adhibeatur. At 29 autem Januarii tempore sedis elapso, non dies 12 Novembris, ut habet Anastasius, sed XII Kal. Novembris, nempe 21 Octobris occurrit, ipsamque esse Bonifacii depositionis diem cum pridie obierit diem suum, subsequens vacatio sedis demonstrat, ut dicam. in Bonifacio IV, hujus successore. Pagio et hic biduum deest, quare pontificis mortem ægre constituit 19 Novembris, mirari se aiens cur bidui difata fuerit sepultura. Utrum hic etiam Bonifacius III, quem biduum certo certius successori evenisse videbimus, et præ lecessori Sabiniano jam vidimus contigisse, post plures dies ad Ecclesiam S. Petri delatus fuerit, quæve accederent causæ cur ita fieret, affirmare non ausim; video tamen, ex supputatione temporum quæ interpontificiis et sedibus assignantur, annos adamussim impleri, ut subjician oculis in Bonif. IV. Huc accedit quædam epigraphe ex Vitoniano codice primum a Papebrochio, deinde ab Ant. Pagio desumpta quæ, tametsi mendosissima, fidem tamen facit Anastasii narratis de Bonifacio III. Ea vero sic se habet :

HIC REQUIEVIT BONEFATIUS QUI SEDIT
MENSES VII. DIES XXXII.
DEPOSITUS PRIDIE IDUS NOVEMBRIS
IMPERANTE DOMNO PP AUG. A. VI. IND. XI [a].

In hac certe epigraphe, ut vides, deest mensis, dies decem superfluunt, et tribuitur Phocæ annus 6, cum a die coronationis 23 Novembris 602 quintum solummodo numeraret; ipsa tamen cum Anastasio confirmat diem depositionis ad S. Petrum 12 Novembris. Ne autem putes emortualem, satis docent ipsius Papebrochii, qui primus eam vidit, a signata epoche discessio, ut videre est in Conatu hist.; et Pagii, qui eam amplexus fuit, dura necessitas ab unanimi omnium consensu discedendi, ut fecerat in interpontificio post Gregorium; qui enim ibi dies quatuordecim adjunxit, ut Sabiniani mortem assequeretur, hic supra viginti detrahere eum compulit dies ordinationis successoris certa. Haud dubie igitur juxta calculos Anastasii Bonifacius III, cum sedisset a die ordinationis 29 Januarii 607 menses tantum octo, ac dies 22, mortem occubuit die 20 Octobris ejusdem anni, ac die postera depositus in Lateranensi eccl., die duodecima sequentis mensis in ecclesia S. Petri fuit sepultus. Quæ chronologia nullis quidem monumentis confirmatur, quia difficillimæ illius ætatis culpa nulla suppetunt, verum a die ordinationis ac duratione sedis successoris astruitur.

CIACONII.

Linea 1. — *Bonifacius.* Imperatore Phoca sedit menses octo, dies 25, ut Nicephorus est auctor; creatus et ordinatus IX Kal. Martias, die Dominico.

Linea 2. — *Ut sedes apostolica B. Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum.* Cum res Mauritii inertia sub Gregorio transigi non posset, eo mortuo sub Bonifacio III ab imperatore Phoca ita constituta est ut Romanus pontifex juxta apostolica dogmata,

[a] Pagius addit Foca.

Digitized by Google

et vetustissimam SS. Patrum traditionem, primum omnino locum retineret, secundum vero Constantinopolitanus antistes. Ita Beda in libro de Temporum Ratione, et Paulus Diaconus, et lib. XVIII Romanæ Historiæ Eutropio adjunctæ. Additumque ut *papæ* nomen, quod omnium vocabulorum Episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus pontifex (cum ante omnibus commune esset episcopis) retineret; cæteri vero quatuor episcopi præcipuarum sedium, videlicet Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, et Jerusalem, *patriarchæ* vocarentur. Ex his porro episcopus Constantinopolitanus *œcumenici* nomen, quod initio usurpaverat, etiam continuavit, et præsertim post Photium; atque ita scribere solitus est: *N. Miseratione divina archiepiscopus novæ Romæ Constantinopolis et œcumenicus patriarcha.* Episcopus vero Romanus superbi nominis ambitioso titulo semper abstinuit, neque alio quam humillimo nomine, videlicet, *N. episcopus, servus servorum Dei,* vel *catholicæ Ecclesiæ episcopus* se appellavit.

A

B

MAFEI.

Linea 2. — *Hic obtinuit apud Phocam.* Episcopi Constantinopolitani, qui primum episcopo Heracleensi subjacebant, procedente tempore jus metropoliticum in Heracleensem aliasque Ecclesias mutata vice exercuerunt. Deinde imperatorum potestate fulti inter antiquos patriarchas cooptati, in concilio Constantinopolitano II et in Chalcedonensi secundum post Romanum pontificem locum consecuti sunt; repugnante licet sancto Leone, qui Chalcedonensem canonem ea de re promulgatum, tanquam supposititium, absolutoque concilio per fraudem adjectum, reprobavit. Tandem œcumenici titulum cœperunt usurpare, quem tanta cordis elatione Joannes Jejunator Constantinopolitanus patriarcha ostentabat, ut beatus Gregorius, nominis superba novitate jure commotus, plures in eumdem litteras scripserit, cum ad Orientis patriarchas, tum ad Mauricium imperatorem, quicum nihil profecit: quandoquidem Mauricio patrocinante assumptum titulum ad mortem usque Joannes retinuit, ejusdem etiam insistente vestigiis Cyriaco, qui Joanni fuit suffectus. Bonifacius vero III a Phoca sanctionem obtinuit, qua cavebatur ne Cyriacus cæterique Constantinopolitani patriarchæ sese deinceps œcumenicos dicerent; atque, ut inquit Anastasius hoc loco: « Hic obtinuit apud Phocam principem, ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esse omnium Ecclesiarum, id est Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. » Hujus vero Cæsareæ sanctionis hic sensus est: Phocam sententia sua declarasse œcumenici titulum, non patriarchæ Constantinopolitano, sed Romano pontifici, beati Petri successori, deberi; non autem, ut inepte quidam sentiunt, primatum in Romanam Ecclesiam a Phoca primum invectum fuisse, cum ante Phocam Romani pontifices in omnem Ecclesiam jurisdictionem exercuerint, in Africa, in Ægypto, in Asia atque etiam in ipsis finibus patriarchatus Constantinopolitani, ut ecclesiasticam historiam vel levi, quod aiunt, brachio attingenti est exploratum.

Ad nomen vero œcumenici quod attinet, longe ante Phocam S. Leoni Magno ipsum oblatum fuisse constat a synodo Chalcedonensi, in qua lecti sunt libelli supplices ad sanctum Leonem dati, relatique in synodicas tabulas, in quibus hoc honorifico vocabulo sanctus Leo insignitur: Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ, καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι. Cæterum beatus Gregorius ab hoc œcumenici episcopi nomine refugit, servumque servorum Dei, quæ singularis animi ejus demissio erat, se voluit inscribere: quod non ita accipiendum est ut Gregorius amplissimam Romanorum pontificum in tota Ecclesia jurisdictionem non agnoverit, quam sæpius et facto ostendit et litteris declaravit; sed eo sensu œcumenici appellationem rejecit, quo per eam unus in universa Ecclesia astrui vellet episcopus, perinde ac nulli alii præter ipsum in toto orbe fuissent episcopi.

C

D

PAGI.

Linea 2. — *Hic obtinuit apud Phocam*, etc. Hic pontifex obtinuit a Phoca imperatore, quod Pelagius II et Gregorius impetrare non potuerant, ut Constantinopolitanus episcopus œcumenici nomen non amplius usurparet. Hic enim imperator, petente Bonifacio, qui eumdem sibi demeruerat, dum esset Constantinopoli apostolicæ sedis apocrisiarius, professus est solum Romanum pontificem esse dicendum œcumenicum, seu universalem episcopum, quod disertis verbis testatur Anastasius: « Hic obtinuit, inquit, apud Phocam principem, ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. » Hujus Phocæ imperatoris decreti meminit etiam Paulus Diaconus totidem fere verbis lib. IV, cap. 11, de Gestis Longobard. Baronius, Binius et alii volunt Phocam edictum illud edisse in odium Cyriaci episcopi Constantinopolitani, in quem exacerbatus erat. Sed hæc conjectura non videtur admittenda, cum Cyriacus obierit mense Octobri anni 606 et Thomas magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus die 23 Januarii anni 607 ei suffectus fuerit, antequam Bonifacius ordinaretur Romanus pontifex. Quare, cum nullibi constet illud decretum in ejus odium editum esse, quid vetat dicere Phocam, cum bene nosset Ecclesiam Romanam jure divino primatum semper tenuisse super omnes totius orbis Ecclesias, ex æquitate causam illam dijudicasse, cum præsertim constet eum erga Romanos pontifices propensum fuisse, ut videtur in Bonifacio IV? Ex quibus corruit, quod Baronius ait, Cyriacum mœrore consumptum, quod Phocas id decretum edidisset, diem suum obiisse.

Linea 10. — *Qui defunctus.* Cum ex epitaphio Bonifacii III, quod exstat in codice ms. Virdunensis cœnobii sancti Vitoni, in quo post Damasi versus referuntur quædam epitaphia Romanorum pontificum, constet hunc pontificem obiisse die decima Novembris anni 607, dicendum est Anastasium, quando dicit eum sepultum *in ecclesia beati Petri apostoli die duodecima mensis Novembris*, interpretandum esse non de die mortis, sed de die quo terræ mandatus est, ideoque Bonifacium sedisse menses octo, dies viginti duos, ut testantur tria exemplaria mss. Anastasii, unum Colbertinum et duo Frehseriana, posterior catalogus Corbeiensis, Ordericus lib. II, Luitprandus, Abbo et Hermannus Contractus.

SOMMIER.

Linea 2. — *Hic obtinuit apud Phocam*, etc. Pontificatum Bonifacii III insignem reddit edictum quod hic pontifex impetravit ab imperatore Phoca pro apostolica sede. Jam diximus in Pelagio II et in Gregorio M. quod Cpolitani patriarchæ Joannes Jejunator et Cyriacus, œcumenici nomen usurparunt, cui audaciæ cunctis viribus ii pontifices restiterunt; quamquam nec patriarchas cogere, neque imperatorum assensum obtinere unquam potuerint, ut injuriosus ille ac tumidus titulus supprimeretur; quam rem Bonifacius III impetravit.

Non pauci e recentioribus hoc edictum ab imperatore factum autumant pro Romana Ecclesia in odium patriarchæ Cyriaci, a quo certis occasionibus prohibitus fuerat Ecclesiæ immunitatem violare. Id vero, præterquam quod mera conjectura est, satis labili nititur fundamento; nam constat Cyriacum præmortuum Bonifacio, qui ad Petri cathedram ascendit anno 607, dum ille anno 606 clauserat supremum diem.

Quidquid autem sit de hac epoche, nihil apud veteres hanc rem tradentes occurrit quod talem con-

Digitized by Google

curam roboret. Anastasius ait pontificem a Phoca obtinuisse ut Ecclesia Romana caput esset Ecclesiarum, quia Ecclesia Cp. primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Et Paulus Diaconus Hist. Long. lib. IV, cap. 11, iisdem fere verbis rem narrat. Quamobrem credi debet quod imperator, quem non latebat hanc esse unam ex prærogativis ab Jesu Christo concessis sanctæ sedi, semper cognitam ante id temporis, caput nempe esse omnium Ecclesiarum mundi, jure prohibuit ne Cp. patriarcha eam prærogativam usurparet, namque id apostolicæ sedi detrimentum inferebat.

LXIX. SANCTUS BONIFACIUS IV.

ANNO CHRISTI 607, PHOCÆ IMPERATORIS 5.

116 Bonifacius, natione Marsorum, de civitate Va erna, ex patre Joanne medico, sedit annos sex, menses octo, dies tredecim. Hujus temporibus famis, pestilentiæ et inundationes aquarum gravissimæ fuerunt. Eodem tempore petiit a Phocate [a] principe templum, quod appellatur *Pantheon*. In quo fecit ecclesiam sanctæ Mariæ semper virginis, et omnium martyrum [b]. In qua ecclesia princeps multa bona [c] obtulit. Hic domum suam monasterium fecit, quod et ditavit Qui defunctus sepultus est ad beatum Petrum apostolum die 25 mensis Maii. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decemb.: diaconos octo, episcopos per diversa loca triginta quinque [d].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * A Phoca. *Vide Baron. ad ann Domini* 607. [b] * Martyrum Christi. [c] * Dona. [d] * *B.* 25.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXVIIII

Num. 116, *lin* 3, eodem tempore petiit a Focate principe templum, qui appellatur Pantheum. *lin* 6, multa bona optulit. Hic domum suam monasterium *fecit*, quem et dotabit. Quo defuncto, sepultus est ad beatum Petrum apostolum, die 25 mensis Madii. Hic etc. *lin* 9, episcopos per diversa loca XXXV, et cessavit episcopatus men. XI, dies V.

Ex codice Vallicellano.

Lin 2, fames. Hic petiit a Foca principe templum, quod Pantheon vocabatur. *lin* 4, Eccl. beatæ Mariæ. *lin.* 5 et omnium martyrum, et reliquias in ea collocavit. In qua ecclesia princeps multa dona obtulit. *lin* 7. Quo defuncto, sepultus est ad beatum Petrum apostolum. Hic fecit. *lin* 8, diaconos VIIII, episcopos per diversa loca XXXVI, et cessavit episcopatus menses VII, dies XXV.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 4, *B* ecclesiam beatæ ac gloriosissimæ et Dei genetricis Mariæ. *lin* 9, *B*, 36; *A*, cessavit episcopatus menses 6, dies 5.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 4, a Foca pr. t. q. Pantheon vocabatur. *lin* 5, martyrum Christi, et reliquias in ea collocavit. *lin* 6, dona obtulit. *lin ead.*, quod et dicavit (*M*, ditavit); quo defuncto sepultus est ad B. P. (*M*, ad S. P.) apost. Hic fecit ord. d. per mens. Dec., diac. 9, episc. per diversa loca 36; et cessavit episcopatus mens. 7, dies 25.

Ex codice Thuano altero.

Lin 2, annos 5, m. 9, d. t. *lin* 4, eccles. beatæ ac gloriosæ et Dei genitricis. *lin ead.*, Phocas princeps dona m. o. H. d. s. m. f. quam et d. q. d. s. e. a. B. P. Ap. Hic. *lin* 9, 36; et cessavit episcopatus m. 6, d. 25; depositus die 25 m. Maii.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 7, Magii.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 3. — *Eodem tempore petiit a Phoca principe templum quod appellatur Pantheon, in quo fecit ecclesiam sanctæ Mariæ semper virginis et omnium martyrum.* Hæc ecclesia dicta est sanctæ Mariæ ad Martyres. Anastas. in Paulo: « Ipse vero hoc agnito fugit in ecclesiam sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, quæ vocatur ad Martyres. » Sic dicta quia pontifex Kalendis Novembris celebrandam ibi instituit solemnitatem omnium martyrum, quæ postea transiit in solemnitatem omnium sanctorum. Sigebert. in Chronic. ad ann. 609: « Hic Pantheon Romæ a Phoca imperatore impetratum vertit in ecclesiam sanctæ Mariæ et omnium Martyrum, quæ postea crescente religione Christiana decreta est fieri in honore omnium sanctorum. » Hanc posteriores *Rotundam* vocarunt. Bertoldus Constantiens's presbyter in Chronic. ad ann. 1087: « Guibertus vero hæresiarcha, non magis ab incœpta perversitate cessavit, imo se apud sanctam Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incastellavit. »

Digitized by Google

BALDINI.

Linea 3. — *Eodem tempore petiit a Phocate principe templum quod appellatur Pantheon, in quo fecit ecclesiam sanctæ Mariæ semper virginis et omnium martyrum.* Optimo consilio sanctissimus pontifex Bonifacius IV templum toto orbe celeberrimum deorum omnium cultui ab ethnica superstitione dedicatum, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ omniumque martyrum consecravit, dato, vel fortasse etiam accepto a prædecessoribus pontificibus exemplo profana templa in sacra convertendi, retenta aliqua similitudine et veluti cognatione inter veterem novumque cultum; unde factum est ut Marti in beatæ Martinæ, et Romulo Remoque fratribus sacræ ædes in Cosmi et Damiani pariter fratrum honorem concederent. Pantheum dictum est templum omnium deorum, quo vocabulo usi etiam sunt antiquarii ad indicandum simulacrum in aversa parte quorundam veterum nummorum excalptum plurium deorum symbolis refertum. In æreo nummo Ægyptio maximi moduli, quem inter selecta numismata exhibet Petrus Seguinus, ab una parte cernitur caput laureatum Antonini Pii, et ab altera caput barbatum principalium numinum insignibus ornatum, inter quæ modius capiti impositus Serapidem designat, cornu arietinum Jovem Ammonem, trifida suscina Ditem patrem, atque etiam Neptunum, serpens eidem circumvolutus Esculapium, radiata coma Solem, sive Osirim, et cornucopiæ Nilum. Simili typo insculptam gemmam olim vidi. Id Pantheum dicunt.

Pantheum vel a fundamentis excitavit, vel incœptum absolvit, porticu certe ornavit M. Agrippa Augusti gener, ut nos docet fronti operis imposita inscriptio :

M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT.

De illo sic loquitur Dio lib. LIII : « Pantheon quoque perfecit Agrippa. Id sic dicitur fortasse, quod in simulacris Martis et Veneris multas deorum imagines acceperit, ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa fastigiatam cœli similitudinem ostenderet. » V. C. Ludovicus Demontiosius in libello inscripto, *Gallus Romæ hospes*, Romanis typis excuso anno 1585, quantivis pretii, singularem suam divinationem profert circa Panthei constructionem. Is negat eam fuisse formam Panthei, quam nunc refert, « quippe cum excelsum ex plano surgeret, inquit ille, hodie tredecim gradibus » (nunc duobus ascenditur beneficio Alexandri VII P. M., qui egesta terra, dextri lateris etiam partem porticus collapsam egregie restituit) « descenditur in porticum, multis ornamentis sub terra defossis et cum iis hoc loco Plinii, qui obrutus est eodem pene eventu. Quocirca ejusdem conatus fuerit utrique succurrere, ut et templum ipsum a fundamentis conspiciendum exhibeamus, et locum Plinii ex densa illa caligine, qua jamdudum premitur, proferamus in lucem. » Summatim percurram quæ C. auctor dilucide et ubertim describit, ut demonstret quæ olim forma Pantheo constiterit.


Primum observandum venit immutatam nunc multum apparere antiquam symmetriam. Cum latitudo templi modo altitudinem exæquet, opus evadit formæ quadratæ, scilicet ordinis Dorici, cum tamen duplex porticus, ostium templi, antepagmenta, supercilium, lumen, columnæ, omnia sint ordinis Corinthii. En hermaphroditum architecturæ genus, summa operis virilis, partes muliebres. Nulla igitur est hic symmetria, quæ nihil est aliud quam partium invicem et earumdem ad universum commensus. Improbabiturne opus celeberrimum, quod Plinius inter præstantiora orbis commemorat? Haud quidem, sed illud ad exquisitam architecturæ formam revocandum; nempe judicandum est tantum sub terra latere, quantum illi ad justam ordinis Corinthii symmetriam deest, ac propterea ad eam profunditatem præsens pavimentum effodiendum. quanta est inter rationes Doricas et Corinthias differentia.

Secundo loco Plinius caryatides Panthei commemorat; lib. XXXV, c. 5, ait : « Agrippæ Pantheum decoravit Diogenes Atheniensis, et caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum. » Quatuor ex illis erutæ ex terra, sub qua latebant, adhuc visuntur, duæ in Capitolio, et duæ in ædibus Chisiis, quas inhabitat dux Braciani. Quæ erat igitur illis in templo sedes? Plinti columnarum tenuiores sunt quam columnarum commensus exigat: pars itaque plinti a lithostrato occultatur. Sed occultantur pariter columnarum stylobatæ. Stylobatas autem in ejusmodi operibus apponi debere docet Vitruvius lib. VI, c. 3. At latitudo marmoris caryatidum eadem est ac plintidum et stylobatarum, eadem etiam marmoris species. Egesta itaque tellure et plinti emergant integri atque stylobatæ, et restituantur caryatides suis stylobatis, unde imperitorum manus divellerant.

Tertio Pantheum simulacra omnium deorum complectebatur, sed ubinam et quo ordine erant illa disposita, neque enim diis omnibus eodem loco sacra fiebant. Sextus Pompeius auctor est antiquos diis superis in ædificiis a terra exaltatis sacra fecisse, diis terrestribus in terra, diis infernalibus in effossa terra. In tribunali itaque Jupiter excelsa sede erat locatus, alii dii cœlestes in ædiculis illis quæ eminent in solida parte muri circa templi ambitum, dii terrestres in intercolumniis siti, infernales vero in effossa terra intra eam fornicationem quæ sub gradibus erat. Gradus porro a limine portæ incipientes ad eam profunditatem descendebant, quæ supradictam differentiam ordinis Dorici et Corinthii penitus absumeret. Et cum omnis diameter latitudinis templi sit palmorum 178, divisa diametro in 4 partes, tributaque utrinque quarta parte gradibus ab extremis ad intimum, duæ quartæ partes in medio pro templi area vacuæ remanebant, ut qui in intimo gradu constitutus suspiceret tholum, videret intimam quadrangulorum tholi circinationem intimæ graduum circinationi respondere. Inde facile conjicias architectum ie animo habuisse inferiorem partem templi quodammodo in hemispherii superioris figuram formare, ut inferiora superioribus responderent; alioquin pyramides tholi artifex produxisset, ut in aliis tectis rotundis, in quibus illæ colliguntur in flore, qui tecti tanquam umbilicus est. Sed præterea ita rationes hujus templi constitutæ fuere, ut extrinsecus in parte convexa tecti eadem graduum symmetria servata sit, ut non tantum inferiora superioribus, verum etiam exteriora interioribus congruerent.

Sic ex regulis artis divinabat circa Panthei formam ingeniosissimus Gallus, a quo abludere haud videtur Ammianus Marcellinus lib. XVI, vocando Pantheum *regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam*. Rem spero me facturum lectoribus jucundam si ob oculos posuero schema a clarissimo auctore delineatum, idque tanto utilius, quanto laudatus liber non est facile cuique obvius, et templi descriptio ex schematis intuitu evidentius constabit.

Digitized by Google



BENCINI.

Linea 4. — *Pantheon.* Quæ strictim Anastasius, eadem prolixius scripserat Paulus ibid. c. 57 : « Idem (*Phoca*), alio papa Bonifacio petente, jussit in veteri fano, quod Pantheon vocabant, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ et omnium martyrum fieri, ut ubi quondam omnium non deorum, sed dæmonum cultus erat, ibi deinceps fieret memoria sanctorum. »

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Bonifacius.* Decima octava die Septembris, anni 607, post interregnum decem mensium et sex dierum, creatus est pontifex Bonifacius, ejus nominis quartus, temporibus Phocæ. De Phoca imperatore apud Cedrenum et Nicephorum memorabile legitur illud, quod monacho quærenti : *Cur tam impium Christianis imposuisti imperatorem ?* Deus responderit : *Deteriorem illo alium inveniri non potuisse ullum, et hoc meruisse Constantinopolitanorum flagitia.*

Linea 3. — *Petiit a Phocate*, etc. Sic mirandum illud opus tot antiquorum scriptorum præconiis celebratum, a Marco Agrippa tertium consule tempore Augusti imperatoris erectum, Jovique Vindici consecratum post sexcentos triginta duos annos Christianæ religioni usui cessit.

A

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

De interpontificio duos inter Bonifacios III et IV omnes codd. catalogique sibi constant, decem videlicet mensium ac dierum sex ; totidemque a Bonifacii III obitu 20 Octobris an. 607 ad Bonifacii IV ordinationem 25 Augusti 608 numerantur, inclusis de more extremis. Diem vero 25 Augustini esse ipsam ordinationis Bonifacii, non modo lit. Dom. F, eo anno recurrens, demonstrat, sed certa depositionis dies certumque sedis ejus tempus, ut infra explicabitur, apertissime ostendunt. Nunc vero, ut facile assequi omnes valeant, nequidquam a Pagio virgulam esse adhibitam augendo ac minuendo, ut libuit, tempora ab eodem præscripta, oculis subjiciendam reor Anastasii Pagiique Chronologiam.

Chronologia Anastasii et Pagii.

12	M.	604.	Gregor.	ob.	V. S.	— 5,	18 [P. 6, 1]
B 30	A.	604.	Sabin.	ord.	S. 1,	5,	4 [P. 1, 5, 9]
2	F.	606.	Sabin.	ob.	V. S.	— 11,	26
29	J.	607.	Bonif. III.	ord.	S.	— 8,	22
20	O.	607.	Bonif. III	ob.	V. S	— 10,	6 [P. 9, 14]
25	A.	608.	Bonif. IV.	ord.		4, 5,	14

Huic annorum quatuor, mensium quinque ac dierum quatuordecim summæ si addantur anni 604, men-

Digitized by Google

ses ., dies 11, emortuali Gregorii inclusa, habebitur annus 608 diesque 25 Augusti, quam diximus esse ipsam ordinationis Bonifacii IV, ut idem Pagius agnoscit. At juxta chronologiam Pagii sunt anni 4, m. 5, dies 10; quare præter difficultates suis locis demonstratas, quatridui spatium desideratur ad implenda tempora; unde liquet Anastasio potius quam Pagio, cætera eruditissimo, inhærendum. Cæterum ad Bonifacii IV sedem quod attinet, non solum inter omnes constat eum sedisse an. 6, mens. 8, d. 13, verum, quod rem magis magisque astruit, epigraphe illius epitaphio subjecta, quam ex Mansii collectione Baronius et recentiores usurpant, ita habet :

HIC REQUIESCIT BONIFACIUS JUNIOR
QUI SEDIT ANNOS VI. M. VIII. DIES XII.
DEPOSITUS EST OCTAVO IDUS MAII
IMPERANTE DOMINO HERACLIO
ANNO EJUS QUINTO.

Qua epigraphe depositionis dies excluditur, ac proinde non tredecim dies, sed 12, numerantur, ita ut Bonifacius IV 7 Maii sit mortuus et juxta Anastasium et alios, qui habent dies 13, octava ejusdem mensis sit sepultus. Argumentum isto præclarius ad demonstrandum aliud esse depositionis seu obitus pontificum diem, aliud depositionis seu sepulturæ in S. Petri ecclesia, excogitari non potest. Plerique enim codd. et catalogi tradunt Bonifacium die 25 Maii esse depositum apud S. Petrum. Et quamvis Anton. Pagius suspicetur num de aliqua translatione agatur, bona cum venia nec septemdecim post dies loco motus esset, nec, si posterior translatio e pluribus, quæ factæ sunt, memoraretur, a scriptore haud dubie eorum temporum æquali vox *sepultus* adhiberetur ipso in contextu; cum præterea quæ multos post annos translationes factæ sunt, non ignorentur. Quamobrem utcunque sepulturæ solemnia apud Papebrochium memorata cum Pagio credi debeant apocrypha, tamen ad pontificiam chronologiam quod attinet, propius ille attigit punctum. Anno igitur 615, septima die Maii occumbens, octava sepelitur Bonifacius in Lateranensi ecclesia, et 25 ad S. Petrum effertur.

CIACONII.

Linea 4. — *Templum quod appellatur Pantheon.* Sanctissimus Bonifacius, detestatus idolorum cultum, Jovem inde deosque omnes expulit, ut Virgini Mariæ sanctisque omnibus ædes ea merito consecraretur, quæ nunc a forma circulari *Rotunda* a Romanis vocatur. Quam ædem donatam Ecclesiæ Christi a Phoca Augusto, Beda, gravis auctor ac fere illius ætatis, memoriæ mandavit; et post eum Valafridus in libro de Exordio et Incrementis rerum ecclesiasticarum, aliique. Fuit dedicatum hoc illustrissimum templum a Bonifacio IV, anno 610, die 13 Maii. Quo eodem die 28 curribus onustis fuere translata multa sanctorum martyrum corpora, ex diversis cœmeteriis urbis Romæ, et ibidem juxta aram maximam recondita, sexcentis triginta duobus prope annis postquam illud conditum fuerat in idolorum cultum, ad religionem Christianam translatum, nuncupatumque fuit *Sancta Maria ad Martyres*. Hic dies festivissimus et celeberrimus fuit Romanis, concurrentibus undique populis, ita ut famem inferrent Romano populo, cum frugum copia eo tempore angustior existeret. Quare Gregorius IV Romanus pontifex transferendum censuit ad Kalendas Novembris, quo tempore annona copiosior esse solet.

MAFEI.

Linea 4. — *Templum quod appellatur Pantheon.* A M. Agrippa, Augusti genere, insigni ob navalem victoriam contra Sextum Pompeium, templum hoc solidæ molis structura Jovi Vindici, vel Marti Venerique ædificatum, deorsum omnium imaginibus in eo positis τὸ τῶν θεῶν κοινὸν ἱερὸν potuit appellari. In tanta vero celebritate hoc ædificium habitum est, ut inter præstantissima Urbis opera enumeraretur, ad quod posteritati servandum Romani Cæsares sedulo incubuere. Illud enim vetustate collabens Adrianus restituit, ut Spartianus capite 19 testatur, idemque instaurarunt tum Antoninus Pius, ut scribit Capitol. capite 8, tum Septimius Severus, ut monet inscriptio apud Gruterum p. 1, n. 1.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS SEVERUS. . .
ET IMP. CÆS. M. AURELIUS ANTONINUS
PIUS. . .
PANTHEUM VETUSTATE CORRUPTUM
CUM OMNI CULTU RESTITUERUNT

Verum multo celebrius hoc templum evasit, cum, omni idolorum superstitione sublata, in honorem S. Mariæ ad Martyres uni veroque Deo fuit consecratum. Solemni etenim ritu B. Bonifacius IV illud purgavit, ditavitque ex cœmeteriis extra Urbem sanctorum martyrum lipsanis, cessitque in usum religionis Christianæ : unde exclusa multitudine dæmonum multitudo ibi sanctorum memoriam cœpit habere, ut ait Noster hoc loco, et Paulus Diaconus libro IV, capite 37, Vaticano epitaphio vetustissimo idem exprimente apud Manlium.

Gregorio quartus jacet hic Bonifacius almus,
Hujus qui sedis fuit æquus rector et ædis;
Tempore qui Phocæ cernens templum fore Romæ,
Delubra cunctorum fuerant quæ dæmoniorum,
Hoc expurgavit, sanctis cunctisque dicavit.

PAGII.

Linea 3. — *Eodem tempore petiit a Phocate.* Cum Bonifacius videret Phocam imperatorem propenso animo esse erga Romanos pontifices, ab ipso dari sibi petiit Pantheon, nobile Romæ delubrum, tot antiquorum scriptorum præconiis celebratum, a Marco Agrippa ter consule tempore Augusti erectum, Jovique Vindici consecratum; quod adhuc intactum remanserat a demolientibus dæmonum sedes Romanis Christianis. Cumque illud obtinuisset, expurgatum ab antiquæ sordibus idololatriæ, in honorem Dei genitricis Mariæ et omnium sanctorum martyrum (quorum plurimorum reliquiæ ex cœmeteriis extra Urbem positis eo translatæ sunt) consecravit. Hæc narrant Anastasius et Beda lib. II Hist. Eccles., cap. 4. Hæc ecclesia etiamnum Romæ visitur, diciturque *S. Maria Rotunda*, ob ædificii formam. Ejus dedicatio inscripta est Martyrologio Romano ad diem 15 mensis Maii, ubi appellatur *dedicatio ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Martyres*. Eam dedicationem Sigebertus in Chronico alligat anno primo Bonifacii, quem ait, « in Kalendis Novembris ibi instituisse solemnitatem omnium martyrum, quæ postea crescente religione Christiana decreta est fieri in honore omnium sanctorum. » De hac legendus Baronius in notis ad Martyrologium Rom. die 13 Maii et prima Novembris, quem tamen latuit Gregorium papam tertium hanc solemnitatem sanctis martyribus consecratam, postmodum in honorem sanctorum omnium ab omni Ecclesia observari decrevisse, ut habet Usuardus in suo Martyrologio. Vide etiam dicenda in Gregorio IV.

Linea 7. — *Qui defunctus.* Cum juxta Anastasium, Ordericum lib II, Abbonem, Hermannum Contractum in Chronico, et plures catalogos Bonifacius sederit *annos sex, menses octo, dies tredecim*, ad Deum migravit die septima Maii anni Christi sexcentesimi decimi quinti. Baronius refert ex monumentis Vaticanæ basilicæ a Manlio collectis ejus sepulcro inscriptum ejus epitaphium, in cujus fine legitur : *Hic requiescit Bonifacius junior, qui sedit annos* VI, *menses* VIII, *dies* XII; *depositus est* VIII *Idus Maii, imperante domino Heraclio, anno ejus* V, ubi tantum dies duodecim supra menses octo numera-

Digitized by Google

tur, quia dies septima Maii, quæ est emortualis, excluditur. Ex quibus et consequens est ejus ordinationem diei 25 Augusti a nobis recte affixam fuisse, et vacationem sedis post mortem Bonifacii III in Anastasio male descriptam esse. Colitur sanctus Bonifacius IV die 25 Maii, quo et Papebrochius in Actis Sanctorum Vitam ejus refert.

SOMMIER.

Linea 3. — *Eodem tempore petiit a Phocate principe templum quod appellatur Pantheon.* Hoc templum idololatriæ sordibus expurgatum vero Deo consecravit sub invocatione beatissimæ M. V. et omnium sanctorum martyrum. Ea occasione solemnitatem instituit in Urbe celebrandam quotannis Kalendis Novembribus in honorem ejusdem B. M. V. et omnium SS. martyrum; quam postea Gregorius IV celebrari jussit ab omni Ecclesia eodem stato die in honorem SS. omnium.

Templum istud ædificavit M. Agrippa, gener Augusti imp., post Actiacam victoriam, hodie *Capo Figalo*, contra M. Antonium et Cleopatram. Agrippa illud Jovi Vindici dicavit, appellatumque fuit Pantheon; seu quia simulacra omnium deorum qui Romæ colebantur, in eodem fuerunt posita; seu quia convexa ejus structura cœli speciem exhibebat, quod est Dei sedes.

Idem templum, tametsi ardore ingenti a Christianis cætera idolorum templa post conversionem imperatorum destruerentur, intactum remansit, ex lege, ut creditur, imperatoris Honorii, quæ sic habet: *Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari* (Leg 15, *de Pagan.* Cod Theod.). Hodie etiam integrum Romæ exstat, et dicitur ecclesia Rotundæ.

LXX. SANCTUS DEUSDEDIT.

ANNO CHRISTI 614, HERACLII IMPERATORIS 5.

117 Deusdedit, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annos tres, dies viginti quatuor [a]. Hic clerum multum dilexit, sacerdotes et clerum ad loca pristina revocavit. [b] Eodem tempore veniens Eleutherius patricius et cubicularius, Ravennam, occidit omnes qui in nece Joannis exarchi et judicis [c] reipublicæ fuerant misti. Hic venit Romam, et susceptus est a sanctissimo Deusdedit papa optime. Qui egressus de Roma, venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne Compsino Intarta [d]. Qui Eleutherius patricius pugnando ingressus est Neapolim, et interfecit tyrannum, reversusque est Ravennam, et data roga militibus, pax facta est in tota Italia. Hic constituit secundam missam in clero. Eodem tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto, indictione undecima [e]. Post hæc secuta est clades in populo, percussio scabierum, ut nullus potuisset [f] mortuum suum cognoscere. Qui defunctus et sepultus est ad beatum Petrum apostolum, die octava mensis Novembris [g]. Hic dimisit per obsequia sua [h], et ad omnem clerum rogam [i] unam integram. Hic fecit ordinationes tres: presbyteros novem [j], diaconos quinque, episcopos per diversa loca numero viginti novem. Et cessavit episcopatus mensem unum, dies sexdecim [k]

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, 23. *B*, *ann. tres minus dieb.* 5. [b] *Vide Baron. ad ann. Domini* 615. [c] *C*, ex judicibus. [d] Arcata. *B* intacta. [e] Sexta *C*. [f] *C*, posset. [g] *C*, Idus Novemb. [h] *C*, pro obsequiis. [i] Roga, *donatio est dicta ab erogando*. [j] *C*, 14. [k] Sex.

VARIANTES LECTIONES.

Ex Farnesiano codice LXVII

Num. 117, *lin.* 1, sedit annos III, dies XX. Hic. *lin* 3, venit E. P. et C. Rabenna, et occidit omnes qui in nece Johannis exarchi, et judicibus reipublicæ fuerant mixti. Hic benit Roma. *lin* 10, terremotus magnus mense Aug Indic VI. *lin* 11, percussio scabearum, etc. quo defuncto sepultus est.

Ex codice Vallicellano.

Lin 2, dies XXIII. *lin* 3, ad pristina loca. *lin* 3, 4, patritius. *lin* 4, *primis curis* emendavit, *secundis vero* occidit, *ut edit. lin* 5, et judicum reipublicæ mixti fuerunt. Et veniens Romam, susceptus est a sanctissimo papa optime. *lin* 6, a Roma. *lin* 7, a Johanne Campsivo Arcata. *ibid* patritius. *lin* 9. facta est pax. *lin* 10, terræmotus major. *lin* 11, indictione VI. Post hoc. *ibid* et percussio scabiarum. *lin* 12, ita ut nullus posset. *ibid* qui defunctus, sepultus est. *lin* 13, ad B. P. apostolorum principem. Hic dimisit. *lin* 14. *deest* et *ante* omnem. *lin* 15, presbyteros XIIII. *ibid* per diversa loca XXVIIII.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 2, *A*, dies 10. *lin* 6, *A*, sanctissimo domino Deusdedit papæ optimo. *lin* 7, *A*, Cumsino; *B*, Comsino, *ibid. B*, contra quem pugnando Eleutherius. *lin* 8, *B*, interfecit tyrannum, simulque cum eo multos alios. *lin* 9, *B*, hic constituit secundas missas in ecclesia. *lin* 11, *B*, indict. 6. *lin* 14, *B*, dimisit pro obsequiis suis. *lin* 15, *B*, presbyteros 14. *lin* 16, *AB*, dies 13.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 2, dies 23. *lin* 5, et judicum reipubl. misti fuerunt, et veniens Romam susceptus est a

Digitized by Google

sanctiss. papa opt. qui eg. a Roma. *lin* 7, areata, *forte* antarta, *pro* tyranno. *lin* 9, facta est pax. *lin* 11, ind. b. *lin.* 12, scabiarum, et nullus poterat m. s. c. qui defunctus sep. est ad B P. apost. principem VI, Idus Novemb. *lin* 14, sua ad omnem clerum. *lin* 15, presbyt. 14. *lin* 16, dies 15 (*M*, dies 16).

Ex codice Thuano altero.

Num 117, *lin* 2, d. 23. *lin* 3, hujus temporibus v. *lin* 5, judicib. r. f. hic venit. *lin* 7, Antarta, contra quem pugnando el. p. ingr. est Neap. *lin* 8, et int. eumdem tyr. simul cum eo alios multos, et sic reversus est R. et d. r. m. facta est pax magna i. t. l. Hic constituit ut secunda missa fieri in clero eod. *lin* 11, indict. 6. *lin* ead., secuta est cladis percussio scabiliarum, ita ut nullus posset m. s. c.; quo defuncto, sep. est (*sic sæpe loquitur in superioribus*). *lin* 14, obs. s. rog. i. int. *lin* 15, presb. 14, *lin* 16, et c. e. d. 16, depositus sub die 8 mens. Octob.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 4, Ravenna. *lin* 7, qui pugnando Eleuth. *lin* 10, terræmotus major.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 9. — *Et data roga militibus, pax facta est in tota Italia.* Roga est erogatio quæ a principe donationis vice fiebat militibus. Anastas. in Severino : « Quando et rogæ vestræ, quas dominus imperator vobis per vices mandavit, ubi sunt a sancto viro recondítæ. » Gregor lib II, epist 32 : « Theodosiani vero qui hic remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum custodiam se accommodant. » Ubi dixi : Roga etiam est erogatio quæ a Rom pontificibus fiebat clero vel plebi. Anastas infr eod : « Hic dimisit pro obsequiis suis et ad omnem clerum rogam unam integram. » Idem in Bonifac V : « Hic clerum amavit, rogam integram clero suo dedit. Hic dimisit omni clero pro obsequiis suis rogam unam integram. » Idem in Joanne IV : « Hic dimisit in omni clero rogam integram. » Idem in Eugenio : « Rogam clero solitam tribuit. » Idem in Leone III : « Hic vero rogam clero suo in presbyterio maxime ampliavit. »

Ibid. *Hic constituit secunaam missam in clero.* Unica missa publica, id est solemnis, diebus Dominicis celebrari solebat. Can. *Et hoc, de Consecr* dist 1. De quo Dionys Areopag epist ad Demophil Joan Mosch Limonar cap 27. Alteram missam celebrari instituit Leo P. ne nimis arctaretur populus, unius missæ more servato, can. *Necesse de Consecr* dist 1; et post eum Deusdedit PP. secundam missam in clero, id est, in Ecclesia Romana instituit, teste Anastasio hic, quia forte consuetudo unius missæ publicæ nondum desierat in Ecclesia Romana, quæ semper antiquitatis tenacior fuit.

BALDINI.

Linea 9. — *Hic constituit secundam missam in clero.* Ex iis qui de rebus liturgicis tractatus instituerunt, nullus est qui hunc locum Anastasii non vexet, ubi de missæ iteratione in eadem ecclesia sermo incidat. Cardinalis Bona, nunquam sine laude nominandus, in aureo tractatu Rerum Liturgicarum, lib 1, c. 14, n. 4, postquam ex Leone Magno in epistola ad Dioscorum Alexandrinum jubente iterari sacrificium, cum fidelium multitudo tanta est, ut omnes simul basilica recipere non possit, probare conatus fuerat viguisse ab eo usque tempore consuetudinem Romæ pluries eodem die sacrificium offerendi, sibi opponit præfatum textum inquiens : « De S. pontifice Deusdedit auctor Pontificalis sic scribit : *Hic constituit secundam missam in clero* : Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in scholiis ait, *quia tum forsitan ad instar Græcorum non cantabatur in ecclesia nisi una missa, quod magis acclivabat secundum antiquos.* » Et statim subdit : « At ex allato Leonis testimonio patet morem iterandi sacrificium multo ante in Romanam Ecclesiam inductum fuisse. » Bona tamen venia eminentissimi scriptoris quando quis tueri velit interpretationem Urbevetani, videlicet ad tempora usque beati Deusdedit obtinuisse ritum celebrationis unius tantum missæ in singulis ecclesiis, auctoritatem ex dicta epistola Leonis facile elevabit, explicando Leonem jussisse iterari sacrificium in casu tantum novæ plebis basilicam inoleutis, in iis locis in quibus una tantum basilica exstaret, et ab eodem presbytero ; constitutum autem fuisse tunc primum a beato Deusdedit ut in clero post solemnem missam altera privata ab altero ex clero haberetur, sive nova plebs in basilica conveniret, sive non, sive una esset, sive plures basilicæ. Tunc certe primum in Ecclesia Latina inductus ritus esse videtur, ut plures missæ in eadem ecclesia celebrarentur, pluraque altaria pro iis celebrandis construerentur. Unum quippe altare in unaquaque basilica primis Ecclesiæ sæculis fuisse extra controversiam est, unamque duntaxat missam super eodem celebratam fuisse, quod utrumque Ecclesia Græca retinet. Illi missæ quotquot intererant, sacra synaxi reficiebantur, præsertim qui solemni missæ ministrabant. Unde concilium Toletanum IV, anno Christi 635, statuit c. 17 « ut sacerdotes et Levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus. » Sed quotquot aderant presbyteri simul cum presbytero celebrante, vel episcopo rem sacram operabantur simul offerentes, et simul communicantes. « Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint presbyteri, et simul cum pontifice verbis et manibus conficiant, » ut refert Mabillonius parte II Musei Italici pag 1111, ex Amalario l. I, 112.

Cæterum unam missam celebrare, eamque die tantum Dominico et diebus festivis, ad quam monachi omnes convenirent, antiquos monachos consuevisse historiæ nos docent. « Certe in diebus quadragesimæ, exceptis Dominicis, non canebatur missa tempore S. Benedicti, ait Hindelmarus in Regulæ cap 48, » ut habetur apud Mabillonium in præfat I in sæculum quartum ordinis S. Benedicti, n. 168. « Carthusianos olim diebus tantum Dominicis et festis missas celebrasse referunt Petrus Cluniacensis l. II Mirac, c. 28; Guibertus abbas, l. I de Vita sua, c. 11, et Petrus Blesensis, epist 86. » Ita Cardinalis Bona lib I Rerum liturg, c. 18, n. 111, qui n. 8 addit : « Narrat Palladius in Vita beati Arsisii in ecclesia montis Nitriæ octo fuisse presbyteros, inter quos qui primus erat, solus offerebat, et quandiu ipse vivebat, reliqui nec offerebant, nec judicabant, nec sermonem habebant. » Ea de causa beatus Franciscus, teste Alvaro Pelagio l. II de Planctu Ecclesiæ, art 5, « voluit quod in quocunque loco fratres contenti essent una missa, præsciens fratres se velle justificare per missas, et ad quæstum ea reducere, sicut videmus hodie fieri. » Scribebat Pelagius ad annum 1330, centum circiter annis ab obitu beati Francisci, animum digitumque intendens procul dubio ad epistolam a beato Francisco scriptam ad suos fratres, in qua habetur : « Moneo præterea et exhortor in Domino, ut in locis in quibus morantur fratres, una tantum missa celebretur in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ; si vero in loco plures fuerint sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione sacerdotis alterius. » Scio hac auctoritate abuti sectarios modernos pro abolenda missa privata, quam impense oderunt, sed probanda mihi non videtur eorum responsio, qui epistolam beati Francisci pro apocrypha habent; obstat enim allegatum testimonium Pelagii eadem epistola utentis, cui hoc

Digitized by Google

non est neganda, et antiquo testi et ejusdem ordinis. Dicendum itaque est veterem disciplinam de una tantum missa celebranda ita fuisse a beato Deusdedit emollitam, ut post solemnem altera tantum missa caneretur in clero, non sic laxatam, ut missæ multiplicarentur ad numerum presbyterorum, uti fieri fortasse incipiebat tempore beati Francisci, et uti deinde factum est: cujus rei una quidem causa fuit, ut inquit laudatus cardinalis Bona l. I Rerum liturg. c. 18, n. 9: « quod fundatis ordinibus Mendicantium, et longe lateque propagatis, multiplicata sunt onera missarum, atque ideo necesse fuit singulos sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare. » Inde etiam ortam esse facile intelligimus multitudinem illam altarium, qua refertæ sunt ecclesiæ Mendicantium, et quam non est cernere in aliis basilicis sive monachorum sive clericorum.

A

BENCINI.

Linea 3. — *Eleutherius patricius.* Anastasius, iterum Pauli verba describens, gesta iterum perturbat. Emendandus igitur ex eodem, scribente c. 51: « Hac ætate Joannes Consinus invasit Neapolim, quem de eadem civitate non multos post dies Eleutherius patricius eunuchus imperii jura suscepit. » Consinus, sive, ut appellat Anastasius, Compsinus, una cum Neapolitana urbe cæteras circumpositas invadit, seque regem dixit. Batillus in Hist. Barensi contendit Joannem hunc Consinum corona ferrea in urbe Barensi, aurea deinde apud Neapolitanos redimitum fuisse, ut sese Italiæ populis regem probaret. Sed illum redegit in ordinem Eleutherius; de quo Paulus subjungit: « Posthæc isdem Eleutherius patricius eunuchus imperii jura suscepit. Qui dum a Ravenna Romam pergeret, in castro Luceolis a militibus interfectus est, caputque ejus Constantinopoli imperatori delatum est. » Hanc vero periochen inseruit Anastasius inter gesta Bonifacii V.

Linea 7. — *Intarta. Intarta*, inquit Esychius, *tyrannus, rebellis adversus regem.* Quod est ab ἀρταίρω, *contendo, rixor.* Et Festus: *Antarium bellum, quod ante urbem geritur;* a civibus nempe rebellantibus. In actis pariter sanctæ Martinæ virginis legitur: *O Alexander, et intarta Christianorum.* Et in Chronico Fontallenensi, cap. 3: *Actum est bellum inter Carolum exarchum et Regenfridum intartam.* Inde ortum verbum intartarizare, quod in hisce gestis non semel postea occurrit.

Linea 10. — *Eodem tempore.* Anastasii verba cum iis sunt illustranda, quæ Paulus, cap. 42, ubi de Rothari Langobardorum rege scribit: « Cum Ravennatibus et Romanis bellum gessit ad fluvium Æmiliæ quod Scultenna dicitur; in quo bello a parte Romanorum, reliquis terga dantibus, octo millia ceciderunt. Eo tempore magnus Romæ terræmotus factus est, magnaque fuit inundatio aquarum. Posthæc fuit clades scabierum, ita ut nullus potuisset mortuum suum agnoscere, propter nimium inflationis tumorem. » Sed imperitus consarcinator Gestorum pontificalium tempora simul et acta commiscet. Pontificatum gerente Deusdedit imperabat Adaloaldus Langobardus. Quamobrem si aquarum inundatio et clades scabierum regnante Rothari contigerunt, Anastasiana illa narratio fortasse ad gesta Joannis IV aut Theodori Pont. erit transferenda, cum Rotharis ante ann. 636 Langobardicum regnum minime capessiverit. Rotharis autem, parta hac victoria et dominationis amplitudine, divitiisque auctus, Langobardorum regnum in Italia firmavit, atque adeo animum suum edendis legibus Langobardicis primus applicuit, et litterarum monumentis consignavit. Unde Paulus ibid., c. 44: « Hic Rothari rex Langobardorum leges, quas sola memoria et usu retinebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum edictum appellari præcepit. Erat autem jam ex quo Langobardi in Italiam venerant annus septuagesimus septimus, sicut idem rex in sui edicti testatus est prologo. Exstat ipso initio Legum Langobardicarum. »

B

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Deusdedit.* Cum post obitum Bonifacii IV sedes apostolica mensibus quinque et duodecim diebus vacasset, Deusdedit, egregiis virtutibus et sanctitate conspicuus, creatus est pontifex. De hoc publice cantatur in Ecclesia 8 die Novembris eum tanti meriti exstitisse quod cum visitaret ægrotos, leprosum unum osculo sanaverit et a lepra mundum reddiderit.

Linea 1. — *Sedit annos tres, dies* 24. Annis tribus minus quinque diebus. Octava enim die Novembris hujus anniversaria memoria in Ecclesia recolitur, adeoque facta computatione ab ingressu pontificatus, prædicto tempore sedisse reperitur.

Linea 9. — *Itoga.* Est donatio, sic dicta ab erogando.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Quanquam vulgati Anastasii codd. nullam sedis vacationem exhibent, quod et facit catal. Lucensis, primus tamen Freherianus habet menses 6, d. 5; Thuanus alter mens. 6, d. 25, quicum membranaceus Ambrosianus consentit regiusque Mazarinus, et Thuanus primus ac secundus Ambrosianus habent menses 7, d. 25. Farfensis denum catalogus interpontificium indicat dier. 13, tam post Bonifac. IV quam post duos successores Deusdedit et Bonifacium, ubique perperam gravique cum chronologiæ detrimento. Nullum profecto ex allatis interpontificiis verum esse evidenter constat; undecunque enim dies enumerari incipiant vel ab emortuali, vel a depositionis die, in Dominicam nunquam offenditur, nisi tempus ineatur a die depositionis in Vaticano 25 Maii, quod quidem sæpe factum invenitur post Honorium, minori tamen cum discrimine a die obitus: præterquam quod certa dies mortis et sedis S. Deusdedit removeri non possunt, ac proinde aut novum cudi interpontificium aut divinari oportet. Ad sedis tempus quod attinet, tam codd. quam catalogi eam definiunt annorum trium dierumque 23 aut 24. Alii autem sunt catalogi, ut 5 catalogi Ant. Pagii, noster Blanchinian. antea ineditus, et secundus Mabillonii, qui habent an. 3, d. 20, quorum opinioni suffragantur Martin. Polonus, auctor Fascic. Temp. et Gotfridus Viterbiensis, qui perperam eum facit æqualem imperii Phocæ. Horum auctoritate inhærens ab emortuali die, seu depositionis 8 Novembris 618, retro ab eo annos tres dies 20, diemque invenio 19 Octobris anni 615, littera F prænotatam, quæ eo anno cum Dominica concurrit; quare videor diem ipsam ordinationis nactus, quam etiam Pagius ejusmodi esse cognovit. Rursusque ab hac ordinationis die ad Bonifacii IV emortualem ascendens 7 Maii, numero menses quinque, dies 13, non 12, ut habet Pagius, ipsi enim obitualis includitur. Sic Farfensis catalogus habens dies 13 minus peccat quam cæteri catalogi et codices, in quibus proprio arbitratu excogitatum interpontificium invenitur. Mirari hic satis non possum Garnerii supinitatem, qui suis in eruditis ad Diurnum pontificum notis, primordia Bonifacii V, successoris S. Deusdedit, constituit anno 617, ac proinde decreto electionis pontifices adjungit indict. V, quæ eidem anno post Septembrem convenit, ac Novembri mense S. Deusdedit esse mortuum fatetur cum Anastasio. At totus in conjectura ut Diurni collectionis ætatem definiat, non legit apud eumdem Anastasium certissimam notam ætatis pontificis; nam ait terræmotum ingentem secutum esse (ante obitum pontificis) Augusto mense, indict. VI, quod etiam Joannes Diaconus affirmat in Chronico, nempe anno 618, quem fuit consecutus scabierum morbus, seu lues elephantiaca. Quare S. Deusdedit obitus ne-

C

D

Digitized by Google

cessario est illigandus huic anno, sicut Bonifacii successoris ipso eodemque anno exeunte anterior non est dicenda electio; neque eamdem ad sequentem annum differendam cum Pagio Eleutherii cæles, aliaque argumenta ostendunt, quæ in notis ad eumdem Bonifacium adducam. Quæ cum ita sint, S. Deusdedit igitur post menses 5, d. 13, vacationis ordinatus, die 19 Octob. 615, post annor. 3 ac dier. 20 sedem, die 7 Novembris moritur ac die postera sepelitur, ut recte Anastasius et Martyrologium Rom. a Baron. emendatum habent, nempe ipsa depositionis die 8 Novembris.

CIACONII.

Linea 1. — *Deusdedit.* Presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli, tit. Pammachii, a S. Gregorio papa factus, pontificatum omnium suffragiis adeptus, sedit, imperatore Flavio Heraclio Augusto, annos tres, dies 19; consecratus die Dominico, XII Kal. Novembris, anno Domini 613. Deusdedit erat vocabulum compositum ex nomine et verbo, illis temporibus usitatum. Nam M. Aurelius Cassiodorus scribit ad Deusdedit, scribam Ravennatem, et sanctus Augustinus ad Quodvultdeum.

Linea 11. — *Post hæc secuta est clades in populo.* Anno 613, Augusto mense, terra ingenti motu contremuit, terræmotum vero fœdissima lues est consecuta. Hæc erat scabies, elephantiæ nomine appellata, quæ affectorum ora ita deformabat, ut vivi a mortuis haud distinguerentur nec dignosci possent. Quo tempore pontificia sanctitas insignem se hominibus declaravit. Nam cum pontifex obvio elephantiaco homini osculum obtulisset, extemplo pristinæ illum sanitati restituit.

MAFEI.

Linea 11. — *Post hæc secuta est clades.* Elephantiasin morbum, qui a Græcis σατυρίασμον nominatur, quod faciem eo laborantis similem reddit satyrorum faciei, ante Cn. Pompeii tempora in Italia non fuisse Plinius est auctor libro XXVI Nat. Hist. At sedente sancto pontifice Deusdedit ita sævum in modum elephantiasis in Urbe grassata est, ut nullus posset, quemadmodum inquit Noster, mortuum suum cognoscere. In tanta vero hominum clade pontificia charitas opem ferens lue conflictatis, divinitus fuit nobilitata. Elephantiacum enim sibi obvium sanctus Deusdedit deosculans extemplo, divina per eum operante virtute, pristinæ sanitati restituit. Quod insigne factum a pervetustis Ecclesiæ monumentis laudatum, sexto Idus Novembres ejus natali die in Martyrologio Romano anniversaria commemoratione hisce verbis recolitur : *Romæ sancti Deusdedit papæ, qui tanti meriti fuit, ut leprosum osculo a lepra sanaverit.*

PAGII.

Linea 1.—*Ex patre Stephano subdiacono.* In exemplari Anastasii quo Baronius usus est, legebatur : *Deusdedit filius Stephani, ex subdiacono sedit annos tres.* Ad quæ verba ita scribit : « Ut autem subdiaconus Romanus pontifex crearetur, nunc primum accidit, absque majorum exemplo, ut plane in clero magnas fluctuationes concitatas esse, sit argumento. Sed, ut omissis aliis, Deusdedit elegeretur, egregia id ejus sanctitas præstitit, qua mirifice inter tot tenebras illustratus emicuit. » Cum huc usque viris doctis persuasum fuerit subdiaconos in Romanos pontifices nunquam fuisse electos, ex editione Regia Anastasii variisque ejus codicibus mss. prædictus locus in hunc modum restitutus est : *Deusdedit ex patre Stephano subdiacono*, ita ut Deusdedit non fuerit subdiaconus, sed subdiaconi filius. Verum, cum ex Liberati diaconi Breviarii, cap. 22, constet Silverium *ex subdiacono* Romanum pontificem dictum esse, et Liberatus eodem tempore quo Silverius electus vixerit, incertum remanet quænam ex illis duabus lectionibus sit præferenda, cum correctio prioris falso fundamento nitatur. Subdiaconos porro potuisse eligi existimo, usque ad tempora Stephani III, aliis IV, in cujus synodo Romana, anno 769 celebrata, sub anathemate interdictum est, *ne ullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter cardinalis factus fuerit ad sacrum pontificatus honorem posse promoveri*; ex his enim verbis mihi erui posse videtur tunc tantum subdiaconos a pontificatu exclusos, cum ex Liberato laudato habeamus Silverium ex eo ordine ad pontificatum assumptum, nemine hanc ei incapacitatem objiciente, et ex Anastasio incertum remaneat an ipse etiam Deusdedit fuerit ante suam electionem solum subdiaconus, quod probabilius videtur, nam posterior lectio habet quidem eum fuisse subdiaconi filium, sed non negat ipsum etiam fuisse subdiaconum, quod prior diserte habet.

Linea 9. — *Hic constituit secundam missam in clero.* Ejus in clerum amorem et beneficentiam Libri Pontificalis auctor commendat, qui et scribit : *Hic constituit secundam missam in clero.* Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in scholiis apud cardinalem Bonam, lib. I, cap. 14, n. 4, de Rebus liturgicis, ait : « Quia tunc forsitan ad instar Græcorum non cantabatur in ecclesia nisi una missa, quod magis ædificabat secundum antiquos. » Verum multo ante Deusdedit in Romanam Ecclesiam introductum fuisse morem iterandi sacrificii constat ex Leone Magno in epistola 81 ad Dioscorum Alexandrinum, qua mandat iterari sacrificium cum fidelium multitudo tanta est ut omnes simul basilica recipere non possit; et hoc enim sequeretur quod una pars populi sua devotione privaretur, si unius tantum missæ mos servandus esset. Tum ait plenum pietatis ac rationis esse, ut quoties basilicam præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Quam sacrificii iterationem S. pontifex præcepit, ex more qui tunc Romæ vigebat; *ut in omnibus*, inquit, *observantia nostra concordet.* Et infra : *Ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat.* De iis plura habet idem cardinalis Bona laudatus. Quid vero per hæc verba intelligat Anastasius, aliis examinandum relinquo.

Linea 12. — *Qui defunctus.* Anastasius de hoc sancto pontifice scribit : *Qui defunctus et sepultus est ad beatum Petrum apostolum, die octava mensis Novembris*, quod et Marianus Scotus in Chronico habet. Parte alia cum Gotfridus Viterbiensis, Martinus Polonus in Chronico, auctor Fasciculi temporum, et plures Catalogi pontificum Rom. habeant Deusdedit sedisse *annos tres et dies viginti*, consequens est ordinationem ejus a nobis recte adligatam cum die 19 Octobris anni 615, eumque obiisse die octava Novembris anni sexcentesimi decimi octavi. Ejus nomen in Martyrologio Galesinii et in antiquioribus non legitur quidem, sed Baronius ob præclaras ejus virtutes, illud Martyrologio Romano a se auctoritate apostolica emendato ad diem 8 Novembris inscripsit

SOMMIER.

Linea 9.— *Hic constituit secundam missam in clero.* Haud satis compertum est quid per hæc verba auctor Libri Pontificalis significet. Nonnulli siquidem credunt ab eo permissum uno eodemque die missæ sacrificium repetere in locis ubi ecclesiæ præ angustia populum non capiebant. Verum id constituerat S. Leo Magnus, ut diximus in ejus pontificatu.

Digitized by Google

LXXI. BONIFACIUS V.

ANNO CHRISTI 617, HERACLII IMPERATORIS 8.

118 Bonifacius, natione Campanus, de civitate Neapoli, sedit annos quinque, dies tredecim [a]. Hic constituit ut testamentum valeat secundum jussionem principis. Hic constituit ut nullus trahatur de ecclesia. Hic constituit ut acolythus non præsumat reliquias sanctorum martyrum levare, nisi presbyter. Hic constituit ut in Lateranis acolythus non baptizaret cum diacono, sed subdiaconi sequentes. Hic perfecit cœmeterium sancti Nicodemi [b], et dedicavit illud. Erat enim beatissimus Bonifacius mitissimus super omnes homines et misericors. Hic clerum amavit, rogam integram clero suo dedit. Eodem tempore ante dies ordinationis ejus Eleutherius, patricius et eunuchus factus Intarta [c] assumpsit regnum, et veniente eo ad civitatem Romanam in Castrum [d] quod dicitur Luceolis, ibidem Amites Ravennatis [e] interfectus est. Cujus caput ductum est Constantinopolim ad piissimum principem. Qui defunctus sepultus est ad beatum Petrum apostolum, die vicesima quinta mensis Octobris. Hic dimisit omni clero obsequia sua [f] rogam unam integram. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem : presbyteros viginti septem, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero viginti novem. Et cessavit episcopatus menses sex, dies 18.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 7, mens. 10, d. 1. [b] Nicomedis. [c] Antara. [d] in castro. [e] a militibus Ravennaticis. [f] pro obsequiis suis

VARIANTES LECTIONES.

Ex Farnesiano codice LXXI.

Num. 118, *lin.* 1, sedit annos V, menses X; hic constituit. *lin.* 6, hic perfecit cymiterium sancti Nicodimi, et dedicavit eum. *lin.* 10, in castrum qui dicitur Luceolis, ibidem a militibus Ravennatibus interfectus est : cujus caput etc. Quo defuncto, sepultus est. *lin.* 16, et cessavit episcopatus dies XIII.

Ex codice Vallicellano.

Lin. 1, de civitate Neapoli ex patre Joanne sedit annos V, dies X. Fuit autem mitissimus, benignus, humilis, mitis (*hæc vox abundat*) atque misericors. Hic constituit ut nullus trahatur de ecclesia, et ut acolythus non pr. *lin.* 4, levare nisi presbyter ; et ut in Lateranis acolythus non bapt. *lin.* 5, sed subdiaconus (*lege* subdiaconi) sequentes. Hic constituit ut testamentum valeat secundum jussionem principis. Hic perfecit cimiterium sanctæ (*lege* sancti) Nichomedis, et dedicavit illud. Hic clerum amavit, et rogam integram clero suo dedit. Ante diem ordinationis ejus Eleutherius patricius et exarchus factus antara (*in margine notatur :* antara, quasi ἄνταρας, *sed lege* antarta) assumpsit regnum, et veniens a civitate Romana in castro quod dicitur Luciolis, ibidem a militibus Ravennatibus interfectus est. Caput est ductum Constantinop. ad piiss. princ. Qui beatissimus papa defunctus, sepultus est ad beatum Petrum apostolum, et divisit omni clero pro obsequiis suis rogam unam integram. Qui fecit ordinationes, etc. *lin.* 15, Decembris ; presbyteros XXVI. *lin.* 16, *vox* numero *deest in cod. lin. ead.*, episcopatus dies XIII.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 1, Neapoli, ex patre Joannes. *lin* 2, *A*, dies 10. *lin* 6, *B*, Nicomedis. *lin* 8, 9, *A*, ante dies A ordinationis ejusdem Bonifacii. *lin* 10, *B*, in castrum quod dicitur Luceolis, ibidem a militibus Ravennatibus interfectus est. *lin* 12, *A*, Constantinopolim imperatori. *lin* 16 *et* 17, *AB*, cessavit episcopatus ejus dies 13.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, Neap. ex patre Joanne, sed ann. 5, d. 10; fuit autem mitissimus, benignus, humilis, atque misericors. *lin* 3, de eccl. et ut acolytus non pr. *lin* 4, nisi pr. et ut acolytus in Later. non bapt. *lin* 6, illud. Hic clerum amavit, et rogam i. c. s. d. Ante diem ordinationis ejus Eleutherius patricius et exarchus factus Antara (*leg.* Antarta) assumpsit regnum, et veniens a civit. Romana in castro quod dicitur. *lin* 11, Luciolis, a militibus Ravennatis interf. est. Cujus caput est ductum Constantinop. ad piiss. princ. : qui beatissimus papa defunctus est, et sep. ad B. P. ap. et divisit omni clero pro obsequiis suis r. *lin* 15, presb. 26, diac. 4 (*M* d. 10) episc. B per diversa loca 29 et cess. episcop. d. 13.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, Neap. ex patre Joanne, s. *lin* 3, ut nullus acol. non p. *lin* 5, non baptizet. *lin* 6, Nicomedi, et d. *lin* 8, et rog. *lin* 9, diem o. e. E. p. et exarchus factus Antarta. *lin* 10, in castro. *lin* 11, Lociolis. *ibid.*, a milites Ravenn. int. *lin* 12 *et* 13, quo beatiss. papa defuncto sep. est ad B. Petrum ap. Hic d. *lin* 16, ep. d. 13, depositus 25 mens. Octob

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 1, Neapolim. *lin* 3, acolotus. *lin* 6, Nichodimi.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic constituit ut testamentum valeat secundum jussionem principis.* Decreto Bonifacii V sancitum ut testamenta condita secundum jussionem principis, id est secundum leges, valeant.

Linea 3. — *Hic constituit ut nullus trahatur de ecclesia.* Decretum Bonifacii V est, ne quis per vim extrahatur de ecclesia. Idem ante sancitum constitutione Theodosii l. 3. C. *de his qui ad eccles. confug.* August. in psalm. CL : « Tales compedes consolidant vobis et episcopi manus, nunquid non fugiant in ecclesiam compediti, et solvuntur hic. »

Ibid. *Hic constituit ut acolythus non præsumat reliquias sanctorum martyrum levare, nisi presbyter.* Decretum Bonifacii est, ne acolytho liceat reliquias martyrum gestare, sed tantum presbytero. Tamen diaconorum ministerium fuit sanctorum reliquias diebus solemnibus ante episcopum præferre. Conc. Brachar. III, can. 5.

Linea 4. — *Hic constituit ut in Lateranis acolythus non baptizaret cum diacono, sed subdiaconi sequentes.* Diaconorum erat baptizare, uti Presbyterorum. Tertull. de Baptism. cap. 17 : « Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est episcopus : dehinc presbyteri, et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. » Hieronym. ad Luciferian. : « Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus, per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat. » Bonifacii decretum singulare fuit, ne in Lateranensi basilica diaconus baptizaret cum acolytho, sed cum subdiacono.

Linea 10. — *Castrum quod dicitur Luceolis.* Ejusdem meminit Anast. in Gregor.

BENCINI.

Linea 2. — *Ut testamentum valeat secundum jussionem principis.* Cur id constituerit Bonifacius, quam de testamentis legem, quemve principem respexerit horum quisquis est gestorum auctor, mihi certo non constat. An Romanas leges veterum principum, an recentem aliquam ab Heraclio imp. ea de re promulgatum ? Neutrum profecto. Quippe et Romano jure cives ad unum omnes indubitanter regebantur in scribendis hæredibus ; et nullo vade, ratione nulla quis affirmaveri', novas de testamentis leges hoc tempore ab imper Heraclios fuisse conditas. An vero dubitatum fuerat utrum testamenta juxta principum leges scripta consisterent, ut, ea consistere pontifex rescribere debuerit ? Nihil minus. Fortene arbitrabimur pontificem Bonifacium ad jura Langobardica animum intendisse, factumque ex illis testamentum declarasse validum ? Sed quid hoc tempore Romanis cum Langobardico jure, qui a Græcis imperatoribus et exarcho Ravennatensi solis Romanis legibus regebantur ? Accedit quod nullum jus scriptum apud Langobardos usque ad ann. 643 evulgatum est, quo Rotharis rex edictum suum vulgavit, ubi num. 157 et seqq. nonnulla de testamentis decernit ; anno, inquam, 643 vel 644. Nam cum ex Paulo Diac. edictum Rotharis prodierit ann. 77 regni Langobardici, atque ex ejus chronologia, quam frustra Pagius in Crit. auctoritate Segeberti decurtat ab ann. 568 regnarint Alboin ann. 3, m. 7 ; Cleph. ann. 1, mens. 6, et post interregnum annor. 10, Authari ann. 6, Agilulphus 25, Adaloaldus 10, et Arioaldus, 12 ; postea Rotharis ; hujus electio incidit in ann. 636, regni autem Langobard. 68. Quamobrem qui supersunt 8 anni usque ad 76 completum, erunt anni regni ipsius Rothari concurrentes cum indictione II. Quos characteres continet ipse prologus edicti. Itaque non tanti est unum aut alterum diploma Bullarii Cassinensis, quanti visum est Pagio ad annum 626, ut narrationem Pauli Diac. distinguentis tempora Adaloaldi et Arioaldi, evertere possit, atque insuper cogat edicto Regio manus inferre, et pro *regni mei octavo*, legere, *decimo octavo*. Hæc cum viderit A. Muratorius in Præfat. ad Leges Langob., tom. I, par. II. Ret Italic., nescio cur edicti promulgationem revocarit ad annum 638, repugnante epocha regni Langobardici, quam Paulus Diac. et ipsum edictum regium cum unius tantum anni discrimine consignant. Sed hæc obiter. Ad rem nostram. Cum istiusmodi leges integris XVIII annis post obitum Bonifacii V prodierint, ad eas pontifex haudquaquam respexit. Aut igitur auctor Gestorum pontificalium parachronismo iterum laborat, et decretum alterius e successoribus pontificibus affingit Bonifacio (quippe contigit postea ut jus Langobardicum perinde ac Romanum in universa prorsus Italia obtineret : qua tempestate nihil ambigo, similes declarationes a pontificibus emitti potuisse) aut si Anastasio fidem plane suam constare malis, opinari divinando possumus inter consuetudines quibus unice ad Rotharim usque Langobardi usi sunt pro legibus, eam a pontifice fuisse probatam quam in condendis testamentis adhibebant ; sive etiam de iis peculiarem legem aliquam suis et Italiæ populis fuisse ab Agilulpho vel Adaloaldo vulgatam, quam, fluctuantibus animis inter Romana et nova hæc jura, pontifex suo decreto firmarit : quatenus in iismet locis curtes suas agentibus Langobardis, ubi Patrimonium S. Petri erat, si testamenta ex illorum moribus legibusve fierent, firmata recognitione regii cancellarii, valerent. Hujus recognitionis specimina occurrunt in charta donationis a Berengario factæ apud Bacchinium, et explorata res est in diplomatibus a Baronio, Mabillonio aliisque in lucem editis. Quæ harum expositionum verior sit, nolim ego dijudicare. Alterum esto arbitrium.

Linea 5. — *Subdiaconi sequentes.* Hi scilicet qui diaconos in ministerio sequebantur. Nam cum E. C. diaconus baptizabat, non acolythi aliive, sed subdiaconi inserviebant sacrum operanti.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Bonifacius.* Decima quarta, vel, secundum aliam lectionem, 24 mensis Decembris, anno Domini 617, post interregnum unius mensis et sex. vel sexdecim dierum, Bonifacius, ejus nominis quintus, patria Neapolitanus, creatus est pontifex. Hujus temporibus vixit Mahometes Arabs, pseudopropheta, pestis orbis terrarum, a quo Mahumetanorum sectæ originem cepit ; qui ut omnes populos in suam sectam attraheret, ex cunctis ferme sectis aliquid ascivit : ex Judæis circumcisionem, unius Dei cultum et abstinentiam a carne suilla ; ex Christianis Christum, sed cum Arianis creatum, cum Nestorianis purum hominem, cum Manichæis non vere, sed tantum apparenter crucifixum ; ex gentilibus cultum Lunæ, seu alicujus astri. Legem quam proposuit stultissimam, armis propagandam esse docuit, eamque disputationibus examinari prohibuit. Vide Damascenum de Hæresibus, Theophanem, et Cedrenum in Heraclio, Baronium anno 630.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedis vacationem a S. Deusdedit depositione recte Anastasii cod. vulgatus et plerique alii codd., tam mss. quam editi, definiunt unius mensis ac dierum 16, licet nonnulli, ut duo Freheriani cum Farfensi catalogo, habeant præter mensem in hoc omissum, dies 13. Regius et Thuanus m. 1, d. 15 ; Thuanusque alter dies tantum 16. Ratio autem cur sedes tam brevi spatio vacaverit aperta est : Heraclius, unde jussio petenda, a Persis, qui ejus legatos male habitos carceribus vinctos detinebant, affligebatur ; urbs Cp. fame ac peste laborabat ; Eleutherius exarchus

Digitized by Google

occasione non abutens tum Cæsaris mirum in modum afflicti, tum interpontificii, tyrannidem capessiverat; quare a Ravennatibus obtruncatus erat: Roma interim elephantiaca lue paulo ante orta gliscente lacerebatur. Gravibus his de causis non petita nec exspectata jussio videtur. Hinc est quod præter laudatos codd. et catalogos, Hermannus Contract., Marian. Schot. et Sigebertus creationem Bonifacii quinti constituunt anno 618, et ita vacationem non diuturnam fuisse intelligunt. Denique octavi sæculi scriptor Bedæ suæ Hist. Angl. lib. II, c. 7: « Bonifacius, ait, qui post Deusdedit Ecclesiæ præfuit anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo decimo octavo. » Hunc quidem locum, imo totam eam Bedæ editionem, qua usus est Baronius, depravatam esse vult Pagius, suadetque ad Chifflletianam et Cantabrigensem recurrendum, quæ habent *nono decimo*. At bona cum venia eruditissimi viri plures Bedæ editiones diligenter inspexi, Basileensem antiquam 1563, Antuerpiensem curis Gravii excusam Coloniæ Agrippinæ 1612, aliamque ibidem editam, omnium castigatissimam, 1688, ubique autem inveni annum 618, majoremque iis fidem adhibere malui cum tot codd. et catalogis Anast. consentientibus, quam laudatis duabus arbitrio recentiorum emendatis, præsertim Chifflletiano conatui Bedam cum Fredegario concilianti.

Antonio autem Pagio hæ arridenti : quare antiquorum quinque catalogorum e septem in Crit. Bar. exhibitis, scriptorumque gravissimorum auctoritate posthabita, sextum catalogum, sæculo duodecimo exeunte descriptum, qui habet vac. sed. an 1, d. VI, præ aliis omnibus amplexus, cum spatium id temporis interpontificium post Deusdedit non impleat, dies quadraginta e suis thecis educit, asseturus diem ordinationis Bonifacii V, quam ejusdem Bonifacii sedes certa, certumque principium Honorii citra diem Dominicam 23 Decembris anni prædicti 619 non esse protrahendam ei suaserunt.

Negare non ausim me abreptum fere esse in conjecturam Pagii, cum vidi annum solidum inter Deusdedit et Honorium, ne tota chronologia pessumeat, adjungi oportere. Hunc vero addi cum Baronio non debere Bonifacii sedi palam faciebant codd. præstantissimi Farnesianus et Ambrosianus 3 (cæteris aut silentibus, aut depravatum vulgati locum indicantibus, *dum* pro diebus XIII habent X), necnon catalogus 2 Habil. qui omnes concinunt cum epitaphio, antequam Bonifacius tumularetur, descripto (*Bar. tom.* XII, *Append. ad tom.* XIII *Aringh. Rom. Sub.* lib. II, cap. 8) qui ita habet :

> Culmen apostolicum quinque, et bis mensibus, annis
> Rexit et ad magni culmen honoris abit.

Sedit nempe Bonifacius, juxta Papebrochii, Pagii atque eruditorum omnium interpretationem, annos quinque, menses decem. Quare alterutri ex interpontificiis aut post Deusdedit, aut post Bonifacium V, necessario eum annum addendum agnovi. Cur autem ab erudito Pagio discesserim, dum nullo cum Anastasii chronologiæ detrimento malui post Bonifacium adjungere, causa fuerunt tum allatæ auctoritates, quibus nititur ordinatio Bonifacii, tum angustiæ tempori, inter hujus mortem et ordinationem Honorii, quæ perperam dilata a Pagio esse Bonifacii primordia palam faciunt, ut dicam in Honorio. Huc accedunt causæ nuper memoratæ, quibus multo etiam minores in eligendam imperialem jussionem suaserunt in Pelagii II consecratione.

Cæterum potissima ratio quæ movit Pagium, sunt epistolæ duæ Bonifacii ad Nordanhumborum regem Eduinum, et uxorem ejus Edelburgam, quas recitat Beda post ordinationem S. Paulini, primi Eboracensis episcopi. Hunc siquidem ordinatum esse ait XII Kal. Aug. seu 21 Jul. anni 625 (*lib.* II *Hist. Angl.*, cap. 9), et ne forte errorem quis putet, nam in Epitome annus legitur 622, tum facit Paulini mors ab eodem Beda VI Idus seu 10 Octobris anni 644 consignata (*lib.* III, *cap.* 14) *cum tenuisset*, aiente, *episcopatum annos* XIX, *m.* II, *d.* XXI qua quidem Chronologia nil rectius desiderari potest; tum præsertim ordinatio eadem Paulini ab archiepiscopo Dorovernensi Justo peracta, qui successit Mellito, ad Superos revocato anno 624, VIII Kalend. Maii, neque antea, dum Rhofensem administrabat Ecclesiam, ordinandi episcopos facultatem obtinuerat. Verum, quanquam constet de ordinatione Paulini, haud tamen necesse habemus Bonifacii epistolarum ætatem post ordinationem differre, cum nulla temporis nota ad id cogamur. Bedam siquidem consuevisse quæ ad eamdem rem pertinerent enarrare nulla temporum ratione habita, ex eodem discimus pluribus in locis Historiæ Anglorum, ut præ aliis sunt exemplo capita 17 et 18 libri II, ubi prius legere est missum pallium Honorio Dorovernensi archiepiscopo, quam Justi mors referatur, cui successit Honorius. Hinc est quod binas eas litteras dedisse Bonifacium antequam Edelburga, et cum ea Paulinus, proficisceretur Eboracum, pro certo habeam. Quæ enim omnia in iis continentur, per nuntios ultro citroque missos acta erant, ut legenti palam fiet; neque ullus ego dubito quin exhortatoria ad Eduinum, et epistola ad Edelburgam a piissimo rege fratre ejus Eadbaldo sollicite curatæ sint, dum interim agebatur de nuptiis, de mittendo comitatu Edelburgæ catholico, et de ordinando Nordanhumborum genti episcopo, ut exhortatoriam ad Eduinum secum ferrent : in ea siquidem nullum de S. Paulino, imo ne de episcopo quidem verbum occurrit, at sola evangelica prædicatio memoratur. Præterquam quod chronologiam antiquissimi scriptoris Bedæ, qui centum amplius annis, postquam evenerunt, hæc litteris mandabat, non video cur aliis omnibus præferendam existimem, imo eadem mihi valde suspiciosa est. Enimvero narrat Beda eodem cap. 9 nocte S. Paschatis anni 626, quod incidit in diem 20 April. natam esse Edelburgæ filiam Eanfledam. Quid? die 21 Jul. anni superioris ordinatur Paulinus, qui Edelburgam ducat; Doroverno Eboracum proficiscendum adhuc est; susceptum deinde est iter certe non paucorum dierum ab ipsa Edelburga cum novo episcopo et regio omni comitatu; eademque sequenti anno die 20 Aprilis enititur Eanfledam, novem hauddum mensibus evolutis? Credite posteri.

Quamobrem ne tot undique angustiis pressi absurda affirmemus, annum interpontificii post Bonifacium rejicimus, et chronologiam ejusdem pontificis cum Anastasio sic digerimus. Deposito apud S. Petrum S. Deusdedit die 8 Novembris anni 618, post interpontificium unius mensis ac dierum 16, die 24 Decembris prædicti anni, quam A lit. Dom. incidisse in Dominicam ostendit, ordinatur successor Bonifacius V, qui grassante scabierum lue, oves suas quotidie turpiter pereuntes solaretur. Hic vero, postquam sedit annos quinque ac menses 10, mortem occubuit die 24 Octobris anni 624, ac die postera ad S. Petrum est depositus, ut recte Anastasii codd. tum editi, tum mss. testantur. Ejus autem mortem interpontificium maxime diuturnum excepit, ut dicam in Honorio.

CIACONII.

Linea 1. — *Bonifacius*. Natione Campanus, patria Neapolitanus, ex patre Joanne Fummino, nonus papa regnicola, imperatore Flavio Heraclio, sedit annos quinque, menses decem, consecratus VIII Kal. Januarii, ineunte anno Domini 617. Per hæc tempora scripsit Bonifacius Eduino regi Anglorum, et Edelburgæ reginæ, plurimum rogans ut ab idolis eorumque cultu subditos sibi populos arcerent. Quarum litterarum exemplum, quibus Bonifacius præfatur se episcopum servum servorum Dei, exstat apud Bedam lib. II Ecclesiasticæ Historiæ gentis suæ.

MAFEI.

Linea 6. — *Hic perfecit cœmeterium S. Nicomedis.* Id est in ampliorem formam redegit S. Nicomedis

Digitized by Google

cœmeterium, quod non via Ardeatina, ut scripsit Onuphrius in cœmeteriorum Catalogo, sed Numentana prope Urbis mœnia situm esse inter Romæ subterraneæ scriptores satis convenit. Ibidem etiam erat ecclesia S. Nicomedis, quam vetustate fatiscentem Adrianus I, ut refert Anastasius infra, renovavit. Sed temporum injuria ita solo æquata est, ut nostra ætate vix parietinæ illius sint conspicuæ. Ad cœmeterium vero quod attinet, cum ante Bosium esset ignotum, Bosius illud primus detexit anno 1601, prope Urbis mœnia via Numentana, complectiturque tres aut quatuor viarum semitas totidemque cubicula.

PAGII.

Linea 12. — *Qui defunctus sepultus est.* Postquam eas in Angliam litteras misit Bonifacius diu superstes non fuit; eodem enim anno sexcentesimo vicesimo quinto, die vicesima secunda Octobris, supremum diem obiit, et, ut habet Anastasius, *sepultus est ad B. Petrum apostolum die vicesimo quinto mensis Octobris*, postquam sedisset *annos quinque, menses decem*, ut habent Gotfridus Viterbiensis in Chronico, Luitprandus, Catalogus nominum apostolicorum, codex ms. Anastasii Colbertinus et quatuor ex catalogis Criticæ Baronianæ præfixis; et quod rem extra dubium ponit, ejus epitaphium a Baronio recitatum, quod duobus his versibus clauditur.

Culmen apostolicum quinque et bis mensibus, annis
Rexit, et ad magni culmen honoris abit.

LXXII. HONORIUS.

ANNO CHRISTI 626, HERACLII 17.

119 Honorius natione Campanus, ex patre Petronio consule, sedit annos 12, menses 11, dies 17 [a]. Hic temporibus suis multa bona fecit. Hic erudivit clerum. Temporibus suis renovavit omnem familiam beati Petri apostoli [b], et investivit confessionem beati Petri ex argento puro, quod pensat libras centum octuaginta et septem. Investivit regias januas in ingressu ecclesiæ majores, quæ appellantur medianæ ex argento, quæ pensant libras noningentas septuaginta quinque, fecit et cerostatas majores [c] ex argento paria duo, quæ sunt ante corpus beati Petri apostoli, pensant. sing. libras 272. Fecit et ad beatum Andream apostolum, ubi supra, ante confessionem tabulas ex argento, quæ pens. libr. septuaginta tres. Hujus temporibus levatæ sunt trabes in ecclesia beati Petri apostoli numero sexdecim. Hic cooperuit ecclesiam omnem ex tabulis [d] æreis, quas levavit de templo, quod appellantur Romæ [e] ex consensu piissimi Heraclei imperatoris. Eodem tempore fecit ecclesiam beatæ Agnetis martyris milliario ab urbe Roma tertio, via Numentana, a solo, ubi requiescit, quam undique ornavit et exquisivit, ubi posuit multa dona. Ornavit autem sepulcrum ejus ex argento, quod pensan. libras 252. Posuit et desuper ciburium [f] æreum deauratum miræ magnitudinis. Fecit et Gabathos aureos quatuor [g], pensan. sing. libras singulas. Fecit absidam ejusdem basilicæ ex musibo [h], ubi etiam multa bona [i] obtulit. Item fecit basilicam beati Apollinaris martyris in urbe Roma, in porticu beati Petri apostoli, quæ appellatur ad palmata a solo, ubi dona multa largitus est [i].

120 Hic fecit constitutum in Ecclesia, et decrevit ut per omnem nebdomadam Sabbato die exeat Litania ad beatum Apollinarem, et ad beatum Petrum apostolum cum hymnis et canticis populus omnis occurrere debeat. Fecit et ecclesiam beato Cyriaco martyri a solo via Ostiensi milliario septimo, ubi et donum obtulit. Eodem tempore fecit ecclesiam beatorum Martyrum quatuor Coronatorum, quam et dedicavit, et donum obtulit. Fecit ecclesiam beato Severino a solo juxta civitatem Tiburtinam, milliario ab urbe Romana vicesimo, quam ipse dedicavit, et dona multa obtulit. Renovavit et cœmeterium beatorum martyrum Marcellini et Petri, via Lavicana. Eodem tempore fecit basilicam beato Pancratio martyri, via Aurelia, milliario secundo a solo, et ornavit sepulcrum ejus ex argento, quod pensan. libras centum viginti. Et ibi constituit mola in murum in loco Trajani juxta murum civitatis, et formam quæ de-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B* 5, minus 3 dieb [b] * cimiliam. *C*, cemiliam. *B*, cymiliam *vel* supellectilem. [c] * cerostata major [d] * tegulis. [e] * Romuli. [f] * Ciborium. [g] * Gabatas 3. [h] * musivo. [i] * dona., [i] * Palmaria *B*.

Digitized by Google

ducit aquam in lacum Sabbatinum, et sub se formam quæ conducit aquam Tiberis. Fecit et ciborium super altare ex argento, quod pensan. libras 287 [a] et arcus argenteos quinque, qui pens. singuli libras 15. Fecit et candelabra aurea tria, quæ pens. sing. libras singulas, ubi multa dona simul obtulit. Fecit ecclesiam beatæ Luciæ in urbe Roma juxta sanctum Silvestrum, quam et dedicavit, et dona multa obtulit. Fecit ecclesiam beato Adriano [b] martyri in tribus fatis [c], quam et dedicavit, et dona multa obtulit. Sed et multas alias fecit [d], quæ enumerare longum est. Fecit autem ordinationes tres per mensem Decembrem : presbyteros 13, diaconos 12 [e], episcopos per diversa loca numero unum et octuaginta. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli, sub die quarto Idus Octobris. Et cessavit episcopatus annum unum, menses septem, dies 17.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C* 187. [b] *C*, Aetiano. [c] *C*, foris. [d] *C*, multa alia bona fecit. [e] *C*, 11.

VARIANTES LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXII.

Num. 119, *lin* 6, lib. 975. Ibi ipsum fecit et ciriostatos majores. *lin.* 11 ex tegulis ereis, quas levabit de templo qui appellatur Rome, ex concessu piissimi Heraclii imperatoris. *lin.* 13, beate Agne martyris, etc., quem undique ornavit, exquisivit.

Ex codice Vallicellano.

Num. 119, *lin* 2, clerum et renovavit omnem cimiliam [*lege* omnia cimilia] beati Petri apost. Et investivit confessionem ejus ex argent. *lin.* 3 *et* 7. *Cod. Vallicell. habet ut mss. libri Reg., Max. et Thuan. exceptis his vocibus* cerostata, *et*, omnem Ecclesiam, *in quibus concordat cum solo Max. Item habet*, Agnæ *loco* Agnetis. *lin.* 17, fecit et gravatas [*lege* gabatas] aureas III, pens. singulas [*Cod.* singule] libras II. Fecit etiam absidam ejusdem basilicæ ex musivo, ubi et multa alia dona obtulit. Item fecit basilicam beati Apollinaris martyris a solo in porticu beati Petri Apostoli, quæ appellatur ad Palmata, ubi multa largitus est dona.

CX Var. Lect. codice Farnesiano.

Num. 120, *lin.* 3, occurri debeat. *lin.* 13, fecit et ciburium. *lin.* 18, sed et multa alia fecit, quas enumerare longum est.

V. L. Ex codice Vallicellano.

Num. 120, *lin.* 1, fecit quoque constitutum in Ecclesia et decrevit ut omni hebdomada sabbato die exeat etc. *ut codd. Reg. Max. et Thuan. lin.* 4, septimo ab Urbe, ubi et dona obtulit. Fecit etiam ecclesiam beatorum. *lin.* 6, et dona ibi obtulit. Fecit et ecclesiam beato Severino. *lin.* 7, miliario ab urbe Roma XX, quam et dedicavit, et dona ibi obtulit. Renov. et cimit. *lin.* 8, via Lavic. fecit quoque basilicam B. Pancratio martyri, etc. *ut codd. Reg. Max. et Thuan.*, *excepta* voce Luciæ, *loco* Luciæ. *lin.* 18, *Codd. Vallicell. habet ut Reg. et Thuan. lin.* 16, quam et dedicavit ubi et multa dona obtulit. Sed et multa alia fecit. *lin* 18, hic fecit ordinationes III. *lin* 19, diaconos XI, episcopos per diversa loca LXXXI. Qui etiam sepultus est apud beatum Petrum, sub die. *lin* 22, dies XVIII.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 119, *lin* 1, sedit annos 12, d. 17. *lin* 3, *B*, omnem cimiliam. *lin* 5 *et* 6, *B*, ecclesiæ ejus, quas vocavit medianas. *lin* 7, *A*, cerostata majora ; *B*, cerostatos majores. *lin* 10, *AB*, pens. libras 62. *lin.* 9, *BA*, tabulam argenteam. *lin* 11, *AB*, ex tegulis æreis. *lin* 12, *AB*, ex concessu. *lin* 16, *B*, tugurium æreum. *lin* 17, *AB*, gabatas. *lin* 18, *B*, ex musivo. *lin ead.*, *AB*, multa dona. *lin* 20 *B*, appellatur palmata.

Num 120, *lin* 1, *B*, omni hebdom sabb die exeant litaniæ a B. Apollinare ad B. Petrum. *lin* 13, A lib 187. *lin* 19, *in utroque deest* per mens Dec. *lin ead*, *A*, diac 6, *B*, diac 11, *lin* 22, *B*, d. 18.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 119, *lin* 2, Clerum, et renovavit omnem cimiliam beati Petri apost. *lin* 4, puro, pens. libr. 187; fecit et cerostrata (*M*, cerostata) majora ex arg. *lin* 6, libr. 62. Ipse investivit regias majores in ingressu ecclesiæ, quæ appellantur medianæ ex argento. Fecit quoque levari trabes in ecclesia beati Petri apost. num. 16 ; operuit etiam omnes ecclesias ejus (*M*, omnem ecclesiam ejus) ex tegulis æreis, quas levavit de templo, q. app. Romuli ex cons. p. imper. Heraclii. Fecit quoque ad beatum Andream apost. juxta eamdem ecclesiam beati Petri apostoli, ante confessionem ejus, tabulam ex argento, pens. lib. 73. Fecit quoque ecclesiam beatæ Agnetis mart. a solo, ubi requiescit, via Numentana, milliario ab urbe Roma 3; quam undique ornavit et exq., ubi et multa dona posuit : ornavit enim sepulcrum ejus ex argento, B pens. lib. 252 ; posuit desuper ciborium. *lin* 17, fecit et gravatas aureas 3 pens. sing. lib. 2 ; fecit etiam absidam ejusdem bas. ex musivo, ubi etiam multa alia dona obtulit : idem fecit basil. sancti Apollinaris mart. a solo in porticu beati Petri apostoli, quæ appell. ad palmata, ubi multa largitus est dona.

Num 120, *lin* 1, fecit quoque constitutum, et decrevit ut omni hebdomada sabbato dies exeat letania a beato Apollinare, et ad beatum Petrum cum hymnis et canticis omnis populus occurrat. Fecit et ecclesiam beato Cyriaco. *lin* 4, septimo ab Urbe, ubi et dona obtulit. [Fecit etiam ecclesiam beatorum. *lin* 6, et dona ibi obtulit] ; *uncis inclusa desunt in M.* Fecit et eccles beato Severino. *lin* 7, ab urbe Roma, quam dedic et ib. dona obtulit. Renov et cimit. *lin* 8, via Lavic. Fecit quoque basilicam beati Paner m. a solo via Aur *mil* 2 ab Urbe, et orn sep e. ex arg pens lib 120. Fecit et ciborium super altare ejus ex arg pens lib 100. Fecit et arcus argent C 2 pens sing lib 15 ; fecit et cand aurea 2 pens sing lib 5 : simul et multa alia dona ibi obtulit. Fecit quoque ecclesiam beatæ Luciæ. *lin* 16, ibi obtulit. Fecit et ecclesiam beati Adriani in tribus foris (*M*, in tribus fatis, *atque ita legebatur in R*, *sed mutatum, ut videtur*, *in* foris). *lin* 17, ibi obtulit. Sed et multa alia bona fecit (*M*, dona), *ibid*, hic fecit ord, *lin* 19, diaconos 11, episc per div 81. *lin* 20, apud B. Petrum, sub die. *lin* 22, dies 18.

Ex codice Thuano altero.

Num 119, *lin* 3, omnem cimiliam, cimiteria beati Petri apost. *lin* 4, purissimo, quæ pens. lib. 5 : hic in regias in ingr. eccl. ejus, quas vocant medianas ex. a. *lin* 7, fecit autem et cerostata majora paria duo, q. s. a. c. beati Petri apost. pens. sing. lib. 102. *lin* 9, tabulam argenteam, quæ pens. lib. *lin* 11, ex tegulis æreis q. *lin* 13, Heraclii. *lin ead.*, Agne. *lin* 14,

Digitized by Google

q. undique ordinavit, ubi p. et d. m. orn. a. et sep. ex a. quod pens. lib. 252. Pos. des. cibor. ær. d. m. m.; fecit et gabatas aur. pens. sing. lib. s.; fecit et abs. e. b. ex musivo, ubi etiam m. bona. *lin* 20, appell. Palmata.

Num 120, *lin* 2, letania a B. Apollinare ad B. Petrum. *lin* 4, domum o. *lin* 5, basilicam b. m. *lin* 7, ab urbe Roma, *lin* 9, milliario ab urbe Roma 2, *lin* 10, quod pens lib 120; fecit et ciborium, *lin* 13, quod pens lib 187; fecit arcus ar. q. *lin* 17, Adr in trib factis. *lin* 18, simul et alia multa f. *lin* 19, diac 11, *lin* 20, sepultus est ubi supra sub die 4, *lin* 21, m. 7.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 119, *lin* 1, patronis, *lin* 5, investivit regias in ingressu ecclesias majores, *lin* 13, Eraclyi.

Num 120, *lin* 2, letania, *lin* 8, redonavit, *lin* 13, cyburium.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 5. — *Investivit regias januas in ingressu ecclesiæ majoris, quæ appellantur Medianæ, ex argento*, Regiæ sunt majores fores ecclesiarum. Joannes Monach., in Vit. sancti Odonis abbatis Cluniacens. de apro quem vocat singularem : *Ille autem, omissa feritate, ut ingredienti aditus a quovis concederetur, prædictas regias diutius pulsavit, atque oris sui spuma, quo adhærere potuit, linivit.* Porta basilicaris idem est. Frodoard., in Chronic., ad ann. 820 : *Rhemis in monasterio sancti Petri ad portam basilicarem.* Idem, lib. IV Hist. Rhem., cap. 46, majorem portam basilicæ sancti Petri regiam vocat. Paulin., epist., 33 : *In amplissimam gloriosi Petri basilicam, per illam venerabilem regiam, cærulea eminus fronte ridentem.* Anastas., in Conone : *Qui missi fuerant de exercitu, ad custodiendas regias basilicæ clausas observabat.* Idem in Gregorio III : *Ab arcu altaris usque ad regias.* Idem, in Leone III : *Fecit in basilica Dei Genitricis ad Præsepe, in ingressu præsepii, regias vestitas ex argento purissimo.*


Num. 120, linea 12.— *Et formam quæ deducit aquam in lacum Sabbatenum, et sub se formam, quæ conducit aquam Tiberis.* Honorius formam, id est, aquæductum deduxit ex lacu Sabatheno in Urbem, in atrium ecclesiæ B. Petri apostoli. Eamdem restituit Adrianus I. Anastas., in ejus Vita : *Formam quæ vocatur Sabbathena, nimis confracta existens, per quam decurrebat aqua per Centenarium in atrio ecclesiæ beati Petri apostoli*, etc. Eamdem restituit Gregor. IV. Anast., in ejus Vit. : *Formam quæ Sabbatena nuncupatur*, etc. Forma Sabbatena est, quæ deducitur ex lacu Sabateno, qui angularius vocatur, l. *Rutilia Polla*, ff. *de contrah. empt.* Unde nomen a tribus angulis, quos præ se fert via Aurelia qua ducit in Vaticanum, ut nos docuit Platina in Adriano. In atriis ecclesiarum erant chantari seu fontes aquarum, quæ foris magno sumptu ducebantur per fistulas in usum ecclesiarum Anastas., in Gregorio II : *Sancti Laurentii pariter ecclesiam foris muros sitam reparavit, atque aquam, fistulis compaginatis, post multum temporis in eamdem Ecclesiam reduxit.*

Linea 16.— *Fecit ecclesiam beato Adriano martyri in tribus Fatis, quam et dedicavit.* Tria Fata locus in Urbe, cujus meminit Procop., de Bell. Gothic., lib. IX, ad fin. Quod comprobatur et alio loco Anastasii in Adriano : *In ecclesia vero beatorum Cosmæ et Damiani in tribus Fatis vestem de stauracin fecit.* Et rursus : *Basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani sitam in tribus Fatis restauravit.* Ne mihi tribuam aliena, hoc jam observavit Lacerda, Adversar. cap. 149, n. 27. Forte etiam legendum *de tribus Satis*, id est, tribus annis, juxta vulgare rusticorum, qui numerant annos per sata, seu segetes. Virgil., eclog. I:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

BALDINI.

Num. 119, linea 1.—*Honorius natione Campanus, ex Patre Petronio Consule, sedit annos* XII, *menses* 11, *dies* XVII. Litteratorum oculis spectandum subjicio ectypum bullæ plumbeæ sacro Honorii papæ nomine signatæ, quæ inter plurimas alias bullas plumbeas, quarum collectionem a multis annis urgeo, in meo museolo asservatur. Si vota fors comitetur, utresque suppetant, et vita, Deo juvante, seriem bullarum plumbearum pontificiarum, quibus alias multiplicis generis loco appendicis subnectam, vulgabo, quarum numerum in dies augeri auguror, unde ecclesiasticum studium ornabitur, et in sanctæ sedis honorem et gloriam aliquid etiam redundabit. Quamvis enim hoc genus studii videatur sterile prorsus et inamœnum, habet tamen sua lenocinia et suam utilitatem; nec illud illiberale certe est et vacuum fructu intueri ab antiquis Ecclesiæ sæculis consuetudinem Romanorum pontificum suo nomine in bulla plumbea impresso signandi et sigillandi pro nota authentica veritatis publica diplomata, trajecto cannabino vel serico filo per ventrem bullæ, et sic implexo membranæ, ut citra fractionem divelli nequeat, et advertere variationes quas successu temporum eædem bullæ subiere, pluresque alias circumstantias adnotare quæ cæterquin hominum alio attendentium oculos fugiunt.



Hæc bulla Honorii antiquior est qualibet alia a scriptoribus repræsentata, unam si excipias bullam sancti Deusdedit, qui undecim tantum annis Honorium antecessit, quam nuper Florentiæ inter inscriptiones Donianas ex penu nobilis litteratique viri baronis Philippi de Stosch vulgavit Antonius Fra

riscus Gori, vir omnigena litteratura ornatus, et inter illos bene paucos jure optimo collocandus, qui bono publico nati dicuntur. Hæc bulla ostendit antiquitatem styli Romanæ Ecclesiæ imprimendi sigillum in plumbo adversus eos qui recentius inductum censent, eumque nonnisi nono et decimo sæculo penitus obtinuisse. Polydorus Virgilius lib. VIII de Invent. rer., c. 2, de Romanis bullis sic loquitur : « Institutum obsignandi litteras Romani pontificis plumbo unde ad posteros manarit, perdiu quæsivi, plumbo tam pretioso sese, credo, in viscera terræ rursus abdente, ut ne cuiquam prædæ esset, cum soli Romani pontifices eo utantur. Equidem satis constat Agathonem, quo sedente magna sedi facta est honoris accessio, in cera annulo impressisse sigilla. Verum postea cum Romanus pontifex multa irrogaret privilegia, ut diplomata diuturniora fierent, placuit Stephano III, ac deinde Adriano I, tabulas apostolicas plumbo obsignari. Fuit is annus salutis 772, cum ipse Adrianus factus est pontifex, nam antiquius non reperitur sigillum plumbeum. » Hoc nostrum Honorii collocandum est inter annum sexcentesimum vicesimum primum, et sexcentesimum trigesimum octavum, quantum temporis spatium pontificatus Honorii capit.

Refert Joan. Michael Heineccius in libro de Sigillis veterum Germanorum, part. I, c. 5, ex Thoma Stubbio, teste Mabillonio lib. II, c. 14, de Re dipl. : « Cum lis mota esset inter Wilhelmum Cantuariensem, et Turstinum Eboracensem antistites, ac ille suæ Ecclesiæ privilegia pro se in medium protulisset, quæstionem subortam refert de diplomatum fide, quod in his bullæ plumbeæ desiderarentur. Dicente vero Cantuariensi illo tempore bullas plumbeas appendi non consuevisse, Eboracensem protulisse diplomata Gregorii I et Honorii pontificum jam tum bullis plumbeis munita. » Sed Dominicus Rainaldus apud Leonem Allatium lib. I de perpet. cons. Occid. et Orient. Eccl., c. 6, non solum Leonis I, Gregorii I et Sergii I bullas commemorat, quæ in archivo castri S. Angeli servari dicit, sed usque ad S. Sylvestri tempora ascendit, cujus bullam plumbeam in archivo Aretino reperiri affirmat. Ego quidem inficias super hoc ire non auderem, sed neque manus dare. Illud mihi certissimum est, Honorium hujus nominis primum sigillo plumbeo usum esse, meque ex illis unum possidere. Ab hoc ego auspicor epocham non quidem consignationis sigilli pontificii in plumbo, quam longe antea cœpisse reor, sed mihi non contigit esse tam felicem, ut aliam tempore potiorem bulla Honorii compararem, verum unde seriei initium bullarum ejusmodi a me petatur. Hanc quidem affirmare possum esse indubitabilem et genuinam Honorii I. Integritas enim et mundities litterarum, parvitas voluminis plumbi, nudum et solitarium nomen Honorii, citra ullam notam numeralem secundi, aut tertii, evidentissime demonstrant pertinere illam ad Honorium primum ; ubi bullæ Honorii alterius a primo consignatæ occurrent numero Romano II aut III ; nam ante annum millesimum nudum efferebatur nomen pontificis sine appositione notæ numeralis, qua inter se plures ejusdem nominis discernerentur ; et primus qui apposuit numerum in bullis plumbeis, occurrit Leo IX creatus papa anno 1048 ; quem secutus est Victor II cæterisque omnes deinceps, inter quos est Honorius II, qui sedem pontificiam ascendit anno 1124.

Hinc patet sine tuto fundamento a Dominico Rainaldo, quod factum etiam est a Joanne Palatio de Gestis pontificum, bullas signatas nomine Leonis, Gregorii, Sergii, Sylvestri, ascribi papis hujus nominis primis, cum papæ cognomines pari jure possint sibi habere sigilla omnia, quæ eorumdem nominibus sunt signata, ut quæ, repeto, ante annum millesimum nota numerali careant ; et fortasse bulla Reatina, cui idem auctor primatum defert, ad Sylvestrum secundum anno 999 electum papam spectabit. Non nego formam litterarum posse aliquod indicium præbere temporis, quo earum cælatura facta est, sed illi certo fidere non possumus, tum quia paucis plerumque litteris nomen papæ repræsentatur, quæ ad ideam characteris tunc vigentis ingerendam sufficere vix aut ne vix quidem possunt, tum quia variatio in litteras induci non solet nisi longo temporis intervallo, ut centum annorum et intra sæculum plures papæ ejusdem nominis occurrunt. Una ratio suppeteret figendi ejusmodi bullas notis carentes suis papis, scilicet si bullæ suis membranis adhuc hærerent, facile enim ex lectione et ex diligenti inspectione atque examine diplomatis notitia sui auctoris hauriretur, quem ex sola bulla plumbea expiscari, mea quidem sententia, frustra allaboratur.

BENCINI.

Num. 119, linea 12. — *De templo.* Templum hoc, ex quo tabulas æreas, sive, ut habent mss. codd. Regius, Freheri, Mazarini, et Thuani uterque, tegulas æreas, abstraxit Honorius ex Heraclii imp. consensu, et ecclesiam omnem B. Petri cooperuit, templum dicitur *Romæ*, in aliis autem codd. templum *Romuli*. Illud quidem Romæ, quæ velut dea impie colebatur, ab Adriano exstructum fuit, et Veneris templo adjunctum. De quo hæc habet Dio lib. LXIX : « Ipse quidem Adrianus descriptionem templi Veneris et Romæ ad eum (scilicet ad Apollodorum architectum) mittens, quippe significans sine illius opera et ministerio etiam ingentia ædificia exstrui posse, quærebat an illud ædificium recte se haberet. Rescripsit de templo, sublime et illud et concavum fieri oportere, ut ex loco superiori in sacram usque viam insignior prospectus esset, et magis conspicuus. Concavum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi et inde ex occulto in theatrum duci possent. » Ubi vero situm esset hujuscemodi templum ipse Anastasius docere potest, qui scripserat in Vita Felicis IV : Hic fecit basilicam SS. Cosmi et Damiani in urbe Roma, in loco qui appellatur via Sacra, juxta templum urbis Romæ. » Fuit igitur non procul ab amphitheatro, cum juxta Apollodori Mathematici descriptionem inde peti ludorum machinæ eodemque referri deberent : ideoque multis persuasum est duo illa septa quæ in hortis sanctæ Mariæ Novæ adhuc supersunt, esse hujus templi rudera. Tantæ autem celebritatis fuit, ut eo insignirentur ipsa imperatorum numismata, qualia nuper effossa sunt in nostro Pedemontano agro ad vicinia Montisregalis, et in regia gaza asservantur, fortasse aliquando in eruditorum oculos proditura. Quod si templum Romuli ab Anastasio indicatum malis, hoc pariter non exiguæ apud Romanos venerationis fuit, deque eo Dionysius Halicarnas. lib. I, ubi agit de Lupercali. « Ostenditur secundum viam qua itur ad circum, templumque ei proximum, in quo est Lupa præbens pueris duobus ubera. » Fuit igitur ad Lupercal in octava regione, post curiam, aut ad basilicam Porciam, ubi nunc ædes S. Mariæ Liberatricis. Discimus interim ex his Actis pontificalibus, alterutrum eorum templorum Christiano VI sæculo superfuisse, tabulis statuisque opulentum, tandiu fortasse a principibus servatum, quod priscorum Cæsarum simulacra contineret.

BINI ET LABBEI.

Num. 119, linea 1. — *Honorius.* Anno Redemptoris nostri 626, decima tertia die mensis Maii, Honorius Campanus creatus est pontifex Romanus. Hujus temporibus orta est hæresis Monothelitarum et propagata. An Honorius fuerit Monothelita, gravis quæstio. Severior est sententia omnium fere orthodoxorum nostri temporis illa, qua Honorius ab omni labe e susceptione hæreseos expurgatur. Adversus eum stabant Monothelitæ, suum esse asserentes. Sed pro eo pugnabant Maximus contra Pyrrhum, Joannes IV,

Digitized by Google

Martinus I, Agatho, aliive plures pontifices Romani Honorium sibi vindicantes. Vide doctissimam Severini Binii adnotationem, tom. V Concilior., ad Vitam Honorii, Bellarminum, lib. IV, de Rom. pontif., cap. 11, et Baronium, anno 633.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Quod semel suasit necessitas, temporumque calamitas, ut clerus populusque Rom. auderent in Bonifacii V electione atque consecratione, id in successoris Honorii non esse factum ex ipso Anastasio constat catalogisque et Codd. omnibus consentientibus. Si enim Honorius sedit annos XII, menses XI, dies XVI, fuitque depositus die 12 Octobris, ut constantissime omnes tenent, ordinatus idem fuit die 27 Octobris, unde postremis inclusis ad diem depositionis totidem anni, menses, dies sunt quot regnavit Honorius. Cum autem prædicta dies 27 Octob. sit Dominica anni 625, ut indicat lit. Dom. F., interpontificium igitur fuit anni unius, ac dierum trium, non dierum duntaxat XIII, ut habent fere omnes Codd. et catalogi, præter vulgatum, qui omni procul ratione præsefert vacationem mens. VI, dierum XVIII. Ant. Pagius recte animadvertit non posse Honorii primordia serius constitui anno prædicto 625, idque arguit ex Pontificis litteris ad episcopos Epiri II Id. Decemb. indict. XIV, quæ exstant in Collect. Rom. Holstenii, pag. 248, quas litteras Papebroch. mendosas putat, quia sibi contrarias ob detractum Honorio annum, cujus initia collocat anno 626, adeoque ab eodem Pagio arguitur, an. 625, n. 16, quasi eam collectionem non viderit. Hinc vero Pagii cætera eruditissimi allucinatio ingens patet; is enim depositione cum Anastasio definita die 25 Octobris, licet mortem bidui retro trahat, ordinatum fatetur Honorium die 27 ejusdem mensis, et anni. Quæ autem aures audire possunt, unica tantum die media inter depositionem et ordinationem, pontificem electum, ordinatumque eo præsertim tempore cum principis jussio Cpoli exspectabatur, absque ulla canonica electione, ac potissimum contra Bonifacii III decretum, paucis ante annis editum, ne pontifex eligatur nisi tertia post depositionem die? Huc accedit libri diurni pontificum æqualis eorum temporum auctoritas, ubi, cap. de elect. pontif., ad Exarch., ita legitur: « Pontificalis memoriæ illo de præsentibus curis ad æternam requiem evocato, ut assolet humanis rebus accidere, magna nos tristitiarum moles obstrinxerat proprio dispensatore frustratos. Sed non diu in afflictione persistere consueta Dei nostri benignitas sperantes in se dereliquit. Triduo enim nobis exiguis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cœlestis dignatio demonstraret, quem dignum, » etc. Certe Pagius, nisi, Bedæ loco deceptus, Bonifacii V sedem plus æquo produxerat, his modo angustiis non hæreret. Quæ cum ita sint, vacatio sedis inter Bonifacium et Honorium per se patet, anni quidem unius, ac dierum trium, proindeque error Codd. pene omnium et catalogorum habentium dies XIII, ab Arabica, ut arbitror, cifra 13, absque punctis prisco barbaroque more sequioris ævi emanatus. De emortuali Honorii die, seu depositionis, liquet ex Anastasio; de anno autem, nempe 638, eruditis omnibus constat, præsertim Papebrochio, in Conat. hist., Sirmondo, in Synopsi ad Collect., Anast. et Antonio Pagio. Ita annum hunc vagum in diversa ab aliis distractum restituendum putavi; quæ restitutio nisi arrideat, rei periculum felicius fiat.

CIACONII.

Num. 119, linea 1. — *Honorius.* Petronii de la Mara, viri consularis filius, Campanus, decimus papa regnicola, imperatore Flavio Heraclio, sedit in Petri cathedra annos XII, menses XI, dies VII, creatus et consecratus die Dominico VII Idus Novembris, anno 622. Videre est in sex synodi Constantinopolitanæ tertiæ vulgatis Codicibus sanctissimo huic vero Monothelitarum hæresis crimen impingi, cum falsissimum sit ipsum huic hæresi unquam subscripsisse, imo constet eam condemnasse, ut ex Maximi monachi ejus contemporanei, qui sub Martino papa vixit, epistolis Græcis, et dialogo contra Pyrrhum patriarcham Constantinopolitanum, hæreticum Monothelitam, quæ in bibliotheca Palatina exstat, satis manifestum est. Eumdem etiam pontificem catholicum semper fuisse scriptis confirmarunt Emmanuel Calles Græcus, Joannes de Turrecremata cardinalis, lib. de primatu S. R. E., et nostris temporibus Albertus Pighius, in lib. de Ecclesiastica Hierarchia. Cæterum vulgata sextæ synodi exemplaria a Græcis corrupta, ejusque canones, in quibus Honorius condemnatur, suppositilios esse, ex Theophane Isauro Græco Historiæ ecclesiasticæ scriptore, docet Anastasius Bibliothecarius, in Historia sua Latine, quam ex eodem Theophane, Nicephoro et Georgio abbate composuit. Hæc animadvertit Gulielmus Sirletus Calaber, cum esset sedis apostolicæ protonotarius, qui cum doctrina, pietate et omnium virtutum genere, cumulatissimus existeret, ad collegium cardinalium meruit promoveri, et memoria illius nunc in benedictione est.

Linea 11. — *Hic cooperuit ecclesiam.* Basilicam sancti Petri tegulis æneis ex Jove Capitolino sumptis cooperuit.

Linea 13. — *Fecit ecclesiam beatæ Agnetis.* Ut carmen in abside indicat.

MAFEI.

Num. 119, linea 2. — *Sed et multa alia.* Inter multa alia quæ Honorius pontifex gessit unum est, quod populos Christianæ religionis expertes ad Christi fidem adduxit, missis verbi Dei administris, qui eos docerent. Ab Honorio enim Birinum episcopum in Brittaniam missum fuisse, a quo Saxones Occidentales Christianam fidem suscepere, Beda (*Lib.* III, *cap.* 7) testatur: « Eo tempore, inquit, gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur, regnante Cynigisso, fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum Birino episcopo, qui cum consilio papæ Honorii venerat Britanniam, promittens quidem se illo præsente in intimis ultra Anglorum partibus, quo nullus doctor prævecessisset, sanctæ fidei semina se esse sparsurum; unde et jussu ejusdem pontificis per Asterium Genuensem episcopum in episcopatus consecratus est gradum. »

Num. 119, linea 3. — *Temporibus suis renovavit*, etc. De Honorii erga divinum cultum reverentia in disponendis rebus ecclesiasticis, atque munificentia in ædificandis, ornandis, dotandisque ecclesiis, multa admiranda apud Anastasium inveniuntur. Omnem enim prope clerum renovavit, basilicam beati Petri tegulis æneis, ex Jove Capitolino sumptis, cooperuit, altareque sancto Petro argento incrustavit, multis aliis additis ornamentis. Ædem sanctæ Agnetis martyris a solo refecit. Ædem sancti Pancratii via Aurelia restituit, templum quoque Anastasii ad Aquas Salvias, templum quatuor Coronatorum martyrum; templum sancti Severini, apud urbem Tiburtinam, magnificentissimi operis ædificavit, et argento auro, porphyreticis et marmoreis lapidibus incrustatione parietum, opere tectorio, vermiculatoque exornavit. Restituit etiam cœmeterium sanctorum Marcellini et Petri: multas alias Ecclesias restituit, et multas de novo construxit; primusque instituit ut unoquoque Sabbato a sancto Apollinari ad sanctum Petrum iretur cum litaniis. Sed mirabilius plane est quod ejus epitaphium et vetus alia inscriptio a Canisio, tomo VI antiq. Lect. relata, testantur, ipsum nempe exstinxisse schisma Istriæ de tribus capitulis, quæ laus est non minima. Sed cum in sancto Gregorio probaverimus schisma illud durasse usque ad Sergium papam, vel sub Honorio omnino sopitum non

Digitized by Google

est, vel schismatici iterum post Honorii mortem lapsi sunt.

Num. 120, linea 20. — *Qui etiam sepultus est.* Obiit tandem Honorius papa die duodecima mensis Octobris anni sexcentesimi trigesimi octavi postquam, ut habet Anastasius, sedisset *annos duodecim, menses undecim, dies septemdecim*, tam die ordinationis, quam mortis aut sepulturæ, ut sæpe fit, in summam collato, ex quo manifestum fit nos juxta mentem Anastasii ordinationem ejus recte conjunxisse cum die 27 Octobris anni 625, cum, eodem teste, obierit et sepultus sit in basilica beati Petri apostoli *sub die quarto Idus Octobris.*

LXXIII. SEVERINUS.

ANNO CHRISTI 638, HERACLII 29.

121 Severinus, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses duos, dies quatuor [a]. Hujus temporibus devastatum est episcopium Lateranense a Mauricio chartulario et Isacio patricio et exarcho Italiæ, cum adhuc electus esset domnus Severinus. Sed antequam veniret Isacius, Mauricius dolo ductus adversus Ecclesiam Dei consilio inito cum quibusdam perversis hominibus, incitaverunt exercitum Romanum, dicentes, quia quid prodest quod tantæ pecuniæ congregatæ sunt in episcopio Lateranensi ab Honorio papa, et miles iste nihil exinde subventus habet, quando et rogæ vestræ, quas domnus imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt a sancto viro reconditæ. His auditis exarserunt omnes adversus Ecclesiam Dei, et venerunt omnes a minimo concitati, omnes armati, qui inventi sunt in civitate Romana a puero usque ad senem in episcopio suprascripto Lateranensi, et non potuerunt manu militari introire, quia restiterunt eis qui erant cum sanctissimo domno Severino.

122 Tunc videns hoc Mauricius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus fecit ibi exercitum residere, intra episcopium Lateranense, et fuerunt ibi dies tres. Post triduum autem introivit Mauricius cum judicibus, qui inventi sunt cum ipso in consilio, et sigillaverunt [b] omne vestiarium ecclesiæ, seu cimbylia episcopii, quæ diversi Christianissimi imperatores, seu patricii et consules, pro redemptione animarum suarum beato Petro apostolo reliquerant, ut pauperibus singulis temporibus pro alimonia [c] erogarentur, seu propter redemptionem captivorum. Et postmodum misit Mauricius epistolas suas ad Isacium patricium Ravennam de hoc quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium episcopii; et quia sine aliqua læsione omnem substantiam sæpe dictam potuisseut deprædari. Cumque hæc verius cognovisset Isacius, venit in civitatem Romanam, et misit omnes primatos [d] Ecclesiæ singulos per singulas civitates in exsilium, ut non fuisset qui ei resistere debuisset de clero. Et post dies aliquantos ingressus est Isacius patricius in episcopium Lateranense, et fuit ibi per dies octo, usque dum omnes substantiam illam deprædarentur.

123 Eodem tempore direxit exinde ex parte ex substantia ipsa • in civitatem regiam ad Heraclium imperatorem. Postmodum ordinatus est sanctissimus Severinus, et reversus est Isacius Ravennam. Hic renovavit absidam [f] beati Petri Apostoli ex musivo, quod dirutum erat. Hic dilexit clerum, et omnibus donum [g] augmentavit. Fuit autem sanctus, benignus super omnes homines, amator pauperum, largus et mitissimus. Fecit autem episcopos per diversa loca numero quatuor. Hic dimisit [h] omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die quarto Nonas Augusti, et cessavit episcopatus menses quatuor, dies viginti novem.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Baron. tit Anastasium ei tribuere mens. undecim.* [b] Intrantes sub specie pacis sigill. [c] Eleemosyna. [d] *Baron. intelligi putat cardinales.* [e] Ipsa substantia partem quandam. [f] *B*, apsidem. [g] *B*, donis *vel* bonis. [h] *B*, divisit

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXIII.

Num 121, *lin* 4, sed antequam veniret Isacius patricius Mauritius. *lin.* 8, et rogas vestras, quas dominum imperator vobis per vices mandabit ibi sunt ad sanctissimum Petrum reconditus.

Ex codice Vallicellano.

Num 121, *lin* 1, Habieno. *lin* 2, a Mauricitio cartulario, et Isatio patricio et exarcho Italiæ, dum adhuc. lin. 4. Isatius patricius, Mauritius. *lin* 5, incitavit exercitum Romanum, dicens : Quid prodest. *lin* 7, et milites isti nihil exinde subventionis habent ? dum quando et rogas vestras quas dom imper. *lin* 9, 10 et 11, *cod Vallicell habet ut mss libri reg, Maz et Thuan. lin* 12, cum supradicto domno Severino.

Num 122, *lin* 3, Mauricius cum judices qui inventi sunt. *lin* 4, vestiarium ecclesiæ, seu cymilia episcopii quas diversi.

Num 122, *lin* 1, Martinus. *Et ita ubique, ibid.*, fecit exercitum suum residere. *lin* 2, et fecerunt ibi dies III. *lin* 3, in consilio : et intrantes sub specie pacis sigillaverunt omne vestiarium ecclesiæ, seu cymilia episcopi. *lin* 6, derelinquerant, ut. *lin* 7, pro eleemosyna (*Cod.* eleemosyna) erogarentur. *lin ead, deest* et *ante* postmodum. *lin* 8, de eo quod [*Cod.* qui] actum est. *lin* 9, vestiarium episcopi. lin. 10, s. a. læsione substantiam prædictam potuissent deprædari. Cumque hoc verius. *lin.* 11, in civitatem Romam, et misit omnes primates Ecclesiæ. *lin* 13, debuisset. Post dies aliquantos. *lin* 14, *Cod. Vallicell. concordat cum Reg., Maz. et Thuan.*

Num 123, *lin* 8, et cessavit episcopatus menses IIII, d. XXIIII.

Num 123, *lin* 1, eodem tempore direxit ex ipsa substantia partem quandam in civit R. ad Her imp. Postmodum reversus est Isarius Ravennam, et domnus Severinus ordinatus est papa. Hic ren. *lin* 4, diruptum erat *ut edit. lin* 8, apud beatum Petrum. *In reliquis, brevitatis causa omissis, concordat cum Reg, Maz et Thuan.*

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 121, *lin* 2, *A*, Maliritio, *lin* 4, *B*, Isacius patricius Mauricius, *lin* 8, *A*, ibi sunt a sancto. *lin* 11, *B*, in episcopium suprascriptum.

Num 122, *lin* 3, *B*, in consilium. *lin* 4 *B*, cymilias; *A*, tubilia. *lin* 11, *AB*, omnes primates. *lin* 14, *B*, omnem substantiam, *etc.*

Num 123, *lin* 1 *AB* direxit partem ex substantia. *lin* 4, *A*, quæ durata erat; *B*, omnes dies augmentavit. *lin* 6, *B*, numero 9. *lin* 9, *A*, dies 24.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 121, *lin* 4, Isacius patricius Mauricius. *lin* 5, incitavit ex. Rom dicens : Qui pr. *lin* 7, et milites ipsi nihil exinde subventionis habent, dum quando et rogas vestras, quas dominus imper. *lin* 9, ibi reconditas tenent *lin ead* ecclesiam, et ven animo concitati omnes armati. *lin* 11, senem, et in episcopiam Lateranense non potuerunt manum mittere, et introire. *lin* 13, cum suprascripto d. Sever.

Num 122, *lin* 1, fecit exercitum suum residere intra episc Later et fecerunt ibi dies tres. *lin* 3, et intrantes sub specie pacis o. u. E. seu cimilia. *lin* 6, reliq ubi p. s. t. pro eleemosyna erog. *lin* 7, capt Postmodum M. Mauritius e. s. ad l. p. R. de eo q. ac. *lin* 10, subst prædictam p. d. *lin* 11, civ Rom. *lin* 12 primates eccl. *lin ead*, ut non fuissent qui ei resistere debuissent (*M*, fuisset et debuisset). Post dies al. *lin* 13, Isaacius in episc Later et fuit ibi per dies, usque dum substantiam illam deprædatus est.

Num 123, *lin* 1, eodem tempore direxit ex ipsa substantia partem quandam in civit R. ad Herp imp. Postmodum reversus est Isacius Ravennam, et dominus Severinus ordinatus est papa. Hic ren. *lin* 4, diruptum erat. *lin ead et* 5, dona augment. *lin* 6, largitor mitissimus. *lin ead*, loca novem. Hic dim.

Ex codice Thuano altero.

Num 121, *lin* 4, Isacius patricius M. *lin* 7, et milites isti nihil exinde subventum habet. *lin* 10, animo conc.

Num 122, *lin* 2, exerc sedere i. Episc Lateran et sederunt di. 3. *lin* 4, scribe cimilia. *lin* 7, pro redemptione c. *lin* 10, deprædare. *linea* 12, ut non fuisset qui resistere potuisset, debuisset e clero. Eodem tempore, etc.

Num 123, *lin* 4, disruptum. *lin* 6 *et* 7, numero 9, diaconos 19. *lin* 9, dies 34.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 121, *lin* 1, Severianus, *lin* 7, habet. Dum quando et reges. *lin* 11, episcopium.

Num 122, *lin* 4, omnem vest e. s. c. e. quas. *lin* 9, omnem v. *lin* 10, deprædare. *lin ult*, deprædarent.

Num 123, *lin* 1, ex ipsa substantia. *lin* 3, Ravenna.

NOTÆ VARIORUM

ALTASERRA.

Num. 121, linea 2. — *Hujus temporibus aevastatum est episcopium Lateranense a Mauritio chartulario et Isacio patricio et exarcho Italiæ, cum adhuc electus esset domnus Severinus.* Cum adhuc electus esset Severinus, id est electus et nondum consecratus, episcopium, id est, patriarchium Lateranense, a Mauritio chartulario et Isacio patricio et exarcho Italiæ direptum est. Vacantium ecclesiarum res a plebe diripi solebant : quod genus prædationis levas vocabant a verbo *levare*, quod sonat tollere, a Victore III vetitum. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. II, cap. 97 : « Seditiones quas dicunt levas seu prædationes, quas hic in abbatis dormitione fieri solere compererat, Victor III PP. ne ultra fieret, severissime interdixit. » Petr. Damian. lib. V, ep. 6 : « Plebium consuetudinem fama vulgante cognovimus, ut videlicet suo defuncto episcopo domum episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates ejus prædonum more diripiant, prædiorum domos invadant, vites insuper et arbusta bestiali immaniores feritate succidant : quod nimirum nisi Ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium quin regionibus illis repentini furoris immineat gladius. » Nec desiit furor plebis Romanæ diripiendi ædes pontificias vacante sede. Monstrelet Chronic. vol. I, cap. 62, de electione Joannis XXIII : *Et tantost toute sa maison fut forcée et on emporta tout ce qu'on y trouva, et mesmement n'y demeura huys ne fenestre, que tout ne fust osté.* Basilica Lateranensis est prima e patriarchalibus ecclesiis urbis Romæ, sic dicta quod e domo Laterani conversa est in ecclesiam. Hieronym. ad Ocean. de Fabiola : *In Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio.* Basilicæ Lateranensi adjungitur episcopium seu patriarchium Lateranense, quia ibi fuit domicilium et Palatium antiquorum Romanorum pontificum. Anastas. in Vigilio et Stephano III : « Quo audito Augusta misit Anthemium scribonem cum jussionibus suis et cum virtute majore Romam dicens : Excepto in basilica sancti Petri parce; nam si in Lateranis atque in palatio aut in qualibet ecclesi. inveneris Vigilium, mox imposito in navi, perdu cum usque ad nos. » Radevic. de Frideric. gest. lib. I. cap. 10 : « Unde de imperatore Lothario in palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est :

Digitized by Google

Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores,
Post homo fit papæ, sumit quo dante coronam.

Et Anastas. ipse in Stephano IV : « Illicque oratione ab episcopo data juxta antiquitatis morem tribuentemque pacem omnibus, in Lateranense introduxerunt patriarchium. »

Et sigillaverunt omne vestiarium ecclesiæ seu cymilia episcopii. Cymilium ecclesiæ est vestiarium, in quo sacræ vestes vel sacra vasa et res pretiosiores ecclesiæ custodiæ causa reponuntur, ut interpretatur ipse Anastasius hic et inf. eod. : « Quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium episcopii. » Idem in Vitaliano : « Sed et vasa sacrata vel cymilia sanctarum Dei ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt. » Paul. Varnefrid de Gestis Longob. lib. v, cap. 11 : « Nam et vasa et cymilia sanctarum Dei ecclesiarum, imperiali jussu et Græcorum avaritia sublata sunt. »

BENCINI.

Num. 121, linea 2. — *Devastatum est episcopium.* Expilatio hæc opulentissimi patriarchii Lateranensis, cujus meminit Anastasius, et cædes a Mauritio chartulario imperiali in Romanos patrata, originem hanc habuere, quam ex Actis concilii Lateranensis sub Martino I certissime discimus. Heraclius imp. annitente Sergio CPno antistite, Ecthesim evulgavit, in qua sileri ab utraque parte mandabatur circa controversiam a Monothelitis excitatam, de una, aut duplici agnoscenda asserendaque in Christo D. N. operatione. Et pactis quidem servandi ea de re silentii convenerant pridem Honorius pontifex, Hierosolymit. patriarcha Sophronius, aliique primarum sedium episcopi, eo quod tempestivum videri tunc et œconomicum poterat. Sed cum rebus humanis excessisset Honorius, Monothelitæ pacta silentii ad hæresim constabiliendam traduxere, in tantum, ut Sophronius pro orthodoxa traditione et fide illud censuerit abrumpendum. Sergius e contra, hæresis suæ et propositi tenacissimus, edictum ab Heraclio sollicite extorsit, quod Ecthesim appellarunt, et perniciosæ cunctationis larvam iterum religionis candori obtendit. Mittitur Ecthesis ad patriarchas et ad episcopos reliquos, ut, pro more illorum temporum, subscribatur. Eamdem ut accepit Isaacius exarchus, continuo per Mauritium chartularium ad Severinum pontificem, ut confirmaretur, transmisit. Namque chartularii apud Græcos hoc erat officium, ut publicas chartas reciperet, in usum et auctoritatem deduceret, ac deinceps custodiret. Accepit igitur Ecthesim Severinus, atque in Romana synodo, forte ad ejus ordinationem congregata, sententia damnationis confixit. Hinc Isacii in Severinum diræ et insectationes : hinc patriarchii Lateranensis furiosa expilatio, et commota adversus clerum et Romanos persecutio. De imperiali mandato ad Severinum pontificem dirigendo, quatenus Ecthesim confirmaret, verba facit Cyrus Alexandrinus in epist. ad Sergium, recitata secretar. 5 concil. Lateranens. sub Martino, tom. III Concil. Hard., pag. 803 : « Eustachius gloriosus magister militum detulit mihi venerandos apices præcipui mei Domino Deo honorabilis beatitudinis, intus habentes et exemplar competenter et consultissime factæ Ecthesecos venerabilis nostræ fidei, a piissimo et Deo conservando domino nostro magnoque principe propria fide nostra, ad Isacium excellentissimum Patricium et exarchum Italiæ destinatæ, quam debet profiteri frater noster Severinus sanctissimus, Deo juvante, qui ordinatur in Roma. » Attamen a Severino et a Romana synodo Ecthesin fuisse condemnatam testatur Martinus pontifex, qui, post recitatam Cyri epistolam, Lateranenses Patres hisce verbis est allocutus. « Ceciderunt autem a sua spe, mentiti contra caput proprium. Nec enim suscepta est omnino, nec admissa est secundum vanam eorum spem, magis autem condemnata est et anathematizata ab apostolica auctoritate hinc transmissa pessimæ et præsumptionis novitatis eorum Ecthesis. » Hæc itaque in Romana primum synodo anathemate proscripta est a Severino, cui universus Romanus clerus assensum præbuit. Quocirca Gesta pontificalia subjungunt : « Cumque hæc verius cognovisset Isacius, venit in civitatem Romanam, et misit omnes primates Ecclesiæ singulos per singulas civitates in exsilium, ut non fuisset qui ei resistere debuisset de clero. » Ac reipsa Severinus constitutum edidit adversus Monothelitas, quod laudatur in professione fidei, in Diurno Rom. Pont., c. 3. n. 6, his verbis : « Profitemur etiam cuncta decreta pontificum apostolicæ sedis, id est, sanctæ recordationis Severini, Joannis, Theodori atque Martini custodire; qui adversus novas quæstiones in urbe regia exortas, pro propria doctrina cuncta zizaniorum scandala amputasse noscuntur, profitentes juxta naturarum motum, ita et duas naturales operationes et quæcunque damnaverunt sub anathemate damnamus. » Id igitur ex hisce novimus, primum Severinum pontificem cum sua Romana synodo hæresim Monotheliticam publico suo decreto perstrinxisse : cui quod episcopi Romani clerici constanter adhæsere, exsilio multati sunt.

Linea 3. — *Cum adhuc electus esset.* Scilicet recepto dudum more, concessio ordinationis faciendæ ab imperatore exspectabatur; quod verba Cyri in laudata superius epistola non obscure docent : *Quam* (Ecthesim) *debet profiteri... Severinus... qui ordinatur in Roma.* Arbitror itaque una cum Sergii Ecthesi, et epistola missam ad Severinum imperialem concessionem ordinationis; ipsumque Mauritium chartularium attulisse Romam utrumque, et forte Ecthesim primum apud pontificem pertulisse, quam quod ille in Romana synodo anathematizaverit, devastatum est patriarchium, expilatæ opes, omnisque clerus, agente Isacio exarcha, exsilio et ludibriis exagitatus. His enarratis, subjungunt Acta pontificalia : *Postmodum ordinatus est sanctissimus Severinus.*

Linea 6. — *Tantæ pecuniæ.* Auri argentique vim pene incredibilem ecclesiis donaverat Honorius, ipsumque Lateranense ærarium oppletum reliquit. Produnt siquidem ejus Acta obtulisse eum ad 2500 argenti cælati libras, præter auri dona aliæque suppellectilis. Hic vero dicitur Lateranense ærarium ingenti pecunia ditasse. Res visa est imperatori, bellorum expensis detrito, commoda et opportuna, nactusque occasionem, diripi mandat, cæteraque Isacio depopulanda permittit.

BINII ET LABBEI.

Num. 121, linea 1. — *Severinus.* Post obitum Honorii Severinus, natione Romanus, consensu totius cleri factus est pontifex; confirmationem electionis, tyrannice fieri solitam, ab Heraclio fortasse nullam impetravit.

Lin. ead. *Sedit menses*, etc. Baronius anno 639, num. 3, ait Anastasium Severino tribuere menses 11 et dies 4. Ad prædictum annum Domini qui cum indictione 12 coincidit Severinum pervenisse ex eo patet quod Ecthesim Heraclii indictione XII promulgatam (ut videre est in conc. Rom., secret. 3) ipse damnaverit et anathemati subjecerit. Eumdem non esse prætergressum hunc annum colligere possumus ex synodo Romana, quam prædicta Acta synodalia a Joanne pontifice et successore Severini collectam fuisse testantur.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedis vacationem post Honorium anni I, mensium VII, dier. XVII seu XVIII, catalogi omnes et codices unanimi consensu definiunt. Causam vacationis tam diuturnæ eruditissime conjecit Baronius, protelatam nempe novi pontificis ordinationem ab imperatore et ab exarcho Isaacio patricio, quoad chartam dogma-

Digitized by Google

ticam Græce Ecthesin probasset. Idque conjecit ex epistola Cyri Alexandrini ad Sergium Cpoleos patriarcham. Aliam quoque causam diutissimi interpontificii ab Anastasio discimus, tradente quod Isaacius Patricius, cum fama esset Honorium papam multos thesauros collegisse et in Laterano deposuisse, Romam venit misitque in exsilium omnes Ecclesiæ primates (nempe cardinales, ut Baron. et Calvis. intelligunt), deinde Ecclesiæ thesaurum asportavit. Baronii conjectura valde placet Antonio Pagio, qui animadvertit, eodem anno Ecthesim prodiisse quo et patriarchium Lateranense expilatum fuit et Isaacius Romam venit; quare in doctissimi Annalistæ sententiam it pedibus, nequidquam repugnante Combefisio Hist. hær. Monoth., disp 1, § 11, qui prolelatam confirmationem ascribit aut morbo imperatoris, aut metui certi periculi pro parte Occidentalis imperii si pontificium onus in senem Romanumque hominem sibi ignotum reclinaretur. De Ecthesi ac Monothelismo consule notas Pagii et Sommier ad S. Martinum, num. 131. Vacationis igitur ob prædictas causas tam diuturnæ, a die scilicet 12 Octobris anni 638, finem attulit dies 28 Maii an. 640, quam C littera Dom. fuisse ipsam ordinationis ostendit. At si diuturnum fuit interpontificium ante Severini ordinationem, e contrario breve admodum fuit sedis tempus; etenim pontifex, ordinatus die 28 Maii, anno 640, Kalendis Augusti ejusdem anni moritur, postridie sepelitur, cum duos duntaxat menses, dies quatuor Petri cathedram tenuisset. Cæterum diuturna hujusmodi interpontificia, quorum similia deinceps non occurrent, non pro nostræ ætatis more accipienda sunt: apostolica enim sedes tridui utplurimum spatio diutius suo viduata pastore non remanebat, clero populoque statim consentiente in spectato aliquo viro, quem Spiritus sanctus eligendum inspirasset, ut ex Diurno Pontificum liquet. Et sane ipse Anastasius de Lateranensi expilatione loquens: *Cum adhuc*, inquit, *electus esset domnus Severinus*; et supra in Bonifacio V, de cæde Eleutherii patricii agens dixerat, *ante dies ordinationis ejus*. Ac præterea principis jussionem pro publicæ pacis bono toleratam in alium unquam non incidisse legimus præterquam in rite electum pontificem. Quin etiam tempore id exigente electus, quidquid ante confirmationem secus esse videatur, pastoris munere fungebatur, ut de M. Gregorio constat, qui a Mauritio nondum confirmatus Litaniam septiformem aliaque id genus inter maximas Romæ calamitates celebrabat. Ad Severini sedem rediens, non ampliorem duobus mensibus et quatuor diebus fuisse affirmo, tametsi apud Baron menses undecim per errorem inveniantur.

CIACONII.

Num. 121, linea 1. — *Severinus*, Labieni filius, Romanus, imperatore Flavio Heraclio Augusto, sedit ab ordinatione annum unum, menses duos, dies tres, creatus et consecratus Kal. Junii die Dominico anni 637; ab Isacio totius Italiæ exarcho, in pontificatu confirmatur: vana enim habebatur cleri ac populi electio nisi eam imperatores aut eorum exarchi confirmassent.

Linea 4. — *Mauricius*, sive male erga Ecclesiam animatus, sive ab Heraclio non bene sentiente impulsus.

MAFEI.

Num. 123, linea 8. — *Et cessavit episcopatus menses quatuor, dies* 29. Dum sedes per Severini mortem vacaret, Scotorum legatio Romam pervenit, quam de tempore Paschatis celebrandi, deque Pelagianorum hæresi ad Severinum miserunt, ut habet Beda lib. XII, cap. 18. Ad quos archipresbyter, Archidiaconus et primicerius notariorum, tunc temporis, vacante sede, Romanam Ecclesiam administrantes, A reseratis eorum litteris, ne diu quæstionis caligo indiscussa remaneret, responsum dedere, atque Pascha quarta decima luna cum Hebræis nequaquam esse celebrandum scripserunt, caverentque a blasphemia Pelagii et stultiloquio, quod sæpius ab Ecclesia erat damnatum. Ex hoc errore Scotorum inferunt quidam Angliæ Protestantes Britannorum fidei prima rudimenta non jussu Romanorum pontificum ex Romana hausta fuisse doctrina, sed ex Græcia Asiaque derivasse, cum ab exordio illorum nascentis Ecclesiæ Asiatico more Pascha peregerint. Verum id perperam a Protestantibus inferri ostendunt cum literæ ad Severinum a Scotis datæ, quas non dedissent cum Romana Ecclesia unionis expertes, tum Beda ipse, qui per litterarum initium, quas ad Scotos clerus Romanus remisit, manifeste dicit declaratum, *et nuperrime temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, et non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicitos.*

B

PAGII.

Num. 121, linea 2. — *Hujus temporibus devastatum est episcopium Lateranense.* Durante interpontificio Isaacus, patricius et exarcha Italiæ, et Mauritius chartularius, consilio inito cum quibusdam perversis hominibus patriarchium Lateranense expilarunt, incitantes, inquit Anastasius, « exercitum Romanum, et dicentes: Quia nihil prodest quod tantæ pecuniæ congregatæ sunt in episcopio Lateranensi ab Honorio papa, et miles iste nihil exinde subventus habet, dum et rogæ vestræ, quas dominus imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt a sancto viro reconditæ. » Quo prætextu usi sunt ad incitandos milites ad depræda tionem. Licet autem idem Anastasius asserat Isaacum « ex parte ex ipsa substantia in civitatem Regiam ad Heraclium imperatorem » misisse, nihilominus Combefisius in Historia hæresis Monothelitarum, disput. 1, § 11 et 12, autumat hanc Lateranensis patriarchii expilationem Heraclio imperatori attribuendam non esse, cum vix possit intelligi ut vel Sergius, vel Heraclius, qui catholicorum ambirent nomen, ac catholici hactenus habiti essent, multaque reverentia in Honorio habuissent Romanam sedem, sic male de ea in Severim mereri voluerint.

C

SOMMIER.

Num. 121, linea 3. — *Cum adhuc electus esset domnus Severinus.* Sergius Cpoleos patriarcha, ut facilius propagaret Monothelismum magisque astrueret, formulam seu fidei expositionem, Ecthesim nuncupatam, confecit, eamque imperatori Heraclio persuasit, ut suo nomine in lucem edi mandaret. Prodit anno 638, Honorio papa inscio, qui eodem anno clausit supremum diem (*Conc. Later. sub Mart. I, secret.* 1; Pag., *Crit. Bar. ad a.* 639, n. 8): hanc postea Heraclius improbavit, ubi scandala inde provenientia in Occidente cognovit. Ea Ecthesis est catholica, quatenus de Trinitatis mysterio loquitur adversus Sabellium et Arium, et de mysterio Incarnationis contra Nestorium et Eutychetem, usque ad ea verba: « Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini Incarnatione; sed magis, sicut sanctæ et universales tradiderunt synodi, unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum confiteri operari divina et humana, et omnem Deo congruam et homini operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise et inconfuse procedere, et in unum eumdemque sortiri; eo quod unius quidem operationis vox licet ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat extraneas quorumdam aures, arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una substantia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem, et duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictam sancto-

D

Digitized by Google

rum et præcipuorum Patrum : sed et sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente saluberrimam passionem explere ; incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati et oppugnantem : et exinde duo contraria volentes introduci ; quod impium est et extraneum Christianici dogmatis. » (*Later. syn. sub Mart.* 1, *secret.* 3.)

Hanc Ecthesim Cpus clerus proposuit legatis Roma missis petitum ab imperatore confirmationem electionis Severini, ut idem electus ei subscriberet. Tum legati : « Romanorum, inquiunt, Ecclesia, quæ ab olim hucusque, utpote senior cunctarum quæ sub sole sunt Ecclesiarum, omnibus præest. Hoc certe canonice tam a conciliis et apostolis, quam ab horum summo principatu consecuta et in sortem adepta, nullis omnino propter pontificatus protectionem scriptis aut synodicarum editionibus chartarum subjecta : sicut etiam in his omnes ex æquo ei secundum jus sacerdotale subjecti consistunt . . . . Illud etiam vobis certum reddimus, quod referamus omnia, quæ a vobis prætenta sunt, et chartam ostendamus ei qui consecrandus est ; et si cogitaverit hanc bene habere, rogabimus annotare huic propriam subscriptionem. » (S. Max. *epist. ad Thalass.*, ap. *Collect. Anast. Bibl.*)

Ejusdem Ectheseos exemplum missum fuit ad exarchum Italiæ, ut subscribi curaret ab electo. Quod sectarii haud dubie factum iri putabant, ut eorum unus patriarcha Alexandr. scribit Cpno sectæ primipilo (*ep. Cyri ad Serg.* ap. *Later. syn. sub Mart.* 1, secret. 3), pontifex vero irritas eorum spes reddidit, etenim pro eo ut Ecthesim confirmaret, eam tanquam perniciosam anathemate percussit (Martin. 1, *epist. ibid.*). Quin etiam formula professionis qua exinde usque ad conc. gener. VI usi sunt pontifices electi, aperte demonstrat tam Severinum quam ejus successores damnasse Monothelismum, ac proinde Ecthesim, quæ illam hæresim evidenter confirmat. Ejusmodi autem professio ita se habet (*Lib. Diurn. Rom. Pont.*, c. 3, tit. 6) : *Profitemur etiam cuncta decreta pontificum apostolicæ sedis, id est sanctæ recordationis Severini, Joannis*, etc., *qui adversus novas quæstiones in urbe Regia exortas, et propria doctrina cuncta zizaniorum scandala amputasse noscuntur*, etc.

Num 123, lin 6. — *Episcopos per diversa loca numero quatuor.* Ordinatione una episcopos novem creavit.

Linea 7. — *Qui etiam sepultus.* Severinus post damnatam in synodo Ecthesim non diu supervixit, nam cum sedisset, ut scribit Anastasius, *menses duos, dies quatuor*, sepultus est, pontifex singulari pietate et religione, benignitate et munificentia in pauperes commendatissimus, *sub die quarto Nonas Augusti.* Eamdem illi sedis durationem attribuunt omnia exemplaria Anastasii, tam vulgata quam mss., Hermannus Contractus, Regino, Luitprandus, Abbo et Honorius Augustodunensis. Cum itaque die vigesima octava Maii anni sexcentesimi quadragesimi ordinatus fuerit, obiit eodem anno die prima mensis Augusti, postridie sepultus.

LXXIV. JOANNES IV.

ANNO CHRISTI 639, HERACLII 30.

124 Joannes, natione Dalmata, ex patre Venantio scholastico, sedit annum unum, menses novem, dies octodecim [a]. Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam, seu Istriam, multas pecunias per sanctissimum et fidelissimum Martinum abbatem, propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant a gentibus [b]. Eodem tempore fecit ecclesiam beatis martyribus Venantio, Anastasio, Mauro et aliis multis martyribus. Quorum reliquias de Dalmatia et Istria adduci præceperat, et recondidit eas in ecclesia suprascripta juxta fontem Lateranensem, juxta oratorium beati Joannis evangelistæ [c], quam ornavit et diversa dona obtulit. Fecit, ubi supra, arcus argenteos duos, qui pens. sing. lib. 15, simul et alia vasa argentea multa. Fecit autem ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros XVIII, diaconos quinque, episcopos per diversa loca numero XVIII. Hic dimisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die IV Idus Octobris. Et cessavit episcopatus mensem unum, dies XIII.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, dies 6. [b] *Baron. Slaves intelligit.* [c] Baptistæ.

VARIAE LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXIIII.

Num. 124, *lin* 1, sedit annum I, menses VIII, dies XVIII.

Ex codice Vallicellano.

Lin 1, ex patre Benenatio scolastico. *lin* 2, dies XVIIII. *lin* 4, qui capti erant a gentibus. *lin* 6, abduci. *lin* 10, simul et alia vasa argentea multa, *ut edit. In reliquis concordat cum Reg. Maz et Thuan.*

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 2, d. 18, B, 19. *lin* 11, B, presbyteros 29.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 2, dies 9. *lin* 3, per Sanctum. *lin* 4, qui capti erant ag. eo temp. *lin* 6 et 7, et de Istr. *lin* 8, et juxta or. B J, eu. Hanc itaque eccles ornavit, et div dona ibi obt arcus argenteos 2 pens sing lib 15, simul et multa alia dona, et vasa argentea. Hic fecit ordin. *lin* 11, presb 19, diac 5, episc per div loca 18.

Digitized by Google

Ex codice Thuano altero.

Num 124, *lin* 2, dies 19. *lin* 3, fid virum M. *lin* 7, et recondit eas in Ep. Sancta i. f. *lin* 11, presbyt 19. *lin* 12, qui etiam s.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 6, quorum reliquiæ. *lin* 7. recondit. *lin* 15. Octubr.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Linea 12. — *Hic dimisit omni clero rogam integram.* Cum roga duplici potissimum sensu accipiatur, vel scilicet pro donativo et honorario, quod proceribus et magnatibus, atque adeo etiam populo ab Augustis, vel clero a summis pontificibus erogari consuevit (unde vocis etymon) vel pro exactione, præstatione, sub nomine precationis, quam clerus ipse pontifici quotannis erogabat, verborum Anastasii ea forte sententia est quod Joannes hujuscemodi tributum Romano clero indulserit dimiseritque. Quanquam ea vox in hisce gestis pontificalibus passim ad largitiones exprimendas occurrit. Ac quidem veteres Cæsares munera distribuisse militibus, apud Romanæ historiæ scriptores explorata res est. Græci quoque impp id moris servarunt, cumque laureatas imagines in suscepti regiminis documentum mitterent per provincias, ab imperialibus ministris solidi, B eo typo cusi, spargebantur, quo novi imperatoris imago ferebatur. De quo postea, ubi de Philippico imp disseremus; et auctor Miscellæ in Tiberio II imp: *Duxit Anastasiam uxorem suam, et coronavit eam Augustam, et jactavit rogam multam.* Huc facit Gregorius Turon in Hist lib VI : *Muricius ad Circum processit, acclamatisque sibi laudibus, largitis populo muneribus, in imperio confirmatur.* Et Annales Fuldenses de Carolo Calvo : *Senatum Romanum more Tugurthino corrupisse, sibique sociavisse, ita ut etiam Joannes papa, corona ei imposita, eum imperatorem et Augustum appellari præceperit.* Piget plura exscribere id genus documenta imperialis largitionis, qua etiam post restitutum Occidentale imperium, usi principes deprehenduntur. Romani itaque pontifices haud secus in ordinationibus suis, aliisve solemnioribus diebus, hasce rogas populo et clero distribuebant. Exempla in promptu sunt. Ipse Anastasius in Vigilio, pag 108, prodit eumdem, post missarum solemnia, *munera tradidisse populo.* Et in Theodoro, C pag 126 : *His itaque ab eo peractis, fecit eum munera erogare in populum.* Agit nimirum de Pyrrho Cpno, cui pontifex postquam Romæ Monothelismum ejurasset, id honoris tribuit ut more pontificum rogam populo distribueret. Et in Leone IV, qui primus Octavam Assumptionis celebraverat, inquiunt Acta pag 308 : « In quam etiam magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solemnitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret antistes, omnes qui aderant huic celebritati plures argenteos erogavit. » Idem pontifex in dedicatione civitatis Leoninæ, pag 385 : « Sacris peractis officiis, cunctos nobiles Romæ multiplicibus donis, non tantum in auro et argento, sed et sericis palliis honoravit atque ditavit. » Hac de roga ab electis pontificibus distributa, exemplum suggerit Guillelmus Bibliothecarius in Adriano II, ubi narrat præmissas visiones de ejusdem futura electione, pag 425 : *Nonnulli more apostolico in basilica Lateranensi a reos erogare*, etc. Principes etiam ad limina apostolorum proficiscentes hasce largitiones fecisse, in Benedicto III, pag 405, legimus : « Hujus temporibus rex Saxonum... Romam properans ad limina apostolorum Petri et Pauli ... obtulit dona... Et ipse rex Saxonum postulante sanctissimo domno Benedicto papa, ut faceret rogam in ecclesia B. Petri apostoli publicam de pondere auri vel argenti librarum; episcopis, presbyteris, diaconis, et universo clero et Optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum. » Pontifices tamen certam pecuniarum summam clero erogabant : clericis quidem omnibus unam integram rogam, iis vero qui servitio apostolico deputati erant rogam alteram. Sic legimus in Deusdedit : *Hic dimisit per obsequia sua, et ad omnem clerum rogam unam integram.* Quæ erogatio in singulis ferme pontificum gestis ab Anastasio annotata occurrit. Aliis autem in Ecclesiis ad rationem reddituum clero fiebat erogatio. Exstat Felicis IV constitutio apud Agnellum in Vita Ecclesii episcopi Raven, pag 96 : « Quarta patrimonii Ravennatensis Ecclesiæ, hoc est, tria millia solidorum, solitis erogationibus clericis omnibus, vel quibus erogari est solitum, compleatur. » Quandoque etiam facta occurrit duplex roga, velut in Bonifacio V, pag 119, legitur. Quod quidem tunc potissimum contigisse reor, cum nova patrimonia, seu bona alia ex largitione principum et fidelium sedes apostolica acquirebat. Namque etiam de conquisitis noviter bonis quartam clero Ravennatensi debitam, statuit Felix pontifex, in eadem constitutione subjungens: « Si quid tamen ex pensionibus vel hæreditatibus crescere, Domino nostro volente, contigerit, eodem Domino mediante, etiam quartæ portioni adjiciantur, sic ut brevibus ordinatis, quod singulis distribuitur, latere non possit... secundum loca, quæ omnia Deus secundum justitiam et mensuram constituit. »

BINI ET LABBEI.

Lin 1.—*Joannes.* Anno Domini 636 subrogatus est Severino pontifici Joannes ejus nominis IV, constans et imperterritus orthodoxæ fidei propugnator, qui minis exarchorum nihil cesseus, exsiliis cardinalium parum motus *collecto episcoporum concilio*, inquit Theophanes, *Monothelitarum hæresim anathematizavit* ut Honorium pontificem prædecessorem ab hæreticorum calumnia defenderet et liberaret. Quapropter summa industria procuravit, ut scriptor ille qui Honorio pontifici ab epistolis fuerat, dictasque ad Sergium episcopum litteras scripserat, earumdem verum et germanum sensum interpretaretur et ad imperatorem transmitteret. Quod cum ille jussu beati Joannis papæ IV fideliter præstitisset, sensumque legitimum verborum Honorii protulisset, omnem sinistram hæreseos suspicionem de Honorio evacuavit.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

In hujus consecratione pontificis non Cpoli confirmationem, sed Ravenna ab exarcho peti cœptam vult Papebrochius, quam Pagius, ut suam astrueret opinionem dilatæ ordinationis Bonifacii V, cœpisse ait in creatione Honorii, idque ob incommoda Ecclesiæ illata post mortem S. Deusdedit. Quamobrem auctoritatis ab imperatoribus Orientis Ravennatensi exarcho delegatæ initium constituit anno 625. Garnerius vero suis in notis ad librum diurnum pontificum, exarchi facultatem deduxit ab anno 616, in D Bonifacii ejusdem V creatione, quippe qui paucorum dierum interpontificium inter S. Deusdedit et Bonifacium animadvertit. Cum vero longe ampliores postea vacationes, ut vidimus, sint secutæ, nec Garnerii, nec Pagii conjecturis audiendum videtur. Secus est de Papebrochii opinione : cum enim liquido constet, post Joannem IV haud amplius exspectatam esse Cpli jussionem principis, non abs re est etiam Joannis electionem ab exarcho confirmatam credere; idque suadet interpontificium brevius præteritis. Quanquam aiente Blanchino in Pelagio II dies 100 satis superque esse ad mittendum Cpolim nuntium, citroque accipiendum, multo magis satis

Digitized by Google

esse videantur 144 qui Joannis creationem præcesserunt. Quidquid autem sit de hac re nullis testata monumentis, certe ante obitum Joannis IV exarchus Ravennatensis facultatem confirmandi pontificis ab imperatore Orientis accepit. Joannes vero IV post vacationem sedis mensium 4 ac dierum 24, ut habet Codex Freherianus 1 et Thuanus 2, quos Pagius testatur se mss. vidisse, non dier 29, ut perperam vulgatus aliique quibus suffragatur Ordericus, ordinatus est anno emortuali Severini 640, die 24 Decembris, littera A Dominicali, indicato. Idque non modo patet ab interpositicio eum præcedente, nam Kalendæ Augusti a die 24 Decembris distant mensibus quatuor, diebus 24, emortuali inclusa; verum etiam a duratione sedis ejusdem Joannis IV, nempe unius anni, mens 9, dier 18, quot signantur in catalogis et Codd plerisque, quibuscum consentiunt AA. ap. Pagium; tametsi Codd Freherian. 2 et Thuan 2, catalogusque Blanchinianus nunc primum editus diei unius discrimine præter annum et menses, habent dies 19, quemadmodum Cod Regius, Mazarinus et Thuanus primus haberent, nisi librario oscitanti denarius excidisset, diesque tantum novem appositi legerentur. Et revera a die ordinationis 24 Decemb 640 si an. 1, mens 9, d. 18 enumerentur, ad diem 11 Octobris pervenitur emortualem Joannis IV, et ad diem 12 seu IV Idus Octobris cum pontificem esse depositum ad S. Petrum refert Anastasius, si 19 numerentur : solemne enim est Anastasio et catalogis quandoque diem mortis, quandoque depositionis recensere, ut passim diligens observator inveniet.

A

CIACONII

Linea 1. — *Joannes* Venantii scholastici filius, Dalmata, Jaderensis S. R. E. diaconus cardinalis, sedit annum 1, menses 9, dies 18; consecratus VIII, Kal. Januarii, die Natalis Domini, ineunte anno Christi 659. Vix Severinus e vita excesserat cum litteræ gentis Scotorum Romam deferuntur, quibus respondere Joannes diaconus in Romanum pontificem electus, nondum tamen pro more Urbis consecratus, solus non poterat; sed Hilarius archipresbyter et Joannes primicerius, servantes locum sedis apostolicæ, responsum cum illo fecere, quod apud Bedam reperitur. Ex qua epistola cognoscimus morem Romanæ Ecclesiæ fuisse, ut qui eminerent in ministris Ecclesiæ responsum darent litteris acceptis ante legitimam episcopi consecrationem.

B

C

MAFEI

Linea 2. — *Misit per omnem Dalmatiam, seu Istriam multam pecuniam.* Cum a Slavis seu Sclavis Dalmatiæ regiones grassantibus ingens captivorum multitudo inde esset deducta, Joannes IV natione Dalmata suorum ærumnas miseratus, eosdem multa pecuniarum vi eo libentius redemit, quo tutiorem in locum, in sinum videlicet pauperum, Ecclesiæ thesaurum per hæc charitatis officia collocabat; quippe qui ecclesiastica bona, quæ Honorius congesserat, sacrilega imperatoris ministrorum avaritia jam diripi viderat, de qua hic supra in Severino Anastasius.

PAGII.

Linea 2. — *Hic temporibus suis.* Joannes papa, teste Anastasio, per omnem Dalmatiam seu Istriam multas pecunias ex thesauris quos Isaacus exarchus, ut in Severino diximus, dilapidaverat, reliquas, per fidelissimum et sanctissimum Martinum abbatem misit, propter redemptionem captivorum, quos deprædati erant gentiles. Timens autem ne sanctorum reliquiæ in Dalmatia patria sua a barbaris hostibus incumbentibus dissiparentur, sanctorum martyrum Venantii, Anastasii et Mauri reliquias de Dalmatia et Istria adduci præcepit, teste eodem Anastasio, et recondidit eas in ecclesia Lateranensi, in peculiari oratorio, quod in ipsorum honorem construxit juxta baptisterium Constantini, quod hactenus integrum perseverat, quodque ab anno 1575 Virginis matris imagine miraculis ibi coruscante vulgo postmodum dictum est *la Madonna di S. Giovanni*, ut scribit Octavius Paycirolus apud Augustinum Oldoinum in Joanne IV.

Linea 12. — *Qui etiam sepultus est.* Tandem Joannes papa cum sedisset *annum unum, menses novem, dies octodecim*, ut scribit Anastasius, in Domino obdormivit die undecima mensis Octobris anni sexcentesimi quadragesimi secundi, et *sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die IV Idus Octobris*, seu die duodecima ejusdem mensis. In duratione sedis ejus Anastasii textum purum esse ex eo deducitur quod Regino, Luitprandus, Ordericus, lib. II, et catalogus Vaticano Palatinus eamdem anni unius, mensium novem et dierum decem et octo sedis durationem ei assignent.

LXXV. THEODORUS.

ANNO CHRISTI 642, CONSTANTII 1.

125 Theodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro episcopo, de civitate Hierosolyma, sedit annos sex, menses quinque, dies decem [a] et octo. Hic fuit amator pauperum, largus, benignus super omnes, et multum misericors. Hujus temporibus Mauricius chartularius, per quem multa mala operatus est Isacius patricius, cum jam increbuissent peccata ejus, beato Petro apostolo [b], ut eos [c] hæreditaret ignis inextinguibilis, consilio ductus suprascriptus Mauricius cum ipsis, quibus antea devastaverat Ecclesiam Dei intartizavit [d] adversus Isacium patricium, et misit per omnia castra quæ erant sub civitate Romana per circuitum, et congregavit eos, et constrinxit se cum ipsis in sacramentum [e], ut deinceps nullus ex ipsis debuisset obedire Isacio, neque hominibus ejus, qui affirmabant eum, quia sibi regnum imponere noluisset [f]. Audiens hæc Isacius patricius,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, 20. [b] Increvissent contra beatum Petrum apostolum. [c] ut eum. [d] erexit se. *B*, tyrannizavit. [e] secum ipso per sacramentum. [f] quia affirmabat eum sibi regnum imponere velle.

Digitized by Google

eo quod Mauricio omnis exercitus Italiæ sacramenta dedisset [a], misit Donum, magistrum militum et sacellarium suum, ad civitatem Romam cum exercitu. qui veniens in civitatem Romanam, omnes judices, seu exercitus Romanus, Qui prius se cum Mauricio sacramento constrinxerant, timore ducti dimittentes Mauricium chartularium [b], omnes se cum Domno junxerunt [c].

126 [d] Et ingresso eo Romam fugit Mauricius ad beatam Mariam ad Præsepe, quem tollentes de ecclesia miserunt bojam [e] in collum ejus. Similiter et omnes, qui in consilio cum ipso fuerant, inbojatos [f] misit Ravennam per manus Maurini scribonis, et Thomati [g] chartularii. Qui dedocentes eos pervenerunt juxta civitatem Ravennatem in locum qui dicitur Ficulas [h] duodecimo milliario a civitate, et ibi decollaverunt Mauricium, quia sic in mandatis acceperant a suprascripto Isacio, ut unius civitatem Ravennatem non ingrederetur. Et postquam decollatus est, levantes caput ejus, duxerunt [i] Ravennam. Videns autem Isacius caput Mauricii, gavisus est. Et fecit ad exemplum multorum in circo Ravennate in stipitem poni. Illos autem qui cum ipso directi fuerant omnes inbojatos [j] jussit arcta custodia in carcerem mitti, cogitans eos quomodo puniret; sed cum ea agerentur mox Dei judicio ipsis diebus percussus divino ictu interiit Isacius, et mortuus est. Ii autem qui reclusi erant, exeuntes de carcere, reversi sunt singuli per loca sua. Audiens hoc imperator [k], quia defunctus est Isacius, misit Theodorum patricium exarchum, cui cognomentum Callioppa, ad regendam omnem Italiam.

127 Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat patriarcha Constantinopolitanus, in urbem Romam ad limina apostolorum [l]. Qui ingressus libellum obtulit cum sua subscriptione apostolicæ nostræ sedis in præsentia cuncti cleri et populi, condemnans in eodem libello omnia quæ a se vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt adversus immaculatam nostram fidem. His itaque ab eo peractis, fecit eum munera erogare in populum [m], et cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut sacerdotem regiæ civitatis. Postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit [n]. Tunc sanctissimus Theodorus papa, convocans universos [o] Sacerdotes et clerum in ecclesia beati Petri apostolorum principis, condemnavit eum sub vinculo anathematis juxta mercedem ac retributionem propriæ transgressionis, canonicam pœnam sive depositionem excipiens [p]. Qui prædictus Pyrrhus reversus est in partes Orientis.

128 Eodem tempore relevata sunt corpora sanctorum martyrum Primi, et Feliciani, quæ erant in arenario sepulta, via Numentana, et adducta sunt in urbem Romam. Quæ et recondita sunt in basilica beati Stephani protomartyris [q], ubi et dona obtulit, gabathas aureas tres, tabulas ex argento ante confessionem, arcus argenteos duos. Fecit ecclesiam beato Valentino, via Flaminia, juxta pontem Milvium a solo, quam ipse dedicavit, et dona multa obtulit. Fecit oratorium beato Silvestro [r] intra episcopium Lateranense, ubi et dona largitus est. Fecit et oratorium beato Euplo martyri foris portam beati Pauli apostoli, quod etiam ornavit.

129 [s] Tunc sanctissimus Theodorus papa scripsit Paulo patriarchæ regiæ civitatis, tam rogans quamque regulariter increpans, necnon per apocrisarios, ut dictum est, pro hoc maxime destinatos præsentialiter admonens et contestans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] quod Mauricius cum omni exercitu tali sacramenta sibi invicem dedissent. [b] *B, add.* Romani. [c] omnes se ad dona verterunt. [d] *Vide Baron ad ann Domini* 643. [e] Bojam, *id est vinculum.* [f] *B,* bojatos. [g] *B* Thomasii. [h] Ficudas *B; est ecclesia Ficodensis, hodie Cervia.* [i] *C,* portarunt eum. [j] *B,* bojatos. [k] *Constans.* [l] *Vide Baron ad ann Domini* 645. [m] in populo. [n] reversus. [o] *Vide Baron ad ann Domini* 648. [p] *C,* decernens. [q] in monte Cœlio. [r] *CB,* Sebastiano. [s] *Vide Baron ad ann Domini* 648.

Digitized by Google

a suo conamine quoquo modo revocare. Propter quod ab apostolica sede ipse depositionis ultione perculsus est [a]. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, presbyteros viginti unum, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero quadraginta sex. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die secundo idus Maii, et cessavit episcopatus dies quinquaginta duos [b].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *percussus. [b] *C*, mens 1, d. 16.

VARIAE LECTIONES.

Ex Farnesiano codice LXXV.

Num 125, *lin* 12, eo quod Mauricius cum omne exercitum Italiæ sibi sacramenta dedissent. *lin* 16, se cum Dono fecerunt.

Ex codice Vallicellano.

Num 125, *lin* 4. — Mauritius cartularius *ibid* Isatius. *lin* 6, supra dictus Mauritius. *lin* 9, et cong multos, cum quibus se constrinxit sacramento [*cod* sacramentum] ut deinceps nullus ex ipsis etc... Audiens hæc Isatius patritius quod... *In reliquis concordat cum Reg, Maz et Thuan.*

Num 126, *lin* 1, et ingressus Roma fugit Mauricius ad beatam Mariam ad Presepem; quem tollentes eum de Ecclesiam, miserunt vojam in collo ejus. Similiter et omnibus, qui cum ipso fuerunt imbojati misit eos Rabenna per manus marini scriboni. *lin* 6, a suprascripto isacio v̄ VIB : civitatem. *lin* 10, imbojati jussit sub arta custodia in carcerem mitti.

Lin 3, qui in consilio cum eo fuerant, imbojati missi sunt Ravennam per manus Maurini scribonis, et Thimati cartularii. Qui ducentes eos, pervenerunt usque ad civitatem Ravennarum, in locum. *lin* 6, et ibidem decollaverunt. *lin* 7, et postea quam. *lin* 15, cui cognomentum Calliopa, ad regendam totam Italiam. *Reliquæ variantes lectiones codicis Vallicellanæ concordant cum mss libris Reg, Maz et Thuan, lineis* 1, 5, 6, 8, 10 *et* 14.

Num 127, *lin* 5 [contra] adversus immaculatam. *Vox parenthesi clausa est varians lectio e margine in textum a scriba oscitanter illata. lin ead.*, his itaque ab eo peractis, cœpit eum munera erogare in populo. *lin* 7, postea reversus est more canis. *lin* 11, canonicam sibi pœnam depositionis decernens, quia prædictus Pirrus (*paulo supra* Pyrrus : *utrobique sine aspiratione : lege* Pyrrhus] reversus in partibus Orientis, postquam epistolas a sede apostolica transmissas [*cod curis primis, mendose*, transmissus] accepit ut a suo reatu discederet, et noluit discedere, juste canoniceque depositus est a Deo. Eodem etc. *Reliquæ variantes lectiones concordant cum Reg Maz et Thuan. lin* 1, 3, 4 *et* 8.

Num 128, *lin.* 1, eodem tempore jussu etc. *ut Reg. Maz. et Thuan. lin.* 3, Romam : et recondita sunt in basilica beati Stephani protomartyris in monte Cælio, ubi et hæc dona obtulit, gravatas aureas III, tabulas ex argento ante confessio. *lin.* 5, fecit et ecclesiam beato Valentino a solo via Flam. juxta pontem Molvium, quam et ipse dedicavit, et dona multa ibi obtulit. Fecit et oratorium beato Sebastiano intra episcopium Lateranense, ubi et multa dona largitus est. *lin.* 8, quam (*lege* quod) etiam multis donis ornavit.

Num 129, *lin* 1, eo tempore venerabilis papa Theodorus scripsit Paulo patr reg. civit. tam rogans quam regulariter mer. necnon per apocr. propter hæc maxime a se destinatos, præsentialiter eum admonentes et contestantes, quatinus. *lin.* 5. 6 et 9, *cod. Vallicell. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. lin.* 10, sub II Idus Maii.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 125, *lin* 5 *et* 6, ut eos hæreditaret; *B*, eum. *lin* 7, intartizavit, *B*, conspiravit.

A *Num* 126, *lin* 3 et 4, *AB*, Marini. *lin ead* 4, *B*, Thomæ. *lin* 7, *AB*, vivus. *lin* 11, *B*, missi.

Num 128, *lin* 7, Sylvestro, *B*, Sebastiano.

Ex eodice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 125, *lin* 3, largitor benignus, et super omnes m. m. *lin* 5, cum jam increvissent p. ei. contra B. Petrum apost. ut eum hered. igne inexstinguibili, cons d. *lin* 6 et 7, cum ipsis, cum quibus a. d. eccl Dei erexit se advers Is. *lin* 9, et congr multos, cum quibus se constrinxit sacramento, ut nullus ex ipsis deinceps obediret Isacio patricio neque hominibus ejus, quia affirmabat eum regnum sibi imponere velle. Audiens hæc Is. quod Mauricius cum omni exercitu talia sacramenta sibi invicem dedissent, misit dona magna militibus, et sacellarium suum cum exercitu in civitatem Romanam. Quibus ingredientibus Urbem cum exercitu, omnes judices seu exercitus Romanus, qui pr. *lin* 16, Ch. omnes se ad dona verterunt.

B *Num* 126, *lin* 1, tunc fugit Mauricius ad ecclesiam beatæ Mariæ ad Præsepe; at illi tollentes eum de ecclesia, miserunt bojam in collo ejus sim. *lin* 3, imbojati missi sunt Rav per manus Maurini (*M*, Mauricii) et Themaati ch. qui ducentos eos perv i. c. Ravennatum. *lin* 5, Ficudas. *lin* 6, a supradicto Is. ut vivus civit. Ravennæ non. *lin* 8, ejus portaverunt Rav. *lin* 10, in stipite poni. Illos autem, qui cum ipso imbojati dir fuer omnes jussit sub arcta c. in carcere mitti; cogitans quomodo eos pun. sed cum hæc agerentur, judicio Dei ipsis diebus p. d. i. i. l. et m. est. Ili autem q. r. e. ejecti de carcere, r. *lin* 14, audiens imper. *lin* 15, Calliopa ad r. o. l.

Num 127, *lin* 1, in illis temp venit Pyrrhus ex Afr qui fuerat episc et patr Constantinop. *lin* 3, cum sua susceptione apostolicæ sedi in pr. totius cl. *lin* 4, libello, quæ a se. *lin* 6, in populo, *ibid* eum in sacerdotem reg civit. Postea reversus est m. c. *lin* 8, vomitum. Tunc sanctiss Theodorus conv. *lin* 11, canonicam sibi pœnam depositionis decernens, qui p.

C Pyrrh reversus est in partibus Or. postquam epistolas a sede apostolica transmissas acceperit (*M*, accepit) ut a suo reatu discederet, et noluit discedere, juste canoniceque depositus est, *in R superscriptum aliena manu* a Deo *post* excipiens.

Num 128, *lin* 1, ab eodem tempore jussu ejus elevata sunt corpora sanctorum Primi et Feliciani martyrum. *lin* 3, Romam, et recondita sunt in basil sancti Stephani protom in monte Cœlio, ubi et hæc dona obtulit, gravatas aureas 3. *lin* 5, fecit et eccl beati Valent a solo, via Fl. *lin* 6, *M*, quam et ipse ded et d. m. ibi obt. Fecit et orat Sebastiano, intra episc Lateran ubi et multa d. l. est. *lin* 8, quod etiam multis donis ornavit.

Num 129, *lin* 1, eodem tempore venerab papa Theodorus scripsit Paulo patr reg civ, *lin* 2, apocrisarios propter hoc maxime ad se dest præsentialiter eum admonentes, et contestantes, quatinus, *lin* 5,

D sed neque r. *lin* 6, propter quod ipse ab apost sede justa depositionis ultione percussus est. Hic papa fecit ordin, *lin* 9, loca 46, qui sep.

Ex codice Thuan altero.

Num 125, *lin* 1, Theod de civ *lin* 2, annos 6, di.

Digitized by Google

19. *lin* 3, largitor ben super o. m. *lin* 5, increvissent. *lin* 6, hereditarit. *lin* 7, cum quibus. *lin* 9, in sacram ut d. n. ex ips obediret I. *lin ead*, voluisset. *lin* 12, Mauricius cum omni exercitu Italiæ sibi sacram d. *lin* 13, Romanam. *lin* 14, ex. Romani. *lin* 15, dimiserunt M. *lin* 16, omnes se cum Dono fecerunt.

Num 126, *lin* 3, scribe imbojatos. *ibid* Marini. *lin* 4, qui ducentes eos p. i. c. Rav in loco q. d. Ficudas. *lin* 7, ut vivus c. R. *lin* 9, in circuitu R. in stipite p. *lin* 11, sub arcta cust. in carcere m. *lin ead*, sed cum hæc ag. mox nutu Dei ips. *lin* 14, Audiens autem hoc imp.

Num 127, *lin* 1, fuerat episcopus, et patr. *lin* 6, in populo. *lin* 11 et 12, decernens.

Num 128, *lin* 1, eod temp levata f. *lin* 7, *B*, Sebastiano in episcop.

A *Num* 129, *lin* 7, percussus.

Avud Peniam codice Carensi.

Num 125, *lin* 2, hierusolima. *lin* 5, increbuiscat. *lin* 10, affirmabat. *lin* 11, voluisset. *lin* 12, Mauricius cum omnis exercitus Italiæ sibi sacramenta dedissent m. d. magistro. *lin ult*. cart omnes secum donum fecerunt.

Num 126, *lin* 1, et ingressus Rom. *lin* 3, Marini. *lin*. 5, Ficucclas. *lin* 7, vivus. *lin* 12, mox nutu. *lin* 13, erant eicientes. *lin* 15, cognomento.

Num 127, *lin* 10, condempnavit.

Num 128, *lin* 6, Molvium.

Num 129, *lin* 3, præsentialiter, *lin* 6, quodammodo.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 125, linea 7. — *Intartizavit adversus Isacium patricium.* Mauritius chartularius dicitur intartizasse adversus Isacium patritium et exarchum Ravennatem. *Intartizare* est insurgere, rebellare adversus principem. Anastas. in Adeodato: « Hujus temporibus Mezentius qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit, et arripuit regnum auctor rebellionis. » Hinc *intarta* Anastas in Deusdedit: « Qui egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne Compsino intarta. » Idem in Adeodato: « Et multi ex judicibus ejus truncati perducti sunt Constantinopolim, simul et caput ejusdem intartæ, id est Mezentii, » de quo antea. Ductum a Græco ἐνταίρειν.

Linea 12. — *Misit Donatum magistrum militum, et sacellarium suum ad civitatem Romam cum exercitu.* Sacellarius fuit inter officia aulæ Constantinopolitanæ: is fuit præfectus fisci quasi sacellarius, a sacello quod est diminutivum sacci, quo nomine fiscus significatur. Augustin in psal CXLVI: *Fiscus enim saccus est, unde et fiscellæ et fiscinæ dicuntur.* Et infr.: *Fiscus saccus est publicus.* Inter officia Ecclesiæ Romanæ censetur et sacellarius, ut in Ordin Roman et apud Anastas in Gregor II, in Adrian I et Leone III.

Num. 126, lin. 1. — *Fugit Mauritius ad beatam Mariam ad Præsepe, quem tollentes de ecclesia, miserunt boiam in collum ejus.* Boia vinculi genus Festo. Arnold. Lubec. in Suppl. Helmoldi lib. II, cap. 26: « Cumque episcopus facta aspersione, ad eos devenisset, boiam aqua benedicta miseratione ductus aspersit, his usus verbis: *Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos*; et statim cum magno strepitu boia discrepuit. » Hinc inboiati pro vinctis. Anastas. inf. eod.: « Similiter et omnes qui concilio cum ipso fuerant, inboiatos misit Ravennam. » Et rursus: « Illos autem qui cum ipso directi fuerant, omnes inboiatos jussit arcta custodia in carcerem mitti. »

Num. 126, linea 8. *Videns autem Isacius caput Mauritii, gavisus est, et fecit ad exemplum multorum in circo Ravennate in stipitem poni.* Damnatorum capita ad exemplum in stipite proponebantur. Beda Hist. lib. 3, cap. 12: « Porro caput et manus cum brachiis a corpore præcisas jussit rex qui occiderat, in stipitibus suspendi. » Damnatorum capita, ut perduellium, missa ad principem. Anastas. in Adeodato: « Et multi ex judicibus ejus truncati perducti sunt Constantinopolim, simul et caput ejusdem intartæ. » Idem in Gregor. II: « Cujus abscissum caput Constantinopolim, ad principem missum est. » Mauritii caput spectaculi causa in stipite positum in Circo. Martyres traducti per amphitheatrum, et ibidem mactati. Euseb. lib 5, cap. 1; Hieronym. de sacris Script. cap. 17.

Num 127, linea 1. — *Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat patriarcha CP. in urbem Romam ad limina apostolorum.* Frequens fuit peregrinatio fidelium ad limina apostolorum. Anastas. in Leone IV: « Cum ipse undique Christianum populum ad principis apostolorum sacratissima orationis causa vel gratia limina destinari cerneret. » Sidon. lib. I, epist. 5: « Inter hæc patuit et Roma conspectui, cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus, ubi priusquam vel pomœria contingerem, triumphalibus apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse languorem. » Odo Cluniacens. Vit. S. Geraldi comitis lib. II, cap. 17: « Consuetudinem sibi fecerat, ut Romam frequentius adiret. » Gregor VI in oratione ad cardinales, apud continuatorem Bedæ, lib. II, cap. 26: « Securi peregrini insuetas viarum tenebant orbitas, lecti per Urbem, antiquis oculos pascebant miraculis, cantantes donis factis repatriabant. » Hinc securitatis causa Romipetæ, sub protectione sedis apostolicæ positi, et ex constitutione Callixti II, si quis Romipetas visitantes limina apostolorum ceperit, excommunicatur. Can. *Si quis Romipetas* 24, qu. 3.

Num. 127, lin 6. — *Fecit eum munera erogare in populum, et cathedram ei poni juxta altare honorans eum in sacerdotem Regiæ civitatis.* Largitionis causa sparsio nummorum solet fieri in plebem a Romano pontifice. Anastas. in Leone IV: « In omnes qui aderant huic celebritati, in assumptione sc. B. Mariæ Virginis plures argenteos erogavit. » Pyrrho olim CP. Romam vementi honoris causa hoc concessit pontifex, ut largitionem faceret in plebem.

Num. 128, linea 1. — *Eodem tempore revelata sunt corpora sanctorum martyrum Primi et Feliciani, quæ erant in arenario sepulta via Numentana.* Revelatio martyrum solemni celebritate colitur Ambros. in Psal. CXVIII, serm. 6: *Celebramus enim diem, quo revelata sunt populis corpora sanctorum martyrum*: Ea fuere corpora sancti Gervasii et Protasii. Translatio et elevatio reliquiarum fiebat cum majori solemnitate. De iisdem martyribus Ambros epist 85: « Quid multa condivimus integra, ad ordinem transtulimus, vespere jam incumbente ad basilicam Faustæ, ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio: sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Duos transferimus, cœcus sanatus est. » Cujus rei testis est et August libr contra Petilian epist. cap 16.

BENCINI.

Num. 125, linea 4. — *Mauritius chartularius.* Regem is se Romæ dixit. Quod per verbum *intartizarit*, acta exprimunt. Scilicet exsilia ab Isaacio Romanis irrogata, et quas adversus fidem et catholicos in dies moliebatur, persecutiones locum Mauricio dederunt rebellandi. Ideirco sectatores habuit Romanos pro-

Digitized by Google

ceres Italicamque militam, quam pro pontifice servandaque puritate fidei strenue semper pugnasse, commodius alibi adnotabimus.

Num. 126, lin 2. — *Bojam in collum ejus.* Scilicet vinculum; de quo Festus: *Bojæ, id est genus vinculorum tam ligneæ quam ferreæ dicuntur.* Hoc sensu occurrit in Actis Martyrum. *Tolle Bojam de collo meo.* Et S. Hieronymus lib v in Jerem., cap. 27, ad illa verba prophetæ: *Pax tibi vincula, et catenas,* scribit. *Sive* κλοιούς, qui *Hebraice appellantur Mototh, et sermone vulgari bojas vocant.* Boga ab aliis dicta. De pœnis in legibus constitutis agens Isidorus lib i, cap 27, ait: *Boja est torques damnatorum, quasi jugum boum. Ex genere vinculorum est.* Et Cantacuzenus lib. i, cap. 49: *Si enim jusseris, ut pater Boja me, seu collaria in collum injecta venire, et illic carcerem habitare.* Haud aliter in Chronico Cassin. lib 4, cap 68. Quidam miles in Apulia, in quodam conflictu a quodam iniquissimo captus, atque Boia catenisque devinctus, foveam demersus est. De eodem vinculi genere intelligendum est, quod in Vigilio legitur, pag. 109: *Fecitque Theodora Augusta mitti funem in collum ejus, et trahi per totam civitatem usque ad vesperam. Tunc missus est in custodiam.*

Num. 129, linea 1. — *Tunc*, etc. Describuntur hæc in Actis concilii Lateranensis sub Martino, ubi pag 702 hæc leguntur, quæ cum verbis Anastasianis conferre lubet.

TEXTUS ANASTASII.

Tunc sanctissimus Theodorus scripsit Paulo patriarchæ regiæ civitatis, tam rogans, quamque regulariter increpans, necnon per apocrisarios, ut dictum est, per hoc maxime destinatos, præsentialiter admonens, et contestans, qualenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a suo conamine revocare. Propter quod ab apostolica sede ipse depositionis ultione percussus est.

CONCIL. LAT. SECRET. I.

Nam decessores non destituerunt prædictis viris diversis temporibus consultissime scribentes, et tam rogantes, quamque regulariter increpantes, necnon per apocrisarios suos, ut dictum est, per hoc maxime destinatos præsentialiter admonentes et contestantes, qualenus catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a suo conamine quoquo modo revocare. Propter quod ab apostolica sede depositionis ultione percussus est.

Ubi Anastasius ait: *ut dictum est*, de apocrisariis videlicet a sede apostolica missis, vide exscriptoris incauti vitium, siquidem de illis in Vita Theodori ne iota quidem scripserat. Constat autem aliunde, Theodorum pontificem sententiam depositionis dixisse in Paulum Cpnum. Namque, etc, libellus monachorum ad Martinum pontificem, recitatus secretario in Lateran in quo leginus. « Cum quibus et Typum... suasione importuna, et falsiloquio Pauli depositi a prædecessore vestro sanctissimo Theodoro. »

BINII ET LABBEI.

Num. 125, linea 1. — *Theodorus.* Anno Christi Redemptoris nostri 641, vicesima quinta mensis Novembris Theodorus creatus est pontifex. Hujus exordio Pyrrhus Constantinopolitanæ urbis episcopus, ut laqueum, quem conscius veneficii Constantino imperatori allati meruerat, subterfugeret, in Africam sponte secessit, ubi invenit Maximum abbatem et martyrem, habitaque cum eodem disputatione illa famosa quæ exstat in tom V Concil sub Theodoro, fidei veritatem et Monothelitarum hæresim et perfidiam cognovit.

Linea 4. — *Mauricius chartularius.* Hic est ille Mauricius qui sub pontificatu Severini Lateranensem Ecclesiam expilavit. Baron anno 645, num 5.

Num. 126, lin. 2. — *Bojam.* Id est vinculum.

Linea 5. Ficulas. Est ecclesia Ficodensis, hodie *Cervia* nominata. Baron., anno 643, num. 5,

Linea 15. — *Misit Theodorum patritium exarchum.* Platonem hæreticum exarchum ante Theodorum Calliopam missum fuisse in Italiam constat ex epistola 16 Martini papæ. Vide Baron. anno 643.

Num. 127, lin. 7. *Postea rursus moris canis ad proprium impictatis vomitum repedavit.* Cum enim imperator Pyrrhi conversionem audiisset, misit Platoni exarcho successorem Olympium, hæreticum audacissimum, qui ubi Ravennam se contulit, omne adhibuit studium ut perficeret quod imperatori gratum esse sciebat, nimirum ut Pyrrhum in pristinum errorem revocaret, quod et fecit. Vide Theophan ann. 20 Heraclii, concil Lateran sub Martino, Baron ann 648, num. 11 et seqq.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Ad breviora jam demum interpontificia exarchi beneficio ventum est; neque amplius dubitari potest quin Ravenna confirmatio peteretur. Id satis aperte ostendunt tres et quadraginta interpontificii dies ultro citroque nuntiis mittendis Cpolim omnino impares. Præterea Liber Diurnus pontificum, vix aliquam aulæ Orientalis mentionem faciens, dum multa exhibet pro exarcho et archiepiscopo, necnon pro Judicibus et apocrisario Ravennatensibus, desuevisse docet Cpli jussionem peti. Quod spectat ad hujus Diurni ætatem, Garnerius in ancipiti relinquit, nam ab anno 567, cum instituti sunt exarchi, ad 752, cum iidem fuerunt expulsi, centum bis et octoginta quinque annis certe inquirendam affirmat; deinde observans, tit. 6, in promissione Fid. Ep., tres certos temporis characteres, Martinum I, qui obiit anno 655, sextam synodum, quæ fuit absoluta 681, et Constantinum Pogonatum, qui obiit 685, circa hæc tempora illius ætatem posse constitui affirmat; adeoque constare eruditorum opinio est Diurnum illum esse collectum quadraginta post Joannem IV annis evolutis. Quidquid de hac re sit, ab emortuali Joannis IV, 11 Octob. 642, mense unico, diebus 12 interpositis, ut unanimi consensu omnes affirmant. Theodorus successor ordinatur die 24 Novemb ejusdem anni, ut littera Dom. F concurrens demonstrat. Hunc autem sedisse annos VI, menses V, dies XVIII, communis fere omnium codicum opinio est, præter Thuanum alterum, qui uno plus die sedem augens omnes quinque menses perperam detrahit Catalogus etiam novus Blanchinianus errat, denarium numerum in diebus omittens; idque evidens fit ex durationc sedis ac depositionis die, quam æquali consensu omnes illigant cum 14 Maii. Pagio quidem videtur Thuani codicis lectio admittenda dier. XIX, suppletis tamen mensibus, ita ut Theodorus 13 Maii occumbens, die postera tumularetur: quippe observat a 14 Maii dies certe LII interpontificii ab Anastasio numeratos usque ad Martini ordinationem excurrere. Verum si a die ordinationis Theodori 24 Novemb 642 ad diem emortualem 13 Maii 649, annos VI, mens. V, dies XVIII, numeremus, postremis exclusis, ut quandoque ab Anastasio fieri vidimus, etiam absque Thuani codicis lectione exactissimum esse calculum inveniemus. Cæterum levissimo unius diei discrimine prætermisso depositionem Theodori consignant die 14 Maii, præter Anast. codd., Martyrologia etiam nonnulla, ut testatur Papebrochius in append. ad prædictam diem, et in Conatu Histor. et Pagius ad hunc annum, num. 2. Quare patet, quod alibi monui, non tam religiose depositionis diem ab Anastasio notatum attendi oportere, ut dies mortis pontificum protrahi contrahique vacatio debeant, magno cum chronologiæ pontificiæ detrimento, nisi dies ad amussim omnes numerentur, dummodo, exclusis vel inclusis extremis, nihil superfluat nihilque desit.

Digitized by Google

CIACONII.

Num 125, linea 1. — *Theodorus*, Theodori episcopi filius. Hierosolymis oriundus. Græcus, imperatoribus Flaviis Heraclii, Constantino Heracleone et Constante Augustis, sedit annos sex, menses quinque, dies novemdecim; consecratus VI Kal. Decembris die Dominico. Pontificatum iniens omnia quæ ad dignitatem religionis Christianæ pertinere arbitrabatur, circumspiciebat, ut bonum pastorem decet, in omnes, maxime autem erga pauperes, mira benignitate utens.

Num. 127, linea 10. — *Condemnavit eum.* Theodorus convocata frequentissima synodo, ad basilicam principis apostolorum accessit, accepto calice in eum atramentum instillavit, atque ita propria manu depositionem Pyrrhi fecit. Quem morem ante illum in exauctoratione episcoporum servatum fuisse, necesse est, aut formulam hanc a Theodoro posteris datam in exemplum, quod probabilius videtur; cujus depositionis meminit Leo IX in epistola ad Constantinopolitanum episcopum.

MAFEI.

Num. 127, linea 1. — *Venit Pyrrhus ex Africa.* Pyrrhus hæreticus, tumultu in eum concitato ob suspicionem quæ de ipso et de Martina Augusta Constantinopoli invalucrat, propinati scilicet veneni imperatori Constantino, patriarchatus se dignitate abdicavit, atque in Africam, quam sciebat ab imperatore defecisse, concessit. Ibi cum S. Maximo abbate coram Gregorio patricio in episcoporum consessu, atque in civium frequentia celebrem habuit disputationem de duplici in Christo voluntate, in qua Pyrrhus victus palinodiam recantavit. Deinde veniens Romam, et catholicæ fidei libellum, in quo Monothelitarum hæresim cum auctoribus suis condemnabat, Theodoro offerens, ab eo in Ecclesiæ communionem fuit receptus, sed eumdem, haud multo post, ad impietatem reversum anathemate Theodorus confixit.

Num 129, linea 6. — *Ipse depositionis ultione perculsus est.* Eruditissimus Combefisius in Monothel. Hist putat Paulum a Theodoro minime depositum fuisse, ad id sentiendum contra Anastasii testimonium duabus his conjecturis adductus: Prima est, quod S. Martinus in concilio Lateranensi persecutionem a Constante et Paulo in Theodori apocrisiarios illatam refundit, non in Pauli depositionem, sed in solam apocrisiariorum admonitionem nomine apostolicæ sedis Paulo factam, ut ab hæresi recederet: altera vero quod Benedictus episcopus Ajacensis aliique episcopi Pauli damnationem in Lateranensi urgentes concilio satis indicant nullum hucusque Paulo anathema inflictum. Verum has conjecturas disertum testimonium abbatum et monachorum Græcorum refellit in libello oblato synodo Lateranensi, sub eodem S. Martino, et lecto secretario secundo, ubi in confirmationem Pauli depositionis ab Anastasio narratæ dicitur: « Cum quibus et typum, qui nunc contra Orthodoxam fidem factus est ex subreptione, non ex studio aut mente piissimi (hoc honesto titulo advertit sapientissimus Annalium parens Baronius ad annum Christi 649 prosequi Constantem; quod etsi hæreticus esset, non tamen palam omnino erat cognitus, atque ab Ecclesia damnatus) nostri imperatoris, sed suasione importuna et falsiloquio Pauli depositi a prædecessore vestræ sanctitatis Theodoro sanctissimæ recordationis papæ vestræ, apostolicæ sedis, eidem anathemati submittimus. »

PAGII.

Num. 127, linea 1. — *Ipsis temporibus venit Pyrrhus.* Pyrrhus interim in Africa degens, famosam illam anno 645 de fide catholica disputationem habuit cum Maximo Constantinopolitano abbate orthodoxo, in Africa tunc existente. Cum enim Pyrrhus hæresim suam ubique disseminaret, adversantem sibi maxime habuit prædictum Maximum. Unde exigentibus episcopis Africanis, ipsaque provinciæ præfecto Gregorio patricio, conventum est ut iisdem præsentibus, publica fieret inter eos de publicis controversiis disputatio, quam anno 645 contigisse, ipse titulus disputationi præfixus nos edocet, dum dicitur acta, *mense Julio indictione tertia.* Eam Græce et Latine refert Baronius in Appendice ad tomum VII, eamque ex Theophane et Anastasio fuse prosequitur ad eum annum. Finis autem disputationis fuit, ut Pyrrhus erroris sui convictus, pœnitens recantarit palinodiam, Romamque accedens, oblato fidei libello Theodoro papæ, quo abjurabat errorem, et fidem catholicam profitebatur, receptus sit una cum titulo patriarchatus in Ecclesiam catholicam, eidemque omnia necessaria Ecclesiæ Romanæ sumptibus honorifice subministrata, ut non ex Theophane tantum et Anastasio, sed et ex actis ipsius disputationis constat.

Num 129, linea 1. — *Tunc sanctus Theodorus papa scripsit Paulo patriarchæ regiæ civitatis.* Paulus Constantinopolitanæ sedis invasor potuit sane brevi temporis intervallo venenum ebibitum comprimere pharmaco simulationis; verum tumescente in dies conscientia illud tandem vel invitus evomuit. Primi ejus accusatores fuerunt Cyprii episcopi cum Sergio eorum archiepiscopo, qui anno 643 in concilio congregati synodalem epistolam ad Theodorum papam (quem *patrem patrum* et *universalem papam* nominant) de Monothelitarum hæresi ab ipsis damnata scripserunt. Hæc epistola exstat secretario II concilii Lateranensis.

Eodem circiter tempore Stephanus Dorensis episcopus, a catholicis Palæstinæ antistibus delegatus, Romam se contulit pro Ecclesia Jerosolymitana, quam invaserant pseudo-episcopi, iidemque conjuncti Paulo Constantinopolitano Monothelitarum acerrimo fautori: qui quidem Stephanus a Theodoro papa consecutus est apostolicæ sedis in illis partibus Vicariam Præfecturam, qua illorum omnium caput Sergium Joppensem episcopum Monothelitam intrusum in sedem Jerosolymitanam condamnaret et ab eo ordinatos episcopos gradu depositos in ordinem redigeret. Hæc constant ex ejusdem Stephani libello oblato Martino papæ in concilio Lateranensi.

Ex alia parte quatuor primates Africani, in singulis sibi subjectis provinciis, nempe Byzacenæ, Numidiæ, Mauritaniæ, et proconsulari synodos anno 646 convocarunt, ad confirmanda catholica dogmata, quæ vidissent tam valide anno superiori a Maximo abbate contra Pyrrhum propugnata. Eorum conciliorum monumenta recitata sunt in Lateranensi sub Martino papa secretario II, videlicet synodalis epistola a tribus simul ipsorum nempe Byzaceno, Numidico et Mauritano ad Theodorum Romanum pontificem, scripta ea occasione, quod cum iidem Patres Africani Constantinopolim essent legationem ac Paulum ejus civitatis episcopum monothelitarum principem commonendum missuri, de ea re prius ipsum Theodorum certiorem reddere voluerunt, litterisque suis ad eum datis petierunt, ut sua ad Paulum scripta per apostolicæ sedis responsales ei redderentur; rogaruntque insuper, ut nisi Paulus emendaret errorem, ab ipso Romano pontifice excommunicationis sententia damnaretur. Non exstant ipsæ Africanorum litteræ ad Paulum scriptæ, sed tantum eæ, quas separatim Patres concilii Carthaginensis proconsularis provinciæ ad ipsum miserunt, una cum aliis synodi Byzacenæ, eodem tempore ad imperatorem ea de re scriptis, quæ legi possunt eodem secretario II concilii Lateranensis.

Porro in dicta Patrum Africanorum ad Theodorum papam synodica dicunt Patres, se de sua ad Paulum legatione pontificem certiorem reddere voluisse, quod « antiquis regulis sancitum esset, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquis positis ageretur provinciis, non prius tractandum esset, nisi ad notitiam almæ sedis apostolicæ fuisset de-

Digitized by Google

ductum, ut ejus auctoritate justa quæ fuisset pronuntiatio firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei sacramenta salutis. »

Cernens igitur Theodorus papa in unam eamdemque sententiam universam Ecclesiam Africanam convenire, omnesque una voce in Paulum Constantinopolitanum episcopum, tanquam in Monothelitam conclamare, misit apocrisiarios Constantinopolim ad eumdem Paulum cum acerrimis litteris, quæ, ut notat Baronius ad nos non pervenerunt. Ita tamen factum fuisse, litteræ a Paulo ad Theodorum redditæ, a Baronio anno 646 recitatæ, testantur. Paulus in iis respondens Theodoro, eo fere modo monothelismum exposuit, quo Sergius in Ecthesi, una diserte asserta voluntate, ad excludendam voluntatum in Christo contrarietatem, quod unum erat velamen tacentium quidem unam expresse operationem, postquam Honorius unam dici vetuerat, unam vero profitentium voluntatem. In ea epistola Paulus profitetur se sequi Sergium et Honorium, ac universum Sanctorum ac Doctorum cœtum. Ea accepta Theodorus de sententia depositionis adversus eum proferenda cogitavit, quam Africani episcopi, ægre ferentes Pauli in Ecclesiam molitiones, sollicitabant.

Sed Paulus, ut fidem insidiose vulneraret, sibique jam catholicis exoso consuleret, *Typum* quemdam, seu fidei formulam et expositionem composuit, et sub Constantis imp. nomine promulgavit, qua, simulato pacis atque unionis prætextu, silentium imponebatur qua catholicis, qua hæreticis; ne scilicet impiorum quis auderet, de una vel duplici in Christo, tum voluntate, tum operatione sermones instituere. Dixit insuper opportunum vir subdolus, Ecthesim ab Ecclesiæ valvis deponere, ut liquet ex his typi verbis: « Ad perfectam unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum et communem concordiam, et ut nulla occasio relinquatur iis, qui sine fine volunt contendere, et chartas quæ posita fuerant in narthica sanctissimæ magnæ ecclesiæ hujus a Deo conservandæ regiæ nostræ urbis, quæ continent prædictas quæstiones, jussimus levari. » Typum anno 648 promulgatum, constat ex Theophylacto primicerio notariorum sedis apostolicæ, qui in concilio Lateranensi secretario IV ita habet: « Secundum jussionem beatitudinis vestræ, epistolam Pauli, et exemplar typi, nuper, id est, transacto anno, per suasionem ejusdem Pauli expositi, præ manibus habeo. » Concilium autem Lateranense, ineunte Octobri anno 649 celebratum est. Constat etiam ex Relatione *monitionis factæ inter domnum abbatem Maximum, et socium ejus, atque principes in Secretario*, ex qua hunc locum refert Baronius: *Et per typum, qui nuper, id est, per sextam indictionem promulgatus est*, quæ indictio in cursu fuit usque ad Kalendas Septembris anni 648.

Conatum hunc a Paulo per typum expressum, cæteris præcedentibus longe nequiorem agnoscit sanctus Martinus papa in epistola ad sanctum Amandum tunc Trajectensem episcopum. Nec solis catholicis hic sensus de typo fuit: sicut enim ecthesis a Sergio composita, « non orthodoxis tantum, ut loquitur Zonaras agens de Heraclio, sed Severi etiam sectatoribus ridicula visa est; » ita etiam typus a Paulo conflatus, non tantum catholicis, verum etiam a quibusdam Monothelitis odio habitus. Unde Theodosius Cæsariensis in Collatione cum Maximo, « per Deum, *ait*, qui me judicaturus est, et quando factus est, dixi, et nunc id ipsum dico, quia male et ad lesionem multorum factus est typus. »

Hæc autem impietatis consilia non ita fideliter exposuisset Paulus, nisi socium habuisset Constantem imperatorem, qui nihil non molitus est, quo monothelismus undique vulgaretur. Hunc ergo Paulus nactus sceleris socium, typum exposuit et Constantis nomine promulgavit, quemadmodum Sergius ecthesim ediderat, Heraclii auctoritate et A nomine firmatam. Non tamen abs re Patres orthodoxi crimen omne in typo expressum in Paulum refundebant, ne scilicet Constantis imperatoris animus lacessitus contumeliis, licet ab ipso meritis, pejora mala pareret Ecclesiæ. Unde Martinus papa in epistola ad eum data, appellat eum, *piissimum dominum, diligentem Deum, sincerum Christi ministrum, optimum imperatorem* quo pariter consilio in sexta synodo idem constans dicitur, *sanctæ memoriæ imperator*, ne videlicet Constantinus Pogonatus ejus filius, ob opprobria in parentem contorta, susceptam fidei defensionem deponeret, et fieret hostis Ecclesiæ, quem illa patronum prædicabat, et pacis ecclesiasticæ reparatorem.

Hic porro se offert occasio examinandi cum nupero auctore anonymo historiæ hæresis Monotheli-tarum, Honorianam silendi œconomiam, quæ ei similis est, quæ præfertur in typo. Ex Scrutinio itaque VII hujus auctoris pauca quædam hic selegi

B Approbat Honorius et commendat in utrisque suis epistolis consilium Sergii de Silentio, qua catholicis, qua hæreticis adhibendo, cum circa unam, tum geminas in Christo voluntates et operationes; quod etiam conatus est Sophronio persuadere, ut apparet ex fragmentis suæ secundæ epistolæ. Hanc silendi œconomiam quanto odio fuerint prosecuti in omni prorsus circumstantia Patres orthodoxi, qui viriliter obstiterunt Monothelitis, argumento est damnatio typi, in quo nihil invenies damnabile, si silendi dispensationem dempseris: in hanc enim præcise tendunt omnia fulmina contorta a Patribus in typum, quem ea de causa præsertim anathematizarunt, quod « cum perfidis hæreticis et orthodoxos Patres abjiceret, et cum scelerosorum virorum vocibus, hoc est una voluntate et operatione, pariter denegari faceret orthodoxorum doctrinas, id est duas ejusdem Christi voluntates et operationes, » ut inquit S. Martinus in concilii Later secret v, qui non minus absonum

C arbitrabatur silentium in hoc puncto, dispensare, quam unam et duplicem a Christo expungere voluntatem et operationem. Non absimili de causa S. Maximus, in Collatione cum Theodosio episcopo Cæsareæ, silendi œconomiam in typo expressam, Honorianæ similem his verbis confodit: « Quis fidelis suscipit dispensationem, taceri facientem voces quas, dixi, per apostolos et prophetas atque doctores Deus omnium dispensavit. » Unde ipse etiam typus ab eodem Theodosio licet Monothelita odio habitus est, ut num 11 diximus.

D Distinguendum autem est inter dispensationes et œconomias, quæ possunt in negotiis fidei adhiberi. Vel enim eæ cadunt supra personas, de quibus urget hæresis suspicio, vel supra fidei doctrinas. Et quidem, si de personis occurrat dissensio, non ita præcipitanter proscribendus est ut hæreticus, qui apud sedem apostolicam, ut talis defertur: ac proinde prudentissime potest ingeri dispensatio quædam et œconomia, qua protrahatur illius damnatio, donec intimius res elucescat. Quam dispensationem prudenter adhibuerunt Patres, qui monothelismo nascenti obstiterunt: licet enim erumpentem hæresim illico damnarint, personas incolumes servarunt ab anathemate, donec tandem ad acriora remedia deventum est, et per Martinum papam synodice damnati sunt monothelismi fautores, Cyrus, Theodorus, Sergius, reliquique. Si vero de fidei doctrinis occurrat dissensio longe aliter res procedit, quippe si veritas aliqua impugnetur, quæ aperte contineatur in omnibus sanctis Patribus, quæque e sacrarum Scripturarum, et sanctorum conciliorum fontibus satis effluat abunde, nulla tunc opus est œconomia, aut silendi dispensatione; sed statim per quos spectat, est manifeste definienda: nisi forte a decessoribus definita reperiatur; quando præsertim liquet, his fraudibus hæreticorum, præcipites agi in foveas eorum complures ex orthodoxis. Hoc pacto processere veteres Patres, quando novæ hæreses obortæ

Digitized by Google

sunt : quod pluribus exemplis patefieri posset.

Nec juvat dicere ad excusandam Honorii œconomiam, eam potuisse laudabiliter ab Honorio induci, utpote in re adhuc indifferenti, cum nulla nunc fuisset definitio conciliorum, nullum pontificum decretum, statuens aperte duplicem in Christo reperiri voluntatem et operationem : quod de typo dici non potest, cum ad illum præcessisset concilium Joannis IV hanc veritatem clare definiens. Hoc, inquam, nihil juvat, quia nullibi patres monothelismi profligatores, ac præsertim Martinus papa et abbas Maximus typi œconomiam ex eo impugnarunt, quod per ipsam everteretur concilium Joannis IV, sed quia destrueretur doctrina S. Leonis, concilii Chalcedonensis, totius Scripturæ, atque omnium Patrum : quæ ratio militat etiam contra Honorii dispensationem ; cum et hæc subsequens fuerit ad concilium Chalcedonense et epistolas S. Leonis ; ac proinde in easdem labitur censuras, in quas impingit œconomia seu typus Constantis imperatoris.

Deinde typi œconomia ideo mordicus impugnabatur a Patribus, quod silentium, unius aut duplicis voluntatis videbatur negatio : sicque unanimiter existimabant, tum Martinus, tum Maximus, tum reliqui monothelitarum hostes, idem prorsus esse definire, ne una vel duplex in Christo diceretur voluntas aut operatio, ac omnem penitus a Christo negare voluntatem aut operationem ; quod absurdum non magis præsumi debet ex œconomia Constantis, quam ex Honorii dispensatione : quam ob rem vel utræque absolvendæ, vel ambæ erant damnandæ. Tertio tandem non minus per œconomias Honorii, quam per typi dispensationes enervatur doctrina veterum Patrum, qui unanimiter et aperte asserunt, duas esse in Christo voluntates et operationes. Unde si Patrum auctoritates vehementer impulerunt Martinum papam, et Maximum abbatem, ut œconomiam typi acerrime insequerentur ; cur eædem Patrum auctoritates satis esse non potuerint, ut Honorianam œconomiam hæreticis fomentum præbentem, ejecerint præsules sextæ synodi? Alias in favorem Honorianæ œconomiæ excusationes refert et refellit idem auctor anonymus laudatus, quas hic repetere non vacat ; eædem enim rationes quæ afferuntur ad excusandam Honorii dispensationem, adduci etiam possunt ad defendendum typum. Unde hæc satis sint de œconomiis et dispensationibus, de quibus plura ibidem legi possunt.

Pyrrhus Constantinopolitanus olim patriarcha, qui Romæ hæresim fiete abjuraverat, ut orthodoxæ fidei simulatione Theodorum papam et occidentales episcopos sibi conciliaret, eorumque opera et auctoritate posset restitui, ad publicam hæreseos professionem rediit, cum ipsi per Platonem Italiæ exarchum patefacta esset via unionis cum Orientalibus, ut testantur Theophanes ad annum 20 Heraclii et Auctor Libelli Synodici. « Pyrrhus, inquit Theophanes, cum Roma discessisset, et Ravennam pervenisset, *ut canis ad vomitum suum reversus est* (*II Petr.* II, 22). Quo papa Theodorus comperto, convocato Ecclesiæ cœtu, ad sepulcrum Principis apostolorum accessit, et divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, et ita propria manu depositionem Pyrrhi, ac ei communicantium fecit. » Iisdem fere verbis utuntur tam Paulus Diaconus Aquileiensis in Hist. cap. 18, quam auctor libelli synodici, et sanguinis Christi ex calice in atramentum stillati meminere. Certum est itaque Pyrrhum in synodo Romana anno 648 a Theodoro papa congregata anathematis et depositionis sententia percussum esse, Theophane, Anastasio, et auctore libelli synodici testibus.

Hic ritus subscribendi calamo in calice tincto sanguine Domini loco atramenti, peculiaris fuit Græcorum, a Theodoro tamen papa, licet hujus facti Anastasius mentionem non fecerit, in damnatione Pyrrhi usurpatus. Idem narrat Baronius ex Niceta in A Vita S. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani, qui de damnatione Photii in Constantinopolitano concilio loquens, ait apud Baronium anno 869 : « Subscribunt autem hujusmodi damnationi non simplici atramento facto Chirographo, sed horrendum dictu (ut ab iis, qui id norunt, accepi) ipso videlicet Salvatoris sanguine calamum tingentes ita damnarunt Photium. » Combefisius in historia Hæresis Monothelitarum disput. 1, paragr. 13 scribit, nihil ea velut Dominici sanguinis abusione, irreverentia gravius peccatum a præfatis Theodoro, Patribusque Constantinopolitanis fuisse, uti nec a Basilio, cum voluit secum Domini corporis particulam sepeliri, ut ibidem legere est. Porro S. Basilii factum exstat apud Amphilochium, cujus fragmentum citat Æneas Parisiensis episcopus in libro adversus Græcos Spicilegii tom. VI, pag. 81. Idem narrat S. Gregorius lib II, cap. 24 Dialog. fecisse sanctum Benedictum, qui adolescentem monachum posito cum reverentia super ejus pectore corpore Domini sepeliri jussit. Observat etiam Edmondus Martene lib. I de Antiquis Ecclesiæ Ritibus B cap. 5, art. 4, in solemni ecclesiarum dedicatione tres portiones ex Dominico corpore detractas altari cum calce et Smalta inclusas fuisse ; id quod in majoris monasterii basilicæ dedicatione præstitisse Urbanum papam secundum narrat auctor anonymus de gestis abbatum Majoris monasterii. Ostendit postea Martene nihil exinde honoris Christo debiti detractum censuisse antiquos.

Baronius existimavit typum a Theodoro papa in eadem synodo damnatum, cum Paulo episcopo Constantinopolitano. Verum typum nec in hac synodo, nec post eam a Theodoro damnatum colligitur ex Anastasio, Theophane et auctore libelli synodici, qui soli ex Antiquis de hac synodo Romana locuti sunt, quique ne verbum quidem habent vel de typo, vel de Paulo in ea damnatis, sed tantum de Pyrrho. Cumque nullibi legatur, Theodorum post eam synodum, typum damnasse, concludendum est cum Combefisio C laudato primam typi damnationem Martino papæ deberi. Certe si Theodorus typum damnasset, imperator ubi Martini creationem accepit, hunc non sollicitasset ut typo consentiret, sed ut decretum adversus typum latum rescinderet, postulasset. Forsan etiam tempore istius synodi Romanæ adhuc ignorabatur typi promulgatio, quæ peracta est indictione sexta, ideoque ante Kalendas Septembris anni 648, quo eodem anno hæc synodus Romana a Theodoro celebrata.

Quoad Paulum Constantinopolitanum patriarcham, cum Theodorus post amantissimas commonitiones, et contestationes ardentissimas per suas epistolas, suosque apocrisiarios expositas, accepisset vulnus Pauli jam desperatum, neque amplius lenociniis, sed ferro et igne anathematum curandum ; sententiam excommunicationis et depositionis in eum tulit sub finem sui Pontificatus, seu anno 648 exeunte, aut 649 ante mensem Maium, quo obiit, sed extra synodum. D Eum a Theodoro depositum constat ex testimonio abbatum et monachorum Græcorum in libello oblato synodo Lateranensi et secretario II recitato, in quo aiunt : « Cum quibus et typum, qui nunc contra orthodoxam fidem factus est ex subreptione, non ex studio aut mente piissimi nostri imperatoris, sed suasione importuna et falsiloquio Pauli depositi a prædecessore vestræ sanctitatis Theodoro, sanctissimæ recordationis papa vestræ apostolicæ sedis, eidem anathemati submittimus. » Ipsum autem extra synodum damnatum ex Anastasio deducitur, qui postquam de synodo in qua Pyrrhus damnatus est, sermonem habuit, narrat translationem SS. martyrum Primi et Feliciani, aliaque a Theodoro papa gesta, et postea subdit : « Sanctissimus Theodorus papa scripsit Paulo patriarchæ regiæ civitatis, tam rogans, quam regulariter increpans, nec non per apocrisiarios per hoc maxime destinatos præsentialiter admonens et contestans, quatenus propriam

Digitized by Google

emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a suo conamine quoquo modo revocare. Propter quod ab apostolica sede ipse depositionis ultione perculsus est, » ubi nulla alicujus alterius synodi a Theodoro celebratæ mentio est.

Quod attinet ad persecutionem a Paulo in apocrisiarios apostolicæ sedis excitatam, de qua loquuntur Martinus papa secretario IV concilii Lateranensis, et Anastasius in eodem Martino, videtur ea Theodori tempore contigisse, ut Baronius anno 648 probat. Paulus quidem primo altare et oratorium, quod erat in ædibus, in quibus apocrisiarii Romanæ sedis habitare consuevissent, diripuit; deinde adversus eosdem apocrisiarios, Constantinopoli tunc existentes, necnon cæteros orthodoxos ipsis inhærentes persecutionem movens, quosdam carceri tradidit, alios in exsilium misit, rursumque alios verberibus submisit. Quod Martini papæ apocrisiarios passos dici non posse videtur, cum ipsemet Martinus in litteris adversus Paulum episcopum Thessalonicensem scriptis, doleat suos apocrisiarios seductos fuisse.

Linea 9. — *Qui etiam sepultus est.* His omnibus ita constanter, sancteque peractis, postquam, eodem Anastasio teste, sedisset *annos sex, menses quinque, dies octodecim;* humanis ereptus est die decima tertia Maii anni 649, *sepultus ad beatum Petrum apostolum* die decima quarta ejusdem mensis, seu *die secundo idus Maii.* Unde cum consecratus fuerit die XXIV Novembris anni 642, dicendum cum quibusdam exemplaribus Mss. Anastasii et quibusdam catalogis, eum ultra annos et menses sedisse dies XIX. Ejus nomen die decima quarta Maii inscriptum est aliquibus Martyrologiis, ut videre est in Actis sanctorum Bollandianis ad eum diem. De libris Moralium S. Gregorii Papæ, qui Romæ sub ejus pontificatu revelatione inventi sunt, vide dicta in Martino.

SOMMIER.

Num. 127, linea 1. — *Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa.* Quo tempore Cp. sedes a Paulo occupabatur, Pyrrhus qui in Africam se receperat, sanctum abbatem Maximum ibi reperit, quocum celebrem habuit disputationem de Monothelismo coram gubernatore, ac pluribus Provinciæ episcopis. De Honorio papa decertatum, quem aiebat Pyrrhus aperte docuisse unam Jesu Christi voluntatem in epistola ad Sergium. Cumque Pyrrho demum constaret cum Maximo quod circa veram epistolæ sententiam major fides adhibenda erat illi, qui eam scripserat, Honorii nomine, et adhuc superstes erat, totumque Occidentem tum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustrabat, quam Cpolitanis, qui eam pro suo lubito interpretabantur; tunc Maximus ipsa verba recitavit, quibus idem scriptor aliquandiu post usus fuit Joannis papæ nomine ad Constantinum imperatorem scribens de illa epistola : « Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus, et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates habuisse contrarias, carnis, inquam, et spiritus, sicut nos habemus post peccatum : sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat. » (*Conc. Later.*, secr. 1.) Talem autem esse epistolæ sententiam, aiebat Maximus, inde præsertim liquet, quod carnis, membrorumque mentio est, quæ divinitati non congruunt. Deinde quomodo objectionem præveniat ostendens, illius verbis prosequitur : « Si quis vero, inquit, dicat : Quare de humanitate Christi agentes, de divinitate ejus non meministis? respondemus, primum quidem responsum fuisse ad quæstionem : deinde ut in omnibus sic etiam hic consuetudinem Scripturæ nos secutos fuisse, quæ aliquando ex divinitate ejus disserit; ut quum ait Apostolus : Christus Dei virtus, et sapientia; aliquando ex humanitate, et solum, ut quum idem ait : Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. » (*Ibid.*)

Hujus celeberrimæ quæstionis exitus fuit expugnatio Pyrrhi, qui eam absolvit per hæc verba : « Pluris faciens salutem meam, quam cætera omnia, præsto sum ad faciendum hoc cum omni satisfactione. Hoc solum rogo, ut dignus habear in primis templorum apostolorum, ac potius ipsorum principum apostolorum adoratione : deinde ut videam faciem sanctissimi papæ, eique tradam libellum eorum, quæ absurde facta sunt. » (*Ibid. in fin.*)

Profecto stetit dictis, Romam venit, ibique solenni abjuratione sectariorum impia dogmata detestatus sese per rectam professionem cum catholica Ecclesia conjunxit. Acta ejus detestationis authentica pontifici Theodoro exhibuit coram clero et populo : contra pontifex, qui legitimum Cpoleos episcopum eum agnovit, tradi eidem voluit quæcumque erant ad regiæ sedis dignitatem tuendam necessaria.

At Pyrrhus Roma profectus ad exarchi sedem Ravennam venit, ubi sese pervertens ad vomitum rediit sollicitante, ut videtur, exarcho, et spe ductus recuperandi suam sedem Constantis imperatoris beneficio, qui monothelismum profitebatur. Quam rem cum primum novit pontifex, convocata synodo Pyrrhum condemnavit, ritu non minus novo, quam terribili; nam Pyrrhi, eique adhærentium depositionem calamo pretiosio Jesu Christi sanguine asperso exaravit. (Theoph., *an.* 20 *Heracl. imp.*)

LXXVI. MARTINUS.

ANNO CHRISTI 649, CONSTANTINI IMP. 8.

130 Martinus, de civitate Tudertina, provincia Tusciæ, sedit annos sex, mensem unum, dies viginti sex [a]. [b] Hujus temporibus Paulus Constantinopolitanæ urbis episcopus, inflatus superbiæ spiritu adversus rectum sanctæ Dei Ecclesiæ dogma, audacter præsumpsit paternis definitionibus contraire; insuper studuit ad cooperimentum [c] proprii erroris quorumdam subreptioni [d], ut et clementissimo principi suaderet typum exponere, qui [e] catholicum dogma destrueret. In quo typo omnes omnino voces sanctorum Patrum cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus [f] enervavit, scilicet nec unam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo Domino nostro definien.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, mens. 3, d. 12. [b] *Vide Baron ad ann Domini* 648. [c] ad operimentum. [d] quibusdam subreptionibus [e] quo. [f] edictionibus.

Digitized by Google

confiteri. Qua de re hujusmodi pravitatem suam defendens, quod nunquam nec a prioribus hæreticis præsumptum est, ipse in lite [a] præsumere studuit in tantum [b], ut altare sanctæ nostræ sedis, quod erat in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo subvertens, diriperet, prohibens ne adorandam et immaculatam hostiam apocrisarii nostri ibidem Deo offerre valeant, nec communionis sacramenta percipiant. Qui videlicet apocrisarii ex præceptione apostol. auctoritatis commoverunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet. Necnon et contestari visi sunt [c], persecutionibus diversis cum aliis orthodoxis viris, et venerabilibus sacerdotibus insecutus est eos [d], quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exsilium deportans alios autem verberibus committens [e]. Quibus pene omnem mundum conturbantibus ex diversis locis querelam contra eos ad apostolicam nostram sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur. Conjurantes, ut totius malitiæ tantæque eversionis per apostolicam auctoritatem abscindant [f] commentum : quatenus minime totius corpus [g] catholicæ Ecclesiæ nocibilis eorum ectheseos [h] languor disrumpere valeat.

131 Tunc Martinus sanctissimus ac beatissimus episcopus misit, et congregavit episcopos in urbem Romam numero centum et quinque, et fecit synodum secundum institutum [i] Patrum orthodoxorum in ecclesia Salvatoris juxta episcopium Lateranense. Sedentibus episcopis et presbyteris, astantibus diaconis et clero universo, condemnaverunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum et Paulum patriarchas Constantinopolitanos, qui novitates contra immaculatam fidem præsumserunt innectere. Quippe quoniam ipsam excludere properantes hæreticorum dogmatum contra catholicam Dei Ecclesiam confusionem concinnaverunt [j], anathematis ultione percussi [k] sunt [l]. Quæ synodus hodie archivo Ecclesiæ continetur. Et faciens exemplaria per omnes tractus Orientis et Occidentis direxit, et per manus orthodoxorum fidelium disseminavit. Ipsis diebus direxit imperator in Italiam Olympium cubicularium et exarchum ad regendam omnem Italiam, præcipiens et dicens : Oportet gloriam tuam ut sicut nobis suggessit Paulus patriarcha hujus a Deo conservandæ urbis peragere. Et si quidem inveneris provinciam ipsam consentientem in typo a nobis exposito tenere omnes, qui ibi sunt, episcopos, et hæreticos possessorum [m] atque habitatorum, et peregrinos, et in eodem subscribant [n]. Si autem quomodo nobis suggessit Platon gloriosus patricius, et Eupraxius gloriosus, potueritis suadere exercitui ibidem consistenti, jubemus teneri Martinum, qui hic erat apocrisarius in regia urbe. Et postmodum omnes ecclesias relegere eum, quia factus est a nobis orthodoxus typus, et omnes episcopi Italiæ in ipso subscribant Si autem inveneritis [o] contrarium in tali causa exercitum tacitum habetote, donec obtinueritis [p] provinciam; et potueritis vobis exercitum [q] aggregare, tamen Romanæ civitatis atque Ravennatis [r], ut ea quæ a nobis præcepta sunt, quantocius explere valeatis [s].

132 Qui prædictus Olympius veniens in civitatem Romanam invenit sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus episcopis Italiæ, seu sacerdotibus, vel clero. Et volens implere ea quæ ei jussa sunt, amans secum exercitum virtutis [t], voluit schisma sanctæ ecclesiæ [u] intromittere. Hoc per plurimum tempus actum est. Et non illum omnipotens Deus permisit quæ nitebatur perficere. Videns ergo se a sancta Dei catholica atque apostolica Ecclesia superatum, necesse habuit de sua quasi mala intentione declinare, ut quod non potuit per manum armatam facere, sub hæretico modo [v] per missarum solemnia in eccle-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] illicire. [b] In tantum vero vesaniæ prorupit, ut altare. [c] commoverunt eum ut ab hujus hæresis intentione recederet. Necnon et contestari eum jussi sunt. [d] at ille insecutus. [e] *C*, submittens. [f] abscinderetur. [g] totum corpus. [h] exsecutionis. [i] instituta. [j] continuaverunt. [k] percussi. [l] *Vide Baron ad ann Domini* 649. [m] *B*, professores. [n] facias tenere omnes qui ibidem sunt, episcopos, et possessores, atque habitatores in eodem subscribere. [o] inveneris. [p] obtinueris. [q] majorem. [r] tam et Romanæ civitatis, quam et Ravennatis. [s] valeas. [t] C. exercitus virtute. [u] in sanctam Ecclesiam. [v] subreptitio modo.

Digitized by Google

sia Dei sanctæ Genitricis semperque virginis Mariæ ad Præsepe perficeret. Nam dum communionem ei porrigeret sanctissimus papa, voluit eum crudeliter interficere, ut demandarat suo spathario. Sed omnipotens Deus, qui solitus est servos suos orthodoxos circumtegere, et ab omni malo eripere, ipse excæcavit spatharium Olympii exarchi, et non est permissus videre pontificem, quando exarcho communionem porrexit, vel pacem [a] dedit, ut sanguis ejus effunderetur, et catholica Dei Ecclesia hæresi subjugaretur [b]. Quod postmodum prædictus armiger diversis cum jurejurando professus est.

133 Videns ergo Olympius exarchus quia manus Dei circumtegebat Martinum sanctissimum papam, necesse habuit secum pontificem concordare, et omnia quæ ei jussa fuerant, eidem sanctissimo viro indicare. Qui facta pace cum sancta Dei Ecclesia, colligens exercitum, profectus est Siciliam adversus gentem Saracenorum, qui ibidem habitabant. [c] Et peccato faciente major interitus in exercitu Romano pervenit, et post hoc isdem exarchus morbo interiit. Deinde directus est ab imperatore Theodorus exarchus, qui cognomento Calliopa dicitur, cum Theodoro imperiali cubiculario, qui et Pellurius [d] dicebatur cum jussione. Qui tollentes sanctissimum Martinum papam de ecclesia Salvatoris, quæ et Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, et nec sic eis acquievit. Deinde directus est prædictus sanctissimus vir in exsilium, in locum qui dicitur Cersona [e]. Et ibidem, ut Deo placuit, vitam finivit in pace Christi confessor. Qui et multa mirabilia operatur usque in hodiernum diem. Fecit autem ordinationes duas [f] per mensem Decembrem : Presbyteros undecim, diaconos quinque, episcopos per diversa loca numero triginta tres. Depositus die 17 mensis Septembris [g], et cessavit episcopatus dies viginti octo.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] panem. [b] subjiceretur. [c] *Vide Baron. ad ann.* 650. [d] Pelarius. [e] B. Chersona. [f] *Baron. unam tantum factam probat.* [g] *Depositio ejus celebratur* 15, *Kalend. Octobr. B*, 12 Novemb.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXVI.

Num 130, *lin* 3, adversus rectam sanctæ Dei Ecclesiæ dogmam. *lin* 6, catholicam dogmam destrueret. *lin* 7, enerbabit. *lin* 11, sedis, qui erat in domo placidiæ in benerabili subvertens diripuit. *lin* 16, et benerabilibus sacerdotibus insecutus eos q. e. c. r. alios in exsilio deportans. *lin* 18, ex diversis locis querellas contra eos. *lin* 20, conjurantes, ut totius mala, tanteque eversionis p. a. a. abscindatur commentum. *lin* 22, eorum etteseos languor.

Num 131, *lin* 1, sanctissimus hac beatissimus E. misit, et congregabit episcopos in urbe Roma n. c. et, q. e. f. f. secundum instituta, *lin* 4, sedentibus episcopis, presb adst diaconibus, et clerum universum. *lin.* 6, qui nobitates. *lin* 8, perculsi sunt. Quem synodum hodie archibo. *lin* 10, direxit per manus. *lin* 11, direxit in Italia. *lin* 14, inveneris provincia ipsa consentientem. *lin* 15, episcopos, et hieraticos possessorum adque habitatorum, et peregros. *lin* 17, patricius eupraxius potueritis suadere ibidem consisten ti. *lin* 18, et postmodum per omnes eccl regere eum qui factus. *lin* 21, tacitum habitote donec optimeritis p. e. p. v. e. adgregare. *lin* 22, romane civitatis, atque rabennate. Et ea quæ vobis præcepta sunt, quantocius.

Num 132, *lin* 1, qui præd Ol. ven in civitate romana i. S R E quoadunatam cum omnes episcopos Italiæ, seu sacerdotes vel clerum, *lin* 3, armans secum exercito virtuti etc. hoc plurimum tempus. *lin* 7, ut quod non potuit per manus armata facere subreticio modo p. m. s. in Ecclesia sanctæ Dei genitricis s. v. m. ad presepem. ad communionem dum ei porrigeret sanctissimus papa, voluit eum interire, ut demandaverat suo spathario. *lin* 12, ipse excecabit spatharium, *lin* 15, hærese subjugaretur. *lin* 16, diversis cum jurejurandum professus est.

Num 133, *lin* 2, qui ibidem inhabitabant, et p. f. m. i. i. e. Romano provenit. Et post hoc hisdem. *lin* 7, qui cognom Calliopa cum Theodoro I C qui et Pellurios dicebatur cum jussiones et tollentes. *lin* 9, de e S qui et Constant etc. adquievit, deinde directus est sepius dictus sanctissimus vir in exilio in loco qui dicitur chersona. *lin* 12, vitam finibit etc, *lin* 15, die septimadecima mensis septembr.

Ex codice Vallicellano.

Num 130, *lin* 4. Paternis insuper diffinitionibus contraire studuit; et ad operimentum proprii [*cod.* proprie] erroris, quibusdam sub temporibus egit, ut clementissimo principi suaderet, typum exponendo quo catholicum dogma destrueret. *lin* 7, hæreticorum edictionibus evacuare voluit, scilicet. *lin* 10, ipse illicite præsumere studuit. In tantum vero etc *ut Reg, Maz et Thuan. lin* 13, nec communionis sacramenta perciperent. *lin* 14 *et* 15, commonuerunt cum ut ab hujus hæresis intentione recederet. Necnon et contestari eum visi sunt prosecutionibus. *lin* 21, ut hujus mali tantæque malitiæ t. e. per apost auctor abscideretur, etc *ut Reg Maz et Thuan cum quibus Vallicellanus cod concordat etiam lin* 17, 18 *et* 19. *Item lin* 3, *excepto et, quod deest in Vallic.*

Num 131, *lin* 4, adstantibus diaconibus. *lin* 5,

Digitized by Google

et condemnaverunt, *lin ead*, et Paulum patriarcham Constantinopolitanum. *lin* 8, percussi sunt etc, *ut Reg, Maz et Thuan. lin* 11, in Italia : *mendose*; *item lin ead*, cubic exarchum etc. *ut iidem codd. lin* 14, exposito facias tenere cum omnes qui etc. *ut iidem codd. lin* 17, potuerit etc, *ut iidem cod excipe tamen voces* in ipso subscribant; *pro quibus in ms. libr Vallicell habetur*, in eo subscribant. *lin* 21, habe . . . exercitum aggregare, tam Romanæ etc. *In reliquis hic, et lin* 1, 3, 7, 15 *et* 23, *cod Vallic concordat cum laudatis mss libris.*

Num 132, *lin* 2, seu sacerdotibus vel Deo, *lege* vel clero, *ut edit lin* 5, volens adimplere ea etc. *ut Reg Maz et Thuan excepto verbo* mittere, *pro quo Vallicel cod habet cum edit* intromittere. *lin* 6, catholica et apostolica Ecclesia. *lin* 8, in ecclesia Dei genitricis semperque vir. *lin* 10, porrigeret, domnus papa etc. *ut Reg, Maz et Thuan, lin* 15, et catholica Dei Ecclesia hæresibus subjiceretur; *lin ult.* diversis in jurando professus est. *Et nota quod noster ms. liber concordat cum laudatis codd etiam lin* 1 *et* 8.

Num 133, *lin* 2, 5, 10, 13 *et* 15, *cod Vallicel habet ut Reg, Maz et Thuan. lin* 6, Romano provenit. Post hæc idem exarchus. *lin* 7, cui cognomentum Calliopa, et Paulus cubicularius, qui et Pallarius dicebatur, cum jussione : et tollentes beatissimum papam Martinum.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 130, *lin* 5, quorumdam, *B*, quibusdam uti subreptionibus. *lin* 7, enervavit, *B*, enarravit. *lin* 14, commoverunt, *B*, commonuerunt. *lin* 15, visi sunt, *A*, ipse prædictus Paulus cum aliis orthodoxis, *lin* 21, abscindant, *A*, abscindatur. *lin* 22, eccheseos, *A*, hæreticus, *B*, hæreseos.

Num 131, *lin* 15, tenere, *A*, teneri, *B*, consentiant omnes. *lin eadem* episcopos, *B*, episcopi, *et liu* 17, potueritis, *B. A*, potueris. *lin* 19, per omnes ecclesias perlegi typum orthodoxum, qui factus est a nobis. *lin* 22, tamen *A*, tanquam.

Num 132 *lin* 5, actum est, A. sed non.

Num 133, *lin* 13, confessor, *A*. die 14 mensis 6.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 130, *lin* 1, Martinus, natione Tuscus, de civit Tud sed. *lin* 3, adversus rectam fidem, et sanctæ Dei Eccl dogma. *lin* 4, paternis insuper definitionibus contraire studuit, et ad operimentum p. er. quibusdam subreptionibus egit, ut ut clem pr. suad typum exponendo, quo catholicum dogma destrueret. *lin* 7, hær editionibus enarravit (*M*, enarrare voluit). *lin* 10, ipse illicite præs studuit. In tantum vesaniæ prorupit, ut alt nostræ s. Sed. *lin* 12, ne ad ador immaculatam h. *lin* 13, valerent, nec com sacr percip. *lin* 14 *et* 15, commonuerunt eum, ut ab hujus hæresis intentione recederet. Necnon et contestari eum jussi sunt pers. *lin* 16 *et* 17, sacerdot. At ille ins est eos, quosdam eorum in custodiam retrudens. *lin* 18, submittens Q p. per omnem mundum dispersis, ex diversis locis querelas eorum ad Ap. *lin* 20, ut hujus malit t. e. p. apost auctor abscinderetur commentum, q. m. totum corpus c. e. nec eorum executionis languor corrumpere valeret.

Num 131, *lin* 1, tunc Martinus venerabilis papa misit, etc, ep. in urbe R. *lin* 3, instituta p. o. in eccl Domini S. i. ep. l. residentibus ep. et pr. *lin* 5, cond Pyrrhum, Cyrum, Al. Sergium, et Paulum patriarcham Constantinopolitanum. *lin* 6, fidem nostram pr. in. *lin* 8, continuaverunt, an. ult percussi sunt. Quæ S. h. in arch eccl cont et facta sunt inde exemplaria, quæ per omn tr. Orient et Occident dir. *lin* 11, cubic Exarchum ad r. o. l. præcipiens ei, et d. oportet ut gloria tua, sicut nobis. *lin* 13, urbis peragres provincias, et si q. in *lin* 14, exposito facias tenere omnes, qui ibidem sunt episcopos, et possessores, atque habitatores, et peregrinos in eodem subscribere. Si autem q. sugg nobis. *lin*. 17, potuerit s. ex Romæ consistenti, job hoc idem tenere Martinum, q. h. cr. ap. in hac reg v. Postmodum per omnes ecclesias eum fac relegi, qui factus est an. ort typus, ut omnes episcopi Ital in i. s. Si autem inveneris aliquem contrarium *lin* 21 habe, donec obtinueris pr. et potueris majorem exercitum comparare (M. congregare). tam et Romanæ civitatis, quam et Ravennatis. *lin* 23, valeas.

Num 132, *lin* 1, eo tempore Olympius ven in civit R. invenit omnem ecclesiam coadun. *lin* 3, adimplere ea. quæ ei i. f. armans sec exercitus virtutem voluit schisma in sanctam Ecclesiam mittere quod cum per plurimum tempus aggredi niteretur non illum perm omn D. *lin* 6, a. sancta Dei Ecclesia cathol et apostol superatum (*M*. separatum). *lin* 8, subreptitio modo. *lin* 10, porro Dom papa voluit eum interimere, ut demandaverat suo spathario. Sed Dominus omnipotens, qui solitus est. *lin* 15, et ne. cathol. Dei Ecclesia hæresibus subjiceretur q. *lin* 16, diversis jurejurando pr.

Num 133, *lin* 1, *M*. beatissimum papam, n. h. se cum pontifice c. et omnia q. i. ei. f. eidem sancto viro ind. *lin* 4, in Siciliam. *lin* 5, inhabitabant. Sed peccato fac. *lin* 6, pervenit. Post hæc isdem ex. *lin* 7, cui cognomentum Calliopa, et Theodorus cubicularius, qui et Pellarius dicebatur, cum i. et tollentes beatissimum papam M. *lin* 10, perduxerunt eum Constant. Sed nec sic acquievit eis. Deinde directus est in exsilium in L. *lin* 13, confessor sub die 17 m. Septemb ubi et multa mirabilia per eum operatur Deus usque in hod d. Fecit. *lin* 15, loca 33 et cess ep. annum unum mens 2, di. 20.

Ex codice Thuano altero.

Num 130, *lin* 1, provinciæ T. *lin* 3, inflammatus s. *lin* 3, audaciter. *lin* 5, quibusdam subreptionibus *lin* 7, enarravit. *lin* 10, illicite p. *lin* 17, in exilio d. a. a. v. submittens. *lin* 18, c. universis locis querelas. *lin* 21, abscindatur c.

Num. 131, *lin* 2, urbe R. *lin* 3, instituta *lin* 4, residentibus. *lin* 8, percussi s. *lin* 12, præcipiens ei dicens. *lin* 14 inveneritis p. i. c. i. t. a. u. posito. *lin* 19, per omnes eccl. *lin* 21, donec omnem obt. *lin*. 22, tam Rom c.

Num 132, *lin* 3, adimplere ea. q. e. i. s. armans.

Num 133, *lin* 6, provenit. *lin* 14, presbyt. 10. *lin* 15, depositus sub die 16 mensis Septemb. *Cætera desunt.*

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 130, *lin* 5, tipum, *lin* 7, enervavit. Nec unam. *lin* 16, insequutus eos. *lin ult* et theseus.

Num. 131, *lin* 4, episcopis, presbyt. *lin* 10, dixerit, per. *lin* 12, præc ei dic. *lin* 14, inveneritis. *lin* 21, exercitum abitote. *lin* 22, Ravennate u. e. quæ nobis.

Num 132, *lin* 3, v. clerum. *lin ead*, jussa sunt. armans s. exercitu. *lin* 8, hereticio. *lin* 9, ad Præsepe ad communionem dum ei porrigeret sanct. *lin* 11, demandans suos. *lin* 12 *et* 13 excecavit. *lin ead* 15, olympii et exarchi.

Num 133, *lin* 2, hab se cum pontifice. *lin* 5, saracenorum q. i. inhabitabant. *lin* 8, Pellurios.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 130, linea 5. — *Ut et clementissimo principi suaderet typum exponere.* Typus est pragmaticum edictum, Nov. 113, cap 1 synt, vi in Trull, can 38 :

Digitized by Google

Τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις. Civiles ac publicos typos. Et Balsamo in can 12 syn Chalced : *Τὰ βασιλίκη προστάγματα, πραγμάτικοί τύποι λέγονται : Imperialia edicta pragmaticæ formæ dicuntur.* Hinc Anastas inf eod. « In quo typo omnes omnino voces sanctorum Patrum, cum nefandissimorum hæreticorum distinctionibus enervavit. » Et infr. : « Et si quidem inveneris provinciam ipsam consentientem in typo a nobis exposito. » Et infr : « Quia factus est a nobis orthodoxus typus. » Typi etiam sunt pacta pacis inter principes. Paul. Diaconus lib. XIX : « Destruxit autem et pacem cum Bulgaribus fixam, perturbans typos, qui a patre ordinabiliter facti sunt. »

Linea 10. — *Ipse in lite præsumere studuit in tantum, ut altare sanctæ nostræ sedis, quod erat in domo Placidiæ sacratum, in venerabili oraculo subvertens diriperet.* Oraculum pro oratorio. Anast infr in Agathone : « In oraculo beati Petri apostoli intra palatium. » Et rursus : « Intra oraculum sancti Petri intra palatium. » Idem in Sergio : « In oraculum beati Cæsarii martyris Christi. »

Linea 21. — *Quatenus minime totius corpus catholicæ Ecclesiæ nocibilis eorum ectheseos languor disrumpere valeat.* Ectesis a Græco *ἕκτισις, defectio, solutio membrorum, tabes, ectesis, φθισις, morbus sonticus* : de quo in l. 1, § Sed sciendum, ff. de Ædil edict.

Num 131, linea 2. — *Et fecit synodum secundum institutum Patrum orthodoxorum, in ecclesia Salvatoris juxta episcopium Lateranense.* Plerumque synodi Romanæ celebratæ fuere in ecclesia Lateranensi, quæ dicta est Constantiniana a conditore, quia condita est a Constantino. Anastas in Silvestro, et infr hoc loco : « Qui tollentes sanctissimum Martinum papam de ecclesia Salvatoris, quæ et Constantiniana dicitur. » Eadem dicta est Salvatoris, quia dicata est Salvatori, et habuit fastigium argenteum, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella. De ea Petr. Damian libr 2, epist 1 : « Lateranen ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum, ita mater et quidam apex, et vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem cardinales habet episcopos, quibus solis post apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare. »

Linea 4. — *Sedentibus episcopis et presbyteris, astantibus diaconis et clero universo.* In concilio episcopi et presbyteri sedent, diaconi astant, ex con. Laodic, can 20, can. *Non oportet*, 93, dist; Jo. Chrysostom, in Matth homil 33 : *Διὰ σε καθῆται ὁ πρεσβύτερος, διὰ σε ἕστηκεν ὁ διάκονος, πόνων καὶ ταλαιπωρούμενος. Causa tui presbyter sedet, causa tui stat diaconus, laborans et afflictus.* Conc Romanum de imaginibus colendis a Gregorio III habitum residentibus episcopis et presbyteris, astantibus diaconis. (*Anast in ejus Vit.*)

Num 132, linea 9, 10. — *Nam dum communionem ei porrigeret sanctissimus papa, voluit eum crudeliter interficere, ut demandarat suo spathario.* Spatharius est qui gestat gladium principis. Franci spatham vocant. Aymoin libr I, cap 12 : « Et extensa manu franciscam ejus terræ dejecit, quæ spatha dicitur. » Anastas in Gregor II : « Spatham atque ensem deauratam. » Inde spatharius et protospatharius. Anast. in Sergio : « Deinde Zachariam immanem suum protospatharium cum jussione direxit. » Et infra : « Zacharias spatharius perterritus. » Idem in Gregorio II : « Marianus imperialis spatharius, qui Romanum ducatum tenebat. » Cassiodor III, Var epist 43. Officium spatharii fuit spatham imperatoris evaginatam præferre. Annal Franc : « Ante ejus tribunal, spatha nuda more imperiali præferebatur. »

Linea 13. — *Et non est permissus videre pontificem, quando exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit.* Episcopus vel pontifex pacem dat, id est benedictionem. Ambros de Excess Satyri : « Proceda-

A mus ad tumulum, sed prius ultimum coram populo vale dico, pacem prædico, osculum solvo. » Joan Chrysostom in Matth homil 29 : *Καὶ γὰρ τῇ δὲ Ἐκκλεσιᾳ ὁ προεστὼς διδωσιν εἰρήνην. Nam et in Ecclesia præsul pacem præstat.*

BENCINI.

Num. 130, linea 2. — *Hujus temporibus Paulus.* Iterum quæ hoc loco habet Bibliothecarius sumpta sunt ex eodem Lateranensi concilio, atque ex epistolis exstantibus in ipsiusmet Anastasii collectaneis, vulgatis a Sirmondo, ex quibus plurima ad gesta S. Martini illustranda peti possunt.

BINII ET LABBEI.

Num 130, linea 1. — *Martinus.* Anno Christi 649 die prima mensis Julii post interregnum unius mensis et sexdecim dierum, Martinus ex Tuscis oriundus thronum apostolicum conscendit. Hunc Novatianæ
B hæreseos sectatorem fuisse calumniantur novatores hæretici, ideo quod in epist 11 ad Amandum docuerit non esse dandum veniam presbyteris, vel diaconis post ordinationem suam peccantibus. Sed si pontificis epistolam sequestrato omni affectu attente legissent, vel etiamnum legerent, sine dubio ipsos suæ malitiæ et ignorantiæ puderet. Cum enim Amandus Trajectensis episcopus pravos mores ecclesiasticorum pertæsus a Romano pontifice vacationem ab episcopatu per litteras petivisset ; Martinus merito id, quod cum incommodo Ecclesiæ Trajectensis petiverat, illi negavit, et ad disciplinam ecclesiasticam ibidem reformandam eumdem admonuit ; ut presbyteros ac diaconos graviter peccantes a gradu suo deponat ; et si resipuerint, veniamque petierint, eos quidem absolvat, sed nunquam suis gradibus ac dignitatibus restituat. Unde patet quod Martinus non tam de peccatorum venia, quam de restitutione ad sacra ministeria loquatur. *Vide Bellarm lib* IV, *de*
C *Rom Pont cap* 12.

Linea eadem. — *Sedit annos sex.* Baronius in appendice tom. II corrigens id, quod prioribus editionibus de tempore sedis sancti Martini senserat, ait, eum annis quinque, mensibus quatuor, atque diebus duodecim Ecclesiæ regimen administrasse.

Num 133, linea 13. — *Multa mirabilia*, etc. Gregorius II ejus nomine pontifex in epistola ad Leonem Isauricum imperatorem hæreticum hæc de S Martino post alia subjungit : « At beatum Martinum esse sanctum testatur civitas Chersonensis et Bosphori, in quam relegatus est, et totus septentrio atque incolæ septentrionis, qui ad sepulcrum ejus confluunt, et morborum curationes experiuntur. »

Linea 16. — *Cessavit episcopatus dies viginti octo.* Non est probabile quod tam brevi temporis spatio obitus S Martini Romam perferri potuerit, unde quod in aliis codicibus abest, huic subrepsisse videtur.
D

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Interpontificio post Theodorum constituto 52 dierum in notis ad eumdem pontificem, restat nunc, ut de principio ejus successoris sancti Martini necnon de supremo die, ac de durationc sedis quærendum videatur. Principium non serius desumi oportere, quam ab anno ipso emortuali Theodori 649 aperte nos docet Lateranense concilium 105 episcoporum ab ipso Martino celebratum eodem anno adversus monotheliticam pravitatem ; nam titulus secretarii primi hæc habet : « In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, imperii Domini Constantini piissimi Augusti anno nono, sub die tertio Non. Octob., indict. VIII, » ubi certos prædicti anni characteres duos habemus (in 5 etiam et ultimo secretario repetitos) annum Constantis, qui recte ab aliis Constantinus

Digitized by Google

dicitur, et indictionem. Quin dies ipsa ordinationis Jiligenti Kalendarii observatori occurrit; duobus enim et quinquaginta diebus ab emortuali Theodori 13 Maii enumeratis, 5 Julii reliqua est, littera dominicali ejus anni D. prænotata, adeoque ordinationi S. pontificis tribuenda. Ad extremum vero pontificatus quod spectat, luculentiora sane indicia, quam quæ suppetunt, excogitari non possunt. Exstant siquidem varia Græcorum opuscula collecta, et Latine facta ab Anastasio Bibliothecario, quæ idcirco ejusdem collectanea nuncupantur, unde evidentia habentur tempora captivitatis, deportationis, carcerum, judicii, et mortis S. pontificis. Nam in epistola a quodam Christianissimo in Occidentem directa, et in Hypomnestico monachorum Theodosii, ac Theodori de agonibus et excessu SS. martyrum, per eadem utrobique verba enarratur Martini mors Chersone, in exsilii loco, *mense Septembrio die sextadecima, indictione quartadecima:* anno videlicet 655, cum a Kalendis Septembris, fluebat ind. XIV juxta Græcorum morem. Quæ cum ita sint, jure mirantur Antonius Pagius in critice Baroniana, et Daniel Papebrochius in conatu Chronico-historico, quod doctissimus cardinalis, nulla cycli ratione habita, certissima hujus pontificatus fundamenta chronica everterit, captivitatem et deportationem biennii, mortem autem annuo spatio contrahendo: quam rem et nobis fas est mirari, nam quæ unica excusatio adduci posset, Baronium nempe collectanea non vidisse, utpote studio Sirmondi edita post ejus mortem, penitus ruit, eodem teste in notis ad Martyr. Rom. 12 Nov., ubi pretiosum ejusmodi cod. hæreditate relictum suæ congregationis bibliothecæ, ut æquum est, gloriatur.

Nunc quoniam lectori pergratum futurum scio, S. pontificis persecutionem chronologice expensam a die 15 Junii 653, cum cœpit, usque ad diem mortis inspicere, eam breviter ac diligenter descriptam ipsius oculis subjiciam.

DCLIII.

XVII Kal. Jul. seu 15 Jun. die Sabbati. Calliopas cum Ravennati exercitu, et Theodoro cubiculario ingreditur urbem Romam. (Hunc Onuphrius vocat Theodorum Calliopam, secundo exarchum Italiæ.)

XV Kal. Jul. seu 17 Jun. Calliopas et exercitus sacrilege ingrediuntur in ecclesiam Constantinianam armati; presbyteris et diaconibus jussio porrigitur, in qua deponi jubetur Martinus, et Cp. mitti: deinde S. pontifex ex ecclesia deducitur ad palatium Calliopæ.

XIV Kal. Jul. seu 18 Jun., fer. 3, omnis clerus adit pontificem, magnaque ejus pars in ejus comitatu ituram se promittit.

XIII Kal. Jul. seu 1. Jun., fer. 4, nocte præcedenti eductus S. Martinus cum sex tantum famulis in portum pervenit, unde absque ullo alio comitatu discedit.

Kalendis Julii, Messanam pervenit, navigansque in multa ægritudine, absque ullius generis solatio, venit ad insulam Naxon Septembri mense ubi annum morari cogitur.

DCLIV.

XV Kal. Oct. seu 17 Septembr. Pervenit in portum Byzantii prope Euphemiam. Vesperi ducitur in excubitum, et detinetur in eo carcere dies 93. Inde tandem eductus, ac pessime habitus detruditur in custodiam præfecti, seu ergastulum Diomedis, facitque ibi dies 84, omnino 178.

DCLV.

VII Kal. Apr. seu 26 Mart., fer 5 in cœna Domini Byzantio deportatur Chersonem in exsilii locum. Idib Maii, seu die 15, Chersonem pervenit, ubi quatuor spatio mensium plura passus incommoda occumbit 16 Septembris, et extra muros Chersonis uno fere stadio in sanctæ Mariæ semper virginis templo tumulatur.

En tibi absolutissima extrema sancti pontificis, de quibus dubitari non potest, quippe quæ auctores eorum temporum æquales cum ipsius Martini epistolis consentientes affirmant: primordia vero ex unanimi omnium codd et catalogorum consensu in stabiliendo 52 dier. interpontificio, perinde certa mihi esse videntur. Quam ob rem durationem sedis sancti Martini a die 5 Jul. anni 649 ad 16 Septemb. 655, qua Romæ, qua in exsilio producendam esse dicerem, nisi de hac sententia successoris Eugenii primordiis ab exsilii sancti Martini tempore repetendis dimoverer. Opportunius igitur quidquid de hac re dicendum erit, statuetur infra in notis ad Eugenium.

Hic obiter moneo, quod ex notis Pagii et Sommer ad hunc pontificem simul per me congestis ex pontificatu Honorii et Martini plena haberi potest historia Monothelismi, ejusque præcipuorum fundamentorum, ecthesis Heraclii, et typi Constantis, quorum damnatio tot ærumnas Martino peperit. Quare videndæ infra num. 131.

CIACONII.

Num. 130, linea 1. — *Martinus.* Fabricii filius, Tuderto civitate, quæ nunc vulgo *Todi* in Tuscia appellatur, imperatore Flavio Heraclio Constante Secundo Augusto, apocrisiarius Constantinopoli apud eumdem imperatorem Constantem, sedit in pontificatu annos 6 menses 4 dies 17 creatus pridie Nonas Julii, consecratus VI Kalendas Octobris.

PAGII.

Num 130, linea 5. — *Typum exponere, qui catholicum dogma destrueret.* Postquam Constans imperator, pro more illius temporis electioni S. Martini consensisset, nihil prætermisit, ut typi confirmationem ab eo extorqueret, Sed sanctus pontifex facinus exsecratus, tantum abfuit, ut Constanti præberet assensum, quin potius convocavit synodum Lateranensem, quæ cœpta fuit die quinta mensis Octobris ejusdem anni 649, et vigilia omnium sanctorum absoluta, ut constat ex titulis primi et quinti, seu ultimi secretarii. A tam sancto proposito non solum deterreri non potuit Martinus litteris imperatoris, sed nec ipsius Olympii exarchi præsentia: qui in Italiam ad promulgandum typum missus, Romam veniens eo ipso tempore, quo synodus habebatur, primo seditionem per exercitum movere tentavit; et cum frustra id fieri videret, spatharium suum impulit, ut dum ipse exarchus in missarum solemniis ab eodem pontifice communionem acciperet eum interimeret: sed excæcato divinitus spathario, ab isto quoque imminenti periculo liberatus est pontifex, ipseque ei Olympius postea reconciliatus, ut tradit Anastasius, quod in causa fuit cur in epistola ad Constantem imperatorem, Martinus papa hujus violentiæ mentionem non fecerit.

Num. 131, linea 2.—*Et fecit synodum secundum instituta Patrum*, etc. Hic igitur nullo modo perterritus Martinus synodum, ut diximus, celebravit. Ei interfuerunt centum et quinque episcopi. In ea primo audiuntur variæ legationes, ac lectæ litteræ tam Orientalium, quam Occidentalium antistitum, adversus Monothelitarum hæresim, ejusque sectatores: deinde producta quæcunque ab ejusmodi hæreticis contra catholicam fidem scripta esse reperirentur, una cum ecthesi Heraclii et typo Constantis Augustorum nomine promulgatis. Lecta sunt præcipue scripta Theodori episcopi Pharanitani, erroris Monothelitarum principis habiti, quod ex ejus scriptis omnes qui hæresim promulgarunt, acceperint. His a synodo exacte discussis ad veram de Verbi incarnatione doctrinam declarandam, et ad confutandas cunctas hæreses, viginti ex doctrina sanctorum Patrum san-

Digitized by Google

citi sunt canones, cum totidem additis anathematismis adversus eos qui secus sentirent : damnatique tum omnes antiqui hæresiarchæ, tum Monothelitarum impietatis auctores, fautoresque præcipui, Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, et Sergius, Pyrrhus, ac Paulus, Constantinopolitani episcopi, una cum impiis ipsorum scriptis, necnon ecthesi Heraclii et typo Constantis; ac deinde omnia firmata sunt eorumdem episcoporum subscriptionibus. Prudenti œconomia erga Heraclium, Constantem imperatores se gessit synodus : ecthesim namque et typum sub eorum nomine damnare noluit, nec anathemate ferire principes, ne schisma faceret Constans, né hæresim promoveret audacius, ne persecutionem inferret Ecclesiæ, ne denique spes omnis alienationis ipsius ab hæriticis eo succideretur anathemate, quo fuisset ab Ecclesia præcisus.

Constat synodus quinque secretariis, seu consultationibus, seu sessionibus, totidem diebus confectis. Porro secretarium erat ædicula seu camera vice exedræ templo seu ædi sacræ adjuncta, in qua ecclesiæ ministeria recondebantur, et sacerdotes ac clerici, priusquam ad sacra procederent, vestes ecclesiasticas induebant. In iis secretariis synodos sæpe habitas fuisse, ex earum Actis discimus. Ex hac Lateranensi scripta est a Martino pontifice et ab universis Patribus synodalis epistola circularis ad omnes ubique fideles, de iis quæ ibi gesta essent, quæ exstat, ex sacris Scripturis magna industria concinnata, dignaque plane tanto pontifice, tantoque episcoporum cœtu. Tanta fuit hujus synodi auctoritas, ut post quinque synodos generales in professionibus fidei a Romanis pontificibus olim fieri solitis, memoraretur. Hinc in libro diurno Romanorum pontificum cap 2, tit 9, formulæ tres earumdem professionum recitantur, et in tertia, quæ post ordinationem a pontifice Romano fiebat, non solum confitetur pontifex se quinque synodos generales, ac præterea *sextam nuper*, ut ibi dicitur, congregatam custodire; sed etiam cuncta decreta pontificum apostolicæ sedis, « Præsertim quæ a sanctæ memoriæ Martino universali papa, ad confirmationem prædictarum quinque synodorum definita sunt atque decreta. » Quare usus adjiciendi confessionem synodi Lateranensis sub Martino, post assertionem quinque universalium synodorum, etiam post sextam synodum œcumenicam promulgatam, duravit.

Historia Monothelismi.

Duæ Honorii papæ epistolæ anno 634 ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum scriptæ, uberem insigni controversiæ præbuerunt materiam de orthodoxia seu illibata fide Honorii, vel de monothelismo ejus : præsertim quod anathemate implicatus reperiatur in actis sextæ synodi generalis, qualia nunc habentur. Quæ controversia ut explicetur, quædam hic de hæresi Monothelitarum præmittenda sunt. Palmaris eorum error in eo positus fuit, quod unicam in Christo operationem, adeoque unicam voluntatem propugnarent. Contendebant namque naturam humanam ita esse unitam Verbo, ut licet mente aliisque facultatibus, quæ naturæ sunt appendices, prædita esset, ipsa tamen propriam non exerceret actionem; sed unica esset actio, profecta quidem a Verbo, ut a causa principali, ab humanitate vero, ut a causa instrumentaria. Id constat ex epistola Cyri Alexandrini, Monothelitarum patriarchæ, ad Sergium Constantinopolitanum patriarcham Monothelitarum principem, qua in epistola eam a Sergio se accepisse sententiam profitetur. Plura alia in ejusdem rei probationem adducit Monothelitarum testimonia Natalis Alexander sæculo VII, cap 2, § 1, ubi etiam ex testimonio sancti Maximi in disputatione cum Pyrrho, ostendit quanta fuerit Monothelitarum in exponendo, vel propugnando errore suo inconstans levitas.

Hujus hæresis varia assignantur initia. Auctor Criticæ Baronii eam circa annum 616 pullulare cœpisse, ex eo probat, quod idem sanctus Maximus in dicta disputatione cum Pyrrho, Sergii in sede Constantinopolitana proximo successore, Sophronii Jerosolymitanorum patriarchæ, de hujus mali origine a dicto Pyrrho accusati, innocentiam tueri volens, respondet : « Ubi erat Sophronius, quando ad Georgium cognomento Arsam Paulianistam scripsit Sergius, rogans ut mitteret sibi auctoritates de una operatione; inservitque epistolæ facere etiam se his auctoritatibus unionem Ecclesiæ cum eis? Hanc autem epistolam B. Joannes papa Alexandrinus manu ab Arsa abstulit. Unde cum vellet eum ob ipsam deponere, impeditus tunc fuit ab incursu a Persis Ægyptum facto. » Quare cum anno 615 et sequenti Persæ Ægyptum afflixerint, et S. Joannes Eleemosynarius, patriarcha Alexandrinus, mense Novembri anni 616 obierit, Monothelitarum exordium ultra illum annum differri non potest.

Communiter tamen monothelismi initium scriptores cum anno 622 conjungunt, quo ipsi obstetricatus est Heraclius imperator imprudens, in eo congressu, quem habuit in Armenia cum Paulo Monoculo Severi hæretici sectatore, cujus meminit Sergius in epistola ad Honorium papam, quæ exstat actione 13 sextæ synodi. Imo alii ejus initium ducunt ab anno 629, quo juxta Theophanem in Chronico, Heraclius alium congressum habuit apud Hierapolim non multum ab Edessa distantem, cum Athanasio Jacobitarum patriarcha. In utroque enim congressu, dogma de una in Christo voluntate et operatione propinavit imperator. Sed quidquid sit de hoc secundo congressu, certum est Heraclium anno 622 a dicto Paulo Severiano deceptum, consuluisse tum Sergium Constantinopolitanum patriarcham, tum Cyrum episcopum Phasidis postea ad archiepiscopatum Alexandrinum translatum, utrum scilicet in Christo duplex esset voluntas, an unica : a quibus illud habuit responsum, unam prorsus in Christo dicendam esse voluntatem et operationem. Neque admodum Sergio hujus sectæ patrono laborandum fuit, ut ad sua pertraheret Heraclium specioso unionis titulo, Oriente tunc varias in sectas miserandum in modum diviso; sed tantum abest, ut ejus spei ac exspectationi exitus responderit, ut testatur sanctus Maximus in epistola ad Petrum illustrem, quod « Ecclesia catholica concordia frueretur, et unanimitate, necnon pacifica atque fide tranquilla, priusquam caliginosam nubem et stridentem fluctuum maris ipse dæmon turbationis amicus concitaret per ministros suos Monothelitas. »

Monothelitarum itaque parens fuit Sergius, Syrus genere, parentibus Jacobitis natus, qui ex diacono magni templi Constantinopolitanus episcopus dictus est anno 610, post obitum S. Thomæ ejusdem ecclesiæ patriarchæ. De eo legitur in libello synodico : « Heraclius bello contra Persas divinitus suscepto, Phasidem fluvium in potestatem redegit, ubi quidam Acephalorum (Paulus nempe Monoculus, de quo numero superiori) quæstionem de voluntatibus et operationibus ei suggessit. Quam quidem quæstionem magis cum Cyro Phasidis episcopo communicasset, et uterque dubitaret, Sergio Constantinopolitano isthæc renuntiarunt. Ille vero hæretico instituto synedrio, et acta Menæ particulatim considerans, unam voluntatem in Christo Deo et Servatore nostro esse, imperatori Heraclio rescripsit. » Pseudosynodus illa Constantinopolitana habita est anno 626. Hæc vero ita inter Cyrum et Sergium acta esse, tradit ipsemet Sergius in epistola ad Honorium papam, quam recitat Baronius anno 633.

Cyrus Phasidis episcopus ad Alexandrinum episcopatum evectus est. Cum autem Heraclius imperator jussionem adversus Paulum Severianum promulgasset, qua, inter alia, duplicem dici in Christo operationem prohibebat, eamque ad illustriores episcopos misisset, ad Sergium imprimis Constan-

Digitized by Google

tinopolitanum, et Cyrum Alexandrinum; hæsitavit primum Cyrus, his verbis S. Leonis ad suspendendum inductus assensum : « Operatur utraque forma, cum alterius communione, quod suum est. » Sed Sergii suggestione in errore confirmatus, scrupulum omnem excussit, ut discimus ex epistola ipsius ad Sergium, qui pravum dogma, quod Heraclium imperatorem docuerat, ejus jussione stabiliri vehementer gavisus est, illamque jussionem approbavit. Tenues hæ videri poterant scintillæ erroris, quæ in magnum eruperunt incendium, cum Cyrus Alexandrinus anno 633, specie unionis Acephalorum cum Ecclesia, conciliabulum Alexandriæ coegit, in quo novem edidit capitula, quorum septimo asseruit, « Eumdem unum Christum et filium operari Deo decibilia et humana, una Deivirili operatione, secundum S. Dionysium. » Sed Cyrus S. Dionysii textum interpolavit, et pro *nova Deivirili operatione*, substituit, unam, quam fraudem alii Monothelitæ secuti sunt. Celebrata illa pseudo-synodo, Cyrus scripsit ad Sergium, epistolæque suæ novem illa capitula Alexandriæ fabricata et promulgata adnexuit. Gratulatoriam rescripsit ad Cyrum epistolam Sergius, insertam synodo Lateranensi sub S. Martino, secretario III, qua ejus capitula palam approbavit, immensisque laudibus prosecutus, asseruitque, « Eumdem unum Christum operari Deo decibilia et humana, una operatione : quia omnis divina et humana operatio et uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat. »

Sophronius adhuc monachus non multo post Jerosolymorum patriarcha, ad eam pseudo-synodum Alexandrinam venit, sanctus enim Maximus in epistola ad Petrum illustrem, ait : « Divinus ergo, magnusque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipsi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam et ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervide obsecrans, supplicans, expostulans, in pavimento ipsius vestigiis provolutus, quo nihil horum super ambonem contra catholicam Dei Ecclesiam prædicaret : quippe cum hæc liquido impii essent Apollinaris dogmata. » Cum Cyrum inter et Sophronium conveniri non posset, hic Constantinopolim profectus est, apud Sergium coram acturus causam, et ad sollicitandam septimi capituli abrogationem, in quo una tantum Deivirilis voluntas decerneretur. Sed nihil a Sergio obtinere potuit.

Constantinopoli in Palæstinam redux Sophronius, sub finem anni 633, vel initio sequentis subrogatus est in locum Modesti Jerosolymorum patriarchæ demortui, statimque concilium habuit antistitum Palæstinæ, quo composuit sacram illam encyclicam mittendam de more ad patriarchas, recitatam in sexta synodo, actione 11, in qua disertissimis sanctorum Patrum auctoritatibus abunde prædicavit duplicem dari in Christo voluntatem et operationem. « Actaque sua synodica Honorio papæ Romano, et Sergio Constantinopolitano misit, » ut legitur in libello synodico.

Antequam Sergius synodicam illam Sophronii reciperet, Romanum pontificem per litteras adit, reinque totam ad eum, tanquam primæ sedis episcopum, ac supremum fidei judicem retulit. Hac in epistola, inserta actioni 12 sextæ synodi, Sergius œconomiæ sive dispensationi perniciosæ viam aperuit, ut scilicet, neque una, neque duæ in Christo operationes deinceps dicerentur, ob emergens ex illarum vocum usu scandalum : sed unus idemque Filius unigenitus verus Deus Dominus noster Jesus Christus, diceretur operatus tam divinam quam humanam, et omnem Deo decibilem et homine dignam operationem.

Litteras vicissim ad Sergium dedit Honorius, quibus laudavit ipsum vocabuli novitatem auferentem, quod scandalum simplicibus parere posset, sicque prolixam epistolam conclusit : « Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut et ea nos vobiscum hortantes vos vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum, Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus, fide orthodoxa et unitate catholica prædicetis. » Hanc ergo silendi dispensationem, quam frustra conatus erat Sergius persuadere Sophronio, facile Honorio persuasit, eumque ex hac parte, non sine fidei detrimento, ad suas attraxit. Hæc prima Honorii ad Sergium epistola exstat in actione 12 sextæ synodi.

Rebus tamen nondum ita ad extrema versis, ut spes aliqua conciliationis non appareret, Sophronius ab œconomia Honorii non abhorruit; sive quia adhuc Sergium agnoscebat regiæ urbis episcopum, cum quo blandius agendum erat, ne offensione læsus animus, magis a fide redderetur alienus; sive quia illud obsequium universali Ecclesiæ pastori debitum censebat, a quo imprimis pro apostolicæ sedis privilegio, Sergii correctio exspectanda esset. Sed cum vidit non cessare Cyrum unam in Christo voluntatem prædicare, hanc temeritatem coercendam judicavit, incumbendumque, ut hæresis unius voluntatis tolleretur e medio. Quamobrem Stephanum Ecclesiæ Dorensis metropolitam ad Honorium papam misit, ut legitur in concilio Lateranensi sub Martino primo, in quo Stephanus dicit, id per se præstare Sophronium non potuisse propter emersam incursionem Saracenorum. Addit postea « supplicatione omnium pene habitantium Orientalem tractum reverendissimorum episcoporum, et Christianorum populorum, » sed etiam ad hanc legationem invitatum fuisse, et sæpe sacris viris Romæ consistentibus, omnia quæ in Oriente mota essent, secundum veritatem exposuisse.

Nihilominus Honorius de his edoctus secundam ad Sergium scripsit epistolam, eodem quo prima argumento. Imposuit silentium Cyro Alexandrino unam voluntatem et operationem in Christo prædicanti, scripsitque etiam ad Sergium, ut Cyrum de servanda jam stabilita œconomia admoneret. Litteræ Honorii ad Cyrum non exstant, sed earum mentio est in litteris Honorii ad Sergium datis, quarum fragmentum recitatum est in actione 13 sextæ synodi. In ea igitur ad Sergium secunda epistola discernit Honorius, « ut unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum a prædicatione eximeretur, quia unius operationis vel duarum esse, vel fuisse Mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum, sentire et promere satis ineptum est. »

His suppositis examinanda est Honorii papæ fides, vox enim una singulis hæreticis est, eum in hæresim lapsum esse, quod etiam quibusdam catholicis visum, dicentibus indulgendum non esse humanis hac in parte conjecturis, sed sextæ œcumenicæ synodi judicio standum, in cujus Actis, ut initio diximus, anathemate implicatus reperitur. Baronius viam antea intentatam iniit, existimavitque Acta sextæ synodi non haberi sincera, hancque ad muniendam Honorii defendendi rationem unicam valere credidit. Verum cum antiquis scriptoribus nunquam in mentem venerit arguere vitii, imo nec in dubium revocare acta sextæ synodi, multo minus alia publicæ fidei instrumenta suppositionis damnare, aliam defensionem Honorii molitus est Petrus de Marca, ut videre est in ejus Vita a Baluzio scripta, et in libris ejus de concordia sacerdotii et imperii præfixa. Baluzius igitur numero LXX ait, Marcam, dum viveret, promisisse se scripturum epistolam ad Philippum Labbeum, in qua Honorium a Labbe Monothelismi prorsus immunem reddidisset, ostendissetque nihil in eo damnatum esse in sexta synodo præter negligentiam, et quia varie se gesserat. Primum probare

Digitized by Google

decreverat evidentissimis argumentis germana esse Acta illius concilii, neque a Græcis corrupta, et Honorium illic fuisse damnatum; non quia concilium putarit illum docuisse hæresim, sed quia Sergii Constantinopolitani, et Cyri Alexandrini patriarcharum consulationem ambiguis responsis eluserat, neque statim damnaverat hæresim tunc recens emergentem.

Hinc enim data populis Orientis occasio, credendi Monothelitarum opinionem non esse hæreticam, quandoquidem eam prima sedes non feriebat anathemate. Scilicet Honorius, ut autumavit Marca, eo deceptus est, quod patriarchæ illi pollicerentur Orientem universum, ubi Nestorii et Eutychetis errores vigebant, ad unitatem Ecclesiæ catholicæ redituram, conciliique Chalcedonensis decretum de duabus naturis in Christo unitis amplexurum, si concedi aliquo modo posset unicam in Christo voluntatem fuisse. Et cum nova hæc opinio interpretationi tum obnoxia esset, quando videlicet nondum damnata erat ab Ecclesia, Honorius, quo facilius Orientem a vetustis erroribus revocaret, per œconomiam ac per dispensationem, a summo jure recessit. Hæc tamen dispensatio infeliciter illi cessit. Hinc enim factum, ut damnationis sententiam in eum pronuntiaverit sexta synodus, persuasumque fuerit orbi universo illum insanam unius voluntatis opinionem fovisse, quam incipientem exstinguere debuerat.

Eam ob rem Leo secundus pontifex Romanus de Honorio in sexta synodo damnato loquens, hæc ad Hispanos episcopos scribit : « Qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit. » Sui similis est idem Leo in epistola ad imperatorem Constantinum Pogonatum, cujus verba in contextu quidem Latino subobscura sunt, sed in Græco mire conveniunt cum verbis epistolæ ad Hispanos juxta accuratam Marcæ versionem : « Qui hanc apostolicam Ecclesiam non est conatus lustrare doctrina apostolicæ traditionis, sed profana proditione puram maculari permisit. » Imperator vero Constantinus manifeste docet, Honorium in hac fidei causa se varie gessisse : « Ad hæc et Honorius, inquit imperator in edicto suo, qui fuit antiquæ Romæ papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui exstitit oppugnator. » Significat, inquit Marca, pugnantia inter se scripsisse Honorium, atque hoc pacto hæreseos fuisse confirmatorem, quæ in eamdem cum Leone sententiam recidunt. His addebat Marca locum deductum ex secunda professione fidei a pontificibus Romanis post sextam synodum fieri solita, quæ legitur in libro diurno Romanorum pontificum pag. 32, in qua pontifex dicit se damnare « Auctores novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum et Petrum Constantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit. »

Dicebat enim Marca negligentiam episcopi in causa fidei crimen esse, quod depositionis pœna plecti deberet. In cujus sententiæ probationem asserebat rescriptum imperatorum Honorii et Theodosii ad Aurelium episcopum Carthaginensem, datum v Idus Junias Ravennæ, Monaxio et Plinta coss. comminatur enim princeps secundum canones, ut Marca scribit, episcopatus amissionem iis, qui segniter se gesserint adversus Pelagianos, et præter expulsionem a civitatibus quæ pœna secularis est, interdictam quoque in perpetuum communionem. Addunt imperatores : « Una enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint. » Id ipsum docent Leo primus et Innocentius III in concilio Lateranensi. Unde colligebat ipse potuisse Honorium a sexta synodo damnari, non quod docuisset hæresim, aut quod Monothelitis consensisset; sed ob negligentiam in damnando eorum errore; cum eadem sit culpa, ut inquiunt imperatores, eorum qui, aut dissimulando convenientiam, aut non damnando, favorem noxium præstiterint. Nam « inferiorum ordinum culpæ, ut ait S. Leo in epistola III, juxta veterem ordinem, ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. »

Honorii silentium, aut, ut Augusti loquuntur, dissimulatio, in epistolis papæ Leonis II deprehenditur, qui eum redarguit quod Monothelitarum hæresim negligendo confoverit, et quod proditione sua apostolicam Ecclesiam, quæ pura erat, maculari permiserit. Eædem Leonis epistolæ docent eum favorem noxium præstitisse huic pestiferæ doctrinæ, quam non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit. Constantinus quin etiam imperator hoc sensu dixit Honorium fuisse hæreseos confirmatorem. Sed præterea exstant ipsæ Honorii epistolæ ad Sergium patriarcham scriptæ et in synodo sexta recitatæ, ob quas synodus illa, cum agnovisset eum aliquo modo tergiversatum esse in causa fidei, sententiam damnationis in eum protulit ut negligentem; quod negligentia episcopi in causa fidei crimen sit atrocissimum, cui omnem veniæ spem præcidunt iidem Augusti. Ita mentem Marcæ in ejus Vita exponit Baluzius.

Hanc postea opinionem magis explicarunt Garnerius in Appendice ad notas capitis 2, libri diurni Romanorum pontificum paragr. 6, et Tamagninus auctor Historiæ Monothelitarum anno 1678, Parisiis sine auctoris nomine editæ, qui fuse demonstrant juste damnatum fuisse Honorium, non quod unius in Christo voluntatis assertor fuisset, aut unicam in Christo voluntatem docuisset, sed tantum quod docentibus faverit, docendique opportunitatem suppeditaverit. Neque enim aliud fuit objectum Honorio, quam quod Sergio consentiret, atque adeo foveret hæresim. Consensit vero tantum, qua parte Sergius, ficto pacis nomine, dissimulandum censebat; quare uterque concordiæ studio fovit hæresim : sed Honorius alienam, quia non peremit, suam Sergius quia dissimulavit. Subscripsit uterque similia reprobatis duorum scriptis imperatorum : sed Honorius typo Constantis, (de quo egimus in Theodorio papa) quo nihil imperabatur præter silentium; Sergius Heraclii ecthesi (de qua in Joanne IV papa) qua præter silentii indictionem continebatur unius voluntatis professio. Peccavit itaque Honorius sua illa œconomia, qua voluit de una vel gemina operatione taceri, cum tamen religionis causa exigeret aperte geminam defendere : ne scilicet ab Eutychianorum reliquiis fides de duabus naturis inconfusis, impermistis et indistinctis, quæ oblique petebatur, nutaret. Nullum vero peccatum est, quod fidei catholicæ noceat, quin ab Ecclesia merito vindicari queat; nequit autem si exemptus sit e vivis, qui peccavit, nisi eraso de sacris tabulis nomine, infamata memoria, et combustis libris, quæ tria sexta synodus adversus Honorium exercuit : eradi porro nomen de sacris diptychis id ipsum est, si agitur de mortuis, quod ab Ecclesia projici; infamari memoriam, nihil aliud quam propter nocumentum illatum fidei, damnari; comburi libros est indignos dici qui legantur.

Asserit Honorius in suis epistolis neminem ex patribus geminas in Christo voluntates aperte prædicare, sed solum quodammodo balbutiendo id esse professos. Postquam enim exposuit controversiam de una vel duplici in Christo voluntate et operatione, inquit : « Nisi fortassis, sicut præfati sumus, quidem aliquam balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quæ ad ecclesiastica dogmata trahi non debent. » Indeque rursus infert voces geminæ voluntatis et operationis, utpote *novas, et recenter inductas*. Eccle-

Digitized by Google

siæ scandala minari, nec esse inter fideles introducendas. Et tamen certum est, sanctos Patres, non *balbutiendo*, sed aperte definiendo, nec *ad informandas mentes parvulorum*, sed ad erudiendos sapientum intellectus, geminas in Christo prædicasse cum voluntatibus operationes, et consequenter hujusmodi voces, nec esse *novas*, nec *recenter* in Ecclesiam *inductas*, sed cum ipsis Ecclesiæ Patribus antiquissimis ortas esse. Certe unus Sophronius sexcentas protulit Patrum sententias, et tam concilium Lateranense sub Martino primo, quam sextum concilium generale plurimas etiam repræsentant. Nimio etiam contemptu processisse videtur Honorius in hac gravissima controversia, ex qua pendebat firmitas concilii Chalcedonensis et eversio Apollinaristarum, Eutychianorum et aliorum hæreticorum, qui tunc in Oriente Ecclesiam lacerabant: mansisse enim in Christo post unionem duas voluntates et operationes appellat *leve*, *ineptum*, *otiosum et grammaticale*. Hæc ejus verba jam supra recitata: « Unius operationis, vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum, sentire ac promere satis ineptum est. » Et rursus: « Utrum præter opera divinitatis geminæ operationes debeant derivate dici vel intelligi, ad nos ista pervenire non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vendicare. » Atque demum veritatem indagantes de una vel gemina in Christo voluntate, *vanos* appellat *naturarum ponderatores*, *otiose negotiatores*, etc.

Neque etiam *ineptum* dici potest, quod omnes sancti Patres docent, et orthodoxis prædicant ubique prædicandum: et præterea Sophronius, Joannes, Martinus, Maximus, Agatho, aliique sexcenti orthodoxi sacerdotes, tot labores, ac tot persecutiones frustra pertulissent; cum satis esset *ineptum* et *leve* ex Honorii calculo id *sentire* et *promere*, ob quod unice tot ipsi labores obiere. Rursus *grammaticale* dici non debuit, illud aperte profiteri quod erat unice necessarium ad defensionem concilii Chalcedonensis, et epistolarum sancti Leonis, atque ad auferendum probrum Ecclesiæ illatum per conciliabulum Alexandrinum, de quo gloriabantur omnes hæretici. Demum *otiose negotiatores* nuncupandi non erant, qui tot incommoda laboresque pertulere, ut innumeras emerent animas Christianorum, quas Sergii, Cyri et aliorum hæreticorum tyrannica calliditas rapiebat. Multoque minus ut *vanus* haberi debet *naturarum ponderator*, qui ad defensionem conciliorum et fidei, exactam instituit Christi naturarum considerationem.

Tandem nimia fuit Honorii facilitas, quam in suis epistolis præfert, in assentiendo consiliis Sergii, et in credendis calumniis multis, quas in suis epistolis confinxerat. Scribit Sergius exstitisse Sophronium omnium dissensionum auctorem: id Honorius non solum non arguit, sed ulterius videtur comprobare. Confinxit Sergius in eadem ad Honorium epistola, libellos quosdam Mennæ ad Vigilium papam, in quibus una prædicabatur in Christo voluntas et operatio, quos etiam ubique locorum promulgavit, uti S. Maximus aperuit in dialogo cum Pyrrho. Et tamen Honorius neque imposturam detexit, neque abstulit hujusmodi probrum, qua Vigilio, qua sedi Romanæ inflictum. Imo altum de hoc silentium in Honorianis epistolis: unde quod scribendo retundere tenebatur ex officio, visus est comprobare silendo. His adde facilitatem, qua similem Sergii calumniam in Sophronium adinventam deglutivit, quod scilicet Sophronius, etiam rogatus, nec unum exhibere potuerit Patrum testimonium pro gemina in Christo voluntate; cum hoc non solum falsum esset, sed prorsus improbabile, ut nempe simplex monachus patriarchis et episcopis, nullo munitus aut sacræ Scripturæ, aut Patrum testimonio acriter obniteretur: Quid plura? Affirmat Sergius neminem ex Patribus prædicasse duas in Christo voluntates: id et Honorius affirmat.

A Assumit ille quod ex determinatione hujus controversiæ nascerentur scandala: hoc et assumit Honorius. Inculcat Sergius ut aptam silendi œconomiam: hanc ut optimam confirmat Honorius. Illam Sergius studet persuadere Sophronio: hanc eamdem conatur Honorius Sophronii legatis persuadere. Miscet ille in suis epistolis multa fidei contraria: hæc nullatenus impugnat Honorius. Rapit Sergius ut hæresis fautorem sanctissimum Leonem: hoc Honorius nullatenus arguit. Movet Sergius bella in orthodoxos: Sergium laudat Honorius. Quid inde mirabimur, si Patres sextæ synodi asserunt, quod Honorius eadem senserit quod Sergius; et Leo secundus affirmavit, quod flammam hæretici dogmatis negligendo confoverit, ut inquit auctor anonymus Historiæ Monotheliarum scrutinio VIII, qui tamen scrutinio quinto vindicat a quacunque hæreseos suspicione Honorianam epistolam, quæ legitur damnata in sexta synodo, actione 12, necnon fragmenta alterius quæ
B pariter afferuntur actione 13 ejusdem synodi, ostenditque Honorii doctrinam catholicam esse, longeque alienam a Monotheliticis deliramentis, hoc est, ut loquitur sanctus Maximus in epistola ad Marinum: « Honorium Romanum papam non diffiteri naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, sed hanc potius constabilire. » Is enim offensionis et scandali lapis est, in quem impingunt quotidie una cum hæreticis haud ignobiles catholici; cum tamen nunquam Honorius Monotheliticis consenserit, sed tantum hæreseos fotæ et inconsultæ dissimulationis reus fuerit. *De ejus œconomia vide dicta in Theodoro papa, ubi et de typo Constantis imp.*

Linea 9. — *Et faciens exemplaria, per omnes tractus Orientis et Occidentis direxit.* Acta synodalia in Africam transmisit Martinus, ut constat ex epistola quam ad Ecclesiam Carthaginensem et ad episcopos ei subjectos scripsit. Misit et in Asiam ad Joannem episcopum Philadelphiæ, ut fidem faciunt
C aliæ ejus litteræ ad ipsum, aliosque Orientales datæ. Misit et in Gallias ad Clodoveum Neustriæ et Burgundiæ regem cum legatis, per quos ab eo petiit, ut præcipuos Romam mitteret Gallicanos episcopos, quibus apostolica legatio credi posset, qua apud imperatorem in Oriente fungerentur; et quæ statuta fuerant in concilio Lateranensi cum aliis synodalibus apicibus Constanti Augusto præsentarent, ut constat ex ipsius papæ litteris ad sanctum Amandum Trajectensem episcopum datis; ex quibus et liquet eum etiam misisse acta synodalia ad Sigebertum Austrasiæ regem, ad quem civitas Trajectensis pertinebat. Hæc etiam testatur Audoenus in Vita S. Eligii, qui et scribit legationem illam ad Francorum regem missam, concilio jam habito, non vero ante concilium, ut habet Fridegodus in S. Audoeni Rothomagensis episcopi Vita; major enim fides Audoeno quam Fridegodo hac in re habenda.

Litteris ad Joannem episcopum Philadelphiæ mox memoratis, Martinus ipsum creavit in Oriente vica-
D rium apostolicæ sedis, ut Jerosolymitanæ, Antiochenæ, aliisque earum partium Ecclesiis, pastoribus destitutis, vel ab hæreticis labefactatis succurreret, unde ad alios quosdam episcopos, archimandritas et viros illustres, alias litteras dedit, ut præsto eidem Joanni vicario essent, eidemque morem gererent. Epistolam pariter dedit ad Ecclesiam Jerosolymitanam et Antiochenam, qua nuntiat Monotheliticam hæresim in concilio fuisse damnatam, ordinationesque Macedonii Antiochiæ, et Petri Alexandriæ, qui absque ulla electione canonica sedes illas invaserant, perperam factas esse.

Non ad episcopos, et viros illustres tantum, sed ad ipsum etiam Constantem imperatorem una cum synodo epistolam scripsit, sed ea moderatione, ut nequaquam ei crimini daret typi editionem, sed Paulo episcopo Constantinopolitano, qui snaserat; verumtamen eum monuit, una cum orthodoxa fide bene custodita crescere reipublicæ statum, minui

Digitized by Google

vero cum imperatores et reges pro adversariis fidei pugnant. Epistolæ inscriptio sic se habet : « Domino piissimo et serenissimo, victori, triumphatori, filio diligenti Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, Constanti Augusto ; Martinus episcopus servus servorum Dei et universa synodus in hac urbe Roma congregata, » ex quo patet jure merito a nobis dictum Martinum et synodum prudenti œconomia erga Constantem se gessisse.

Num 135, linea 6. — *Deinde directus est ab imperatore*', etc. Cum Constans imperator accepisset, Monothelitas et typum in synodo Romana a Martino papa damnatos, eum Urbe pellere statuit ; sed ne tyrannus in toto orbe Christiano audiret et persecutoris nomen consequeretur, alias in eum damnationis causas confixit, quibus ejus exsilio et neci speciosum colorem inderet. Tria igitur, conductis testibus, ipsi objecit crimina : Quod mutasset traditam a majoribus fidem ; quod adversus Romanum imperium aliquid molitus esset cum Saracenis ; quod contra Genitricis Dei, Mariæ cultum nescio quid esset locutus ; ac deinde quod irregulariter contra canones in pontificiam sedem intrusus fuisset. His adversus eum criminibus conflictis, Calliopas Italiæ exarchus anno 653, ut voluntatem imperatoris exsequeretur, Romam cum Theodoro cubiculario venit, et cum militari manu Lateranensem basilicam, ac palatium ingressus est ; nihilque veritus loci sanctitatem, sed nec cleri Romani magnitudinem animi, pro sui defensione pontificis diro anathemate præsentes ferientis adversarios, ac clamantis : « Anathema habeat quisquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus usque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus est : et anathema habeant qui in orthodoxa fide sua usque ad mortem non permanserint ; » nihil, inquam, hæc veritus Calliopas, sanctum pontificem, haud renuentem, imo et rem armis a suis agi omnino prohibentem, ab eadem ecclesia exturbavit, et corpore licet ægrum, podagræque doloribus afflictatum, « nocte quæ illucescit in feria quarta, quæ erat decimo tertio Kalendas Julias circa horam quasi sextam noctis, » ut ipsemet Martinus in epistola ordine 15 ad Theodorum scribit, de palatio eductum ad portum Romanum duxit.

Anno itaque 652, die decimo nono mensis Junii, qui in feriam quartam conveniebat, sanctus pontifex navi impositus est. « Et pervenimus, inquit in dicta ad Theodorum epistola, Kalendas Julias Mesenam (scilicet Messinam) in qua erat navis, id est carcer meus. Non autem Mesena tantum, sed in Calabria, quæ subdita est magnæ urbi Romanorum ; sed et in plurimis insularum, in quibus nos vel tribus mensibus peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum : excepto duntaxat in insula Naxia, quoniam ibi annum fecimus. » Est Naxos seu Naxus una ex insulis Cycladibus in mari Ægæo positis. In ea mansit sanctus Martinus usque ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum quartum.

Cum tandem, ut legitur in relatione cujusdam ex ejus discipulis, « pervenisset Byzantium beatus ille septimo decimo die Septembris, in portum juxta Euphemiam prope Arcadianon, reliquerunt eum a mane ministri usque in horam decimam recubantem in grabato navis. » Inde ductus in carcerem, fuit ibi « clausus et sine participatione penitus sermonis alicujus, nonaginta tres dies. In ipsa vero nonagesima tertia die, quæ est dies Parasceve, mane tulerunt eum de custodia custodiendum in cella sacellarii, » seu procuratoris fisci, quæ dignitas magna fuit in Ecclesia Constantinopolitana, ut ostendit Ducangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis. In carcere itaque fuit sanctus Martinus a die decima octava mensis Septembris anni 654 usque ad diem 19 Decembris ejusdem anni quo constitutus est in cella sacellarii et ab eo coram accusatoribus interrogatus.

Eadem die 19 Decembris, feria sexta, judicio sisti jussus est. Multis illum calumniis falsi testes oppressere, agente imperatore et proceribus, ut majestatis reus constitueretur, atque ita in discrimen capitis, nullo reclamante, veniret. Ipsum accusarunt initæ cum Olympio, Ravennæ nuper exarcha, contra imperatorem conspirationis. Dorotheus Siciliæ patricius, inter falsos testes insignis dixit : « Quinquaginta capita si haberet, non oporteret eum vivere, eo quod solus subvertit et perdidit universum Occidentem et delevit : et revera unius consilii fuit cum Olympio, et inimicus homicida imperatoris et Romanæ urbanitatis. » Post interrogationes, sacellarius, ut legitur in Collectaneis Anastasii, « præcepit sine mora ipsi auferri psachnion summi et apostolici atque præcipui pastoris omnium Christianorum, etc. Cum ergo incidisset psachnion beati viri excubitor, et corrigiam campagiorum ejus, statim tradidit eum sacellarius præfecto urbis, dicens : Tolle eum, domine præfecte, et continue membratim incide illum. » Psachnion erat vestis summorum pontificum, ut habet Ducangius laudatus in ea voce. Campagus vero erat genus calceamenti quo iidem pontifices utebantur, unde in Hypomnestico dicitur Anastasium apocrisiarium ; a sancto Martino donatum fuisse *uno ex campagis ejus, id est caligis, quas nullus alius inter homines* portat, nisi sanctus papa Romanus.

Postea carnifices circumposuerunt ferrea vincula in sanctam ejus cervicem, et conjecerunt eum in unum carcerem cum homicidis, indeque « transposuerunt in eam quæ dicitur Diomedis custodia in prætorio præfecti. Fecit reverendissimus papa in eodem Diomedis ergastulo octinginta quinque dies post primas nonaginta tres, hoc est omne simul 178, » inquit citatus auctor relationis, ideoque in eo carcere permansit usque ad diem decimum tertium mensis Martii anni sexcentesimi quinquagesimi quinti. Inde ut ibidem legitur translatus est in domum Sigolabæ scribæ, post duos dies deportandus in exsilium in Chersonesam. In eam porro Diomedis custodiam tanta vi translatus est, ut crura ejus dilaniarentur et sanguis effluueret.

De sancto pontifice jam tunc actum erat, nisi Paulus Constantinopolitanus patriarcha hæreticus gladium ab ejus cervicibus, conscientia stimulante, depulisset. Res ita accidisse narratur in relatione laudata ab uno ex comitibus sancti Martini facta, in quæ, postquam narratum est sanctum pontificem translatum esse in carcerem Diomedis, dicitur imperatorem invisisse Paulum patriarcham ; « proximus enim, inquit, erat morti, eique narrasse qua consummata erant in sanctissimum virum, et Paulum attentius adjurasse imperatorem, sufficere ei in his, qua passus est Martinus, nihilque amplius sustinere ; » indignum scilicet reputans Paulus, vel perduellionis reum, ut Martinum esse imperator persuadere volebat, eum talia pati. Ingemiscens enim Paulus in has voces erupit : « Hei mihi ! et hoc ad abundantiam juridicorum meorum actum est. Nunquidnam, Domine, non est miserabile talia pati pontificem ? » Sic Paulus imperatorem adduxit, ut ejus sanguini parceret.

Inter hæc defunctum esse Paulum refert ejusdem relationis auctor ; ideoque mors ejus accidit inter diem decimum mensis Decembris anni sexcentesimi quinquagesimi quarti, quo in carcerem Diomedis translatus est Martinus, et diem decimum tertium Martii anni sexcentesimi quinquagesimi quinti, quo ex ea eductus in Chersonesam relegatus est. Constans imperator in locum Pauli subrogavit Pyrrhum expatriarcham, de quo in Theodoro papa locuti sumus. Sed non ante eum subrogavit, quam ubi relatione ipsius Martini, necnon Platonis antea Italiæ exarchi, cum Romæ Pyrrhus anno 645 dedit libellum, cognovisset id eum sponte fecisse, ac cum sua voluntate abjuraturum monothelismum Romam profectum esse ; quod testatur appendix Actorum sancti Martini in Collectaneis Anastasii a Sirmondo

Digitized by Google

publicatis. Ideo autem se gessit imperator, quia hæreticum animum celans, videri nolebat exsors fidei Romanæ Ecclesiæ, ac antiquæ disciplinæ. Et parte alia ut tyranni notam elueret, ostenderetque se minime persequi Ecclesiam Romanam, in Martinum sæviit tanquam in reum majestatis, ut in laudata relatione legitur. Sed Deus quantocius Pyrrhi crimen morte immissa ultus est, obiit enim eodem anno 655, in ejusque locum substitutus est Petrus eadem hæresi infectus.

Sancto Martino die decima nona Junii anni sexcentesimi quinquagesimi tertii captivo in Græciam deportato, archidiaconus, archipresbyter et primicerius notariorum Ecclesiam Romanam rexere, ut constat ex ejusdem sancti pontificis laudata epistola 15, ad Theodorum ex urbe Constantinopolitana scripta, in qua ait : « Jussio a Calliopa porrecta est presbyteris et diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quod irregulariter et sine lege episcopatum subripuissem, et non essem in apostolica sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo episcopo, quod nec dum aliquando factum est, et spero quod nec aliquando fieri habet : quia in absentia pontificis archidiaconus et archipresbyter, et primicerius locum præsentant pontificis. » Hæc epistola post diem 17 Septembris anni 654 scripta; eo enim tantum die sanctus Martinus Constantinopolim appulit. Quo tempore adhuc eum latebat Eugenii in Romanum pontificem electio, alioquin non diceret nunquam accidisse, ut in absentia pontificis alter eligeretur, et sperare se nunquam id peractum iri. *De hoc vide dicta in sancto Gregorio num* 3, *et in Joanne IV num* 4.

Verum Eugenius die octava mensis Septembris ejusdem anni 654 ordinatus fuerat pontifex. Clerus enim Romanus timens, ne daretur invitis ab imperatore Romanus episcopus, qui ejusdem cum ipso esset hæresis propugnator, alium pontificem eligendum duxit, inscio quidem, sed postea consentiente Martino; postquam enim, quæ gesta fuerant a clero Romano ad præcavendas imperatoris insidias accepit Martinus, eam electionem sibi gratam fuisse testatus est, in epistola a se Chersona ad quemdam sibi charissimum scripta, in qua ait : « Verumtamen Deus per intercessionem sancti Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, et confirmet contra omnem hæreticorum et adversariorum Ecclesiæ nostræ personam, et immobiles custodiat, præcipue *pastorem*, quem eis *nunc præesse* monstratur. » Hæc epistola scripta post Pascha anni 655, quo tempore sanctus Martinus Chersonam pervenit.

Hujus epistolæ titulus hic est : *Ad quemdam sibi charissimum de exsilii sui calamitate.* In ea autem ait : « Navigantes sancta quinta feria Cœnæ Domini (quæ anno 655 in diem 26 mensis Martii incidebat) pertransivimus Pharum, per diversa loca transmeantes Idibus Maiis, et Chersonam pervenimus. » In ea insula sanctus hic pontifex ærumnis et inedia confectus, martyrum coronas percepturus migravit in cœlum, die decima sexta mensis Septembris ejusdem anni 655 ; in fine enim ejus Actorum, quæ exstant in Collectaneis Anastasii legitur : « Obiit autem idem sanctissimus ter beatus apostolicus Martinus papa recens revera confessor et martyr Christi Dei nostri, in eadem exsulatione Chersonesæ, juxta ejusdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lacrymis, exiens de navi et calcans terram illam, id est ut in ea finiret vitam, bonum certamen certans, cursum martyrii consummans et bonam fidem servans, mense Septembrio, die sexta decima, in qua felicissimæ martyris et fidem custodientis orthodoxam Euphemiæ, pretiosissima et beatissima secundum anni circulum celebratur memoria, indictione quarta decima » die prima Septembris anni 655, inchoata. Eosdem anni, mensis, diei et indictionis characteres exhibet Hypomnesticon de Anastasio apocrisiario pag 262.

« Positus est autem, prosequuntur Acta, in tumulis sanctorum extra muros Chersonitarum civitatis quasi stadio uno, in pretiosissimo et reverentissimo templo sanctissimæ et præ omnibus sanctis colendæ, castissimæ et immaculatæ, perbenedictæque gloriosissimæ excellentissimæ omnium creaturarum, gratia plenissimæ, gaudium facientis et tribuentis Dominæ nostræ, propria natura et veritate, solius Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ cognominatur Blachernas. » Colitur a Græcis sanctus Martinus ipso quo obiit die, solemnius tamen in Aprili die 13 aut 14. Ejusdem relatio Constantinopolim et depositio in Blachernis commemoratur die 20 Septembris; Romæ autem, quo postea delatum est ejus corpus ad ecclesiam sui nominis, SS. Silvestri et Martini in Montibus dictam, die 12 Novembris. Anastasius a Baronio, et Ciaconius ab Oldoino perperam reprehenduntur, quod scripserint duas ordinationes a Martino per mensem Decembrem factas esse : duas enim, inquit Oldoinus, mense Decembri minime habere potuit, si primo tantum anno sedis suæ mense Decembri Romæ vixit. Sed cum ex dictis manifestum sit, cum quatuor pontificatus sui prioribus annis Romæ mensem Decembrem transegisse, in hoc ab Anastasio non discedendum. De duratione sedis ejus in Eugenio verba faciemus. Ejus martyrium celebrat S. Audoenus Rothomagensis episcopus, in Vita S. Eligii, nec minorem ejus gloriam esse scribit, quam eorum qui paganorum persecutione sublati sunt, addens eum in exsilio *sola oratione* meruisse *cæco lumina reddere.*

SOMMIER.

Num. 130, linea 2. — *Hujus temporibus Paulus Cp. urbis episcopus*, etc. (Ex hist Dogm S. sedis, lib VIII, cap 5.) Paulus Cp. sedis patriarcha intrusus, sub obtentu componendæ pacis et concordiæ inter catholicos et Monothelitas, formulam fidei conflaverat cognomento typum, quam, ut majori cum auctoritate prodiret, nomine Constantis imperatoris in lucem edidit. In ea scilicet professione ita decernebatur : « Sancimus nobis subjectos, qui consistunt in orthodoxa et immaculata nostra Christianorum fide, qui sunt catholicæ, et apostolicæ Ecclesiæ, non habere licentiam invicem a præsenti, de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem... sicuti anteqnam procederet contentio nulli de omnibus usque ad præsens unam voluntatem, et unam operationem, aut duas voluntates, et duas operationes dogmatizaverunt... Qui autem ea præsumpserint prævaricari, siquidem episcopi, aut clerici sunt, sui sacerdotii, sive sui cleri modis omnibus excidant, » etc. (Typ. Const. ap. Conc. Lat. Secr. 4.)

Num. 131, linea 2. — *Fecit synodum secundum institutum Patrum orthodoxor. in ecclesia Salvatoris.* Imperator pro virili contendens, ut Martinum pontificem ad typi acceptationem pertraheret, dedit ad eum litteras, et exarcho Italiæ jussit exercitum Romam ducere, ut vires, si ad eam rem assequendam opus essent, adhiberet. Sed omnia hæc artificia nequidquam sunt adhibita ; nullo enim pacto potuit S. pontifex ab ardenti erga catholicam fidem studio removeri. Quin ipse in sui pontificatus primordiis congregavit Lateranense concilium, cujus idem præses anathemata primum renovat adversus hæreticos in mysterio Incarnationis pronuntiata a conciliis ante id tempus celebratis, deinde ad novum hæresis genus veniens : « Si quis, inquit, non anathematizat Theodorum quondam episcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, etc. Et super hæc impiissimam ecthesim quæ persuasione ejusdem Sergii facta est ab Heraclio quondam imperatore... et cum illis denuo scelerosum typum, qui ex suasione prædicti Pauli nuper factus est a serenissimo principe Constantio imperatore contra catholicam Ecclesiam,

Digitized by Google

utpote duas naturales voluntates, et operationes divinam, et humanam, quæ a SS. Patribus in ipso Christo Deo vero, et Salvatore nostro pie prædicantur cum una voluntate et operatione, quæ ab hæreticis impie in eo veneratur pariter denegare, et taciturnitate constringi promulgantem; et propterea cum SS. PP. et scelerosos hæreticos ab omni reprehensione et condemnatione injuste liberari definientem, in amputationem catholicæ Ecclesiæ definitionum, etc. Hujusmodi condemnatus sit. » (*Conc. Later sub Mart I*, can 18.)

Concilio autem celebrato, pontifex scripsit encyclicas, quibus omnibus Christi fidelibus significabat quæ per eum definita erant. In iis præ cæteris hæc leguntur : « Plures diversas provincias habitantes episcopi reverendissimi, et, quod majus est dicere, generalitates synodorum per sua scripta non solum invitantes emendare propriam hæresim, sed et nos ipsos, id est apostolicam nostram sedem conjurantes, et protestantes erigere se secundum regularem auctoritatem; et non usque ad finem per tot tempora permittere contrariorum novitatem sanctas Dei catholicas depasci Ecclesias. » (Martin papæ *Ep. enc ad om. Chr fideles.*)

De eadem re ad imp. Constantem PP. concilii nomine dedit litteras; ostendens quod contra SS. PP. mentem, et generalium conciliorum definitiones, Monothelitæ faciebant Jesum Christum hominem imperfectum; ejusque S. humanitatem, voluntatis, et operationis expertem autumantes, mutilabant: quod ipsius fidei, avique ejus Heraclii imponentes conflaverant formulas contrarias veræ fidei, quæ totam perturbaverant Ecclesiam, Christianum populum offenderant, et causa fuerant cur infideles magnum incarnationis mysterium deriderent. Quod episcoporum ac populorum fere omnium querelis, precibusque ad sanctam sedem allatis, ut, suprema qua pollet auctoritate, gliscens malum cohiberet, ac fidei puritatem juxta PP. et conciliorum traditiones conservaret, eorum synodum convocaverat, in qua omnes congregati voce unanimi dixerant anathema non tam hæreticis, quam ecthesi ac typo eorum inventis, et a pravo eorum dogmate productis. Idque factum aiebat pontifex, ut imperialis illius ratio et consilium a novatoribus minime reprehenderentur. Orat demum, atque hortatur Constantem eorumdem PP. nomine, ut synodalia decreta suis legibus fulciat proscribatque hæresim, et ejus fautores. (*Epist.* 3 *ad Const. imp.*)

Hujus generis aliæ plures exstant Martini epistolæ ejusdem rei testes, præsertim epist. *ad Amandum Traject. episc.*; epist. 4 *ad Carth. Eccl.*; epist. 11 *ad Eccl. Hierosol.*; epist. 12 *ad Paulum Thessal.*, in qua eum privat communione, atque a dignitate episcopali deponit tanquam Monothelismi professorem, quoad resipiscens, et hæreticos a synodo damnatos, eorumque errores detestans, Lateranensi concilio subscripserit. Et demum ep. 13 *ad Eccl. Thess.* idem significans clero.

Linea 5. — *Condemnaverunt Cyrum Alex. Sergium*, etc., *qui novitates contra immaculatam fidem*, etc. Hæresis vere est hydra, cui abscissis capitibus, nova capita emergunt, quod omnium sæculorum experimento comprobatum, nostra hac ætate magis ac magis confirmatur. Ii enim qui catholici videri volunt, in rebus fidei ad catholicæ Ecclesiæ definita deferre simulant; interea tamen errorem alia persona tectum nituntur exerere.

Ex Eutychianis seu Acephalis ii, qui sæculo Ecclesiæ septimo detestabile hæreticorum nomen declinare voluerunt, ut ab eorum sensu non discederent, synodo Chalcedonensi subscripsere, duas in Christo naturas distinctas divinam et humanam profitentes, at revera easdem negantes, nec nisi unam in eo voluntatem, unamque operationem cognoscentes. Etenim si voluntas est de essentia esse, aut naturæ intelligentis, et si operatio eam vivificat; quicunque asserit humanam naturam, quæ est esse intelligens, esse in Jesu Christo absque propria et distincta voluntate, sive voluntatem hujusmodi esse expertem operationis, unde illius essentia et vita; is consequenter negat in Jesu Christo esse humanam naturam vere et distincte, non confuse, et absque admistione, prout sanctus Leo Magnus, et Chalcedonense concilium definiunt.

Monothelismi certe primordia ante annum 616 statuenda sunt. Tempore enim Joannis Eleemosynarii, qui anno prædicto occubuit, invenimus Sergium Cp. parentibus Acephalis natum, cuidam Georgio Arsamo item Acephalo (tametsi diversæ sectæ) proposuisse, ut unius in Christo operationis sententiam, tanquam reconciliationis inter eos medium, amplecteretur, prout refert Maximus in sua disputatione cum Pyrrho.

Hujusmodi tamen hæresis non nisi post annos aliquot per Orientem irrepsit, annis nempe 622 et 629, ut tuæ imperatoris Heraclii collationes cum Acephalis fidem faciunt: in transitu scilicet Phasidis cum Paulo Monoculo e Severiana secta; et Hierapoli prope Edessa cum Athanasio patriarcha, ut docet *Theoph. Chron.*

Cæterum Monothelismi patriarcham fuisse Sergium Cp. omnes consentiunt, ad quem Cyrus accesserit postquam Alexandrinam sedem est adeptus. Conciliabula uterque in suis patriarchalibus coegerunt, ille anno 626, hic 633, in quibus suos uterque errores confirmari sategerunt.

Gliscentis mali progressum cohibere pro viribus contendit primum Alexandriæ, deinde Cp. Sophronius monachus sanctitate et doctrina celebris, qui novissime patriarcha Hierosolymorum factus, congregavit synodum in qua hæresim proscripsit. Ex eadem synodo præstantissima ea synodica ad reliquos patriarchas profecta, quæ in concilii VI generalis sessione 11 lecta est, utpote quæ testimoniis Patrum egregie comprobat duas voluntates, totidemque operationes in Christo esse.

Eodemque tempore prodiit epistola illa Sergii ad Honorium papam, quæ semper credita est illa eademque esse, quæ in eodem VI concilio exhibita occasionem dedit, ut contra ejus epistolæ responsum, quin etiam contra sancti pontificis memoriam pronuntiaretur. Ipsam exhibebo per eadem quidem verba, sed in varios divisam numeros, varioque impressam charactere, ut facilius eidem accommodetur critices, doctissimi auctoris, quam adducam post epistolam.

NOT. *Epistola Sergii, et responsio Honorii exhibentur in notis ad Agathonem, ubi eas invenies.*

MAFEI.

Num 131, linea 14. — *In typo a nobis exposito.* Videns Paulus Monothelita, qui Constantinopolitanæ sedi post Pyrrhi discessum incubabat, se a Theodoro papa, atque ab Africæ episcopis ad ejurandum errorem sub anathematis comminatione compelli, dolum excogitavit, quo homo vaferrimus, et famæ consuleret suæ, et Monothelitarum hæresim stabiliret. Suasit Constanti hæretico imperatori, ut typum, hoc est edictum (typi enim vocabulo quæcunque imperatorum significabantur constitutiones) promulgaret, quo cohibendi specie altercationes in causa fidei, unius vel duarum in Christo operationum indiceretur silentium, itemque ut chartas faventes monothelismo, quæ majoris ecclesiæ valvis erant affixæ, dilacerari juberet. Subdolum hujusmodi typum edidit Constans, direxitque in Italiam Olympium cubicularium et exarchum, ut typum in Occidente promulgaret, omnesque episcopos, quos in eum consentientes reperiret, tueretur, ut narrat hic Anastasius. Sed impia constitutio a laico principe edita, cujus non erat de fidei controversiis judicium

Digitized by Google

ferre, fuit rejecta a quinque supra centum episcopis in concilio Lateranensi sub sancto Martino coactis; hac præsertim de causa, qua unam in Christo vel A duas asseri voluntates prohibendo, pari sorte cum hæretico sensu damnari catholicum dogma constabat.

LXXVII. SANCTUS EUGENIUS.

ANNO CHRISTI 652, CONSTANTIS IMP. 11.

134 Eugenius, natione Romanus, de regione prima Adventinense [a], clericus a cunabulis, ex patre Ruffiniano, sedit annos duos, menses octo, dies viginti quatuor [b]. Fuit enim benignus, mitis, mansuetus, omnibus affabilis et sanctitate præclarior. Rogam clero solitam tribuit, et indigentibus eleemosynam ministravit. Ut etiam die transitus sui pauperibus, vel clero, seu familiæ, presbyteria in integrum [c] erogari præciperet. [d] Hujus temporibus Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit synodicam epistolam ad sedem apostolicam, juxta consuetudinem priorem omnino obscurissimam, et ultra regulam, non autem declarans operationes [e] aut voluntates in Domino nostro Jesu Christo. Et accensus populus vel clerus eo quod talem synodicam direxisset, minime est suscepta [f], sed cum majore strepitu est a sancta Dei Ecclesia projecta; ut etiam nec eumdem papam dimitteret populus, vel clerus missas celebrare in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe, nisi promisisset his ipse pontifex minime eam aliquando suscipere. Fecit autem episcopos per diversa loca numero XXI [g]. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die IV nonas Junii. Et cessavit episcopatus mensem unum, dies 29 [h].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Aventinæ. [b] *B, probat et menses 6 dies 23 sedisse post S. Martini obitum, ad ann. 655.* [c] in integrum. [d] *Vide Baron. ad ann. 653.* [e] non aliter declarans duas operationes. [f] *C*, susceperunt eam. [g] *B*, 22 [h] *C*, 25.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Vallicellano.

Num. 134, *lin* 1, 5, 10 *et ultima cod Vallicel concordat cum mss libr Reg, Maz. et Thuan lin* 7, direxit synodicam ad sedem apostolicam. *lin* 8, juxta consuetudinem priorum. *lin* 9, non autem declarantem duas operationes. *in* 11, sed cum majori strepitu, *ibid* projecta; ubi etiam nec. *lin* 13, in basilica Dei genitricis. *ibid*, quæ ad Præsepe dicitur, ubi promisisset idem pontifex, etc, *ut Reg, Maz et Thuan hic et lin* 17.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 1, Adventinense, *B*, Aventina. *lin* 2, menses 8, *AB*, novem.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, nat. Rom. ex patre Ruffiniano, de reg. pr. Aventinæ, clericus a cunabulis, sed ann. B 2, mens. 9, d. 24. Fuit autem h. *lin* 5, subministravit. *lin* 8, priorum ibid. ul. regulam, non aliter declarans duas operationes. *lin* 9, ch. unde accensus populus. *lin* 12, unde etiam. *lin* 13, quæ ad præs. dicitur, nisi pr. idem pont. m. e. se aliquando susc. Fecit autem ordinationes 2, episcop. per div. loca 21. *lin* 17, dies 28.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, Aventinense. *lin* 5, subministravit. *lin* 6, in integro erog. præceperit. *lin* 10, unde acc. p. *lin* 15, Fecit autem ordinationes duas episc. *lin ult*, dies 28.

Apud Peniam ex codice Carensi.

Lin 6, in integro e. præceperat. *lin* 7, synodicam ad sedem.

NOTÆ VARIORUM

ALTASERRA.

Linea 5. — *Ut etiam die transitus sui pauperibus vel clero, seu familiæ presbyteria in integrum erogari præciperet.* Eugenius in die mortis, clero et pauperibus, et familiæ presbyteria erogari præcepit, id est annonas, quales erogari solent presbyteris. Anastas in Zachar: « Hic dilexit clerum suum valde, atque presbyteria eis annue in duplo et amplius tribuit. » Modus annonarum presbyterorum et clericorum erat varius pro dignitate ordinis: qui major est ordine potior esse debet in portione percipienda; cap *Statuimus, de Majorit et obed.* Benedictionem vocat C Anastas in Conone: « Hic dimisit omni clero et Monasteriis benedictionem in auro, sicut prædecessor ejus Benedictus papa. »

Linea 6. — *Hujus temporibus Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit synodicam epistolam ad sedem apostolicam juxta consuetudinem priorem, omnino obscurissimam et ultra regulam.* Romani pontifices et patriarchæ sub initio solebant mittere synodicam epistolam ordinationis suæ ad imperatorem et patriarchas, et patriarchæ ad sedem apostolicam. Anastas in Vitaliano: « Hic direxit responsales suos cum synodica juxta consuetudinem, in regiam urbem apud piissimos principes significans de ordinatione

sua. » Idem in Gregorio III : « Hic beatissimus vir, juxta ritum ecclesiasticum, et fidei suæ sponsionem orthodoxam synodicam Ecclesiæ misit Constantinopolitanæ, simulque et aliam suggestionem dirigens serenissimo Constantino principi. »

Linea 13. — *In basilica sancta Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe.* Basilica sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Præsepe, est una e quinque patriarchalibus ecclesiis Urbis, una ex septem quæ solemni ritu visitari solent, sic dicta a sacello præsepis in ea posito. Anastas in Gregorio II: « Hic Gerontocomium, quod post absidam sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe situm est, monasterium instituit. » Primum dicta est basilica Liberii a conditore; id est Liberio P. qui eam condidit, ex Anastasio in ejus Vita Sixto III restituta et B. Mariæ Virgini dicata, dicta est basilica S. Mariæ : tum a sacello præsepis dicta est ad Præsepe. De quo Anastas in Gregor III : « Fecit et ibidem in oratorio quod Præsepe dicitur, imaginem auream Dei Genitricis. » Idem in Leone III : « Fecit in basilica Dei Genitricis ad Præsepe in ingressu præsepii regias vestitas ex argento purissimo. » Tandem eadem dicta est basilica sanctæ Mariæ Majoris. Idem in Gregorio IV : « Et in ea sanctum fecit præsepium ad similitudinem præsepii sanctæ Dei Genitricis, quod appellatur Majoris. » Idem in Sergio II.

BALDINI.

Linea 1. — *Eugenius, natione Romanus, de regione Adventinense, clericus a cunabulis.* Ab infantia a parentibus oblatos fuisse filios Ecclesiæ ut in partem cleri assumerentur, tam clarum est, ut probatione non indigeat. Obtinuisse eum morem primis non solum Ecclesiæ sæculis, sed et subsequentibus historiæ nos docent. An vero in ipsa infantia clericali tonsura insimul, et lectoratus ordine insignirentur, et an ad pubertatem perventi in clericali militia, cui ex parentum voto nomen dederant, permanere tenerentur, hæc duo non ita clara videntur, ut paulo accuratiore examine illustrari non mereantur.

Morinus in excellenti libro de Sacris Ordinationibus part. III, exercit. 15, de Tons. cler. c. 3 aperte docet pueros oblatos Ecclesiæ fuisse statim inter clericos receptos, et tonsura, et clericatu donatos. In cujus rei probationem plurium testimonia affert. Siricius papa in epist. 1, c. 8, ait : « Quicunque se Ecclesiæ voverit obsequiis a sua infantia ante pubertatis annos, baptizari, et lectorum debet ministerio sociari. » Zozimus, epist. 1, c. 1, « assuescat in Domini castris in lectorum primitus gradu divini rudimentis servitii ; » etc. 4 : « Si ab infantia ecclesiasticis officiis nomen dederit, inter lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret. » Concilium Carthaginense III (anno 397) : « placuit ut lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, » etc. Concilium Toletanum II (anno 589) : « de his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub episcopali præsentia a præposito sibi deheant erudiri. » Concludit tandem c. 4 : « Pueri igitur cum clericatui offerebantur, simul quoque lectoratui initiabantur, nec tum consueverant episcopi ordinibus non initiatos tondere. Hujus rei exemplum nobis suppeditat sancti Sulpitii Vita apud Surium 17 Januar. : *Austregesius Bituricensis antistes a Theodoro principe obtinuit, ut liceret ipsi S. Sulpitio docendi in Ecclesia munus deferre. Videbat enim doctrinæ gratia multitudinem confluere. Annuit sine mora rex, ut tonsis capillis, ille in clerum transiret. Itaque per gradus ad altiora promotus etiam leviticum est adeptus ministerium.* »


Sententiam Morini pluribus firmat exemplis solertissimus episcoporum Ecclesiæ rituum indagator Edmundus Martene de Ant. Eccl. Rit., t. II, l. I, c. 3, n. 5 : « Ex Cyrillo Scytopolitano in Vita sancti Euthymii abbatis, Analect. Græc. t. I, legimus Euthymium triennem Otreio Melitinensi episcopo oblatum fuisse, qui *susceptum puerum baptizavit, et totondit, commissæque sibi Ecclesiæ lectorem fecit, atque in episcopio accepit, et enutrivit.* Neque hanc ætatem multum excesserant lectores illi Carthaginenses, quos cum Eugenio episcopo, et universo clero in exsilium trusos fuisse memorat Victor Vittensis l. v, c. 9, qui clerus quingentorum numerum superabat, *inter quos quamplurimi erant lectores infantuli*, nam infantia septimum non transcendit annum. Felix Nolanus, teste S. Paulino, *a puero instituit servire Deo... Et primis lector servivit ab annis.* S. Epiphanius, qui postea Ticinensis fuit episcopus, ut scribit Ennodius in ejus Vita apud Bollandum die 21 Januar., annorum fere octo lectoris ecclesiastici suscepit officium.

« Sed ordo Romanus, *teste eodem Morino*, qui continet cæremonias omnes in Ecclesia Romana observari solitas ante circiter septingentos annos, atque etiam multo antiquiores, ubi de Ordinibus agit, ita præfatur, *in quacunque schola reperti pueri bene psallentes, tollantur inde, et nutriantur in schola cantorum, et postea fiant cubicularii. Si autem nobilium filii fuerint, statim in cubiculo nutriantur, et hanc accipiant potestatem ab archidiacono, ut liceat eis super linteum villosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi, deinde sicut sacramentorum codex continet, quando, et ubi fuerit, usque in subdiaconatus officium ordinentur.* Sed ante omnia, tonsura illis adhuc puellis conferebatur, ut constat ex oratione, quæ ibi ad tonsurandum refertur : *Domine Jesu Christe, qui es caput nostrum, et corona omnium sanctorum, respice propitius super infantiam famuli tui N.*, etc, atque etiam ex titulo orationis. *Oratio ad puerum tonsurandum.* »

Ad hoc institutum illustrandum juvat proferre antiquissimum monumentum, annulum videlicet aureum nuperrime repertum in parva marmorea capsula simul cum ossiculis, et aurea catenula. Annulus haud ineleganter est elaboratus : superiorem partem, gemmæ destinatam, habet compressam, et in laminem ex eodem auro ductam, et in ea insculptæ leguntur litteræ MAXIM. AEVITA. Diameter circuli est minimæ amplitudinis, quæ vix adaptatur crassitiei minimi digiti infantuli bimi, aut trimi. Legitur hic Maximus ornatus titulo levitæ, adhibita littera Græca *lamda* Λ loco Latinæ L. Non hinc suspicio oriatur in infantili illa ætate potuisse Maximum ordine diaconatus esse insignitum, qui non nisi exacta pubertate, neque iis temporibus, conferri solebat, sed quia levitæ nomen in lata significatione usurpabatur ad indicandum quemlibet ex clero quocumque esset ille ordine honestatus. « Varia erant levitarum munera, *inquit Morinus exercit 12 de Subdiac, c. 2*, sacerdotibus in sacrificando inservire, sacra vasa aptare, portare, vela expandere, contrahere, psallere, januas templi custodire. Levitarum autem sacerdotibus in tabernaculo, et sacrificiis ministrantium maximus erat numerus. I Paralip c. XXIII : *Numerati sunt levitæ a triginta annis, et supra, et inventa sunt triginta millia virorum. Ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia... Porro quatuor millia janitores, et totidem psaltæ canentes in organis.* Ex quibus evidenter demonstratur cantores illos, et janitores fuisse levitas. » Cum ergo appellatio levitarum in ritum ecclesiasticum novæ legis migraverit ad indicandos altaris ministros ex veteris legis ritibus, si sub levitarum nomine in antiquo ritu veniebant etiam inferiores templi ministri, ut janitores et psaltæ, potuerunt etiam appellari levitæ primis Ecclesiæ Christianæ sæculis in minoribus ordinibus constituti, qualis erat noster Maximus, cujus infantili ætati titulus levitæ aptari potuit in annulo aureo expressus, ad indicandum nomen, et officium gestantis,

Digitized by Google

non ad usum sigilli ei ætati minime congruentis. Et reapte litteræ in annulo sculptæ, sunt in naturali positione collocatæ a læva ad dextram, non ordine inverso, ut sigilla habent, a dextra in lævam.



Constat itaque viguisse per plura sæcula in Ecclesia ritum oblatos a parentibus infantes in clerum accipiendi, et ad tonsuram, et lectoratum admittendi, eaque de causa, ut inquit cardinalis Bona lib. 1 Rer. Liturgic., c. 25, n. 18, « oriebatur, ut rerum ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa infantia enutriti. » Veterem hanc Ecclesiæ disciplinam, quam nostrorum temporum mores non patiebantur, saluberrimo consilio castigavit synodus Tridentina sess. 23, c. 4, edito decreto : « prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere neseiant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. »

An vero semel Ecclesiæ ab infantia oblati possent ad laicos redire, vel in clericali statu permanere cogerentur, super hoc praxis Ecclesiæ pro diversis temporibus diversa fuit. Concilium quidem Carthaginense III superius citatum per ea verba c. 19 : « Placuit, ut lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri, » videtur reliquisse in clericorum potestate in statu clericali permanere, aut discedere. Verum secus statuit concilium Chalcedonense (anno 403) can. 7, « qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam elegerunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes, et non agentes pœnitentiam ita ut redeant ad hoc, quod propter Deum primum elegerunt, anathematizari; » et concilium Triburiense (anno 395) can 7 : « Statuimus ut clericus ecclesiastice nutritus in Ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto clericatus habitu a castris Dominicis, quibus ascriptus est, profanus, et apostata elabitur, et ad sæculum regreditur, ab episcopo canonice coerceatur, ut ad sinum Matris Ecclesiæ revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur ut iterum detondeatur, et postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. » Ecclesiæ [illegible]iquæ disciplinæ conformis erat regula S Benedicti cap 59, circa pueros, « quos irrevocabili jure voto parentum astringi S. abbas præcipit, » inquit Mabillonius præfat. in sæculum sextum ordinis S Benedicti, « probatque Rabanus Maurus libello singulari, quem adversus quosdam huic regulæ præscripto resistentes composuit. » Hinc in formulis oblationum puerorum a parentibus factarum solemnis est ea conditio, « ita ut ab hac die non liceat illi collum excutere de sub jugo regulæ, » et Martene in hanc regula S uPatris c. 59, hanc formulam ex veteribus codicibus recitat; « Trado puerum istum in devotione Domini nostri Jesu Christi coram Deo, et sanctis ejus, ut persistat omnibus diebus vitæ suæ, et fiat monachus usque ad mortem suam. » Par autem est conditio in hac parte clerici et monachi, ut ex superiori can 7 concilii Chalcedonensis patet.

Hanc porro disciplinam quisque videt profectam esse a patria potestate, qua Romano et Græco quondam jure parentes in filios suos gaudebant. Unde Hugo Menardus in c. 66. Concor. Reg. ait : « Dico hoc jus esse a naturali potestate, quam habent parentes in liberos, qui possunt etiam eos vendere necessitatis causa, ergo etiam devotionis causa Deo offerre in perpetuum ejus obsequium tam pro salute sua, quam liberorum, modo id fiat pura intentione et devotione, et hæc oblatio est summæ virtutis, quæ vincit amorem naturalem parentum in liberos, et etiam desiderium naturale propagandæ familiæ suæ, maxime cum, uno oblato, cæteri superstites possint sine liberis mortem obire, et etiam solatii, quod parentes possunt ex ejusmodi oblatis percipere, quo tamen privantur illos Deo offerendo. » Verum severiori huic disciplinæ aliquod lenimentum attulit Caroli Magni clementia, teste Thomassino part. 1 Discipl. Eccles., c. 57, scripto breviculo rerum conferendarum cum episcopis, et abbatibus, in quo c. 10, hæc habentur : « in quo canonum, vel in cujus sancti Patris regula constitutum est, ut invitus quilibet aut clericus, aut monachus fiat. Aut ubi Christus præcepisset, vel quis apostolus prædicasset, ut de nolentibus, et invitis, et vilibus personis congregatio fieret in Ecclesia vel canonicorum, vel monachorum. » Et sublata penitus fuit, labente sæculo duodecimo, per Cœlestinum III, cujus præscripta secutus Innocentius III, lib. 15, epist. 116 ad Lugdunensem episcopum scripsit, « ut minoris ætatis filii, qui oblati monasterio fuerint suscipientes habitum, vel tonsuram, si a prælatis suis anno decimo quinto requisiti, se in assumptæ religionis proposito consenserint permansuros, pœnitendi licentia præcludatur, alioquin eis non adimatur ad sæculum redeundi facultas, nec coacta præstare Deo servitia videantur. » Concilium tandem Tridentinum sess. 25, c. 15, quoad professionem religiosam statuit : « In quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum ; » et quoad sacrorum ordinum susceptionem sess. 25, c. 12 : « Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum ætatis suæ annum promoveatur ; » et quoad puerorum in seminariis educationem c. 18 : « In hoc collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et

Digitized by Google

quorum indoles, et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros : pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit; modo suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo, et Ecclesiæ inserviendi; » antiquato et penitus abrogato veteri instituto recipiendi in clerum oblatos a parentibus pueros, qui a cunabulis Ecclesiæ essent addicti, qualem fuisse S. Eugenium papam Anastasius commemorat.

BENCINI.

Linea 1. — *Eugenius.* Sunt qui velint, Eugenium post dies 20, a quo S. Martinus in exsilium depulsus fuerat, et dum is adhuc in vivis erat, pontificem fuisse electum : cum ab imperialibus ministris Martinus declaratus esset depositus, imo, per summam calumniam illegitime ordinatus. Et in relatione quidem motionis in S. Maximum exstante in collectaneis Anastasii, cum S. Maximus dixisset, Monothelitas in synodo Lateranensi sub Martino anathemate perculsos fuisse : « clamat Demosthenes non est rata synodus, illo (Martino) deposito, qui eam celebravit. » Inter calumnias sane, quas S. pontifici inusserant, una erat, quod reus majestatis haberetur : qua pariter traduxerunt S. Maximum, cui ibid. objectum legimus : « Tu solus Ægyptum, et Alexandriam, et Pentapolim, et Tripolim, et Africam Saracenis tradidisti. » Addunt patroni ejusdem sententiæ illud, quod S. pontifex in epist. ad quemdam sibi charissimum, tom III. Concil pag 688 scribit : « Verumtamen Deus per intercessionem S. Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, et confirmet contra omnem hæreticorum adversariorum Ecclesiæ nostræ personam, et immobiles custodiat, præcipue pastorem, qui eis præesse monstratur. » Sed ut candide fatear, falluntur vehementer qui inde colligunt Eugenium subrogatum fuisse Martino adhuc superstiti. Agit enim eo loci pontifex de Pyrrho, qui eo ipso tempore apostata factus, invaserat denuo thronum Cpnum. Qua de re in appendice Actorum S. Maximi apud Anastasium in Collect legitur : « Cæterum de Pyrrho sciendum est, quoniam certi facti sunt a ter beato apostolico ac Platone, quod sponte fecerit libellum suum, locaverunt eum in throno isto. » Et in Actis S. Martini in tom cit Concil pag 683 : « Interea defuncto Paulo et Pyrrho residere nitenti, atque quibusdam Ecclesiæ contradicentibus, et prohibentibus in palatio, asserentibusque quoniam a beatissimo Paulo anathematizatus est, et multa commotione facta.... iterum Pyrrhus in medium venit. » Pastor itaque, de quo pontifex loquitur, intelligendus est Pyrrhus. Orat autem Deum Martinus, ut avertat ab Ecclesia majora mala, quæ ob Pyrrhi apostasiam, et iterum recuperatum thronum Cpnum imminere videbantur. Quapropter ea potius attendenda censeo, quæ idem sanctissimus pontifex scribit in epist ad Theodorum pag 677 : « Jussio a Calliopa porrecta est presbyteris et diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur : quod irregulariter, et sine lege episcopatum subripuissem, et non essem in apostolica sede dignus institui : sed omnimodis ad hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo episcopo. Quod necdum aliquando factum est, et spero, quod aliquando fieri habet, quia in absentia pontificis, archidiaconus, et archipresbyter, et primicerius locum præsentant pontificis. » Porro inter exsilii sententiam, et scriptam hanc epistolam annus et menses duo intercurrerunt. Eo itaque tempore pontifex nondum erat Eugenius : quem Romanus clerus minime passus est eligere, ante B. Martini obitum.

Linea 6. — *Petrus patriarcha.* Hic successor Pyrrhi in episcopatu, novam monothelismo adjunxit hæresim. Utramque partem ratus est conciliari, si doceretur in Christo Domino unam esse substantialem operationem, et duas naturales. Primus, qui commenti hujus oppugnationem adortus est, fuit Anastasius sancti Maximi discipulus, qui epistolam denuntiativam vulgavit *ad commune monachorum apud Calarim constitutorum Colligium.* Exstat epistola initio Opp sancti Maximi, et pag 43, hæc ad rem leguntur : « Modo ergo ab inexistentia ad inconvenientiam translati sunt : id est ex eo quod neque unam, neque duas dicunt, prædicandum duas et unam, id est, tres in uno eodemque Christo voluntates et operationes traducti : quod neque patrius, neque synodicus, neque physicus sermo decrevit : sed neque priscorum et deinceps hæreticorum furor hactenus adinvenit. » Cætera ibi legantur. Petrus itaque, inepto hoc temperamento ad distracta spartes uniendas, celebris ferebatur, quodque longe iniquius erat, apprime catholicus credebatur. Quamobrem cum Eugenius electus pontifex apocrisiarios cum synodica Cpolim direxisset pro consecratione, ii, sive muneribus corrupti, sive socordia, aut rei novitate decepti, comprobata velut orthodoxa Petri doctrina, cum eo communicarunt, atque ab eo synodicam ad Eugenium directam recipientes, ad pontificem repedarunt. De inita ab apocrisiariis cum Petro communione agitur in laudata motione in sanctum Maximum, quem judices ad hunc modum interpellarunt : « Quid facies cum Romani uniendi sint Byzantinis? Ecce enim heri venerunt apocrisiarii Romani, et cras Dominico die communicabunt patriarchæ : et per hoc cunctis manifestum fit, quod tu subverteris Romanos. Denique te illinc amoto, mox consenserunt his, qui sunt hic. Et dixit ad eos : Hi, qui venerunt, præjudicium quomodo Romanæ sedi, quamvis communicent, eo quod epistolam non detulerunt ad patriarcham, facturi sunt. » De lapsu vero apocrisiariorum sic Anastasius ibid pag 44 : « Quibus, ut dictum est, suum nolentes corrigere sermonem, adhuc et senioris Romæ propriæ consentire sextæ coegerunt apocrisiarios. Unam super duas, id est tres secum prædicandi in eodem D. N. J. C. voluntates et operationes : similem scientiæ ligno gustum commiscentes, quemadmodum et isti fidem ex bono et malo proferunt, affectantibus. Unde et talibus circumvenientes litteris, ei, qui miserat (Eugenio) mittunt. » Utitur eadem phraseologia Maximus in describendo commento, quod Petrus invexerat. Namque in epist ad episcopum Thessalonicensem, qui laqueis iisdem irretitus, pseudo-patriarchæ assentiebatur, vehementer exardet sanctus martyr, eumque objurgat, apud Combefisium in Hist. Monothelit. pag 661 : « Non solum enim ipse incorrectus mansisti, sed memoratos apocrisiarios nostros decepisti; idque erga eos fecisti, quod astutus serpens fecit adversus Adam, desertorem una secum eum constituens. » Ex quibus discimus, lapsum legatorum pontificiorum auctore imprimis Thessalonicensi primate contigisse. Hæc gesta obscurissimam vocant Petri epistolam haud equidem immerito. Quibus enim dolis, et ambagibus contextum fuisse scriptum illud arbitrabimur, quod tam immanem fidei jactationem intulit et discrimen.

Linea 10. — *Talem synodicam direxisset.* Monachi Calaritani haud ignari, sibi utique pro fide orthodoxa pugnandum, cujus læsionem agnoverant ex epistola denuntiativa Anastasii, scripserunt Eugenio et Ecclesiæ Romanæ. Quod quidem graviter illis mandaverat faciendum in eadem epist Anastasius : « Quia ergo, *scribit ille*, in magno propter hoc periculo sunt re penes totius catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ constitutæ, pro ea deprecamur, et obsec[illegible] sanctissimos viros, ne hanc despiciatis pe[illegible]em, sed adjuvetis tempestatibus labentem, scientes in tempore tribulationis dilectionem, quæ in Spiritu sancto, nasci : et si possibile est vos transire citius, quasi alia pro causa, ad senioris Romæ pios, ac firmos, ut petram, viros... qui videlicet tutores nostri sunt, et propugnatores fortissimi veritatis, obsecrantes hos supplicatoriis vocibus, et lacrymis pro omnibus Christianis. » Ad hæc Bibliothecarius annotat jure optimo clerum omnem, et Romanum

Digitized by Google

populum exhorruisse hæreticalem Petri synodicam, factoque tumultu intercessisse, ut plane abjiceretur. Nam moribus erat receptum, ut denuntiativæ epistolæ omnes publice in ecclesia recitarentur, quemadmodum in dissertatione 1 de litteris encyclicis prolixe disputavimus. Quapropter Romana plebs veteris fidei, traditionis probe conscia, adeo in Petri synodicam exanduit, ut ne pontifici quidem permiserit.

Linea 12. — *Missas celebrare in basilica sanctæ Dei Genitricis.* Pridem invaluerat, ut legationes principum, et publicæ epistolæ in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe audirentur. Sic in Martino notavit Anastasius, Olympium ab imperatore missum, in eadem basilica susceptum fuisse a pontifice, in quem machinabatur proditionem. Ibidem editos, reor, anathematismos adversus scripta, quæ Orientales fidei extorres ediderant. Namque in laudata motione in sanctum Maximum narratur, typum in ecclesia, in eadem basilica, anathemate fuisse proscriptum. Sic enim Acta : « Troilus enim dixit S. Maximo : Nunquid non anathematizasti typum ? Respondit : multoties dixi quia anathematizavi. Typum anathematizasti, imperatorem anathematizasti. Respondit Dei servus : Ego imperatorem non anathematizavi, sed chartam alienam ab ecclesiastica fide. Et dixit ei : Ubi anathematizatus est ? A Romana synodo, respondit, in ecclesia Salvatoris, et in Dei Genitricis. « Martinus itaque post editos in secretario Lateranensi adversus typum anathematismos, hos subinde proposuit populo, et in ecclesia seu basilica S. Mariæ Majoris recitari voluit. Legatos pariter in eadem basilica recipi et audiri consuevisse docet auctor Vitæ Adriani II, pag. 430 : « Hinc sanctissimo papæ Adriano, cum episcopis, et proceribus in secretario S. Mariæ Majoris juxta morem sedis apostolicæ, *seddenti*, se satis humiliter præsentarunt, dona et epistolas obtulerunt, » scilicet Basilius et Joannes metropolita Cæsareensis, imperatoris Basilii legati. Igitur, cum tunc obtineret, ut Orientalium legati in ea basilica audirentur, clerus ac populus Romanus obstitit Eugenio, solemnem missam eo loci celebraturo, ne synodicam Petri quisquam auderet recitare. Et Eugenium quidem tantum abfuisse ab ea synodica suscipienda, ut una cum synodica suorum apocrisiariorum acta omnia cassarit, improbaritque, innuunt verba Troili, qui Eugenio pontifici adversanti ita comminatus est : « Cæterum noveritis, domine Abba, fore, si vel modicum a confusione gentium requiem nacti fuerimus, ut papam quoque, qui nunc extollitur et insolescit, per sanctam Trinitatem una vobiscum jungamus, omnesque Romæ loquentes, ac cunctos discipulos tuos, vosque omnes, singulos quosque convenienti sibi loco conflemus, haud secus ac Martinus conflatus est. » Elucet hinc Eugenii zelus, totiusque cleri et populi Romani in scriptis hæreticalibus Petri Cpni rejiciendis, cum ad hasce minas Troilus adactus fuerit.

BINII ET LABBEI.

Linea 1.—*Eugenius.* Post S. Martinum papam in Chersonesum relegatum ad instantiam Theodori Calliopæ exarchi, clerus Romanus Eugenium sedis apostolicæ vicarium designavit, ea intentione qua supra dixi. Quando autem de sancti Martini obitu certum nuntium Romam delatum est, nullus alius quæsitus fuit, qui ipsi succederet; sed qui antea vicaria præfectura fungebatur, tanquam verus ac legitimus pontifex sedere cœpit anno Domini 654, qui est Constantis 13.

Linea 2.—*Sedit annos duos, menses octo, dies 24.* Intellige a tempore Martini in Chersonesum relegati.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Perturbata nonnullorum pontificum Chronologia; eorum præsertim, qui post Silvestrum martyria, deportationes, exsilia, carceres ab imperatoribus suggestione hæreticorum passi sunt, diligentiores vexans chronologos, alios in aliam sententiam ire compellit, quippe quos conjectura ut plurimum niti necesse est. Hinc factum puto, quod eorum facile princeps Franciscus Blanchinus, qui novis tot monumentis hanc provinciam ante S. Gregorium Magnum nuper ornavit, ad nonnullos hujusmodi pontifices veniens, conjectura licet aliis præstantiore usus, non tamen extra aleam posuisse rem videtur. Exemplo sunt pontificatus Felicis II intra bipartitam Liberii sedem collocatus, necnon Vigilii primum intrusi superstite Silverio, deinde legitimi pontificis, cujus sedem anno integro minuendam decernit, ab Junio mense anni 537 ad eumdem mensem anni sequentis, cum Silverius exsulans in Pontia insula mortem occubuit. Arte haud dissimili utendum mihi erit in Eugenii chronotaxi definienda ; ejus enim legitimæ sedis principium ab exsilio S. Martini desumi oportet, ut passim eruditi recentiores contra Baronii opinionem affirmant.

Compertum habeo, quod Eugenius sedem annor. 2, mens 9. dier 24, ab omnibus fere codicibus Anastasii, et præstantioribus catalogis illi tributa, inchoat Martino superstite; quo utor teste, dum exsul Chersone in 2 epistola ad amicum hæc ait : « Deus stabiliat corda eorum in orthodoxa fide.... Et immobiles custodiat, præcipue *pastorem*, qui eis nunc præesse monstratur. » Ex quibus impune arguere licet, anno 655, cum Martinus dabat hanc epistolam, Eugenium legitimum esse pontificem, adeoque illum se jam abdicasse pontificatu : quando autem abdicarit incertum ; nam in excubitu constitutus Cpoli post diem octavam decimam Septembris anni 654, scribit Theodoro, nondum creatum Romanum pontificem, ut Monothelitæ volebant fieri : « Jussio a Calliopa porrecta est presbyteris et diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio (*al.* ejectio) continebatur, quod irregulariter et sine lege episcopatum subripuissem, et non essem in apostolica sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo episcopo, quod necdum aliquando factum est, et spero quod nec aliquando fieri habet : quia in absentia pontificis archidiaconus, et archipresbyter, et primicerius locum præsentant pontificis. »

Cum vero ex duabus epistolis datis Chersone ad amicum, præsertim ex postrema, quam paucis ante obitum diebus scribebat, non uno in loco fateatur se olim fuisse Rom pontificem; ut in ep. 1 : « Quid dicemus de nobis, qui proprii servi ejus summus, et saltem ad momentum ministravimus ei, et in tali exsilio, et afflictione consistimus? » Et in 2 : « Miror indiscretionem et compassionem omnium, qui quondam mihi pertinebant. » Evidens est, quod Romæ jam novus pontifex sedebat; quibus testimoniis, si mox allatum adjungitur ex eadem 2 epist unde patet a sancto Martino pro legitimo pontifice illum haberi, certo certius est Eugenium sedere Martino superstite.

Constituendum igitur restat initium sedis ejus, quod non nisi a die depositionis 2 Junii, quam constanter omnes tenent, retrocedendo inveniri potest. Codd omnes præstantiores Freheriani duo, Reg, Mazar, et Thuanus primus, tres antiquissimi Ambrosiani, necnon Luitprandus, et alii auctores non pauci communi consensu cum catalogis selectissimis Palatino-Vat., Bergomate, Lucensi, Corbeiensi altero, Farfensi, ac Veronensi definiunt Eugenii sedem annor 2, mens 9, d. 24 (Luitpr 23, Lucens 29, Corbeien 19, Farf 14), modico in assignandis diebus discrimine. A die igitur 2 Jun tantumdem temporis

retrocedendo 9 Augusti occurit, quæ erat Dominica anni 655. Hic autem annus ordinationi assignari non potest; nam Martinus Chersone degens jam successorem suum creatum sciebat; ad annum itaque superiorem 654, cum Dominica in diem 10 Aug incidebat, referri ordinationem oportet, dieinque depositionis includi, ut plerumque fieri ab Anastasio jam tenemus: ita ut Eugenius consecratus die 10 Aug prædicti anni 654, cum Martinus in Naxo insula adhuc morabatur, post a. 2, m. 9 d. 24, occubuerit 2 Jun 657.

Quamobrem Sirmondi opinio rejicienda, qui (*Synops Chronol ad Collect Anast.*) sedem inchoat a Septembri mense 653, depositionem cum aliis definiens 2 Jun post a. 2, m. 9, dies 24; etenim si, ut benigne cum illo agamus, ab ipsis Kalend Sept ordiamur sedis tempus; depositionem certe inveniemus, contra omnium fidem, die 24 Jun. Perinde abjiciamus opus est sententiam Antonii Pagii, cætera eruditissimi: nam interpontificio in aliquot codd mss reperto unius anni, mens 2, dier 20, eo utitur tanquam regula ad stabiliendum diem ordinationis Eugenii, non animadvertens, quod ii mss et editi in Var lect nostræ editionis tribuunt sedi Eugenii a. 2, m. 9, d. 24, quare ordinatio retrahenda esset mense integro, magno cum suæ conjecturæ detrimento. Præterea, quod minime in viro docto ferendum est, vult, in Ecclesia Romana, quæ est mater et magistra omnium totius orbis catholici Ecclesiarum, factam fuisse ordinationem, fer 2, cui respondet dies 8 Septemb anni 654. Præterquam quod imperitæ manus additionem interpontificii respuere præstabat, quam amplecti: additionem, inquam, nam quolibet interpontificium tam in catalogis, quam in codd additicium esse comprobant cod Thuanus alter, et si qui alii necnon catalogi, præsertim Veronensis, nullam vacationem exhibentes, ac demum catal Lucensis, qui habet interpontif dier 28, alia manu additum. Et sane quis credat, post S. Martinum vacasse Romanam sedem, dum uno eodemque tempore duos in ea pontifices constitutos videt? Quorum postremus an legitime sederit vivente Martino, quoad hujus abdicatio proferatur, indecisum remanebit; probabile tamen est, quod aliquandiu sederit illegitime, tametsi ex tantæ antiquitatis monumentis, qui exstant, ratio utriusque temporis secernendi non suppetit. Cæterum ante ordinationem Eugenii ascribi non possunt sancto Martino præterquam anni 5, mens 1, d. 6, quot dignoscuntur fluere a die consecrationis 5 Jul 649, ad ordinatum successorem 10 Aug 654.

Sic utriusque pontificis Chronologiam digerendam puto. Verum fateor cum V. C. Ludovico Antonio Muratorio (*Scriptor Ital* tom I, p. II, pag 303) in notis ad Joan Diac *de Episcopis Neap*, quod Acta SS. pontificum Martini et Eugenii tantis tenebris obvoluta apud Anastasium occurrunt, ut componi vix possint: nisi aliunde lux aliqua afferatur.

CIACONII.

Linea 1. — *Eugenius.* Ruffiniani filius, Romanus de regione prima Aventina sedit in pontificia sede annos duos, menses 9, dies 14, creatus et consecratus die Dominico, IV Idus Augusti anni 654.

MAFEI.

Linea 6. — *Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit synodicam.* Mortuo Pyrrho, qui post Paulum iterum non sine plurimis contentionibus Constantinopolitanam sedem occupaverat, Petrus etiam ipse hæreticus ab hæreticis sufficitur, qui volens cum catholicis et hæreticis novo quodam invento convenire, inauditum de Christi voluntatibus commentum fabricatus est; triplicem scilicet in Christo voluntatem asserendo, unam subsistentialem cum Monothelitis, duas vero naturales cum catholicis, ut habetur in epistola sancti Maximi ad Anastasium monachum discipulum suum, in qua novum hunc errorem validè confutat, et in epistola Anastasii monachi S. Maximi discipuli ad commune monachorum apud Calarim constitutorum collegium, quæ exstant in Anastasii Biblioth Collectaneis a Sirmondo editis tomo tertio. « Unam, inquit Petrus, super duas, id est tres, secum prædicandi in eodem Domino nostro Jesu Christo voluntates et operationes. » Quare Petri synodicam obscurissimam, et ambagibus plenam ad Eugenium, ut ab eo in communionem reciperetur, scriptam, nedum Eugenius non admisit, sed eamdem majore cum strepitu a sancta Dei Ecclesia projecit.

PAGII.

Linea 1. — *Eugenius natione Romanus.* Sancto Martino papa anno sexcentesimo quinquagesimo tertio, die decima nona mensis Junii captivo in Græciam ducto, archidiaconus, archipresbyter et primicerius notariorum, ut in ejus pontificatu diximus, Ecclesiam Romanam rexerunt, usque ad diem octavum mensis Septembris anni 654, quo die Eugenius, natione Romanus, ex patre Ruffiniano, de regione prima Aventina, *clericus a cunabulis*, ut ait Anastasius, ordinatus est pontifex Romanus, postquam ob absentiam Martini sedes vacasset *annum unum, menses duos, dies viginti*, ut legitur in quibusdam exemplaribus Anastasii mss in fine regiæ editionis citatis, inscio quidem, sed postea consentiente S. Martino, ut num 19 ejus pontificatus probavimus. Ex quo ruit eorum opinio qui volunt Eugenium ante Martini mortem, hujus tantum vicarium fuisse, cum mortuo vel absente pontifice, vicarius Ecclesiæ non præficeretur, sed ea a tribus mox memoratis regeretur. Ruit pariter quod ait Baronius, Eugenium usque ad mortem Martini, per imaginem sedisse, et accedente rursus simul antea lato consensu, legitime sedere cœpisse; cum legitimus pontifex censeri debeat Eugenius a die suæ ordinationis, utpote quæ sancto Martino grata fuerit. Tandem dicendum est mendum esse in Anastasio, ubi dicitur Martinum sedisse *annos sex, mensem unum, dies viginti sex;* nam præterquam quod hoc pacto sedisset tantum usque 31 mensis Augusti anni 655, quod ex ejus mortis die falsum esse constat; nec Anastasius, nec catalogorum auctores soliti sunt pontificibus attribuere tempora, quæ post eorum abdicationem aut depositionem fluxerunt, ut visum est in Silverio et Vigilio; sed ea tribuunt successoribus quomodocunque ordinatis.

Linea 3. — *Fuit enim benignus*, etc. Platina Eugenium virum miræ pietatis religionis, mansuetudinis et munificentiæ appellat: Anastasius benignum, mitem, mansuetum, omnibus affabilem et sanctitate præclarum. Nomen ejus inscriptum est Martyrologio Romano ad diem secundam mensis Junii, et Baronius in notis eum non tantum sedis, sed et sanctitatis S. Martini successorem exstitisse, scribit.

Linea 6. — *Hujus temporibus Petrus patriarcha Cp.* Petrus patriarcha Constantinopolitanus, quem in Martino diximus subrogatum esse anno 655, in locum Pyrrhi defuncti, cum esset hæreticus Monothelita, tamen ut faciem saltem catholici hominis ostenderet, sicque ab Eugenio in communionem recipi mereretur, litteras Romam ad eum misit ambagibus involutas atque perplexas, quæ, prohibente clero, atque populo, minime receptæ fuerunt.

Eugenius de more decessorum suorum apocrisiarios ad Constantem imp misit cum synodica et ordinationem suam significavit. Anastasius quidem de hac legatione tacet; verum eam nos edocet sanctus Maximus in Relatione *Motionis factæ inter dominum abbatem Maximum et socium ejus, atque principes in secretario*, recitata in collectaneis Anastasii, quæ habita est anno 655 aut tardius anno 656, cum in iisdem Collectaneis præponatur disputationi inter sanctum Maximum et Theodosium Cæsareæ Bithyniæ episcopum, quæ tamen eodem anno 656 habita est, ut recte Baronius vidit. Ex ea enim Relatione intelligimus Petrum Constantinopolitanum episcopum vo-

Digitized by Google

lentem et catholicis et hæreticis assentiri, triplicem in Christo voluntatem prædicasse : unam scilicet subsistentialem cum Monothelitis; duas vero naturales cum orthodoxis; et Romani pontificis apocrisiarios a Petro illectos in novum illud erroris portentum consensisse. Hujus Relationis verba legi possunt apud Baronium anno 657, num 15.

Id etiam constat ex epistola Anastasii monachi discipuli sancti Maximi : *Ad commune monachorum apud Calarim constitutorum collegium*, ex qua constat, apocrisiarios Romani pontificis errori Petri, duas et unam super duas operationes ac voluntates dicenti, assensisse : « Quibus, ut dictum est, suum corrigere nolentes sermonem, adhuc et senioris Romæ propriæ consistere sectæ coegerunt apocrisiarios. Unam super duas, id est, tres secum prædicandi in eodem Domino nostro Jesu Christo voluntates et operationes : similem scientiæ ligno gustum comminiscentes, quemadmodum et isti fidem ex bono et malo proferunt, affectantibus. » Illi apocrisiarii non possunt esse illi quos Vitalianus papa Constantinopolim misit, ut vult Combefisius in Hist. Hæresis Monothelitarum disput 1, paragrapho 15, quia Vitalianus dictus est pontifex mense Julio anni 657. Et dicta disputatio S. Maximi cum principibus in secretario pertinet ad annum 655, vel ad summum 656. Mentio igitur est ibi de apocrisiariis ab Eugenio papa missis. Porro dubitandum non est, quin Eugenius, qui Petri Constantinopolitani episcopi synodicam explosit, exploserit etiam quod prævaricatores apocrisiarii egissent ejusmodi Petri suasu, ad quem dicti apocrisiarii nullam detulerant Eugenii epistolam, ex quo S. Maximus, cujus verba Baronius loco laudato recitat, infert, quod si cum Petro communicarent, nullum fieret Romanæ sedi præjudicium : « Hi, qui venerunt, inquit, præjudicium quoquo modo Romanæ sedi, quamvis communicent, eo quod epistolam non detulerunt ad patriarcham, facturi non sunt. »

Linea 15. — *Qui etiam sepultus est.* Postquam Eugenius duabus ordinationibus episcopos 22 creasset, et sedisset *annos duos, menses octo, dies viginti quatuor*, ut legitur in Anastasio, obiit die prima mensis Junii anni 657, sepultus *sub die* IV *Nonas Junii*, seu die secunda ejusdem mensis, ex quo patet Anastasium pontificatus ejus initium desumpsisse, non a morte sancti Martini, sed a die octava mensis Septembris anni 654, qua, vivente S. Martino, ordinatus est, deducere, ideoque non immerito a nobis dictum esse, mendum cubare in Anastasio, ubi dicitur Martinum sedisse *annos sex, menses unum, dies viginti sex*, ut num. primo ostendimus.

SOMMIER.

Linea 3. — *Fuit enim benignus*, etc., *et sanctitate præclarior.* Auctores ecclesiastici, ut Anastasius Bibl, Platina, Baronius in notis Martyrol. Rom ad diem 2 Jun de Eugenio loquuntur, tanquam de viro admirabili pietate, solida religione, suavitate, et magnificentia. Ecclesia vero eum colit tanquam sanctum, dignumque S. Martini successorem non modo in Romana cathedra, verum etiam in laude sanctitatis; cujus insigne argumentum dedit, ubi synodicam de more transmissam a Cpoleos patriarcha Petro, obscuris conceptam sermonibus, nec de duabus voluntatibus loquentem, rejecit.

LXXVIII. SANCTUS VITALIANUS.

ANNO CHRISTI 655, CONSTANTIS IMP. 14.

135 Vitalianus, natione Signiensis, provinciæ Campaniæ, de patre Anastasio, sedit annos quatuordecim, menses sex [a]. Hic direxit responsales, suo cum synodica juxta consuetudinem in regiam urbem apud piissimos principes, significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent renovantes privilegia Ecclesiæ reversi sunt, quorum [b] clementia per eosdem missos direxerat beato Petro apostolo, et Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornatus [c]. Hic regulam ecclesiasticam atque vigorem, ut mos erat, omnimodo conservavit. Hujus temporibus venit Constantinus Augustus de regia urbe per littoraria in Athenas, et exinde Tarantum, inde Beneventum, et Neapolim per indictionem VI. Postmodum venit Romam, id est quinta die mensis Julii, feria quarta, indictione suprascripta, et occurrit ei obviam apostolicus cum clero suo milliario sexto ab urbe Roma, et suscepit eum. Et ipsa die ambulavit imperator ad sanctum Petrum, adorationem et donum ibi obtulit. Die Sabbati ad sanctam Mariam, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo. Omnes cum cereis exierunt obviam ei, et obtulit super altare illius pallium auro textile [d], et celebratæ sunt missæ. Iterum Sabbati die venit imperator ad Lateranas, et [e] lavit se, et ibidem praxit in basilica Julii. Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum, et post missas celebratas, vale fecerunt sibi invicem imperator et pontifex, duodecim dies in civitate Romana perseverans.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, 5, minus d. 4. *Vide Baron. ad ann. Domini* 655. [b] *C*, principum. [c] *C*, ornata. [d] pallam auro textilem. [e] *C*, lætus ibidem pransus est.

Digitized by Google

136 Omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis deposuit, sed et ecclesiam beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat cooperta, discooperuit, et in regiam urbem cum aliis diversis quæ deposuerat, direxit. Et postmodum secunda feria egressus de civitate Romana, reversus est Neapolim. Inde terreno itinere perrexit Rhegium [a], ingressus Siciliam per indict. VII. Et habitavit in civitate Syracusana, et talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus vel possessoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, per diagrapha seu capita atque nauticationes per annos plurimos, quales a sæculo nunquam fuerant, ut etiam uxores a maritis, vel filios a patre [b] separarent, et alia multa inaudita perpessi sunt, ut alicui spes vitæ non remaneret, sed et vasa sacrata vel cymilia sanctarum Dei ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt. Et postmodum quinto decimo die mensis Julii per indict. XI prædictus imperator in balneo occisus est. Et non post multum temporis antedictus sanctissimus vir vitam finivit. Fecit autem ordinationes quatuor : presbyteros viginti duos, diaconum unum, episcopos per diversa loca nonaginta septem [c]. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die sexto Kalend. Februarii, et cessavit episcopatus menses duos, dies tredecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Inde mari Tyrreneo perrexit Regium. [b] a parentibus. [c] *B.* 18.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXVIII.

Num 135, lin 6, 7, in circuitu ornata. *lin* 18, in basilica Vigilii.

Num. 136, *lin.* 11, et postmodum XV die mensis Julii per XII indict.

Ex codice Vallicellano.

Num 135, *lin* 9, per litoraria in Athimas, et exinde Tarentum, deinde Beneventum. *lin* 11, *vox* obviam *deest. lin.* 12, eum. Ipsa die. *lin* 13, ad S. Petrum ad orationem. *lin* 14, die sabbato perrexit, etc., *ut Reg., Maz et Thuan. lin* 17, item sabbatorum die venit imperator ad Lateranis, ilavit [*lege* et lavit] et *ibidem* pransit in basilica Vigilii. *lin* 18, iterum Dominicorum die. *lin* 19, et post celebratas missas. *Ibidem* pontifex. Itaque XII dies, etc. *ut Reg Maz et Thuan cum quibus Vallicellanus cod concordat etiam supra, lineis* 1, 3, 5, 7, 10 *et* 15.

Num. 136, *lin* 1, ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Martyres *lin.* 3, integram urbem, *mendose. Lege* in regiam urbem. *lin ead*, direxit. Postmodum. *lin* 4, Neapolim; deinde mari Tirreno, etc. *ut reg, Maz et Thuan. lin* 7, Africæ, vel Sardiniæ per diagrava [*lege* diagrapha]. *lin* 9, fuerunt. *Ibid* filios a parentibus separaret, etc. *ut Reg Maz, et Thuan. lin* 11, vel cimilia. *ibid*, ecclesiarum auferentes, nihil dimittebant. Postmodum. *lin* 12, per indictionem XII, etc., *ut codd mox laudati, exceptis tantum vocibus* a Bitaliano, *et* quanto scilicet, *pro* a Vitaliano *et* quantos scilicet, *ut bene Reg, Maz et Thuan. lin* 14, *ut iid, cum quibus Vallicellanus codex concordat etiam lin* 2. 8 *et* 14.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 135, *lin* 9, litoraria, *A*, literalia, *B*, litoralia. *lin* 18, praxit, *A*, pransit in basilica Vigilii.
Num 136, *lin* 15, loca 97, *B*, 27.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 135, *lin* 1, Signentis p. C. ex p. A. *lin* 5, ad piss. P. (*in M deest* piissimos). *lin* 5, quorum cl. p. e. m. direxit B. P. A. evang. aur. *lin* 7, ornata. *lin* 9, littora. *ibid* Tarentum, deinde *B. lin* 10, Romam. q. *lin.* 12, miliario 5. *ibid* eum. Ipsa d. *lin* 13, Petrum cum exercitu suo ad orationem (*M* Petrum, et orationem, et donum i. obt.) Die Sabbato perrexit ad s. M. ibique donum obt. Dom. d. iterum pr. *lin* 15, cereis, et obt. s. a. ipsius. *lin* 17, Sabbatorum d. *idid.* ad Later. et ibidem pransit. *lin* 18, iterum dom. ib. et post cel. m. *lin* 19, pontifex, itaque 12 dies in civit. Rom. perseverans omnia.

Num 136, *lin* 2, discooperuit, *et lin* 3, dir Postmodum. *lin* 4, N. Deinde mari Tyrreno perr Regium. Ingressus itaque Siciliam p. t. 7, habitavit in civit Syrac et tales afflictiones p. populo. *lin* 7, et Afr vel S. *lin* 8, atque nauticationem. *lin* 9, fuerunt ib fil a parentibus seperaret (*M*, separaret). Alia etiam multa i. p. s. ut aliquibus s. *lin* 10, remaneret, sed et vasa sac et cimilia 5 D. eccl auferentes n. d. Postmodum. *lin* 12, per ind 12 proditus imper in balneo Dei judicio occisus est. Eodem tempore missi sunt a Vitaliano papa in Britanniam Theodorus archiepiscopus, et Adrianus abbas, utrique doctissimi, qui plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fecundarunt. E quibus Theodorus archiepiscopus peccantium judicia, quantos scilicet annos pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili et discreta consideratione descripsit. Non post multum vero temporis jam dictus venerabilis papa vitam finivit. *lin* 14, diaconos 50, episc.

Ex codice Thuano altero.

Num 135, *lin* 1, ex patre. *lin* 6, ap. evang. aur. *lin* 7, ornata. *lin* 9, littoria. *lin* 10, id est 15. d. *lin* 12, mil. quinto. *ibid.* et in ipsa d. a. Im. ad s. P. ad or. *lin* 16, ipsius pallium auro textum. *lin* 18, pransit in basil.. Vigilii. Iterum d.

Num 136, *lin* 9, a parentibus s. *lin* 11, abstollentes. *lin* 16, sub die 7.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 135, *lin* 18, ibid. pransit.

Num 136, *lin* 2, erat discooperuit. *lin* 4, reversus in Neapolim. Inde terreno perr Regio. *lin* 8, atque nauticatione.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num 135, lin 12. — *Et ipsa die ambulavit imperator ad sanctum Petrum, adorationem, et donum ibi obtulit.* Imperator ingrediens Romam, mox orationis causa properat ad basilicam Petri, et dona offert. Augustin in Psalm CXL : « Imperator venit Romam, quo festinat ad templum imperatoris, an ad memoriam Piscatoris. » Idem in Psalm LXV : « Sed melius est, ut Romam cum venerit imperator, deposito diademate, ploret ad memoriam Piscatoris, quam ut Piscator ploret ad memoriam imperatoris. »

Linea 14. — *Dominico die processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo, omnes cum cereis exierunt obviam ei, et obtulit super altare illius pallium auro textile, et celebratæ sunt missæ.* Imperatori basilicam sancti Petri adeunti clerus occurrit cum cereis, et imperator ex more dona obtulit. Occursus honor imperatoribus et principibus Ecclesiam ineuntibus impensus ab episcopis et clericis, et imperator sacris interesse non solet sine oblatione. De quo fuse lib I. de Ducib et Comit cap 17.

Linea 18. — *Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum.* Stationes die Dominico fiebant. Stationes erant statæ preces, quas fideles stantes faciebant in singulis ecclesiis urbis Romæ, præcipue die Dominico, in memoriam Dominicæ resurrectionis. Tertull. (*de Coron milit.*) : « Jam et stationes, aut alii magis faciet, quam Christo, aut et Dominico die quando nec Christo. »

Num. 136, linea 1. *Et ecclesiam beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat cooperta, discooperuit.* Tectum basilicæ sanctæ Mariæ ad Martyres fuit e tegulis æreis. Majores basilicæ teguntur ære, vel plumbo. Hinc Stephan. Tornac epist 165 : « Anglico plumbo teguntur ecclesiæ, nudantur Romano. » Trullum, id est fastigium ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani, plumbeis chartis, id est, tabulis tectum. Anastas in Sergio : « Trullum vero ejusdem ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit, atque munivit. » Idem in Gregor III : « Item in basilica sanctæ Dei Genitricis quæ ad Martyres dicitur, tectum vetusta incuria demolitum, purgari fecit ad puram, et cum calce abundantissima, seu chartis plumbeis, a novo restauravit. » Basilica S. Mariæ ad Martyres est ea quæ Rotunda vocatur. Bertholdus Constantiens in Chronic ad ann 1087 : « Guibertus vero hæresiarcha non magis ab incœpta perversitate cessavit, imo se apud S. Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incastellavit. »

Linea 6. — *Talem afflictionem posuit in populo Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per diagrapha seu capita, atque nauticationes.* Itali, Siculi et Afri gravati per descriptiones et capita, id est capitationes seu census capitis. Descriptio fiebat census capitis imponendi causa, quæ dicebatur census : capitatio est census capitis, vectigal quod imponitur personis, l. *Si minor, c. de Act empt.* ; l. 1. C. Th. *De fugitiv colon* Augustin Quest Nov Test cap 75 : « Didrachma capitum, vel tributi exactio intelligitur non prædiorum, quod nunc pannosum aurum appellatur, quia et pauperes exiguntur. » Et hoc distat tributum a capitatione : tributum est census prædiorum, capitatio est census capitis. Tertull Apologet cap 13 : « Sed enim agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora. » Hinc informe tributum vocat Sidon carm 7.

Poscatque informe recidi vectigal.

Nauticatio est onus præstandarum navium, quod provincialibus imponebatur. M. Tull Verrin 5 : « Idcirco navem Mamertinis non imperasti, quod sunt fœderati. » Nec solum naves imperabantur, sed et milites et remiges, stipendia et cibaria. Livius lib XXVI : « Edixerunt consules, ut privato ex censu ordinibusque, sicut antea remiges darent cum stipendio cibariaque dierum 30. »

BENCINI.

Num 135, linea 1. — *Vitalianus.* Pleraque hæc gesta ex variis Pauli laciniis sunt consarcinata. Atque hoc quidem de more. Sed quæ Paulus tamen servato rerum ordine scripserat ad pontifices pertinentia, aliis atque aliis pontificibus ab Anastasio fuerunt assuta, ideoque suis locis aptanda sunt, ut historica series decurrat. Itaque post illa verba, num. 136, lin 12 : « In baheo occisus est, » hucusque referenda, quæ leguntur in Vita Adeodati, num. 137, lin 6 : « Hujus temporibus Mezzetius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, infartizavit, et arripuit regnum. Et perrexit exercitus Italiæ per partes Istriæ, alii per partes Campaniæ, nec non alii per partes Sardiniæ et Africæ. Pari modo venerunt per Siciliam in civitatem Syracusæ. Et Deo auxiliante interemptus est nec dicendus Mezzetius. Et multi ex judicibus ejus truncati, perducti sunt Cpolim simul, et caput ejusdem intartæ. Postmodum venientes Saraceni in Siciliam, obtinuerunt prædictam civitatem, et multam occisionem fecerunt in populo, qui in castra, seu montana confugerant. Similiter et prædam nimiam fecerunt, et æs, quod ibidem a civitate Romana delatum fuerat, secum tollentes, Alexandriam reversi sunt. Eodem tempore (hæc desumenda censemus ex codd Reg Maz et Thuan, in notis lin 12, num. 136) missi sunt a Vitaliano papa in Britanniam Theodorus archiepiscopus, et Adrianus abbas, utrique doctissimi, qui plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fecundarunt. E quibus Theodorus archiepiscopus peccantium judicia, quantos scilicet annos pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili, et discreta consideratione descripsit. Non post multum vero temporis jam dictus venerabilis papa vitam finivit. » His jungenda quæ leguntur in eodem Adeodato num. 138, lin 5 : « Post cujus transitum tantæ pluviæ et tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit esse, ut etiam homines, et pecudes de fulgure interirent. Et nisi per litanias, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere. In tantum enim crevere hæc mala, ut ex ipsis pluviis denuo legumina renascerentur, et ad maturitatem devenirent, pro quo capti homines mirabantur, etc. » Sed ut gesta Vitaliani ab ea, qua involvuntur, confusione vendicemus, præstabit, singula in suos annos digerere, et brevi Chronotaxi ejus pontificatum exhibere.

Itaque ann 657, Vitaliani 1, Constantis 17, S. Maximus confessor disputationem habuit Cpli cum ministris imperatoris.

Anno 658, Vitaliani 2, Constantis 18. Post varias Saracenorum in imperium irruptiones : de quibus disseruerat Troilus in laudata disputatione cum S. Maximo, cum Mavias, et Hali de Caliphatu disceptarent, ille ut adversarium opprimeret, pacem cum imp Constante iniit. Quæ fusius prosequitur auctor Miscellæ lib 18. Et Theophanes in Chron ad hunc annum scribit : « Hoc anno Maviæ legatione ad imperatorem suscepta, Arabes seditionibus, et tumultibus jactati cum Romanis pacti sunt, ut nimirum per singulos dies nummos mille, equum, et servum Romanis præderent. Inter hæc magnus terræmotus mense Dasio, indictione 11 per Palæstinam et Syriam exortus, magnis ruinis causam dedit. » Per idem tempus cum fato functus fuisset Cpnus patriarcha Thomas, Joannes illi successit, ex Nicephori testimonio in Chronico. Pariter, ut scribit auctor Miscellæ : « Anno decimo octavo imperii Constantis, Constans occidit Theodosium fratrem suum. »

Anno 659, Vitaliani 3, Constantis 19, Constanti-

Digitized by Google

nus Constantis primogenitus, qui sex ante annos Augustus declaratus fuerat, fratres Heraclium et Tiberium cæsares in societatem adlegit. Pariter Mavias, debellato Heli Caliphatus competitore, solus imperium Saracenorum obtinuit, et regiam atque erarium apud Damascum constituit. Quod narrant Theophanes et auctor Miscellæ, qui lib 19, pag 136 hæc litteris mandavit : « Cum autem essent Arabes apud Saphin, dolo necatus est Hali prædictus, et singulariter imperat Muhavias regio more, Damascum inhabitans, pecuniarum illic thesauros recondens. »

Anno 660, Vitaliani 4, Constantis 20. Anno 661, Vitaliani 5, Constantis 21. Anno 662, Vitaliani 6, Constantis 22. Ann 663, Vitaliani 7, Constantis 23. Quo anno Constans invisus Cpnis factus, in Italiam venit, atque, ut Anastasius ait, indictione VI, temporaria scilicet characteristica nota anni præsentis. Miscellæ auctor pag 137, ejus rei causam sic prodidit: « Post interemptionem fratris sui Theodosii odio habitus est a Byzantinis, et maxime quia Martinum sanctissimum papam ignominiose Cplim duxit et exsilio relegavit penes Chersonis climata, et Maximi sapientissimi confessoris linguam manumque truncavit, et multos orthodoxorum verberibus, et exsiliis et persecutionibus, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescerent, condemnavit. Quin et duos Anastasios qui fuerant discipuli Maximi confessoris linguam tormentis et exsiliis tradidit. Propter talia ergo exosus effectus est. Cum autem valde metueret, voluit in urbem Romam imperium transferre. Unde imperatricem et tres filios suos tollere e Byzantio voluit, nisi Andreas cubicularius, et Theodorus patricius coloniæ hujus prohibuissent consilium. Sane in Sicilia fecit annos sex. » Et Cedrenus in Constante : « Statuit imperium Romam transferre, cum invisus Byzantiis esset ob Monothelitarum hæresim, aliasque pravas de religione sententias. Mittit ergo, qui uxorem et liberos adducerent : sed hanc cum liberis Byzantii detinuerunt. »

Anno 664, Vitaliani 8, Constantis 24. Quæ Anastasius Romæ a Constante hoc tempore gesta narrat, pene ad verbum descripsit ex Paulo Diac lib v. c. 11. Porro hoc eodem anno decessit Joannes, electusque est Cpnus antistes Constantinus Diaconus, referente Nicephoro patriarcha in Chron.

Anno 665, Vitaliani 9, Constantis 25. Indulsit Constans Autocephaliam episcopo Ravennatensi. Ac de eo privilegium exstat in tomo II scriptorum Rerum Italic., pag 146.

Ann 666, Vitaliani 10, Constantis 26, obiit patriarcha Constantinus, atque in ejus vicem electus est Theodorus presbyter Cpnus, syncellus, et vasorum custos, et, eodem Nicephoro teste, Monothelita nequissimus.

Ann 667, Vitaliani 11, Constantis 27. Prodit Theophanes contigisse rebellionem Saboris Armenicæ militiæ ducis adversus Constantem imperatorem.

Ann 668, Vitaliani 12, Constantini Pogonati 1. Namque Constans, dum adhuc in Sicilia degeret, in balneo interemptus est. Qua de re auctor Miscellæ libr XIX, pag 137 : « Anno vigesimo septimo imperii sui Constans occisus est dolo in Sicilia apud Syracusam, in balneo, cui nomen erat Daphne.... cumque prædictum balneum ingressus esset, introivit cum eo quidam Andreas filius Troili, obsecundans illi ; et cum cœpisset sapore gallico deliniri, sumens Andreas situlam, dedit eam in verticem imperatoris, et protinus fugit. Ast imperator cum tardaret in balneo, insiliunt hi, qui foris erant, et reperiunt imperatorem occisum. » Troilus Andreæ homicidæ pater erat, isque memoratur in relatione motionis in S. Maximum. Interim cum Sabores summa tyrannide per Orientem grassaretur, Mezzetius in Sicilia arripuit imperium. De quo audiendus Paulus Diac. ibid c. 12: « Interfecto igitur apud Syracusas Constante imperatore, Mecetius in Sicilia regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem Italiæ militiæ milites alii per Istriam, alii per partes Campaniæ, alii vero a partibus Africæ et Sardiniæ venientes, vehementer in Syracusas irruerunt, eumque vita privaverunt. Multi ex judicibus ejus detruncati, multique Cplim producti sunt : cum quibus pariter et falsi imperatoris caput est deportatum. » Hæc fere descripsit Anastasius, nisi quod hic ex Orientalis militiæ placito, ille sine Orientalis militiæ consensu et voluntate id contigisse, asseverant. Ad hæc quod Anastasius appellat *Intarta*, Paulus *falsum* nuncupat. Pergit autem historicus enarrare Saracenicam irruptionem, ut præsenti, vel ad summum sequenti anno eadem contigisse oporteat. Quod ex Theophane infra dicemus. Eodem anno gesta pontificis Vitaliani prosequitur ad hunc modum Paulus cap 30 : « Igitur exstincto, ut diximus, apud Siciliam Constante Augusto, punitoque, qui ei successerat, Mecentio tyranno, Romanorum regnum Constantinus Constantis Augusti filius suscepit regendum, Romanisque principatus est annis decem et septem. Constantini sane temporibus Theodorus Archiepiscopus : » cum reliquis quæ leguntur in aliis Anastasii codd Mss. Atque id omne ad præsentem annum referendum esse, diserte attestatur Beda l. IV. Hist c. 1 : « Theodorus ordinatur episcopus : ordinatus est a Vitaliano papa anno Dominicæ Incarnationis 668, sub die septima Kalendarum Aprilium : et ita cum Adriano, sexto Kalendas Junias Britanniam missus est. Qui cum pariter per mare ad Massiliam, et deinde per terras Arlas pervenissent, et tradidissent Joanni archiepiscopo civitatis illius scripta commendatitia Vitaliani pontificis, retenti sunt ab eo, quousque Ebroinus Major domus regiæ copiam pergendi quoquo vellent, tribuit eis. »

Anno 669, Vitaliani 13, Constantini 2. Saracenicam irruptionem in Siciliam signarunt ad hunc annum Theophanes, et auctor Miscellæ.

Ann. 670, Vitaliani 14, Constantini 3. Contigisse victoriam Constantini de Saracenis, prodit laudatus Miscellæ auctor.

Ann. 671, Vitaliani 15, Constantini 4. Idem auctor ad hunc annum scribit : « Anno vero 4 Constantini apparuit Iris in cœlo mense Martio, et tremuit omnis caro, ita ut omnes dicerent, quod consummatio est. Eodem anno, stolo magno constructo, negantes Christi, Muhamet scilicet, et Caysus, navigarunt in Siciliam et Lyciam, et facta est mortalitas in Ægypto. » Addit Paulus Diaconus cap. 31 : « In sequenti post tempore mense Augusto a parte Orientali stella cometes apparuit nimiis fulgentibus radiis, quæ post in semetipsam reversa disparuit. Nec mora, gravis pestilentia ab eadem parte Orientis secuta Romanum populum devastavit. Atque hoc anno ultimum obiit diem Vitalianus. » Ab ejus decessu ea scribit Paulus Diac contigisse, quæ post enarratam irruptionem Saracenorum in Siciliam, lib. v, c. 15 subjungit : « Hoc tempore tantæ pluviæ, tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus meminerit hominum, ita ut innumera hominum, et animantium millia fulminibus essent perempta. Eo anno legumina, quæ propter pluvias colligi nequiverant, iterum renata, et ad maturitatem usque perducta sunt. » Hæc in Adeodato perperam attexuit Anastasius, et non ferendo achronismo annorum ad minimum quatuor, contigisse ait *post obitum Adeodati*. Quod si hæc inter Gesta Vitaliani referantur, rerum expeditam nanciscimur seriem, atque omnia suis temporibus, suisque personis aptantur. Eo vel magis, quod Miscellæ eamdem aeris intemperiem narrat evenisse ad initia imperii Constantini.

Linea. 2. — *Hic direxit responsales suos.* Ut pontifex electus fuit Vitalianus more recepto, epistolam ad imperatorem direxit pro licentia ordinationis faciendæ. Synodicæ huic adjungebatur decretum factæ

Digitized by Google

electionis, cum subscriptionibus cleri et optimatum, ut eadem legitima esse dignosceretur. In electione Germani Cpni patriarchæ editi decreti exemplar reservavit Theophanes ad ann. 714, in Chronico pag. 322, quod ita se habet. « Suffragio atque consensu religiosorum presbyterorum, diaconorum, et totius sanctioris cleri, sacrique senatus, et hujusce a Deo custoditæ imperatricis civitatis universi populi Christum amantis : divina gratia quæ intima semper curat, et quæ desunt adimplet, Germanum sanctissimum metropolitam et præsidem Cyzici metropoleos, in episcopum hujus a Deo servatæ Urbis, et reginæ Urbium transfert. Facta est hæc trans coram Michaele sanctissimo presbytero et apocrisiario apostolicæ sedis cæterisque sacerdotibus, et episcopis præsentibus, Arthemio imperante. » Simile formularium in Romanorum pontificum electione usurpari consuevisse, ex hisce gestis Anastasianis facile quisque deprehendet.

Linea 4. — *Renovantes privilegia Ecclesiæ.* Perhonorifica missorum apostolicorum exceptio, et privilegiorum innovatio, quibus apostolica sedes pridem gaudebat, satis innuunt, magnopere a Constante probatum fuisse Vitaliani zelum adversus Monothelitas, quorum vesaniam utique rescriptis suis infregit. Id ex eo colligere possumus, quod defuncto Petro hæretico tres patriarchæ successerunt, Thomas, Joannes, et Constantinus, qui Act. I synodi VII, nullo reclamante, catholici appellantur, ne ipsis quidem apostolicæ sedis legatis quidquam opponentibus. Quapropter, cum post Honorium, distracta ab Occidentali Orientali Ecclesia, Cpli in sacris dyptichis eousque Romanorum pontificum nomina haudquaquam insererentur, vix ad pontificatum evectus est Vitalianus, cum et ecclesiastica hæc consuetudo instaurata est per Orientem, et semel recepta in Vitaliano, perduravit usque ad Georgium Cpnum, Monothelitam episcopum. Hujus autem seditiosis conatibus pro Vitaliani nomine ex ecclesiarum dyptichis eradendo, obstitit Constantinus Pogonatus, qui in epist ad Donum pontificem scripsit. « Multam nobis instantiam fecerunt tum hic sacratissimus patriarcha quam Macarius sanctissimus patriarcha Theopoleos, ut ejiciatur Vitalianus beatissimus e dyptichis... Nam non acquievere ut memorentur patriarchæ qui postmodum fuere in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec compositio, et satisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utrasque sedes... sed ad hoc nos non acquievimus, id est ut ejiciatur idem Vitalianus e dyptichis. » Et prædicti tres patriarchæ dubio procul synodicas ad Vitalianum mittere non detrectarunt. De quo agitur in Act 13 synodi VI : « Georgius diaconus, et chartophilax dixit..... Codicillos, domine, seu regestum, in quo continentur exemplaria synodicorum, quæ facta sunt tum a Thoma, Joanne, et Constantino sanctæ memoriæ, quondam patriarchis hujus regiæ urbis, hic modo præsto est, cum his et authentica synodica bullata, quæ facta sunt a Thoma sanctæ memoriæ quondam patriarcha ad Vitalianum sanctæ memoriæ quondam papam Romanum, quam etiam volens ad eum dirigere propter impiorum Saracenorum incursionem, assidue imminentem, ut nostis, quæ facta est per biennium, quo gessit pontificatum, non valuit dirigere. Et hæc ergo statim vobis jubentibus profero. » Imo Anastasius agens de synodo VI in Agathone, sic loquitur : « Deinde abstulerunt de dyptichis ecclesiarum nomina patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant, auferentes, id est Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit. » Itaque relicta in dyptichis sunt nomina Thomæ, Joannis, et Constantini patriarcharum, quos fuisse catholicos sensit concilium VI. Atque adeo nil mirum ; si apocrisiarios apostolicos perhumaniter exceperit non plane orthodoxus imperator, ipsum Vitaliani non sine socordiæ vitio omittit Anastasius, ex quibus zelus pontificis pro fide tuenda mirum in modum elucet. Erat Cpli patriarcha, et immanis hæreseos auctor Petrus, qui triplicis operationis in Christo commentum defendebat. Zelum Eugenii pontificis expertus jam fuerat, eique adjunctam constantiam Occidentalium, impietatem eamdem condemnantium ; quam ille ut tueretur, falsatis sanctorum Patrum testimoniis, ad Vitalianum pontificem epistolam dederat, fraudis plenam, et implexæ fucatæque disputationis. De quo Patres synodi VI act 13 : « Item lecta est ex altero regesto epistola Petri, et ipsius quondam præsulis regiæ civitatis ad Vitalianum sanctæ memoriæ, qui fuit papa Romanus : cujus est initium : spiritualem nobis lætitiam peperit epistola vestræ unanimitatis, et sanctæ fraternitatis. » Scripserat, opinor, Vitalianus salutaria monita, quibus Petrum a concepta impietate removeret. Sed contumax hæresiarcha quod mente semel imbuerat, pertinacius defendere instituit in memorata ad Vitalianum epistola. Namque addunt Acta : « Dumque legeretur eadem epistola habens diversa Patrum testimonia, hi qui locum gerebant Agathonis sanctissimi papæ Romani, dixerunt : Innotescimus vestræ gloriæ, quod paterna testimonia quæ continentur in præsenti, quæ nunc legitur, Petri epistola, circumcisa, et deflorata sunt ab eodem Petro, ex eo quod ostendere voluisset suam super unam voluntatem, et unam operationem (substantialem videlicet) intentionem. » Simul ac igitur Romam allata est Petri epistola, publice, et in cœtu lecta est, discussa, et fraudis convicta. Quamobrem legati horum omnium probe conscii, properarunt Cplim cum sufficientibus, atque idoneis commonitoriis ad detegendas patriarchæ machinationes. Id fassi sunt in plena synodo judices, et dixerunt : « Comperimus diligenter juxta quæ a vestra reverentia dicta sunt, quod talia testimonia, quæ continentur in præsenti epistola, detruncata posita sunt ; et si placet vestro sancto et universali concilio, in amplius ejusmodi epistolæ lectio non procedat. » Quemadmodum vero imperator alioquin Monothelita responsales pontificios benigne atque honorifice dimiserit, unum fore in causa fuit, quod metueret Italicam militiam, quam pontifici addictissimam noverat.

Linea 8. — *Constantinus.* Legendum, Constans qui Romam ob eas simultates venerat, quæ ipsam inter et Byzantios intercessisse, notum est. Quoniam vero ipse hæresi addictus erat, infensissimi e contra Romæ et Italiæ proceres, ferocienti animo princeps Italos plerosque incommodis gravaminibus divexavit. Vitalianus interim nec principi rebellis, neque in fide tuenda desidiosus, invicto animo pertulit vexationes. Quin etiam auctor fuit Italiæ militiæ, ut tyrannos comprimerent, qui post necem Constantis, subinde per imperium grassati sunt. Qua de re non obscure loquitur ejus filius Constantinus in epist ad Donum pontificem, ubi ait se defensionem Vitaliani suscepisse adversus Georgii Cpni conatus, et Macarii Antiocheni pertinaciam : « Hoc autem et propter allatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dum superesset, in monitione *tyrannorum.* » Dignus proinde pontifex, qui eo elogio mactetur, quod nempe ecclesiasticam regulam difficillimis temporibus accurate servarit

BINII ET LABBEI.

Num 135, linea 1. — *Signiensis.* Sic dictus a Signia civitate apud Hernicos, longe ab Urbe tricesimo lapide, via Lavicana sita.

Linea 2. — *Menses sex.* Menses quinque minus quatuor diebus post annos 13. Sed esse patet ex initio et fine suscepti pontificatus.

Linea 6. — *Evangelia aurea.* Imperator callidus

Digitized by Google

hæc dona obtulit Ecclesiæ, ut se catholicum fingeret. Vide Baron 655, num p. et seqq.

Num 136, linea 12. et 13. — *In balneo occisus est.* Anno imperii sui et 27 Christi nati 668. *Vide Theop, Cedren et Baron, ann* 668, n. 1 et 2.

Lin. 13 et 14. — *Vitam finivit.* Anno Christi 669, qui est Constantini Pogonati imperatoris annus 2. In Græcorum Sarea diptycha relatum Theodorus Constantinopolitanus episcopus Monothelita inscio imperatore expunxit, ut constat ex epistola Constantini ad Donum papam.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

S. Eugenii pontificatu recte constituto, ejusque fine cum viris doctissimis Panvino, Papebrochio, et Pagio ad annum 657 perducto, non est difficile Vitaliani principium invenire. Etenim cum post mortem Eugenii sedem vacasse mensem unum dies duodetriginta codices, catalogi, auctores passim affirment, a die mortis, seu depositionis Eugenii 2 Junii 657, mense 1, d. 28 enumeratis, 30 Julii ejusdem anni fit obvia, quam ordinationi Vitaliani tribuendam esse indicat lit Dom A. ejusdem anni: quanquam Luitprandus de sedis vacatione non loquens, et Vitaliani mortem illigans cum die 6 Febr hebdomade serius die scilicet 6 Aug ordinationem collocandam suadeat, cujus opinionem, quia singularem, rejicimus. Bollandus ad *d.* 27 *Januar*, *n.* 7, hanc Luitprandi opinionem affert; ipse tamen cum Martyrologiis *nec plurimis, nec antiquissimis*, ut ait, die 27 Jan Vitalianum memorantibus, eodem die stabiliendam esse ejus mortem ostendit *n.* 1. Itaque Vitaliani principio, et exitu cognitis, cætera per se patent; nam communis codd. catalogor. necnon AA. apud Pag, an. 669, *n.* 2, consensio, definit ejus sedem ann 14, mensium 6 (bidui scilicet, aut tridui discrimine) non enim menses integri, at duobus tribusve diebus mutili efferri debebant, id tamen negligunt utentes rotundo numero, ut planum est sedis tempus enumeranti a die 30 Jul 657, quippe cui, 30 Januar 672 occurrit. Præterea rotundo numero uti catalogos et codd neglecto eo discrimine satis liquet ex die ordinationis Vitaliani aut retrahenda ad S. Martini tempora, aut differenda ad ann 660, ut Dominicæ conveniat, si sex menses completi numerentur. Si meam et mihi sententiam ferre liceat, irrepsisse errorem puto ex die emortuali Vitaliani consignata ut Kal pro iu Kal Febr in Martyrologia et codd ob facilem mutationem iu in ui, quod alibi adnotavi: at de his, dicam in notis ad Adeodatum. Quid sibi velit Papebroc in conatu per ea verba: *Passim catalogi præter annos* XIV, *menses* VI, *nullos dies numerant, qui ad finem Januar mortem Vitaliani differrent*, non intelligo, si enim tridui spatium superfluit, quid numerandi erant plures dies? multo minus conjecturam assequor, bipartito legendum num 6, ita ut 5 mensibus, 1 diebus tribuatur: qui enim septem et viginti dies a die mortis, ad depositionem intercurrunt, conjecturam penitus diruere mihi videntur. Præterea catalogus Bergomas qui pro mensibus sex, totidem dies exhibet, Vitaliani sedem anno anno minuit, mensiumque hiatum habet, nempe a. 13, m....., d. 6, ac proinde aliis omnibus consentientibus præferri non debet. Cæterum Vitaliani mortem cum anno 672 illigari oportere tum recte Onuphrius in Chron Pont tum chronologi diligentiores observant; quorum ego auctoritatem non est cur negligam.

CIACONII.

Num 135, linea 1. — *Vitalianus.* Natione Italus, natus in Suertia, castro Aprutii, filius Anastasii Pontratii, undecimus papa regnicola, imperatoribus Flaviis Heraclio Constante, et Constantino Augustis, sedit in pontificatu annos 14, menses 5, dies 29. Hic ubi pontifex ordinatus est, statim misit legatos suos Constantinopolim ad imperatorem significans ordinationem suam, qui renovantes privilegia Ecclesiæ Romanæ, in Urbem cum donis reversi sunt misso ab imperatore ad S. Petrum codice Evangeliorum aureis litteris scripto, et pretiosis gemmis ornato.

Linea 7. — *Regulam ecclesiasticam.* Vitalianus cultui divino intentus et regulam ecclesiasticam composuit, et cantum ordinavit, adhibitis ad consonantiam, ut quidam volunt, organis.

MAFEI.

Num. 135, linea 8. — *Hujus temporibus venit Constantinus Augustus.* Causam, ob quam Constantinopoli in Italiam Constans advenit, assignat Cedrenus ad annum ejus imperii 18. « Statuit, inquit, imperium Romam transferre, cum invisus Byzantiis esset ob Monothelitarum hæresim, aliasque pravas de religione sententias. » Præter hanc causam, aliam quoque adducit idem Cedrenus: decrevisse scilicet in Italiam concedere, ut sedem mutando ab importuna Theodosii fratris umbra se subduceret, quæ habitu diaconi ante oculos ejus per quietem obversabatur, specieque poculum sanguine plenum porrigentis dicebat: *Bibe, frater.* Fratrem enim Theodosium interfecerat, quem ex invidia diaconum consecrari a Paulo hæretico patriarcha jam curaverat, eoque propinante Christi sanguinem biberat. Ulterius Zonaras Byzantium dicit Constantem reliquisse ob odium a civibus in eum conceptum, cum a fratris cæde, tum a sacrilege patratis in S. Martinum papam, et abbatem Maximum, contra monothelismum athletas catholicæ veritatis fortissimos.

PAGII.

Num. 135, linea 2. — *Hic direxit responsales suos*, etc. Vitalianus statim post suam ordinationem *direxit responsales suos*, seu apocrisiarios, *cum synodica juxta consuetudinem in regiam urbem ad piissimos principes*, nempe Constantem et Constantinum ejus filium, jam ab anno 654 Augustum a patre renuntiatum, *significans de ordinatione sua*, inquit Anastasius. Cum litteris ad utrumque imperatorem attulerunt apocrisiarii Vitaliani epistolam hortatoriam, quam is dedit ad Petrum episcopum Constantinopolitanum, quæ quidem non exstat, sed cujus mentio est in Petri responso ad Vitalianum, quod recitatum est in decima tertia actione sextæ synodi generalis, ex qua constat Petrum Patrum testimonia haud fideliter, sed mutatis verbis suæ epistolæ annexuisse, quia ostendere volebat suam super unam voluntatem et operationem intentionem: quæ fraus in eadem actione detecta est, tum a Græcis tum a Latinis.

Vitalianus itaque ad utrumque imperatorem, non vero ad Petrum synodicam suam direxit, tum quod imperatores ex importuna suggestione impiorum patriarcharum in catholicos, potius quam ex obstinata perfidia in fidem catholicam, visi essent egisse quæcunque in S. Martinum, aliosque orthodoxos fuerant exsecuti: tum quod saltem in hanc partem benigne traherentur a Vitaliano in utilitatem Ecclesiæ. Quo pariter consilio in synodo Lateranensi Martinus ipse, Patresque alii eumdem Constantem, licet fidei hostem infensissimum, honorantes, in patriarchas invecti sunt, non vero in Heraclium aut Constantem, licet ille hæresis monothelicæ ex auctoribus unus fuerit, alter vero propugnator acerrimus. Præterea, ut mox dicetur, Constans munera ad Vitalianum misit, quæ pontifex ex officio accipere debuit, ne eum in Ecclesiam animaret. Si enim usque adeo humaniter in Constantem egerunt Martinus et Eugenius, dum ille furens in fidem bacchabatur, inquit auctor anonymus Historiæ Monotheliarum scrutinio 3, cur adeo rigide se gerere debuisset Vitalianus, imperatoris munera contemnendo; cum aliqua jam pœnitentiæ crepuscula, adeo fidei salubria, in Constante elucescerent? Res qui-

Digitized by Google

dem admirabilis hæc fuit, sed omnino vera. Continuere se Martinus, Eugenius et Vitalianus a damnatione Constantis, licet hic in Ecclesiam quæcunque pessima fuisset aggressus. Quænam enim adeo scelesta et sacrilega possunt excogitari cum iis conferenda, quæ Constans operatus est in fidem, et in ejus suprema capita, Romanos, inquam, pontifices? Et tamen non solum ab infligendo anathemate se continuerunt Martinus, Eugenius, et Vitalianus; verum etiam illum laudantes, omne genus urbanitatis exercuerunt, ut ejusdem animum demererentur, et ad bonam frugem reducerent. Quam etiam ob causam cum Romam Constans venit, quælibet benignitatis argumenta a Vitaliano suscepit, ut num. post sequentem videbimus.

Missi seu apocrisiarii Vitaliani papæ Constantinopoli reversi sunt Romam cum muneribus a Constante imperatore ad sanctum Petrum missis, scilicet Evangeliorum codice aureis litteris scripto, et pretiosis gemmis ornato, ut testatur Anastasius his verbis: « Per eosdem missos direxit Constans imperator B. Petro et Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis ornata in circuitu, » quod munus, ut mox dictum est, respuere non debuit Vitalianus, ne eum in Ecclesiam magis animaret. Nam quod ait Baronius Constantem hæresim abjurasse statim post initium a Vitaliano pontificatum, qui alioquin missam *per responsalem non accepisset oblationem*, nullo testimonio nititur; nulla enim apud Anastasium, nec quemquam ex veteribus de illa hæreseos per Constantem abjuratione, mentio.

Linea 7. — *Hic regulam ecclesiasticam*, etc. Mortuo anno 664 Deusdedit archiepiscopo Dorovernensi seu Cantuariensi, Egbertus Cantii, et Oswius Northumbriæ reges Romam miserunt Wigardum presbyterum, ut in locum Deusdedit ordinaretur: « Qui ubi Romam pervenit, inquit Beda lib. IV, cap. 1 Hist. Eccles., cui sedi apostolicæ tempore illo Vitalianus præerat, postquam itineris sui causam præfato papæ apostolico patefecit, non multo post et ipse, et omnes pene, qui cum eo advenerant socii, pestilentia superveniente, deleti sunt. » Quare Vitalianus papa noluit, inconsultis regibus, alium tam cito substituere, ideoque scripsit ad Oswium Northumbriæ regem, et tam Wigardi mortem, quam rei difficultatem aperuit in successore deligendo. Vitaliani papæ litteras recitat Beda lib. III, cap. 29, in quibus inter alia refert misisse se conjugi ejus Eanfledæ, suæ spirituali filiæ, per illius legatos « crucem clavem aureum habentem de sacratissimis vinculis beatissimorum apostolorum Petri et Pauli. » Regi Oswio per eosdem legatos misit Vitalianus, « reliquias eorumdem apostolorum, et sanctorum martyrum Laurentii, Joannis et Pauli, et Gregorii atque Pancratii. » Iisdem litteris gratulatus est ipsi fidem, eumque ad curandam in insula Paschatis celebrationem legitimo tempore, secundum apostolicam traditionem hortatus est. Verum hanc legationem et Wigardi mortem Wigorniensis in annum 667 confert vel confirmat ordinatio Theodori.

Nam Vitalianus quæsivit, quem in Angliam mitteret idoneum, ad munus subeundum, episcopum, et nactus est Theodorum monachum Græcum Tarsensem, probum moribus, ætate venerandum, sæculari et divina litteratura Græce et Latine instructum, quem anno 668 archiepiscopum Anglis ordinavit, teste Beda, lib. IV, c. 1: « Ordinatus est, inquit, a Vitaliano papa anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo octavo, sub die septima Kalendarum Aprilium, Dominica. Et ita una cum Adriano (monacho) sexto Kalendas Junias Britanniam missus est. » Sed Arelate subsistit, quo usque Ebronius Major domus Clotarii III Neustriæ et Burgundiæ regis, copiam pergendi quoquo vellet, ei tribuit, ut inquit ibidem Beda.

Theodorus Cantuariensis archiepiscopus ordinatus, dum adhuc in Galliis esset, ageretque cum Agilberto A Parisiorum episcopo, didicit ab eo inter alia, Gregorium Magnum Augustino Cantuariensium primo antistiti plurima indulsisse pontificiæ auctoritatis privilegia, quibus illi, in omnes Britanniæ ecclesias jurisdictio concessa est: quam, quia recens ubique erat Ecclesia, exercere haudquaquam potuit. Scripsit inde Romam Theodorus, priusquam in Angliam pergeret, et Vitalianum papam humiliter rogavit, ea omnia sibi concedi, quæ et totius insulæ, et Anglo-Saxonum præsertim ecclesiæ bona essent. Rescripsit Vitalianus papa, eique petita concessit, ut legere est in litteris quas Malmesburiensis lib. I de Pontif. recitat; desunt enim in editionibus conciliorum. Illo apostolicæ sedis privilegio munitus Theodorus, suam auctoritatem in omnes Anglo-Saxonum Ecclesias explicavit, ut videre est in scriptoribus rerum Anglicarum.

Eodem anno 667 Joannes episcopus Lappæ in Creta, injustitiam passus a Paulo archiepiscopo B Cretensi metropolitano, a quo in synodo provinciæ depositus fuerat, Romanum pontificem appellavit, menseque Decembri Romam venit, et causa cognita in sedem a Vitaliano restitutus est, qui etiam Paulum metropolitanum increpuit ob violatos canones, et quod episcopo Romam appellanti, facultatem illuc se conferendi non dedisset. Quæ constant ex quatuor ejusdem papæ epistolis hac de re scriptis.

Hieronymus Rubeus lib. IV Historiæ Ravennatensis prodit ex ecclesiæ illius monumentis, a Vitaliano papa excommunicatum fuisse Maurum tunc episcopum Ravennatem; quod ab ipso Romam vocatus, causam dicturus, adesse contempserit. Qui quidem exarchi fretus potentia et amicitia, eo vesaniæ progressus est, ut in Vitalianum eamdem anathematis sententiam reciprocaret. Eo vero portentoso facinore perculsi omnes Italiæ episcopi, una cum Vitaliano coeuntes eumdem Maurum ut indignum penitus sacerdotio exuerunt. At ille in furore suo persistens, C etiam in ipso sui transitu contestatus est omnes Ravennatis Ecclesiæ clericos, ne unquam subjicerent se Romano pontifici: qua de re ab omni prorsus ecclesiastica communione, suffragiis scilicet pro defunctis exhiberi solitis, et commemoratione e sacris diptychis interdictus est a successore Vitaliani Adeodato. *De Reparato Mauri successore vide dicenda in Dono papa.*

Linea 8. — *Hujus temporibus*, etc. Quemadmodum itaque S. Martinus papa in concilio Lateranensi, ut jam diximus, œconomia erga Constantem usus est; ita et Vitalianus quando Constans Romam venit. Inde enim imperatore, saltem apparenter catholico, et urbane agente cum catholicis, facilis fuit Ecclesiarum pax, et fidei tranquillitas, et Constantinus Pogonatus Constantis filius, et plane catholicus, optime affectus Vitaliano papæ, sextam synodum generalem procuravit.

Per duodecim dies Romæ mansit Constans, sed licet nullam religionis causam prætexeret, imo amice D agere videretur cum Vitaliano papa pretiosa quæque, tum in Urbe, tum locis aliis in Italia expilavit, nec satis ædibus, eorumque sacris vasis ac cimeliis parcens, ut in eodem Vitaliano subjungit Anastasius: Mansit Constans in Sicilia usque ad annum 668, quo post diem 16 mensis Septembris iniquitatum suarum pœnas luit; eo enim anno interfectus est.

SOMMIER.

Num. 135, linea 2. — *Hic direxit responsales suos cum synodica.* S. Vitalianus exemplo prædecessorum suorum SS. Martini, et Eugenii magnam et ipse curam impendit rebus imp. Constantis. Hic enim tametsi apertus fautor monothelismi, anathemate a S. sede adversus ejus sectæ homines pronuntiato involveretur; tamen Vitalianus statim atque ad pontificatum ascendit, synodicam juxta consuetudinem legatos ad eum tradidit; quod minime gessit cum patriarcha Petro, cui tanquam hæretico hor-

Digitized by Google

toriam duntaxat epistolam scripsit, ut ad conversionem eum perduceret. Præterea multo etiam honore eumdem imperatorem Romæ excepit, ei occurrens cum clero; dona ab eo facta basilicis cum grati animi significatione accipiens; nihilque eorum omittens, quæ ad communem catholicorum spem implendam eum adducerent, nempe ad ipsorum partes revocarent. Id enim vero certum erat omnibus, quod imperatores non ad errorem proclivitas, sed patriarcharum Cpoleos impulsus atque instigatio, palam et aperte hostes fieri orthodoxæ fidei evicerant. Hac præsertim ex indulgentia S. sedis erga imperatores, cum temporis correctio incommodis incrementum attulisset, amor ille ingens originem duxit, quo Constantinus Pogonatus Constantis filius et successor apostolicam sedem prosecutus est, ut videlicet.

Linea 7. — *Hic regulam ecclesiasticam, atque vigorem, ut mos erat, omnimodo conservavit.* Dum S. pontifex appellantibus ad S. sedem sua jura tribuebat, Joannis Lappensis in Creta episcopi querelas audiit, qui ad S. sedem appellaverat a sententia Pauli archiepiscopi et suffraganeorum ejus insulæ. Cognitio, et judicium archiepiscopi ab Ecclesiæ regulis aberrare comperta sunt; namque, ut ait pontifex (*epist. 1 ad Paul. Cret.*), « Sub custodia missus est idem Joannes antistes... insuper et hortabatur contra canonum jussa, ut daret fidejussorem. Deinde oportebat suam fraternitatem secundum canonum vigorem tempore quo se petiit ad nos venire, eum absolvere tuis litteris : quem non solum noluisti canonice absolvere ad Principis apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens : Quia non competenter quæris. »

Quare archiepiscopum acerbe arguens, episcopum appellantem, quod suam comprobavit innocentiam absolvit, et Pauli sententia per decretum apostolicum abrogata, suam in sedem restituit; quæ omnia, ex laudata epistola aperte constant : « Quæ ergo, inquit, sancti sanxerunt Patres, indecentia sunt? An placentia tibi decentia sunt? Igitur præfatum Joannem antistitem æque inculpabilem reperientes... statuimus atque firmamus per hujus nostræ perceptionis auctoritatem, omnia quæ a te tuaque synodo contra canonum instituta, contraque legum decreta gesta, confectaque sunt, vel sententiam promulgatam adversus eum, inania, et vacua esse : sed quidquid claruerit, eum damnificatum, ejusdemque Ecclesiam a quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conservans eum absque damno... ut sicut ceteri tuæ dilectionis episcopi, et is suæ Ecclesiæ utilitates cum Dei peragere timore, » etc.

Cujus rei participes faciens Vaanum imperatoris administrum in eadem insula Cretæ, et Georgium Syracusanum in Sicilia metropolitam, eos hortatur ut ad Joannem episcopum in suam sedem restituendum suam operam conferant.

Northumbriæ in Anglia regis Oswii, qui ab apostolica sede definiri petierat, quo die sanctum pascha in id regnum una cum fide revocatum celebrari oporteret, Vitalianus primo commendat *zelum, quo ardebat, conversionis subditorum;* deinde ad rem veniens : « Oportet, inquit, vestram celsitudinem, utpote membrum existens Christi, in omnibus piam regulam sequi perenniter Principis apostolorum, sive in pascha celebrando, sive in omnibus, quæ tradiderunt sancti apostoli Petrus et Paulus, quia ut duo luminaria cœli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat credentium. » (*Ep. 5 ad Osw.*)

Postea vero gliscente in eodem regno hujusmodi controversia, ecclesiasticorum conventum fieri oportere coram rege, in quo suæ quisque consuetudinis rationes afferret, deliberatum. Itaque iis congregatis, hinc auctoritas D. Petri est asserta, qui Pascha celebrandum decrevit die Dominico (Christus enim uno ex his diebus resurrexit) post quartam decimam lunam Martii primum occurrente : inde vero vindicata est traditio quædam, partim profecta ab apostolo Joanne, qui pascha semper celebrabat luna quarta decima, partim a nonnullis Asiaticis, qui illud celebrabant die Dominico, tametsi cum quarta decima luna concurreret, contra consuetudinem Romanorum, qui ne pascha celebrent cum Judæis ubi Dominica cum quarta decima luna concurrit, ad sequentem transferunt. Quæ post Romanæ vindex consuetudinis, ita adversarium alloquitur : « Illos Dei famulos, et Deo dilectos non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum dilexerunt : neque illis multum obesse paschæ talem non observantiam, quandiu nullus advenerat, qui eis instituti perfectioris decreta, quæ sequerentur ostenderet. Quos utique credo, si qui tunc ad eos catholicus calculator adveniret, sic ejus monita fuisse secuturos, quo modo ea, quæ noverant, ac didicerant Dei mandata probantur fuisse secuti. Tu autem et socii tui, si audita decreta sedis apostolicæ, imo universalis Ecclesiæ, et hæc litteris sacris confirmata sequi contemnitis, absque ulla dubietate pereatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt, nunquid universali, quæ per orbem Christi est, Ecclesiæ, horum est paucitas una de angulo extremæ insulæ præferenda? Et si sanctus erat, ac potens virtutibus ille Columba vester, imo et noster, si Christi erat, num præferri potuit beatissimo apostolorum Principi, cui Dominus ait : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum?* » (*Synod. Pharens.*, ap. Bed. *Hist. Ang.* lib. III, cap. 25.)

Hæc audiens rex Oswius, qui, ut dixi, aderat, ad Romanum adversarium conversus : « Verene, inquit, Colmanne, hæc illi Petro dicta sunt a Domino? Qui ait : Vere rex. At ille : Habetis, inquit, vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbæ datum? At ille ait : Nihil. Rursus autem rex : Si utrique vestrum, inquit, in hoc sine ulla controversia consentiunt, quod hæc principaliter Petro dicta et ei claves regni cœlorum sunt datæ a Domino? Responderunt : Etiam utrique. At ille ita conclusit : Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius iste, cui ego contradicere nolo, sed in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne forte me adveniente ad fores regni cœlorum, non sit qui reseret, averso illo qui claves tenere probatur. Hæc dicente rege faverunt assidentes quique sive astantes majores cum mediocribus; et abdicata minus perfecta institutione, ad ea quæ meliora cognoverant, sese transferre festinabant. » (*Ibid.*)

Quamobrem Isaiæ prophetiam, quæ in laudata Vitaliani ad Oswium epistola legitur, huc afferre lubet, quam B. Petro, ejusque successoribus tanquam Christo subordinatis, cujus vicarii sunt, puto ascribi posse. *Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi : et dedi te in lucem gentium, et in fœdus populi, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum de domo carceris sedentem in tenebris* (*Isa.* XLII). « Ecce, prosequitur pontifex, excellentissime fili, quam luce clarius est non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetarum gentibus, quod sint creditura in Christo omnium conditore. » (*Ep.* 5.)

Digitized by Google

LXXIX. SANCTUS ADEODATUS.

ANNO CHRISTI 669, CONSTANT. POGONATI 2.

137 Adeodatus, natione Romanus, ex monachis, de patre Jobiniano [a], sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque [b]. Tantæ magnitudinis [c] fuit mitissimus, ac benignissimus, ut omnem hominem a majori usque ad minimum libenter susciperet, peregrinis compassionem exhibuit [d], ut etiam unusquisque quod postulavit, sine dubio impetravit [e]. Sed et rogam omnibus ampliavit. Hujus temporibus Mezzetius [f], qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit [g], et arripuit regnum. Et [h] perrexit exercitus Italiæ per partes Istriæ, alii per partes Campaniæ, nec non et alii per partes Sardiniæ, et Africæ. Pari modo venerunt per [i] Siciliam in civitatem Syracus. et Deo auxiliante interemptus est, nec dicendus Mezzetius [j]. Et multi ex judicibus ejus truncati, perducti sunt Constantinopolim simul et caput ejusdem Intartæ. Postmodum venientes Saraceni in Siciliam, obtinuerunt prædictam civitatem, et multam occisionem fecerunt in populo [k], qui in castra seu montana confugerant. Similiter et prædam nimiam fecerunt, et æs quod ibidem a civitate Romana delatum fuerat, secum tollentes, Alexandriam reversi sunt.

138 Hic ecclesiam beati Petri, quæ est via Portuensi juxta campum Meruli, ut decuit, restauravit, atque dedicavit. Sed et in monasterio sancti Erasmi situm in Cœlio monte, in quo concrevisse [l] visus est prædictus sanctissimus vir, multa nova ædificia augmentavit, sed et casalia conquisivit [m], et in vita sua abbatem, vel congregationem ibidem instituit. Post cujus transitum tantæ pluviæ, et tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit esse, ut etiam homines, et pecudes de fulgure interirent. Et nisi per litanias, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere. In tantum enim crevere hæc mala, ut ex ipsis pluviis denuo legumina renascerentur, et ad maturitatem devenirent, pro quo capti homines mirabantur. Fecit autem ordinationem unam per mensem Decembris, presbyteros XIV, diaconos duos, episcopos per diversa loca quadraginta sex [n]. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die VI Kalendas Julias, et cessavit episcopatus menses quatuor, dies quindecim [o].

A tempore ordinationis sancti Gregorii papæ usque huc, sunt anni nonaginta quinque, menses quinque, dies quatuordecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B.*, Joviniano. [b] *B.*, 7, m. 2, d. 17. [c] *B.*, in tanta magnit. [d] exhiberet. [e] impetraret. [f] *B.*, Mezentius. [g] *B.*, tyrannizavit. [h] Tunc. [i] in. [j] *Vid Baron, ad ann Domini* 668) [k] in populo vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra confugerant, et juga montium. Auferentes quoque prædam nimiam, et omnem illum ornatum æris, ac diversarum specierum, quem Constantinus a Roma navigio detulerat, secum asportantes. [l] *B.*, convenisse. [m] et multa ibi prædia conquisivit. [n] *B.*, 43. [o] *B.*, sex.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano.

Num. 137, *linea* 1, de patre Jobiano.

Num. 138, *lin* 1, ecclesiam beati Petri, qui est via Portuense juxta ponte Meruli. *lin* 5, et tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memoratur, ut etiam homines, et peculia de fulgore interirent.

Ex codice Vallicellano.

Num. 137, *linea* 1, Jobiano. *lin* 2, quinque. Hic fuit A mitissimus atque benignissimus tanta magnitudine ut omnem hom. a majore usque ad minorem. *lin.* 4, 5 *habet ut Reg., Maz. et Thuan, excepta voce* quod, *cujus loco legitur* qui. *lin.* 6, hujus tempore Missessus, etc., *ut laudati codd. cum quibus concordat etiam lin.* 9. *Si hæc excipias;* Deo auxiliante interemptus nec dicendus Missessus et multi ex judicibus. *lin* 11 *et* 13, *ut laudati codd. lin.* 14, a Roma navigio illuc detulerat, secum asportantes Alex. rev. sunt.

Num. 138. *Lin* 1, 2, 3 *et* 9, *concordat cum codd. Reg., Maz. et Thuan., lin* 5 *et* 6, atque ton. f. quales B nunquam fuerunt a tempore diluvii, ut etiam homines

Digitized by Google

et peculia de fulgure interirent. *lin* 10, pro quo omnes etiam mirabantur.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 137, *lin* 1, *B*, Jobiniano, *A*, Jovinianus, *B* Jobiano.

Num 138, *lin* 4, abbatem, *A* abbatiam, vel.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 137, *lin* 1, Jobiniano. *lin* 2, quinque. *lin* 3 Hic fuit mitissimus atque benignissimus. *ibid.*, a majore usque ad minorem [*M*, a minore usque ad majorem]. *lin* 4, exhiberet, ut etiam unusquisque quod postularet ab eo sine dubio impetraret. *lin* 6. Hujus tempore Mezetius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, arripuit regnum, tunc perrexit exercitus Italiæ. *lin* 9. *A*. Et pari modo venerunt in Siciliam in civitatem Syracus. et D. a. Interemptus est, nec dic Mezetius, et multi ex ducibus [*M*, judicibus]. *lin* 11. Ejusdem. Postmodum venientes Sarac. *lin* 13. In pop f. vix pauci, etc., ut in ora. *lin* 14. In ora navigio illuc detul asp Alex rev sunt.

Num 138, *lin* 1, eo tempore Adeodatus papa ecclesiam beati Petri, quæ est in via Portuense juxta pontem Meruli. *lin* 2, sed et monasterium S. Her. *lin* 3, sanctiss vir. pr multis novis ædificiis augmentavit, et multa ibi prædia conquisivit, abbatem, et congregationem ibi constituit. Post. *lin* 5 et 6, atque ton. f. quales nunquam fuere a tempore diluvii, ut homines, et peculia de fulgore int. (*in R cod emendatum*, de fulgure). *lin* 7, *Maz*, cottidie, *R*. quot. *lin* 9, rec in tantum ut per ipsas pluvias denuo leg r. *lin* 10, pro quo omnes mirabantur. *lin* 12, qui sepultus est. *lin* 13, Julii.

Ex codice Thuano altero.

Num 137, *lin* 1, ex patre Jobiano. *lin* 4, tantam comp. *lin* 13, confugium fecerant, et prædam nimiam, vel ærea, quæ ibidem a civitate Rom navigata fuerant secum abstollentes, *A*.

Num 138, *lin* 1, pontem Meruli. *lin* 6, qualis nulla ætas hominum, ut etiam h. et peculia de fulgore i. *lin* 9, in tantum ut ex ipsa pluvia denuo l. r. e. a. m. d. pro quo capit etiam homines mirarentur.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 137, *lin* 13, in pop fec. *lin* 14, fec vel es de ibidem a c. r. navigatum f. s. abstollentes.

Num 138, *lin* 2, monasterium S Her sito. *lin* 7, peculia. *lin* 8, propit ut potuissent. *lin* 9, in tantum ut ex ipsis pluviis. *lin* 10, devenerunt pro quo capitulo etiam hom mirarentur.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 137, linea 9. — *Et Deo auxiliante interemptus est nec dicendus Mezentius.* Mezentius nec dicendus, nec nominandus, quia per tyrannidem arripuit regnum in Sicilia. Idem de Macario Antiocheno patriarcha, qui depositus est ob hæresim in synodo VI, in Trull. Anastas. in Agathone : « Cumque post hæc adhortatus est nec dicendus Macarius a sancta synodo. » De Saracenis idem Anast. in Joanne V : « Pacem constituit cum nec dicenda gente Saracenorum. » Idem in Gregorio II : « Illis interea diebus Constantinopolis biennium, est a nec dicendis Agarenis obsessa. » De Philippico hæretico idem eodem loco : « A Philippico nec dicendo. » Idem in Stephan. III : « Juxta quod a præfato nec dicendo. Alstulpho tyranno fuerat directus. » Idem in Leone III : « Obviam illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis primicerius occurrit. »

Num. 138, linea 4. — *Sed et casalia conquisivit.* Casalia sunt prædia suburbana. VV. Tyrius de Bell. sacr. lib. IV, cap. 19 : « Recesserunt etiam a nobis per illos dies, nostri domestici, et suburbanorum nostrorum, quæ casalia dicuntur habitatores. » Jacobe Vitriaco Occidental. histor. lib. II, cap. 2 : « Non solum civitates et oppida, sed etiam casalia repleverant. » Anastas. ipse in Adriano : « Civitatem Ravennantium et casales ac omnia prædia Ravennatia, et alios plures fundos, seu casales et massas. » Et infr. : « Cum fundis et casalibus. » Idem in Paschali : « Hospitale cum fundis et casalibus atque massis. »

Linea 7. — *Per letanias quæ quotidie fiebant.* Letaniæ indictæ pluviæ arcendæ gratia, quandoque indictæ inundationis causa. Anastas. in Gregor. II : « Per dies autem septem aqua Romam tenebat pervasam. A dómno itaque papa letaniæ crebro fiebant. » Alias pro gratiarum actione pacis. Anastas. in Zachar. : « Et sic regressus est, Deo propitio, cum victoriæ palma in hanc urbem Romam, qui et omnem populum aggregans, eos est allocutus, ut ad persolvendas omnipotenti Deo gratiarum actiones, ab ecclesia Dei genitricis, quæ vocatur ad Martyres, egressi omnes cum letania generaliter properarent ad beatum Principem apostolorum ; et ita factum est. » Alias pro impetrando auxilio adversus hostes. Anast. in Stephano III : « Hic beatissimus vir pro salute provinciæ et omnium Christianorum, omni sabbatorum die letaniam omni postposito neglectu fieri statuit. »

BINII ET LABBEI.

Num. 137, linea 1. — *Adeodatus.* Anno 669, nona die mensis Aprilis in locum S. Vitaliani subrogatus est Adeodatus, gratissimus omnibus.

Linea 12. — *Venientes Saraceni in Siciliam.* Si epistola, quæ sub nomine Vitaliani papæ ad monachos Siculos lata exstat supra, vera esset Vitaliani, dicendum foret contra Anastasium hanc cladem Siciliæ insulæ factam esse potius sub Vitaliano quam sub Adeodato.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Adeodati et Doni pontificum acta antiqui scriptores tam jejune narrant, ut nisi ex Anastasio pauca quædam suppeterent, dolere et ipse possem de iis, ut præsertim de Vitaliano eorum prædecessore. Baronius (*an.* 669, *n.* 2) « Dolemus tanti pontificis tum scripta, tum acta maxima ex parte calamitate temporis deperiisse penitus oblivione sepulta. » Quod vero magis dolendum, eruditis recentioribus eorum tempora minus accurate describi apud Anastasium visa sunt. Hinc est, quod præ aliis Papebrochius, Bacchinius, et Pagius suam sibi quisque chronologiam proprio arbitratu confecerunt. At eorum quisque ab Anastasii vestigiis deflectens, neque alio, præter conjecturam, fundamento suam opinionem astruens videtur plures huic historiæ tenebras offudisse, quam quibus antea obducebatur, ut palam fit ex vitiis, quæ in aliorum castigatore Pagio deprehenduntur. Cæterum Adeodatus Vitaliani successor eodem anno 672, quo hic desiit, sedere cœpit, ut eruditi recentiores agnoscunt ; sedit-que annos quatuor, menses duos, dies quinque, ut infra enucleatius ostendam. Vitaliani autem mortem non posse ante prædictum annum constitui patet ex sedibus ejus successorum post Adeodatum, Doni, et Agathonis, quæ characteribus temporum fere certis innituntur. Doni præsertim electionem cometa, qui in Oriente apparuit mense Augusto, confirmaret esse factam an. 676, ut Herman Contract et Calvis. præ aliis observant. Verum Antonius Pagius an. 677 a num 9 cum Chiffletio *de Annis Dagob* eum apparuisse contendunt an. 677, ad quem referri aiunt a Beda *Hist Angl* lib IV, cap 12, copulante illum cum Ecgfridi Nordanhymbrorum regis anno octavo ; licet de eo agat ann 688 cum S. Wilfridi ejectione. Quidquid autem sit de hac eruditorum controversia, isque cometa serius ocius apparuerit, haud differri oportet Vitaliani annum emortualem, verum Anastasii locum

Digitized by Google

dum esset e'ectus latius interpretari. Aut igitur hoc anno 676, aut sequenti 677 apparuit; si ann. 676, quod probabile admodum reddit intemperies, quæ transitum Adeodati subsecuta est, et aliæ calamitates ab auctoribus relatæ, emortualis Vitaliani est 672; si vero cometa apparuit 677, ut sentiunt doctissimi viri Chiffletius et Pagius cum Beda, ne ruat tota Anastasii series, pugnetque id cum actis VI synodi: ea sententia tota Doni ætas comprehendi debet. Quæ cum ita sint, spectanda primum est dies ipsa emortualis Vitaliani, deinde ordinatio, sedes, et mors Adeodati, quibus prædicta confirmantur contra Baronii interpretationem. Illud enim Anastasii in Vitaliano aientis post cædem Constantis: « Et non post multum temporis antedictus sanctissimus vir vitam finivit; » quod etiam tradunt Paulus Diaconus lib v, cap 11, *de Gest Langob* et Joannes Diaconus *de Archiep Neap* num 33. Baronius interpretatur, non secus atque post paucos menses pontifex obierit diem suum: unde fit, ut codd omnibus et catalogis repugnantibus, Adeodato tribuat annos septem, altius nempe exordiendo; nam annum 676 aliunde intellexit cancellos sibi circumdare, citra quos egredi non licebat.

Duplicem supra exposui opinionem de mensibus sex præter ann. 14 Vitaliano ascriptis, quarum utraque ad Vitaliani obitum ducit. Prima erat, accipi oportere eos menses, tanquam incompletos, rotundo licet numero pronuntiatos: eamque opinionem sequitur Panvinus, sedisse aiens Vitalianum a die 30 Jul an. 657, ad 27 Januar 672, annos 14, menses 5, dies 29, quæ revera procedit inclusis extremis, ut numeranti patet. Alteram opinionem, quod nempe ab imperita manu in Cal in iii Cal conversum fuerit non obscure indicat Bollandus se tueri, dum ad *d.* 27 *Jan in Comm prev ad S. Vital* consignari mortem S. ejus pontificis prædicta die testatur in Martyrologiis *nec plurimis, nec antiquissimis*. Quare si pro die 27, dies 29 Januarii accipiatur, palam est, quod a die 30 Jul 657 ad 29 Januar 672 anni 14 et sex menses solidi, inclusis diebus ordinationis et mortis numerantur. Harum utra sit præferenda incertum: secundam autem probabiliorem reddunt tum inconstantia in die mortis definienda, quam Luitprandus ad diem 6 Februarii differt, tum nova apud Anastas ratio recensendi tempora rotundo numero.

Post Vitaliani autem mortem cessavit sedes ex Anastasio menses duos, dies 13, et ex primo et tertio catalogis Colbertinis menses 2, dies 14. Itaque tantumdem temporis emetiendo, seu a die 27 Januar menses 2, dies 14, exclusis extremis, seu a die 29, menses 2, dies 13, emortuali inclusa; dies ordinationis Adeodati fit obvia, quæ est 11 Aprilis prædicti anni 672, ut littera Dominicalis C planum facit. Ab utrolibet vero interpontificio in codd et catalogis occurente minime discedendum arbitratu proprio satis superque docet Anton Pagius sui lapsus exemplo, an. 669, n. 4 et 676, n. 2, nam perperam credens diem 22 Apr an. 672 in Dominicam incidere, cum esset fer v; eam tribuendam ordinationi Adeodati contendit, et vacationi sedis duodecim dies adjungit, quæ additio in alios, aliosque lapsus temporum eum traxit, ut videbimus. Opportune hæc moneo, ne tantæ eruditionis viro in omnibus fides integra adhibeatur; nam Pagius nepos, qui sanguinis quam cycli rationem habere maluit, lapsus et ipse est, ut infra palam fiet in suis notis. Ne igitur velimus cum Pagiis ordinatum pontificem fer v, aut aliis erroribus implicemur, ab Anastas codd et catalogis minime declinandum est, nisi evidens ratio, aut monumentum aliquod secus fieri oportere suadeant.

Itaque ordinatus hic pontifex die 11 April an. 672, non diutius rexit Ecclesiam, quam usque ad diem 17 Jun 676, ut docent codd omnes et catalogi, auctoresque præstantissimi apud Pagium, qui constanter Adeodato tribuunt annos 4, menses 2, dies 5. Unde sequitur, quod dies depositionis ab Anastasio indicata 26 Jun ab emortuali secernenda est, ita ut eadem dies 26 Jun sit translatio pontificis ab ecclesia Lateranensi (ubi statim post mortem fuerit depositus) ad S. Petrum. Idque suadet interpontificium post mortem Adeodati, quod a prædicta die emortuali numeratur, non a depositione apud S. Petrum. Quod profecto non est novum, neque inauditum, namque ita alias factum, quando per aeris intemperiem efferri cadaver non potuit, vidimus supra in Sabiniano pag 13. Præterquamquod ita esse factum Anastasius ipse docet, « post cujus transitum, inquiens, tantæ pluviæ et tonitrua fuerunt quales nulla ætas hominum meminit esse, ut etiam homines et pecudes de fulgure interirent. Et nisi per letanias, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, » etc. Deinde post multa subdit: « Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum sub die VI Kal Jul. » Quasi dicat, clero non licuisse ante eam diem per pluviarum frequentiam capere opportunitatem efferendi cadaver, ut probabile reddit Romæ degentibus longa via, qua utraque basilica invicem disjungitur.

CIACONII.

Num 137, linea 1. — *Adeodatus*. Natione Italus, Joviniani filius, patria Romanus ex monacho S. Erasmi in Cœlio monte ordinis S. Benedicti, imperatore Flavio Heraclio Constantino Augusto, sedit annos 4, menses 5, dies 16, consecratus III Idus die Dominico.

Num. 138, linea 5. — *Tantæ pluviæ et tonitrua*. Indicebat multa mala impendentia per id tempus stella crinita, quam Græci *cometen* appellant, quæ tribus continuis mensibus apparuit, et oluviæ magnæ ac frequentia tonitrua.

PAGII.

Num. 137. linea 1. — *Adeodatus natione Romanus*. Adeodatum, natione Romanum, Joviani filium ex monacho pontificem Romanum ordinatum esse eodem anno sexcentesimo septuagesimo secundo, et quidem die vigesima secunda mensis Aprilis in Dominica, postquam sedes pontificia cessasset non *menses duos, dies tredecim*, ut exscriptorum vitio in Anastasio legitur, sed *menses duos, dies viginti quinque*, ex ipso Anastasio demonstratur; subdit enim eum sedisse *annos quatuor, menses duos, dies quinque*, et obiisse vel sepultum esse *ab beatum Petrum apostolum sub die sexta Kalend. Julias*, seu die 26 mensis Junii, a quo die anni sexcentesimi septuagesimi sexti quo mortuus est, si per annos 4, menses 2, dies 5, retrocedas pervenies ad diem 22 mensis Aprilis anni 672, quo ideo die ordinatus est secundum Anastasium, qui consequenter scribere non potuit, post Vitaliani mortem sedem vacasse menses duos, dies tredecim, cum ipsemet asserat Vitalianum obiisse die 27 mensis Januarii.

De gestis ab hoc pontifice nihil superest, præter diploma, quo confirmat privilegium, quod Crotbertus Turonensis episcopus monasterio S. Martini concesserat. Illum in eo totum consistit, ut episcopus Turonensis, in cujus diœcesi monasterium sancti Martini situm, nullam in eo potestatem habeat, nisi quod monachis et sacros conferat ordines, et sanctum Chrisma concedat. Joannes quidem Launoius in *Assertione inquisitionis in privilegium San-Medardense*, de quo dictum est in Gregorio papa, duodecim argumentis istud impugnavit. Verum Radulphus Monsnyerus, in libro de Juribus Ecclesiæ sancti Martini Turonensis, ea vana et futilia esse ostendit, et Carolus Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum 676, ubi utriusque rationes expendit, et inter se confert, recte concludit, in illo privilegio nihil occurrere, quod formulæ privilegii a Marculfo lib. I, cap. 1, exhibitæ, refragetur, ideoque perperam Launoium illud suppositititium et subreptitium fuisse existimasse.

Digitized by Google

Anastasius in Adeodato tradit hunc pontificem sedisse *annos quatuor, menses duos, dies quinque*, quod etiam legitur induobus codicibus mss. Anastasii Colbertinis, in Luitprando, Orderico lib. II, Reginone, Hermanno Contracto, catalogo Vaticano-palatino, aliisque; ac sepultum esse ad beatum Petrum apostolum die 26 mensis Junii, ex quibus deduximus eum ordinatum die 22 Aprilis anni 672 et obiisse die 26 mensis Junii anni 676, ut numeranti patet.

MAFEI.

Num. 138, linea 5. — *Post cujus transitum tantæ pluviæ.* Ingruentis hujus cœli tempestatis meminit etiam Paulus Diaconus lib. v, cap. 15, *de gestis Langob.* : « Hoc tempore, inquit, tantæ pluviæ tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus meminerit hominum; ita ut innumera hominum et animantium millia fulminibus essent perempta. Eo anno legumina, quæ propter pluvias colligi nequiverant, iterum renata, et ad maturitatem usque perducta sunt. »

LXXX. DONUS.

ANNO CHRISTI 676, CONSTANT. POGON. 9.

139 Donus, natione Romanus, ex patre Mauricio, sedit annum unum, menses quinque, dies decem. Hic atrium beati Petri apostoli superius, quod est [a] ante ecclesiam in quadriporticum magnis marmoribus stravit, sed et ecclesiam apostolorum, sitam via Ostiensi, ut decuit, restauravit atque dedicavit. Itemque ecclesiam sanctæ Euphemiæ, positam via Appia, similiter dedicavit. Clerum quoque diversis ordinibus et honoribus ampliavit. Hic reperit in urbe Roma, in monasterio quod appellatur Boetianum, Nestorianitas, monachos Syros, quos per diversa monasteria divisit [b]. In quo prædicto monasterio monachos Romanos instituit. Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causa autocephaliæ, denuo se pristinæ sedi apostolicæ subjugavit. Cujus Ecclesiæ præsul nomine Reparatus e vestigio, ut Deo placuit, vitam finivit. [c] Hic dum esset electus per Augusti mensem, apparuit stella a parte Orientis a galli cantu usque mane per menses tres. Cujus radii cœlum penetrabant. In cujus visione surgentis omnes provinciæ et gentes mirabantur [d], quæ post in semetipsam reversa disparuit. Pro quo capitulo et maxima mors a parte Orientis subsecuta est [e]. Fecit autem ordinationem unam : presbyteros decem, diaconos quinque, episcopos per diversa loca numero sex. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die III Idus Aprilis, et cessavit piscopatus menses duos, dies quindecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] quod paradisus dicitur, est. [b] *B., ad pœnitentiam scilicet.* [c] *Vide Baron. ad ann. Domini* 678. [d] Quidnam esse possit. [e] Post eam apparitionem maxima mors a parte Orientis subsecuta est.

VARIÆ LECTIONES

Ex codice Vallicellano.

Num 139, *lin* 2, beati Petri apostoli superius etc. *ut Reg., Maz. et Thuan., cum quibus concordat etiam lineis* 3, 5, 7 et 17. *lin* 8, divisit, et iram dictum [*lege*, et jam dictum] monasterium etc. *ut laudati codd. lin.* 10, segreg. auexocæ valie [*lege* autocephaliæ] denuo se pristino [*lege* pristinæ] sedi apostolorum subjugavit. *lin* 12, Hic papa dum esset electus per Augustum mensem. *lin.* 14, cœlos penetrabant. In cujus visione surgentes o. p. et g. mir. quidnam esse possit. Post quam apparitionem etc. *ut dicti codd.*

Apud V. L. Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 18, sub die III. Idus. B, III Kalend Apr.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin 1, sedit ann 2. *lin* 2, beati Petri superius, quod paradisus dicitur, et est. *lin* 3, q. candidis, et magnis marmoribus mirifice str. *lin* 5, Item eccl sanctæ Eufemiæ. *lin* 7. in mon Boetiano H. *lin* 8, divisit, et in dictum monasterium monachos Romanos instituit. *lin* 10, segreg alicephali d. *lin* 12, Hic papa dum esset el. *lin* 14 surgentes o. p. et g. mir quidnam esse posset. Post eam apparitionem maxima mors a parte Orientis subsecuta est. Hic fecit ordinationem 1. *lin* 17, loca 6.

Ex codice Thuano altero.

Lin ., quos per div loca divisit; *lin* 14, cœlos p. *lin ead.*, surgentes. *lin* 15, pro q. c. maxima mors.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 1, Conus. *lin* 3, sed eccles. *lin* 6. clerum videlicet diver *lin. ead* repperit *lin.* 9, Revennate. *lin* 12, per in Augusto mense.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

a 6. — *Hic reperit in urbe Roma in monasterio quod appellatur Bœtianum, Nestorianitas monachos Syrios, quos per diversa monasteria divisit.* Monachi

lapsi in hæresim pœnitentiæ causa transferuntur in arctiora monasteria, can. *Si episcopus*, 50 dist., can. *De lapsis*. 16 qu. Eadem est pœna clericorum. Anastas. in Leone II : « Verumtamen suprascripti defensores malorum hæreseos, dum nollent a suo recedere proposito, per diversa monasteria sunt retrusi. »

Linea 9. — *Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat, causa autocephaliæ denuo se pristinæ sedi apostolicæ subjugavit.* Reparatus archiepiscopus Ravennas sedi apostolicæ se subjecit. Ante eum archiepiscopi Ravennates ita intumuerant, nixi privilegio Constantis Cæsaris, ut episcopos sibi subjectos ipsi consecrarent, et a tribus suæ ditionis episcopis consecrarentur, neque ullam confirmationem peterent a Rom. pontifice. De quo Hier. Rubeus *Hist. Ravenn.* libro IV, ad ann. 648.

Linea 12. — *Apparuit stella a parte Orientis a galli cantu usque mane per menses tres.* Galli cantus pro media nocte. Anast. in Leone II : « Et nisi post galli cantum cœpit paulatim delimpidare. »

Linea 15. — *Pro quo capitulo.* Capitulum hic est res vel causa, quia causa est caput rei. Anastas. in Zacharia : « Et alia quæ spoponderat capitula. » Alias capitulum est quæstio de re certa. Anastas. in Gregorio II : « Inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem. » Interdum capitulum est articulus litis, ut in l. penult., § 1, c. *De rebus credit. et jurejur. causa vel capitulum decidatur.* Et § *His de præsentibus* ejusdem leg. *Aliis vel capitulis, vel litis membris.* Caput est summa cujusque rei. Plaut. in Asinar. « Ego caput huic argento fui hodie reperiundo. » Inde diminutivum capitulum. Capitulum etiam sumitur pro servo. Servi non habent caput, id est statum seu personam ; sed dicuntur habere capitulum, quasi minores capite, seu capite minuti. Plaut. in Asinar. : « Scribam huic te capitulo hodie facturum satis pro injuria. » Idem in Curculion : « Ubi quid subripuere, operto capitulo calidum bibunt. »

BALDINI.

Linea 12. — *Hic dum esset electus, per Augusti mensem apparuit stella a parte Orientis a galli cantu usque mane per menses tres, cujus radii cœlum penetrabant.... quæ post in semetipsam reversa disparuit.* Anastasius vocat stellam, quæ in pontificatu Doni apparuit, quam Beda proprio nomine cometam appellat, lib. IV, cap. 11. *Hist. Eccles. gentis Angl.* : « Anno, inquit, Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo octavo, qui est annus imperii regis Egfridi octavus, apparuit mense Augusto stella, quæ dicitur cometa, et tribus mensibus permanens matutinis horis oriebatur, excelsam radiantis flammæ quasi columnam præ se ferens. » Hic cometa apparere cœpit mense Augusto. Visebatur in plaga cœli ad Orientem spectante. Oriebatur tribus circiter horis ante solis ortum. Sub ortum solis disparebat, solaribus radiis ejus conspectum intercipientibus. Ejus radii cœli regionem penetrantes caudæ, seu trabis, seu columnæ speciem præ se ferebant. Et post tres menses cometa disparuit. Has omnes circumstantias adnotasse Anastasium satis mirum est pro ea temporum iniquitate, quibus scientiarum studia in pejus prolapsa erant, proque historici ecclesiastici instituto, cujus ad astronomicas subtilitates attendere partes non sunt. Illæ tamen astronomo non sufficiunt, qui, ut ad exactos calculos illius cometæ phenomena revocare posset, pluribus indigeret, videlicet indicatum vellet punctum cœli, cui in prima apparitione cometa hærebat, longitudinem, et latitudinem, semitam, quam decurrebat, et celeritatem, qua ferebatur.

Antiquiorem apparitionem cometæ post æram Christianam eques Newtonus non recitat illa, lib. III *Princip. math. phil. nat.* sem. IX, quæ conspecta est anno 1101, vel 1106, « cujus stella erat parva, et obscura (ut illa anni 1680), sed splendor, qui ex ea exivit, valde clarus, et quasi ingens trabs ad Orientem, et aquilonem tendebat, ut habet Hevelius ex Simeone Dunelmensi monacho. » Anno 1337 Nicephorus Gregoras historicus, et astronomus Constantinopolitanus alterum cometam refert, cujus semitam inter fixas satis accurate describit, ut notat Edmundus Halleius in Cometographia, sed temporis circumstantias ita consignat, ut calculo astronomico subjici non possit. Anno 1472 Regiomontanus alium observavit magnitudine, et coma terribilem, qui intra unum diem 40 gradus circuli maximi percurrere observatus est, eodemque Halleio advertente primus fuit, cujus particulares notæ ad calculum sufficientes ad nos pervenerint. Anno 1577 Tychone per suas machinas ad explorandum cœlum aptissime inventas observante, cometa ejus oculis se spectandum exhibuit, isque potuit astronomicis legibus ita alligari, ut jam tum astronomi spem conceperint de cometis, non secus ac de planetis philosophandi. Quod tandem præstitum est a summo illo geometra, et philosopho equite Isaaco Newtono, anno 1680, prodigioso illo cometa de cœlo ad solem pene ad perpendiculum lapso, qui per quatuor solidos menses visus ad stabiliendam theoriam cometarum, situm, orbitam, motum, idoneus quam maxime fuit.

Quod historici cometarum apparitiones raro, et minus exacte adnotaverint, id factum judico ex philosophorum præjudicio, duce Aristotele, putantium esse illos ignes fortuito accensos in regione sublunari, nec tanti esse has halituum per aera vagantium semitas scriptis consignare. Postquam vero recentiorum astronomorum industria, accedente subsidio instrumentorum ad id fabricatorum, præsertim tubi optici longioris, detexit esse cometas *non subitaneum ignem*, ut jam pridem dixerat Seneca (l. VII, *Quæst. natur.* c. 22), *sed inter æterna operis naturæ*, nempe esse totidem planetas, suasque orbitas ellipticas, sive mavis parabolicas circa solem, alterum ex umbilicis, describere, abire, eosdemque redire statis periodis, nullus apparet in cœlis cometa, qui paratum observatorem non inveniat, et in eam curam unice intentum, ut exacte ea omnia adnotet, quæ ad plenam ejusdem theoriam conducant.

Qui hanc hypothesim primus condiderit, fuit Joannes Dominicus Cassinus ab anno usque 1666. Is secum reputans duos cometas diversos non posse habere tres has conditiones, 1 eosdem nodos, 2 eamdem inclinationem suæ orbitæ ad eclipticam, 3 eamdem celeritatem in suis perigæis, et observans ex comparatis plurium cometarum observationibus aliquando tria hæc perfecte contingere in duobus cometis, judicavit non esse illos, nisi unum, eumdemque cometam ad nos post emensam suam orbitam revertentem. Unde Halleius facilis est credere cometam, quem ipse anno 1682 observavit, esse illum eumdem, qui a Keplero observatus fuerat anno 1607, et anno 1531, a Petro Apiano, et sæculo præcedente æstate anni 1456, eumdemque iterum apparaturum anno 1758, sicut ejus revolutio intra spatium 75 annorum perficiatur. Cassinus similiter comparans cometam observatum anno 1702, cum eo quem idem ipse observaverat anno 1668, putavit illum eumdem esse, et qui visus fuerat anno 1566, et anno 1362, et anno 410, item anno 70, relatus a Josepho Flavio lib. VII, c. 12, de Bello Judaico, et quem vidit Aristoteles anno 373, ante æram Christi, caudam solem versus projicientem adinstar trabis, ita ut ab anno, quo illum vidit Aristoteles (quem annum haud difficile fuit stabilire pluribus notis chronologicis concurrentibus), ad annum 1668, sexagies suam orbitam compleverit, diviso scilicet 2040 numero annorum ab observatione Aristotelis ad observationem Cassini, per 34. Per hanc calculationem Cassinus sufficiens argumentum judicat sibi esse affirmandi tempus

Digitized by Google

revolutionis hujus cometæ non excedere 34 annos, non vero negandi posse esse dicto intervallo brevius; nam si supponatur tempus illius subduplum, vel etiam subduplum subdupli, calculus adhuc subsistet. Quod spatium quamvis ad breviores terminos redactum, non satis tamen est ad observandum exactius cometæ reditum, plerumque inconspicua ejus apparitione ex nimia cum sole proximitate, ut contingit Mercurio, qui intra 88 dies suum orbitam complens, non cernitur tamen nisi singulis 33 annis. Si cometa rursus appareat anno 1756, Cassiniana hypothesis firmissima conjectura munietur. Videatur Cassini relatio facta Academiæ Scientiarum Parisiensi ad annum 1702.

Modo si regrediendo usque ad ætatem Doni papæ, applicem elapsis temporibus dictum intervallum Cassinianum 34 annorum, aut 17, aut 8 cum semisse, incipiendo ab anno 1702, inveniam apparitionem cometæ factam tempore Doni contigisse anno a Christo nato juxta æram vulgarem sexcentesimo septuagesimo quarto. Quæ ratio si certo constaret, tum ad eumdem annum 674 figerentur diversæ consignationes cometæ, qui sub Dono apparuit, et Funcii anno 673, et Alstedii 674 et 675, et Calvisii 676, et Rockenbachii 677, et Bedæ 678, quas refert Stanislaus de Lubienietski in theatro Comet. part. II, n. 146, tum chronologis nova methodus suppeteret ex cometarum consignatione tempora supputandi, et ad illa facta historica, satis probabili argumento referendi.

BENCINI.

Linea 2. — *Hic atrium.* Hæc ex Paulo Diac lib v, c. 31, desumpta sunt. « His diebus Donus papa Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus dicitur, ante basilicam B. apostoli Petri candidis et magnis marmoribus mirifice stravit. »

Linea 9. — *Ecclesia Ravennatum.* Post exortam Monothelitican hæresim, cujus causa inter se mutuo collisæ sunt Orientis et Occidentis Ecclesiæ, Ravennatensis episcopus assurgere cœpit, et fretus exarchorum potentia, qui nomine imperatorum Græcorum provincias in Italia superstites post Langobardorum invasionem regebant, autocephaliam vindicare studuit, et semel arreptam contra Majorum statuta et exempla pertinaciter defendit. Exstant in Libb Gregorii M. epistolæ plurimæ, Marciniano Ravennatensi inscriptæ, ex quibus liquido constat, sedem Ravennatensem Romanæ Ecclesiæ omnino fuisse subjectam; ab ea postulasse confirmationem decreti in episcoporum electionibus emanati: ab ea pallium accepisse, et quibus diebus eo uti possent, legem sumpsisse. Hanc subjectionem ostenderat præclare in epist ad Eutychetem S. Petrus Chrysologus, qui scribit existimare se nefas, quippiam inconsulta apostolica sede in mota concertatione rescribere. Et Joannes III in epist ad Ravennat episcopum, apud Baluzium tom V Miscellan scripsit: « Convenire novimus rationi ut eos amictu pallii decoremus, quos in illis civitatibus, divina inspirante misericordia, sacerdotii honor illuminat, in quibus hoc etiam illis, qui præteritis temporibus fuere pontifices, ab apostolica sede esse constat indultum. Ideoque charitati tuæ usum pallii, sicut decessores tui habuisse noscuntur, præsenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui privilegium volumus permanere, quæ anterioribus temporibus Ecclesiæ tuæ constat esse servata, ut nihil prorsus de privilegiis ejus doleas imminutum. » Haud aliter Joannes, qui Ravennatensem Ecclesiam rexit Gregorii M. temporibus, de hac eadem subjectione, atque habitis ab apostolica sede privilegiis, candide ad pontificem in epistola, quæ E. lib II, num 55, scribit: « Quia ego universa privilegia, quæ sanctæ Ravennatensi Ecclesiæ a prædecessoribus vestris indulta sunt, pro majori satisfactione subjeci ea in scriniis venerabilibus secundum consecrationis decessorum meorum tempora, fidem nihilominus reperientes: nunc vero in Dei, et in vestra est potestate quidquid, veritate cognita, fieri jusseritis: quoniam ego jussionibus apostolatus Domini mei parere desiderans, quamvis antiqua consuetudo obtineat, usque ad secundam jussionem abstinere curavi. » Inter alias prædecessorum pontificum concessiones hic episcopus protulerat Joannis III epistolam, de qua rescribit S. pontifex (ibid *epist* 54): « Et quod bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noveritis, vestris nobis manifestissime significastis epistolis, quibus præceptum bonæ memoriæ decessoris nostri Joannis papæ nobis in subditis transmisistis annexum, continens omnes consuetudines ex privilegio prædecessorum nostrorum concessas vobis et Ecclesiæ vestræ debere servari. » Igitur Constans imperator, ut schisma et hæresim in Orientali Ecclesia late grassantem, in Occidentem quoque adveheret, autocephaliam episcopo Ravennatensi concessit. Quod in chronotaxi pontificatus Vitaliani diximus contigisse ad annum 665, Maurus scilicet Ravennatensis episcopus extorserat privilegium illud a Constante, qui unus fuit auctor schismatis, et contentionum, quæ hasce inter duas occidentis Ecclesias exarserunt pro jure autocephaliæ. De hoc privilegio scripserat ad hunc modum imperator eidem Mauro: « Sed et nunc pro majori alacritate mentis ejus (Mauri) per præsentem nostram piam jussionem sancimus amplius securam atque liberam ab omni superiori episcopali conditione manere, et solum orationi vacare pro nostro exorando imperio, et non subjacere pro quolibet modo patriarchæ antiquæ urbis Romæ, sed manere eam αὐτοκεφαλήν. » Sub finem suam habet characteristicam notam, quæ diploma emanatum docet ann 665, vel 666. Interim cum schisma invalesceret, Vitalianus pont apostolicæ sedis *vigorem* ostendit, et episcopo schismatico restitit. De quo Agnellus, et ipse schismaticus in Vita Mauri hæc habet pag 143: « Hic... pontifex multas vexationes cum Romano pontifice habuit, multa certamina, multos turbines, multas altercationes. Multis vicibus Constantinopolim attigit, ut Ecclesiam suam a jugo et conditione Romanorum averteret. Factumque est ita: et subtracta est Ravennatensis Ecclesia, ne unquam deinceps pontifices Romanæ sedis ad consecrationes Romam irent. Futurus pastor Ravennatensis Ecclesiæ nec aliud regimen super se haberet nec sub Romani pontificis ditione foret aliquando, sed hic consecrassent suum electum a tribus suis episcopis, palliumque ex imperatore Constantinopolitano deferebatur. » Atque hæc est Ravennatensis autocephalia. Donus igitur pont id præstitit, ut ad priscam subjectionem rediret Ravennat. episcopus, schisma sopiretur, et pax Italici cleri revivisceret.

Linea 11. — *Reparatus.* Hic jure imperialis privilegii electus est, et autocephaliæ prætextu a suis episcopis absque placito apostolico consecratus. Ita Agnellus in ejus Vita cap 1, pag 148: « Hic Ravennæ episcopus a tribus suis suffraganeis ordinatus est, ut mos est Romanus pontifex consecrari. » Verumtamen decretum edidit Reparatus, de quo ibidem Agnellus. « Et hoc decrevit, ut in tempore consecrationis non plusquam octo dies Romæ electus Romam vertat. » Coacti igitur deinceps fuerunt Ravennantium episcopi ad prisca adversus sedem romanam obsequia.

Linea 12. — *Hic dum esset electus.* Descripsit hæc Anastasius ex Paulo Diacono, ut sup annotavimus. Sed cum evenerint ann 671, ut ex ordine narrationis tum apud Paulum, tum apud Miscellæ auctorem deprehenditur; Donus autem ante ann 676 electus non fuerit, gestorum fragmenta ad Vitalianum referenda sunt, atque ad ann 671 consignanda juxta institutam supra chronotaxim.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Donus.* Alii Domnum, alii Domnio-

Digitized by Google

nem, alii Conum sive Cunonem appellant. Hic anno 676, ipsis Kalendis Novembris Romanus pontifex creatus est.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Post Adeodati pontificis mortem, quam cum die 17 Junii 676 illigandam ostendi, vacavit sedes menses 4, dies 15. Ita unanimi consensu omnes codd. et catalogi, præter Colbertin. quintum, qui habet menses 4, dies 5. Quare hujus singulari auctoritate neglecta, Donum video esse ordinatum die 2 Novemb. ejusdem anni 676, quam ordinationi congruere ostendit littera ejus anni Dominicalis E. Interpontificium vero numerandum esse a prædicta emortuali die 17 Jun., non depositionis 26, satis docent secus faciendo Onuphrius et Pagius. Ille siquidem Adeodati sedem auxit diebus undecim, novemque ex interpontificio abstulit contra codd. et catalogorum fidem. Hic vero, quoniam decipi semel cœpit in constituenda ordinatione Adeodati, et in reliquis jam observatis, graviori hic iterum lapsu, eoque duplici, ab aliorum opinione discessit. Cæterum, quia cum tantæ eruditionis viro nonnisi benigne agi oportet, candide fateor, me nihil mirari, eum quandoque deceptum, tam ingenti copia rerum examinanda occupatissimum.

Pagius igitur ab unanimi codd. catalogor. et auctorum consensu abiens, unum Colbert. catalogum sequitur, quem forte vitiatum agnoscens, quippe consentientem cum cæteris, in Vitaliani et Adeodati ætatibus definiendis, hiatu decem dierum laborare intellexit, cum secundo Colbertino nullas penitus vacationes sedis habente perperam conjungit. Deinde eo duce ad diem ordinationis Doni per menses duos, dies quinque incedens, tametsi diem depositionis prætermittit, tamen citra Calendas Novembres a Colbertino non ducitur. Itaque contra Ecclesiæ acceptum ubique morem, cujus ipse assertor vindexque maximus alias fuit, feria VII ordinatum autumat Romanum pontificem ; remque ad credendum difficilem tradidisse agnoscens, lapsu alio in Baroniana critica vix ferendo, priorem lapsum tuetur : « Donus, inquiens, (676 et 678, n. 2), consecratus est pontifex Romanus die prima mensis Novembris festo omnium Sanctorum sacra. » Hodie quidem omnes norunt festum illud celebrari Cal. Nov. ; at quis ignorat dedicationem S. Mariæ ad Martyres a Bonifacio IV esse factam mense Maio ; ac proinde in Martyrologiis legi die 13 Maii : *Natale, seu Dedicatio S. Mariæ ad Martyres ?* Quin idem Pagius an. 607, n. 3, fassus erat se id vidisse in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis, Rotkeri, et Romano. Poterat is quidem discere ex alio martyrologio, translationem ejus festi ad Cal. Nov. esse factam nono sæculo a Gregorio IV, nempe ex martyrologio abbatis Francisci Maurolyci, quod historiam luculenter narrat, his verbis : « Cal. Nov. festivitas B. Dei genitricis Mariæ et omnium sanctorum martyrum, quam Bonifacius papa celebrem et generalem instituit quot annis agendam : ut Pantheon templum quod M. Agrippa Jovi et omnibus diis dicaverat, merito a Christianis Salvatori, sanctisque universis describeretur, obtentum a Phoca imperatore : quam postea Gregorius papa IV solemnitatem ad Novembres Calendas transtulit. » Obiter hic admoneo eruditos alios viros similiter deceptos, e quorum numero est Ill. Archiep. Cæsariensis Claudius Sommier, ut videre est sup., cujus lapsum facile abstulissem Latine faciens eum locum suæ historiæ Dogmatico-Pontificiæ ; cum vero celebre idem opus teratur eruditorum manibus Gallico idiomate, nihil mutandum duxi.

Quamobrem, eo revertens unde digressus sum, contra Pagii opinionem affirmo, Donum esse ordinatum die 2 Novembris anni 676, ad quam emenso interpontificio ab emortuali Adeodati 17 Junii ejusdem anni, pervenitur. Scilicet prædicto anno incipere pontificatum Doni recte Baronius et recentiores omnes sentiunt. Secus autem se res habet de tempore ejus sedis, unius enim anni discrimine codd. et auctores inter se dissentiunt, cum alii annum unum, alii duos illi tribuant, nulla mensium et dierum discrepantia : equidem aio Panvinii exemplo Donum sedisse annos 2, menses 5, dies 10, ita ut ejus sedes a die 2 Novembris ann 676 ad 11 April 679, quam depositioni assignat Anastasius, producatur ; utorque auctoritate codd Regii, Mazarini, Thuani primi, et Ambrosiani tertii. Duo enim esse video, quæ recentiores coegerunt sequi codd habentes annum unum ; Wilfridi Eboracensis absolutionem in concilio Romano ; ejusdemque concilii exordium quod præfert mensem Octobr ind VII, quæ certe indicat an 678, quos ego nodos in Agathone opportunius solvens, eadem qua illi necessitate non cogar ex actionibus VI concilii, annum solidum e propriis thecis eductum sedi Agathonis adjungere. At enim Constantini divalis ad Donum, ut imperator testatur in sacra ad Gregorium Constantinopolitanum patriarcham, data erat ad *Donum adhuc inter vivos existentem*, et, ut prosequitur imperator, *illo de hoc sæculo migrante Agatho sanctus nuper electus papa* eam suscepit, misitque illuc legatos, etc. Et quanquam octo integros menses Divali superstitem Donum, nihil gessisse legimus (incertum, an valetudine impeditum, seriusne Constantinopolim illa advecta per Epiphanium a secretis, per quem *missam præcessori suo Dono papæ* asserit Anastasius in Agathone, facilius tamen est creditu, per octo integros menses nihil de illa sacra auditum Romæ ; quam per solidos menses quatuor a Doni morte 11 April ad datam divalem 10 Augusti, nihil de Doni morte et de Agathonis electione auditum Constantinopoli ; cum cæteroqui ex ipso Anastasio teneamus, admodum breviori tempore interpontificii aliquando factas electiones, petitam Constantinopoli jussionem (ante factam potestatem exarcho) eamque allatam Romam, ac denique ordinatos pontifices. Quæ enim negligentia Theodori exarchi ? Imperatori piissimo, ac de apostolica sede optime merenti, non saltem per quinque et quadraginta eos dies qui ab ordinatione Agathonis ad datam divalem intercesserunt, demortui pontificis, successorisque consecrati nuntium non misisse ? At de his infra opportunius.

CIACONII.

Linea 1. — *Donus.* Vel Domnus, Mauritii filius, Romanus, imperatore Flavio Constantino V. Augusto Pogonato, sedit annos duos, menses quinque, dies decem, consecratus die Dominico IV Nonas Novembris anni 676.

Linea 2. — *Atrium beati Petri apostoli.* Donus pontifex honori et cultui divino consulens vestibulum B. Petri quod paradisum vocant, quadriporticum marmoribus struxit, sublatis, ut Platina suspicatur, ex illa pyramide, quæ in Vaticano erat, e regione molis Adrianæ. Vide Paulum Diaconum lib. III Historiæ Longobardicæ.

In pontificatu Doni papæ obiit Dagobertus Francorum rex decimus octavus. Illius anima ad Liparam insulam ubi est ignea vorago a dæmonibus visa est perferri expianda : e vestigio vero de manibus spirituum, SS. Dionysii, Martini, et Mauritii auxilio eripitur. Nam rex istos ut patronos semper in vita coluerat, et templis honoratiores reddiderat. Auctores sunt Platina in Vita Doni papæ, Robertus Gaguinus lib III in Vita Dagoberti, et Bonifacius Simoneta abbas.

MAFEI.

Linea 9. — *Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum.* Maurus Ravennæ archiepiscopus Ecclesiam suam Romanæ subjectam agnoverat, sub episcopatus mortium ; nam sedente sancto Martino in Lateranensi

Digitized by Google

concilio conficiendi causa hæresim Monothelitarum, per Maurum Cæsenatem episcopum, et Densdedit Ravennatem presbyterum, interfuit. Verum post sacrilege patrata ab impio Constante in sanctum Martinum pontificem arripuit occasionem ab odio, quo Romanam Ecclesiam imperator prosequebatur propter hæreticum ejus typum damnatum, ut de obedientia Romanæ sedis suam Ecclesiam eximeret. Ergo Vitaliani papæ temporibus Maurus insita ingenio superbia inflatus, in propriam et suorum perniciem, privilegium obtinuit, quo Constans ecclesiastica auctoritate carens Ravennatem Ecclesiam a Romanæ sedis potestate per nefas subduxit. « Sancimus, ait imperator ad Maurum in diplomate, seu præcepto, ut vocabant, quod Cl. Bacchinius ex Estensi codice typis vulgavit ad Vitam ejusdem Mauri in Agnelli pontificali, sancimus amplius securam atque liberam ab omni superiori episcopali conditione manere, et sol m orationi vacare pro nostro exorando imperio, et non subjacere pro quolibet modo patriarchæ antiquæ urbis Romæ, sed manere eam (id est Mauri personam) αὐτοκέφαλον, et sanctam ejus post eam Ecclesiam. » Ex quibus verbis pronum est intelligere, quid sæcularis potentiæ viribus refractarius Maurus improbe æque ac futiliter obtinuerit. Impetravit siquidem exemptionem, non a jure illo primatus, quo pontifex toti præest Ecclesiæ, sed a patriarchico; a quo ut statim se Maurum subtrahentem Vitalianus intellexit, eumdem anathematis mucrone ad obedientiam vocavit. Sed homo pervicax in ipsum pontificem horribili facinore anathema dicere ausus fuit, quod in Vita Mauri refert Agnellus scriptor schismaticarum partium cum primis fautor. Ab hujus autem schismatis infamia Reparatum Mauri successorem sub vitæ finem vindicasse Ravennatem Ecclesiam, ex hoc Anastasii loco comperimus: quanquam Agnellus, ut cœptam restem paulo longius producat, asserit *Reparatum sub Romana sede se non subjugasse*. Subscribunt Agnelli testimonio Sigonius, Rubeus, et alii, qui putant præterea Reparatum ad Constantinum Constantis filium profectum, eumdem pro se, et Ecclesia sua autocephaliam, quam Maurus a patre obtinuerat, impetrasse. Sed horum opinationem ipsius Agnelli testimonio laudatus Bacchinius evellit, qui observat privilegium a Constantino impetratum immunitatis amplissimæ fuisse tum a vectigalibus, tum a laicali foro, pro episcopo, et clericis Ravennatis Ecclesiæ, inter quos Staurophorus, sive Crucem præferens expresse nominatur. Non vero autocephaliæ, seu exemptionis a jure patriarchico Romanæ sedis supra Ravennatem Ecclesiam; cum præsertim scribat Sigonius ad annum 669 de Regno Italiæ, Constantinum, paterno exemplo vitæ, mortisque eventu deterritum, fautorem Ecclesiæ Romanæ acerrimum fuisse. Qui autem fautor acerrimus Romanæ Ecclesiæ Constantinus haberi posset; si per renovatum autocephaliæ præceptum Ravennatem Ecclesiam a suo capite avulsam in schismate confirmasset? sed de autocephalia Ravennatum episcoporum dicam etiam in Agathonis successore sancto Leone secundo.

A

B

C

PAGII.

Linea 2. — *Hic atrium B. Petri apostoli superius*, etc. Beneficii memoriam etiam nobis conservavit Paulus Diaconus lib. v de Gestis Longobardorum his verbis: « His diebus Donus papa Romanæ Ecclesiæ locum, qui paradisus dicitur, ante basilicam beati apostoli Petri candidis et magnis marmoribus mirifice stravit. » Tradit insuper Anastasius eum instaurasse et dedicasse ecclesias apostolorum via Ostiensi, et ecclesiam divæ Euphemiæ via Appia sitam. Me autem latet, an ea sanctæ Euphemiæ ecclesia eadem sit cum ea, quam Oldoinus, nescio quo auctore, dicit ab Adeodato papa Doni decessore exstructam fuisse ad Exquilini montis radices, quam vetustate jam fatiscentem Sixtus V ad Urbis ornatum solo æquavit. Tandem Donus reperit in urbe Roma, in monasterio, quod appellatur Boetianum, Nestorianos monachos Syros, quos teste eodem Anastasio in varia monasteria divisit, ad pœnitentiam scilicet et Boetianum monasterium Romanis incolendum tradidit. Ordinationem unam habuit presbyterorum 10, diaconorum 5: episcopos vero sex per diversa loca ordinavit.

Linea 9. — *Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum*, etc. Cum Maurus episcopus Ravennatensis, de quo in Vitaliano locuti sumus, extra Ecclesiæ communionem obiisset, ut scribit Rubeus lib. IV Hist. Ravennat., in ejus locum subrogatus est Reparatus, qui et ipse refractarius apostolicæ sedi, laboravit perficere per imperatoris rescriptum, ne Ravennatensis Ecclesia Romanæ subjaceret. In fine tamen vitæ facti pœnitens, Dono papæ se subjecit, et sub eo obiit ex Anastasio. Huic successit Theodorus, Ecclesiæ Romanæ obsequentissimus, qui et interfuisse reperitur synodo Romanæ sub Agathone; imo et non ob aliam causam venisse tunc Romam, nisi ut se pontifici subjiceret, testatur idem Anastasius in Agathone. Postea tamen Felix Ravennæ itidem episcopus sub Constantino papa sese ab obedientia Romani pontificis schismate separavit, sed quo exitu ibidem dicetur.

LXXXI. SANCTUS AGATHO.

ANNO CHRISTI 678, CONSTANTINI POGONATI 11.

140 Agatho, natione Siculus, ex monachis, sedit annos duos, menses sex, dies tres [a]. Tantum benignus et mansuetus fuit, ut etiam omnibus hilaris et jocundus comprobaretur. Hujus temporibus Theodorus archiepiscopus Ravennæ semetipsum sedi apostolicæ post multorum annorum curricula præsentavit. Hic suscepit divalem jussionem piissimorum principum Constantini Heraclii et Tiberii Augustorum, per Epiphanium gloriosum a secretis, missam præcessori suo Dono papæ, invitantem atque adhortantem ut debeat sacerdotes vel missos suos dirigere in regiam urbem pro adunatione facienda sancta-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B.*, tres, m. 8, d. 15.

Digitized by Google

rum Dei Ecclesiarum, quod et ordinare non distulit [a]. Et direxit [b] Abundantium Paternensem, Joannem Rhegitanum [c], et Joannem Portuensem episcopum [d], Theodorum et Georgium presbyteros, Joannem diaconum et Constantinum, Theodorum presbyterum [e] Ravennatem, atque religiosos servos Dei monachos. Clerum videlicet diversis ordinibus, et super quod competebat, eos honoribus ampliavit. Hic ultra consuetudinem arcarius Ecclesiæ Romanæ efficitur [f], et per semetipsum causam arcariæ disposuit, emittens videlicet de suscepta per nomenclatorem manu sua obumbratas, qui infirmitate detentus Arcadium juxta consuetudinem instituit.

141 Hujus temporibus indict. VIII luna eclipsim pertulit mens. Jun. die 28. Similiter et mortalitas major atque gravissima subsecuta est mense suprascripto, Julio, Augusto et Septembr. in urbe Roma, qualis nec temporibus aliorum pontificum esse [g] memoratur. Ut etiam parentes cum filiis, atque fratres atque sorores binatim [h] per lectos ad sepulcra deducerentur. Postmodum vero foras circumquaque suburbana et castra devastare non cessavit [i]. Qui suprascripti missi sedis apostolicæ, qui directi fuerant, in regiam urbem ingredientes die decima mensis Novembris nona indictione, Domino solante [j], atque principe apostolorum comitante suscepti sunt a principe in oraculo beati Petri apostoli intra palatium, porrigentes ei scripta pontificis. Quæ dum suscepisset commonuit eos atque adhortatus est ut non per schisma aut furorem, sed pacifica dispositione remittentes philosophicas assertiones puram sanctarum Scripturarum Patrumque et probatam fidem per synodalia decreta satisfacerent. [k] Et dans inducias ad retractanda scripta, tribuit eis omnia quæ ad sustentationem sufficiebant in eorum expensas in domo quæ appellatur Placidia, die 18 mensis suprascripti, die Dominico advocati sunt in processione ad sanctam Dei Genitricem in Blachernas in tanta honorificentia, ut etiam de palatio caballos stratos dirigeret cum obsequio pietas imperialis, et sic eos susciperet. Ea ipsa commonens, ut pacifica assertione testimonia venerabilium Patrum proponerent.

142 [l] Die vicesima secunda mensis Novembris, in basilica quæ Trullus appellatur, intra palatium sub regali cultu, residente cum Constantino Aug. Georgio patriarcha Constantinopolitano, ac Macario Antiocheno, suscepti sunt missi sedis apostolicæ, deinde metropolitæ vel episcopi Orientalium partium numero centum quinquaginta. Qui proni adorantes, residere eos præcepit una cum nostris. Post hæc patricii, ypati omnesque inclyti [m] introierunt, et habita inquisitione ab ejus pietate [n], cujus partis deberet ostensio approbari. Legati sedis apostolicæ dixerunt : Opportuna veritas et ratio exigit, ut a parte [o] eorum qui unam voluntatem et operationem in Domino Jesu Christo asserunt, apostolicæ sedis exponere [p]. Qui audientes læti effecti paratos se esse dixerunt. Et accepta licentia ea hora suos intromiserunt libros, et tomos diversos, et synodos quas falsaverant. Nam non per veritatem se superare nitebantur [q], sed [r] per mendacia et diversa commenta quæ in libris suis ipsi [s] addiderant, et relegentes per singula, reperti sunt mendaces, unam operationem et voluntatem [t] dicentes; et in quinta synodo epistolam Vigilii papæ ad Mennam patriarcham, atque libellum ejusdem Mennæ in quaternionibus noviter additis, falsaverunt, unam voluntatem et operationem dicentes, quod coram principe et synodo claruit. Alia die catholicæ fidei defensor pius princeps in secretario residens [u], inquisitione de ipsis codicibus facta, ita reperit falsa noviter addita fuisse.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *Vide Baron ad ann Domini* 580. [b] Direxit itaque. [c] Regianum. [d] episcopos. [e] subdiaconum. [f] effectus est. [g] fuisse. [h*] bini. [i*] Pari etiam modo foras circa quæque suburbana, et castra eadem mortalitas diffusa est. [j] *C* solatiante. [k] *Vide Baron ad ann Domini* 680. [l] *Vide Baron loc supra cit.* [m*] patricii quinque, omnesque inclyti cum omni sinditico. [n] *C*, parte. [o*] aperte. [p*] auctoritas exponatur. [q*] extimaverunt. [r*] nisi. [s*] libris ipsis. [t*] in Domino Jesu Christo esse. [u*] præsidens.

Digitized by Google

43 Die 12 mensis Decembris [a] residente synodo cum ejus pietate suscepti sunt missi sedis apostolicæ, et præcepit eos in synodo [b] residere. Præsentantes locum sanctissimi ac beatissimi Agathonis papæ. Quibus dictum est ut omnes libros quos scirent ad causam fidei pertinere, coram synodo adducerent, quod et factum est. Et vocato Georgio diacono et chartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ, præceptum est ei ut juxta eorum notitiam codices ex bibliotheca Ecclesiæ ad medium deduceret, et dum adducti essent et relegerentur, utrique similes reperti [c] sunt, duas naturas duasque voluntates et operationes in Domino Jesu Christo habentes. Et confusus Macarius coram synodo inventus est mendax. Tunc interdixit pietas Augustalis Georgio patriarchæ ut minime in Ecclesia sua susciperet Macarium vel ejus homines, interdicens ei processum. Hæc prima ejus ruina fuit, die 13 [d] mensis Februarii, auxiliante beato Petro apostolo, ut veritatis lumen appareret, intromissa sunt coram synodo venerabilium Patrum dicta Joannis Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dionysii, Hilarii, Ambrosii, Augustini et Leonis, duas naturales voluntates [e] et operationes in Christo, dicentium ad satisfactionem principis vel synodi.

144 Sequenti die in eodem secretario residente synodo una cum principe, synodica sanctissimi Agathonis papæ relecta est, et ad singula comprobata Patrum dicta inserta [f], in qua synodica episcopi Occidentalis partis subscripserunt numero centum viginti quinque [g]. Cumque post hæc adhortatus est, nec dicendus Macarius a sancta synodo, vel a pio principe, omnique senatu, ut profiteretur unam aut duas confiteri voluntates vel operationes, qui nullatenus audivit, sed potius neque unam neque duas in Salvatore dicere voluit. [h] Deinde protulit piissimus et serenissimus princeps tomum ad relegendum, in quem vanum hæreticum dogma Macarii erat conscriptum, et ejus manu subscriptum, apertissime unam voluntatem in Domino affirmantis. Sub ipsius scriptione et Theodori expatriarchæ, utique juxta eum tenorem ibi subscriptio erat [i]. Et interrogatus Georgius patriarcha, si eam fidem quam docet sedes apostolica, amplectitur [j] juxta scripturam venerandi Agathonis papæ, seu sanctorum ac venerabilium Patrum, qui respondit quod, accepta licentia, in scriptione [k], quæ opportuna erant, responderet. Et in his recedentes die 17 mensis Februarii, die Dominico, intra oraculum sancti Petri intra palatium astante [l] sincleto [m], simulque et patriarcha, legatos sedis apostolicæ suscepit [n], relegens [o] suggestionem aliam pro eorum commendatione [p] a sanctissimo papa directam. Qui Georgius sanctissimus patriarcha professus est eo die in scriptis duas naturas duasque voluntates et operationes in Domino Jesu Christo se credere et prædicare, sicut sedes apostolica credit, anathematizans eos qui unam naturam, voluntatem et operationem in Domino Jesu Christo dicunt.

145 Die vicesima quinta mensis Februarii, residente synodo una cum pio principe simulque et legatis sedis apostolicæ, Macarium adesse jusserunt. Et data a principe licentia ut se partes, quis in quas vellet [q], divideret, Georgius patriarcha regiæ civitatis cum suis in partes orthodoxum stetit; Macarius vero cum suis in parte alia hæreticorum. Et deducentes ad medium professionem Georgii patriarchæ, quam fecerat, porrecta est [r] principi et relecta est. Et commonitus suprascriptus Macarius quid sentiret vel crederet, respondit se in ea [s] perfidia quam ante proposuerat, perdurare, et nullatenus orthodoxæ

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C. Novemor. [b] synodus. [c] verissimi reperti. [d] 14. [e] duas naturas et voluntates. [f] dictis insertis. [g] C 120. [h] *Vide Baron ad ann Domini* 681. [i] in quo una voluntas, et hæretica dogmata Macarii erant conscripta, et ejus manu subscripta, et apertissime unam voluntatem in Domino affirmantia. Post ipsius subscriptionem, et Theodori. [j] amplecteretur juxta scripta. [k] in scripto. [l] astante Augustus simul et Patriarcha legatos. [m] syncello. [n] susceperunt. [o] relegentes. [p] B. condemnatione. [q] in partem quam quis vellet. [r] et porrexerunt. [s] in eadem

Digitized by Google

aei acquiescere. Ea hora sancta synodus una cum principe ejus orarium auferri jusserunt a collo ejus, et exsiliens Basilius episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit, et anathematizantes projecerunt eum foris synod. simulque et thronum ejus. Stephanum autem discipulum ejus cervicibus a sancta synodo clerici Romani ejicientes expulerunt. Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur ac dicerent quod sordes hæresum expulsæ sunt. Et, Deo auxiliante, unitæ sunt sanctæ Dei Ecclesiæ. In loco vero Macarii ordinatus est Stephanus [a], abbas monasterii quod appellatur Baias insulæ Siciliensis, patriarcha Ecclesiæ Antiochenæ. [b] Macarius vero cum suis amatoribus, id est Stephano, Anastasio ex presbyteris, et Leontino ex diacon.; Polychronio, Epiphanio ex presbyteris, et inclusis in exsilio [c] in Romanam directi sunt civitatem. Deinde abstulerunt de diptychis Ecclesiarum nomina patriarcharum, vel de picturis ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant auferentes, id est Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit [d]. Tanta autem gratia divina omnipotentis concessa est missis sedis apostolicæ, ut ad lætitiam populi, vel sancti concilii, qui in regia urbe erant, Joannes episcopus Portuensis Dominicorum die octavarum Paschæ in ecclesia [e] beatæ Sophiæ missas publicas latine celebraret coram principe et patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes et victorias piissimorum imperatorum eo die Latinis vocibus acclamarent.

146 [f] Hic suscepit divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam revelata est quantitas quæ solita erat dari pro ordinatione pontificis facienda. Sic tamen ut, si contigerit post ejus [g] transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, et cum eorum conscientia et jussione debeat ordinatio provenire. Hic dimisit [h] omni clero rogam unam, et ad luminaria apostolorum et sanctæ Mariæ ad Præsepe sol. duo mille centum et quadraginta [i]. Fecit autem ordinationem unam : presbyteros decem, diaconos tres, episcopos per diversa loca numero decem et octo. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die IV Idus Januarii, et cessavit episcopatus annum unum, menses septem, dies quinque

NOTULÆ MARGINALES FARROTTI.

[a] Theophanius. [b] *Vide Baron ad ann* 681, *pag* 560. [c] ' trusi in exsilium. [d] ' pullulaverat. [e] ' Dominico die Paschæ in ecclesia. [f] *Vide Baron loc supra cit.* [g] ' ejus imperatoris. [h] *B.* divisit. [i] *C*, 60.

VARIAE LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXXI.

Num 140, *lin* 1, natione Siculus, sedit a. II, m. VI, d. III. *lin* 11, Joannem diaconum, et Constantinum subdiaconum Theodorum pr. Rabennatem.

Ex codice Vallicellano.

Num 140, *lin* 2, dies III. Hic fuit etc, *ut Reg Maz et Thuan cum quibus concordat etiam lin* 3 *et* 4. *Item* 7 *et* 11, *lin* 5 *habet ut laud codd exceptis his*, est. Prius decretum : *omisso*, nisi... et cum ejus conscientia, *etc. quæ sunt. lin.* 4 *num.* 146. *lin.* 6 per Prophaniam gloriosum a secr missam de cessori suo. *lin* 8, diligere, *mendum pro* dirigere. *lin.* 9, qui et ordinare non distulit. Direxit itaque Habundantium Paternensem, Johannem Regianum et Johannem Portuensem episcopos. *lin* 12, servos Dei monachos. *Deinde Vallicell cod hæc statim subnectit* (*quibus editi et reliqui mss libri alia plura præmittunt, quæ tamen ordinem narrationis turbant, et in sequenti sectione occurrunt*) : qui suprascripti missi sedis apostolicæ ingredientes regiam urbem die X mensis Novembris Indictione VIII, Domino solatiante, atque principe apostolorum comitante, suscepti sunt a principe monaculo (*lege* in oraculo, *nempe* in oratorio) beati Petri apostoli intra palatium, porrigentes ei scripta pontificis. Quæ dum suscepisset, commonuit eos atque adhortatus A est ut non pessime, aut cum furore, sed per pacificam dispositionem, dimittentes philosophicas assertiones, pura sanctarum Scripturarum Patrumque fide, probata per synodalia decreta, satisfacerent. Dedit quoque eis inducias ad retractanda scripta, tribuens eis omnia quæ ad sustentationem sufficiebant (*cod* sufficiebat) *etc ut lin* 15, *sequenti num. ibid. lin eadem* in domo quam Placidiani (*lege* Placidiam) dicunt, die XVIII mensis suprascripti. Dominico vero die. *ibid lin* 17, in Blacernas, *lege* Blachernas. *ibid lin* 18, susciperet communiter, ut pacifica, *etc*

Num. 141, *lin.* 1, hujus temporibus, ind. VIII, luna eclypsim pertulit mense Junio die XVIII.

Num. 142, *lin.* 6, post hæc patricii Ypati omnique Syncletu. Et habita.

Num. 142, *lin.* 1 *cod. Vallicell. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. et ita lin.* 2, 10, 12 *et* 13, *lin.* 5, qui cum proni adorassent resid. e. pr. una cum nostris. B Post hæc Patritii V omnesque incliti, cum omni sinclitico : et habit. inquisit. ab ejus piet. cujus partis deberet ostensio probari, legati sedis apostolorum. *lin.* 14, et voluntatem in Domino Jesu Christo esse dicentes, ut coram principe et synodo claruit. Alias sane catholice fidei defensor pius princeps secretario præsidens [τὸ præsidens *habetur etiam in margine*

Digitized by Google

edit. et miror cur hic Holstenius adnotet : « Nullus mss. hanc lectionem agnoscit : »] in quæstione de ipsis codicibus facta lite ita reperit falsa ipsa noviter addita fuisse.

Num. 143, *lin.* 1, *cod. Vallicell.* die 22 mensis Novembris. *lin.* 2 *concordat cum reg. Maz. et Thuan. et ita lin.* 15. *lin.* 5, et vocato Georgio chartophylace. *lin.* 6, codices ex bibliotheca Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad medium deduceret et d. adduc. e. et releg. verissimi reperti sunt. *lin.* 12, die 14.

Num. 144, *lin.* 3, synodica episcopi Occidentales partes subscripserunt num. cxx. *lin.* 15, die 20 mensis Febr.

Num. 144, *lin.* 2, *cod. Vallicel.*, synodica beatissimi papæ Agathonis. *lin. ead.* Patrum dictis insertis, in qua synodica episcopi Occidentalis partis subscripserunt. Cumque post hoc adhortatus esset; *lin.* 6, unam aut duas voluntates (*omisso verbo* confiteri) aut operationes in Christo nullatenus. *lin.* 8, ad legendum in quo una voluntas, et hæretica dogmata erant conscripta, et ejus manu subscripta : apertissime, etc., *cum Reg., Maz. et Thuan. ut in ora. lin.* 10 *et* 21 *concordat cum laudatis codd. lin* 12, Georgius patriarcha, juxta scripta Agathonis papæ, si eam fidem, quam docet sedes apostolica, amplecteretur, juxta scripta Agathonis papæ, vel sanctorum venerabilium Patrum, respondit. *lin.* 14, in scripto. *lin.* 15, *concordat cum laudd. codd., exceptis his*, a beatissimo papa directam; eo die Gregorius.

Num. 145, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat. cum Reg., Maz. et Thuan. et ita lin.* 6, 10, 13, 14, 20, 23 *et* 26. *lin.* 3, ut se in partem, quam quis vellet. Georgius patriarcha recessit, *etc., ut laudati codd. lin.* 13, nigerrissimæ, *mendose. lin.* 15, *verba* et, Deo auxiliante, unitæ sunt sanctæ Dei Ecclesiæ, *desunt in nostro cod. lin.* 16, ord est Theophanius abbas monasterii Pagias insulæ. *lin.* 18, et Anastasio ex presbyteris, Leontio. *lin.* 19, Epiphanio, et Anastasio ex presbyteris trusi in exilium. *lin.* 23, quod in Græcia urbe erat; *lin. ultima* acclamarent, *etc., ut dicti codd., exceptis variantibus lectionibus, quæ sequuntur*... Indictione VIII... pertulit mense I, die 18, similiter et mortalitas... mense VI Julii, Augusti et Septembris... super qui competebat... numencolatorem, *lege* nomenculatorem... qui infirmitate, etc. *Hæc autem additio totidem fere verbis habetur num* 140 *et* 141.

Num. 146. *In hoc num. cod. Vallicel. concordat ubique cum Reg., Maz. et Thuan.*

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 140, *lin* 2, dies tres, *B*, dies 4.

Num 142, *lin* 10, exponere, *AB*, exponatur. *lin* 12, nitebantur, *AB*, æstivaverunt nisi per.

Num 143, *lin* 1, Decemb *AB*, Novemb. *lin* 12, fuit *AB*, 12 mens Febr.

Num 144, *lin* 4, numero 125, *AB*, 120. *lin* 8, in quem, *A*, in quo unum et hæc, *B*, in quo una secundum hæreticum. *lin* 14, scriptione *A*, in scriptis, *B*, scripto. *lin* 16, intra palatium *A*, astante synclita, *B*, præsente Augusto inclyto. *lin* 17, legatos, *A*, princeps pius legatos sedis apostolicæ, etc.

Num 145, *lin* 1, dies 25, *A*, 25. *lin* 16, Stephanus *AB*, Theophanus. *lin* 19, inclusis, *A*, inclusus, *B*, clausus.

Num 146, *lin* 8, et 40, *AB*, 60.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 140, *lin* 2, di. 4 : Hic fuit tam benignus, et mans ut etiam omnibus. *lin* 3 et 4, Ravennatum. *lin* 5, Hic susceptt divalem jussionem secundum suam postulationem, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione pontificum, sic tamen ut si electio facta fuerit, non debeat ordinari qui electus est, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum consuetudinem, et cum ejus imperatoris conscientia et jussione A debeat ordinatio provenire, susceptt quoque divalem jussionem piissimorum princ. *lin* 6, per profanam gl. a secretis missam decessori suo. *lin* 7. ut deberet sac. *lin* 9, dist.: direxit itaque A. *lin* 10, Regianum et Jo. Port episcop. *lin* 11, Jo. diac const subdiaconum Th. *lin* 12 *et* 13, monachos. *In cod M. hæc adduntur in fine pag recentiore manu*: clericos videlicet diversi ordinis super quod competebat, honoribus ampliavit. Hic ultra consuetudinem arcarius ecclesiæ Romæ efficitur, et per semetipsum causam arcarii disposuit, emittens videlicet præcepta per nomen collatorum manu sua obumbratus, qui infirmitate detentus arcarium juxta consuetudinem instituit.

Num 141, *lin* 1, hujus temporibus indict VIII. Similiter et mortalitas major atque gravissima subsecuta est mense Junio, et Julio, et Augusto, et Sept in urbe Roma, qualis nullis temporibus aliorum potuit fuisse, memoratur. ut etiam parentes cum filiis, atque fratribus, seu sorores, vel nati per lecta B ad sepulchra ducerentur. Postmodum vero foras circumquaque suburbana et castra devastare non cessavit. Qui suprascripti missi sedis apostolicæ ingredientes regiam urbem die 10 mens Novemb., indict 9, Domino solatiante, atque principe apostolorum, comitante suscepti sunt a principe in oraculo beati Petri apost intra palatium porrigentes ei scripta pontificis. Quæ dum susceppisset commonuit eos, atque ad. est, ut non per iram, aut cum furore, sed per pacificam dispositionem dimittentes ph. ass pura sanctarum Scripturarum Patrum fide probata p. syn d. Sat. Dedit quoque eis inducias ad retractandas scriptiones, tribuens eis omnia. *lin* 15, in domo, quam Placidiam vocant, die 18 m. supr Dominico vero die. *lin* 18, susciperet communiter.

Num 142, *lin* 1, die 12 mens Novembr in basilica quæ et Trullas appell. *lin* 2, residente Constant A. et cum eo Georgio. *lin* 5, qui cum proni adorassent, res C e. pr. una cum nostris (clericos videlicet, *etc hic adduntur quæ supra ascripta sunt num* 140 *lin* 13, *post vocem* monachos; *in Regio tamen melius quam in M. legitur*, qualis nec temporibus aliorum pontiff. cum fuisse memoratur). Post hæc patricii quinque, omnesque inciliti cum omni synodico, et ab ejus pietate habita inquisitione cujus partis. Legati sedis apostolorum dix. *lin* 10, sedis auctoritas exponatur. Quod audientes lætiesi. *lin* 12, nam per veritatem non se superare extimaverunt, nisi per m. *lin* 13, quæ in lib ipsis add. *lin* 14, voluntatem in Domino Jesu Chr esse dic *lin* 17, unam voluntatem dicentes. *lin* 18, alia sane die C. *lin ead.*, præsidens in quæstione de ipsis cod f. lite ita rep falsa ipsa n.

Num 143, *lin* 1, die 22 Novemb. *lin* 2, missi sedis apost præsentantes locum beatiss Agath P. et præcepit eos synodus residere. Quibus. *lin* 6, eis, ut j. *lin* 7, deducerent. *ib.* et legerentur, verissimi reperti D sunt. *lin* 12, dies 14. *lin* 15, duas naturas et voluntates et op. in Christo dicentium.

Num 144, *lin* 2, sanctiss papæ Agath. *lin* 3, dictis insertis. *ibid* subscr 120. Cumque post hæc adhortatus esset, nec dic. *lin* 6, aut oper. *lin* 8, ad legendum, in quo hæretica dogmata, *etc ut in ora. lin* 11, ubi subscriptio ejus erat. *lin* 12, amplecteretur juxta scripta Agathonis papæ, vel s. ven p. respondit, quod acc lic in scripto responderet, quæ opp er. *lin* 15, Febr Domin die in or. beati Petri i. p. adstantes Augustus simul et patriarcha, legatos sedis apostolicæ susceperunt, relegentes sugg al. pro eorum commendatione, a beatissimo papa suprascripto (*M*, subscripto) dir eo Georgius venerabilis patriarcha professus est in scriptis duas nat. *lin* 21, et vol et oper dicunt.

Num 145, *lin* 1, una cum principe. *lin* 3, ut se in partem, quam quisque vellet div Georgius pat rec cum suis in partem orthodoxorum, Macarius vero

Digitized by Google

eum suis in partem aliam hæretic. *lin* 6, q. fec porrexerunt princ et r. est et commonitus est M. q. s. u. c. resp se in eadem perfidia *lin* 10, Basil Cret ep. or. ejus abstulit, et anath foris synodum proi sim. *lin* 13, eicientes, *sic constanter legitur, ut in aliis libris veteribus. lin* 14, mirarentur. Ac per hoc significatum est, quod s. h. depulsæ f. *lin* 16, monasterii Baias. *lin* 18, ex presbyteris, Leontio, ex diaconis, Pol ep. et Anastasio ex presbyteris trusi in exsilium in R. *lin* 21, de scripturis ecclesiarum, vel de picturis, aut de foribus, ubi esse poterant nomina patriarcharum, id est, Macarii, Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli, necnon et Petri. per quos error iste usque nunc pullulaverat. *lin* 23, gratia Dei o. *lin* 25, quod in regia urbe erat. *lin ead.* Dominico die Paschæ in ecclesia sanctæ Soph publ miss c. pr. et p. Latine cel et om. un. lin ult acclam. (Hujus venerabilis papæ temporibus, indict 7, luna eclipsim pertulit mense Junii die 18. Similiter mortalitas maxima atque gravissima subsecuta est mens Julii, Aug Sept in urbe Roma, qualis nec temporibus aliorum pontificum fuisse memoratur, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres seu sorores bini per lecta ad sepulcra deducerentur. Pari etiam modo foras circa quæque suburbana et castra eadem mortalitas diffusa est. Hic quoque papa clerum diversis honoribus, super quod competebat, ampliavit. Verumtamen ultra consuetudinem arcarius Ecclesiæ Romanæ effectus est, et per semetipsum causam arcariæ disposuit, emittens videlicet de suscepta per numenculatorem (*leg* nomenculatorem) manu sua perumbratas. Qui in infirmitate detentus arcarium juxta consuetudinem instituit. Hic dimisit omni clero.) *Inclusa exstant totidem fere verbis num* 140 *et* 141.

Num 146, *lin* 7, solidos duo milia clx. *lin* 9, loca 18. *lin* 11, mens 5.

Ex codice Thuano altero.

Num 140, *lin* 1. Siculus, sedit ann 2, m. 6, d. 4. *lin* 5, Princ Her et Tib *lin* 10, episcopos. *lin* 11, Jo. d. const subdiaconum. Th. pr. *lin* 13, clerum vid divisit ord.

Num 141, *lin* 1, die 18. *lin* 13, comprobatam f.

Num 142, *lin* 2, in palatio s. r. *lin* 6, post hæc patricii, omnesque i. *lin* 12, superare existimaverunt, nisi per m.

Num 143, *lin* 1, die 10 mens Nov. *lin* 12, die 14.

Num 144, *lin* 4, 120. *lin* 7, audebat. *lin* 8, ad legendum, in quo, *ut in ora. lin* 13, juxta scripta Ag. *lin* 14, in scripto. *lin* 16, synclyto.

Num 145, *lin* 9, orarium abstuli i. et exil. *lin* 13, expulerunt. *lin* 16, in locum vero ord e. Theophanius a. *lin* 19, Epiph et Anastasio ex p. et i. *lin* 20, deinde abstollentes de d. *lin* 22, necnon et Petri. *lin* 26, die octava Pasc. *lin* 27, patriarcha. Hic suscepit div.

Num 146, *lin* 5, ut cum eorum scientia et jussu, *lin* 8, 60. *lin* 9, nu. 8.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 140, *lin* 2, Hilarus. *lin* 15 *et* 16, de suscepta per numenclatorem manus suas.

Num 141, *lin* 5, per lecta. *lin* 11, adortans ut. *lin* 12, pura script. *lin* 14, scripta tribuens eis. *lin* 15, expensa. *lin ead*, placidias. *lin* 16 processionem.

Num 142, *lin* 2, intra palatio s. r. c. residente cum eo, et Georgio patr Constant Mac. *lin* 5, residere præc v. c. n. p. h. patriciis ypati omnique sicletu introivit. *lin* 15, epistola. *lin* 18, princeps in seer

Num 143, *lin* 5, Philace apostolicæ Constit. *lin* 8, operationes hab. *lin* 10, interdicens. *lin* 11, susceperisset. *lin* 13, Dionisii, Augustini. *lin* 16 dicentes.

Num 144, *lin* 3, synodica et ep. *lin* 5, Macharus. *lin* 9, unum, *lin* 10, adfirmantem. *lin* 11, subscriptio ejus erat. *lin* 12, si ea fide, quæ docet. *lin* 14, qui respondens ut acc l. i. s. q. o. erat. *lin* 20, operationes credere p. s. s. a. anath.

Num 145, *lin* 3, qua vell. *lin* 6, porrecta principi. *lin* 8, perfid quæ. *lin* 9, orar abstolli jusserunt et ex. *lin* 13 *et* 14, nigrissimæ. *lin* 19, Polucronio, Epiphano e. e. inclausis. *lin* 20, abstollentes. *lin* 22, ubi. *lin* 27, et omnes. *lin* 28, id est Latinæ.

Num 146, *lin* 4, decretus generalis. *lin* 6, debeat prov.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 140, linea 14. — *Hic ultra consuetudinem arcarius Ecclesiæ Romanæ effectus est, et per semetipsum causam arcariæ disposuit, emittens videlicet de suscepta, per nomenclatorem manu sua obumbrata: qui infirmitate detentus arcarium juxta consuetudinem instituit.* Theodorus arch. Ravennas præter consuetudinem arcarius Ecclesiæ Romanæ factus est. Arcarius Ecclesiæ Romanæ est præfectus ærarii Ecclesiæ Romanæ. Arcarii sunt præpositi arcæ seu ærario principis. L. ult. c. « De suscept. præposit. et Arcariis. » De quib. Sidon. libro VII, cap. 7 : « Arcariis pondera, mensuras allectis. » Hieronym. in epist. ad Roman. in illa verba, *Salutat vos Erastus, arcarius civitatis :* « Hic Arcarium ex arcario dicit. » Ravennas dicitur functus officio arcarii per se emittens per nomenclatorem desuscepta seu suscepta. Suscepta vel desuscepta sunt securitates susceptæ pecuniæ vel annonæ fiscalis, quæ dantur solventibus a susceptoribus, de quibus est tit. 6, lib. x, id est, præpositis suscipiendis annonis vel tributis. Gregor. libro VIII, epist. 10 : « Post subditam desuscepto paginam. » Idem epist. 44 ejusd. libr. : « De cæteris vero rebus, quæ apud nos sunt, pro memoria futuri temporis ex eisdem susceptum emittite. » Ait, per nomenclatorem. Inter officia Ecclesiæ Romanæ fuit nomenclator. Ordo Roman. « Post equum vero hi sunt qui equitant, vicedominus vestiarius, nomenclator atque sacellarius. » Annal. Franc. ad ann. 802 : « Hujus factionis fuere principes Pascalis nomenclator et Campulus sacellarius, » Anastas. in Constantino : « Cosmus sacellarius, Sisinnius nomenclator. » Archiepiscopus Ravennas pontificiæ dignitatis æmulus, suum habuit nomenclatorem, ut patet ex hoc loco : « Etiam in officio magistratuum fuit nomenclator. » Symmach. libr. x, epist. 45 : « Is cum a me insequente tuitionis auxilium poposcisset, et unius nomenclatoris ut in urbe pacata, adminiculo fretus incederet. »

Num. 141, linea 17. — *Ut etiam de palatio caballos stratos dirigeret.* Legatis pontificiis caballi strati diriguntur, honoris causa. Caballus pro equo : hinc caballarii equites. Otho Frisingens *de gest Friderici*, lib II cap 24 : « Sed de caballariis nobilitatis tuæ. » Caballicata equitatus. Luitprand libr. III cap. ult. « Cumque eodem pervenisset, et caballicatas, ut vulgo aiunt, circum circa dirigeret. » Et caballicare idem est quod equitare. Idem lib. II, cap. 4 : « Ex dicto Burkardi comitis, si Italienses omnes uno uti tantum modo calcari, informesque non fecere equas caballicare, non sum Burkardus. » Et Anastas. ipse in Conone : « Sed et pallio ad caballicandum uti licentiam ei concessit. » Pallio ad caballicandum uti a Justiniano permissum Constantino diacono rectori patrimonii Siciliæ, id est, equo strato pallio ; quod non congruebat clericis, cap. *Clerici. de vit. et honest. cleric.* Bern. ep. 42.

Num. 142, linea 1. — *In basilica quæ Trullus appellatur intra palatium.* Synodus VI celebrata est Constantinopoli in Trullo. Trullus est palatium imperatoris, ut refert auctor hic in Leone II. Synodus habita est in secretario basilicæ quæ cohæret Trullensi palatio. Anast. hic : « Alia die catholicæ fidei

Digitized by Google

defensor pius princeps in secretario residens, » etc. Et infr. col : « Sequenti die in eodem secretario residente synodo. »

Linea 6. — *Post hæc Patritii, Ypati, omnesque inclyti introierunt.* Ὑπάτοι Græcis sunt consules. Suidas ὑπάτοι οἱ τῶν Ῥωμαίων πολιτείαν διοικοῦντες. *Consules qui rempublicam Romanam administrant.* Inclyti sunt senatores. Anastas. in Constantino : *Cum patriciis et omnibus inclytis.* Veteribus inclyti summates. Plaut. in Pseudol. : « Viris cum summis inclitæ amicæ. » Idem in Persa : « Jovi opulento inclyto, opegnato. »

Num. 143, linea 5. — *Et vocato Georgio diacono et chartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ, præceptum est ei, ut juxta eorum notitiam codices ex bibliotheca Ecclesiæ ad medium deduceret.* Chartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ erat custos chartarii seu archivi Ecclesiæ. De quo Codin. de Offic. magistri ecclesiæ cap. 1. Balsamon lib. VII. Jur. GR. de Chartophylac. Idem ad can. 18. Conc. Nicæn. et Meursius in Glossar. in verbo Καρτοφύλαξ.

Num. 145, linea 9. — *Ea hora sancta synodus una cum principe ejus orarium auferri jusserunt a collo ejus, et exsiliens Basilius episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit, et anathematizantes projecerunt eum foris synodum.* Macarius Antiochenus patriarcha ob hæresim depositus in synodo Trullensi, per ademptionem orarii. Eodem modo Constantinus antipapa depositus per demptionem et fractionem orarii. Anastas. in Stephano IV : « Iterum præfatus Constantinus ad medium allatus est, lectisque sacratissimis canonibus, ita depositus est. Accedens enim Maurianus subdiaconus, orarium de ejus collo abstulit, et ante pedes ejus projecit, et compages ipsius abscidit. » Solemnis depositio episcoporum fiebat detractione insignium, quæ in ordinatione conferuntur, puta orarii, annuli, baculi : ex conc. Tolet. IV, can. 27. Can. *Episcopus* II, qu. 3. Benedictus sedis apostolicæ invasor a Leone VIII depositus per abscisionem pallii, et fractionem ferulæ pastoralis, salvo diaconatu, Regino 2 Chronic. : « Tunc Leo apostolicus coadunata multorum episcoporum synodo, eumdem Benedictum Romanæ sedis invasorem judicio omnium ab invaso gradu deposuit, et pontificale pallium quod sibi imposuerat, abscidit; ferulamque pastoralem manu ejus abreptam, coram omnibus in frusta confregit, et ad preces imperatoris diaconatus et tantum gradu uti concessit. » Eodem jure Formosus Portuensis episcopus sedi apostolicæ incubator, mortuus e sepulcro detractus a Sergio Romano pontifice, et demptis pontificiis vestibus, tribusque digitis abscissis in Tiberim projectus. Luitprandus, lib. I, cap. 8 : « Nam Formoso defuncto, is qui post mortem Formosi papa constitutus est, expellitur, Sergiusque papa per Adelbertum constituitur, quo constituto, ut impius, doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum a sepulcro extrahere, atque in sedem Romani pontificatus, sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit, cui et ait : Cum Portuens's esses episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactare præcepit. » Idem Leo Ostiens. lib. I, cap. 9. Sic depositio magistratuum fit ablatis codicillorum insignibus, L. *Judices* C. *De dignit.* Et hoc est quod ait Joannes Chrysostomus in epist. ad Roman., cap. 53, reos damnatos priusquam supplicio afficiantur, spoliari ornamentis dignitatis suæ, ἀφελόμενοι τῆς τῶν ἀξιωμάτων τιμῆς. Et exauctoratio militum fit detractis insignibus militaribus, L. 2, ff. *De his qui not. infam.*, cap. 2. *De pœn.* in 6, id est cingulo seu baltheo et calcaribus; ut observatum est in degradatione Andreæ Hercle militis Anglici ob defectionem ad Scotum, de qua Thomas Walsingan. in Eduardo II ad ann. 1323 : « Nempe primo degradatus est amputatis securi ad talos suos calcaribus, et sic vicissim discinctus est baltheo militari, ablatis calceis et chirothecis. » Similiter et restitutio episcoporum fit redditis insignibus pontificiis, d. can. *Episcopus.*

Linea 20. — *Deinde absulerunt de diptychis ecclesiarum nomina patriarcharum, vel de picturis ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant, auferentes, id est Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri per quos error orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit.* In eadem synodo nomina patriarcharum damnatorum ob hæresim sublata de diptycis ecclesiæ, et imagines eorum e foribus vel aliis locis ecclesiæ ubi erant, erasæ. Sic ubi Joannes Chrysostomus depositus est, nomen ejus demptum e diptycis ecclesiæ, sed post mortem ejus ab Attico successore restitutum. (*Socrat.* lib. VII, cap. 25 : *Theodorit.* lib. V, cap. 35.)

Imagines patriarcharum schismaticorum sublatæ. Uti et tyrannorum imagines. Ambros. *de Interpellat.* cap. 9 : « Vide quemadmodum in civitatibus bonorum principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum. » Idem in *Psal.* 38 : « Hic si quis tyranni imagines habeat, qui jam victus interiit, jure damnetur. » Idem *de Offic.*, lib. I, cap. 49 : « Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi. » Philippici imperatoris hæretici imago a Romanis in Ecclesiam non admissa. Anastas. in Constantino : « Isdem temporibus cum statuisset populus Romanus nequaquam hæretici imperatoris nomen aut chartas vel figuram solidi suscipere, unde nec ejus effigies in ecclesiam producta est, nec suum nomen ad missarum solemnia proferebant. »

Num. 146, linea 1. — *Hic suscepit divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione pontificis facienda.* Romani pontifices coacti sunt, ut et minores episcopi, certam pecuniæ quantitatem præstare regibus Gothorum pro confirmatione. *Cassiod.*, lib. VIII, epist. 35. Pulsis Gothis onus semel impositum facile stetit apud imperatores Græcos. Et hoc turpe onus se subiisse dolens tradit Gregor. in IV Psalmo pœnitential. et Joannes diaconus in ejus Vit. lib. I, cap. 39. Nec melius actum est cum secutis eum pontificibus, donec hoc onus remissum est Agathoni a Constantino Pogonato, ut refertur hic, unde sumptus est can. *Agatho* 63, dist.

BENCINI.

Num. 140, linea 3. — *Theodorus archiepiscopus Ravennæ.* Celebraturus Agatho episcoporum Occidentalium synodum, misit evocatoriam ad episcopos, et inter alios ad Theodorum Ravennatensem, qui eam ut suscepit, pro hujuscemodi Encyclicarum more, denuntiavit clero suo, a quo, ut ad synodum Romæ indictam pergeret, effectum est. Aguellus tametsi schismaticum, quod fovebat, virus passim narrationibus suis inspergat, rem tamen quemadmodum se habuerit, sincere enarrat in Vita Theodori cap. 4, pag. 153 : « Igitur post paululum tempus ipse præsul dolorem in pectore servans nocendi suis sacerdotibus, recordatusque malum, quod in eum exercuerant, et quia minime poterat, ut volebat, suos parentes de rebus ditare Ecclesiæ, occulta suggestione Romam mittens ad Agathonem papam, quasi pro causa sanctarum Dei Ecclesiarum in fide catholica cum eo tractaturus, illuc eum juberet venire. Qui mox scripsit epistolam, ut Theodorus præsul pro sancta, et intemerata fide catholica Romam properaret. Qui ostensa coram omnibus suis sacerdotibus legens, replicuit, dixitque ad illos : Quid vobis videtur? Ecce apostolicam epistolam vidistis, et quod in ea continetur scitis; quid vobis videtur? Extra vestram non faciam voluntatem. Unum habemus consilium, fratres; una voluntas, unus animus sit : eamus, an cessemus? Illi in simplicitate respondentes, nescientes occultum consilium, dixerunt : Oportet nos omnes pro fide orthodoxa, et sancta Dei Ecclesia mortis subjacere periculo. Cum autem pervenisset Romam, subjugavit se, suamque

Digitized by Google

Ecclesiam sub Romano pontifice. Romanus gavisus pontifex, qui acquisierat quod præ cessores sui perdiderant, gratulanter susceptt eum, et consensit ei quidquid postulavit, et quod petiit, largitus est voluntati ejus. » Vides Agnelli præjudicatam mentem, qui astum et fraudes in Theodoro episcopo fingit, cum tamen jam antea decretum ea de re vulgatum, ut eligendus Ravennatium episcopus Romam pro consecratione pergeret, ipsemet asseverasset. Certe Agathonem in synodo occidentalium reparasse jure Ecclesiæ suæ, atque ibi aliquam definitionem procurasse, nemo valet ambigere, qui ejus ævi consuetudines norit. Imo evocatio ipsa primatis ad synodum, et totius Ravennatensis cleri consensio satis edocent, jam cassatam, sublatamque contentionem de autocephalico jure, et Agnellum studio partium abreptum culpasse Theodori moderationem.

Linea 12. — *Theodorum presbyterum Ravennatem.* Hic ab Agnello ibid. dicitur Ravennatensium archipresbyter. Interim cum nomine Agathonis, et concilii Occidentalium ad synodum Orientis directus fuerit, manifesto liquet, juribus apostolicæ sedis supra Ecclesiam Ravennatensem jam plene satisfactum fuisse.

Num. 141, linea 1. — *Indictione* VIII. Hæc quoque verba sumpsit Anastasius ex Paulo diac. lib. VI, c. 5, scribente : « Hujus temporibus per indictionem VIII luna eclipsim passa est. Solis quoque eclipsis eodem pene tempore, hora diei quasi decima, quinto nonas Maias effecta est : nox subsecuta est gravissima pestis tribus mensibus, hoc est Julio, Augusto et Septembrio. Tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres cum sororibus, bini per feretra positi apud urbem Romam ad sepulcra deducerentur. »

Linea 18. — *Ea ipsa commonens.* In commonitorio dato legatis apostolicæ sedis, quos instruxerat codicibus et sinceris testimoniis SS. Patrum, caverat pontifex ut si quando Orientales ad Patrum fidem et sententias in synodo appellarent, ea ad hæc authentica exemplaria conferrent, et quæ dissona iis deprehendissent; constanter abjicerent. Comperta jam pridem erat Monothelitica vafrities in synodica Petri ad Vitalianum scripta; atque adeo legatorum sedulitas hisce veritatis subsidiis non immerito communita fuit, ut in disputatione cum Monothelitis instituenda præsto haberentur. Nec eventus fefellit pontificem; quippe, ut infra testatur Anastasius, *inquisitione de ipsis codicibus facta, ita reperit, falsa noviter addita fuisse.*

Num 145, lin 26. — *Latine celebraret.* Ad plenam ostensionem unionis inter Ecclesias Orientis, atque Occidentis, Joannes legatus Portuensis episcopus Latino ritu missarum solemnia celebravit; et quidem in azymo : quod observavit Hilarus monachus in oratione dialectica de Pane mystico Græcorum, et azymo Latinorum. « De sexta synodo, scribit ille, apud Patres legi, postquam Monothelitarum hæresis condemnata fuisset, in octava Paschæ Constantinopoli, in templo sanctæ Sophiæ Deo gratias Latine celebrasse, Græcis omnibus modum Latini sacrificii collaudantibus. »

Num. 146, linea 2. — *Revelata est quantitas.* Servitus hæc a regibus Gothorum imposita est electis pontificibus, ut non nisi post certam summam regio erario persolutam, faciendæ ordinationis licentiam obtinere possent. Agit hac de re multis Cassiodorus lib. IX, epist. 11, pag. 589. Imo excusso Gothorum in Italia jugo, eaque Justiniano vindicata, summam pecuniæ eamdem Orientis imperatoribus pro consecrationis placito solvere debuerunt pontifices. Hoc, quidquid erat, oneris remisit Constantinus Pogonatus, retento sibi tamen jure subscribendi decreti, quod in pontificia consecratione supererat postulandum. Pariter Ravennatensem Ecclesiam imperiali cameræ per archidiaconum certam summam erogasse, prodit Agnellus in Vita Mauri Ravennat. episcopi, dum scribit Benedictum diaconum ex solo patrimonio Ecclesiæ Raven. quod in Sicilia erat, excerpserit « præter quinquaginta millia modiorum tritici sine quibusvis aliis aristis, aut leguminibus, pelles arietum rubricatas, et hyacinthinas, casulas, pluviales sericis exornatos, et cætera indumenta, vasa de auricalco, et argento solidorum aureorum triginta millia, ex quibus quindecim millia in palatio Constantinopolitano, et sedecim millia in archivo ecclesiæ deportavit. »

BINII ET LABBEI.

Num 140, linea 1. — *Agatho.* Constat ex epistola Constantini imperatoris, quam pridie Augusti, indictione sexta, anno Domini 678, ad Donum pontificem destinarat, Agathonem circa eadem tempora post obitum Doni thronum apostolicum conscendisse, jussuque Occidentalium episcoporum in Italia, Gallia, et Anglia diversa concilia celebrata fuisse, cum intellexissent quæ de œcumenico concilio in causa Monothelitarum congregando imperator ad Donum perscripserat. Hujus temporibus prædicatio Evangelii apud Grisones, et Saxones Australes, per Wilfridum Eboracensem episcopum inchoata, opera Willebrordi consummata fuit.

Annos duos, menses sex. Tribus annis et mensibus plus minus quinque Agathonem in sede pontificia sedisse, verius constat ex iis quæ super notavi ad Vitam Doni pontificis, et ex tabulis ecclesiasticis, quæ eumdem indictione decima VI Idus Januarii anno 682 defunctum fuisse anniversaria memoria colunt, et repræsentant. Eumdem mense Decembri indictione decima adhuc superstitem fuisse patet ex epistola Constantini allegato tempore ad Agathonem destinata. Exstat in fine actionis XVIII sexti concilii œcumenici.

Linea 5. — *Hic suscepit divalem jussionem.* Exstat inter præambulares concilii VI.

Linea 9. — *Et direxit Abundantium*, etc. Nomine sedis apostolicæ legabantur Theodorus, et Georgius presbyteri, et Joannes diaconus, qui tres munere legationis apostolicæ fungentes, singulis actionibus concilii œcumenici præsederunt, ut apud acta ejusdem concilii aperte constat. Reliqui quos cum legatis sedis apostolicæ confuse nominat Anastasius a Romano concilio deputati fuerunt : eo nimirum fine, ut acceptam synodicam imperatori offerrent, quæve Occidentalium episcoporum de voluntatibus, et operationibus Christi sententia esset, ipsi coram etiam edicerent.

Num. 141, linea 8. — *Decima mensis Novembris.* Aberrat Anastasius; cum enim Constantinus imperator post adventum legatorum in urbem, sacram illam, de qua supra dixi, ad Georgium Constantinopolitanum scripserit IV Idus Septembris, necessum est affirmare, quod vel circa finem Augusti, vel sub initium Septembris utraque legatio in urbem venerit. Adde quod œcumenicum ipsum concilium sub præsidio legatorum sedis apostolicæ jam præsentium, septima Novembris inchoatum fuisse legatur. Emendari potest textus. si pro 10 Novembris legatur 10 Septembris.

Num. 142, linea 1. — *Die vigesima secunda mensis Novembris.* Ab hoc loco usque ad finem Vitæ Agathonis Anastasius describit actorum synodalium breve compendium, in quo plura inveniuntur, quæ in ipsa sexta synodo desiderantur : contra vero desunt complura, quæ in exstantibus actis synodalibus scripta reperiuntur.

Num. 144, linea 1. — *Sequente die*, etc. Hæc quæ sequuntur usque ad illum locum : *Macarius vero cum suis*, etc. apud acta synodalia desiderantur.

Num 145, linea 19 et 20. — *In exsilio in Romanam directi sunt civitatem.* Errat Anastasius ; non enim ad exsulandum, sed ad prosequendum quam interposuerunt appellationem ab imperatore Romam ablegati sunt, ut constat ex epistola Constantini

Digitized by Google

imperatoris ad Leonem papam, quæ exstat in fine actionis 18, actorum concilii VI. Accedit quod nullum exstet exemplum quo relegandis hæreticis pro loco exsilii urbs Roma unquam decreta fuerit.

Num. 146, linea 2.— *Per quam revelata est quantitas, quæ solita erat dari.* Gothorum reges Ariani, et impii per tyrannidem constituerant primum, ne quis ordinaretur Romanus episcopus, qui non ante habito consensu regis, certam pecuniæ summam et quantitatem solvisset. Eamdem pensionem imperatores Orientis post exactos Gothorum reges solvi petiverunt, ut constat ex querela sancti Gregorii, hac de re gravissime in Commentariis Psalmi IV pœnit. conquerentis, quod nimirum sibi legitime ad pontificatum vocato et electo, muneris sui functionem non prius exsequi licuerit, quam data pecunia illam ab imperatoribus redemisset. Constantinus vero imp. IV, retento adhuc jure confirmationis antiquitus per tyrannidem usurpato, iniquissimam pecuniæ exactionem abolevit. Quando autem ab altera tyrannica servitute, qua electos pontifices ab imperatoribus confirmari oportebat, Ecclesia liberata fuerit, dicemus in Vita Benedicti papæ II.

Lin. ult.— *Annum unum*, etc. Sententiam Anastasii de interregno sedis pontificiæ confirmat canon secundus concilii Toletani XIV, ex quo patet Leonem II, successorem Agathonis, anno quo celebratum est allegatum concilium Toletanum 684 adhuc superstitem fuisse. Quare cum omnium sententia Leo non nisi decem mensibus et septemdecim diebus pontificatum obtinuerit, necessum est affirmare ab obitu Agathonis, usque ad initium ejusdem Leonis tanti temporis interregnum intercurrisse.

CENNI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Interpontificium a Doni obitu, si mihi excipiantur cod Ambros I et catal Veronen, qui habent menses 3, dies 15, cum Colbert sexto nullos dies memorante, cæteri omnes tum codd., tum catalogi constanter definiunt menses 2, dies 15. Quapropter ab emortuali die 11 Aprilis an. 679, interpontificio enumerato mensium duorum ac dierum quindecim, 26 Junii reperitur littera Dominicalis B indicata, ac proinde Agathonis ordinationi debita. Hinc vero ad ejusdem mortem, seu depositionem ab Anastasio consignatam 10 Januarii die, præter duos annos solidos, ac menses sex, qui nullo prorsus discrimine ab omnibus tribuuntur sedi Agathonis, non dies 4 aut 3, ut inconstanter plures codd. et catalogi, sed 14 numerantur cum quarto, et sexto catalogis Colbertinis, quorum auctoritate nititur Pagius, necnon cum Corbeiensi altero, et Veronensi nunc primum edito, qui omnes recte habent annos 2, menses 6, dies 14. Ac proinde S. Agatho consecratus an. 679, die 26 Junii sedet usque ad 10 Januar. 682.

Chronologi jam partes implevi: at vindicandi nunc restant codd. et catalogi, qui angustos adeo limites pontifici huic circumdant, ut rerum copia ingens, quæ illius temporum nobis superest, iisdem contineri non posse viris doctissimis visa sit. Horum præcipui Baronius, Papebrochius, Benedictus Bacchinius, et Antonius Pagius, de anno ac die depositionis conzentientes, annuo spatio altius, nempe a 678 primordia pontificatus repetenda esse contendunt. Equidem ut ne eorum opinionibus singillatim confutandis insistam, quod esset ab instituto prorsus recedere, expediam, quam fieri potest brevius, seriem rerum, quæ recentiores ab Anastasio dimoverunt, conferendam postea a studioso lectore cum eruditis dissertationibus Papebrochii in *Conatu Historico-Chron*, Bacchinii in *Lib pont Raven Agnelli*, et Antonii Pagii in *Critica Bar* ad annos præsertim 677, 678 et 679, eamque pro viribus explicabo.

Omnino duo sunt, quæ illas retro abire compulerant: 1. Principium concilii Romani sub Agathone, quod in collectionibus omnibus, post Regiam a Syrmondo curatam, habet: « In nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi imperantibus dominis nostris piissimis Augustis Constantino Majore imperatore anno vigesimo sexto, post consulatum ejus anno decimo, sed et Heraclio, atque Tiberio nonis [*al.*, novis] Augustis ejus fratribus vicesimo secundo, indictione septima, mense Octobri, præsidente Agathone sanctissimo, atque ter beatissimo apostolico, universali papa. » 2. Alterum est S. Wilfridi Eboracensis archiepiscopi subscriptio synodica alius concilii Romani, quæ legitur in actione 4 concilii generalis VI: « Wilfridus humilis episcopus S. Ecclesiæ Eboracenæ insulæ Britanniæ, legatus venerabilis synodi per Britanniam constitutæ in hanc suggestionem, quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus similiter subscripsi. » Horum nodorum primum breviter hic dissolvam; alterum vero, utpote cum enarrandis rebus conjunctum, postquam omnia explicavero.

Laudatum concilii Romani principium quatuor characteres temporum continet inter se pugnantes, qui annos quatuor, aut certe tres, diverso præseferunt: 677, 678, 679, 680. Post consulatus siquidem decimus Constantini Pogonati, qui tanquam tribunitias potestates eos numerat, ut eruditissime observat Pagius in *Ep. hypat.* p. III, cap. 4, mense Octobri indicat annum 677, nam cœpit ab anno illatæ Constanti cædis 668, die quinta decima Jul. juxta Anastasium, et alios tum antiquos, tum recentes auctores, tametsi Pagio lubeat indefinito die post 16 Septembris, et ante diem 7 Novembris, qua in re mihi secum convenit: non enim hac una ope indigeo, ut illi adverser. Indictio septima mense Octobri recurrens anno convenit 678. Annus vicesimus sextus Constantini, qui anno 654, a Constante patre dicebatur Augustus mense Aprili, post diem 26 ejusdem mensis annum indicat 679. Denique annus vicesimus secundus Heraclii et Tiberii, incipiens inter dies 26 Aprilis et 9 Augusti, cum dicti creduntur Cæsares anno 659, respondet anno 680. Prætereo incongrua nomina Heraclii et Tiberii, qui appellantur novi Augusti: cum non modo Augusta dignitate nunquam processerint, verum Cæsarea ipsa, ut Theophanes observat, exuti fuerint a fratre Pogonato, tametsi id factum sequenti anno, cum Justinianum filium in consortium imperii sibi ascivit. Prætereo quam quod novos Constantinos acclamari Augustos ob rerum merita, ex conciliis patet, ut observat Ducangius (*Dissert. de num. inf. ævi cap.* 29), novos autem Augustos honoris causa, eosdem dictos non liquet: ac propterea Pagius, recte expunctis hujusmodi titulis, in eorum locum illos revocat, qui in actionibus concilii sexti leguntur. Quæ cum ita sint, concilium a posteriori imperita manu hujusmodi rebus insperssum coegisse doctissimos viros, tum ad rejiciendam Anastasii auctoritatem, tum ad emendandos tot antiquos scriptores, non mirari non possum. Eoque id magis, quod id collectionibus conciliorum, post relatum hoc concilium (anno scilicet 680, aut 679) ex cod. ms., aliud statim profertur ex Malmesburio, in quo causa Wilfridi tractatur quæ sileur in primo; et vocatur aliud exemplum ejusdem concilii, aut saltem alia actio: utriusque cognitio autem ex dicendis pendet.

Venio ad alterum caput, nempe ad subscriptionem Wilfridi, cui præmitto eam partem historiæ, quæ ad rem attinet, ex Beda et Radmero, collatis cum edito Stephano (ap. *Mabillon.* sæcul. IV Bened.), unde Pagius derivat sua. S. Wilfridus ob privatas Ermemburgæ reginæ simultates ab Ecgfrido rege Eboracensi episcopatu privatur, tribus in ejus diœcesi episcopis ordinatis per Theodorum archiepiscopum Cantuariæ, dum sanctus Wilfridus abest. Redit vir sanctus, res novas miratur, cum rege nequidquam queritur, appellat Romam. Tunc nonnullos ex astantibus risu suis casibus insultantes suaviter reprehendens: « Et o, inquit, filii! felici prosperitate

Digitized by Google

ducatis tempora longa : sed noveritis, quantocius sors infesta resolvet hæc gaudia vestra : nec prius hunc annum transisse videbitis, quam istas, quas super me derisiones habetis, acerbo mœrore luatis. » (Ita *Eadmer.* c. p. 4.) Deinde narrat Eswini seu Elfuini adolescentis fratris Ecgfridi cædem in prælio, quod Henschenius ex Chronologia Ang'o-Saxonica evenisse ait anno 679, quare Mabillonius recte S. Wilfridi expulsionem (*in annal. Benedict.*) refert ad superiorem annum 678, quod ante eum fecerant Beda (*hist. Angl.* l. IV, c. 12) et auctor catalogi episcoporum Eboracensium a Simeone Dunelmensi relati, quem edidit Seldenus. Utrumque autem respuit Pagius, Bedam scilicet, quia cum eodem anno 678 copulavit cometam illum, de quo controversia est inter recentiores, aliis 676, aliis 677, aliis demum 678 apparuisse contendentibus, ut dixi in notis Adeodati catalogum vero Simeonis, alia ejusdem catalogi editione ex bibliotheca mss. Labbeiana referentis expulsionem anno 678 refellit. Et quia Eddium æqualem et comitem S. Wilfridi, habet contrarium, nam cum Eadmero concinit, aiens cap. 23 : « Hoc anniversario die qui, nunc rideletis, in meam pro invidia condemnationem, tunc in vestra confusione amare flebitis : » anniversarium diem etiam post multos annos intelligi docet sermonum divi Leonis auctoritate. Verum rectæ hujusmodi eruditioni non est locus, cum constet ex prædicto chronico, quod prælium inter Ecgfridum et Alredum commissum fuerit anno 679, plurimique auctores tum antiqui, tum recentiores cum præcedenti anno 678 illigantes S. Wilfridi expulsionem, corrigendi veniant, præsertim Eadmerus et Malmesburius facile omnium principes in rebus Anglicis enarrandis, quos ego sequor. At redeo ad S. Wilfridum.

Itaque e sua sede expulsus, unde *per decennium exsulasse* ait laudatus catalogus, conscensa navi, eodem anno in Frisiam appulit, totamque hiemem ibi transegit magno ejus gentis bono, namque Evangelium ei annuntiavit. Adveniente vere, iter prosequitur Romam per Gallias, quo non statim pervenisse Eadmerus docet, invisisse cum tradens amicissimum sibi regem Dagobertum, deinde Campaniæ (Rhemensis) ducem Bertherum; non enim credibile est, apud utramque aulam breves eum moras traxisse, ut recte Pagius, qui eum ante Octobris mensis initium ad urbem non pervenisse ait, qua de re mihi secum constat. Romam igitur perveniens, ubi causa ejus probe erat cognita, nam archiepiscopus Theodorus præmiserat cum sua instructione Coenwaldum monachum, plurimos civium habet obvios, « et magno vulgi favore (sunt verba Eadmeri) susceptus, in aulam beati Petri venerauter adductus est. Pontificatum, *prosequitur*, apostolicæ sedis beatæ memoriæ Agatho tunc regebat vir justus, et simplex, ac in rebus ecclesiasticis non mediocriter solers. In cujus, ac plurimorum episcoporum præsentia cum B. Wilfridi causa esset præsentibus accusatoribus ventilata, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse, et episcopatu dignus esse comprobatus est. Quo in tempore cum idem papa Romæ synodum congregaret centum viginti quinque episcoporum, adversus eos, qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari jussit B. Wilfridum, atque inter episcopos considentem dicere fidem suam, simul et provinciæ de qua venerat. » Eadem aperte narrat Beda lib. v, cap. 20, et Eddius Stephanus, necnon Malmesburius, apud quem legere est decretum concilii primi conceptis his verbis : « Ut Deo amabilis Wilfridus episcopus episcopatum, quem nuper habuerat, suscipiat, et quos cum consensu concilii ibidem congregandi elegerit sibi adjutores, a sanctissimo archiepiscopo ordinati promoveantur episcopi, expulsis procul eis, qui in ejus absentia in episcopatum enormiter missi sunt, et cætera, quibus interdicunt, hæ non suscipientes decreta. His decretis, gloriabundus episcopus etiam jussu papæ jussus A est residere in numero sanctorum episcoporum 150, qui agitabant consilium contra illos, qui unam operationem, » etc. Ex quibus palam fit, duo celebrata esse concilia duobus diversis annis. Primum scilicet mense Octobri, ut est in ejus principio, cætera mendosissimo, celebrabatur : alterum vero tertio die Paschatis esse habitum docet Eddius cap. 50, adeoque sequenti anno.

Quamobrem ex historia rerum, quas hucusque narravimus auctoritate antiquorum mirifice consentientium, contra recentiores qui annuo spatio eas pervertunt, pro certo habemus S. Wilfridum e sua sede pulsum anno 678, adventasse Romam anno sequenti, incerto mense, ibique absolutum fuisse in concilio quinquaginta Patrum, mense Octobri ejusdem anni 679, ac demum interfuisse concilio, feria tertia Paschatis anni 680, nempe 27 Martii, celebrato contra hæresim Monothelitarum ab Agathone pontifice, et centum viginti quinque episcopis. B Quæ cum ita sint, laudatum concilii principium quare corruptum fuerit non difficile inventu est. In eo siquidem indictio sumitur Romano more a Kalendis Januariis, ita ut septima conveniat toti anno 679, cui annus 26, Constantini tribuitur! Post consulatus autem decimus non juxta novam Pogonati mutationem in fastis, sed juxta veterem consuetudinem sumitur ab anno post consulatum sequente 669. In quarta vero epoche, nempe in annis Tiberii, et Heraclii esse erratum nihil mirum, cum Græci annum Cæsareæ dignitatis illis collatæ non memorent, quem ex actionibus concilii n oportet eruere : nisi forte qui concilii acta in codicem retulit, totque additamentis illa insperset, ut eruditi agnoscent, etiam in annis Cæsarum consignandis, biennio iisdem addito, data opera erravit.

Cæterum nihil melius rem comprobat, quam constituta, et acta eorumdem conciliorum, quæ diligentius mihi spectanda esse intelligo. In concilio C igitur primo Romano mense Octobri an. 679 celebrato decernunt Patres quæ spectant ad turbatam Ecclesiæ Anglicanæ disciplinam, puta ob tres episcopos in S. Wilfridi diœcesi ordinatos eodem ejecto; cumque hujusmodi decretis mittunt Joannem monachum S. Martini archicantorem Ecclesiæ S. Petri; cui præterea tradunt exemplum concilii Lateranensis a S. Martino celebrati adversus Monothelitas. Alia vero in synodo habita ab iisdem Patribus eodem mense, seu potius alia in actione ejusdem synodi S. Wilfridus absolvitur, jubeturque, ut vidimus, cum aliis 125 episcopis, qui de die in diem veniebant Romam ad concilium, in eo sedere, et sententiam ferre cum cæteris. Et sane die 17 mensis Septembris seq anni 680 (Bacchinius ignorans, Bedam uti indictione Cæsarea, quæ incipit die 24 Septembris, a Pagio perperam discedit) celebratur in Anglia concilium, quod Hedtfeldense a loco dicitur : inque eo suscipitur Martini concilium, fitque professio fidei, D et « intererat (Beda, *Hist. Angl.* lib. IV, cap 18) huic synodo, pariterque catholicæ fidei decreta firmabat vir venerabilis Joannes archicantor ecclesiæ S. Petri, et abbas monasterii B. Martini, qui nuper venerat a Roma per jussionem papæ Agathonis. » Eodemque capite tradit Beda, potissimam causam, cur Joannes in Angliam mitteretur, fuisse, ut ejus insulæ fides exploraretur : necnon Joannem postea redeuntem Romam in itinere occubuisse, atque ejus synodi decreta ab alio ad urbem lata esse. De disciplina autem nihil in eo concilio actum : nam regis jussu turbata erat, ac proinde connivere tum oportuit, quæ ratio est, cur siletur de S. Wilfrido, cujus innocentia, et sanctimonia quanquam e sede pulsi ob invidiam Ermemburgæ reginæ, tum archiepiscopo Theodoro, tum cæteris Anglicanis episcopis, tum denique ipsi Ecgfrido notæ erant.

Ad eumdem Wilfridum quod spectat, Joanne in Angliam proficiscente, hic jussu pontificis moratur

Digitized by Google

Romæ, adestque concilio ibidem anno 680, celebrato, in quo præclarum fidei monumentum pro se, suaque insula, ab eo præstitum Eddius, Beda, Malmesburius, et Eadmerus nobis servarunt, conceptis his verbis : « Wilfridus Dei amabilis episcopus Eboracensis civitatis apostolicam sedem de sua causa appellans, et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et cum aliis centum viginti quinque coepiscopis in synodo judicii sede constitutus [*Eadmer. habet in synodi judiciaria sede*] pro omni aquilonali parte Britanniæ, et Hiberniæ insulis, quæ ab Anglorum, et Brittonum, necnon Schottorum et Pictonum gentibus incoluntur, veram et catholicam fidem confessus est, et conscriptione [*Eadmer.*, et eum subscriptione] corroboravit. » Qua Romana synodo absoluta, non statim missi legati Constantinopolim, nam professiones fidei transmontanæ exspectabantur,' et quamvis Anastasius Agathonem quantocius id fecisse doceat : *quod et ordinare non distulit :* cum tamen didicerim, præsertim ex Martino exsule, Roma Constantinopolim perveniri bimestri, et paucorum dierum ad summum itinere, nonnisi Julio mense ineunte anni 680, video missos esse legatos, qui 10 die Septembris, juxta eruditos recentiores Constantinopolim pervenerunt; quare tribus amplius mensibus, quæ ultra montes fierent, exspectatum. Nec nisi solido anno pontificatus Agathonis elapso, missi sunt legati. At demum venerint, necne, legationes synodorum Galliarum legati interfuerunt Romano concilio ut constat ex synodica allata ab Agathonis legatis Constantinopolim duo episcopi, et Taurinus diaconus; atque unus legatus Britannicæ synodi, quæ nondum celebrabatur, Wilfridus : ii vero, si per privatas epistolas legationis munus susceperunt, a suis synodis legati intelliguntur; sin minus, ab ipso pontifice Galliarum, et Britanniæ fidei probe instructo ab iisdem episcopis, legatos renuntiatos esse probabile est. Profecto dubitari non potest, quin legatos suarum synodorum se subscribant, multoque minus dubitari potest, quin nullibi cognitum adhuc esset de recta fide per synodos synodica ipsa teste : « Et maxime quia in medio gentium tam Longobardorum quamque Sclavorum, necnon Francorum Gallorum, et Gothorum, atque Britannorum plurimi confamulorum nostrorum esse noscuntur, qui et de hoc curiose satagere non desistunt, ut cognoscant quid in causa apostolicæ fidei peragatur : qui quantum prodesse possunt, dum in consonantia fidei nobiscum tenentur, nobisque concorditer sentiunt : tantum, quod absit, si quid scandali in fidei capitulo patiantur, inveniuntur infesti, atque contrarii. » Præterea tam Gallorum episcopi, quam Wilfridus in subscriptionibus se appellant *legatos synodi per Galliarum provincias*, seu *per Britanniam, constitutæ*, quæ sane concinunt cum synodica.

Jam vero enarratis quæ ad rem nostram faciunt reliquum est, ut eadem congruere ostendam sedi Agathonis, quam ab anno 679 inchoandam esse aiebam contra recentiorum opinionem. S. Agatho consecratus pontifex die 26 Junii ann. 679, non multo post suscepit, per Epiphanium gloriosum a secretis, divalem, quam Pogonatus ad Donum ejus prædecessorem dederat mense Augusto superioris anni, cui redditam fuisse non constat; incertum, num mora ab imperatore, an valetudo pontificis, an forte utrumque, octo illam menses retardaverint. Juxta eam divalem S. Agatho, quippe quæ agebat de vi generali synodo adversus Monothelitas convocando, per suas litteras episcopos omnes Italiæ admonet, ut quantocius Romam veniant; nam definire, iis congregatis, volebat de controverso tunc temporis articulo fidei, suamque definitionem in synodo confirmatam, mittere in Orientem per suos legatos, qui generali concilio ejus nomine præsidentes, eamdem ibi stabiliri curarent. Parent apostolicis jussis episcopi, eorumque pars magna Romæ jam degebat mense Octobri, cum Wilfridi causa synodaliter discussa est, præsente etiam Deodato Tullensi episcopo, qui nuper ex Gallia venerat cum Wilfrido. Eodem mense stabilitur, mittendum esse in Britanniam Joannem abbatem, quo agente et præsente Hedtfeldensis synodus sequenti anno 680 in Anglia celebratur. Sed ante hanc synodum Anglicanam, habetur Romæ concilium 125 episcoporum die vicesima septima mensis Martii ejusdem anni. Cumque omnia præsto essent, legati adhuc trimestri saltem spatio detenti sunt Romæ, in spem transmontani reditus eorum quos miserat exploratum, num ubique omnes Monotheliticam pravitatem detestarentur, ut ita totius patriarchatus Occidentalis confirmatione rectam fidem ab Agathone definitam, Oriens universus, ac generale totius catholici orbis concilium, Romano eodem pontifice per suos legatos præsidente, decerneret. Iis vero haud opportune redeuntibus, legatos tandem cum suis litteris, et synodica Constantinopolim proficisci jubet; cui synodicæ ii omnes subscribunt qui concilium celebraverant. Cætera satis liquent.

Itaque recte cum Anastasii codicibus tam mss. quam editis, auctoritate insuper catalogorum et auctorum magni nominis apud veteres, opinionem recentiorum everto, mendosissima concilii Romani primi ætate inhærentem. Idque num recte conatus sim, lectio dissertationum eruditorum eorumdem ostendet, præsertim Pagii, quem videre erit novam viam ingressum quovis passu offendiculis retardari, quæ totam antiquitatem reprehendendo ausus est evadere.

CIACONII.

Num. 140, lin. 1.—*Agatho natione Siculus.* Pannonii Amonis filius Aquilani castro vallis Siciliana in provincia ulterioris Aprutii, monachus ordinis S. Equitii S. R. E. presbyter cardinalis imperatore Constantino quinto Pogonato Augusto, sedit annos duos, menses sex, consecratus VII Idus Junii die Dominico, anno Christi 679, Christianorum octogesimus et duodecimus papa regnicola.

Num. 145, linea 1. — *Residente synodo.* Hoc est sextum generale concilium 289 episcoporum ad Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, et Constantinopolitana duo, adjectum, quibus summa fidei Christianæ fundata est. Prima enim synodus 318 Patrum Nicææ habita est pontifice Silvestro, ac Constantino Magno principe, contra Arium, qui diversas in Trinitate substantias ponebat.

Secunda Constantinopoli 150 Patrum, Damasi papæ, et Gratiani principis temporibus, contra Macedonium, et Eudoxium, negantes Deum esse Spiritum sanctum.

Tertia in Epheso 200 Patrum; Cœlestino pontifice, et Theodosio juniore imperatore contra Nestorium Constantinopolitanum episcopum, qui Virginem hominis tantum genitricem appellavit, quippe aliam personam carnis, aliam faceret divinitatis, et sejunctim alterum esse Filium Dei, alterum hominis prædicaret.

Quarta Chalcedone, quæ urbs e regione Byzantii est, 630 Patrum, Leone primo pontifice, et Martiano principe, contra Eutychem Constantinopolitanum abbatem, qui asserere non dubitabat Christum post humanæ naturæ assumptionem, non ex duabus naturis constare, sed sola divina contentum esse.

Quinta Constantinopoli contra Theodorum, et hæreticos omnes, qui Mariam Virginem solum hominem peperisse dicebant non Deum et hominem :. qua in synodo constitutum est, ut beata Virgo Theotocos diceretur, quia verum Deum et hominem peperit.

Has secuta est Constantinopolitana tertia contra Monothelitas, sub Agathone, de quo hic Anastasius.

THOMÆ ACETI ADNOTATIO.

Num 140, linea 1. — *Natione Siculus.* Apud om-

Digitized by Google

nes compertum est Calabriam nomine Siciliæ vocatam esse, et reges Calabriæ et Siciliæ, utriusque Siciliæ titulo insigniri; quinimo antiquioribus sæculis Calabriæ partem Pharo proximam Siciliæ nomine vocatam esse ut constat ex Thucydide lib. III qui Messanam et Rhegium Siciliæ urbes ditissimas scribit. Hinc evenit ut aliquos sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifices ad Calabriam pertinentes confusione nominis hallucinati scriptores, nihil distinguentes ex qua Sicilia iidem fuerint. Unus ex pontificibus Calabriæ subreptis est Agatho, qui fuit Rheginus. Ut videre est apud Maraficium Chronic. Calab. lib. I.

MAFEI.

Num. 140, linea 9. — *Et direxit Abundantium Paternensem.* Subactis barbaris, qui Romanum populabantur imperium, Constantinus Pogonatus ad pacem firmandam in Ecclesia ob Monothelitarum hæresim jam multos annos discerpta, ad Donum pontificem, quem adhuc putabat superstitem, litteras dedit, ut viros apostolicæ sedis auctoritate munitos dirigeret, per quos hæresis profligaretur in cogenda universali synodo Constantinopoli. Dono autem ab humanis amoto, litteræ sancto Agathoni redditæ sunt, a quo Romæ coacto concilio centum viginti quinque episcoporum, delecti fuerunt patrum suffragio Joannes episcopus Portuensis, Abundantius episcopus Paternensis, et Joannes episcopus Rhegitanus sive Rhegiensis, legati Constantinopolim synodi loco profecturi, Monothelismum causa conficiendi. Unde cæteri quos Noster confuse enumerat, Theodorus nempe, et Georgius presbyteri, Joannes diaconus, Constantinus subdiaconus, et monachi, ad legationem a Romana synodo ad imperatorem directam non pertinent; sed ad aliam, quam sanctus Agatho nomine suo Constantinopolim misit. Theodorus vero presbyter Ravennas, cujus etiam meminit Anastasius hoc loco, vices gessit Theodori Ravennatis archiepiscopi; quæ omnia patent, tum ex actione prima, tum ex subscriptionibus ejusdem sexti universalis concilii. Duæ hæ legationes simul profectæ sunt, quod intelligimus ex litteris ejusdem Constantini imperatoris ad Georgium Constantinopolitanum episcopum, in quibus leguntur sequentia: « Agatho sanctissimus nuper ordinatus papa in apostolica sede prælictæ antiquæ Romæ, hujusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in præsenti propriam ejus indutos personam Theodorum, et Georgium Deo amabiles presbyteros, et Joannem Deo amabilem diaconum; ex persona vero totius ejus concilii Joannem, et Abundantium, et Joannem venerabiles episcopos, cum cæteris clericis et monachis. »

Cæterum in epistola, quam Agatho per suos legatos ad Constantinum transmisit, quæ lecta fuit in sexta synodo actione IV, locus insignis est, qui cum magnopere faciat ad amovendam omnem suspicionem hæreseos Monothelitarum ab Honorio pontifice, libenter a me in hanc adnotationem transfertur: « Hæc est enim veræ fidei regula, inquit sanctissimus pontifex post valide conflixum Monothelitarum errorem, quam et in prosperis et in adversis veraciter tenuit ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi imperii, apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: *Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum: quorum et pusillitas mea licet impar et minima, pro suscepto tamen a divina dignatione ministerio, pedisequa cupit existere. » Qua fronte enim S. Agatho asseruisset, nullum ex Romanis pontificibus ab orthodoxa fide deflexisse, si eamdem hæresim Monothelitarum, quam sua epistola ad imperatorem pontifex damnabat Honorius fovisset, suoque scripto confirmasset?

Num. 145, linea 17. — *Macarius vero cum suis amatoribus.* Refert Anastasius Macarium patriarcham Antiochenum Monothelitarum antesignanum, una cum asseclis, qui tum in vivis degebant, Romam missos fuisse, ut in Urbe exsularent. Quoniam vero ab Orientis imperatoribus nunquam ad ætatem usque Macarii pro loco relegationis Roma decreta fuisse legitur, causa, cur Macarius cum sociis Romam directus fuit, alia profecto ab ea, quam Anastasius describit, est statuenda. Non enim ut exsularent in Urbe, sed ut prosequerentur appellationem, quam Macarius cæterique eadem hæresi infecti interposuerant ad Romanum pontificem, Romam ab imperatore fuerunt ablegati, ut legitur in ejusdem imperatoris sacra ad Leonem secundum, in qua postquam scripsit Macarium et socios Monothelitas per generale concilium pontificali habitu nudatum fuisse, subdit: « Omnes vero scriptis precibus serenitatem nostram communiter precati sunt, ut eos ad vestram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes. » Si quis vero cum doctissimo Baronio suppositionis arguat hanc epistolam Constantini ad Leonem II, is a me quanquam in præsenti non refellitur, non minus tamen certum debet existimare, Macarium, et eos qui circa duas Christi voluntates ad Patrum fide defecerant, Romam missos fuisse, ut apostolicæ sedis subderentur judicio. Etenim in epistola ad Romanam synodum data a Constantino per eosdem legatos a synodo Constantinopolim missos, de Macario ejusque sociis idem asseritur sequentibus verbis: « Cujus universalis conventionis communi sententia de sacerdotali dignitate repulsi sunt, et probationi sanctissimi papæ traditi sunt. »

Narrat deinde Anastasius Cyri patriarchæ Alexandrini, Sergii, Pauli, Pyrrhi, et Petri Constantinopolis patriarcharum, qui Monothelismum professi jam supremum obierant diem, damnationem; abrasionis scilicet eorum nominum e diptychis, atque eorum imaginum de picturis ecclesiæ. Hoc enim septimo sæculo in solemni Ecclesiarum more positum fuit, nedum orthodoxorum antistitum nomina in diptychis ex veterum consuetudine scribere, sed etiam illorum imagines honoris causa in basilicis, earumque vel porticibus, vel foribus pingere, ut observat Cl. Bacchinius ad Vitam Boni Ravennatis episcopi, hoc septimo sæculo viventis.

PAGII.

Num. 140, linea 9. — *Et asserit Abundantium Paternensem*, etc. Non solum Romæ concilium celebravit Agatho contra Monothelitas, sed et jussit ut in variis regionibus synodi congregarentur, quibus Monothelitarum hæresis damnata est, in Italia, Galliis et Anglia, ut ex litteris mox laudatis ejusdem Agathonis ad imperatorem datis constat. Romanam synodum præcesserunt Gallicana et Mediolanensis. In priori electi sunt Felix Arelatensis, Adeodatus, seu Deodatus Tullensis, seu Leucorum, de quo mox locuti sumus, episcopi, et Taurinus diaconus Ecclesiæ Telonensis, qui interessent synodo Romanæ, in qua fides orthodoxa confirmanda, Monothelitarum hæresis damnanda, et legatio Constantinopolitana ad synodum œcumenicam decernenda

Digitized by Google

erat. Synodo Mediolanensi, eodem circiter quo Gallicana tempore coactæ, præfuit sanctus Mansuetus Mediolanensis episcopus, et ex ea idem Mansuetus ad synodum Romanam delegatus est, cum Anastasio episcopo Tucinensi. Hæc etiam synodus scripsit epistolam synodalem missam ad imperatorem, quæ exstat tom VI Concil pag 601, quæque, ut ait Paulus diaconus lib VI, cap 4, de Gestis Longobard. in synodo Romana Agathonis *non mediocre suffragium tulit*.

Quod spectat ad concilium Anglicanum, a Theodoro archiepiscopo Cantuariensi indictum, ut quod alibi in Gallia, Italiaque adversus Monothelitas decretum fuerat in Anglia etiam statueretur, pertinet ad annum Christi 680, quo Beda in Recapitulatione hæc habet : « Anno 630 facta est synodus in campo Hedfelda de fide catholica, præsidente archiepiscopo Theodoro, in qua adfuit Joannes abba Romanus. » Verum quidem est Bedam lib IV, cap 17, scribere hoc concilium celebratum *sub die* XV *Kalend. Octobris, indictione octava*, quod decepit Baronium, aliosque; quia cum indictio octava incipiat Kalendis Septembris anni 679, crediderunt illud concilium die 17 Septembris ejusdem anni celebratum; sed Beda ibi usurpans indictionem Constantinianam, quæ die vigesima quarta Septembris exorditur, confirmat quod scripsit in Recapitulatione, coactum nempe illud esse anno 680, et quidem die 17 Septembris. Ex eo, ut inquit Beda laudatus cap 18, « Exemplum catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum est, atque ab apostolico papa, omnibusque qui audiere vel legere, gratantissime susceptum. »

In Anastasio mendose legitur, legatos Agathonis papæ et apostolicæ sedis Constantinopolim ingressos esse *die* X *mensis Novembris indictione* 9, anno scilicet 680, quo incepta est prima actio die septima mensis Novembris, indictione nona, præsentibus legatis Agathonis papæ, quod fieri non potuisset, si legati die tantum decima ejusdem mensis regiam urbem introissent. Apud Anastasium itaque loco 10 *mensis Novembris*, legendum, 10 *mensis Septembris*. Postea subdit Anastasius : « Et dans (nempe imperator) inducias ad retractanda scripta, tribuit eis omnia quæ ad sustentationem sufficiebant in eorum expensas, in domo quæ appellatur Placidia die 18 mensis suprascripti (scilicet Septembris). Die Dominico advocati sunt in processione ad sanctam Dei Genitricem in Blachernas in tanta honorificentia, ut etiam de palatio, caballos stratos dirigeret cum obsequio pietas imperialis, et sic eos susciperet. » Adventarunt itaque legati die 10 Septembris : die 18 ejusdem mensis imperator tribuit eis omnia quæ ad sustentationem sufficiebant. Die vero Dominica adveniente, scilicet vigesima tertia Septembris, advocati sunt in processione.

Num 141, linea 6. — *Qui suprascripti missi sedis apostolicæ*, etc. Eodem die quo legati advenerunt ac missi a synodo Occidentali, imperator novam direxit sacram divalem Georgio Constantinopolitano patriarchæ, pro disponendis rebus synodi, ac convocandis ad eam subjectis throno Constantinopolitano episcopis, data enim dicitur *quarto Idus Septembris*. Corrigendum et aliud mendum in Anastasio, qui ait, *die vicesima secunda Novembris* in basilica susceptos esse missos sedis apostolicæ. Cum enim acta synodalia habeant primam actionem præsentibus apostolicis legatis, die septima mensis Novembris inceptam, illud verum esse non potest. Textum vero Anastasii, non ipsa acta, vitiatum esse ex notis temporariis priorum actionem elicit auctor criticæ Baronii. Nam secunda actio, inquit, die 10 Novembris; tertia, die 13; quarta, die 15 ejusdem mensis; quinta denique, die septima Decembris celebrata, ut in actis legitur. Quare mendum in Anastasio residet, alioquin omnes illi numeri priorum actionum depravati essent, quod incredibile est, cum sine fundamento asseratur.

Adfuere synodo præter legatos apostolicæ sedis et Agathonis, qui ei præfuerunt, ac missos synodi Occidentalis, duo Orientis patriarchæ Georgius Constantinopolitanus, Macarius Antiochenus, Petrus Alexandrini patriarchæ vicarius : Georgius item presbyter Hierosolymitanæ Ecclesiæ nomine, et cum his episcopi quamplurimi Orientis, de quorum numero non satis convenit inter scriptores. Photius in libello de synodis centum et septuaginta; Theophanes et Cedrenus ducentos octoginta novem numerant; sed postremæ synodali actioni centum tantum sexaginta sex subscripti reperiuntur. Interfuit etiam Constantinus Pogonatus imperator, et aliqui magistratus ab ipso delecti. Unde dicitur concilium celebratum, *præsidente piissimo et Christo amabili magno imperatore Constantino*; licet enim ei præfuerint apostolici legati, quodam tamen sensu dici potest præfuisse religiosissimum principem, ut defensorem fidei, et ordinis judiciorum custodem, non vero ut judicem controversiarum fidei. Magistratus vero qui passim in synodo nominantur gloriosissimi judices, adfuerunt ut conservatores essent synodi, ac libertatis partium.

Num. 142, linea 2. — *Residente cum Constantino*, etc. Cœpta est itaque œcumenica synodus sexta Constantinopoli die septima mensis Novembris, anno sexcentesimo octogesimo, Agathonis papæ tertio, Constantini Pogonati imperatoris anno vigesimo septimo, post consulatum ejus decimo tertio, in trullo, seu in palatii vel basilicæ secretario, cui *Trullo* nomen erat. Quid esset et trullus explicat Ducangius in Constantinopoli Christiana paragr. 32, et seq. libri tertii, dum describit ædem S. Sophiæ. In eo ædificio habita synodus, quod Anastasius in Agathone *basilicam*, et in Leone II *palatium* appellat. Sedebant a sinistris imperatoris Romani pontificis legati, a dextris Macarius Antiochenus et Georgius Constantinopolitanus. In quo sessionis ordine nihil præter morem ecclesiasticum commissum est : nam et in concilio Nicæno Eustathius, Antiochenus episcopus primus ad dextram sedebat, Osio, aliisque S. Silvestri legatis sedentibus ad sinistram. Et in concilio Chalcedonensi legati S. Leonis ad lævam sedebant, Dioscorus vero Alexandrinus patriarcha ad dextram, propositis in medio Evangeliis. Nec mirum, cum sinistra in Ecclesia honoratior sit dextera, ut de concilio Nicæno loquentes observavimus.

Loco autem medio synodi ex antiqua consuetudine, sacrosanctis Dei Evangeliis super sedem ornatam positis, Christum ipsum repræsentantibus dato, apostolicæ sedis legati aggressi loqui, sui adventus causam edocuerunt; questique sunt, de eo quod quatuor Constantinoplitanæ sedis episcopi, nempe Sergius, Pyrrhus, Paulus et Petrus, itemque Cyrus Alexandrinus, atque Theodorus episcopus Pharanitanus novam induxissent hæresim in Ecclesiam de una in Christo voluntate et operatione. Itaque jubente imperatore, causam ab adversa parte reddit apostolicæ sedis legatis, coriphæus ejus sectæ Macarius Antiochenus episcopus, et cum eo alii pro sede Constantinopolitana causam agentes, responderunt nullam a se novitatem introductam, sed ea potius prolata esse, quæ a sacris synodis et sanctis Patribus essent accepta. Quibus auditis, imperator, cum dixisset non passurum se in synodo residere, nisi quæ proposuissent omnia probarent, id Macarius pollicitus est præstare. Itaque tam in hac prima quam in duabus sequentibus actionibus, nihil aliud actum est, nisi quod lecta sunt trium œcumenicarum synodorum acta, videlicet Ephesinæ, Chalcedonensis et Quintæ.

Actione quarta lectæ sunt epistolæ duæ dogmaticæ, una Agathonis, altera synodi Occidentalis, ad Constantinum imperatorem, quibus geminæ in Christo voluntatis et operationis catholicum dogma ex fidei regulis demonstratur. Actionibus 5 et 6, quarum ultima habita est die 12 Februarii anni sequentis,

Digitized by Google

seu Christi 681, Macarius Antiochenus patriarcha, Monothelita pervicacissimus, urgente imperatore protulit testimonia sanctorum Patrum, quibus una Christi voluntas asseri videbatur. Hæc vero testimonia truncata esse a Macario et ejus symmistis, exceperunt sedis apostolicæ legati, et quæ Patres de voluntate divina manifeste dixerunt, ab iis ad voluntatem Christi per Incarnationem fraudulenter fuisse translata.

Actione 7, die decima tertia Februarii habita, legati recitarunt testimonia sanctorum Patrum, qui duas voluntates et operationes prædicabant. Interrogati vero ab imperatore Georgius patriarcha Constantinopolitanus et Macarius Antiochenus, an definitioni Agathonis papæ consentirent, petierunt exemplar definitionis, et inducias, ut laudata sanctorum Patrum loca cum codicibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ conferre possent.

Actione 8, die septima Martii celebrata, idem Georgius Constantinopolitanus ab imperatore interrogatus, respondit se diligenti codicum collatione B facta cum authenticis exemplaribus, cognovisse, recensita in relationibus Agathonis testimonia SS. Patribus consona esse; ideoque se relationes Agathonis papæ et Occidentalis synodi amplecti professus est, eamdemque fidem sectari. Egregium orthodoxiæ specimen dedit Georgius in eadem sessione, cum Vitaliani pontificis nomen sacris diptychis restitui postulavit, quod malis artibus Macarii Antiocheni fuerat expunctum, quod obtinuit ab imperatore. Ejus fidem festiva acclamatione commendavit synodus : *Georgio orthodoxo patriarchæ multos annos.* Omnes episcopi Constantinopolitanæ sedi subditi, cum Georgio se sentire, Agathonis epistolam suscipere, fidem profiteri, hæresim anathematizare, contestati sunt.

In eadem octava actione, Macarius Antiochenus cum Stephano abbate pessimo Monothelita, non solum in errore obstinate perstitit, sed etiam procaciter contestatus est, se ab eo non discessurum, nec si membratim præcideretur et abjiceretur in mare : C quinimo impudenter nimis jactare non erubuit, se ut hæresim suam stabiliret, Patrum scripta corrupisse. Itaque universa synodus in has voces erupit : « Hæreticum se ipsum manifeste demonstravit. Novo Dioscoro anathema. Hujusmodi deponatur. Novum Dioscorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos. Merito ab episcopatu alienetur. Nudetur circumposito ei pallio. » Tandemque actione nona, die sequenti, octava nempe Martii habita, sententia depositionis tam in Macarium, quam in dictum Stephanum abbatem prolata est. Episcopis et clericis, qui errorem abjuraverant, servata est dignitas, ea lege ut fidei libellos cum jurejurando synodo offerrent. Porro post synodum imperator Macarium Antiochenum, Stephanum abbatem, Polychronium, de quo infra, Anastasium Monothelitam, aliosque Macarii discipulos Romam in exsilium misit, ut auctor est Anastasius; qua de re vide dicenda in Leone II.

Actionibus 10, 11 et 12, eodem mense Martio D celebratis, recepti sunt libelli quorumdam palinodiam recantantium : lectaque et approbata est epistola Sophronii olim episcopi Hierosolymitani ad Sergium Constantinopolitanum : atque item lecta, sed damnata Macarii, aliorumque hæreticorum scripta. Quærentibus vero proceribus, seu magistratibus, an Macarius in sedem restituendus esset, si forte revocaret errorem, sancta synodus dixit, nullatenus divinam regulam pati ut in sede doctoris ulterius resideret. Lectæ sunt præterea Sergii Monothelitarum principis ad Cyrum, et ad Honorium, necnon Honorii pontificis Romani epistola prima ad Sergium.

Actione 13, die vigesima octava ejusdem mensis Martii habita, lata est sententia in hæreticos Monothelitas; nominatimque adversus Sergium, Pyrrhum, Petrum et Paulum episcopos olim Constantinopolitanos; necnon contra Cyrum Alexandrinum et Theodorum episcopum Pharanitanum. Cum iis damnatus est et Honorius papa, non quidem ut hæreticus, sed ut hæreticorum fautor, ut in ejus pontificatu ostendimus. In hac eadem actione lecta est secunda Honorii papæ ad Sergium epistola. Lecta pariter epistola Pyrrhi Constantinopolitani ad Joannem IV pontificem maximum, quæ visæ sunt in impietatem Monothelitarum concurrere, et ideo igni coram synodo traditæ sunt. Relectæ pariter epistolæ synodales Thomæ, Joannis et Constantini olim patriarcharum Constantinopolitanorum, qui Petro Monothelitæ successerant, in quibus nihil inventum est orthodoxæ fidei contrarium, quare sancta synodus edixit : « Hos sanctæ memoriæ tres viros, id est Thomam, Joannem et Constantinum unitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum ecclesiarum recitari, utpote qui in omnibus immaculati atque irreprehensibiles inventi essent circa rectam nostram Christianorum fidem. »

Actione 14, die secunda mensis Aprilis celebrata, lecti sunt libelli Mennæ patriarchæ quondam Constantinopolitani ad Vigilium papam, et Vigilii ad Justinianum imperatorem et Theodoram Augustam epistolæ : quas apostolicæ sedis legati exclamaverunt non esse Vigilii et falsatum esse librum gestorum quintæ synodi. Quare cum examinarentur codices ejusdem quintæ synodi, in quibus epistolæ illæ Vigilii exstabant, constitit illas olim desideratas fuisse in antiquis, additosque non ita multo ante fuisse tres quaterniones novos in initio synodi. In septima vero actione, in qua continentur duæ illæ Vigilii epistolæ, mutatum fuisse quintum decimum quaternionem, adjectumque esse quadrifolium non superscriptum ante decimum sextum quaternionem, in quo feruntur duo libelli seu epistolæ Vigilii. Quamobrem patres decrevere, chartaceum volumen, quod falsatum erat cassari, in locis, in quibus adjectiones erant factæ, et anathema dixerunt libellis qui dicuntur scripti fuisse a Vigilio ad Justinianum et Theodoram. Verum, ut inquit Baluzius in C nova Collectione conciliorum tomo I, in præfatione ad acta quintæ synodi, hæc epistolis illis Vigilii auctoritatem non adjudicant; non enim falsæ illæ dicuntur; sed falsatæ et corruptæ ab iis, qui testimonia illarum abuti volebant ad confirmandam opinionem suam de una in Christo voluntate et operatione. Et hæc est ratio cur fuerint falsitatis accusatæ, quod scilicet ea pars, in qua de una Christi operatione agebatur, a Monothelitis addita erat. Plura hac de re Baluzius laudatus.

Actione 15, habita die vigesima sexta ejusdem mensis Aprilis, Polychronius presbyter et monachus, Macarii Antiocheni et Stephani abbatis discipulus, in confessum vocatus, et interrogatus de fide, non solum se Monothelitam, sed et præstigiatorem prodidit, et publicum impostorem. Is enim chartulam, in qua scripta erat hæc propositio : *Qui non confitetur unam voluntatem, et unam Deivirilem operationem, non est Christianus*, super mortuum poni D postulavit, spondens illum se suscitaturum, ut fidei suæ veritatem comprobaret, quam cœlestibus visionibus jam confirmatam mentiebatur. Cum autem ejusmodi miraculi pollicitatione magnam populi multitudinem post se traxisset Polychronius, coacta est synodus, ne fidei sacramentum levissimi hominis petulantia in discrimen adduceretur, eam indignam licet conditionem subire. Præsentibus itaque patribus necnon imperatore, atque universo populo, appositum est coram Polychronio defuncti recens hominis cadaver. Pluribus horis personam egit perfidi impostoris Polychronius, defuncto in aures insusurrans; suamque tandem impotentiam professus est. Tunc populus exclamavit : *Novo Simoni anathema. Polychronio seductori populi anathema.* Post hæc in locum synodi redactus, cum nollet hæresim abjurare, tanquam seductor populi et manifestus hæreticus, omni sacerdotali ordine et officio denudatus est, et anathematis vinculo suppositus.

Digitized by Google

Actione decima sexta, quæ habita reperitur die nona Augusti, alius hæreticus nomine Constantinus, Ecclesiæ Apamecnsis presbyter, accepta licentia dicendi, ad docendam synodum se venisse professus, temperamentum quoddam proposuit, quo concordari possent Monothelitæ, atque catholici; hac nimirum ratione, ut dicerentur in Christo duæ operationes, voluntas vero una; ita videlicet, ut Christus assereretur humanam voluntatem deseruisse cum carne et sanguine crucis tempore. Sed explosa a synodo atque damnata ejusmodi assertione tanquam Manichæorum, ipse Constantinus parem cum ea damnationis sententiam accepit. In eadem actione petens Georgius Constantinopolitanus episcopus, ut si fieri posset, nominatim non anathematizarentur Sergii, Pyrrhi, Pauli et Petri decessorum suorum personæ, rejectus est a synodo. Georgius synodo consensit. Secutæ sunt acclamationes : *Constantino imperatori orthodoxo, pacifico, novo Theodosio, novo Marciano, novo Justiniano, conservatori rectæ fidei, multos annos. Agathoni papæ Romano multos annos*, etc. Adjuncta sunt anathemata in singulos nominatim hæreticos et eorum fautores, nempe *in Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Honorium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Macarium, Stephanum, Polychronium, Aspergium*, Pergensem Pamphiliorum metropolitam; omnes denique hæreticos, et qui hæreticis suffragantur.

Actionibus 17 et 18, celebratis die undecima, et decima sexta mensis Septembris, edita est, et promulgata fidei definitio, quæ omnium patrum subscriptionibus munita est. Post hæc imperator sciscitatus est, an cum omnium episcoporum subscriptione promulgata esset? Qui ad unum exclamarunt : « Omnes ita credimus, una fides. Omnes id ipsum sentimus. Omnes consentientes et amplectentes subscripsimus. Orthodoxe omnes credimus. Hæc est fides apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum. » Tunc iteratæ sunt acclamationes, et ingeminatum anathema *in Theodorum Pharanitam, Sergium et Honorium, Pyrrhum et Paulum, Cyrum et Petrum, Macarium, Stephanum et Polychronium*, et omnes qui prædicaverunt, vel prædicant et docent ac docturi sunt unam voluntatem et unam operationem in dispensatione Domini *nostri* Jesu Christi Dei nostri. Gratias deinde cum egisset imperator sanctæ synodo ob exstinctam hæresim, sermo acclamatorius ipsius majestati compositus palam recitatus est; quo ipsum etiam rogabant patres, ut edicto concilium firmaret, quatenus his, quæ gesta erant, nullus contradiceret, aut novam quæstionem moliretur.

Unanimi etiam consensu scripserunt patres synodicam relationem ad Agathonem pontificem maximum, quam cum actis synodi transmiserunt per legatos, ab eo postulantes ut synodum, ejusque canonicas sanctiones apostolica auctoritate confirmaret, his verbis : « Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus : quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. » Sed priusquam sive imperatoris et synodi epistolæ, sive ipsa synodus ad Urbem perferrentur, suam jam diem Agatho pontifex obierat : unde de ejus confirmatione loquemur in Leone secundo ejus successore. De hæresi Monothelitarum, vide d. in Honorio papa n. 12 et seq.

Nunc, ex criticæ Baronianæ auctore, ostendendum est, acta sextæ synodi, qualia nunc habentur, interpolata non esse, contra quod censuit Baronius, qui videns sanctum Maximum martyrem, aliosque magnæ pietatis et auctoritatis viros hæreseos labem ab Honorio abstersisse, hunc que tamen in actis hujus concilii, anathemate implicatum reperiri, opinatus est ea sincera ad nos non pervenisse, quam opinionem pluribus viris doctis persuasit. Verum, ut inquit idem Criticæ auctor, sextæ synodi acta quæ habentur, A sincera esse, nostra ætate non videtur in dubium revocari posse, ut ostendunt Combefisius in historia Monothelitarum dissert. Apologet. pro actis sextæ synodi, Lupus in dissert. de sexta synodo generali ad actionem 18, nuperus auctor anonymus historiæ Monothelitarum scrutin 6, Natalis Alexander in dissert. 2 sæculi septimi, Garnerius in Appendice ad notas capitis 2 libri diurni Romanorum pontificum, aliique. Ait Baronius nullam fuisse causam ex parte Honorii cur damnaretur, cum duæ ejus epistolæ nihil contineant, quod catholicum non sit. Verum in ejus pontificatu ostendimus, eum erroris quidem purum fuisse, nihilominus tamen in sexta synodo damnatum, quod peccasset sua illa œconomia, qua voluit de una vel gemina operatione taceri; cum tamen religionis causa tunc exigeret aperte geminam defendere.

SOMMIER.

B Num. 140, linea 5. — *Hic suscepit divalem jussionem*, etc. Constantinus Pogonatus, princeps orthodoxus, ac satagens tranquillitatis Ecclesiæ Monothelitarum turbis agitatæ, optimum eam componendi consilium esse duxit, si generale concilium Constantinopoli haberetur. Quapropter dedit litteras ad Donum, quæ postea fuerunt redditæ Agathoni ejus successori. In iis imperator Romanum pontificem hortabatur, ut quæ illius est paterna sollicitudo, confunderet dæmonem divisionis auctorem, qua tunc temporis Ecclesia vexabatur, deinde aiebat : « Hortamur vestram paternam beatitudinem dirigere viros indutos personam vestræ apostolicæ sedis, ejusque concilii, et omnem auctoritatem habentes; quatenus convenientes cum hic posito sanctissimo patriarcha, etc, perscrutentur per gratiam S. Spiritus veritati insistere. » (*Epist Const imp ad Don.*)

Pium ejusmodi consilium imperatoris ut pontifex exsequeretur, alia in aliis Occidentis provinciis haberi jussit concilia, unumque Romæ congregavit : C ex quo elegit legatos S. sedis, et qui vices gererent patriarchatus Occidentis in concilio generali, quod celebrandum erat Constantinopoli. Legatorum munus demandatum fuit duobus presbyteris, et diacono Romanæ Ecclesiæ : vices autem patriarchatus jussi sunt genere Portuensis, Regiensis, et Paternensis episcopi. (*Epistolæ Agath et concil Rom ad Constantin* concil VI, *act 4, et Constantin ad Georg Constantinop archiep* concil VI, p. 1.)

Binas deinde litteras ad imperatorem dedit, unas nempe ipse tanquam pontifex et successor D. Petri, alteras Ecclesiæ Occidentalis nomine quam concilium Romæ celebratum repræsentabat. In illo scilicet significabat, quam auctoritatem delegaverat suis : « Ex his, inquiens, duntaxat satisfacere studeant, quid hæc spiritualis mater eorum, ac a Deo propagati imperii credat, et prædicet, in qua et ab incunabulis edocti. . . eis duntaxat injunctum est, ut nihil profecto præsumant augere, minuere, vel D mutare; sed traditionem hujus apostolicæ sedis, ut a prædecessoribus apostolicis pontificibus instituta est, sinceriter enarrare. » (*Agath epist 1 ad Augg.*)

Ad controversiam vero de duabus naturis quod attinet, apostolicæ sedis traditionem ab evangelica nunquam discrepasse affirmans : « Omnia, prosequitur, duplicia unius ejusdemque Domini Salvatoris nostri Jesu Christi secundum evangelicam traditionem asserimus. . . eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum sicut naturas, ita et naturales in se voluntates et operationes habere, divinam scilicet et humanam : divinam quidem voluntatem et operationem habere ex æterno cum coessentiali Patre communem, humanam temporaliter ex nobis cum nostra natura susceptam. . . . . Quam (apostolicam doctrinam) B. Petrus apostolus tradidit Cujus vera confessio a Patre de cœlis est revelata. Cujus annitente præsidio, hæc apostolica ejus Ecclesia nun-

Digitized by Google

quam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est..... nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illibata fide hactenus permanet secundum ipsius Domini pollicitationem, quam discipulorum suorum Principi in sacris Evangeliis fatus est. » (*Ibid.*)

Deinde comprobata S. sedis indefectibilitate iis Jesu Christi verbis : *Petre, Petre, ecce Satan expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut nunquam deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* imperatorem monet ut animadvertat, quod juxta hæc Salvatoris promissa D. Petro, hujus successores Romani pontifices, alios semper episcopos in fide catholica confirmaverant, ut omnibus erat notum; quare et ipse suorum prædecessorum exempla cupiebat sequi. Ac propterea veritatem duplicis voluntatis, atque operationis Jesu Christi astruit, auctoritates S. Scripturæ, conciliorum, et Patrum afferens, quas fusissime interpretatur ; citatque hæreticos secus sentire ausos, ac propriæ ipsorum doctrinæ variationes ostendit. Quæ post imperatorem hortatur, ut defendat æquitatem causæ suæ, atque eos, quos illius tuendæ causa S. sedes mittebat. Postremo de Constantinopolitano archiepiscopo ita loquitur : « Si hanc apo tolici dogmatis regulam Constantinopolitanæ præsul Ecclesiæ tenere nobiscum, ac prædicare delegerit, pax multa erit diligentibus nomen Dei, et ullum non remanebit dissensionis scandalum. Sin autem, quod porro longe sit, novitatem nuper ab aliis introductam, amplecti maluerit, et alienis a regula veritatis orthodoxæ atque apostolicæ nostræ fidei sese irretire doctrinis, quam, utpote animabus noxiam, declinare, indesinenter ab apostolicis meæ humilitatis prædecessoribus exhortati, atque commoniti usque hactenus distulerunt, ipse noverit quid de tali contemptu in divino Christi examine satis faciet. » (*Ibid.*)

In secundis autem litteris, patrum concilii nomine scriptis, quæ, perinde ac primæ doctrinam S. sedis de duabus voluntatibus, operationibusque Jesu Christi inviolabiliter esse servandam testatur, declarant patres, quod ii, qui ab apostolica sede illuc profecti erant, non tanquam de rebus dubiis disceptaturi, sed certa, et immutabilia in concilio prolaturi advenerant. « Personas autem de nostræ humilitatis ordine prævidimus dirigere ad vestræ a Deo protegendæ fortitudinis vestigia; quæ omnium nostrum, id est universorum per septentrionales, vel occiduas regiones episcoporum suggestionem, in qua et apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant : non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre. » (*Epist synod conc Rom ad Augg.*) Deinde qui catholici, quive hæretici habendi sint declarantes : « Quicunque, aiunt, perinde sacerdotum hæc quæ in hac nostræ humilitatis confessione continentur nobiscum sinceriter prædicare desiderant, ut nostræ apostolicæ fidei concordes, ut spirituales fratres, et coepiscopos nostros suscipimus. Qui vero hæc confiteri noluerint, ut infestos catholicæ atque apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus : nec aliquando tales in nostræ humilitatis collegio, nisi correctos suscipere patimur. » (*Ibid.*)

Ex allatis testimoniis evidens fit, quod S. sedes definivit, stabilivitque fidei articulum, quod futurum erat objectum decisionis in concilio generali faciendæ adversus Monothelitas. Hoc potissimum declarat pontifex significans in litteris ad imperatorem, se demandasse legatis suis, ut adamussim sequerentur traditionem S. sedis, quam sui prædecessores Romani pontifices semper docuerant : « Eis duntaxat injunctum est traditionem hujus apostolicæ sedis, ut a prædecessoribus apostolicis pontificibus instituta est, sinceriter enarrare : » mox explicans quænam ea traditio esset, duas naturales voluntates, etc. « Hæc est traditio, quam tenet vestri imperii mater apostolica Christi Ecclesia. » Idem Ecclesia omnis Occidentalis declarat, dum ait, quod ii qui suas vices in concilio gesturi erant, professionem fidei secum ferebant jussi de ea nihil penitus disceptare, sed eadem uti tanquam regula certa et immutabili, ad definiendum : « Nostræ fidei confessionem prælibavimus, ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre debeant. » Supra autem dixerat, hanc doctrinam ex immensi luminis fonte derivatam, ad Romanam Ecclesiam pervenisse per sanctos apostolos Petrum et Paulum, indeque diffusam per eorum successores Romanos pontifices, servatamque omni tempore incorruptam in provinciis Occidentis et Septentrionis : « Lumen quod ex vero luminis fonte per ministros beatos Petrum et Paulum apostolorum principes, eorumque apostolicos successores gradatim usque ad nostram parvitatem servatum est. . . universorum per septentrionales vel occiduas regiones episcoporum suggestionem offerre debeant. »

SOMMIER.

Num. 142, linea 11. — *Suos intromiserunt libros, et tomos diversos, et synodos, quas falsarerant.* (Ex ill. Archiep. Cæsar. Claud. Sommier *Hist. dogm. pont.* lib. VIII, cap. 12.) *Ex testimoniis litterarum Agathonis et Romanæ synodi ad Constantinum Pogonatum aperte dignoscitur quod papæ Honorio ne minima quidem nota hæresis Monotheliticæ inurere potest. Si enim hic pontifex hujusmodi erroris, ut minimum, fautor fuisset, qua fronte S. Agatho coram universa Ecclesia affirmasset, nullum unquam vestigium erroris vel levissimum esse inventum in apostolica sede : suosque prædecessores juxta Jesu Christi promissum, semper confirmasse fratres in fide D. Petri, nunquam defectura, ut omnibus notum erat : « Hæc apostolica Petri Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est... Qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit, quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores fecisse semper cunctis est cognitum.* » (Epist. Agath. ad Const. conc. VI, act. 4.)

Hinc V. C. recte arguit, quod epistola Honorii, super qua tam multa congesserunt Neoterici, fuit responsum alii epistolæ Sergii prorsus catholicæ, ac proinde ejusdem examen cum observatis P. Desirantii, quod ille affert lib VII Hist dogm pont cap 17, et seqq. infra exhibebo, postquam utramque epistolam tum Sergii tum Honorii, ut sum pollicitus, in medium produxero.

EPISTOLA SERGII.

1. In tantum vobis sanctissimis, in omnibus unanimitate spiritus constringimur, ut studeamus omnium consiliorum nostrorum et actionum vos sacratissimos habere præsentes : et nisi plurimum locorum distantia sejungeret, hoc utique quotidie gereremus, vestræ honorandæ unanimisque fraternitatis munito, muratoque nosmetipsos circumsepientes consultu : attamen, quoniam nobis etiam sermo, atque absque labore littera quod studemus, impartit, confestim ea pro quibus hoc scribimus, enarramus :

2. Ante aliquod certum tempus, cum adversus Persas a Deo confirmatus dominus noster et magnus imperator promovebat exercitum, propter certamina a Deo sibi creditæ Christo amabilis reipublicæ, et ad partes Armeniæ provinciæ pervenisset, unus ex principibus impiæ partis Severi exsecrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens, ad ejus pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, et hoc profecto duntaxat satisfaciendo, in quibus piissima ejus ac regalis magnanimitas

Digitized by Google

(cum cæteris enim donis Dei, etiam divinorum dogmatum locupletari scientia meruit) dum redarguisset atque depompasset pravam ejus impietatem profanis ejus astutiis sanctæ nostræ Ecclesiæ, ut verus ejus propugnator, recta, atque immaculata e diverso protulit dogmata, inter quæ et unius operationis Christi veri Dei nostri mentionem effecit.

3. Post aliquod vero tempus idem a Deo confirmatus imperator, in provincia Lazarum adveniens, recordatus est disputationis, quam (sicut diximus) fecerat ad Paulum illum hæreticum, cum præsentia Cyri sanctissimi, tunc quidem ejusdem Christo amabilis Lazarum provinciæ metropolitanam sedem tenentis, nunc autem magnam Alexandriam regentis. Prædictus igitur sanctissimus vir, his auditis, ejus serenitati respondit nescire subtiliter, utrum unam, an duas operationes Christi veri Dei nostri astruere necesse sit. Ergo per jussionem ejus pietatis, per litteras proprias interrogavit nos prædictus sanctissimus vir, utrum unam operationem, an duas in Salvatore nostro Christo necesse sit dicere; et, si quosdam noscamus sanctorum ac beatissimorum Patrum unam dicentes operationem?

4. Unde nos quæ nostræ erant scientiæ per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ sanctissimi quondam patriarchæ hujus a Deo conservandæ regiæ urbis porrectum ab eo hic præsenti Vigilio sanctæ memoriæ prædecessori sanctitatis vestræ, habentem et diversa testimonia paterna de una operatione, et una voluntate Salvatoris nostri Christi veri Dei nostri.

5. Nihil tamen proprium penitus in hujusmodi nostris rescriptis promulgavimus, sicut suppetit nosse vos sacratissimos, et unanimes, relegentes eorum quæ missa sunt exemplaria.

6. Et silentium quidem ex illo tempore hujusmodi suscepit capitulum.

7. Quia igitur ante parvum tempus, cooperante gratia Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire: pio zelo fortissimi ac invictissimi magni imperatoris excitatus, Cyrus Alexandriæ magnæ civitatis patriarcha, et communis frater noster et consacerdos Dei, *amabiliter et modeste* adhortatus est eos, qui in magna civitate Alexandrina, quod Eutychetis et Dioscori, Severi quoque et Juliani, Deo odibilium hæresi languerent, ad catholicam Ecclesiam accedere, post multas disputationes et labores, quos cum nimia prudentia et saluberrima dispensatione in hac causa impendit, hoc quod festinabat, per supernam gratiam ordinavit, factaque sunt inter utrasque partes dogmatica quædam capitula, in quibus omnes, qui antea quidem in diversas portiones diversi fuerant, proavosque sibi Dioscorum atque Severum hæreticos scribentes) coadunati sunt cum sanctissima ac sola catholica Ecclesia, et nunc grex Christi veri Dei nostri, omnis Christo amabilis Alexandriæ populus factus est, et pene universa cum eis Ægyptus, et Thebais et Lybia, et cætera Ægyptiacæ dispositionis regiones, quam olim considerabant (ut diximus) in innumerabilem copiam hæresum multitudinem discissas, nunc autem beneplacito Dei, et studio prælicti sanctissimi Alexandrinorum antistitis, unum latium facti sunt omnes, una vox, et in unitate spiritus rectæ Ecclesiæ dogmata confitentur. Ex his autem quæ dicta sunt *atque stabilita*, unum existit *Capitulum* de una operatione Christi magni Dei et Salvatoris nostri.

8. His itaque provenientibus, Sophronius venerabilis monachus, qui, ut ex auditu didicimus, Hierosolymorum præsul est ordinatus (necdum enim hactenus ejus ex more synodica suscepimus) apud Alexandriam tunc temporis positus cum præfato sanctissimo papa quando (sicut diximus) admirabilem illam circa eos, qui dudum hæretici fuerant, Dei beneplacito unitatem componebat, atque cum eo de eisdem capitulis pertractabat, adversatus est, et contradixit *ad unius operationis Capitulum*, duas operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri.

9. Prænominato autem sanctissimo papa, præsertim ei testimonia quorumdam sanctorum Patrum proferente, dispersim in quibusdam opusculis suis unam operationem asserentium ad hæc quoque, et ex abundanti inquiente, quod multoties sancti Patres nostri, ut lucrarentur plurimarum animarum salutem, dum talia emergerent *capitula*, *Deo placitis* dispensationibus ac placitis usi fuisse videntur, nihil de subtilitate rectorum Ecclesiæ dogmatum exagitantes, et dicente, quod oporteat utique etiam in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod (sicut dictum est) etiam a quibusdam sacris Patribus vox hujusmodi dicta est, nihilque de hoc ladatur rectæ fidei ratio, memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit.

10. Quia igitur pro hoc cum litteris ejusdem sanctissimi comministri ad nos conjunxit, de hoc quoque etiam apud nos sermonem movendo insistens, ut de talibus adimeretur capitulis post factam unitionem, vox unius operationis, durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum et valde onerosum, quando hoc, resolvere evertereque erat futurum quidem omnem illam concordiam atque unitatem, quæ bene fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quam per universas sub provincias, quæ nullo tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini atque laudabilis nostri papæ Leonis, aut sanctæ et magnæ atque universalis Chalcedonensis synodi mentionem facere, non vero præclara et magna voce in divinis missarum arcanis hoc prædicantes?

11. Multis *igitur* a nobis de hoc motis sermonibus ad prænominatum venerabilem Sophronium, postremo adhortati eum sumus testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter doctores confitemur, et quorum dogmata et legem sanctæ Dei cognoscunt Ecclesiæ, duas nominatim et ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia: ille autem hoc facere penitus non valuit.

12. Nos vero considerantes, incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, et scientes quod semper ex hujusmodi decertationibus illæ hæresum dissensiones effectæ sunt, necessarium judicavimus, omne studium ponere ad sedandum atque amputandum talem superfluum verborum conflictum.

13. Et ad sæpedictum sanctissimum Alexandriæ patriarcham scripsimus, ut postquam unitatem cum his, qui pridem reparabantur, Deo auxiliante, composuit, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro, magis autem (sicut sancta et universalia tradiderunt concilia) unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum operatum confiteri, tam divinam quam humanam, et omnem Deo decibilem, et homine dignam operationem, ex uno incarnatoque Deo Verbo indivise procedere, et ad unum eumdemque redigere.

14. Eo quod unius quidem operationis vox, quanquam a quibusdam sanctis Patribus dicta est, tamen peregrina videretur, et perturbare aures quorumdam, suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est unquam nec fuit.

Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper et consequens ei est prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes; tanquam Deo

Digitized by Google

quidem verbo salutarem volenti adimpleri passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati, et resistente, proinde duo contraria volentes introduci : quod impium est.

Impossibile quippe est, in uno eodemque subjacenti duas simul et erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina operæ pretium instituit, quod nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim, et ex appetitu proprio, contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei verbi naturalem motum suum effecit, sed quando, et qualem, et quantam ipse Deus verbum volebat : et (ut plenius dicatur) quemadmodum corpus nostrum regitur, et ordinatur et disponitur ab intellectuali et rationali anima nostra, ita et in Domino Christo tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat, secundum Nyssenum Gregorium, dicentem contra Eunomium ita : Secundum quod Deus erat Filius, impassibilis utique est et immortalis. Si qua autem passio de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profecto, quæ suscipiebat passionem, hujusmodi operatus est. Operatur quippe vere Deitas per corpus, quod circa ipsum est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.

Hanc igitur (ut dictum est) contentionem incipientem accendi videntes, necessarium judicavimus, irritas potius sanctorum Patrum voces et synodice definitas semper sequi, et neque quæ raro a quibusdam Patribus dicta sunt, et non circa hæc intentionem habentibus, quasi planam et inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam et legem per omnia dogmaticam reducere, quale est quod de una operatione ab eis dictum est, neque iterum, quæ nullatenus dicta sunt a probabilibus Patribus, nunc vero a quibusdam Patribus proferuntur, duas, inquam, operationes tanquam dogma ecclesiasticum proferre.

15. Et ad ultimum stetit ac placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis, nullum sermonem de cætero de una sive duabus operationibus movere debeat, sed ei sufficiat præfata, cautaque ac trita sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina.

16. His itaque contentus sæpe nominatus venerabilis vir, et hæc custodire certificans, petimus nos etiam, per epistolam de his ei præbere responsum, quatenus hujusmodi epistolam (ut ait) ostendat his, qui forsitan interrogare eum de prædicta quæstione voluerint. Quod alacriter egimus, et ille quidem in his hinc enavigavit.

17. Nuper autem piissimus, et a Deo coronatus dominus noster apud Edessenam demorans civitatem, pios apud nos apices fecit, præcipientes, ut paterna illa testimonia deflorenus, quæ continentur in libro dogmatico (sicut dictum est) facto a sanctæ memoriæ Menna ad sanctissimum Vigilium de una operatione, et una voluntate ; et hæc a Deo instructæ ejus serenitati dirigere deberemus, quod et ad effectum perduximus. Nos autem quæ dudum mota sunt, memoria retinentes, et tumultum, qui ex hujusmodi motione cœpit, scientes, suggessimus ejus piissimæ serenitati per mediocrem nostram suggestionem, et scripta ad excellentissimum sacellarium imperialem consequenter hujus capituli omnem subtilitatem, horumque quæ a nobis per hoc actitata sunt, et quod non oporteat de hujusmodi inquisitione perscrutari, sed manere in attrita Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur de hujusmodi quæstione, et conliteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, eumdem operari divina et humana, et ex uno eodemque incarnato Dei Verbo, sicut quo occurrentes jam sumus effati, inseparabiliter atque indivise omnem divinam atque humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo instituit, manifeste perhibens : agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet. In quibus rescriptum piæ jussionis ab ejus mansuetissima suscepimus fortitudine, quæ a Deo conservandam ejus serenitatem condecent, continentem.

18. His igitur omnibus a principio ita proventibus, rationabile simul et necessarium judicavimus de his quæ partim memorata sunt, cognitionem dare vestræ fraternitati, atque unanimi beatitudini.

16. Per exemplaria quæ a nobis directa sunt, et adhortamur vos, sacratissimi, hæc omnia legere.

(Nota, lector, quod ex Honorii epistola constet, Sergium non misisse exemplaria plura quam unum, proindeque in vera Sergii epistola legi debet hoc modo : *Per exemplar quod a nobis ad prædictum Sophronium directum est, et adhortamur vos, sacratissimi, hæc omnia legere.*)

20. Et Deo placitam ac plenissimam charitatem quæ in vobis, nunc quoque sequentes si quid amplius, minusve inveneritis, hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras una cum vestra optabili sospitate, quæque super his vobis fuerint placita, significare.

RESPONSUM HONORII.

1. Scripta fraternitatis vestræ suscepimus.

2. Per quæ inventiones, et novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam monachum, nunc vero ex auditu episcopum Hierosolymitanæ urbis constitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex hæresi prædicantem.

3. Qui denique ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, querelamque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quæ a vobis fuerat instructus, paginalibus sibi syllabis reserari.

4. Quarum litterarum ad eumdem Sophronium directarum suscipientes exemplar, et intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus, novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.

5. Nos enim in quo pervenimus, oportet ambulare. Enim vero, duce Deo, pervenimus usque ad mensuram rectæ fidei, quam apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Jesum Christum, mediatorem Dei et hominum, operatum divina media humanitate verbo Dei naturaliter unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne discrete, et inconfuse atque inconvertibiliter plena divinitate : et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est, et carneus effectus plene Deus et homo : passiones et opprobria patitur unus mediator Dei et hominum in utriusque naturis Verbum caro factum et habitavit in nobis, ipse Filius hominis de cœlo descendens, unus atque idem (sicut scriptum est crucifixus Dominus majestatis, dum constat divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, et non de cœlo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice. Nam per se veritas in Evangelio ita inquit : *Nullus ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis qui est in cœlo :* profecto nos instruens, quod divinitati unita est caro ineffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur conjungi, ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus, utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri.

6. Cui Apostolus concinens, ad Corinthios ait : *Sapientiam loquimur in perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur ; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Dum profecto divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri,

Digitized by Google

vel perpeti, sed propter ineffabilem conjunctionem humanæ divinæque naturæ, idcirco Deus dicitur pati, et humanitas ex cœlo cum divinitate descendisse.

7. Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto, a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. Christus enim Dominus in similitudinem carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit, et de plenitudine ejus omnes accipimus: et formam servi suscipiens, habitu inventus est ut homo, quia sine peccato conceptus de Spiritu sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ.

8. Carnis enim vocabulum duobus modis in sacris eloquiis boni malique cognovimus nominari, sicut scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Et Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt;* et rursum: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati;* et: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me trahentem in legem peccati, quæ est in membris.* Et alia multa hujusmodi in malo absolute solent intelligi. In bono autem ita, Isaia propheta dicente: *Veniet omnis caro in Jerusalem, et adorabit in conspectu meo.* Et Job: *In carne mea videbo Deum.* Et alias: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et alia diversa.

9. Non itaque assumpta (sicut præfati sumus) a Salvatore vitiata natura, quæ repugnat legi mentis ejus; sed venit quærere et salvare quod perierat, id est vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis.

10. Et siquidem scriptum est: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me, Patris;* et: *Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater;* et alia hujusmodi; non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut assequamur vestigia ejus, pius Magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.

11. Via igitur regia incedentes, et dextrorsum vel sinistrorsum venatorum laqueos circumpositos evitantes, ne ad lapidem pedem nostrum maxime offendamus, Idumæis, id est terrenis, atque hæreticis propria relinquentes, nec vestigio quidem pedis sensus nostri terram, id est, pravam eorum doctrinam, omnimodo atterentes, ad id quo tendimus, hoc est, ad fines patrios pervenire possimus, ducum nostrorum semita gradientes: et si forte quidam balbutientes (ut ita dicam) nisi sunt proferentes exponere, formantes se in specimen nutritorum, ut possint mentes imbuere auditorum; non oportet ad dogmata hæc ecclesiastica retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque evangelicæ vel apostolicæ litteræ; neque synodalis examinatio super his habita, visæ sunt terminasse; nisi fortassis (sicut præfati sumus) quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad ecclesiasticorum dogmata trahi non debent, quæ unusquisque in suo sensu abundans, videtur secundum propriam sententiam explicare.

12. Nam quia Dominus Jesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis et humanitatis, plenæ sunt sacræ litteræ luculentius demonstrantes.

13. Utrum autem propter opera divinitatis at que humanitatis, geminæ operationes derivatæ debeant dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vindicare.

14. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum, ejusque sanctum Spiritum, sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum est enim: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic ejus non est;* et alibi: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministrationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

15. Si enim divisiones operationum sunt multæ et has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur, quanto magis capiti nostro Christo Domino hæc plenissime possunt coaptari? ut caput et corpus unum sit perfectum; ut perfecte occurrat (sicut scriptum est) in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi? Si enim in aliis, id est membris suis, Spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur et sunt, quanto magis per semetipsum Mediatorem Dei et hominum, plene ac perfecte, multisque modis et ineffabilibus confiteri nos communione utriusque naturæ condecet operatum?

16. Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquiorum oporteat sapere vel sperare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur: aut certe si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcaventes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres et redivivos ignes flammivomarum denuo renovent quæstionum, simpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jesum Christum unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ; electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otiose negotiantes, et turgidi adversus nos insonent vocibus ranarum philosophi; quam ut simplices, et humiles spiritu populi Christiani, possint remanere jejuni. Nullus enim decipiat per philosophiam et inanem fallaciam discipulos piscatorum. Eorum enim doctrinam sequentes, omnia argumenta scopulosa, disputationes callidæ atque fluctivagæ intra eorum retia sunt collisa.

17. Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter prædicamus; hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, et unitate catholica prædicetis.

Et superscriptio: Deus te incolumem custodiat, dilectissime atque sanctissime frater.

NOTÆ IN EPISTOLAM SERGII.

(*Ex eod lib cap* 17, *ut sup.*)

Epistola Sergii quam attuli, semper tanquam legitimus hujus patriarchæ fetus habita est, donec R. P. Desirantius, celebris nostra ætate theologus, doctor et professor universitatis Lovaniensis a sanctæ memoriæ Clemente XI, æquo ejusdem virtutum æstimatore jussus est falsitates omnes illius detegere. Vir enim doctissimus, diligenter expendens ipsam epistolam Sergii, et Honorii responsum, necnon acta VI concilii utramque epistolam condemnantia una cum earum auctoribus; tandem agnovit, quod in concilio producta fuit Honorii epistola Latina authentica cum Græca versione; Sergii vero nec autographa, nec authentice exscripta fuit exhibita; at duntaxat excerptum ab exemplari in regestis patriarchatus Constantinopolitani reperto: quæ profecto a pseudopa-

Digitized by Google

triarcha Paulo, Sergii post Pyrrhum successore, depravata et corrupta fuerant.

Observat pariter ex responsi charactere, quod hæc Sergii epistola fuerit catholica, et quod hæreticæ additiones eidem insertæ causa fuerint, cur sententia Honoriana perverteretur, quæ, cum sit per se bona et legitima, fit mala atque damnabilis relative ad hanc Sergii epistolam, cujus responsio est semper credita propter futiles rumores, ac testimonia nullo hærentia fundamento.

Docet, quod hujus depravationis causa Macarii pseudopatriarchæ Antiocheni fraudi est ascribenda; quippe qui cum chartis imperatori transmissis ut in concilio vi producerentur, Sergii epistolam admiscuerat, cui titulus : *Exemplar litterarum Sergii Constantinopolitani ad Honorium Romanum pontificem*, quibuscum Honorii epistolam conjunxerat ita inscriptam : *Excerptum epistolæ Honorii Romani pontificis ad eumdem Sergium*. Quæ exemplaria, quia eorum neutrum erat authenticum, cum autographis conferri a concilio jussa sunt; quod perperam factum. Etenim Honorii exemplar adamussim Latino autographo respondere inventum est; at minime observatum, an titulus a Macario appositus, esset legitimus; nempe an Latina hæc epistola Honorii vere esset responsio ad Sergii exemplar a Macario exhibitum.

Exemplar prætensæ epistolæ Sergii haud collatum fuit cum legitima epistola Sergii, sed duntaxat cum regestis Constantinopolitani patriarchatus ab archivi præfecto ad concilium allatis, quibus inserta legebatur epistola nomine Sergii olim patriarchæ Constantinopolitani ad Honorium olim Romanum pontificem, quicum omnino congruebat exemplar a Macario transmissum. At ea regesta non ab autographis, sed a suppositiis falsisque scriptis desumpta erant, quod ne in dubium quidem venit circa epistolam de qua agitur : quis enim crediderit novissimos patriarchas Monothelitas adulterare hanc epistolam voluisse, ut hæreticos illi sensus, quos antea non habebat, injicerent? secus factum esset, ubi eam corrupisset, ut ad meliorem sententiam reducerent, Sergiumque videri catholicum sategissent; nam PP. concilii, quos Sergii nequitia non latebat, eorum fraudem detexissent, expendissentque sublestam regestorum fidem : quam rem fieri non oportuit, dum Sergium erroris convictum, quod quærebant, invenerunt.

Brevissimi spatio temporis successive sederant Constantinopoli tres patriarchæ Monothelitæ, qui omnes papam Honorium secum consensisse jactaverant, nec tamen ita esse probaverant. Contra Honorii successores secus rem habere demonstraverant, et S. Maximus, cum uno ex iis patriarchis Pyrrho in Africa disputans, ita eum convicerat, ut Romæ errorem abjuraverit; tametsi ut hæretici imperatoris Constantis gratia iterum uteretur, rediit ad vomitum. Non latebat Pyrrhum, tum ex habita disputatione cum Maximo, tum aliunde, quidquid catholici pro defensione Honorii sentiebant : quare cum ipse pseudopatriarcha Paulus Honorii epistolam, et archivum Constantinopoleos possideret, facile adjunxerint id quod libuit, cum præsertim S. Maximum et S. Martinum papam, qui aperire poterant fraudem, in exsilio voluissent occumbere. Concilio ipsi VI in primis undecim sessionibus usque adeo persuasum erat de innocentia Honorii, ut blasphemiam declararit propositionem, quæ Honorium inter sectarios recensebat, quasi unam in Christo voluntatem cognoverit. In sequenti autem sessione Sergii epistola prolata, quæ vere erat hæretica, non fuit ad trutinam revocata, ut pateret illine Honorius responsum dederit. Legantur, quæso, ac relegantur acta concilii, in quæstionem eam nunquam revocatam invenire est. Laudat eum synodus, ponitque eam existere, at nihil ultra inquirens, pergit ad cætera : tametsi comprobandum id videbatur testibus integræ fidei, qui epistolam patriarchatus regestis insertam affirmarent aut esse autographam, aut exemplar legitimæ illius epistolæ ad quam Honorius respondit.

Qua cautione non erat opus, si Honorius responsioni totam eam epistolam inseruerat, aut saltem summam et substantiam illius, quæ vere esse Sergii putabatur : ita enim eadem testis erat et comprobatio facti, quod in quæstionem revocatur. At quoniam id minime est factum, cum quidquid ea continet, catholicum omnino sit, catholicæ item epistolæ responsio credenda est.

Hæc summatim Desirantius ad Sergii epistolam; cujus deinde articulos emucleatius expendit, aiens, quod ipsius epistolæ controversiæ prolixitas aperte ostendit, minime esse illam, cui respondit Honorius, qui responsione indicat, quæ in Sergii paucorum articulorum epistola continentur.

« Primus ejusdem articulus qui est pro exordio, refertur ad Honorii responsionem, ubi pontifex commendat Sergium, quod ad Romanum pontificem in rebus dubiis confugerit.

Secundus est suppositus; non enim est credibile, quod Heraclius, qui nonnisi opera Sergii in rebus religionis utebatur, Paulum Monoculum redarguerit, cujus (præterquam quod præsidio illi erat apud imperatorem) amicitiam fovebat, Monothelismum tuendi gratia, quemadmodum S. Maximus ostendit Pyrrho. « Cum Theodosiopoli ad Paulum Monoculum, et Severi sectatorem scripsit (Sergius) misso etiam ad eum libello Mennæ, et Theodori Pharanitani cum sua approbatione. » (*Disp. S. Max. cum Pyr.*) Præterea hi sectarii controversiæ originem ascribebant disputationi Sophronii monachi cum Cyro Alexandrino ann. 633 : « Sophronius, qui paulo ante tua patriarcha Hierosolymitanus fecit, ut hoc vel præter propositum faceremus (Pyrrhus scilicet, et Sergius) eum tempore inopportuno sermonem de operationibus excitavit. » (*Ibid.*) Quare non poterant eam ascribere collationi Monoculi cum imperatore, quippe quæ multos ante annos facta erat, cum imperator in Armenia decertabat cum Persis.

Tertius est additicius, namque ex litteris Sergii ad Phasydis tunc episcopum Cyrum, quæ in sexta concilii XII lectæ sunt, constat, quod Cyrus Heraclii decretum de non agnoscendis duabus in Christo operationibus ad Arcadium Cypri episcopum, approbaverat : ac proinde falso asseritur, quod Cyrus responsum dederit, se nescire, unamne an plures operationes fateretur.

Quartus perinde est additicius : papa enim Honorius in responsione, nec Mennæ nec Vigilii meminit; quare intellectu facile est, quod Sergius nihil eorum ad Honorium scripserat, quæ Sophronii opposuerant præiverant. Præterea Sergius adhuc superstes vitiata suæ epistolæ ad Honorium exemplaria vulgaverat, in quibus tantummodo narrabat, Vigilium papam de Mennæ acclamationibus fuisse admonitum. Deinde ejus successor Pyrrhus, antequam Constantinopoli abiret, ad papam Joannem scripsit, quod ejusmodi acclamationes, seu sermo Mennæ, exhibitus, ostensusque fuerat Vigilio a Constantino quæstore. « Admiror, quomodo patriarchæ cum sitis, auditis mentiri. Qui tibi antecessit in suis ad Honorium litteris scripsit, commonefactum quidem fuisse (Vigilium) de eo libello, non autem oblatum, nec ostensum. Ipse vero in tua ad Joannem papam epistola dixisti oblatum esse et ostensum : lectum etiam per Constantinum quæstorem. Utri igitur credemus? Tibi, an ei cui successisti? uterque enim non potest verum dixisse. » (*Ibid.*) Novissime vero hæc epistola testatur, quod Menna ipse Vigilio eum sermonem ostulit; quam rem Sergius nunquam scripsit.

Quintus est suppositus. Qui enim Sergius scribere ausus esset, nihil a se vulgatum, tanquam ex se, circa quæstionem; dum idem de ea scripserat Cyro; commendaverat in sua epistola decretum Heraclii, cui

Digitized by Google

supra meminimus; testimonia in eadem adduxerat pro una volantate, unaque operatione, Mennæ et S. Cyrillo Alexandrino falso adjudicata? Præterea in hoc articulo plura memorantur exemplaria ad Honorium transmissa; nec tamen pontifex in responso de alio exemplari loquitur præterquam de unico litterarum exemplo quod Sergius ad Sophronium scripsisse simulabat.

Sextus pariter est suppositus: etenim longe ut silentium fieret de re controversa, Sergius e contrario, antequam Sophronius veniret in scenam, suum ubique venenum effundere conatus erat, ut Ecclesiam inficeret; quemadmodum S. Maximus Pyrrho exprobrat. « Quid, inquiens, igitur, postquam Sergius multis modis morbum suum in commune proposuit, et maximam partem Ecclesiæ corrupit, ac vastavit, si B. Sophronius admonuit eum cum humilitate, quæ ejus habitum decebat ad vestigia ejus provolutus, Christi Dei passionibus vivificis, quæ omnem supplicationem continebant, commemoratis; et obtestans ne vocem hæreticorum probe olim a SS. Patribus superioribus exstinctam renovaret; fuitne auctor hujus scandali? » (*Ibid.*)

Quamobrem credibile est, veram epistolam Sergii post exordium, quod in articulo primo continetur, incipere ab articulo septimo. Ipso enim in exordio pollicetur Sergius, se rem narraturum *confestim*, quod naturaliter cohæret cum septimo articulo incipiente ab iis verbis: *quia igitur ante parvum tempus.* Et sane constituens hoc in articulo principium controversiæ, quo tempore Cyrus erat patriarcha Alexandrinus, evidenter contradicit affirmatis in articulis præcedentibus, quod nempe controversia inceperit dum Cyrus adhuc erat Lazarum episcopus.

Interpolatores autem huic articulo inseruerant, quod inter utramque partem de quibusdam articulis conventum erat, quorum unus erat de unica Jesu Christi operatione. Namque apparet ex Honorii responso, quod Sergius in suis litteris illi significaverat, nullum e SS. Ecclesiæ Patribus docuisse unam, aut duas operationes. Ac proinde non potest fieri, ut Cyrus ejusque recens conversi discipuli de eadem re confecerint articulum fidei. Idemque de octavo, et nono litterarum articulis dictum velim; quod nempe ex Honorii responso constet, nihil penitus ei scriptum fuisse a Sergio de laudatis conventionis capitibus, ac solummodo quod Cyrus prædicaverat recens conversis in genere unam operationem.

Articulus 10 est addititius: nam Honorius in fine epistolæ se perinde ac Sergius sentire affirmat. Itane vero respondisset epistolæ, in qua significatum ei esset, fore arduum ac onerosum adimere articulam unius operationis, de quo conventum erat in unione recens conversorum cum Cyro: postquam docuerit quod unam operationem credere Eutychianorum in sana sententia erat?

Undecimus ad veram epistolam spectat: falso autem docet, quod Sergius hortatus fuerit Sophronium, ut testimonia Patrum adduceret de duabus operationibus, ille vero id præstare nequiverit: namque centum prolatos ab eodem esse, synodica Sophronii ad Sergium ostendit. Et concilium Lateranense a pont. Martino I celebratum testatur, eum adduxisse sexcenta in duobus libris de hac re conscriptis. (*Synod. Sophr. ad Serg.* ap. conc gen VI, act 11; *Libel Steph Dóren* ap. conc Rom sub Martino I, secret 2.)

Idem ferri judicium debet de duodecimo, qui vere ad Sergii epistolam attinet, at est mendax; etenim Sergius sectæ ejus princeps, longe ut eam destruere moliretur, vires omnes intendebat ut Cyri doctrinam de una operatione fulciret.

Tertius decimus manifeste contradicit decimo. Ibi enim nimis arduum, atque onerosum fore dixerat Cyrum cogere, ut unius operationis vocem adimeret: hic vero legitur, Sergium illi scripsisse. ut eamdem memorari non pateretur.

Duo sequentes articuli 14 et 15 sunt veræ epistolæ; iisque Sergius Honorio persuadere conatur, ut credat, quæstionem esse de re nomine tenus, ut in Oriente jam convenerat inter catholicos. Honorius de facto id credens, grammaticis remittendam ejus decisionem respondet: « Relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vindicare. » (*Ep. Honor. ad Serg.*)

Sextus decimus est legitimus; at Sergium, ut idem testatur, scripsisse Sophronio epistolam, cujus exemplum transmittit Honorio, falsitatis arguit synodica ejusdem Sophronii data eo anno ad patriarchas; ex ea enim liquet, hunc minime potuisse cum Sergio colludere de hujusmodi quæstione, nec talem epistolam ab eo petere, ut suum hac super se silentium tueretur.

Septimus decimus est suppositilius. Nam constat ex litteris Honorii, quod Sergii epistola non continebat ullam quæstionem de Heraclii imperatoris quæsitis, ita ut prætensus Mennæ sermo reproduci debuerit, aut alius S. Leonis textus ad controversiam spectans.

Octavus decimus ad veram epistolam pertinet. Secus est de nono decimo. Quippe Honorius non memorat nisi unum exemplum litterarum: tametsi Pyrrhus et Paulus, cum deliberassent in archivo Constantinopoleos collocare exemplum Sergii epistolæ ita fabricatæ, ut responsum Honorii eum esse Monothelitam evinceret, omnia hoc in corrupto exemplo memorata ad Honorium transmissa esse simularunt; haud animadvertentes, quod Honorii responsum de unico exemplo loquens, eorum versutias detegebat.

Vicesimum, ac postremum articulum convenire epistolæ, cui Honorius respondet, negari non potest. Id vero unum fieri velim ab iis, qui epistolam, Sergii nomine publicatam, volunt esse totam ejusdem fetum; ut nempe consentiant de orthodoxia responsi Honorii: ibi enim evidenter agnoscitur fides voluntatum, atque operationum utriusque naturæ; et ubi loquitur de una Jesu Christi voluntate, intelligit de humana, a cæterorum hominum voluntate diversa, qui, ut Honorius explicat cum B. Paulo, legem in membris sentiunt pugnantem cum spiritu: « Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori: quia super legem natus est humanæ conditionis. » (*Ibid.*).

Cæterum si S. hic pontifex ulla in re culpandus videatur, nimiæ ad summum facilitatis culpari potest, dum assensum præbuit Sergii consilio utrinque tacendi pro bono pacis. Non enim Sergius sincere agebat, ut docet historia, necnon ex ejus epistola plena mendaciis deprehenditur.

Ad Honorii epistolam quod spectat, ea certe est sententiarum maxime nobilium, et christianarum contextus. Dignumque arbitror excusatione, quod silentium approbaverit; nam considerans disputationis objectum tanquam quæstionem nomine tenus, de qua nec Scriptura, neque Ecclesia videbantur locutæ esse, ad grammaticos et sophistas, veluti eorum propriam, remittit; indignam judicans, de qua Ecclesia sententiam ferret. « Non oportet, inquit, ad dogmata hæc ecclesiastica retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt explanasse. . . . Ad nos ista pertinere non debent relinquentes ea grammaticis. . . Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum ejusque sanctum Spiritum sacris litteris percepimus. . . Simpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jesum Christum unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ: electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otiose negotiantes, et turgidi adversus nos insonent vocibus ranarum philosophi; quam ut simplices et humiles spiritu populi Christiani possint remanere jejuni. » (*Ibid.*)

Digitized by Google

LXXXII. SANCTUS LEO II.

ANNO CHRISTI 683, CONSTANTINI POGONATI 16.

147 Leo, natione Siculus, ex patre Paulo, sedit menses decem, dies septem [a] et decem. Vir eloquentissimus et in divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca Latinaque lingua eruditus, cantilena ac psalmodia præcipuus, et in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque scholasticus eloquendi majori lectione polita [b], exhortator omnium bonorum operum, plerisque florentissimam ingerens scientiam [c], paupertatis amator, et erga inopem provisor [d], non solum mentis pietate, sed et studii sui labore sollicitus.

148 [e] Hic suscepit sanctam sextam synodum, quæ per Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exsequente ac residente piissimo et clementissimo magno principe Constantino intra regale palatium ejus quod appellatur Trullus, simulque cum eo legati sedis apostolicæ et duo patriarchæ, id ost Constantinopolitanus et Antiochenus, atque centum quinquaginta episcopi; in qua et condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius et Pyrrhus, Paulus et Petrus, necnon et Macarius cum discipulo suo Stephano, sed et Polychronius, novus Simon, qui unam voluntatem et operationem in Domino Jesu Christo dixerunt vel prædicaverunt, aut qui denuo prædicaturi fuerint aut defensaverint. Sed ut et nunc duæ voluntates et operationes ipsius dispensatoris Christi et Salvatoris Dei nostri dicantur, sicut eadem synodus studiosissime in Latinum translata declarat. Verumtamen suprascripti defensores malorum hæreseos, dum nollent a suo recedere proposito, per [f] diversa monasteria sunt retrusi. Qui prædictus sanctissimus vir [g] absolvit duos viros in percipienda communione, qui de regia urbe cum suprascripto Macario et cæteris in Romanam directi sunt civitatem, qui [h] necdum a synodo anathematizati erant [i], id est Anastasium presbyterum, et Leontium diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ in die sancto Theophaniæ, exponentes videlicet per propria scripta fidem suam, juxta quod et sancta synodus determinavit, anathematizantes videlicet omnes hæreticos [j], sed et suprascriptos viros complices, quos sancta synodus vel sedes apostolica anathematizavit.

149 Hujus temporibus percurrente divali jussione clementissimi principis, restituta est Ecclesia Ravennatis [k] sub ordinatione sedis apostolicæ, ut defuncto archiepiscopo, qui electus fuit juxta antiquam consuetudinem in civitatem Romanam veniat ordinandus [l]. Hic fecit constitutum, quod archivo Ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus nulla consuetudine pro usu pallii, aut diversis officiis Ecclesiæ persolvere debeat, sed et ne Mauri quondam episcopi anniversitas aut agenda celebretur [m]; sed et typum autocephaliæ, quem sibi elicuerant, ad amputanda scandala sedis apostolicæ restituerunt. Hic fecit ecclesiam in urbe Roma juxta sanctam Bibianam, ubi et corpora sanctorum Simplicii, Faustini et Beatricis, atque aliorum martyrum recondidit, et ad nomen beati Pauli apostoli dedicavit Hujus almi pontificis jussu ecclesia juxta Velum Aureum in honorem beati Sebastiani ædificata est, necnon in honorem martyris Georgii.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, octo. [b] politus. [c] eorumque scientiam plebi ferventissime ingerebat. [d] inopum provisionem. [e] *Vide Baron. ad ann. Domini* 633, *tom. VIII*, *pag.* 316, *pro Honorii papæ defensione.* [f] de suprascriptis defensoribus majores scilicet Macarius, Stephanus, Polychronius et Anastasius, dum nollent a suo recedere proposito Romæ per. [g] Leo. [h] quia. [i] *Vide Baron. ad ann. Domini* 683. [j] duos hær. [k] Ravennatum. [l] ad ordinandum. [m] sed et ne Mauri quondam episcopi anniversarius, aut agenda celebraretur, prohibuit.

Digitized by Google

150 Hujus temporibus die decima sexta mensis Aprilis, indictione undecima, luna eclipsim pertulit. Post Cœnam Domini nocte pene tota in sanguineo vultu elaboravit, et nisi post galli cantum cœpit paulatim delimpidare et in suum reverti respectum [a]. Hic fecit ordinationem unam per mensem Junii [b] die vicesima septima : presbyteros novem, diaconos tres, episcopos per diversa loca numero viginti tres. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die quinto Nonas Julias [c]. Et cessavit episcopatus menses XI, dies XXII. Qui suprascriptus sanctissimus vir ordinatus est a tribus episcopis, id est Andrea Hostiensi, Joanne Portuensi et Placentino Veliterniensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia episcopum minime habuit.

NOTULÆ MAGINALES FABROTTI.

[a] *C* statum. [b] * Maium. [c] *B*, IV Kal. Julias.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXXII.

Num 147, *lin* 5, operum plerique florentissime ingerat scientiam.

Num 148, *lin* 11, Salvatoris nostri dicantur. Quam et studiosissime in Latino transtulit. Verumtamen suprascriptos defensores malorum hæreseum Macharium, Stephanum Polychronium et Anastasium dum nollent a suo, *etc.*

Num 149, *lin* 11, dedicabit sub die XXII mensis Februarii, ubi et dona optulit. Ujus temporibus die XVI mensis Aprilis, *etc.*

Ex codice Vallicellano.

Num 147, *Cod. Vallicell. concordat in omnibus cum Reg., Max. et Thuan., excepta variante lectione ms. libri M., linea* 5, *cui noster non adhæret.*

Num 148, *lin* 3, *cod. Vallicell. concordat cum Reg., Max. et Thuan. et ita lin* 7, 15 et 16. *lin* 4, simulque cum ea legatis sedis apostolicæ, et duobus, *etc.*, ut *laud. codd. lin* 9 *ut iidem codd., excepto verbo* recedere, *pro quo habet* redire. *lin* 18 *deest vox* videlicet. *lin* 19, et anathematizantes omnes hæreticos, *etc.*, ut *iidem codd.*

Num 149, *lin* 1 *cod. Vallicell. habet*, divale jussione. *lin* 2, Eccl. Ravennatum sub. *lin.* 3, qui electus fuerit. *Ibid* in civitate Romana veniat ad ordinandum. *lin.* 5, nullam consuetudinem pro usu pallei, aut diversis officiis Eccl. pers. etc. *ut Reg., Max. et Thuan., excipe vocem* autocephaliæ, *cujus loco noster cod. mendose habet* autocenariæ. *lin* 8, eligerant *lege* elegerant amputanda. *lin* 9, juxta sanctam Vivianam, ubi corpora. *lin* 10 *et* 11 *concordat cum laudd. codd.*

Num 150, *lin* 2, Domini a sero usque ad galli cantum pene tota quasi sanguine obvoluta elaboravit : postea cœpit paulatim post galli cantum delimpidari, et in suo reverti respectu. *lin* 4, die XXVI presbyteros XIII. *lin* 6 *deest vox* numero. *lin* 7, sub die III Kal. Julii, et cessavit episcopatus menses XI, dies XII. *Quæ sequuntur in hoc numero desunt in codice.*

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 147, *lin* 5, operum *AB*, plebique florum.

Num 149, *lin* 11, dedicavit *AB*, sub die 22 in Februar. ubi et dona obtulit ; *B addit*, luna hujus temporibus.

Num 150, *lin* 4, Junii, *A*, Julii. *lin* 7, menses 11, *A*, in 10.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 147, *lin* 1, Leo junior, nat. Sic. de p. P. *lin* 2, decem. Hic fuit vir eloq. *lin* 3, eruditus, cant. *lin* 4 (*M* subtilissimus) *lin.* 5 et eloquentiæ majori lect. politus. *lin ead.* operum eorumque scientiam plebi ferventissime ingerebat. Paupertatis quoque amator A et erga inopum provisionem non s. m. p. sed etiam (*M*, sed et).

Num 148, *lin* 3, ac cl. *lin* 5, et duobus patriarchis, id est Constantinopolitano et Antiocheno, atque CL. episcopis, in qua synodo Cyrus S. H. P. *lin* 7, cum discipulis suis Steph. et Polychronio, et aliis, qui un. u. *lin* 9, dicebant, vel prædicabant, sunt damnati. Qui vero duas voluntates et operationes in ipso dispensatore nostro Christo Jesu prædicaverunt, aut defensaverunt, benigne suscepti, sicut eadem synodus stud. in lat. tr. decl. Verumtamen de suprascriptis defensoribus majores, scilicet Macarius, Stephanus, Polychronius et Anastasius, dum nollent a suo recedere proposito, Romæ per di. m. s. ret. Prædictus vero papa absolvit duos v. *lin* 15, cum suprascriptis M. *lin* 16, quia n. *lin* 18, exponentes per pr. ib. juxta quod s. *lin* 19, determ. et anathematizantes hæreticos, sed et suprascriptorum complices, quos sancta S. v. S. A. anathematizaverat.

B *Num* 149, *lin* 1, divale jussione piissimi et clem. pr. rest. est Eccl. Ravennatum sub. *lin* 3, el. furit (*M*, fuerit) in civit. Romanam (*M*. Ravennam) veniat ad ordinandum. *lin* 5, nullam consuetudinem pro usu pallei (*sic in utroque*) diversis officiis es. pers. d. sed et ne Mauri quondam episcopi anniversarius aut agenda celebraretur prohibuit, sed et typum autocephaliæ, qui sibi. *lin* 8, elegerant. *lin* 9, juxta viam Numentanam, ubi corp. s. *lin* 10, et aliorum. *lin* 11, Pauli ded. sub die 22 mensis Februarii, ubi et multa dona obtulit. Hujus temporibus.

Num 150, *lin* 2, Domini a sero usque ad galli cantum, et pene tota sanguine obvoluta laboravit ; postea cœpit paulatim post galli cantum delimpidari, et in suo redire respectu. Hic beatissimus papa ordinatus est a tr. episc. Andr. Ostien. et Jo. Port. et Bellitrensi (*M*, Belletr.) eo quod Alban. eccl. episcopum minime haberet. Hic fecit ordinat. 1, per mens. Junii die 26, presbyt. 14. *lin* 6, loca 23. Qui etiam. C *lin* 7, sub die IV Kal. Julii, etc. episc. mens. 11, di. 21.

Ex codice Thuano altero.

Num 147, *lin* 1, Leo junior, nat. Sic. ex pat. P. s. annos 10, d. *lin* 4, schol. et eloquendi majore l. *lin.* 5, *et* 6, plebique flor.

Num 148, *lin* 14, viros ad percipiendam communionem. *lin* 16, deducti sunt c. *lin* 19, terminavit.

Num 149, *lin* 1, hujus temp. divali i. piissimi pr. *lin* 3, fuerit. *lin* 7, *scribe*, autoc. *lin* 11, dedicavit sub die 22 mensis Febr. ubi et dona obtulit.

Num 150; *lin* 1, Hujus temp. die 15. *lin* 4, *deest* respectum. *lin* 4 *et* 5, die 28, pr. 8.

Apud Penium ex codice Cavensi.

Num 147, *lin* 1, diebus XVII. *lin* 6, ingerat.

Num 148, *lin* 3, intro. *lin* 4, trulius. *lin* 7, cum

Digitized by Google

discipulis suis omnibus Steph. s. c. Polocronio. *lin* 10, duas volunt. e. o. in ipsius.

Num 149, *lin* 1, per currentes. *lin* 3, fuerit. *lin* 6, sed et Mauri. *lin* 7, autoc. ut sibi licuerant. *lin* 10, recond. ad nom. *lin* 11, dedicavit, sub die XXII mens. Febr. ubi et dona optulit.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num 147, linea 4. — *Lingua quoque scholasticus.* Scholasticorum appellatione intelliguntur advocati, propter eloquentiæ studium, quod in scholis delibatur, L. II, c. *De Lucr. Advocat.* lib. XII. ab officialibus scholasticis. Syn. Sardic. can. 12 : Ἡ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς. Aut. scholasticus de foro. » Basil. epist. 241 : Εἰ δή τινα δικὴν γυμνάζει ὁ σχολάστικος ὁ δεινά τε δηκαστήρια δημόσια καὶ νόμους. Augustin contra Julian. lib. 2: « Nunquid scholastici auditoriales, id est, postulantes in auditorio Judicum. » Alias scholasticus accipitur pro diserto. Augustin. de catechiz. Rudib. cap. 9: « Sedulo monendi sunt scholastici, ut humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius devitare. » Idem in Joan. cap. 7: « Qui enim habent causam, et volunt supplicare imperatori quærunt aliquem scholasticum juris peritum, a quo sibi preces componebantur, » *etc.* Idem de Tempore serm. 78: « Et quia imperiti et simplices ad scholasticorum altitudinem non possunt ascendere. » Salvian. de Gubernat. Dei lib. I. in præf: « Non id facere adnisi sunt, ut salubres ac salutiferi, sed ut scholastici ac diserti haberentur. »

Num. 149, linea 1. — *Hujus temporibus percurrente divali jussione clementissimi principis restituta est Ecclesia Ravennatis sub ordinatione sedis apostolicæ, ut defuncto archiepiscopo, qui electus fuit, juxta antiquam consuetudinem in civitatem Romanam veniat ordinandus.* Constitutione Constantini Pogonati Ecclesia Ravennatensis restituta est ordinationi sedis apostolicæ, ita ut archiepiscopus electus ordinandus esset a Romano pontifice. Jam ante tempore Doni P. Reparatus archiepisc. Ravennas se subjecerat ordinationi sedis apostolicæ, ut refert Anastas in Dono : « Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causa autocephaliæ, denuo se pristinæ sedi apostolicæ subjugavit. » Sed postea tempore Leonis II, ut res tutior esset, constitutione Constantini Pogonati cautum est, ut archiepiscopus Ravennas electus, ordinationem seu consecrationem peteret a Romano pontifice, quia ex privilegio Constantis Cæsaris a tribus episcopis ditionis suæ ordinabatur, et pallium petebat a Cæsare. (Hieronym. Rubeus *Hist Ravennat* lib IV.)

Linea 4. — *Hic fecit constitutum quod archivo Ecclesiæ continetur, qui ordinatus fuerit archiepiscopus, nullam consuetudinem pro usu pallii aut diversis officiis Ecclesiæ, persolvere debeat.* Maurus archiepiscopus Ravennas, concedente Constante Cæsare, ita se et successores subduxit a sede apostolica, ut episcopos sibi subjectos ipse ordinaret, et a tribus suæ provinciæ episcopis ordinaretur, neque confirmationem peteret a Romano pontifice; verum pallium a Cæsare acciperet. (Hieron Rubeus *Hist Ravenn* lib IV.) Archiepiscopo Ravennate redeunte in fidem et obsequium sedis apostolicæ, edictum a Leone II est, ut pallium petere ur a Romano pontifice, et ne eo nomine ulla consuetudo, id est, census persolveretur. Pro concessione pallii nihil dari vel accipi debet, can *Novit* 100, dist.

Linea 6. — *Sed et ne Mauri quondam episcopi anniversitas, aut agenda celebretur, sed et typum autocephaliæ quem sibi elicuerant, ad amputanda scandala sedis apostolicæ restituerunt.* Leo II vetuit ne dies anniversarius ordinationis Mauri archiepiscopi Ravennatis schismatici, qui valde infensus fuit sedi apostolicæ, teste Rubeo loco laudato, celebraretur; et ne agenda, id est missa pro defuncto, fieret. Anniversarius dies ordinationis episcoporum solebat celebrari, can *Solemnitates* 1 *et* 2 *de Consecr* dist I, Augustin *de verb Dom* sermon 32 : « Dies anniversarius ordinationis domini senis Aurelii crastinus illucescit; rogat et admonet per humilitatem meam, charitatem vestram, ut ad basilicam Fausti devotione venire dignemini. » Episcoporum etiam annua agenda, id est missa pro defunctis solebat celebrari. De episcopis Londinensibus sepultis in ecclesia S. Pauli testatur Beda *Hist Anglic* lib I, cap 3 : « Habet hæc in medio pene sui altare in honorem beati Gregorii papæ dedicatum, in quo per omne Sabbatum a presbytero loci illius agendæ eorum solemniter celebrantur. » Agenda est solemne sacrificium pro defunctis. Petrus Cluniacens lib II, epist 17 *de Obitu matris* : « Tandem luctuosa oratione finita, agendam incœpi : » Anniversarium sacrificium pro defunctis celebrandi usum commendat Tertullian. *de Monogam* : « Et offert annuis diebus dormitionis ejus. » Utrumque et anniversarium ordinationis et obitus demptum est Mauro archiepiscopo, quia in schismate vita functus est. Typus, id est forma principalis autocephaliæ, per archiepiscopum Ravennatem a principe impetratus, restitutus sedi apostolicæ, ne recidivæ litis materia esset. Forma autocephaliæ, id est, exemptionis. Anast in Dono, loco mox laudato: Αὐτοκέφαλοι sunt qui superiorem non agnoscunt: iidem dicti ἀκέφαλοι. Hinc acephali dicti clerici, qui nulli parent episcopo. Syn Paris apud Gratian can *Nulla*, 93 dist : « Tales acephalos, id est sine capite prisca Ecclesia consuetudo nominavit. » Conc Mogunt I, can 22 : « De clericis vagis, seu de acephalis, id est his qui sunt sine capite, neque in servitio Domini nostri, neque sub episcopo, neque sub abbate. » Goffrid Vindoc lib II, epist 27 : « Acephali non sumus, quia Christum Salvatorem caput habemus, et post ipsum Romanum pontificem. »

BINII ET LABBEI.

Num. 147, linea 1.—*Leo.* Ex canone secundo concilii Toletani XIV aperte colligitur Leonem creatum esse pontificem anno Domini 683.

Sedit menses decem, dies septem et decem. Defunctus IV Kalendas Julii, quo die in ecclesiasticis tabulis inter sanctos annumeratus habetur. Sedit menses decem et dies octo. Baron. ann. 684, num I.

Num. 148, linea 6. — *Honorius.* Actis illis, quæ Leoni pontifici oblata fuerunt, nomen Honorii per imposturam Theodori dolose superadditum fuisse sentit Baronius.

(*Ex Labbeo.*) Anno Christi 582, ineunte 10 Januarii, indictione 10 obiit, aut saltem sepultus est Agatho papa post sedem annorum trium, mensium sex et dierum viginti quinque, cum jam a die 16 Septembris absolutum fuisset concilium Constantinopolitanum III, sive œcumenicum sextum, labente adhuc apud Latinos indict. 9. Leo II paulo post Agathonis mortem electus est Romanus pontifex. Audita morte Agathonis et electione Leonis, Constantinus imperator die 13 Aprilis (non Decembris ut in vulgata legitur) ad Leonem scribit epistolam, quæ exstat Græce et Latine in fine sessionis XVIII.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Cum ex brevioribus interpontificiis jam noverimus, Ravennati exarcho potestatem confirmandi pontificis esse factam ab imperatoribus Orientis; mutationem aliam a Pogonato inductam explorare cogimur duobus diuturnioribus cæteris, quæ præcedunt, quæve sequuntur, interpontificiis, post Agathonem, ejusque successorem Leonem. Quod ut facilius

Digitized by Google

assequamur, memoria repetenda sunt quæ de varia pontificiæ electionis historia auctores doctissimi tradiderunt. Hanc Mabillonius (*Comm. prævi. ad Ord. Rom.* cap. 17) Panvinii vestigiis insistens, in sex omnino periodos distinguit. 1. A S. Petro ad Constantinum M., cum cleri, ac fidelium cœtus suffragiis sancte fiebat electio, de qua abunde Blanchin. supra ex epist. Cypriani. 2. A Constantino ad Justinianum, cum eligendo pontifice imperatorum Occidentis primum, deinde Gothorum regum auctoritas accedebat, de qua sparsim agitur in notis ad pontifices qui sub contentione eligebantur. 3. Ab Justiniano ad Carolum Magnum; cum, mortuo pontifice, curam apostolicæ sedis suscipiebant archipresbyter, archidiaconus, et primicerius notariorum, qui statim nuntiabant exarcho papæ mortem. Tum justis defuncto persolutis, ac tridui jejunio exacto, simul conveniebant clerus, optimates, populus, et milites, (nempe stationes militum; nam Romæ, præsertim et Ravennæ eædem consistebant, ad tutandam Italiæ partem adversus Langobardos) ac pontificem eligebant. Mox petebatur ab aula Constantinopoleos confirmatio, certa pecuniæ pensione persoluta, indeque advecti Romam jussione pontifex consecrabatur. 4. A Carolo M. ad Formosi electionem; cum Adrianus concessit Carolo, ut ipse, et successores eligerent, quod tamen minime fecerunt, confirmatione contenti, Orientalium imperatorum exemplo, cæteroqui liberam clero populoque electionem relinquentes. 5. A Formoso ad Ottonem M.; et 6. ab Ottone ad Fridericum Ænobarbum, sive ad Alexandrum III, cujus tempore et cura, electio ad solos cardinales devoluta est; ad tempora Anastasii non pertinent, ac proinde apud Mabillonium, unde hæc decerpsi, videri possunt.

Ad tertiam igitur electionis periodum, in qua versamur, revertor. Hanc Blanchinus, Mabillonio et Pagio simul collatis, non ad Carolum Magnum cum Mabillonio, sed ad Pippinum pervenisse affirmat cum Pagio: « Regnante, inquit, Pippino Francorum rege, Ecclesiam ab illa servitute liberatam fuisse infra cum eodem auctore (Pagio) videbimus. » Equidem fateor cum Blanchino, sententiam Pagii præferendam esse; ut palam fiet ex Zachariæ interpontificio, liberisque ejus successorum Stephani II et Pauli electionibus; qui quemadmodum tertiæ periodi electionum finem afferunt, ita quartum hunc tomum absolvent in quo totam fere illius historiam complexi erimus. Cæterum tertia hæc variæ electionis periodus duas insignes mutationes passa est, quarum primam indicavi supra in notis ad Pachecum, cum Ravennati exarcho facultas confirmandi pontificem ab imperatore concessa fuit: alteram vero diuturnitas interpontificii, quæ jam desueverat, Agathonis mortem excipiens, hoc loco explicandam suadet.

Constantinus Pogonatus, quæ erat ejus religio, et pietas erga S. sedem a memorata primum pensione eamdem liberam esse voluit, Anastasio teste in Agathone 146: « Hic suscepit divalem jussionem, secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas quæ solita erat dari pro ordinatione pontificis facienda. » Deinde, ut ex eadem sacra constat, facultatem confirmandi pontificis exarcho ademptam, Constantinopolim revocavit. « Sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum, electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem, et cum eorum [*al.*, ejus] conscientia et jussione [*al.*, scientia et jussu] debeat ordinatio provenire. » Novissime autem hac etiam confirmationis necessitate, quinquennio vixdum exacto, clerum, populumque Romanum liberavit. « Hic suscepit (Anastas. *in Bened.* num. 153.) divales jussiones clementissimi Constantini ad ven. clerum et populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut persona, qui electus fuerit ad sedem apostolicam, e vestigio absque tarditate pontifex ordinetur. » Ex quibus videtur posse constitui epocha libertatis ordinationum restitutæ an. 684, Benedicto pontifice. At quia exarchos, ut videbimus, adire oportuit, ob contentiones, idcirco cum doctissimis viris Pagio, et Blanchino adhuc septuaginta circiter annos differendam eam arbitror, nempe ad tempora Zachariæ pontificis, seu Pippini Francorum regis. Nunc, quoniam vidimus unde orta sit diuturnitas interpontificii post Agathonem, et Leonem II, utramque singillatim expendi oportet unumquodque suis locis.

Post Agathonem vacasse apostolicam sedem annum 1, menses 7, dies 5, perperam codd. et catalogi fere omnes tradunt. Etenim cum iidem omnes codd. et catalogi præter 1 et 2 Colbert. bidui discrimen habentes, et Corbeien. unius diei, constanter tradant successorem Agathonis Leonem sedisse menses 10, dies 17, ex Anastasio ipso luculenter patet cuinam anno conveniant ii menses; indeque non modo ætas pontificis, verum etiam interpontificii perperam consignati error detegitur. « Hujus temporibus, ait Anastasius, die decima sexta mensis Aprilis, indictione undecima, luna eclypsim pertulit. Post Cœnam Domini nocte pene tota in sanguineo vultu elaboravit. » In quibus duo characteres temporum signanter expressi indictio 11, et feria v in Cœna Domini concurrens cum die 16 Aprilis, annum indicant 683, cum Pascha erat die 29 prædicti mensis; quo etiam anno Calvisius, laudatam eclypsim expendens: « Cœpit, inquit, dimidia decima; finita est fere sesquihora post mediam noctem; duravit enim horis fere quatuor. Latitudo vera 12, 50 semidiam; lunæ, 17, 26; summa semidiametror. 62, 53; scrup. residua 50, 3; digiti eclipt. 19, 18; sol in 29 Arietis. Antonius Pagius alium quoque ejusdem anni characterem observat apud Anastasium num. 149, nempe dedicationem ecclesiæ B. Pauli juxta S. Bibianam die 22 Febr. qui anno 683, cum Dominica concurrebat, ut D littera Dominicalis ostendit. Quæ cum ita sint, interpontificii error est evidens; etenim eclipsis ab Agathonis morte distat unius tantum anni, ac trium mensium spatio, ut ecclesiæ B. Pauli dedicationem non memorem bimestri tempore viciniorem. Præterea mors Leonis in præstantioribus codd. et catalogis, præsertim Veronensi, die 3 Julii consignatur, sex duntaxat dierum discrimine apud alios occurrente qui eam consignant 28 Junii. Quamobrem removeri ea non potest ab eodem anno 683, nisi diutius eum sedisse arbitratu proprio autumare quis velit; nam mensis Aprilis lunari eclipsi celebris, ab Julio sequentis anni sejungitur quatuordecim mensibus.

Itaque nihil ex iis movendo, quæ tantæ antiquitatis auctoritate roborantur, de interpontificio post Agathonem; de ordinatione Leonis II, deque ejusdem sede, et die emortuali, sic stabiliendum videtur. Mortuo Agathone die 10 Januarii 682, cessavit sedes menses 7, dies 6, ut habet catal, præstantissimus Veronen ex quo, perinde ac ex aliis omnibus codd et catalogis expungi debet annus vacationis, manifeste superfluens: quare eodem anno 170 Augusti die Dominica ordinatur Leo II, (exclusis scilicet emortuali et ordinationis) qui sedet menses 10, dies 17, ac mortem occumbit anno sequenti 683, die 3 Julii, unde profecto ordinatio distat mensibus 10, diebus 17, si includantur dies ordinationis, ut ratio exigit, cum ab interpontificio exclusa fuerit; atque emortualis, quæ ab interpontificio sequenti removeri debet.

Contra hanc rectissimam Leonis chronologiam videntur facere quatuor ejusdem pontificis epistolæ unius argumenti Petro Regionario traditæ: 1. Ad omnes episcopos Hispaniæ; 2. Ad Quiricum; 3. Ad Simplicium comitem; 4. Demum ad regem Ervigium: quas licet Baronius supposititas putet, eruditi tamen recentiores jure vindicant, præsertim Pagius an. 683, num 12, et sequenti. Eas siquidem

Digitized by Google

in Hispaniam hauddum pervenisse constat pridie Nonas Novembres an. 683, cum tertia decima Toletana synodus celebrabatur; tametsi, juxta nostram chronologiam, quintus jam mensis volveretur a Leonis obitu. Verum si attente rem spectemus, omnis difficultas amovetur. Enimvero antequam Leo, quæ opportuna erant pararet, magna sui pontificatus pars præteriit, et nisi multum fallor, nondum profectus erat ab urbe Regionarius, cum pontifex valetudine laborare cœpit, moxque est sublatus; aut saltem pontificis morte, audita susceptum iter perficere non potuit. Nec simplici conjectura hæreo, hæc affirmans; nam Benedictus II vix electus brevem scripsit epistolam, in qua validissima hæc argumenta ad meam opinionem probandam leguntur : « Benedictus presbyter, et in Dei nomine electus, etc. Juxta quod tuam strenuitatem apostolicæ memoriæ dominus Leo papa Hispaniam provinciam ire disposuit ad præcellentissimum, etc., pro apostolicæ nostræ fidei firmitate cum summo pietatis studio commissum ministerium perage. » Et infra : « Officium perinde pietatis assumptum vigilantia atque solertia condecorans, festina perficere. » Quam hujus epistolæ sententiam non recte examinarunt, qui eam otiosam, ac proinde suppositam putant.

Cæterum secunda Leonis epistola, Quirico per errorem inscripta, data est ad Julianum Toletanum archiepiscopum, qui ante triennium, die videlicet 28 Januarii an. 680, successerat Quirico. Quæ singularis agendi forma notatu maxime digna est, contra recentiores non paucos, qui Ecclesiæ Hispaniensi hoc tempore florentissimæ, longe ut eam illustrarint, maximas undequaque tenebras obduxerunt : nam Leo, præter datam epistolam ad præsules Hispaniarum universos, peculiarem ad Toletanum, tanquam regni primatem, tradidit. Idque obiter dictum velim, nam propediem exibunt in lucem, Deo adjuvante, meæ dissertationes de antiquitate Ecclesiæ Hispaniensis, in quibus plurima antiquitatis monumenta proferuntur, quæ Hispaniarum primatum, ante Saracenorum invasionem evidenter ostendunt, absque pseudochronicorum ope, adversus recentiores doctissimos, qui vicariatum apostolicum cum primatu confundunt.

CIACONII.

Num. 147, linea 1. — *Leo.* Junior dictus ex Cedella territorio Vallis Siciliane in provincia ulterioris Aprutii, patre Paulo Meneio medico ex canonico regulari S. R. E. presbyter cardinalis XIII papa regnicola, a tribus episcopis, Ostiensi, Portuensi, et Veliterno consecratus, cum ad illam diem ab uno tantum Ostiensi, consecrari moris fuisset.

THOMÆ ACETI ADNOTATIO.

Num. 147, linea 1. — *Natione Siculus.* Ex iis, quæ in Agathone adnotavimus, satis apertum est Siciliæ nomine Calabriam etiam comprehendi. Sed et constans traditio est sanctum Leonem Rhegii natum esse, quidquid dicat Ciaconius, et Scipio Mazzella, qui tametsi ad regnum Neapolitanum pertinere fateantur, natum tamen contendunt in Aprutiis, vocis affinitate decepti, nam pro *Aprutiis* in Valle Sicula, *Brutiis*, ubi circa Rhegium locus est, qui etiam *Vallis Sicula* nominatur, legere debuerunt. Vide Gabrielem Barrium de situ et antiquitate Calabriæ quem nostris adnotationibus auctum quantocius, annuente numine, excipies.

BALDINI.

Num. 148, linea 1. — *Hic suscepit sanctam sextam synodum.... in qua et condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, et Pyrrhus, Paulus et Petrus.* Quinque epistolæ nobis supersunt a B. Leone II scriptæ, una quidem directa imperatori Constantino-Pogonato, qui ad pontificem mittens exemplar actorum in sexta synodo ab eodem ad probationem synodi requisiverat; et quatuor aliæ in Hispaniam missæ, prima ad episcopos Hispaniæ, altera ad Quiricum episcopum, tertia ad Simplicium comitem, et quarta ad Ervigium regem, quæ quidem omnes quatuor sunt similis argumenti, videlicet mitti a pontifice in Hispaniam Petrum notarium regionarium, qui secum deferat definitionem fidei sextæ synodi, acclamatorium sermonem synodi ad imperatorem; ejusdemque imperatoris edictum, ut episcopi synodali definitioni subscribant. Cardinalis Baronius has omnes epistolas pro suppositiis habet. Cum enim eminentissimus sacrorum Annalium parens eam viam primus inierit ut quamcunque labem ab Honorii memoria abstergeret, affirmandi interpolata, et fœde vitiata acta sextæ synodi fraude Theodori patriarchæ Constantinopolitani, debuit in vim suæ assertionis rejicere epistolas Leonis, in quibus anathema dicebatur Honorio, atque etiam auctorem libri Pontificalis misere lapsum recognoscere in adhibenda fide iisdem actis, ubi dicit, *in qua et condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius et Pyrrhus, Paulus et Petrus.* Quibus rationibus fidem convellat Baronius epistolarum Leonis, ne lector cogatur adire Annales, paucis verbis complectar :

Illud primum pro certissimo haberi debet Honorii fidem fuisse integram, et inculpatam, nihilque in ejus litteris ad Sergium datis exstare, quod suspicionem ullam conspirationis in hæresim Monothelitarum ingerere possit, ut clare ostenditur a B. martyre Maximo in eo dialogo, quem habuit cum Pyrrho Monothelita. Ubicunque itaque fit mentio damnationis Honorii, cubare mendum dicendum est, sive falsarii malitia, sive exscribentis oscitantia. Litterarum Leonis suppositionem primum indicant falsæ temporum consignationes. Sacra imperatoris ad Leonem consignatur hac nota, *missa est mense Decembri indictione decima.* Si Leo nonnisi indictione undecima anno 683, mense Augusto, ut ex Anastasio habetur, pontifex est renuntiatus, non poterat imperator ad eumdem litteras dare septemdecim mensibus ante ejus electionem. Præterea scribit imperator se hortatoriam misisse ad Agathonem papam, ut quosdam dirigeret Constantinopolim, qui in concilio, quod proxime celebrandum erat, ejus personam repræsentarent, quando constat ex litteris ejusdem imperatoris ad Georgium episcopum Constantinopolitanum, ex rescriptis Agathonis ad imperatorem, ex actibus synodalibus, et ex Anastasio, Constantinum non direxisse litteras ad Agathonem, sed ad Donum Agathonis prædecessorem. Littera pariter Leonis imperatori reddita simili vitio datæ corruptæ laborat, nam legitur consignata *nonis Maii, indictione decima.* Si in contextu litteræ affirmat Leo se divales apices imperatoriæ Clementiæ cum synodalibus gestis accepisse *mense Julio per nuper elapsam decimam indictionem*, quomodo claudi potest eadem littera *nonis Maii, indictione decima*, nota scilicet, quæ consignet tempus litteræ redditæ, tribus mensibus antevertens tempus litteræ acceptæ?

Pari ferme anachronismo fœdantur litteræ Leonis in Hispaniam missæ. In illis affirmatur, synodum in causa Monothelitarum habitam absolutam fuisse indictione nona, cum certum sit absolutam fuisse indictione decima, quemadmodum ultima ejus acta ita evidenter declarant, ut nulla super ea re dubitatio esse possit. In epistola ad episcopos Hispaniæ dicit Leo se delegisse ex conciliis sanctæ sedi subjacentibus archiepiscopos, quos ad imperatorem mitteret, cum in subscriptionibus synodi nullus inveniri possit archiepiscopus, qui Roma missus synodo interfuerit. Sed cum synodus absoluta fuerit ante obitum Agathonis, unde Leo affirmare poterat se ad synodum archiepiscopos destinasse, ab legatis diversos quos Agatho præmiserat? Ad Quiricum infeliciter fingitur data epistola a Leone, quem palam est longe ante Leonem fato functum fuisse, scilicet ante annos septem, subrogato illi Juliano, qui subscriptus le-

Digitized by Google

gitur concilio Toletano XII, habito anno 682, nomine Quirici Toletani episcopi subsignato tantum concilio Toletano XI, habito anno 675. Neque alius fingi potest Quiricus diversus a Toletano, cum ad primatem, et metropolitanum scribere pontifex debuisset, quando post scriptas litteras generales ad omnes episcopos Hispaniarum, ad aliquem seorsim scribere voluisset. De Simplicio comite nulla est mentio in numerosa illa comitum serie, qui interfuisse XIII concilio Toletano leguntur, omnes numero viginti duo. In littera autem ad Ervigium regem data minime illa duo ferenda sunt : primum imperatorem Constantinum litteras misisse ad Agathonem, quas supra ostensum est missas fuisse ad Donum; deinde litteras illas imperatoris scriptas fuisse *indictione nona*, cum illæ ad Donum datæ reperiantur *indictione sexta, pridie Idus Augusti*. Quibus omnibus addatur in illis litteris clare affirmari in Hispaniam mitti non ipsa acta synodalia, « quæ propter linguæ diversitatem, in Græco quippe conscripta sunt, et necdum in Latinum eloquium examinate translata erant, » sed tantum definitionem synodi, edictum imperatoris, et acclamatorium Patrum sermonem ad eumdem, minimam scilicet actorum partem; quando episcopi in synodo Toletana XI, habita anno 684, se accepisse testantur integra gesta synodi cum invitatoriis Leonis papæ litteris, « per quæ omnis ordo gestorum, gestaque ordinum dilucide, ut acta sunt, nostris sensibus patuerunt. » Hæc sunt penes Baronium argumenta suppositionis litterarum Leonis II.

His tamen argumentis non acquiescunt, qui memoratas quinque litteras Leonis pro veris habent, et genuinis. Et primum in eo probe conveniunt cum Baronio, quod procul abfuerit Honorius papa ab omni culpa hæreseos non solum, sed ab omni suspicione culpæ, et optime ejus causam propugnavit Joannes IV, in apologia Honorii ad Constantinum Heraclii filium, et Anastasius Bibliothecarius in præfatione in sua ad Joannem diaconum Collectanea, quæ Baronius non vidit e tenebris educta post ejus obitum per Sirmondum, quemadmodum neque videre potuit librum Diurnum pontificalem, quem Garnerius primum vulgavit. Quod Leo reprehendit in Honorio, est inofficiosa illa œconomia, qua silentium Sergio indulsit, homini dolosissimo, et obtendenti per eam indulgentiam pacem et tranquillitatem Ecclesiarum Orientis; idque in epistola ad episcopos Hispaniæ per ea verba clare indicatur : « qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit. » Quod si notæ chronologicæ non exacte respondeant temporibus quibus litteræ datæ fuerunt, id tum vitio vertatur amanuensibus, qui ex apographis plerumque exscripserunt, tum præsertim chronologiæ hujus papæ, quam vulneratam et claudam auctor Pontificalis nobis transmisit, et cui sanandæ medicam manum opportune admovit Philippus Labbeus, in observatione ab eodem edita post Vitam hujus pontificis tom. VII Conciliorum, quæ infra integre reddetur.

Recepta itaque emendatione Labbei, facile restituuntur loca, quæ luxata Baronio visa sunt. Mortuo Agathone anno Christi 682, die 10 Januarii, indictione 10, Leo II statim eligitur. Audita morte Agathonis, et subrogatione Leonis mense Martio, vel Aprili, indictione 10, Constantinus scribit epistolam ad Leonem, quam deferunt simul cum actis sextæ synodi legati ab Agathone Constantinopolim missi, qui Romam redeunt mense Julio; eorumque unus est Joannes episcopus Portuensis, qui Leonis consecrationi proximo mense Augusto ejusdem indictionis 10 peractæ intervenit. Interim Leo examinari jubet acta synodi; quibus mature perpensis, et diligenter discussis, mense Maio anni subsequentis 683, indictione 11 sacræ imperatoris respondet. Ubi igitur legimus in littera Constantini, *missa est mense Decembri indictione decima* legatur, *mense Aprili indictione decima*, et in littera Leonis, ubi legitur *nonis Maii indictione decima*, legatur *nonis Maii indictione undecima*.

In litteris Leonis in Hispaniam missis nullus error temporum occurrit. Affirmat Leo synodum habitam in causa Monothelitarum absolutam fuisse indictione 9, cum revera actiones omnes, quæ ad causæ pondus pertinerent circa negotium fidei, absolute fuerint ante initium indictionis 10 solis actionibus 17 et 18, celebratis diebus 11 et 16, Septembris inchoante indictione decima, qui dies referri etiam possunt ad indictionem 9 respectu Occidentalium indictionem 10 a die 24 Septembris numerare incipientium. Dicuntur quidem, in littera ad episcopos Hispaniæ, archiepiscopi a pontifice delecti ex provinciis sanctæ sedis subjectis; sed librario fortasse imputandum, si loco episcoporum scripserit archiepiscopos; quando etiam archiepiscopi interfuerunt, uti optime notat Pagius in hunc locum Baronii; videlicet adfuit... archiepiscopus Corinthi, Basilius Cretæ, et Joannes Regiensis archiepiscopus Calabriæ; et illos dicere potuit Leo *a nobis missos*, cum a Romana sede missi fuerint. Littera ad Quiricum data, bona fide supponit illum inter vivos superstitem, cujus mortis nuntius ad Leonem adhuc perlatus non fuerat; neque enim computandum est tempus obitus Quirici a subscriptione ab eodem facta concilio Toletano XI, anno 675, sed a tempore concilii Toletani XII, habiti anno 682, cui, defuncto fortasse paucis ante mensibus Quirico Julianus subrogatus, subscriptus legitur. Nec adeo infelix reputandus est, si quis fuisset fabricator suppositionis epistolarum, ut volens per fraudem fallere, neglexerit legere subscriptiones episcoporum conciliis per ea tempora habitis, et conflictas litteras ad eos dirigere, quorum nomina catalogi præferebant : quod idem dici debet de Simplicio comite. At in littera ad regem Ervigium scribit Leo imperatorem sacras ad Agathonem direxisse indictione 9, cum certum sit directas fuisse ad Donum indictione 6, pridie Idus Augusti. Pagius respondet in notas numerales sæpe errores irrepere, nec ideo statim rejiciendos esse codices illis notis signatos; dici autem eas litteras ad Agathonem directas, quia Dono mortuo, illas Agatho accepit, et super illis ad imperatorem respondit. Sed fortasse Constantinus qui ad Donum jampridem scripserat, accepto nuntio ejusdem mortis, potuit super eodem negotio ad Agathonem successorem Doni rescribere. An ideo, quia litteræ non exstent, exstitisse negandum erit?

Tandem si episcopi Hispaniæ in synodo Toletana XIV testantur se accepisse omnia gesta synodi, quæ Leo negat in suis litteris a se mitti, potuisse, affirmant se accepisse, quæ ad substantiam actorum synodi pertinebant, nempe definitionem fidei factam a synodo, quæ pars erat potior et capitalis gestorum in sexta synodo. Sed Leo scripsit in Hispaniam anno 683, obiit vero die 18 Junii anno 684, labente indictione 12... Synodus Toletana XIV habita est anno 684. Intra anni spatium potuit absolvi conversio actorum synodi ex Græco in Latinum sermonem, et in Hispaniam mitti Petro notario, et a Petro notario episcopis Hispaniæ opportune communicari, ut definitioni fidei subscriberent. Hæc sunt quæ a suppositionis nota quinque Leonis litteras vindicare posse videntur; an vindicent prudens lector dijudicet.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBEI, S. J.

In tota pontificum Romanorum serie, vix quidquam in priscis recentisque memoriæ scriptoribus occurrit intricatius initio, gestis, atque obitu Leonis papæ II; quare ut mihi lectoribusque meis faciam satis, pauca hic in antecessum ἀκροστιχῶς attingam atque observabo.

Anno Christi 682, ineunte die 10 Januarii, indictione 10 obiit, aut saltem sepultus est Agatho papa post sedem annorum trium, mensium sex et dierum viginti quinque, cum jam a die 16 Septembris abso-

Digitized by Google

lutum fuisset concilium Constantinopolitanum III, sive œcumenicum sextum, labente adhuc apud Latinos indictione 9.

Leo II paulo post Agathonis mortem electus est Romanus pontifex.

Audita morte Agathonis et electione Leonis, Constantinus imperator die 13 Aprilis (non Decembris, ut in vulgata editione legitur) ad Leonem scribit epistolam, quæ exstat Græce et Latine in fine sessionis XVIII.

Mense Julio indictione 10 redeunt legati ab Agathone papa anno 680 ad concilium generale missi, ejusque acta cum Constantini epistola referunt.

Die 15 Augusti indictione 10 Leo II, accepta confirmatione, ordinatur pontifex tum ab aliis, tum a Joanne Portuensi episcopo, qui unus fuerat ex legatis; ideoque dicendum est sedisse annum unum cum mensibus decem et diebus quatuordecim.

Vulgo tamen consecratio ejus die 15 Augusti anni seq. 683 affigitur, vergente ad finem indictione 11. Quod si verum est, fatendum erit Leonem II a Romanis electum, atque interim pontificium munus pro dignitate obeuntem vix ac ne vix tandem post annum ac sex circiter menses consensisse in suam consecrationem, præ summa animi demissione aliasve ob causas.

Anno 683, indictione 11, die 16 Aprilis post Cœnam Domini, luna tota pene nocte in sanguineo vultu elaboravit, et nonnisi per galli cantum, hoc est paulo post mediam noctem, inchoata jam feria sexta majoris hebdomadæ, ex tenebris cœpit emergere, teste Anastasio. Hæc vero eclipsis contigit tempore hujus papæ Leonis, aut duntaxat electi, aut etiam consecrati ex diversa numerandi ratione.

Maio mense indictionis (non 10 sed) 11, examinatis per otium actis sextæ synodi cum quæ, imperatoris epistola mense Julio anni superioris revertentes legati retulerant, Leo aut electus tantum, aut jam ab anno superiori solemni more ordinatus, rescripsit ad imperatorem, quæque gesta fuerant in sexto œcumenico concilio approbavit. Sunt et qui hujus anni mense Junio Leonem mortuum velint.

Sub autumnum anni 683, inchoata jam, ut par est credere, indictione 12, misit Leo acta concilii œcumenici in Hispaniam per Petrum Regionarium S. R. E. notarium cum epistolis quæ exstant: sed cum ea jam die 4 Novembris perfecto concilio Toletano XIII, dimissisque in suas civitates Patribus delata fuissent, eorum lectio in anni sequentis Novembrem mensem prorogata est, quo concilium Toletanum XIV celebratum fuit æra 722.

Interim die 28 Junii anni 684, indictione labente 12, obiit Leo, eique die 20 Aug. successit Benedictus II, qui ad eumdem Petrum Regionarium et ad Ervigium regem scripsit, obiitque die 7 Maii anni 685, indictione 13. Illi porro chronologi qui mortuum Leonem contendunt anno 683, Benedicti primordia anno 683 consignant ejusdemque aut successoris pontificatum uno anno productiorem fuisse affirmant. Sed non est necesse circumpscriptos a nobis aliisque limites perrumpere. Cum enim Petrus Regionarius a Leone anno 683 missus in Hispaniam, jam absoluto concilio Toletano XIII, ibidem substitisset donec in sequentis concilii Toletani XIV conventu annuo actis synodi œcumenicæ Hispani episcopi subscriberent, auditaque morte Leonis segnius forte urgeret Petrus quæ fuerant a Leone mandata, Benedictus ejus successor paulo post electionem ordinationemve suam eumdem, data, quæ exstat, epistola, hortatus est, ut pro apostolicæ fidei firmitate cum summo pietatis studio commissum ministerium perageret. Quod et fecit mense Novembri anni 684, ut ex can. 2 Tol. XIV datur intelligi.

PAGII.

Num. 148, linea 1. — *Hic suscepit sanctam sextam synodum.* Ex laudatis Anastasii verbis constat legatos Agathonis papæ et synodi Occidentalis, qui synodo sextæ præfuere Constantinopoli Romam rediisse ante Leonis II ordinationem, contra quod censuit Baronius; cum Joannes episcopus Portuensis, unus ex legatis, unus etiam ex ordinatoribus Leonis II exstiterit. Unde ipsemet Leo in epistola ad Constantinum imperatorem quam scripsit post mensem Augustum anni 682, ait: « Legatos hujus apostolicæ sedis una cum personis, quæ cum eis profectæ fuerant, per nuper elapsam decimam indictionem (quæ in cursu fuit usque ad Kalendas Septembris ejusdem anni 682), mense Julio cum divalibus clementiæ vestræ apicibus et synodalibus gestis, cum magno jucunditatis gaudio in Domino exsultantes suscepimus. » Legati itaque pontificii hiemarunt Constantinopoli, sollicitantes pro felici statu Ecclesiæ Romanæ, aut ob alias causas nobis ignotas; sed cum accepissent Agathonis mortem et Leonis II electionem, quam ipsemet Leo imperatori per litteras significavit, profecti sunt Constantinopoli, deferentes acta synodalia et epistolam imperatoris ad Leonem, et mense Julio indictionis 10, ideoque anno 682 Romam pervenere, ubi Joannes Portuensis cum duobus aliis episcopis eumdem Leonem, die 17 mensis Augusti pontificem consecravit. Unde in titulo epistolæ imperatoris ad Leonem, quam Baronius anno 683 refert, corrigendum est illud quod dicitur missa ad Leonem, *mensis Decembris decimo tertio, indictione decima*, tunc enim Agatho nondum mortuus erat, legendumque, vel *mensis Maii*, vel *mensis Junii decimo tertio*, etc.

Pontifex, acceptis synodalibus gestis et imperatoris epistola, ad ipsum direxit epistolam synodi sextæ confirmatricem, quæ dicitur data *Nonis Maii, indictione* 10, sed hæc temporis obsignatio desideratur in textu Græco, ideoque addititia est, et flocci-facienda: ex laudatis quippe Leonis verbis constat eam scriptam esse post indictionem decimam, ideoque post mensem Augustum. Sextam autem synodum his verbis confirmavit Leo pontifex: « Sancta igitur universalis et magna sexta synodus, quam nutu Dei vestra clementia et sedulo convocavit, et cui pro Dei ministerio præfuit, apostolicam in omnibus regulam, et probabilem Patrum doctrinam secuta est. Et quia definitionem rectæ fidei prædicavit, quam et apostolica sedes beati Petri apostoli (cujus licet impares ministerio fungimur) veneranter suscepit; ideirco et nos, et per nostrum officium hæc veneranda sedes apostolica, concorditer ac unanimiter his quæ definita sunt ab ea consentit, et beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem propterea sicut suscepimus atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I, Chalcedonense et Constantinopolitanum, quæ et omnis Christi Ecclesia approbat et sequitur: ita et quod nuper in regia urbe, pio vestræ serenitatis annisu, celebratum est, sanctum sextum concilium, ut eorum pedisequum, et ea interpretans, pari veneratione atque censura suscipimus, et hoc cum eis digne connumerari, tanquam una et æquali Dei gratia congregatum decernimus: et qui in eo fideliter convenerunt, Christi Ecclesiæ sacerdotes, inter sanctos Ecclesiæ Patres atque doctores ascribendos æque censemus. »

Post hæc sanctus Leo acta synodalia in Hispaniam misit, ut episcoporum Hispaniæ assensu rata essent. Qua de re scripsit ad Ervigium Hispaniarum regem, ad episcopos ejusdem regni, ad Quiricum episcopum, et ad Simplicium comitem, omnes epistolas ejusdem argumenti, nimirum quod absoluta œcumenica synodo, ipse in Hispaniam mittat per Petrum notarium regionarium ejusdem fidei definitionem, acclamatorium insuper sermonem synodi ad imperatorem, necnon ejusdem imperatoris edictum: quo ipsorum omnium episcoporum subscriptionibus munirentur, quæ in œcumenico concilio statuta fuissent. Eas epistolas Baronius suppositilias credidit,

Digitized by Google

quod eæ damnatum a synodo sexta, ac ipso Leone Honorium papam testentur. Verum sanctus Leo non hæreseos, sed tantum negligentiæ et culpabilis connivantiæ Honorium perstringit. In epistola enim ad episcopos Hispaniæ ait : « Æterna damnatione multati sunt Theodorus, Cyrus cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit. » In epistola vero ad Ervigium regem eadem inculcans : « De catholicæ, inquit, Ecclesiæ adunatione privati sunt Theodorus Pharanitanus, etc., et una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam traditionis regulam, quam a prædecessoribus suis accepit, maculari consensit. » Alia suppositionis argumenta et ad ea responsiones legi possunt in critica Baroniana. De concilio Toletano, in quo acta synodi sextæ recepta sunt, in Benedicto II Leonis successore, agemus.

Linea 7. — *Necnon et Macarius cum discipulo suo Stephano.* Agathone papa sedente, Macarium Antiochenum episcopum, Stephanum abbatem, aliosque Monothelitas in synodo sexta damnatos et depositos, Romam in exsilium missos esse ex Anastasio ibidem diximus.

Baronius laudatam num. 3 imperatoris ad Leonem II papam epistolam suppositionis arguit, quod in consignatione temporis error insit; sed, ut diximus, error ille librariis attribuendus. Deinde ait in ea Constantinum asserere missas fuisse litteras pro cogenda synodo universali ad Agathonem papam, quas liquet missas esse Dono decessori e us. Quæ ratio nihil urget: loquitur enim imperator compendio historico, quia nempe Agatho litteras quas imperator Dono miserat, ipsemet post mortem Doni accepit, iisque fecit satis. Nam inde haud absone Constantinus scribit ad Leonem II misisse se litteras ad Agathonem.

Sed ponamus eam epistolam suppositionem esse, qua ratione Baronius anno 681, ex ea mendacii arguit Anastasium Bibliothecarium, scribentem Macarium Antiochenum episcopum a sexta synodo depositum, cum suis sequacibus Romam in exsilium ab imperatore directum esse, maxime cum ipsemet Baronius anno 685 referat, in actione prima concilii Nicæni II, Petrum presbyterum et apostolicæ sedis Adriani papæ vicarium dixisse : « Romæ quidem extorris erat Macarius a sancta synodo sexta damnatus, » et cætera a nobis in Benedicto II num. 9 recitata. Nec est quod dicat nullum exemplum exstare, ut exsilio damnatis pro exsilii loco decreta fuerit Romana urbs; cum Callinicus patriarcha Constantinopolitanus, ipso fatente Baronio ad annum 703, num. 2, a Justiniano imperatore oculis orbatus fuerit, et Romam in exsilium missus, quod confirmatur ex Vita ejusdem Callinici Græce scripta, quam Lambecius tomo VIII bibliothecæ Cæsareæ, pag. 210, ait in ea bibliotheca asservari, ejusque titulum esse : « Commemoratio Callinici patriarchæ Constantinopolitani qui effossis oculis Romam missus est in exsilium, ubi in aliquo muro inclusus, misere obiit. » Denique quod ex ea epistola deducit Baronius, ideo Macarium et sectatores Romam missos, quia ad sedem apostolicam appellaverant, est omnino incredibile, cum sexta synodus quæ eum sede dejecerat, in ultima sessione professa sit, se in definitione catholicæ dogmatis sequi Agathonis epistolam et synodales litteras Romani concilii; ideoque Macarium ad apostolicam sedem appellasse nulla verisimilitudine dici potest. Illud ergo tantum ex dicta epistola deduci mihi posse videtur, Macarium videntem imperatorem decrevisse ipsum in exsilium mittere, petiisse Romam mitti, quod non displicuit imperatori, qui pontificis Romani arbitrio ipsum reliquit in sedem restituere, si resipisceret : « Ipsi autem, inquit, scriptis precibus serenitatem nostram omnes communiter deprecati sunt, ut se ad vestram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes. » Et in epistola ejusdem imperatoris ad Romanam synodum, quæ reperitur in fine ultimæ actionis sextæ synodi : « Universalis contentionis communi sententia, de sacerdotali dignitate repulsi sunt (Macarius et sectatores) et probationi sanctissimi papæ traditi sunt. » Unde postea Benedictus II Macarium in sedem restituere volebat, ut in ejus pontificatu diximus.

Num. 149, linea 2. — *Restituta est Ecclesia Ravennatis*, etc. Obtinuit Leo ab imperatore Constantino divales jussiones quibus Ravennatensis Ecclesia restituta est sub ordinatione sedis apostolicæ; jussit enim imperator, ut Ravennatensi archiepiscopo defuncto, qui in ejus locum eligeretur, juxta antiquam consuetudinem Romam veniret ordinandus. Ita Anastasius, qui addit Leonem fecisse constitutum, ut archiepiscopi nihil pro usu pallii aut diversis officiis Ecclesiæ solvere deberent, quod olim S. Gregorium statuisse in synodo Romana II, in ejus pontificatu diximus. Vetuit insuper, ne Mauri quondam Ravennatensis episcopi in schismate contra Romanam Ecclesiam defuncti, de quo in Vitaliano papa locuti sumus, anniversaria aut agenda celebraretur.

Num. 150, linea 1. — *Hujus temporibus*, etc. Hæc eclipsis, juxta Calvisium in opere chronologico, contigit die 16 Aprilis, quæ anno 683 coincidebat cum cœna Domini, quia Pascha eo anno celebratum est die 19 Aprilis; quare cum acciderit ex Anastasio temporibus Leonis II, necessario sequitur hunc jam pontificem fuisse die 17 Aprilis anni 683, ideoque et interpontificium fuisse tantum mensium septem, ut post Martinum Polonum in libello *de Mirabilibus Romæ*, scripsit Onuphrius Panvinius in chronico ecclesiastico, et consequenter sanctum Leonem ordinatum fuisse die decima septima mensis Augusti ejusdem anni 682, postquam sedes menses septem, dies septem vacasset; quod in ejus morte certius constabit. Erat Leo Pauli filius, natione Siculus.

Linea 4. — *Hic fecit ordinationem unam*, etc. Hic locus virorum eruditorum ingenia valde torsit, qui respicientes ad Sabbatum quatuor Temporum proximum post Pentecosten, quod non potest convenire cum die 27 Junii quocunque anno ponatur pontificatus Leonis; alii legerunt 27 Maii, sed illi decepti sunt, illud enim Sabbatum non reperitur etiam mense Maio; alii legerunt quidem mensem Junium, sed loco die 27 posuerunt die 4, quo anno 684 Sabbatum quatuor Temporum post Pentecosten incidit. Sed præterquam quod probavimus Leonem obiisse anno 683, criticæ Baronii auctor rectius, meo quidem judicio, scribit Anastasii textum non esse sollicitandum, ac Leonem eam ordinationem peregisse die 27 Junii in Sabbato, licet non esset quatuor Temporum, quia simul pontifici Romano ob principem dignitatem id privilegii concessum est, ut solus absque aliis episcopis consecraret episcopos; ita et propter eamdem rationem, ut singulis Sabbatis diaconos, presbyteros et episcopos ordinaret. Pontifices enim Romanos, in conferendis ordinibus, regulis communibus astrictos non fuisse ostendit Alexander III, dum Batoniensi episcopo scribens, ait : « Subdiaconos nulli nisi Romano pontifici licet diebus Dominicis ordinare; » quod confirmat in litteris ad Herefordensem episcopum : « Ad subdiaconatum nisi in quatuor Temporibus, aut in Sabbato sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli episcoporum, præterquam Romano pontifici, licet aliquos ordinare. »

Cæterum, prosequitur idem auctor, existimandum non est Leonem II unica ordinatione fecisse presbyteros 9, diaconos 3, episcopos 23; Anastasius enim significat eum, durante suo pontificatu, fecisse ordinationem generalem, et quandiu in pontificatu vixit, presbyteros 9, diaconos 3 et episcopos 25, sed diversis diebus ordinasse. Hanc esse genuinam Anastasii mentem, tam in hoc quam in cæteris pontificibus, ipsemet innuit. Nam in Joanne VI ait : « Hic fecit ordinationem presbyterorum, seu diaconorum unam,

Digitized by Google

id est presbyteros novem, diaconos duos. Fecit autem et per diversa loca episcopos quindecim; » ubi vox *ordinatio*, ad presbyteros tantum et diaconos, non vero ad episcopos referri potest. Item confirmat Anastasius in Vita Sergii Primi : « Hic ordinavit per diversas provincias episcopos nonaginta septem. Fecit autem et ordinationes duas per mensem Martii, presbyteros decem et octo, diaconos quatuor; » ubi vox *ordinatio*, et mensis Martius ad presbyteros et diaconos tantum, non vero ad episcopos refertur. Hinc in Vitis pontificum, in quibus nulla mentio ordinationis presbyterorum, et diaconorum, nunquam legitur, *fecit ordinationem*, etc., *per mensem*, etc., *in Quadragesima*, etc., quia scilicet tempus et mensis respiciebant tantum ordinationes generales, in quibus presbyteri et diaconi consecrabantur. In Vita Joannis Primi habetur tantum : « Hic ordinavit episcopos per diversa loca numero 13. » In Vita Sabiniani : « Hic Ecclesiam de clero implevit : hic episcopos fecit per diversa loca numero sex et viginti. » Idem habetur in Vita Eugenii I, Benedicti Secundi, Joannis V et Cononis. Verum est in Vita Anteri legi : « Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, episcopum unum. » Sed præterquam quod Anterus ibi præponitur Pontiano, locus ille corruptus est; legendumque cum uno ms. Freheriano : « Hic fecit unum episcopum in civitate Fundis Campaniæ, per mensem Decembrem. »

Ad hæc pontifices Romani ordinare tenebantur omnes suburbicariarum provinciarum episcopos a clero et populo canonice electos, absque eo quod eorum consecrationes diu differri possent, ne Ecclesiæ pastoribus viduatæ remanerent. Quod si episcopi a pontificibus Romanis, nonnisi diebus ordinationum generalium, quibus presbyteri ordinabantur, consecrati fuissent, quale esset nostrum judicium de Gregorio, qui intra annos sexdecim, quibus sedit, semel episcopos consecrasset, et quidem 130 uno eodemque die? Quale de Adriano Primo, qui intra annos 24, quibus Ecclesiam Romanam rexit, bis tantum episcopos ordinasset, et intra duos dies 185. Hæc omnia profecto absurda. Quare omnino dicendum pontifices Romanos, non solum Dominicis, et Sabbatis quatuor Temporum, sed etiam omnibus aliis diebus Dominicis, ubi opus erat, episcopos consecrasse, neque eos sese astrictos credidisse communi legi, quæ sacras ordinationes Sabbatis quatuor Temporum affigit. Ita recte annotator Baronii.

Ad ea objici forsan posset prædictis in litteris Alexandri III ad Batoniensem et Herefordensem episcopos, agi tantum de subdiaconis, quorum ordo nondum inter sacros accensebatur, ideoque potuisse quidem pontifices Romanos quoslibet Sabbato aut Dominica minores ordines conferre, sed non majores. Id enim ex eo refellitur, quod cum subdiaconatus inter majores ordines relatus est, et nonnulli adhuc episcopi diebus quibusve Dominicis, illum indifferenter conferrent, concilium Dalmaticum anno 1191 celebratum canone 2 ita statuit : « Prohibemus etiam ne aliquis episcopus nisi in quatuor Temporibus, juxta sanctorum Patrum constitutionem, aliquem ad sacros ordines promovere præsumat. Solus enim Romanus pontifex Dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. » Ex quo et sequitur tunc subdiaconatum fuisse numeratum inter ordines sacros. Licet autem concilium de solis subdiaconis loquatur, non inde tamen, Romanæ sedis privilegium de diaconis et presbyteris quocunque Sabbato aut Dominica ordinandis, destruitur; cum exempla nobis ante illud suppetant, quibus evincitur Romanos pontifices etiam diaconos et episcopos ordinasse extra quatuor Tempora. De episcopis jam supra dictum est in Simplicio papa, ubi numero ultimo observavimus Agapetum papam, Memnam Constantinopolitanum patriarcham ordinasse die 15 Martii anni 536, feria quinta. De diaconis et consequenter de presbyteris exemplum habemus in Gelasio II, qui die Dominica post Sabbatum quatuor Temporum Martii, decima nempe die ejusdem mensis anno 1118 consecratus pontifex Rom. eodem suæ consecrationis die : « Petrum Rufum diaconem cardinalem, » inquit Pandulphus in ejus Vita a Papebrochio in Conatu Chronico-historico relata, « Baronem subdiaconum, et me Pandulphum ostiarium, qui hæc scripsi, in lectorem et exorcistam promovit, et plures alios in minoribus gradibus ordinavit. » Unde Innocentius III apud Edmundum Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritibus tom. II, pag. 283, scribit : « Solus pontifex Romanus, qui ante hymnum evangelicum, consecratur, et postmodum ipse Missarum solemnia incipit, et perficit consecratus, in die consecrationis suæ valet ordines celebrare. » Ex quibus habemus diaconos et presbyteros consecrandi quocunque Sabbato, vel die Dominica, imo et in die consecrationis suæ, licet non esset Dominicalis, potestatem Romani pontifici, et quidem soli reservatam fuisse. Ideo porro concilium Dalmaticum de solis subdiaconis loquitur, quia tunc de illis solis agebatur; ut enim dixi, plures episcopi sibi licitum esse arbitrabantur qualibet die Dominica subdiaconatum conferre, ut licitum fuerat, antequam hic ordo inter majores recenseretur; quod concilium prohibet hanc potestatem soli Romano pontifici reservatam declarans.

Linea. 8 — *Ordinatus est a tribus episcopis.* Leonem II a tribus episcopis, ordinatum esse scribit idem Anastasius : « Qui suprascriptus, inquit, sanctissimus vir, ordinatus est a tribus episcopis, id est, Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, et Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia episcopum minime habuit. » Ex quo corruit Sigonii opinio, qui in Historia de Regno Italiæ ad annum 682 ait, ante Leonem II soli episcopo Ostiensi tributum fuisse, ut seclusis aliis episcopis pontificem Romanum consecraret. Nam cum Anastasius rationem reddat, quod pro Albanensi episcopo, cujus sedes vacabat, suffectus sit Veliternensis, id argumento est morem antea fuisse, ut cum Ostiensi et Portuensi episcopis, Albanensis etiam ordinationi Romani pontificis ministraret. Id confirmat Mabillonius, scilicet Romanos pontifices a tribus episcopis ordinari solitos, in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, ex altero et duobus libellis *de Ordinatione* a se publicatis : in eo enim, uti in Ordine Romano, trium episcoporum mentio in pontificis ordinatione habetur; qui libellus haud dubie scriptus est ante pontificatum Leonis II. Certe etiam ante concilium Nicænum, ordinationes episcoporum a tribus episcopis Romæ factas fuisse colligitur ex facto Novati, qui accitos Romam tres episcopos temulentos, hora decima inclusos, adumbrata quadam et inani manuum impositione, episcopatum sibi tradere coegit, scribente Cornelio papa in epistola ad Fabianum Antiochenum, apud Eusebium lib. VI, cap. 43, unico contentus quidem futurus, si unus ad consecrandum Romanum antistitem tam suffecisset. Ita Mabillonius laudatus. Quod etiam postea ita peractum esse constat ex Anastasio, qui in Pelagio primo scribit in tota Italia tertium inveniri non potuisse episcopum, a quo consecraretur, ideoque a Perusino et Ferentino episcopis, ac Andrea presbytero Ostiensi consecratum fuisse, ex eo enim constat ordinationem Romani pontificis a tribus episcopis fieri solitam semper fuisse. Vide dicta in Marco.

SOMMIER.

Num. 148, linea 1. — *Hic suscepit sanctam sextam synodum.* Mortuo Agathoni paulo post sexti generalis concilii celebrationem, successit Leo II. Hic divalem imperatoris accepit, in qua memoratur ratio susceptæ epistolæ Agathonis in concilio : « Velut ipsum principem, inquit imperator, apostolici chori primæque cathedræ antistitem Petrum contuiti sumus, mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem, verbaque hæc per eas litteras Christo facientem : » *Tu es Christus Fi-*

Digitized by Google

lius Dei vivi. « Nam ipsum totum Christum nobis sacræ ejus (Agathonis) litteræ disserendo exprimebant; quas omnes libentibus animis sincereque accepimus, et veluti Petrum ipsum ulnis animi suscepimus. » (*Epist. Const. Pog. ad Leon. pap.*)

In eadem divali loquitur imperator de refractariis per hæc verba : « Rennit Macarius sacratissimis Agathonis litteris assentiri, veluti in ipsum coriphæum, ac principem Petrum insaniens... Omnes (Macarius et ejus hæreseos socii) scriptis precibus, serenitatem nostram communiter precati sunt, ut eos ad vestram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes. » (*Ibid.*)

Dedit etiam litteras imperator ad Occidentis episcopos, iis significans, quod tam ipsos, quam summum pontificem synodus tanquam præsentes consideravit : « Interfuistis, ait, namque et vos cum universali principe pastorum simul cum ipso divinitus loquentes, tam in spiritu quamque littera. Suscepimus enim non tantum ex beatitudine ejus, verum etiam a sanctitudine vestra directas nobis litteras, quæ prolatæ lectæ sunt, et veritatis verum stylum declaraverunt, orthodoxamque fidem depinxerunt... tanquam ipsius divini Petri vocem Agathonis relationem supermirati sumus. » (*Idem ad synod. ap. sedis.*)

Leo autem imperatori rescribens : « Regi, inquit, regum, in cujus potestate sunt regna mundi, pusilli cum magnis gratias agimus, qui ita in vobis terrenum contulit regnum, ut cœlestia vos magis ambire concederet. Plus est enim, quod in Deo defixa mente confiditis, quam quod de collato vobis divinitus honore regnatis. Illud enim vobis, hoc proficit omnino subjectis..... Legatos hujus apostolicæ sedis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, cum divalibus clementiæ vestræ apicibus, et synodalibus gestis cum magno jucunditatis gaudio in Domino exsultantes suscepimus..... Cognovimus enim, quod sancta et universalis et magna synodus eadem quæ et universum concilium assidens huic S. sedi apostolicæ, cujus ministerio fungimur, senserit, atque decreverit..... atque concorditer nobiscum confessa est... Synodali igitur sententia, et imperialis edicti censura, tanquam ancipiti spiritus gladio cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error punctus est..... Sancta igitur et universalis et magna sexta synodus, quia definitionem rectæ fidei plenissime prædicavit, quam et apostolica sedes B. Petri veneranter suscepit, idcirco et nos, et per nostrum officium hæc veneranda sedes apostolica concorditer, et unanimiter suis, quæ definita sunt ab ea, consentit, et B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. » (*Leo II, ad Const. imp.*)

BENCINI.

Num. 149, linea 2. — *Restituta est Ecclesia Ravennatis.* Usurpaverat Constans jura quædam investituræ : quippe autocephaliam ita Ecclesiæ Ravennatensi concesserat, ut pallium tamen ab imperiali curia postulare deberet, ut in superioribus est annotatum. Itaque licet ipso facto vulgatum hac de re privilegium antiquatum fuisset, voluit nihilosecius Leo ut Constantis privilegium novo imperiali rescripto aboleretur : quod factum esse prodit hoc loco Anastasius. Eadem habet Agnellus in *Vita Theodori Raven.*, pag. 153 : « Mortuo itaque Agathone papa, cum successore Leone omnia placita adimplevit, statutaque inter se fuerunt, ut qualem electum hic ex Ravenna sacerdotes Romam deportassent, ipsum consecrasset : non amplius in tempore consecrationis Romæ maneret, nisi octo diebus ultra jam illuc non veniret. Nisi in die Natalis apostolorum legatum ex sacerdotibus mitteret, et Ravennatensis pontifex esset quietus; et alia multa capitula, quæ non possumus exarare, confirmata per manum Leonis cum presbyteris. »

Linea 6. — *Persolvere debeat.* Episcopum Ravennatensem in sua consecratione certam aliquam summam apostolicæ sedi persolvere debuisse inde constare videtur, quod ab eo onere Ravennatenses imperator absolverit.

Linea 7. — *Episcopi anniversitas.* Mauri in schismate defuncti anniversarium diem celebrabat Ravennatensis clerus. Id ægre tulit Leo II, et aboleri jussit. Quod certe unum fuisse reor ex iis capitulis conventionum initarum Leonem inter et Theodorum, meminitque Agnellus, qui in Vita Mauri ejus contumaciam enarrat. *Videsis* eumdem cap. 3, pag. 144.

Num. 150, linea 4. — *Ordinationem unam per mensem Junii.* Vetus sive lex sive consuetudo vigebat, ut ordinationes plerumque fierent in Decembris jejunio, velut ex plurimis S. Leonis Magni sermonibus eo tempore recitatis, constat. Sed ab ea lege sedes apostolica exempta dicitur. Hinc Leo ordinationes fecit in jejunio, in quo quatuor Tempora IV Kal. Jul. celebrabantur. Quapropter in concilio Dalmatico can. 2, cautum est : « Prohibemus etiam, ne aliquis episcopus, nisi in quatuor Temporibus, juxta sanctorum Patrum constitutionem, aliquos ad sacros ordines promovere præsumat : solus enim Romanus pontifex Dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. » Et Pandulphus in *Vita Gelasii II*, quæ, etc. apud Papebrochium in Conatu chronico historico, ait ad diem Dominicam 10 Martii ann. 1118 : « Promovit Rufum diaconum cardinalem, Baronem subdiaconum, et me Pandulphum ostiarium, qui hæc scripsi, in lectorem et exorcistam promovit, et plures alios in ordinibus ordinavit. »

MAFEI.

Num. 149, linea 1. — *Hujus temporibus percurrente divali jussione.* Etsi Reparatus Ravennas antistes Mauri schismatici immediatus successor, sub vitæ finem denuo se apostolicæ sedi, ut dixi in Dono, subjecit; omnis tamen autocephaliæ prætextus cessavit solummodo sub sancto Leone II, cum ejus typus sive præceptum, ad amputanda scandala de medio fuit sublatum. Hic typus duo præsertim complectebatur : consecrationem videlicet archiepiscopi peragendam a tribus suffraganeis Ravennatis Ecclesiæ, et usum pallii non a pontifice, sed ab imperatore recipiendi. Theodorus enim, qui Reparato fuit suffectus, in ecclesia apostolorum Ravennæ a suis episcopis (si qua fides Agnello scriptori schismati Ravennatum cum primis faventi) fuit consecratus. At idem Theodorus, cujus memoriam Agnellus diris prosequitur, et Rubeus summa pietatis laude merito cumulat, sancti Agathonis temporibus semetipsum sedi Romanæ post multorum annorum curricula, ut refert Noster in Agathone, præsentavit. Id autem reor accidisse occasione concilii centum viginti quinque episcoporum ab Agathone contra Monothelitas Romæ coacti, tum quia constat Theodorum interfuisse huic synodo et subscripsisse, tum quia narrat idem Agnellus in *Vita Theodori* capite 4 Agathonem papam jussisse per epistolam Theodorum Romam venire *pro sancta et intemerata fide catholica.* Agatho tamen morte præventus schismati Ravennatum antistitum finem haud imposuit, reliquitque hoc negotium perficiendum sancto Leoni II, qui quatuor hisce conditionibus a Nostro recensitis illud absolvit. Prima, ut electus archiepiscopus Romam ordinationis causa se conferret. Altera, ut nulla consuetudine pro usu pallii quidquam persolveret. Tertia ut pro anima Mauri, qui in schismate diem suum obierat, ab agenda abstineret. Quarta demum, ut typum autocephaliæ restitueret.

Videtur per hæc verba : *percurrente divali jussione*, Anastasius innuere, decreto imperatoris Constantini restitutam fuisse Ravennatem Ecclesiam obedientiæ seu patriarchico juri sedis Romanæ; sed longe verius est, sancti Leonis constituto hoc schisma restinctum fuisse, atque ab eodem impositas conditiones

Digitized by Google

servandas inter Romanum pontificem, et Ravennatem antistitem. Agnellus enim nullum verbum habet de imperatoris jussione; imo asserit loco laudato, Theodorum simulato animo, et secreta foventem consilia cum Romano pontifice, a Ravennati clero Romam discessisse : et præterea imperator ubi certior factus fuit de pontificio decreto, id sibi vehementer placuisse abunde testatus est in suis litteris, quas appellabant divales, ut bene Rubeus mox citatus observat in *Hist. Ravenn.* ad annum 695, quem vide. *Vide etiam eruditissimum Bacchinium in Agnelli Pontificali, pag.* 149, *edit. Mediolanensis.*

LXXXIII. SANCTUS BENEDICTUS II

ANNO CHRISTI 684, CONST. POGON. 17.

151 Benedictus, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit menses decem [a], dies duodecim. Hic ab ineunte ætate sua Ecclesiæ militavit, atque se sic in divinis Scripturis et cantilena a puerili ætate et in presbyterii dignitate exhibuit, ut decet virum suo nomine dignum, in quo vere supernæ benedictionis gratia redundavit, et nomine pariter et operibus, ut dignus ad pontificii regimen perveniret. Paupertatis amator, humilis, mansuetus, patientiam habens, tque manu largissima [b].

152 Hic ecclesiam beati Petri apostoli, sed et beati Laurentii martyris, quæ appellatur Lucinæ, restauravit. Itemque in ecclesia beati Valentini via Flaminia fecit cooperiorium super altare cum clavis et fastellis [c], et in circuitu pelergium [d] chrysoclavum pretiosissimum. Similiter et in ecclesia beatæ Mariæ ad Martyres aliud coopertorium porphyreticum cum cruce et gemmulis quatuor chrysoclavos, et in circuitu palergium de holoserico pulcherrimum, necnon et in titulo suprascripto Lucinæ alium coopertorium ornatum holosericum. Fecit autem calices aureos ministeriales duos, pens. singul. libras singulas.

153 Hic suscepit divales jussiones clementissimi Constantini magni principis ad venerabilem clerum, et populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut * persona, qui electus fuerit ad sedem apostolicam, e vestigio absque tarditate pontifex ordinetur. Hic una cum clero et exercitu suscepit mallones [e] capillorum domni Justiniani et Heraclei, filiorum clementissimi principis, simul et jussionem per quam significat eosdem capillos direxisse. Hujus temporibus apparuit stella noctu juxta vigilias [f] per diem cœlo sereno inter Nativitatem Domini et Theophaniam omnimodo obumbrata, veluti luna sub nube. Itemque mense Februario, post natale sancti Valentini in die ab occasu exiit stella meridie, et in partes orientis declinavit. Post hæc mons Bebius [g], qui est in Campania, mense Martio eructavit per diem, et omnia loca circumquaque præ pulvere cineris illius exterminata sunt. Clerum videlicet diversis ordinibus in die sancto Paschæ honoribus ampliavit. Qui e vestigio in infirmitatem incidit, et post dies aliquot defunctus est. Hic dimisit omni clero, monasteriis, diaconiæ et mansionariis auri libras triginta. Fecit autem episcopos per diversa loca numero duodecim. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die VIII Idus Maii, et cessavit episcopatus menses duos, dies quindecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, 8, dies 17. [b] *B*, largissimus. [c] * fistellis. [d] * per largum. [e] mallones, *id est cirros. Vide Baron. ann.* 684 *in fine.* [f] *forte* Vergilias. [g] *forte* Vesuvius.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Vallicellano.

Num. 151. *Lin* 1 *cod. Vallicell. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. et ita lin* 3. *lin* 2 *deest vox* sua. *lin* 5, red. nomine pariter et op. ut dignus ad pontificii regimen perveniret. Fuit autem paupertatis amator h. m. pius, *etc. ut laudd codd.*

B *Num.* 152. *Lin.* 3 *cod. Vallicel.* cum clavis in fistellis, et in circuitum perlargum (*lege* palergium) chrysoclavum pret. similiter in eccl B. M. *lin.* 5, et gamulas et clavos III auraclavos, et in circuitum palerzium de olosyrico. *lin.* 7, ornatum de olosyrico. Fecit quo-

Digitized by Google

que et cæices aur. minis. II, pens. singuli libram 1. Hic, *etc., ut Reg., Maz. et Thuan.*

Num. 153. *Lin.* 3, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thuan., et ita lin.* 5, 7, 8, 14, *item* 16 et 17. *lin.* 6, clem. principis Constantini simul et jussionem ejus, *etc. laudd. codd. lin.* 9, *ut Maz. et Th. l n.* II, eruc tuavit per, *etc., ut Reg., Maz., et Thuan. Excipe tamen vocem* diversis, *quæ deest in Vallicel.*

Ex codice Farnesiano.

Num. 153. *Lin.* 10, post hec Mons Bebeus qui est in Campania.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 151, *lin* 5, *A*, redudavit, etc. *lin* 6, *A*, mansuetus omnibus compatientibus in presb. manu largissimus.

Num. 152, *lin* 3, *A*, clavis in festellis, *B*, fistellis. *lin* 5, *B*, cooperto rium purpureum. *A*, porphyrium, *A*, et gamulas quatuor, *B*, cum cruce, et gamulis, et clausis.

Num. 153, *lin* 3, *B*, quibus concessit civitatis, ut qui electus fuerit. *lin* 7, *A*, per dies de Nativitate Domini usque ad Theophaniam cœlo sereno. *lin* 9, *B*, item prope exitum mensis Febr. post nativit. S. Valentini ab occasu exiit stella. *lin* 11, *A*, Bobeus mons. *lin* 12, *B*, qui sanctissimus vircler. *lin* 13, quo e vestigio infirmitate detento.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 151, *lin* 1, Benedictus jun. n. R. *lin* 3, sic se. *ead.*, a pueritia, usque ad dignit. presbyt. exhibuit. *lin* 5, red. nomine pariter et op. ut dignus ad pontificii regnum perv. Fuit autem pauper, amator, h. m. pius, benignus, patieus, et omnibus compassionem habens, atque manum largissimam. Hic.

Num. 152, *lin* 3, cum clavis in fiscellis (*M*, et fistellis) et in circ. per largum ch. p. sim. in eccl. B. M. *in* 5, et gamulas (*M* gamulas) et clavos 4 auroclavos, et in circ. palergium de holos. *lin* 7, aliud coop. ornatum de holoserico. Fecit quoque et cal. aur. m. 2, pensantem quemlibet libram unam (*M*, pens. sing. lib. 1). Hic suscepit divalem jussionem clem. principis Constantini ad v.

Num 153, *lin* 3, per quam c. ut persona, quæ electa fuerit in sed. apost. *lin* 5, Heraclii. *lin* 6, jussu ejus, per q. significavit eosd. cap. se dir. *lin* 7, stella juxta Vergilias noctu cœlo sereno inter Domini natale, et Th. *lin* 9, veluti cum luna sub nube est constituta. It. *lin ead.*, Val. die media ab occ. exiit stella, quæ cum magno fulgore in partes o. d. (*R*, in partem). *lin* 11, er. per dies aliquot, et omnia virentia circ. præ. p. c. ipsius ext. s. Hic clerum diversi ordinis in die s. Paschæ diversis honoribus ampl. *lin* 14, est, et dimisit, ibid. diaconis. *lin* 16, loca 22. *lin* 17, sub die id. Maii, et cess. episc. mensib. 2; dieb. 15.

Ex codice Thuano altero.

Num. 151, *lin* 1, Benedictus junior. *lin* 6, mans. et omnibus cum patientia habens, atque manus largissimas.

Num 152, *lin* 3, in fistellis. *lin* 5, et genm. et clavos quatuor auroclavos. *lin* 7, ornatum de holoserica f. a. et cal.

Num 153, *lin* 5, Heraclii. *lin* 7, stella nocte per dies veluti luna sub nube, inter Natale Domini et Teoph. Item prope exitu mensis Febr. in die ab occ. *lin* 10, Post hoc. *lin* 12, sunt, qui sanctissimus vir clerum v. *lin* 13, Qui e v. infirmitate detentus post d. *lin* 16 n. 16.

Apud Peniam ex codice Carensi.

Num 151, *lin* 1, mensibus.

Num 152, *lin* 2, Lucina. *lin* 5, porfiricum. *lin ead.*, gammulis. *lin* 7, deolosiricum.

Num 153, *lin* 3, fuerit in sed. *lin* 7, per dies cœlum serenum.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 151, lin 3. — *Et cantilena.* Una cum monachismo variæ melodiæ rationes invectæ fuere. Unde in utraque Ecclesia primum clericorum et monachorum tyrocinium fuit studium Psalterii memoriter addiscendi, et cantandi. Quocirca in Leone II scripserat Noster : « In cantilena, et psalmodia præcipuus et in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus. » Et Cyrillus Scythopolitanus apud Cotelerium (*Monument. Eccles. Græc.* tom. III, pag. 258), primam monachorum eruditionem eam fuisse scribit, donec Psalterium, et psallendi regulam didicissent. Quod alibi non semel repetit. Anastasius idipsum in seqq. pontificum Gestis observat : atque imprimis in Sergio II, pag. 543 : « Tunc præsul eum scholæ cantorum ad erudiendum communibus tradidit litteris, et ut mellifluis instrueretur cantilenæ melodiis. »

Num 153, lin 4. — *Absque tarditate.* Nova quoad pontificiam consecrationem prodiit constitutio, ut nempe electus placitum imperiale haudquaquam exspectaret, sed seq. Dominica die consecraretur. Et Benedictus quidem veniam illam imperialem præstolatus fuerat, ut apparet ex epistola, quam Petro notario dedit ante suam consecrationem, dum ille in Hispaniis tunc versabatur. Hanc enim habet epigraphen : « Benedictus presbyter et in Dei nomine electus sanctæ sedis apostolicæ. Petro notario regionario. » Similiter Joannes IV eodem electionis tempore scripserat ad Scotiæ episcopos : « Hilarius archipresbyter et servans locum apostolicæ sedis. Joannes diaconus, et in nomine Dei electus. Item primicerius et servans locum sanctæ sedis apostolicæ : et Joannes servus Dei consiliarius ejusdem sanctæ sedis. » Sic nempe cum Electo regebant Ecclesiam, ut sup. ex Martino I advertimus. Electi igitur titulo duntaxat cohonestabantur, nec pontificis assumebant nomen, nisi post consecrationem. Quocirca dixerat sup. Anastasius in Vita Severini : « Devastatum est episcopium Lateranense ab Isacio exarcha, cum adhuc electus esset dominus Severinus. » Et Paulus I in sua prima epist. : « Paulus diaconus, et in Dei nomine electus S. sedis apostolicæ. » Urgente tamen necessitate aliquando exspectata non fuit jussio principum, sed continuo electus est consecratus. Anastasius in Pelagio II : « Hic ordinatur absque jussione principis, eo quod Langobardi obsiderent civitatem Romanam. » Sed quanquam id privilegii loco ab imperatoribus pontifices habere viderentur, exarchorum tamen impotentia, et avaritia effectum est, ut reipsa hoc gravamen minime evaderent, quemadmodum ex gestis seqq. pontificum apparet. Interim ex hac imperiali concessione manavit, ut Benedicti successor *absque tarditate* consecraretur : quippe scribit Noster in illius Vita : « Hic post multorum pontificum tempora, vel annorum juxta priscam consuetudinem a generalitate in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est, atque exinde in episcopio introductus. »

BINII ET LABBEI.

Num 151, lin 1. — *Benedictus.* Anno 684, die vigesima Augusti, Benedictus creatur pontifex, postquam sedes pontificia uno mense et 22 diebus vacasset.

Li. ea eadem. — *Sedit menses decem.* Octo mensibus et 17 diebus Benedictum sedisse, colligitur ex ejus obitu, qui sacra anniversaria memoria 7 Maii in Ecclesia recolitur.

Num 153, lin 1. — *Hic suscepit divales jussiones.* Romanam Ecclesiam in pristinam libertatem restituit imperator Constantinus, concedens ei ut libere pontificem consecraret, nullamque imperatoris concur-

Digitized by Google

mationem, quam exemplo Gothicorum regum nonnulli Orientalium imperatorum sibi vindicaverant, deinceps exspectet.

Linea 5. — *Suscepit mallones capillorum.* Per mallones intelligit cirros capillorum. Μαλλὸς enim Græce idem quod Latine *vellus*. Unde manifeste cognoscitur quod imperator Constantinus filiorum suorum capillos pontifici offerens, voluerit ab iis Romanum pontificem velut parentem honorari, diligi, et observari, eosque ejusdem monitis impensius parere et obtemperare. Vide *Baron. ann.* 684.

CENNI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Cum de interpontificio post Leonem abunde dixerim in superiori nota, id unum videor mihi reliquum fecisse, ut tempora apud codd. et catalogos occurrentia expendam. Post Leonis igitur mortem die tertia mensis Julii consignatam, vacavit apostolica sedes menses undecim, dies 22. Ita omnes codd. tum vulgati tum mss. tametsi uno minus die habeant Regius, Mazarin., Thuanus I, necnon Ambrosiani duo primus, et tertius cum duobus catalogis Colbertinis primo pariter, et tertio, omnibus cæteroqui Colbertinis iisdem discrepantibus aut in dierum, aut etiam in mensium numero definiendo. Ea propter codicibus inhærendum esse video, quibuscum præ aliis consentit Catalogus præstantissimus Veronensis sæpe in rebus dubiis a me adhibitus, qui nunc primum opusculorum locum obtinet in hujus IV tom. Prolegomenis cl. V. P. Josephi Blanchini, cujus singulari beneficio, usus eodem sum ms. ad has chronologicas notas conficiendas

Itaque ab emortuali die Leonis II, 3 Jul. 683, mensibus undecim, 22 diebus enumeratis, emortuali eadem, ut supra dicebam, exclusa, occurrit dies Dominica lit. Dom. B. indicata 26 Junii sequentis anni 684, Benedicti ordinationi conveniens. Indeque desumenda esse hujus pontificis primordia, longa successorum series, qui suas ætates characteribus ut plurimum certis temporum confirmant, aperte ostendit; longe ut ab ejusdem principio recte constituto, et Leonis II, et successorum ætas comprobetur, ut videtur Pagio, quicum deinceps sentiam, cum recte constituat pontificum sedes; licet quandoque ordinationes a suis diebus removeat, ut videbimus. Sedit autem Benedictus menses 10, dies 12, ut omnes codd. et catalogi, præter Corbeiensem, qui adjicit diem unum, ac Lucensem de hoc pontifice silentem. Itaque recte Anastasius ejus mortem refert ad VIII Idus Maii (numerus VIII, incuria exscribentis, non legitur in codd. Reg., Maz., Thu., neque in 1 et 2 Ambrosianis) sive die 8 Maii, anni nempe 685, ad quem referri oportet characteres temporum ab Anastasio et Paulo Diac. (*Hist. Lang.* lib. VI, cap. 6) indicatos, quos perperam Clavisius divinat ad superiorem annum pertinere. Et sane legitur in Anastasio, hunc pontificem sedisse menses 10, d. 12, atq. 8 mensis Maii esse mortuum: ejusque temporibus inter 25 Decembris et 6 Januarii apparuisse stellam obumbratam; mense Februario aliam stellam ab occasu in Orientem declinasse; ac demum mense Martio Vesuvium eructasse: cum igitur Calvisius mortem Benedicti ad annum referat 685 cum Anastasio, ejusque principium recte ab anno superiori desumat, ab audacissimo scriptore quæro primum, qui numerentur memorati tres menses intra denarium numerum anno 684? deinde rursus quæro, utrum evidentius pateat, *meras tenebras esse in historia pontificum* (Calvis., an 685) an meras tenebras esse in mente Calvisii?

Cæterum quia Paulus Diaconus, ut dixi, hos characteres memorat, idem mihi præbet occasionem valde opportunam, ut Anastasium, quem vulgo appellant, cum melius vocari posset liber Pontificalis a coævis auctoribus multis conscriptus, affirmem parum tuto credi ab aliquibus expilatorem Diaconi, qui octavo sæculo declinante, Langobardorum res gestas mandabat litteris. Enimvero Paulus Diaconus, post relatos eos characteres cap. 6. narrat sequenti capite Saracenorum descensum in Africam; ac postremo cap. 2 mortem Constantini: in quibus evidenter eum labi ostendit Pagius auctoritate scriptorum Arabicorum Elmacini et Noweirii, Africanam invasionem spectare docens ad annum 691, cum Constantinus anno 685 occubuerit, ut neminem fugit, sex videlicet ante annos. Hinc est quod etiam vir cl. Franciscus Bencini, parum feliciter Anastasium emendat ex Pauli Historia, ubi aeris intemperiem ab Adeodato ad Vitalianum retrahit (*supra pag.* 68 *et* 69) quomodo enim conciliantur verba Anastasii: « Et nisi per Litanias, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare vel in horreis frumenta recondere; » quomodo, inquam, hæc verba aperte indicantia tempus messis, adeoque recte narrata ab Anastasio post mortem Adeodati, quæ contigit mense Junio, conciliantur cum morte Vitaliani, quæ spectat ad finem mensis Januarii?

CIACONII.

Num 151, lin 1. — *Benedictus.* Junior dictus, Joannis filius, Romanus ex canonico regulari Lateranensi S. R. E. presbyter cardinalis, sedit menses 10, dies 21, consecratus XIII Kal. Augusti die Dominico, anno Christi 684.

Num 153 lin 1. — *Hic suscepit divales jussiones Clementissimi Constantini.* Hujus sanctissimi Benedicti pontificis fama permotus Constantinus V, non cessabat dies noctesque cogitare de dignitate, auctoritateque Ecclesiæ Romanæ restituenda. Itaque sequenti anno 684, quo, Leone mortuo, Benedictus II pontifex est suffectus, hoc deesse illius cumulandæ amplitudini arbitratus, antiquam ei comitiorum in legendo pontifice libertatem restituit. Quippe epistola ad clerum, populum, exercitumque Romanum missa, permisit ut electus in pontificem justis comitiis, non exspectata imperatoris, aut exarchi usurpata confirmatione, consecrari posset. S. Gregorius papa ejusmodi temeritatem acerbissime deplorat, dicitque Ecclesiam Dei captivam a terreno principe, lucri cupiditate, detineri: invehiturque in imperatorem, talia illicite usurpantem in explanatione Psalm. 5 Pœnitentialis, versu *Tota die exprobrabant mihi inimici mei.* Id primus excogitavit Odoacer Herulus Arianus, rex Italiæ, cujus conatibus Gelasius papa I restitit. Gothis pulsis, imperatores Orientales jus male usurpatum sibi injustissime vindicarunt.

PAGII.

Num 151, lin 1. — *Benedictus*, etc. Ex Benedicti papæ epistola ad Petrum Regionarium intelligimus, vel in ejus electione, vel paulo antea desiisse morem illum, quem in Gregorio, in Joanne IV et in S. Martino observavimus, vacante nempe sede apostolica, vel absente pontifice, Ecclesiæ regimen fuisse penes archipresbyterum, archidiaconum, et primicerium notariorum. Cum enim tunc, soli illi tres in inscriptionibus epistolarum nominarentur, et adderetur nomen pontificis electi, si unus ex illis tribus eligeretur, in hac epistola solus Benedictus electus nominatur, quod certe clare manifestat regimen Ecclesiæ non penes alios, sed penes ipsum solum residisse, licet nondum esset ordinatus, et consequenter morem illum, vel in ejus electione, vel paulo antea desiisse. Benedictum in favorem S. Wilfridi Eboracensis episcopi decretum edidisse, tum cum adhuc esset Romanus pontifex electus asserit Joannes VI in decreto absolutionis ejus, de quo in ejus pontificatu num. 7 et Wilfridus ipse coram synodo Romæ coacta apud Eddium ibidem laudatum cap. XLVIII: « Ut omnia, inquit, rectitudinis, pietatisque quæ a beatissimis antecessoribus vestris Dominis apostolicis, sancto Agathone, et Electo Benedicto, et Beato Sergio unanimiter erga meam parvitatem decreta sunt,

Digitized by Google

vos largiflua pietatis benevolentia confirmare dignemini. »

Num 153, lin 1.—*Hic suscepit divales jussiones*, etc. Diximus in Agathone Constantinum imperatorem potestatem confirmandi electos Romanos pontifices exarchis Ravennatensibus abstulisse et ad se retraxisse. Sed eam subjectionem sub Benedicto papa penitus dimisit idem Constantinus, teste Anastasio in Benedicto, ubi ait : *Hic suscepit*, etc. Justinianus tamen II, Constantini Pogonati filius ac successor, videtur nullam habuisse rationem hujus jussionis, cum sub Conone papa necessaria iterum fuerit exarchi confirmatio, ut ibidem videbitur.

Linea 5. — *Suscepit mallones capillorum.* Idem Constantinus imp. filios suos Justinianum et Heraclium Benedicto II in filios dedit, quod his verbis denotat Anastasius. Ea enim hoc tempore vigebat consuetudo, ut per hujusmodi exhibitionem capilloram, quis alicui offeratur in filium; quod discimus ex Paulo Diacono lib. VI de Gestis Longobard, cap. 55, ubi ait : « Carolus princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luitprandum (Longobardorum regem) direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remisit. » Sic igitur pius imperator voluit, ut filii sui scirent se Romanum pontificem peculiarem habere patrem, cujus monitis impensius parere deberent, eumdemque ut patrem diligere ac revereri.

Porro per *mallones* intelliguntur cirri, cincinni, seu implexi crines; mallo enim est *lana*, *vellus*, seu coma demissa, ut videre est in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, in voce *mallones*. Observat autem Mabillonius in præfatione ad primam partem sæculi III Benedictini, num. 17, laicorum tonsuram penes Europæos, aliam puerorum fuisse, aliam adultorum. Pueri capillum intonsum aliquandiu gerebant; postea cincinnos a capite eorum demetebat episcopus, aut certe is *Pater spiritualis* ob hoc dicebatur, ut constat ex mox laudatis Anastasii et Pauli Diaconi verbis. Ab eo tempore videntur reges Francorum capillos in orbem compositos gestasse : « Nam antea, ut habet Agathias, qui sæculo sexto vixit, solemne erat Francorum regibus intonsam habere comam a pueris, involitantibus utrinque in humeros capillorum cirris, anterioribus capillis a fronte discriminatis. » Quippe in cereis regum Carlovingorum iconibus, capilli in orbem æquati ad humeros usque apparent. Ritus ille tondendi pueros profectus videtur a paganis, qui plerique primum puerorum capillum alicui deorum suorum decisum offerebant. An mos iste a pueris ab initio Christianæ religionis frequentatus sit, incertum : cum nulla fere istius rei exempla legantur ante sæculum octavum, quo id *ex more* factum dicitur. Exstant in Ordine Romano plures orationes ad capillaturam incidendam, et *ad puerum tonsurandum*, aliæ ab eis, quæ *ad clericum* faciendum assignantur. Priores videntur usurpatæ fuisse in solemni isto ritu, quo pueri primum tondebantur extra ordinem clericorum, qui a pueris illis corona secernebantur. Hæc Mabillonius laudatus.

SOMMIER.

Num 151, lin 1.— *Benedictus*, etc. Vixdum electus Leonis II successor in cathedra D. Petri, minime exspectata consecratione, quæ tum temporis non fiebat, nisi post allatam Cpoli jussionem, seu approbationem, ipse per se moderari cœpit Ecclesiam, cujus regimen ante eum committebatur archipresbytero, archidiacono et primicerio notariorum, sede vacante, aut peregre degente pontifice. Idem hoc quoque honore dignus fuit, ut sedem apostolicam a confirmationis imperatoriæ servitute liberam cerneret, quemadmodum docet Anastasius.

Num 152, lin 3.—*Fecit cooperiorium super altare cum claris et fastellis, et in circuitu palergium chrysoclavum.* Palergium est Phrygium opus quod erat antiquum, a Græco παλαι et ἔργον. Anastas. infra eod. *Et in circuitu palergium de holoserico : Fastellis*, male pro hastillis. Hastillæ erant radioli aurei vel argentei. Anastas. in Leone III : « Sed et super altare majus fecit tetra vela holoserica alithina quatuor cum astillis et rosis chrysoclabis. » Leo Ostiens. Chron. Cass. lib. II, cap. 103 : *Cum astili onichino.* Bulenger. de Rom. Pontific lib. I, cap. 45. Alibi hastilia sunt vitium adminicula. Plin. lib. XVII, cap. 23 : *Gracilitate singularum vitium firmata circumligatis hastilibus*, vulgo *échalas.*

Num 153, lin 1. — *Hic suscepit divales jussiones clementissimi Constantini Magni principis ad venerabilem clerum et populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit ut persona, qui electus fuerit ad sedem apostolicam, e vestigio absque tarditate pontifex ordinetur.* Ex constitutione Constantini Pogonati concessum, ut libera sit electio Rom. pontificis, et electus mox ordinetur, non exspectato assensu imperatoris. Ex antiqua consuetudine Rom. pontifex non solebat ordinari, nisi prius obtento assensu imperatoris CP. Tempore Agathonis remissum est quidem vectigal quod solebat præstari pro ordinatione pontificis ; sed mansit onus exspectandi assensum principis, can. *Agatho*, 63. dist., donec hoc onus remissum est hac constitutione.

Linea 4. — *Hic una cum clero et exercitu suscepit mallones capillorum Domini Justiniani et Heraclii filiorum clementissimi principis, simul et jussionem per quam significat eosdem capillos direxisse.* Constantinus Pogonatus obtulit Benedicto P. mallonem capillorum filiorum, ut eis esset per adoptionem pater spiritualis. Ex more Longobardorum adoptio fiebat per tonsuram capillorum. Aymoin. monach. lib. IV, cap. 57 : « Pepigerat autem fœdus Carolus Martellus princeps cum Luitprando Longobardorum rege, eique filium suum Pipinum misit, ut more fidelium Christianorum ejus capillum primus attonderet, ut pater ille spiritualis existeret. » Idem Paulus Diacon. de Gest. Longobard. lib. VI, cap. 13 : Mallones capillorum sunt circi capillorum, a Græco μαλλὸς, quod Latine sonat *vellus*. Nostris, *tresses de chereux*. Cincinnorum fimbrias dixit M. Tull. in Pisonem : « Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ. »

Linea 14. — *Hic dimisit omni clero, monasteriis, diaconiæ et mansionariis auri libras triginta.* Similiter Anastas. in Joanne V : « Hic dimisit omni clero, monasteriis, diaconis et mansionariis solidos mille et nongentos. » Idem in Gregorio II : « Hic dimisit omni clero, monasteriis, diaconis et mansionariis, solidos duo millia. » Romani pontifices ecclesiis et monasteriis et diaconiis et mansionariis nummos erogare solebant. Diaconiæ sunt stationes, seu loci pii a pontificibus constituti, in quibus annonæ distribuebantur egentibus. Plures fuisse in urbe locupletes, testis est Anastas. in Adriano : « Constituit diaconias tres foras portam beatorum apostolorum Principis. » Idem in Gregorio III : « Item diaconiam SS. Sergii et Bacchi, et concedens omnia, quæ in usum diaconiæ existunt, et statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum in diaconiæ ministerio deservire. » De quibus plura dixi in Gregorium lib. IV, epist. 24. Mansionarii sunt ædituі, seu custodes sacrarum ædium, de quibus fuse in eumdem Gregor. lib. III, epist. 51. Iuco a Romanis pontificibus his erogari solebant pecuniæ ad tutelam et refectionem sacrarum ædium.

MAFEI.

Num 153, linea 1. — *Hic suscepit divales jussiones.* Per obitum Simplicii vacante Romana sede, anno 487, Odoacer Herulorum et Italiæ rex suasu et monitu, ut falso aiebat, ejusdem Simplicii legem tulit per Basilium præfectum prætorio, ne sine consultatione et consensu regis Italiæ electio summi pontificis fieret. Quanquam vero hæc constitutio laici principis, plane repugnans sacris canonibus ab Ecclesia fuit

Digitized by Google

damnata anno 502 in synodo Romana quarta sub Symmacho, in qua lex regis Odoacris ecclesiasticam libertatem pessumdans in electione pontificis, est abrogata : hoc jus tamen tyrannicum confirmandæ pontificiæ electionis Ariani Gothorum reges usurpaverunt, cogentes insuper persolvi confirmationis causa quamdam pecuniæ pensitationem a recens electo pontifice. Exactis per Narsetem patricium ab Italia Gothis, hoc iniquissimum jus Justinianus cæterique Orientis imperatores sibi vindicavere ad Constantinum Pogonatum usque : nec ante ad beati Petri confessionem electus papa consecrabatur, quam ejus electio ab imperatore approbata esset; interim, ut supra dixi in Severino, archipresbytero, archidiacono, et primicerio notariorum, Romanam Ecclesiam administrantibus.

At Constantinus sedente sancto Agathone pecuniæ quantitatem, ut in Agathone scribit Anastasius, relevavit, quæ dabatur de more pro ordinatione pontificis, reservata tamen sibi gratuita confirmatione, quam ante mortem penitus dimisit. Romanam Ecclesiam in pristinam libertatem restituens sub Benedicto II, « qui jussiones a Constantino suscepit, per quas concessit, ut persona, qui electus fuerit ad sedem apostolicam, e vestigio absque tarditate pontifex ordinaretur. » Quare ob restitutam comitiorum libertatem observat in Joanne V successore Anastasius : « Hic post multorum pontificum tempora, vel annorum, juxta priscam consuetudinem a generalitate in Ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est, atque exinde in episcopium introductus. »

Linea 5. — *Suscepit mallones capillorum.* Hoc est suscepit cirros capillorum Justiniani et Heraclii filiorum Constantini Pogonati ad se missos : μαλλοί enim Græce sunt Latine *cirri, cincinni*, aut *crines implexi;* nam μαλλὸς est lana, vellus, vel coma demissa. Constantinus igitur Pogonatus ad Benedictum secundum filiorum cirros direxit, quos pontifex una cum clero solemni pompa suscepit. Ex more namque illius ætatis pater filiorum cirros mittendo ad pontificem, eos pontifici offerebat in filios, et pontifex cirros accipiens, illorum patris nomen consequebatur. Pronum est hunc morem intelligere ex Paulo Diacono libro VI, capite 53, ubi de Carolo Francorum principe habet sequentia : « Carolus princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luitprandum direxit, ut ejus, juxta morem, capillum susciperet; qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque cum dignatum regiis muneribus genitori remisit. » Aliquando etiam capillorum oblatio, religiosæ servitutis, quam quis inibat, symbolum fuit. Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad VIII concilium, de Bulgariæ rege, qui coram pontificiis legatis Paulo Populoniensi, et Formoso Portuensi, se servum professus fuit beati Petri, et ejus successoris Romani pontificis, habet sequentia : « Intantum autem pietas creverat principis, et abundabat circa beatum Petrum venerationis affectu, ut quodam die manu propria capillos suos apprehenderit, et contemplantibus cunctis se Romanis missis tradiderit dicens : Omnes principes et cuncti principes Wulgarorum terræ cognoscant ab hodierno die me servum fore post Deum beati Petri, et ejus vicarii. » Leguntur etiam capilli detonsi ab episcopis, et super altare positi ad donationes confirmandas factas ecclesiis, ut exempli loco esse potest charta Willelmi comitis de Warenna, in qua dicit comes : « Et inde Saisivi eam (scilicet investivi eam Ecclesiam), per capillos capitis mei, et fratris mei Radulfi de Warenna, quos abscidit cum cultello de capitibus nostris ante altare Henricus episcopus Wintoniensis. » In antiquis libris Ritualibus inveniuntur preces *ad capillaturam incidendam* ab illis diversæ, quæ pro initiando aliquo clericali tonsura in eisdem libris assignantur. Vide Ordinem Romanum et Sacramentarium S. Gregorii Magni cum notis eruditissimi Patris Menardi.

LXXXIV. JOANNES V.

ANNO CHRISTI 685, JUSTINIANI JUN. 1.

154 Joannes, natione Syrus, ex provincia Antiochia, ex patre Cyriaco, sedit annum unum, dies novem [a]. Vir valde strenuus, atque scientia præditus, et omnimodo moderatus. Hic post multorum pontificum tempora, vel annorum, juxta priscam consuetudinem a generalitate in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est, atque exinde in episcopio [b] introductus. Hic, dum esset diaconus, missus est a sanctæ memoriæ Agathone papa in regiam urbem cum aliis sacerdotibus, repræsentans locum apostolicæ sedis in sancta sexta synodo, quæ per Dei providentiam ibidem congregata vel celebrata est. Expleta autem, exinde a clementissimo principe relaxatus, magnum gaudium Ecclesiæ secum detulit, id est ipsam sanctam sextam synodum vel edictum clementissimi principis confirmans eamdem synodum. Necnon et alias divales jussiones relevantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ et Calabriæ non pauca, sed et ceptum [c] frumenti similiter, vel alia diversa, quæ Ecclesia Romana annue minime exurgebat [d] persolvere. Hic consecratus est a tribus episcopis, Ostiensi, Portuensi, Veliternensi, sicuti prædecessor ejus Leo papa.

155 Hujus temporibus regnavit domnus Justinianus Augustus, defuncto patre initio mensis Septembris, indict. XIV. Qui clementissimus princeps Domino auxiliante vacem constituit cum nec dicenda gente Saracenorum decennio terra

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B* undecim. [b] *B*, episcopium. [c] *B*, præceptum frumentum. [d] poterat.

Digitized by Google

marique. Sed et provincia Africa subjugata est Romano imperio atque restaurata. Hic post multorum annorum curricula, propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ [a], quam sine auctoritate pontificis fecerat Citonatus archiepiscopus Caralitanus, pro eo quod antiquitus ordinatio fuit sedis apostolicæ, et ad tempus concessa fuerat ipsa [b] ordinatio eidem Ecclesiæ. Postmodum protervia faciente archiepiscoporum per præcepta pontificum ab eadem ordinatione suspensi sunt, juxta determinationem sanctæ memoriæ Martini papæ. Et facto concilio sacerdotum, novellum episcopum, qui ab eodem archiepiscopo ordinatus fuerat sub ditione sedis apostolicæ reintegravit atque firmavit, quorum chirographus archivo Ecclesiæ detentus est [c]. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus est, ut etiam vix ordinationem sacerdotum explere potuisset. Hic dimisit omni clero, monasteriis, diaconibus et mansionariis solidos mille et noningentos. Fecit autem episcopos per diversa loca numero XIII. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum. sub die 2 mensis Augusti, et cessavit episcopatus menses duos, dies octodecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, in Sardinia. [b] *B*, ipsius. [c] retinetur.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Vallicellano.

Num. 154, *lin.* 1, *cod. Vallicel concordat cum Reg., Maz, et Thuan. et ita lin* 5, 7, 9, *et* 14. *lin* 2, dies 9. fuit, *etc., ut laudd. codd. lin* 9, gaudium Romanæ Ecclesiæ secum detulit. Idem ipsam. *lin* 11, confirmantes eamdem synodum : nec non et alias divales jussiones detulit revelantes annona capita. *lin* 12, Calabriæ non parva, sed et coemptum [*cod.*, ceptum] frumenti similiter. *lin* 14, *ut Reg. et Thuan. lin*, 15, sicut.

Num 155. *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thuan et ita lin* 2, 4, 12 *et* 15. *lin* 4, Romano imperio, atque restituta. *lin* 6, sine auct. Romani pontificis. *lin* 7, *ut laudd codd exceptis his, nempe* ad tempus ejus Ecclesiæ... per præcepta Romanorum pontificum ab eadem ordinatione suspensi essent. *lin* 12, redintegravit atque firmavit; cujus rei cyrographum in archivo Ecclesiæ Romanæ retinetur. Hic sanctus vir. *lin.* 16, et nongentos.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 154, *lin* 5, *AB*, in episcopium. *lin* 10, *B*, et edictum. *lin* 12, relevans annonæ, *AB. lin. ead et* 13, *AB*, non parva, *AB*, coemptum frumenti. *lin* 14, *A*, exugebat. *B*, urgebat.

Num 155, *lin* 3, *A*, constituit per decennium. *lin* 7, *B*, eo quod. *lin* 13, *AB*, chirographum archivo ecclesiæ retinetur. *AB. lin* 15, monasteriis, diaconiæ. *lin ead A*, solidos CCD CCCC. *lin* 18, mensem unum.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 154, *lin* 1, de prov. Antiochiæ ex parte Quiriaco. *lin* 2, di. 9. (*M*, d. 10.) Fuit autem vir valde strenuus. *lin* 5, in episcopium ductus II. *lin* 7, præ- A sentans. *lin* 8, quæ pro *s.* pr. (*M*, ut ed.) *lin* 9, autem synodo ex *ibid.* gaud. Romanæ Eccl. detulit. Ibidem (*M*, idem) ips. s. s. synod. et edict. cl. pr. confirmantes eamdem synod. necnon et al. div. jussu, detulit rel. annona c. p. *lin* 12, Calabriæ non parva, sed et coemptionem frumenti similiter. *lin* 14, poterat pers. *lin* 15, Ostiense, Portuense, et Bellitrense (*M*, Velletrense).

Num 155. *lin* 1, patre suo Constantino in. *lin* 2, Deo auxil. *lin* 4, provincia Africæ. *lin* 6, Curr. (*M*, Turr.) *lin ead* auct. Romani pontif. *lin* 7, pro eo q. a. ordinatio sedis apostolicæ ad tempus ejus (*M*, hujus) ecclesiæ concessa fuerat : ipse vero eamdem ordinationem ejusdem ecclesiæ postmodum protervia faciente retinere temptabat : cum jam antecessores ejus archiepiscopi per præcepta pontificum Romanorum suspensi essent juxta terminationem s. mem. M. P. Hic venerabilis papa Joannes facto concilio sac. *lin* 12, sub dictione S. apost. *lin ead.*, firmavit. B Cujus rei cyrographum in archivio Ecclesiæ Romanæ retinetur. Hic sanctus vir diuturna i. *lin* 15. Hic moriens dim. o. c. m. diaconis. *lin* 17, hic sedit mens. 11, di. 3.

Ex codice Thuano altero.

Num. 154, *lin* 5, E. ductus. Hic cum. *lin* 13, sed et coempta frumenta s

Num 155, *lin* 8, et postmodum. *lin* 13, 12, quorum chirographum arch. eccles. retinetur. *lin* 14, inf. tentus. *lin* 15, solidos D C

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 154, *lin* 7. alios sacerdotes. *lin* 11, confirmantem. *lin* 12, parva. *lin* 15, Ostiense, Portuense, Veliternense.

Num 155, *lin* 13, ecclesiæ renitetur.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 154, linea 3. — *Hic post multorum pontificum tempora vel annorum juxta priscam consuetudinem a generalitate in ecclesia Salvatoris, quæ appellabatur Constantiniana, electus est, atque exinde in episcopio introductus.* Ex antiqua consuetudine electio Romani pontificis solebat fieri in ecclesia Salvatoris, quæ est basilica Lateranensis; et palatium Lateranense, quod est junctum basilicæ, erat sedes pontificum. Anastas. ipse in Conone : « Clerus quidem adunatus ante fores basilicæ Constantiniæ C sustinebat, » etc. Idem in Stephano III : « Quem omnes sincera mente cum laudis præconiis in basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportaverunt; et exinde intus venerunt, in patriarchium juxta morem intromiserunt. » Hinc rejecta est electio Ursicini facta in schismate contra Damasum, quod facta esset ἐν ἀποκρ φῳ τόπῳ in basilica scilicet Sicinini (*Socrat.* lib. IV, cap. 24; *Ammian.*, lib. XXVII), id est, in loco insolito.

Linea 11. — *Necnon et alias divales jussiones relevantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ et Calabriæ non vauca.* Ecclesiæ Romana habebat amplissimum

Digitized by Google

patrimonium in Calabria et Sicilia, quod præstabat onus capitationis, sicut cætera prædia utriusque provinciæ. Leo imperator Siciliæ et Calabriæ imposuit tributum in capita, φόλους κεφαλικούς. Cedreno in Leone. Sed hoc onus remissum est constitutione Constantini Pogonati. Annonæ capita dixit pro capitatione, quia imponitur in singula capita, ut capita dicuntur pabula jumentorum, quia præstantur militibus justis capitibus, id est, pro modo capitum, L. *provincialium*, *c. de erog. milit. ann.*, lib. XII. Ammian lib. XXII: « Pabula jumentorum vulgo dictitant capita. » Tempore Cononis a Justiniano II defensoribus patrimonii Ecclesiæ Romanæ, quod erat in Bruttiis et Lucania, remissa sunt etiam annua annonæ capita quæ præstabantur. Anastas. in Cononе: « Hujus temporibus pietas imperialis relevavit per sacram jussionem suam ducenta annonæ capita, quæ patrimonii custodes Bruttiis et Lucaniæ annua persolvebant. »

Num 155, linea 5. — *Propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ, quam sine auctoritate pontificis fecerat Cironatus archiepiscopus Caralitanus.* Sardinia insula fuit proprietatis Ecclesiæ Romanæ ex donatione Constantini. (Anastas *in Sylvestro.*) Hinc Rom pontifex sibi vindicavit ex consuetudine ordinationem episcoporum Sardiniæ, neglecto Caralitano archiepiscopo, qui est metropolitanus: sed quia Caralitanus jure metropolitico intendebat se habere jus ordinandi episcopos totius insulæ, ab hoc jure suspensus est, id est interdictus constitutione Martini, et quia episcopus Turritanus ordinatus fuerat a Caralitano metropolita sine consensu Rom. pontificis, ejus ordinatio irrita dicta est.

BENCINI.

Num. 154, linea 5. — *Hic dum esset diaconus.* Scilicet Dominici cursoris officio ad promulgandam Agathonis dogmaticam functus est. Ipse etiam una cum actis synodi vi plurima privilegia apostolicæ sedi concessa detulit Romam. Id enim promovere et præstare ad diaconum Dominicum cursorem pertinuisse, qui Romæ publicarum chartarum custodiam simul habebat, multis docuimus in Prolegomenis, de litteris encyclicis.

Num 155, linea 3. — *Pacem constituit.* Justinianus Junior imperator pacem cum Saracenis iniit, quæ Orientali imperio omnino fuit exitialis: ut propterea uterque Justinianus, Senior et Junior, imperii ida œconomia vires imperii magnopere attenuarint: Ille enim viam aperuit Barbaris septentrionalibus ad regna Occidentis invadenda: Junior autem una cum pace hic ab Anastasio memorata, jecit Saracenicæ potentiæ fundamenta. Inter alia quæ diutius conservandæ monarchiæ prosunt, id Augustum commonuerat Mœcenas, ut imperii limites accuratius, diligentiusque custodiret, et limitaneos milites honoribus, muneribus, stipendiisque foveret, cum iis salus imperii concredita videretur. Militiam hanc imminuit Justinianus Senior, atque septentrionalibus populis aditum usurpandis Europæ regnis aperuit. Quod scite advertit in Arcana Historia Procopius, qui post enarratam hujus militiæ dimissionem, subjungit: « Ita miles multifariam debilitatus, ac destitutus necessariis, animo sic abhorruit a militia, ut Romanorum ac Italiæ res omnino dilaberentur. » Et mox: « Illud hic addere licet, quoniam de militibus locus admonuit, quod olim Romani imperatores passim in extremis oris frequentes militum manipulos constituerunt, qui limites imperii Romani præcipue per Orientis provincias tuerentur, indeque Persarum atque Saracenorum incursionem, vimque arcerent, quos et limitaneos appellavere. » Haud aliter Justinianus Junior hac socordia laboravit, scribente auctore Miscellæ, pag 139: « Justinianus autem cum esset Junior, quasi annorum sedecim, et sua quæque inconsulte disponeret. » Itaque cum Mavias imperii provincias invaderet, et impune depopularetur, qui e Libano erant, Mardianitæ dicti, salubri consilio in agmen adacti impetum Saracenorum fregerunt. Theophanes in Chronico cum Maviæ fortunam, victoriasque enarrasset, ita ad rem prosequitur: « Mardaitæ Libanum aggressi tenuerunt quidquid a Mauro monte est usque ad sanctam Urbem, et Libani cacumina quoque occupavere: multique tum servi, et captivi, quam indigne ad eos se adjunxerunt; ita ut intra breve admodum temporis spatium, ad multa millia excreverint. Quo audito, Mavias ejusque consiliarii valde extimuere, adeo ut imperium Romanum sub Dei tutela existere reputantes, legatos de pace habenda ad imperatorem Constantinum (Pogonatum) suimpserint. » Anno itaque 585, Joannis pont. V, postremo pacem Justiniano ea conditione offert Abimelech; ut Mardaitarum agmen dissolveret. Sic ad eumdem annum Theophanes: « Hoc anno Abimelech firmandæ pacis ergo ad Justinianum legatos mittit. His conditionibus pax inita. Ut imperator Mardaitarum agmen e Libano prorumpens comprimeret et impediret eorum excursiones. Abimelech vero in singulos dies mille nummos aureos, et equum, et servum imperatori penderet. . . et uterque princeps ista et æquali portione Cypri, Armeniæ, et Iberiæ vectigalia inter se dividerent. . . et misso edicto Mardaitas ad duodecim millia imperator Romanam potentiam mutaturus e loco proprio sustulit. » Quæ vero mala illico sint consecuta, ad hunc modum enumerat: « Quas enim civitates in montium cacuminibus sitæ incoluntur ab Arabibus, a Mesopotamiæ termino ad quartam usque Armeniam, cunctæ ob Mardaitarum, qui deinceps regressi sunt, excursiones monumentis infirmæ, et habitatoribus vacuæ exstiterunt. Generum sane omnium calamitates, et adversa quævis in Romanam ditionem ab ea die in hanc usque horam Arabum opera inundarunt. » His gemina habet Miscellæ auctor.

BINII ET LABBEI.

Num. 154, linea 1. — *Joannes.* Ex sententia Anastasii in locum Benedicti, die 22 Aprilis anno Domini 685, subrogatus est Joannes hujus nominis V, qui primus inexspectata Constantinopoli imperatoris auctoritate in Romanum pontificem consecratus est, sanctæque sextæ synodo legationis apostolicæ munere condecoratus interfuit.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

De interpontificio post Benedictum mensium 2, dier. 15, necnon de tempore, quo Joannes sedit, nempe an. 1, d. 9, tantus est catalogorum, codd., et auctorum consensus, ut nihil certius excogitari posse videatur. Præterea suppetit argumentum evidens ætatis hujus pontificis ex ipso Anastasio, quod prælecessorum ejus chronologiam magis magisque confirmat. Ait siquidem: « Hujus temporibus regnavit domnus Justinianus Augustus, defuncto patre initio mensis Septembris, ind. XIV. » Cum vero indictio XIV Septembrem notet anni 685, nec toto sedis tempore Joannes numeret, nisi unum Septembrem, dubitari non potest quin prædicto anno 685, hic pontifex jam sederet. Quare numerato interpontificio duorum mensium ac dierum 15, a die octava Maii ejusdem anni, emortuali Benedicti, occurrit Dominica 23 Julii, quæ ordinationi Joannis debet tribui. Hinc rursus anno solido, et diebus novem ejus sedis enumeratis, incidimus in diem 2 Augusti anni sequentis 686, quam Anastasius illigat cum ejus morte.

Cæterum cur breviora post Benedictum interpontificia cœperint, satis explicavi in notis ad Leonem II. Joannem vero omnium primum esse usum beneficio relaxatæ confirmationis electi a Pogonato, aperte constat ex Anastasio aiente: « Hic post multorum pontificum tempora, vel annorum, juxta priscam

Digitized by Google

consuetudinem a generalitate in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est atque exinde in episcopio introductus. » Quapropter fateor, me Pagii mentem non potuisse assequi, conjicientis ex interpontificiis plerumque duorum mensium (*an.* 681, *n.* 15), quod Justinianus nullam rationem habuerit hujus privilegii concessi Benedicto, at potius privilegium servarit concessum Agathoni; si enim ita fieret, Cpoli petenda erat confirmatio, nec satis erat tempus interpontificii ad ultro citroque mittendas epistolas : præterquam quod interpontificium Joannis, quem liquet ejusmodi privilegio esse usum, pleraque sequentia excedit dierum numero. Itaque præstabat, ut arbitror, in re parum explorata, conjecturis parcere. Quæ autem fuerint causæ, cur exarchi auctoritas, usque ad Pipini tempora, non sit neglecta, opportunius in notis ad Cononem Joannis successorem explicabo.

A procul dubio ante pontificatum Leonis secundi, cujus ordinatio si attente, prout in Gestis pontificum scripta est, consideretur; inde etiam non infirmum contra Sigonii sententiam elicietur argumentum. « Qui suprascriptus sanctissimus vir, inquit auctor libri Pontificalis in S. Leone II, ordinatus est a tribus episcopis, id est Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, et Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia episcopum minime habuit. » Ubi cum rationem reddat auctor, cur Albano episcopo Veliternus suffectus sit, quod scilicet Albani sedes vacabat; id argumento est moris antea fuisse, ut cum Ostiensi et Portuensi episcopis Albanus etiam ministraret ordinationi Romani pontificis. Certe ordinationes episcoporum a tribus episcopis etiam ante Nicænum concilium, Romæ peractas fuisse, colligimus ex facto Novati, qui accitos Romam tres episcopos temulentos, hora decima inclusos, adumbrata quadam et inani manuum impositione, episcopatum sibi tradere coegit, scribente Cornelio papa in epistola ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium libro VI, capite 43, unico contentus quidem futurus, si unus ad consecrandum Romanum antistitem tunc suffecisset. Hæc ex Mabillonio *loco laudato*, ubi etiam plura habet de ordinatione pontificis. Legi etiam potest Pagius ad eumdem annum 682, qui numero 6 errorem Sigonianum emendat.

B

CIACONII.

Num. 154, linea 1. — *Joannes.* Ciriaci filius, Antiochenus, Syrus, S. R. E. archidiaconus cardinalis impp. Flaviis Heraclliis Constantino V et Justiniano II juniore Pogonato Augustis, creatus VIII Kal. Augusti et consecratus III Kal. ejusdem mensis, eo anno quo imperator Constantinus V Pogonatus 17 imperii sui anno moritur.

MAFEI.

Num. 154, linea 14. — *Hic consecratus est a tribus episcopis.* Ante sanctum Leonem II a solo episcopo Ostiensi Romanum pontificem consecratum fuisse scribit Sigonius *de Regno Italiæ, ad annum* 682, cujus opinionem clariss. Mabillonius *in Commentario prævio ad Ordinem Romanum*, cap. 18, rejicit testimonio alterius libelli *de Ordinatione*, a se publicati, in quo, uti in Ordine Romano, trium episcoporum in pontificis ordinatione fit mentio. *Et accedit*, libelli verba sunt, *unus episcopus, et dat orationem super eum, et recedit : et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum.* Atqui hic libellus scriptus est

C

PAGII.

Num. 154, linea 14. — *Hic pontifex consecratus*, etc. Ex quo inferendum est sedem Albanensem adhuc vacasse tempore ordinationis Joannis V, sicut vacabat tempore Leonis II, ut elicitur ex Anastasio, qui dicit ideo episcopum Veliternensem fuisse unum ex ordinatoribus Leonis II, quia tunc Albanensis sedes vacua erat. Joannes V ante pontificatum erat diaconus Ecclesiæ Romanæ, fuitque unus ex legatis Agathonis papæ ad sextam synodum generalem, cui cum aliis præfuit.

LXXXV. CONON.

ANNO CHRISTI 686, JUSTINIANI JUN. 2.

156 Conon oriundus ex patre Tracesio [a], educatus apud Siciliam, postmodum Romam veniens eidem Ecclesiæ militans ad presbyterii honorem devenit. Sedit menses undecim, dies viginti tres. In cujus electione dum ad episcopatum quæreretur, non minima contentio facta est, eo quod clerus in Petrum archipresbyterum intendebat. Exercitus autem insequente ejus Theodorum [b] presbyterum. Et clerus quidem adunatus ante fores basilicæ Constantinianæ sustinebat, eo quod qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regias basilicæ, clausas [c] observabant, et minime quemquam ingredi permittebant. Exercitus autem omnis in basilica sancti Stephani protomartyris similiter fuerant adunati [d], et neque illi clero consentiebant, neque clerus exercitui acquiescebat pro suprascriptis presbyterorum personis. Sed dum misso ab utrisque partibus responso [e] irent diutius et redirent, et nihil proficerent ad concordiam, concilio ducti sacerdotes et clerus unanimiter ingredientes in episcopium Lateranense elegerunt et denominaverunt [f] tertiam personam suprafati pontificis [g], in quo vere aspectus angelicus, veneranda canities, sermo verus, provecta ætas,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] patria Thrax *B*. [b] omnis in Theodorum. [c] valvas, obs. [d] fuerat adunatus. [e] missis ab utrisque partibus responsis. *B*, responsa. [f] *B*, demonstraverunt. [g] *B*, Cononis.

Digitized by Google

simplex animus, quieti mores, religiosa vita, qui se nunquam aliquando in causis actibusque [a] sæcùlaribus commiserat [b]. E vestigio autem omnes judices una cum primatibus exercitus pariter ad ejus salutationem venientes, in ejus laude [c] omnes simul acclamaverunt. Videns autem exercitus unanimitatem cleri populique in decreto ejus subscribentium, post aliquot dies et ipsi flexi sunt, et consenserunt in persona prædicti sanctissimi viri, atque in ejus decreto devota mente subscripserunt, et missos pariter una cum clericis et ex populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt. [d] Hic suscepit divalem jussionem domini Justiniani principis, per quam significat [e] reperisse acta sanctæ sextæ synodi, et apud se habere, quam piæ memoriæ domnus Constantinus genitor ejus Deo auxiliante fecerat. Quam synodum promisit ejus pietas illibatam et inconcussam perenniter custodire atque conservare.

157 Hujus temporibus pietas imperialis relevavit per sacram jussionem suam ducenta annonæ capita, quæ patrimonii custodes Brutiis et Lucaniæ annue persolvebat. Itemque et aliam jussionem direxit, ut restituatur familia [f] suprascripti patrimonii et Siciliæ, quæ in pignore a militia detinebatur. Hic ultra consuetudinem absque consensu cleri, ex immissione malorum hominum, in Antiochia [g] ecclesiasticorum Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ rectorem in patrimonio Siciliæ constituit, hominem perperam [h] et tergiversutum, sed et pallio ad caballicandum uti licentiam ei concessit. Et non post multum temporis seditio super eum orta est a civibus, ob patrimonii lites, qui a judice provinciæ sub arcta custodia retrusus est, pro eo quod in dissensionem judicum inveniretur direxisse [i]. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus, ut etiam vix ordinationes [j] sacras explere potuisset, obiit. Hic dimisit omni clero et monasteriis benedictionem in auro, sicuti prædecessor ejus Benedictus papa. Cujus archidiaconus videns eumdem pontificem infirmitate constrictum, atque cupiditate ductus prædicti legati [k], cum necdum esset persolutum, scripsit Ravennam Joanni glorioso novo exarcho, atque promittens [l] ejus dationem, ut persona ejus ad pontificatum eligeretur. Quod et [m] demandavit suis judicibus, quos Romæ ordinavit, et direxit ad dispensandam civitatem, ut post mortem pontificis ejusdem archidiaconi persona eligeretur. Fecit autem episcopos per diversa loca num. XVI. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die 21 mensis Septembris [n], et cessavit episcopatus menses duos, dies viginti tres [o].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] actisque. [b] commiscuerat. [c] laudem. [d] *Vide Baron ad ann. Domini* 686. [e] significabat. [f] ut restitueretur familiæ. [g] antipatia. [h] *for.* perversum. [i] directus fuisse. [j] sacerdotum. [k] *B add.* relicti clero et monasteriis ab ipso pontifice. [l] *B*, promisit. [m] * Qui statim. [n] *B*, 22 Octobr. [o] *B*, 13.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Parisiano.

Num 156, *lin* 2, 3, sed mens XI, in cujus.

Num. 157, *lin.* 8, sed et manipulum ad cavallicandum, uti licentiam, etc. *lin.* 12, demisit omni clero monasteriis, diaconie, et mansionariis benedictionem in auro. *lin.* 18, ad disponendam civitatem.

Ex codice Vallicellano.

Num 156, *lin* 3, *cod Vallicell.* devenit : Hic sedit menses undecim. In cujus electione. *lin* 5, exercitus autem omnis in Theod presbyt. *lin* 7 *concordat cum Reg, Maz et Thuan et ita lin* 8, 14, 21, 22, 23, 24 et 26. *lin* 9, in basilica beati Stephani protom. simil. fuerat adunatus. *lin* 12, responsis irent d. et r. et nihil prof ad concordiam. *lin* 13, et clerus unanimiter in episcopio Lateranensi. *lin* 14, suprafati viri, in quo vere erat etc *ut laudd codd linea præcedente.* *lin* 18, ad ejus salvationem venientes. *Ibid ut laudd codd.* *lin* 21, atque ejus decreto. *lin* 23, ubi mos erat. *Lege*, uti mos erat. *lin* 24, domni Justiniani.

Num. 157, *lin.* 1, *cod. Vallicel.* Hujus quoque temporibus. *lin.* 2, custodes patrimonii Bructiæ, *etc., ut Reg., Maz. et Thuan., cum quibus concordat etiam. lin.* 3, 11, 14 *et* 15. *Item lin.* 16 *et* 19, *lin.* 4, detinebantur. Hic papa ultra cons. *lin.* 5, in antipatia, *lege* in antipathia. *lin.* 8, sed et mappularum uti ad caballicandum ei licen. conc., *etc., ut laudd. codd. lin.* 10, pro eo, qui, *mendose. lin.* 12, sacerdotum expl. potuis. Ilic moriens divisit o. cl. *etc., ut laudd. codd., excepta voce* sicut *cujus loco habet* sicuti, *lin.* 17, elig. qui statim mandavit suis judicibus, quos Romæ ordinaverat et direxerat ad dispensandam.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 156, *lin* 2, in eadem ecclesia militans. *lin* 5.

Digitized by Google

A, insequentem. *lin* 11, *A*, sed dum missi ab utrisque partibus ad respondendum irent, *B*, et dum ab utrisque partibus responsa irent. *lin* 16, *A*, nunquam in causas actusque sæculares. *lin* 18, *AB*, ejus laudem.

Num 157, *lin* 2, *B*, quæ patrimonia Brutius, et Lucania. *lin* 5, *B*, in antipathia. *lin* 6, *A*, diaconum hominem perperum, *B*. *lin* 8, *AB*, sed et mappulo. *lin* 9, *B*, temporis transitus pontificis. *lin* 12. *B*, ordinationes sacerdotum. *lin* 13, *B*, monasteriis, diaconiis, mansionariis. *lin* 14, *AB*, constrictum cupiditate ductus scripsit Ravennam Joanni glorioso novo et exarcho, promittens donationes, ut persona ejus ad pontificatum eligeretur. *lin* 18, *AB*, direxit ad disponendam civitatem. *lin* 21, *B*, die 22.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 156, *lin* 4 *et* 5, in presbyterum Petrum int. ex autem omnis in Th. p. *lin* 7, eo quod m. f. *lin* 8, has. qui eas clausas observarent, et m. q. *lin* 9, sim. fuerat adunatus. *lin* 11, pers. et dum missis ab utrisque partibus. *lin* 12, responsis irent d. et r. et nihil proficerent ad custodiam, et conc. cons. *lin* 13, ingr. in episcopio Lateranense, elegerunt et denominaverunt t. p. præfati viri, in quo vere erat asp. a ven. can. quieti mores, rel. vita, sermo verus, provecta ætas, simpl. an. qui se n. al. causis, actisque sæcularibus commiscuerat. *lin* 18, laudem. *lin* 21, in personam prædicti venerabilis viri. *lin* 22, ex clericis. *lin* 23, dir. Hic papa effectus suscepit. di. *lin* 24, significabat rep. se acta. *lin* 26, quamque synodum promittebat ejus p.

Num 157, *lin* 1. Hujus quoque temp. *lin* 2. ducenta patrimonia (*in ora R. al.* annonæ capita) quæ custodes patrimonii Bructiæ et Lucaniæ ann. persolve- A bant. *lin* 3, ut restituerentur familiæ sup. *lin* 4. Hic papa ultra c. *lin* 5, in antipacia. *lin* 7, perferum, et t. sed et in appularum uti ad caball. ei. lic. c. sed non multo tempore post transitum pontificis, seditio s. e. o. e. civibus. *lin* 11, directus fuisse. Hic venerabilis vir d. i. d. est. *lin* 12, sacerdotum exp. pot. Hic moriens dim. o. cl. monasteriis, diaconis, et mansionariis bened. in auro, sicut p. *lin.* 14 *et* 15, const. cup. d. p. l. quod nec dum erat persolutum. *lin* 16, ex. promittens ei d. *lin* 17, elig. Qui statim mandavit suis judicibus, q. R. ordinaverat, et dir. ad dispensandum civ. *lin* 19, hic fecit episcop. *lin* 21, dies 24 (*M*, 25)

Ex codice Thuano altero.

Num. 156, *lin* 3, sedit mens. 11, In cujus. *lin* 5, insequentem. *lin* 8, observ. exercitus. *lin* 11, et dum missi ab utrisque partibus. *lin* 12, irent, et nihil p. *lin* 17, actisque. *lin* 18, laudem. *lin* 24, Domini.

Num. 157, *lin* 2 *et* 3, persolvebant. *lin* 5, in antipathia. *lin* 7, perferum. *lin* 9, temp. transitum pontificis, sed. *lin* 10, judicum inveniebatur sententiæ imperiales discutiendum dixerit. Qui s. *lin* 12, ord. sacerdotum exp. *lin ead.*, hic dim. o. c. mon. diaconis, et mansionariis ben. *lin* 15, prom. dationes. *lin* 18, ad disponendam c. *lin* 20 *et* 21 sub die 22. B

Apud Peniam ex codice Cavensi

Num 156, *lin* 10, illic clero. *lin ead*, exercitu adquiesc. *lin* 11, missi. *lin* 12, proficeret.

Num 157, *lin* 2, patrimoniis briezius. *lin* 7, tergiversatur. *lin* 9, a civibus et patrimonialibus cum judice provinciæ sub arta custodia retruserunt. *lin* 12, clero monasteriis. *lin* 15, ductus est p. l. unde nec dum. *lin* 16, promittens dationem.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num 156, linea 3. — *In cujus electione.* Post eas, de quibus diximus, Constantini Pogonati concessiones Romanis factas, pontifices in proxima Dominica sequente electionem consecrabantur, qui de iis subinde Ravennatensem exarchum per legatos certiorem faciebat. Quamobrem in creatione pontificum ordo istiusmodi observatus fuit. Tribus elapsis diebus ab obitu pontificis : « Concilio ducti sacerdotes, et clerus, unanimiter ingredientes in episcopium Lateranense elegerunt. » Electio proceribus militiæque denuntiabatur, qui acclamationibus et laudibus electum excipiebant. Iisdem proponebatur decretum electionis a clero subscriptum, et pariter ipsi subscribebant : « Videns autem exercitus unanimitatem cleri, populique in decreto ejus subscribentium... ni ejus decreto devota mente subscripserunt. » Scilicet Italica militia ad obsequium pontificis prona semper et assidua erat, nec tamen imperatori rebellis, nisi fidei aut pontificis læsio occurreret, pro quibus invicta constantia nunquam non depugnavit. « E vestigio autem omnes judices una cum primatibus exercitus pariter ad ejus salutationem venientes, in ejus laude omnes simul acclamaverunt. » Posthæc dirigebantur ad exarchum legati : « Et missos pariter una cum clericis, et ex populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt. »

Linea 24. — *Reperisse Acta sanctæ sextæ synodi.* Audiverant sive Joannes pontifex, sive Conon, ob inconsultum agendi modum imperatoris Justiniani, insolescere adversus Acta synodi VI Monothelitas. Quapropter salutaribus epistolis, necnon comminatoriis apud Justinianum egerunt, ut decreta synodalia vim plane suam obtinerent. Imperator hisce monitis excitatus, autographum synodi codicem perquirit, invenitque, et datis ad Cononem litteris, ejus professus est observantiam. Atque hac occasione C electum reor Agathonem diaconum, velut ipsemet in peroratione ad synodum VI affirmat, se in palati imperiali plura exemplaria ejusdem synodi quam accuratissime confecisse et descripsisse. Interim ea professione exigenda plurima passum fuisse Cononem, indicat Nicolaus I in epist 8 ad imperatorem Michaelem : « Antecessores per tot annorum curricula diversarum hæreseon morbis languentes, medicinale remedium non quæsierunt : potius medicinam sponte sibi porrectam, quasi desperati, vel quasi cor impœnitens gerentes ab ipsis faucibus projecerunt, dum tantæ salutis oblatæ ministros duplici modo interemerant : quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritaliter occiderunt : sicut tempore Reveren. memoriæ Cononis papæ contigit, qui post VI synodum exstitit. » Epistola quidem Justiniani ad Joannem pontificem inscripta est, vel quia Joannes imperatorem de novis hisce reprimendis Monothelitarum conatibus primum commonuerat, D vel quia ob vitium amanuensium nomen Cononis immutatum; vel denique, quia Anastasius, prout ei familiare fuit, Cononi adtexuit quæ ad Joannem erant referenda. Porro Cononem pont. vel a Justiniano, vel ab exarchis propter Monothelitas durius fuisse habitum, præter adducta Nicolai verba, probat persecutio Felicis Ravennatensis a Justiniano mota, de qua in illius Vita Agnellus. Factio enim Monothelitarum, imperante Justiniano, intantum viguit, ut orthodoxos Occidentales sæviter exagitaret.

Num. 157, linea 16. — *Joanni novo exarcho.* Hujus mentio occurrit in Vita Felicis Ravennatensis apud Agnellum, idemque miris vexationibus Ravennatenses arctavit.

BINII ET LABBEI.

Num 156, linea 1. — *Conon.* Cum Justinianus imperator sedi apostolicæ in eligendo pontifice libertatem solitam restitutam esse doleret, mandavit ut non

Digitized by Google

crearetur pontifex sine consensu exarchi. Ex quo illud in primis obortum est malum, ut ambientes pontificatum, per exarchum muneribus, vel aliis officiis corruptum illum assequi conarentur. Quare dum hac occasione inter Theodorum et Petrum schisma conflatum esset, universi cleri consensu, quantumvis reluctarentur militares copiæ, Conon electus fuit, anno Domini 686, die 20 Octobris. Sanctus Kilianus ab hoc pontifice ordinatus, Franconiam Orientalem ad Christi fidem perduxit.

Lineæ 23 et 24. — *Hic suscepit divalem.* Constat ex epistola Nicolai I ad Michaelem imperatorem, Justinianum imperatorem Juniorem non sane fidei exstitisse, ipsique Cononi adversatum esse, cum legatos ejus Constantino olim missos prævaricari coegisset. Verba Nicolai hæc sunt: « Tantæ salutis oblatos ministros duplici modo interemistis, quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritualiter occiderunt, sicut tempore reverendæ memoriæ Cononis contigit. » Hac de causa imperatorem Justinianum numen divinum iratum sensisse omniaque in deteriore labi cœpisse, ex iis quæ infra dicemus, satis est apertum. Hoc tempore ingentem famem vexasse Syros, pacemque cum Bulgaris sancitam iterum ruptam fuisse docet Theophanes.

CENNI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Romanorum pontificum electiones ab imperatoribus confirmari cœptæ necessitate id suadente, ad frenandam privatam ambitionem, ac multitudinis contentiones cohibendas, felici adeo exitu processerunt; ut centum quinquaginta amplius annis nullum schisma Ecclesiæ tranquillitatem perturbaverit. Enimvero ab anno 530, cum Justinianus quartam tribunitiam potestatem numerans, electionem Pelagii confirmavit, breveque paucorum dierum schisma Dioscori exstinxit, usque ad 686 emortualem Joannis non alio Ecclesia schismate laboravit, præter Silverii et Vigilii, quorum alter alteri postea succedens, sanctissimæque Ecclesiam regens, notam schismatis penitus detersit. At vixdum Constantini Pogonati pietas anno, ut dixi, 684 vel insequenti pristinam clero, populo, et militiæ libertatem restituit, ventum iterum ad contentiones, privataque ambitio tumultuosas electiones revocavit. Itaque Joanne post annum pontificatum exstincto, qui unus Pogonati beneficio usus est, electores in duas partes divisi, alii Petrum archipresbyterum, alii presbyterum Theodorum ad Petri sedem elevabant; nec finem habebat disceptatio, nisi tertius eligebatur Conon, cujus electioni factæ primum a clero et sacerdotibus, mox populus ac milites consenserunt. Primo autem hoc schismate vix sublato, aliud vehementius privata unius ambitio excitavit. Valetudine adversa laborans Conon clero et monasteriis quidquid auri habebat, legavit: quo legato haud dum persoluto, nam pontifex adhuc erat in vivis, archidiaconus paschalis clanculum dat litteras ad Joannem Platyn exarchum, qui Ravennam nuper venerat, legatamque auri vim se illi daturum promittit, si suam operam impendat, ut ipse pontifex fiat. Promissa exarcho non displicent; cumque offerretur occasio suos judices mittendi Romam, iisdem demandat, ut mortuo Cononе, paschalem evehi curent ad Petri sedem. Veniunt illi ad Urbem, ac negotii sibi demandati bene gerentes, multos ad suas partes trahunt: at ne audax Paschalis ambitioni et avaritiæ supremam Ecclesiæ dignitatem referret acceptam, cum denato Cononе, agi cœptum de successore eligendo, divisio populi emersit, parsque Theodorum archipresbyterum, pars archidiaconum Paschalem elegerunt: quapropter ad sedandum schisma, tertium eligi oportuit Sergium, qui Cononi successit.

Ex enarrata historia duæ res innotescunt ad pontificum electionem illustrandam accommodatissimæ. Prima scilicet: nullam his temporibus auctoritatem fuisse exarchis Ravennatibus confirmandi, ut ante Joannem V mos erat, pontifices. Altera vero, mitti consuevisse per eadem tempora ad exarchum legatos cum decreto electionis, ut ante Pogonati privilegium fieri consueverat. Utramque earum expendam breviter, moxque ad rationem temporum, juxta nemo institutum accedam. Incipio igitur ab auctoritate exarchi.

Neminem latet, quam sancte imperatores Orientis creationis pontificum satagebant; non enim, ut Gothi reges Ariani, cum dominabantur Italiæ, aussi sunt electionibus immisceri, at easdem a clero populoque fieri permittentes, confirmare electos, antequam ordinarentur, contenti erant. Ejusmodi autem confirmatio per sacram, seu divalem jussionem significata, tam necessaria credebatur quandiu viguit, ut præter eam consecratum pontificem non legamus ullum, nisi Pelagium II, quia malis immineris vexabatur Italia; et S. Gregorius, qui Pelagio successit, aperte ostendit, ad arbitrium imperatorum fieri consecrationem electi, accedente eorum assensu; vel minime accedente, ad aliam electionem æque liberam deveniri, dum pontificias infulas declinare cupiens, *latenter litteras destinavit* (ad imp. Mauritium) *adjurans et multa precedeposcens ne unquam assensum populis præberet.* Hujusmodi vero auctoritatem exarchis primum delegatam, deinde a Pogonato ereptam, ut supra vidimus, quidquid aliis seculis videatur, post Constantinum nunquam adepti iidem sunt. Quod unum poterant, et Gothi Ariani olim, necnon sequiori ævo minus religiosi aliquot principes usurparunt, illi quidem erat electores clerum populumque vi et armis terrere, ut pontificem eligerent, quem privatæ aliquæ causæ tuebantur. Idque ab exarcho Joanne factum esse, ut Paschalis contra Sergium eligeretur, docet Anastasius (*num* 159): « Qui etiam Paschalis clanculo non cessavit Ravennam suos mittere missos, promissaque pecunia, vel aliis diversis donis, Joannem patricium et exarchum, cognomento Platyn, cum suis judicibus, nemine sciente, Romam venire persuadere. » Deinde eum venisse tradens clam omnibus: « Qui dum venisset, prosequitur, et omnes in personam Sergii sanctissimi invenisset consensisse, illi quidem suffragari non valuit. » Non igitur, ut ante Pogonatum, confirmationis lege clerus et populus prohibebantur ordinare quem elegerant; at semel facta electio unanimi consensu spem omnem adimebat contra nitentibus ordinationem nullius confirmationis egentem impediendi.

Quod dixi alterum, mitti videlicet consuevisse ad Ravennatem exarchum missos seu legatos post electionem pontificis, ut ante ablatam confirmandi facultatem moris erat, ex eodem Anastasio constat (*num.* 156) hæc habente: « missos pariter una cum clericis et ex populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt. » Nempe milites. Ex quibus liquet clerum, populum et exercitum misisse Ravennam suos legatos juxta priscam consuetudinem, ut in Diurno pontificum luculenter docemur (*de Elect. pont. ad exarch.*) « Cujus et decretum solemniter facientes, et desideria cordium circa ejus electionem manuum subscriptionibus confirmantes, per harum latores ill. sanctissimum episcopum, ill. venerabilem presbyterum, ill. notarium regionarium, ill. adæque subdiaconum regionarium, ill. et ill. viros honestos cives; et de florentissimo atque felicissimo Romano exercitu, ill. eminentissimum consulem, seu ill. et ill. viros magnificos tribunos militiæ, confamulos nostros. » Quæ cum ita sint, dum aiebam cum Pagio et Blanchino, quod usque ad Pippinum consuetudo mittendi Ravennam legatos viguit, id non affirmabam sentiens cum eodem Pagio missos esse petitum confirmationem, qua servitute Ecclesiam liberaverat Pogonatus: mitti siquidem cœpisse probabili admodum conjectura vi-

Digitized by Google

dentur, ob duplicem electionem rejectam tam in Co- A nonis quam in Sergii creatione, ut decreto electionis subscribente exarcho, qui vices imperatoris Orientis gerebat in Occidentis imperio, generali omnium consensu ab omnibus agnosceretur omnium Pater et Pastor, ac proinde schisma penitus aboleretur. Quanquam autem in Sergii successorum electione iretur necne Ravennam, nulla antiquorum auctoritate comprobatur ; credibile tamen est quoad exarchatus defecit, esse itum, idque non quia clerus populusque ulla lege aut necessitate cogerentur, sed duntaxat obsequii causa, quo servitutis genere, si modo servitus, admodum miti ac suavi et ultro quæsito, ut schismata vitarentur, Pippinus apostolicam sedem liberavit, ut suo loco dicendum erit.

Paucis his de electione post Pogonatum delibatis adversus conjecturam Petri Marca lib. VIII, cap. 9, n. 10, de Concord., ab Antonio Pagio ipsa ejus verba exprimente, adoptatam an. 686, n. 8, venio ad chronologiam Cononis. Codex Anastasii vulgatus in- B terpontificium post Joannem numerat mens. 2, d. 18, eumque eo consentiunt alii codd. et catalogi. præter Lucensem, ex quo uno minus mense dieque uno amplius vacavit sedes. Hic vero antequam progredior, levitatem conjecturæ mox laudatæ perstringam necesse est. Eam siquidem Pagius ex interpontificiis deducit, ut videre est an. 681, n. 5, et 686, n. 8 ; quæ diuturniora fuisse autumat ante Zachariam quam vere fuerint : demptis enim primis tribus post Benedictum, Joannem et Cononem, quæ trimestri fere spatio producta leguntur, necnon singulari post Joannem VII, quod trium seu etiam quatuor mensium in codd. occurrit, quæ sunt reliqua omnino sex, pars mensem cum paucis diebus explet, pars bimestre spatium non attingit ; quare, ut verum fatear, non intelligo cur interpontificium duorum mensium ac dierum quindecim post Benedictum Pagio suspiciosum non fecerit ; num Ravenna expectari oportuit confirmationem electionis Joannis V, cum C valde minoribus ex interpontificiis confirmationis cujusmodi exspectationem evincat. Cumque de his supra disseruerim, persequor cætera de Cononе. Duobus igitur mensibus ac diebus octodecim ab emortuali Joannis, 2 Augusti 786, enumeratis, si emortualem ipsam, utpote ad sedem Joannis pertinentem, excludas, 21 Octobris ejusdem anni habebis obviam, quæ cum sit Dominica, Cononis ordinationi debita est. Hinc autem sedit undecim tantum menses, ut recte omnes catalogi, præsertim Corbeiensis, qui per hæc tempora scribebatur, et codd. Farnesianus, Ambrosianus 1, Thuanus 2 et Vallicell. ; quare vulgato habenti præter eos menses dies 23, aliisque tridui alios cod. superantibus nullam fidem haberi oportet, ut evidens fit ab emortuali die Cononis in catalogis Veron. et Lucensi, et in codd. fere omnibus 21 Septembris an. 687 consignata, qui enim habent *die* 22, depositionem potius quam mortem spectant. Itaque Conon ordinatus die 21 Octob. an 686, post- D quam sedit menses undecim, sequenti anno moritur 21 Septembris.

CIACONII.

Num. 156, linea 1. — *Conon.* Thrax, Benedicti filius, patria Tomitanus, S. R. E. presbyter cardinalis, Petro et Theodoro, per schisma electis, pulsis, sedit menses undecim, creatus et consecratus XII Kal. Novembris, die Dominico, anno Christi 686.

Num. 157, linea 2. — *Ducenta annonæ capita.* Anno 587, cognita imperator Cononis consecratione, alteram ad eum scripsit, qua ducenta loca relevare significavit, quæ custodes patrimonii Brutiæ et Lucaniæ quotannis pendebant, et ut restituerentur familiæ ejus Patrimonii et Siciliæ, quæ pignoris nomine a militia tenebantur. Conon vero rectorem Patrimonii et Siciliæ Constantinum, Ecclesiæ Syracusanæ diaconum fecit, atque multa ei præter consuetudinem indulsit.

MAFEI.

Num. 156, lin. 22 et 23. *Ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt.* Restitutam Romanæ Ecclesiæ a Constantino Pogonato veterem comitiorum libertatem in eligendo pontifice, ægre ferens Justinianus II, avum potius Constantem in hac re quam Constantinum patrem imitatus, præcepit ne sine exarchi consensu pontifex crearetur, atque novum malorum fontem aperuit in clero, cum pontificiam ambientes dignitatem, per exarchum vel muneribus delinitum, vel officiis corruptum, consequi illam niterentur. Hinc nova dissidia et contentiones in sublegendo pontifice exortæ sunt. Etenim Joanne V vita functo, schisma inter Theodorum presbyterum, cui exercitus, et Petrum archipresbyterum, cui clerus favebat, per aliquot dies exarsit, quod tandem, omnium votis Cononе electo, restinctum est, missique de ejus electione nuntii Ravennam ad Theodorum exarchum. Hunc autem Theodorum alium fuisse a Theodoro Calliopa, qui bis exarchatum administravit, erudite observat Bacchinius ad Vitam Theodori Ravennatis episcopi ; cum subdolo atque impio ingenio Calliopa fuerit, ut sacrilege patrata in sanctum Martinum papam testantur ; hic vero fuit animo miti et erga sacras ædes religioso, quippe qui sanctæ Mariæ ad Blachernas (templum erat extra Ravennæ pomœrium) quotidie adibat pietatis causa, quo loci etiam cum Agatha conjuge humari voluit.

PAGII.

Num. 156, linea 3. — *In cujus electione non minima contentio facta est.* Joanne V papa mortuo, civitas in duas partes scissa est ; clerus enim Petro archipresbytero suffragabatur, judices vero et exercitus Theodoro presbytero favebant. Tandem clerus communi consilio in electionem tertii conspiravit, scilicet Cononis, genere Thracis, qui educatus apud Siciliam, et postmodum Romam veniens ad presbyterii honorem devenerat. Hunc veneranda canities, simplex animus, quieti mores, religiosa vita, sacra eruditio, hoc præstabant loco dignissimum, ut scribit Anastasius, qui subdit : « Post aliquos dies et ipsi flexi sunt (judices scilicet et primatus excercitus) et consenserunt in persona prædicti sanctissimi viri (nempe Cononis) atque in ejus decreta devota mente subscripserunt, et missos pariter una cum clericis et ex populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt. » Ex his patet verum esse, quod in Benedicto II observavimus, Justinianum imperatorem, Constantini Pogonati filium et successorem, juxta morem antea usitatum statuisse ut consecratio Romani pontificis absque confirmatione exarchi Ravennatensis non perageretur. Remanserunt itaque Romani liberati ab onere mittendi decreti electionis Constantinopolim, sed obnoxii remanserunt exarchorum examini, donec ipsi sæculo sequenti defecere, ut notat Marca lib. VIII, de Concordia, cap. 9, n. 10.

Conon itaque pontifex consecratus est die vicesima prima mensis Octobris anni sexcentesimi octogesimi sexti, in quam Dominica incidebat. Verum quidem est in Anastasio legi cessasse episcopatum post Joannis V mortem, *menses duos, dies octodecim* ; sed vel Anastasius hac in parte corruptus, et legendum *dies* XIX, vel tam diem mortis quam diem sepulturæ exclusit ab interpontificio, quod necessario dicendum est ut Cononis ordinatio dicatur facta in die Dominica. Sed quidquid sit, in ejus morte constabit vel in tempus sedis Joannis V, vel in tempus interpontificii post ejus mortem, unius saltem diei errorem irrepsisse, quod chronologiæ nostræ non officit, dummodo Cononis ordinatio diei Dominicæ affigatur.

Ritum in creatione Cononis servatum, antequam consecraretur, habemus ex citatis Anastasii verbis, ante quæ jam dixerat : Cononem *sacerdotes et clerus*

Digitized by Google

unanimiter apud Lateranum elegerunt. Mox *omnes judices una cum primatibus exercitus ad ejus salutationem venientes, in ejus laudes acclamaverunt. Videns exercitus unanimitatem cleri et populi*, electioni factæ *consenserunt, atque in ejus decreto* cum eisdem *subscripserunt*. Demum iidem, una cum clero et populo, *missos suos ad exarchum, ut mos* erat, *direxerunt*. Electio itaque primo fiebat per clerum, deinde salutatio et acclamatio per judices et primates. Sequebatur consensus exercitus; omnium denique subscriptio in decreto, quod ad exarchum et aliquando etiam ad imperatorem, mittebatur. Ex quibus et aliis quæ idem auctor narrat in Valentino papa, Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, § 18, explicat ritum ante sæculum XI in consecratione Romani pontificis servari solitum. Electioni enim pontificis succedebat ejusdem institutio duabus rebus peracta, ordinatione scilicet ac inthronizatione. Ordinatio in Vaticana sancti Petri basilica, inthronizatio in Lateranensi fieri consueverat. In his non constans ordo: nam etsi inthronizationem consecratio præcedere solebat, nonnunquam tamen inthronizatio præmittebatur, ut in Conone factum vidimus, idemque in Valentini electione contigisse infra narrabimus.

Linea 23.— *Hic suscepit divalem*, etc. « Hæc cum dicat Anastasius, inquit Baronius ad annum 686, ex litteris tamen Nicolai pontificis ad Michaelem imperatorem constat haud sanæ fidei exstitisse, sed et adversatum fuisse eumdem imperatorem Justinianum ipsi Cononi, cum legatos ejus Constantinopolim missos prævaricari coegisset; sed Nicolai verba accipe dum invehitur in improbos imperatores de Ecclesia Romana male merentes : *Tantæ*, inquit, *salutis oblatæ ministros duplici modo interemistis, quoniam aut participes illi sui erroris effectos spiritualiter occiderunt, sicut tempore reverendæ memoriæ Cononis contigit*, etc. Arguunt quidem ista diversæ fidei esse cœpisse Justinianum a Romano pontifice, ob idque constat sensisse numen iratum, » etc. Ita Baronius. Sed cum de illo facinore neque Anastasius, neque alii historici mentionem faciant; et parte alia nullis litteris mandarit Justinianum sensisse numen iratum, et e solio dejectum quia a fide defecerat; imo Agatho diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in peroratione cujus titulus est : *Peroratio scribæ Actorum sextæ synodi : ubi etiam traduntur quæ tyrannus et insipiens Bardanes adversus eamdem sanctam et œcumenicam sextam synodum temere molitus est;* cum, inquam, Agatho dicat mala illa contigisse *ob pessimam a principio, sanguinariamque ejus* (Justiniani) *voluntatem*, in supradicta Nicolai papæ epistola 8, ubi legitur *reverendæ memoriæ Cononis*, legendum videtur, *reverendæ memoriæ Constantini*, sub cujus, non sub Cononis pontificatu, Bardanes tyrannus, qui sub Philippici nomine imperium invaserat, orthodoxis qui libello quem pro abroganda sexta synodo dictaverat, subscribere noluerunt, persecutionem intulit, ut ibidem dicemus. Quo pacto non Cononis, sed Constantini papæ legati prævaricari coacti sunt a Philippico, non a Justiniano, qui, teste Anastasio, Cononi permisit illibatam et inconcussam perenniter custodire sextam synodum, quam Constantinus pater coegerat. Vide dicta in Constantino papa.

ALTASERRA.

Num. 157, linea 3. — *Ut restituatur familia suprascripti patrimonii, quæ in pignore a militia detinebatur.* Familia patrimonii ecclesiastici est grex servorum, qui addicti erant agri colendi causa. Servi Ecclesiæ, imo et liberti, id est servi manumissi dicuntur de familia Ecclesiæ, can. 8, 12, qu. 2, ut liberti privatorum dicuntur de familia patroni, l. *Cum pater*, § *Fidei, de Legat.* 2.

Linea 4. — *Hic ultra consuetudinem absque consensu cleri in antipatia ecclesiasticorum Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ rectorem in patrimonio Siciliæ constituit.* Ex consuetudine subdiaconi Ecclesiæ Romanæ mittebantur a pontifice, non sine consensu cleri, ad regimen patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, can. *Pervenit*, 11, qu. 1, can. *Valde necessarium*, 94 dist. Hinc notatur Conon quod præter consuetudinem, sine consensu cleri, patrimonio Ecclesiæ Romanæ in Sicilia rectorem imposuerit diaconum Ecclesiæ Syracusanæ.

LXXXVI. SERGIUS.

ANNO CHRISTI 687. JUSTINIANI JUN. 3

158 Sergius, natione Syrus, Antiochiæ regionis, ortus ex patre Tiberio in Panormo Siciliæ, sedit annos tredecim, menses octo, dies viginti tres [a]. Hic veniens Romam sub sanctæ memoriæ Adeodato pontifice, inter clerum Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat et capax in officio cantilenæ priorum [b] cantorum pro doctrina est traditus, et acolythus factus per ordinem ascendens a sanctæ memoriæ Leone pontifice in titulo sanctæ Susannæ, quod [c] ad Duas Domos vocatur, presbyter ordinatus est. Hic tempore presbyteratus sui impigre per cœmeteria diversa missarum solemnia celebrabat. Post septennium vero defuncto beatæ memoriæ Conone apostolicæ sedis præsule, ut fieri assolet, Romanus populus Urbis in duas partes divisus est, et una quidem pars elegit Theodorum archipresbyterum, alia vero pars Paschalem archidiaconum. Et quidem Theodorus archipresbyter cum populo, qui ei favebat, præveniens, interiorem partem patriarchii tenuit. Paschalis vero exteriorem partem ab oratorio sancti Silvestri, et basilicam [d] domus Juliæ, quæ super campum respicit, occupavit.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

B, 14. [b] *B*, piorum. [c] qui. [d] *B*, basilica.

Digitized by Google

Cumque unus alio [a] locum non cederet, sed utrique immaniter [b] peraurarent, ut unus alium superaret, inito consilio primates judicum et exercitus Romanæ militiæ, vel cleri [c] plurima pars, et præsertim sacerdotum atque civium multitudo ad sacrum palatium perrexerunt, et diu pertractantes quid fieri deberet qualiterve duorum altercantium electorum sopiretur contentio [d]. Deo annuente in personam denominati Sergii venerabilis tunc presbyteri concordantes se contulerunt, eumque de medio populi tollentes in oraculum beati Cæsarii martyris Christi, quod est intra sacrosanctum suprascriptum palatium introduxerunt, et exinde in Lateranense episcopium cum laudum declamationibus [e] deduxerunt. Et quamvis fores patriarchii intrinsecus essent munitæ et clausæ, tamen pars quæ prædictum venerabilem virum elegerat, quia et validior erat, prævaluit et ingressa est.

159 Quo ingresso unus e duobus electis, id est Theodorus archipresbyter, illico quievit ac se humiliavit. Et ingressus denominatum sanctissimum electum salutavit ac osculatus est. Paschalem vero nullo modo cordis duritia id facere sinebat, donec coactus et confusus, volens nolens, suum dominum et electum ingressus salutaret. Qui etiam Paschalis clanculo non cessavit Ravennam suos mittere missos, promissaque pecunia vel aliis diversis donis, Joannem patricium et exarchum, cognomento Platyn, cum suis judicibus, nemine sciente, Romam venire persuadere. Qui sic abdite venit, ut nec signa, nec banda cum militia Romani exercitus occurrissent ei juxta consuetudinem in competenti loco, nisi a [f] propinquo Romanæ civitatis. Qui dum venisset et omnes in personam Sergii sanctissimi invenisset consensisse, illi quidem suffragari non voluit. Ecclesiæ tamen beati Petri apostoli idem exarchus per ejusdem Paschalis miseriam, stipendium et damnum intulit, quod [g] ab eodem Paschali suprascripto exarcho promissum fuerat, id est centum auri librarum a parte Ecclesiæ expetente, Sergio sanctissimo electo proclamante quod neque promisisset dare, neque possibilitas dandi suppetat, et ut ad compunctionem animos videntium commoveret, cantharos et coronas, quæ ante sacrum altare et confessionem beati Petri apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit et pignori tradi. Sed nec in hoc flexa est ejusdem exarchi duritia, donec centum, ut dictum est, librarum [h] auri accepit. Et licet, ut præfatum [i] est, Ecclesiæ Christi, ideo [j] miserrimus Paschalis dispendium et damnum infixit [k], tamen Christo favente Sergius presbyter et electus in sede beati Petri apostoli pontifex ordinatus est. Prædictus vero Paschalis non post multum tempus, et ab officio archidiaconatus pro aliquibus incantationibus et lucis [l] quos colebat, vel sortibus quas cum aliis respectoribus [m] tractabat, Dei beatique apostolorum Principis Petri interveniente judicio, privatus est et in monasterium retrusus, post quinquennium præ cordis duritia impœnitens defunctus est.

160 [n] Hujus itaque temporibus Justinianus imperator concilium in regia urbe jussit fieri, in quo et legati sedis apostolicæ convenerant, et decepti subscripserant. Compellebatur autem et ipse [o] subscribere, sed nullatenus acquievit, pro eo quod quædam capitula extra ritum ecclesiasticum fuerant in eo annexa. Quæ et quasi synodaliter definita et in sex tomis descripta a tribus patriarchis, id est Alexandrino, Constantinopolitano et Antiocheno, vel cæteris consulibus [p], qui in tempore [q] illic convenerant, subscripta erant, manuque imperiali confirmata, missis in Lucellum, quod scebrum [r] carnale vocitatur in hanc urbem ad

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] alii. [b] unanimiter. [c] cleri seditiosi. [d] intentio. [e] acclamationibus. [f] in. [g] eo quod. [h] *B*, libras. [i] *B*, prædictum. [j] idem. [k] inflixerit. [l] luculis. [m] respectatoribus; *B*, inspectoribus [n] *Vide Baron ad ann* 692, *pag* 611. [o] ipse papa; *B*, ipse Sergius. [p] *B* præsulibus. [q] eo tempore. [r] *B*, chartale, *locus depravatus*.

Digitized by Google

confirmandum, vel in superiori loco subscribendum Sergio pontifici, utpote capiti omnium sacerdotum, direxit. Qui beatissimus pontifex, ut dictum est, penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem tomos suscipere aut lectione [a] pandere passus est. Porro eos ut invalidos respuit atque objecit, eligens ante mori quam novitatum erroribus consentire. Qui imperator Sergium magistrianum in spretum prænominati pontificis Romam mittens, Joannem Deo amabilem Portuensem episcopum, seu Bonifacium consiliarium apostolicæ sedis secum in regiam abstulit urbem.

161 Deinde Zachariam immanem suum protospatharium cum jussione direxit, ut prædictum pontificem similiter in regiam deportaret urbem. Sed misericordia Dei præveniente, beatoque Petro apostolo et apostolorum Principe suffragante, suamque Ecclesiam immutilatam servante, excitatum est cor Ravennatis militiæ, ducatus etiam Pentapolitani et circumquaque partium, non permittere [b] pontificem sedis apostolicæ in regiam ascendere urbem. Cumque ex omni parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias spatharius [c], perterritus et trepidans ne a turba militiæ occideretur, portas quidem civitatis claudi et teneri pontificem [d] postulabat. Ipse vero in cubiculo pontificis [e], tremebundus refugit, deprecans lacrymabiliter ut sui pontifex misereretur, nec permitteret quemquam ejus animæ infestari. Exercitus autem Ravennatis, ingressus per portam beati Petri apostoli, cum armis et turba [f] in Lateranense episcopium venit, pontificem videre æstuans, quem, fama vulgante, per noctem sublatum et in navigium missum fuisse cognoverant [g]. Dumque fores patriarchii, tam inferiores quam superiores, essent clausæ, has in terram, nisi velocius aperirentur, mittere minarentur [h], præ nimia timoris angustia et vitæ desperatione Zacharias spatharius sub lectum [i] pontificis ingressus sese abscondit, ita ut mente excideret et perderet sensum. Quem beatissimus papa confortavit, dicens ut nullo modo timeret. Egressus vero idem beatissimus pontifex foris basilicam domni Theodori papæ apertis januis in sedem [j], quæ vulgo appellatur sub Apostolis, generalitatem militiæ et populi, qui pro eo occurrebant, honorifice suscepit; datoque apto et suavi responso, eorum corda linivit. Quanquam illi, zelo ducti pro amore et reverentia tam Ecclesiæ Dei quamque sanctissimi pontificis, jam a patriarchii custodia non recesserunt [k], quousque denominatum spatharium cum injuriis et contumeliis a civitate Romana foris depellerent [l]. Nam et is qui illum miserat, ipso etiam tempore est, Domino retribuente, regno privatus. Sicque Ecclesia Dei imperturbata cum suo præsule, Christo favente, servata est.

162 Hic beatissimus vir in sacrario beati Petri apostoli capsam argenteam, in angulo obscurissimo jacentem, et ex nigredine transactæ annositatis, nec si esset argentea, apparentem, Deo ei revelante, reperit. Oratione itaque facta sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in quo interius plumaceum ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit. Eoque ablato inferius crucem diversis ac pretiosis lapidibus perornatam inspexit, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, et ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicæ crucis invenit. Quæ etiam ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die Exaltationis sanctæ crucis in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur ac adoratur. Hic fecit imaginem beati Petri apostoli, quæ est in parte mulierum. Hic fecit thymiamaterium aureum majus cum columnis et cooperculo, quod suspendit ante imagines tres aureas beati Petri apostoli, in quo incensum et odor suavitatis festis diebus, dum missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Hic posuit in absida basilicæ suprascriptæ super sedem apallaream [m]

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] lectioni. [b] ut non permitterent. [c] *B*, protospatarius. [d] a pontifice. [e] ad pedes pontificis. [f] turba non modica. [g] audierant. [h] *B*, minabantur. [i] lecto. [j] sedens in sede. [k] recederent. [l] expulissent. [m] appellariam.

Digitized by Google

argenteam, pens. sing. libras centum viginti. Hic fecit in basilica suprascripta faros argenteos sex, pens. sing. libr. triginta, qui sunt super trabes ad ingressum confessionis.

163 Hic fecit in circuitu altaris basilicæ suprascriptæ tetravila [a] octo, quatuor ex albis [b], et quatuor ex coccino [c]. Hic tectum et cubicula, quæ circumquaque ejusdem basilicæ sunt, quæ per longa tempora stillicidiis et ruderibus fuerant disrupta [d], studiosius innovavit ac reparavit. Hic musivum, quod ex parte in fronte atrii ejusdem basilicæ fuerat dirutum, innovavit. Similiter et specula ejusdem ecclesiæ, quæ super sedem sunt, vel regios arcus majores sunt, renovavit. Hic corpus beati Leonis probatissimi Patris atque pontificis, quod in abdito inferioris [e] secretarii prædictæ basilicæ positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata basilica publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit, ac locum ipsum ornavit. Hic fecit patenam auream majorem habentem gemmas ex albis [f], et in medio, ex hyacinto et smaragdo, crucem pensantem libras viginti. Hic tectum et cubicula universa in circuitu basilicæ beati Pauli apostoli, quæ longa per tempora vetustate confecta fuerant, studiosius innovavit ac reparavit. Similiter et trabes fecit de Calabria adduci, et quæ in eadem basilica vetustissimas invenit, renovavit. Hic imaginem apostolorum vetustissimam, quæ erat super fores ejusdem basilicæ, mutavit. Hic fecit ambonem et cyburium [g] in basilica sanctorum Cosmæ et Damiani, ubi et multa dona obtulit. Trullum vero ejusdem ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit atque munivit. Hic cyborium basilicæ sanctæ Susannæ, quod ante ligneum fuerat, ex marmore fecit; diversa quoque cymilia aurea et argentea, vel immobilia loca illuc [h] condonavit. Hic basilicam sanctæ Euphemiæ, quæ per multa tempora fuerat detecta, cooperuit ac renovavit. Hic basilicam sanctæ Aureæ in Ostiis [i], quæ similiter fuerat detecta vel dirupta, cooperuit, suoque studio renovavit. Hic oratorium sancti Andreæ apostoli, quod ponitur Lavicana [j] a solo refecit.

164 Hic statuit ut tempore confractionis Dominici corporis *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, a clero et populo decantetur. Constituit autem ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, et Dormitionis sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, ac sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, litania exeat a sancto Adriano, et ad sanctam Mariam populus occurrat. [k] Hic fecit in basilica sancti Laurentii martyris, quæ appellatur titulus Lucinæ, arcus argenteos quatuor. Hujus temporibus Aquilegiensis Ecclesiæ archiepiscopus, et synodus quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum universale concilium utpote errantes suscipere diffidebant, ejusdem beatissimi papæ monitis atque doctrinis instructi, conversi sunt, iidemque venerabile concilium cum satisfactione [l] susceperunt. Et qui prius sub erroris vitio tenebantur, doctrina apostolicæ sedis illuminati, cum pace consonantes veritati, ad propria relaxati sunt [m]. Hic fecit coopertoria vel vasa aurea et argentea plura per diversas ecclesias ad usum et ornatum ecclesiarum Christi. Hic ordinavit Damianum archiepiscopum sanctæ Ecclesiæ Ravennatis, atque Clementem Frisonorum [n]. Hic ordinavit Berechyaldum [o] Britanniæ archi episcopum. Hic ordinavit per diversas provincias episcopos nonaginta septem Fecit autem et ordinationes duas per mensem Martii : presbyteros decem et octo diaconos quatuor. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum VI [p] Idus Sep-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] trabes. [b] ex eis albos. [c] quatuor coccineos. [d] dissipata. [e] abditis inferioribus. [f] albas. [g] cyborium. [h] illic. [i] *B*, Ostiis, *Tiberinis*. [j] via Lavicana. [k] *Vide Baron ad ann* 632 *in fin.* [l] satisfacti. [m] reversi sunt. [n] Frisonum. [o] *B*, Berectualdum. [p] *B*, quinto.

Digitized by Google

20 temoris, indictione XV, Tiberio Augusto; et cessavit episcopatus mensem unum, dies viginti.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano LXXXVI.

Num. 158, *lin.* 4 et 5, priori cantorum pro doctrina est traditus, et acolotus.

Num. 159, *lin.* 24, pro aliquas incantationes et luculos, quos colebat, vel sortes.

Num 160, *lin* 6, vel ceteris preconsulibus. *lin* 8, quod scevro carnali vocatur.

Num 162, *lin* 7, et ineffabilem portionem salutaris ligni Dominice crucis interius repositam invenit.

Num 163, *lin* 2, hic tegnum et cubicula. *lin* 10, habentem in gyro gemmas ex albis. *lin* 12, hic tegnum et cubicula. *lin* 19, hic ciburium basilice sancte Susanne quod ante ligneum.

Num 164, *lin* 19, diaconos IV; sedit annos XIII, menses VIII, dies XXIII. *lin* 20 et cessavit episcopatus dies L.

Ex codice Vallicellano.

Num. 158, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. et ita. lin.* 4, 6, 19, 21 *et* 25. *lin.* 10, *ut laudd. codd., exceptis his* et una quidem pars, *quibus adhæret vulg. lin.* 15, unus alii locum non cederet. *lin.* 17, vel cleri seditiosi pars plurima. *lin.* 20, de persona nominati.

Num. 159, *lin.* 2, *cod. Vallicel.* denominatum venerabilem presbyterum etc. *ut reg. Maz. et Thuan. Excipe tamen hæc, nempe,* volens nolens suum dominum et electum ingressus salutaret, *quibus concordat cum textu vulgato. lin.* 6, promissa pecunia, vel aliis diversis donis Joanni Patritio et Exarcho, cognomento Platui [*lege* si placet, *ut in edit.*] *cum suis juditibus et ut laudd. codd. hic. lin.* 8, sic abdicte, *mendose. lin.* 8, *ut laudd. codd. cum quibus concordat etiam. lin.* 10, 11, 13, 14, 19. *ibid., item lin.* 22, *lin.* 11, illi quidem refragari non valuit Ecclesia. Quia beati apostoli Ecclesiæ idem exarchus. *lin.* 16, et ubi ad compunctionem. *lin.* 17, cantharas [*lege* canthara]. *lin.* 20, et licet, ut prælatum est. *Ibid.,* idem mis., etc., *ut laudd. codd. lin.* 23, tempus, Dei beatique apostolorum principis Petri interveniente judicio, et ab officio archidiaconatus privatus est propter aliquas incantationes et luculos quos, *etc., ut laudd. codd.*

Num 160, *lin* 3, *cod Vallicel.*, et ipse papa subscribere, *ut Reg, Maz et Thuan cum quibus concordat etiam lin* 7 *et* 8. *Item lin.* 10, 12 *et* 16. *lin* 5, in sex tomis conscripta. *lin*5, 6, id est Constantinopolitano Alexandrino et Antiocheno, *etc. ut laudd codd. lin* 12, atque abjecit. *lin* 13, Const tunc imperator Sergium magistrianum in despectum, *etc. ut laudd cod.*

Num. 161, *lin.* 1, *cod. Vallicel., mendose,* Zacharium immanem suum prothosparium [*lege* protospatarium] imperator cum jussione. *lin.* 3, beatoque Petro apostolorum principe suffragante, suamque (*naviculam*) (τό naviculam *est varians lectio in textum illata*) immaculatam servante Ecclesiam. *lin.* 5 *concordat cum Reg., Maz. et Thuan., et ita lin.* 9, 12, 15, 17, 21, 25 *et* 27. *lin.* 7, Zacharius spatarius. *lin.* 10, deprecans miserabiliter ut sui misereretur. *lin.* 17, abscondit ut mente excederet. *lin.* 19, foris basilicam quæ dicitur Domni Th. *etc., ut laudd. codd. lin.* 23, quamque beatissimi pontificis a Pat. cust. non recederent.

Num 162, *lin* 3, *codd Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thu et ita lin* 8, 10 *et* 11. *lin* 4, plumatium ex olosirico. *lin* 5, quod stauracyn. *lin* 6, adornatam. *lin* 7, magnitudinis, ineffabilem. *lin* 12, majorem cum columpnis et cooperculo, quem suspendit ante eandem imaginem, in quo incensum. *lin* 15 *et* A 17, *ut laudd codd. lin* 16, pens. libras CXX *etc. ut iidem Codd.*

*Num.*163. *Lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thuan et ita lin* 3. *ibid et lin* 6, 7, 9, 16, 18 *et* 19, 20 *et* 21. *lin* 10, fecit etiam patenam *etc. ut laudd codd, exceptis his:* pens libr XX, *quorum loco Thuan, Reg et Maz habent* pens libr XII. *lin* 14, et quas in ead Basil vet invenit, reparavit. *lin* 15, imagines, etc. *ut laudd codd. lin* 17, in basilica Cosmæ et Damiani. *At in margine notatur, ut in textu. lin* 22, fuerat distecta coop et ren. Sed et basilicam S. Aureæ in hortis. *lin* 23, fuerat distecta vel diruta. *lin* 24, oratorium etiam sancti. *lin end*, via Lavicana a solo ref in basilicam quoque, quæ appellatur titulus Lucinæ fecit arcus argenteos IV, *etc. ut laudd codd.*

Num 164, *lin* 1, *codd Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thuan. lin* 2, constituit autem ut in diebus Purificationis Domini, et sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ. *Et nota quod hic scripta leguntur sec curis in margine hæc verba a recentiori* B *manu,* hic locus paulo aliter legitur apud Alcuinum lib de Eccl offi f. 41, col 1, de Purific S. Mariæ. *lin* 4, quam Græci Ypopanti appellant, *mendose. lin* 5, letania exeat a sancto Andriano. *lin* 6, occurrat; hic ordinavit Damianum arch S. Eccl Raven. Hic ordinavit. Berfluardum Brit archiep atque Clementem in gente Frisonum. Hic ordinavit per diversas prov. *lin* 7, XCVII : hujus temporibus Aquileien Eccl archiep. *ut lin* 7. *lin* 8, et congr est sancti *lege* sanctum quintum. *lin* 9, *ut laudd codd Reg, Maz et Thuan. et ita lin* 10, *ibid.* idemque venerabile concilium satisfacti susceperunt. *lin* 13, reversi sunt, fecit autem ordinationes 11 per mensem Martium. *lin* 19, *ut laudd codd. lin* 20, et cessavit episcopatus dies I, mens XI. *Et notatur in margine :* hic eligitur papam Leonem per patricium.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 158, *lin* 4 *et* 5, *AB*, priori cantorum. *lin* 6, C *AB*, Susannus, qui. *lin* 15, *AB*, unus alii.

Num 159, *lin* 8, *A*, persuadendo vocabat, *B*, venire persuaderent. *lin* 20, *AB*, Christi idem. *lin* 21, *A*, lucalis, *B*, localis.

Num 160, *lin* 3 *et* 4, *AB*, pro eis. *lin* 6, *A B*, præsulibus. *lin* 8, *A*, missos in lucello, *B*, missa in lucello. *lin* 14, *AB*, prænominati pontificis.

Num 161, *lin* 6, sed s in regiam ducere jussit urbem. *linea* 5, permitteret, *B*, permiserunt. *linea* 7, *B*, protospatarius. *lin* 20, a sede apostolica.

Num 162, *lin* 7, *AB*, interius repositam portionem. *lin* 15 *A*, appallariam. *lin* 17, *A*, fara. *lin ead. B*, lib. 170.

Num 163, *lin* 1, *A*, tetrabila, *B*, tetravela. *lin* 6, *AB*, vel regias argenteas. *lin* 10, *AB*, habentem in gyro. *lin* 12, *B*, hic tignum. *lin* 16, *B*, renovavit. *lin* 17, *A*, ciborium, *B*, tegurium. *lin* 19, *B*, tegurium basilicæ. *lin* 20, *A*, cultilia aurea.

Num 164, *lin* 16, Bertoaldum. *lin* 20 *A*, episco- D patus dies 50.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 158, *lin* 1, reg ex patre Tib ortus in B. *lin* 4, priori cant. *lin* 6, qui ad duas. *lin* 10, populus Romanæ urbis in d. p. d. est : et una quidem (*M*, et v. q. pars). *lin* 15, alii. l. n c sed utrique unanimiter p. *lin* 17, vel cleri seditiosi pars pl. ibid et civium mult. *lin* 19, intentio. *lin* 20, in persona. *lin* 21, Chr martyris, quod est intra supraser p. i. et ex. eum in Later episc cl. acclamationibus d. *lin* 25, virum presbyterum el. quia val.

Digitized by Google

Num 159, *lin* 2, den venerabilem patrem (*M*, v. presbyterum) sal et osc. Paschalis vero nullo modo præ cordis duritia quiescebat, donec coactus, et conf u. n. suum electum salut et dom. *lin* 6, donis, Joanni patricio exarcho cogn. Platium cum suis judicibus, donec persuaderet eum Romam venire nemine sc. *lin* 8, ut nec signa, vel banda. *lin* 10, nisi in p. *lin* 11, in p. venerabilis Sergii inv. *lin* 13, miseriam, dispendium, et d. i. eo quod. *lin* 14, promissæ fuerant auri libræ, quas aperte ab ecclesia expetebat, Sergio venerabili electo proc quod neque eas pr. d. n. possibilitas dandi ei suppetebat. *lin* 17, cantharas. *lin* 18, 19, sed neque in hoc ib. donec, ut dictum est, acciperet auri libras. *lin* 20, idem mis P. disp et damnum inflixerit. *lin* 22, in sedem. *lin* 23, tempus Dei, et B. apost. principis interveniente judicio, et ab officio archidiaconatus privatus est propter aliquas incantationes, et loculos, quos colebat, vel sortes, quas cum aliis respectatoribus suis t. et in monasterium retrusus. Post quinquennium autem præ cordis d.

Num 160, *lin* 1, Justin. A, c. in regiam urbem f. i. *lin* 3, et ipse papa s. ib. acquievit pro eo q. *lin* 5, diffinita, et in sext. conscripta at. P. id est. Constantinop. M. et Ant vel cæteris præsulibus, qui eo t. *lin* 7 *et* 8, confirmata. Hæc itaque missa in locello, quod schevro carnali vocitatur, in hanc Romanam urbem. *lin* 10, directa sunt, sed venerabilis pontifex, ut d. est. *lin* 12, lectioni p. l. 4, abjecit. *lin* 13, cons. Tunc imp s. m. in despectura pr. P. Romam misit, qui Joan. *lin* 16, in reg urb abst.

Num 161, *lin* 1, prot Imp c. i. *lin* 3, Petro apost pr. ib. immaculatam s. *lin* 5, ut non permitterent P. Ap. s. *lin* 9, a pont postul. Ipse vero ad pedes pontif. *lin* 10, ut sui mis. *lin* 12, turba non modica. *lin ead*, venit ad pont videre exæstuans Zach, quem fama v. p. n. s. et in navigio m. f. audierant. *lin* 15, clausæ, et eas. *lin* 17, sub lecto. *lin* 19, basil quæ dicitur domini Th. p. ap. i. sedens in sede sub Ap. *lin* 21, occurrerant. *lin* 23, pont a pat cust non recederent. *lin* 25, f. expulissent. Eo quoque tempore, et is, qui illum m. est Domino retribuente regno pr. *lin* 27, est servata.

Num 162, *lin* 2, et nigr. *lin* 3, Domino ei r. *lin* 6, ornatam. *lin* 7, magn inest. *lin* 8, Dom c. interius repositam i. quæ ex illo die (*M*, ex d. illo). *lin* 10, adoratur ac osculatur. *lin* 11, imag auream beati Petri apost quæ est in partem mul. Fecit quoque thim. *lin* 12, ante eamdem imaginem, in quo incensum. *lin* 15, posuit etiam in absidam. *lin ead*, appellatam arg pensantem libras 120; fecit quoque in sup bas far. *lin* 17, pens lib 170.

Num 163, *lin* 1, fecit in c. al. bas sup trabes 8, quatuor ex eis albos et 4 coccineos, tegnum etiam, et cubicula. *lin* 3, quæ, et per l. ib. dissipata, st. renovavit, et rep mus quod (*M*, Musinum quoque q.) *lin* 5, disrutum [*forte* disruptum]. *lin* 6, tam quæ s. s. s. quamque super regias arg majores ren. *lin* 7, quod in abditis inferioribus. *lin* 9, ut sibi rev f. *lin* 10, orn. Fecit autem p. a. m. habentem in giro gemmas albas, et in medio crucem cum jacintis et smaragdis p. *lin* 12, hic tegnum, et cub. *lin ead*, Petri (*M*, Pauli). *lin* 14, et quas in eadem eccl v. *lin* 15, ren. imagines quoque ap. vetustissimas q. *lin* 16, mut. Fecit etiam ambonem, et ciborium. *lin* 18 *et* 19, mun ciborium quoque s. Sus quod antea l. *lin* 20, diversaque cimilia. *lin* 21, illic donavit, bas quoque s. Euph. *lin* 22, distecta. *lin ead*, renov. oratorium etiam s. Andreæ, quod pon via Laur a. s. ref. sed et bas s. Aureæ in hortis q. s. f. distecta, vel diruta, coop s. st. renov. In bas quoque s. Laur m. q. ap. tit luc fecit arc argent 4, fecit et coopertoria, vel vasa aur et arg plurima per d. etc. ut num seq. *lin* 14, post verbum Christi.

Num 164, *lin* 1, hic constituit ut tempore c. etc ut ibid. *lin* 3, ut in dieb. Purificationis (*sic emenda-tum, cum antea legeretur*, Annunciationis), Domini Dormitionis, et nat s. D. (*M*, Annuntiationis, Dormitionis, et Nativitatis D. s. Dei Gen.) *lin* 4, Hypopanti [*lege* Hypapanti *vel* Hypapante]. *lin* 5, letania. *lin* 6, occurrat. Hic ord Dam arch s. eccl Ravenn. Hic ordin Berfluandum (*M*, Berfluardum) Brit arch atque Clementem, Ingentem, Frisonum. Hic. ordin. per. di. pr. *lin* 17, septem. Hujus temporibus Aquileiensis eccl arch *ut l.* 7. *lin* 8, est sanctum q. *lin* 9, sed ejusd. *lin* 10, papæ spiritalibus monitis. *lin* 11, conc satisfacti susc. *lin* 13, reversi sunt. Fecit autem Romæ ordinationes 2. *lin* 19, quatuor, episc ut supra. Sepultus est autem in bas b. Petri apost b. id. s. indict. 14. *lin* 20, mens 1, dieb 20.

Ex codice Thuano altero.

Num 158, *lin* 6, qui. *lin* 9, solet. *lin* 10, pop Rom v. *lin* 11, alia vero P. *lin* 14, basilica. *lin* 15, loco. *lin* 17, vel cl. seditione. *lin* 19, intentio, Deo adjuvante. *lin* 22, intra pal int et exinde eum ad Later episc cum laud clamationibus d.

Num 159, *lin* 1, quo ingressu, *lin* 3, Paschalis vero n. m. per cordis duritiam sinebat, d. *lin* 10, ad propinqua Rom civ. *lin* 14, centum auri libras a. p. *lin* 20, auri libras acc. *ibid* idem mis. *lin* 22, presbyter el. *lin* 23, temporis, et ab off ar. propter aliquas incantationes, et luculos q. c. vel sortes q. *lin* 26, post q. per cordis dur.

Num. 160, *lin* 2, convenerunt, et d. subscripserunt. *lin* 3, acquievit pro. *lin* 5, conscripta a t. p. id est, Constant Alex et Antioch v. c. præsulibus. *lin* 8, in locello, quod scebro carnali voc in hac Romana urbe ad c. *lin* 12, lectioni p. *lin ead.* abjecit.

Num 161, *lin* 4, immaculate s. *lin* 8, tenere P. *lin* 12, cum a tubis in Lat. *lin* 14, quamque sup. c. c. et has in t. n. citius ap. *lin* 17, sub lecto. *lin* 18, confortabat, d. nullo m. timere es. v. idem et b. P. f. B. quæ dicitur Domini T. p. ap. jan et sedens in sede sub Ap. *lin* 21. occurrerant.

Num 162, *lin* 2, jacentem invenit. *lin* 5, staurac in. *lin* 8, crucis interius repositam in. *lin* 11, imag auream. *lin* 15, appellaream. *lin* 16, arg 7. *lin* 17, pens. lib. 170, *ib.* ad ing. in confessionem.

Num 163, *lin* 5, disruptum. *lin* 10, habentem in giro gemmas ex his. *lin* 14, adduci, et in eadem bas. quia ver. in. *lin* 16, immutavit, *lin* 17 ciborium. *lin* 21, illic c. *lin* 22, fuerat distecta, vel disrupta coop. *lin* 23, hostis q. s. f. distecta vel disr.

Num 164, *lin* 4, ypopanti g. a. let. *lin* 10, spiritalibus monitis. *lin* 11, satisfacti s. *lin* 15, Ravennatis. Hic ordin. Beroaldum archiep atque Clementem in gentem Frisonorum. *lin* 19, sepultus est in basilica beati Petri apost. *lin* 20, ind 14.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 158, *lin* 2, annis. *lin* 3, clerum romanum *lin* 6, Susannæ quæ. *lin* 14, basilica. *lin* 19, intentio *lin* 23, Lateranensi episcopio.

Num 159, *lin* 3, modo præ cord. *lin* 7 *et* 8, neminem se scientem r. v. persuaderet. *lin* 16, possibilitas suppetat. *lin* 20, auri librarum. *lin* 26, monasterio.

Num 160, *lin* 5, conscripta. *lin* 7, subscripta manuque. *lin* 8, in hac Romana urbe. *lin* 12, atque abjecit. *lin* 16, sedis in regiam.

Num 161, *lin* 6, apostolicæ sedis. *lin* 10, nec permittere. *lin* 13, navigio. *lin* 17, se abscondit. *lin* 26, ipso ut temp.

Num 162, *lin* 4, olosyrico. *lin* 12, aureum majorem. *lin* 17, quæ sunt.

Num 163, *lin* 6, quæ super sedem, vel regias argas majores. *lin* 16, aminonem. *lin* 20, div quæque.

Num 164, *lin* 4, ippopantia g. a. litania. *lin* 10 papæ spiritualibus monit. *lin* 11, conc satisf. *lin* 15 diamianum. *lin* 16, berethyaldum.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 158, linea 7. — *Hic tempore presbyteratus sui impigre per cœmeteria diversa missarum solemnia celebrabat.* In cœmeteriis erant oratoria, seu altaria, in quibus fiebant stationes et conventus Christianorum orationis causa, et missæ celebrabantur. Anastas. in Gregor. III : *Item in cœmeterio sanctæ Petronillæ stationem annuam dari instituit.* Hinc tempore Decii vetitum Christianis ne in cœmeteria pedem inferrent. Pontius diaconus in Vit. Cypriani, apud Surium, Sept. 14 : *Præceperunt etiam ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur.* Populum Alexandrinum ne communicaret cum Georgio pseudoepiscopo orationis causa in cœmeterium secessisse narrat Socrates, lib. II, cap. 25 : Τῇ ἑβδομάδι μετὰ τὴν ἁγίαν Πεντηκοστὴν ὁ λαὸς νηστεύσας ὑζήλθε παρὰ τὸ κοιμητήριον εὔξασθαι· *Hebdomade enim quæ est post sanctam Pentecosten, populus cum jejunasset, orationis causa, regressus est ad cœmeterium.* Idem Theodorit., lib. II, cap. 14.

Num. 159, lin. 2. — *Et ingressus denominatum sanctissimum electum salutavit ac osculatus est.* Theodoro et Paschali in concursu electis, Sergius schismatis solvendi causa electus, Theodorus unus e duobus in schismate electis, ad Sergium accessit per adorationem et osculum. Cardinales et episcopi admittuntur quasi fratres ad osculum. Summi pontificis, imo et ipsi abbates exempti (Cap. *Cum olim de privileg.*) episcopi etiam propter reverentiam ordinis admittuntur ad osculum principis. Ambros., epist. 27 de legatione ad Maximum Tyrannum Treviris sedentem : « Ubi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit ut osculum daret. » Hilar. Pictav., contra Constantium : « Osculo sacerdotes excipis, quo et Christus proditus est. » Laici in ordinatione Rom. pontificis osculantur pedes. Anastas., in Valentino : « Ac deinde condignis gloriæ laudibus, et honoris amplitudine ad Lateranense patriarchium ab ipsis deductus, et in pontificali est positus throno, cujus ovanter ab omni Romanorum senatu pedibus osculatis, » etc. Etiam cardinales in ordinatione pontificis demittunt se ad osculum pedum. Radevic., de Gest. Frideric., lib. II, cap. 66 : « Deinde sicut mos est, domini cardinales et clerus Romanus, totus qui præsens erat, et qui postea confluxerat, populique Romani pars maxima, pedes ejus osculati sunt. » Et Petrus Damiani, cardinalis et Ostiensis episcopus, consultus de Cadalono antipapa, et Alexandro II, uter verus pontifex judicandus esset, lib. III, epist. 4 : « Manus do, inquit, plantas osculor, et non modo ipsum apostolicum, sed etiam apostolum, si jubetis, appello. » Etiam ipsi imperatores osculantur pedes pontificis. Constantini pontificis pedes osculatus est Justinianus II, de quo Anastas. in Constantino : « In die autem qua se invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans pontificis. » Sigiaolfus princeps Beneventanorum a Sergio II benedictionem suscepit, prius osculatus pedes pontificis. Anastas., in Sergio II : « Quem præsul cum suscepisset, solo prostratus, pretiosos ipsius pedes humiliter osculatus est, et ab eo benedictione suscepta, ab ejus conspectu egressus est. » Denique in electione Rom. pontificis mos antiquus fuit osculandi pedes electi. Idem in Leone IV : « Qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes. » Idem in Benedicto III : « Et procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt. »

Lin. 23. — *Prædictus vero Paschalis, non post multum tempus, et ab officio archidiaconatus, pro aliquibus incantationibus et lucis quos colebat, vel sortibus quas cum aliis respectoribus tractabat, Dei beatique apostolorum Principis Petri interveniente iudicio, privatus est.* Paschalis archidiaconus Ecclesiæ Romanæ repositus ob aliquas incantationes, et cultum lucorum quos colebat cum aliis respectoribus, id est cultoribus. Erant qui ad arbores vel fontes vota et preces faciebant. Syn. Antiss., can. 3 : *Non licet inter sentes aut arbores sacriros vel ad fontes vota exsolvere.* Respectare, verbum frequentativum, idem quod colere, cum reverentia respicere. Velleius Patercul., lib. II : *Impetratoque ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Cæsarem, ripæ suorum appulsus est.* Inde respectores.

Num. 160, linea 8. — *Missus in lucellum, quod scebrum carnale vocitatur, in hanc Romanam urbem ad confirmandum.* Scebrum est horreum; inde emendandus Iugulphus, in Chronic. Croyland. : *Cœpit, largiente Domino, bonis omnibus abundare, et tam in thesauris ac scauris, quam in terris ac tenementis, ei pro primis amissis duplicia postmodum redderentur.* Pro *scauris*, lege *scebris*, vel *scearis*.

Linea 13. — *Imperator Sergium magistrianum in spretum prænominati pontificis Romam mittens.* Magistriani sunt agentes in rebus, sic dicti, quia inter officia palatina militabant sub dispositione magistri officiorum. Ambros., de Offic., lib. II, cap. 27 : *Legebatur rescripti forma directio magistri officiorum statuta, agens in rebus imminebat.*

Num 162, linea 3. — *Oratione itaque facta, sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in quo incertus plumatium ex holoscrico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit.* Capsa argentea, in qua erat portio ligni crucis Dominicæ, sigillo erat obsignata. Theeæ reliquiarum solebant sigillo obsignari. Gregor Turon de Mirac martyr, lib I, cap 33 : *Vemens vero abbas, ablato ab armario sigillo, capsam reperit obseratam.* Ligno crucis superposi um erat plumacium ex holoserico. Plumatium erat velum e panno serico, in modum plumarum aviun contexto. Ambros, epist 27 : *Cum de eo convenirem comites ejus, ne sine veste, sine plumatio paterentur extrudi senem.* Et hoc est quod vocabant opas plumarium seu plumatile. Plautus, in Epidico : *Chlamydem tile aut plumatile.* Plumatum. Petron, in Satyric : *Plumato amictus aureo Babilonico.* Greg Turon, de Mirac martyr, lib I, cap 97 : *Exstat mensa nitcis relata mantilibus, opere plumario exornata.* Inde plumarii sunt artifices, qui id genus vestis contexunt. L. 2, Cod *de excus artific*, lib x. Jul firmic, Mathes lib III, cap 10 : *Linteones aut plumarii.* Idem, cap 13 ejusd libri : *Facient linteones, aut tunicarum textores plumarios.* Et hoc genus vestis pretiosissimum fuit. Vopiscus, in Carino : *Quid linea pelle Ægypto loquar, quid Tyro et Sidone tenuitate pellicidas, micantes purpura, plumandi difficultate pretiabiles.* Nec modo vestes, imo et loricæ solebant contexti squammis seu laminis ferreis in modum plumarum. Virgil, XI Æneid :

Quem pellis ahenis
In plumam squammis, auro conserta tegebat.

Et vela ante fores ædium plumario opere texta poni solebant. Anastas, in Gregorio IV, in fin : *Et velum ante januas linteum plumatum unum.* Ait ex holoscrico quod stauracis dicitur. Vela de stauracio sunt vera e serico vel purpura variis floribus vel figuris intexta, quæ e Tyro petebantur; unde et Tyrio dicta. Anast, *de stauracis seu Tyria.*

Linea 6. — *De qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant.* Petalum, a Græco πέταλον, est corona aurea quam gestabant sacerdotes, vel qui erant e genere sacerdotum, ut Joannes apostoli et Jacobus frater Domini. De Joanne Euseb, lib III, cap 25 : Ὡς ἐγεννήθη ἱερεύς, τὸ πέταλον πεφορεκώς· *Cum esset sacerdos, petalum gestavit.* De Jacobo Epiphan, in Panar, hæres 29 : Ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐστι τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν.

Linea 7. — *Et ineffabilem portionem salutaris li-*

Digitized by Google

gni Dominicæ crucis invenit, quæ etiam ex illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die exaltationis sanctæ crucis in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur ac adoratur. In die Exaltationis crucis Dominicæ solemnis instituta est adoratio crucis per osculum in basilica Lateranensi. Pagani etiam solebant osculari signa deorum; inde signa deorum videbantur trita osculis. Lucret., lib I:

Tum portas propter ahenas.
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu præterque meantum.

Num 163, linea 18. — *Trullum vero ejusdem ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit, atque munivit.* Trulla vas vinarium concavum. M. Tull., Verr 6: *Erat etiam vas vinarium, ex una gemma pergrandi.* Apitius, de Re culin., lib IV: *Quotquot lagana posueris, tot etiam trullas impleto, desuper adjicies vinum.* Hinc detrullare eidem paulo ante, pro e trulla diffundere. *Et in patella alternis detrullare convenit.* Trulla excavata cum manubrio aureo. Hinc trullus dici potuit fornix seu camera ecclesiæ, quia erat in modum trullæ, et inde trullus nomen palatii imperatoris Constantinopoli. Tectum ecclesiæ e chartis, id est, tabulis plumbeis. Anastas. in Gregor III: *Item in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Martyres dicitur, tectum vetusta incuria demolitum, purgari fecit ad purum, et cum calce abundantissima seu chartis plumbeis a novo restauravit.*

Linea 22. — *Basilicam sanctæ Aureæ in ostiis.* Hæc est basilica sanctæ Aureæ virginis et martyris in ostiis Tiberis: Martyrol R., 24 August: *Apud ostia Tiberina sanctæ Aureæ virginis et martyris.* Hinc emendandus locus mendosus Anastas in Leone III: *Sarta tecta vero ecclesiæ beatæ Aureæ sitæ in ostia, omnia noviter reparavit.* Lege *Aureæ.* Hanc emendationem tuetur Leo IV, in can. *Igitur* 23, q. 8: *Summus autem præsul missam in ecclesia beatæ Aureæ celebravit.* Aureæ nomen tributum Petronillæ Petri apostoli filiæ. Ejus monumento inscriptum, Aureæ Petronillæ, refert Sigebert. in Chronic., ad ann 758.

Num 164, linea 1. — *Hic statuit ut tempore confractionis Dominici corporis,* AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, MISERERE NOBIS, *a clero et populo decantaretur.* Sergius pontifex ab Anastasio dicitur auctor hujus instituti, ut *Agnus Dei* decantetur in celebratione missæ. Hujus instituti meminit Alcuinus, de divin Offic cap 40. Alii tamen volunt hoc institutum in concil Nicæno, quod probant ex ipso conc Nicæn Arabico. Anno 1183 Mariam Virginem fabro lignario apparuisse, eique tradidisse sigillum imagine sua et Christi nati insculptum hac inscriptione circumsignatum: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem,* tradit Robert. abbas Montensis, in supplem Sigebert.

Linea 2. — *Constituit autem ut diebus Annuntiationis Domini Nativitatis et Dormitionis sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, ac sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, litania exeat, et ad sanctam Mariam populus occurrat.* Hypante seu Hypapante Græcis est festum occursus, quod apud Latinos festum Purificationis dicitur ab occursu Simeonis. Paul Diac, lib XVI, in Justiniano: « Et eodem anno Hypapante Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium secunda die Februarii mensis. » Siffrid Presb Misnens, Epitom lib II, ad ann 551: « Sub Pelagio papa et Justiniano imperatore sumpsit initium apud Constantinopolim, ut Ὑπαντὴ Domini, id est, Purificatio beatæ Mariæ Virginis solemniter celebraretur. » Idem Anastas in Hist.: « Anno decimo quinto imperii Justiniani Hypapante Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Bizantium die secunda Februarii mensis. »

BENCINI.

Num. 158, lin. 11. — *Paschalem archidiaconum.* Quod in superioribus circa Bonifacii III constitutum adnotavimus, qui in synodo LXXII episcoporum definierat *ut nullus, pontifice vivente aut episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus,* id luculentius apparet in electione Sergii, ubi ratio et necessitas editi constituti ad præcavenda mala quæ ex ambitu candidatorum oriebantur aperte deprehenditur. Conon, Anastasio teste in ejus Vita, pro roga, seu presbyterio, ut vocabant, clericis largiendo, certam auri summam legaverat, ejusque distributioni plerumque archidiaconus præerat. Paschalis igitur archidiaconus, Conone ægrotante, aurum illud haudquaquam distribuit, sed Joanni exarcho promisit, modo eum in electione adjuvaret. Hinc ortum schisma inter Paschalem archidiaconum et Theodorum archipresbyterum. De archidiaconi auctoritate in clero regundo, videndus Agnellus in Vita Theodori Ravennatensis. Narrat enim de summa frumenti charitate agens: « Cum autem sacerdotes non invenirent unde emerent, ierunt ad illum supplicantes, ut auxilium tribueret illis. Ille autem accersitum archidiaconum, nomine Theodorum.... dixit ad eos: Dicite sacerdotibus Ecclesiæ, et clero universo, quare vos inopia, famis consumit? Si dimittitis omnem quartam Ecclesiæ, et tantum per anni circulum pro quarta donum accipiatis, secundum providentiam pontificis, modo relevabo inopiam vestram. Qui diu castigati, gravescente fame, consenserunt, et ab illo tempore quarta a clericis illius Ecclesiæ sublata est usque in præsentem diem. Consuetudinem vero Ecclesiæ, quæ in singulis voluminibus per unumquodque officium erat scripta, abstulit, et igne consumit. » Quæ scilicet omnia erant ab archidiacono Ravennatensi custodita.

Num. 159, linea 18. — *Pignori tradi.* Episcopi in publicis Ecclesiæ necessitatibus sacra vasa pignori dabant, ipsasque etiam personas quæ servitio Ecclesiæ addictæ erant. Sic Conon, cum ii qui in Sicilia ad curandum sancti Petri patrimonium morabantur loco pignoris essent apud militiam, redimere eos curavit. Unde in ejus Vita Anastasius: « Aliam jussionem direxit, ut restitueretur familia suprascripti patrimonii, et Siciliæ, quæ in pignore a militia detinebatur. » Pariter cum Agapetus pontifex, ad iter euplim pro Ecclesiæ necessitatibus suscipiendum, pignorasset sacra vasa regiis arcariis, re cognita, Senator jussit restitui, ut legitur apud Cassiodorum, lib. XII, epist. 20, pag. 774: « Quapropter nostra præceptione commoniti, et regia jussione securi, sanctorum vasa cum obligatione chirographi auctoribus sancti Petri apostoli sine aliqua dilatione refundite, ut lucrose reddita, celeriter impetrata videantur, optata referantur manibus Levitarum ministeria, toto orbe narranda; donetur quod proprium fuit, quoniam juste per largitatem recepit. » Pignora personarum sustulit Jacobus II, rex Aragoniæ, ann. 1269: « Nolumus quod persona alicujus pignoretur, vel ratione alicujus pignoris capiatur, aut detineatur pro debito alieno in terra nostra... quoniam cum vicinus pro vicino pignoratur, sufficit quod res et non persona pignoretur. »

Num. 160, linea 14. — *Magistrianum.* Cum imperialia jussa majore celeritate exsequenda erant, magistriani mittebantur. Qua ratione multo pridem Leo imperator ad comprimendos tumultus quos in Ægypto Timotheus Ælurus Eutychianista excitaverat, misit magistrianos per orbem ad episcopos, ut per encyclicas quid de seditiosis hæreticis decernendum esset, una omnes fide et mente rescriberent.

Linea 15. — *Bonifacium consiliarium.* Apud Romanum clerum et pontificem dignitas consiliarii sedis apostolicæ erat inter spectabiliores. Qui enim hoc munere fungebatur in gravioribus publicisque controversiis velut assessor pontifici et clero astabat; et si quando vacaret sedes, una cum aliis regebat Ecclesiam. De illius officio loquitur Gregorius M.,

Digitized by Google

lib. II, epist. 54. Quippe in controversia privilegiorum Ecclesiæ Ravennatensis potior disquisitio sedis apostolicæ consiliario demandata est. Imo cum Copronymus, in epist. ad Carolum M., conquereretur de Christophoro, apostolicæ sedis consiliario, Paulus I, pontifex, pro eo scripsit apologeticam epistolam ad Carolum, quæ, etc., in Codice Carolino, tomo III Script. rerum Franc. Duchesnii, atque inter alia inquit : « Nam illud in ipsis suis apicibus asserunt, quod dilectus filius noster Christophorus primicerius et consiliarius, sine nostra auctoritate, nobis quasi ignorantibus, suggestiones illas, quas sæpius ei direximus fecisset, et alias pro aliis ejus et vestris missis relegisset; et in hoc testem et judicem proferimus Deum, quod ita nequaquam sit; nihil enim ipse consiliarius extra nostram voluntatem aliquando egit vel agere præsumpsit, quoniam nostri prædecessoris et germani domni Stephani papæ simul et noster sincerus atque probatissimus fidelis exstitit, et in omnibus existit, et satisfacti sumus de ejus immaculata fide et firma cordis constantia. » Ex his liquet consiliarium in fidei disciplinæque concertationibus doctrina sua et voto pontificibus adfuisse. Quapropter hic Bonifacius delectus est ad convincendum Macarium Antiochenum, quem exsilio multaverat synodus VI, ut legitimus act. 1 synodi VII, pag. 63 : « Etenim Romæ in exsilio erat Macarius hæreticus a sexta synodo missus; et quadraginta dies dedit ei spatium sanctæ mem. Pater noster papa Benedictus, et per singulos dies mittebat ad eum Bonifacium consiliarium, et commonitoriis verbis docebat eum divina Scriptura; et nunquam voluit corrigi. Hoc autem faciebat ut persuaderet et corrigeret eum. » Imperator itaque Justinianus, animadvertens a Sergio denegatam confirmationem Trullanorum canonum, suggestione, ut videbatur, Bonifacii consiliarii, utrumque Cplim adduci voluit, facti rationem edituros.

Num. 161, linea 4. — *Cor Ravennatis militiæ.* Cum Zacharias imperialis protospatarius Sergium pontificem comprehendere anniteretur, ut captivum ad imperatorem mitteret, stetit ad pontificis defensionem militia Italica, nec a Sergio discessit, nisi postquam iniquus imperialis exsecutor abiisset. Ea vero in iis potissimum urbibus degebat quæ sub episcopi Ravennatensis dominatione erant; et quas recenset Agnellus in suo pontificali, part. II, præsertim cum variæ subinde concertationes inter pontifices et episcopos Ravennatium exarserint.

Num. 163, linea 15. — *Imaginem apostolorum vetustissimam.* Apparet hinc antiquus sacrarum imaginum usus, earumque in ecclesiis collocatio. Qua de re consulendus Ciampinus in opere de Musivis.

Num 164, linea 7. — *Aquilegiensis . . . synodus.* Anastasius hæc ut alia nonnulla descripsit ex Beda, qui in lib de Sex Ætat. ait : « Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei quintum universale concilium suscipere diffidit, donec, salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis adnuere consentit. » Paulus quoque Diaconus, lib VI, c. 14, cum enarrasset, imperium anno 98 a Tiberio fuisse invasum, scribit : *Hoc tempore synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei*, etc. Quæ sequuntur gemina iis sunt quæ ex Beda retulimus.

BINII ET LABBEI.

Num. 158, lin. 1. — *Sergius.* Ab hoc pontifice, teste Molano, in indice sanctorum Belgii, consecratus est sanctus Hubertus, Leodiensis episcopus, dignissimus sancti Lamberti martyris successor, nobilis genere, qui ut subditos sibi in catholicæ fidei observantia et sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia, a quo sanctum Evangelium accepissent, cultu perpetuo firmiter contineret, et posteros eodem vinculo obligaret, tradidit iis publicum sigillum sancti Lamberti martyris imagine sculptum, atque hujusmodi inscriptione notatum : *Sancta Legia Romaniæ Ecclesiæ Filia.*

Num. 160, linea 1. — *Concilium.* Quinisextum Constantinopolitanum.

Linea 2. — *Legati sedis apostolicæ.* Intellige episcopos Græciæ illos qui in Oriente Romani pontificis vicarii constituti fuerunt.

Num. 161, linea 25. — *Nam et is qui illum miserat*, etc. Leontius præfectus, accepto a Græcis imperio Justinianum naso truncatum Chersonesum in exsilium relegavit anno Christi 694, qui erat 10 imperii Justiniani. Rei gestæ circumstantias describunt Cedrenus, Theophanes et Zonaras, aliive annalium Græcorum scriptores. Justo Dei judicio hanc pœnam merito sustinuit impius Justinianus, qui, cum suasu Callinici patriarchæ novos canones sancivisset, iisque Orientalem Ecclesiam penitus deformasset, summo studio elaboravit ut vel Romana Ecclesia eadem turpitudine afficeretur, vel saltem ipse summus pontifex, si resisteret mandato imperatoris, per vim Roma in urbem regiam abduceretur.

Num 164, linea 7. — *Hujus temporibus Aquilegiensis*, etc. Eadem scribit Paulus Diaconus, lib V, cap 14.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Conone post undecim mensium pontificatum ebeunte supremum diem, 21 Septembris an. 687, interpontificium duorum mensium ac dierum XXIII, successoris ordinationem præcurrit, quemadmodum docent omnes codd., præter Mazarinum, qui diem addit, cui astipulantur catalogi tertius et quintus Colbertini, ac Veronensis, omnibus tamen mirum in modum consentientibus, nam, exclusa emortuali die, sunt XXIII, eademque inclusa, XXIV dies, præter menses duos, interpontificii.

Itaque Sergius, Cononis successor, delusa competitoris archidiaconi ambitione, cum scelere conjuncta, de qua loquebar in Conone, ordinatus est pontifex die 15 Decembris prædicti anni 687, ut F. lit. Dom. ostendit, sedemque apostolicam diutius quam sui prædecessores administrans, clausit sæculum septimum, et octavi jam sese volventis anno primo VI Idus Septembris, seu die 8 ejusdem mensis occubuit mortem, indictione quinta decima, ut recte habent codd. vulgatus, Freherianus, et Cavensis, quæ indictio respondet anno 701 emortuali Sergii.

Reliqui sane codd. quibus utor habent indict. 14, quæ indicat Septembrem anni superioris 700. Cum vero omnes iidem codd. cum aliis consentiant in Sergii pontificatus duratione notanda annor. XIII, mens. VIII, d. XXIII, liquido constat mendosos esse eos codd. qui habent ind. 14, tum ex ætatibus prædecessorum recte constitutis; tum ex monumento quod Ant. Pagius Bedæ acceptum refert, confirmante initium pontificatus Sergii (*Pag.* 689, *n.* 5). Est id epitaphium Cedwallæ regis ita desinens : *sub die XII Kalend. Maiar., indict. 2, pontificante apostolico viro domino Sergio papa anno secundo.* Quod si mense Aprili anni 689 Sergius agebat annum secundum, non est dubium quin recte ab anno 687 ejus sedis initium deducatur, nempe a supremo anni mense Decembri, ut supra monui. Huc accedit quod nulla prorsus aut codd. aut catalogorum auctoritate Sergii obitus potest retrahi anno solido. Nam catalogus Bergomas, qui unus opinionem hanc fulcit, pro annis XIII habens XII, cum consentiat cum aliis in successorum ætatibus definiendis, quæ certis inhærent characteribus temporum, ut ostendam, longe ut aliis adjumentum afferat, sibi detrimentum importat, detegens novum mendum quo ipse laborat. Leviori scatent vitio Colbertini primus, secundus, tertius; necnon Palatino-Vaticanus, Lucensis, Farfensis, qui mensem detrahunt. Veronensis quoque hinc minus diligens esse cœpit non amplius memorans dies pontificum emortuales : in Sergio

Digitized by Google

autem non modo parum diligens, sed aperte mendosus, solido anno auget ejus sedem contra omnium fidem. De unius diei additione apud omnes Colbertinos, præter secundum, et quintum, et apud alios passim catalogos, occurrente, eadem repeto quæ de interpontificio dixi, includendo nempe vel excludendo emortualem, omne discrimen amoveri. A primo igitur ad ultimum concludens aio quod Sergius, ordinatus die 15 Decemb. 687, sedit an. XIII, m. VIII, d. XXIII, ac vitam cum morte commutavit die 8 Septemb. 701.

CIACONII.

Num. 158, lin. 1. — *Sergius.* Tiberii mercatoris filius, patria Antiochenus, Adeodati pontificis tempore Romam veniens in clerum Romanum asciscitur, canonicus mox regularis, deinde presbyter cardinalis tit. sanctæ Susannæ ad duas domos a Leone II papa factus, tantum sibi nominis comparavit, ut mortuo Conone in locum ejus fuerit suffectus, XII Kal. et consecratus VIII Kal. Januarii, die Natalis Domini, ineunte anno 687.

MAFEI.

Num. 158, lin. 18. — *Ad sacrum palatium perrexerunt.* Sacrum palatium, ad quod e Laterano major pars cleri et primates exercitus perrexerunt, ut de restinguendo schismate inter Theodorum archipresbyterum et Paschalem archidiaconum consilium inirent, situm erat non in Palatino, ubi olim Cæsarum ædes fuere, sed haud procul a titulo sancti Sixti in eo loco ubi via Appia a Latina divertit. Peramplæ etenim ædes illic conspiciebantur dictæ sacrum Palatium, erantque usui sive pontificis, sive imperatoris, si quando Romæ adesse contingeret. Intra sacrum palatium oratorium vel ecclesia sancti Cæsarii constructa erat, quam sub nomine tituli sancti Cæsarii in palatio nobilitatam fuisse, tum complura vetusta monimenta testantur, tum acta sacræ synodi Tridentinæ, quibus subscriptus legitur Christophorus cardinalis Madrucius presbyter sancti Cæsarii in Palatio. At e numero titulorum expunxit ecclesiam hanc Sixtus V, quod, nimia vetustate collapsa, penitusque inaccessa sua ætate eadem erat. In veterem tamen formam haud multo post, sedente Clemente VIII, fuit excitata, qui insuper, ut pristinam dignitatem ecclesiæ illi sartam tectam posteritati retineret, eamdem denuo in numero titulorum descripsit. Hæc animadverto ex eruditissimo Baronio (*ad annum* 603, num. 2).

Num 160, lin 1.—*Justinianus imperator concilium in regia urbe jussit fieri.* Ad supplendam quintam et sextam synodos, a quibus nulli canones ad disciplinam spectantes editi erant, habitum fuisse hoc conciliabulum in eodem Trullo CP. Ecclesiæ, ubi ante annos decem sexta synodus œcumenica coacta fuit, episcopi pseudosynodi in præfatione ad Justinianum Juniorem testantur. Quamobrem a Theodoro Balsamone schismaticorum patrono συνόδος πεντεκτη, id est synodus quinisexta nominatur. Ad hanc legatos apostolicæ sedis convenisse, deceptosque eidem subscripsisse, inquit noster, quod non ita debet intelligi ut Sergius legatos suam exprimentes personam ad hunc conventum miserit, quem damnavit, sed sensus est interfuisse responsalem apostolicæ sedis, qui jam inde a Justiniani primi ætate CP. degebat, fideique negotia, et disciplinæ procurabat, nullamque injussus attingere poterat jurisdictionem. Basilius archiepiscopus Gortinæ in Creta tum solus eam obibat legationem, nomineque Romanæ Ecclesiæ se subscripsit conciliabulo. Præter hunc Balsamo, ut erraticæ synodo [hoc enim nomine eam veteres appellavere] œcumenicæ auctoritatem obtineat, eidem contendit subscripsisse, cum quemdam Ravennatem antistitem synodi Romanæ vicem gerentem, tum episcopos Thessalonicæ, Sardiniæ, Heracleæ, et Corinthi, qui tunc erant legati pontificis, ut in antiquis monocanonis scriptum reperitur. Verum, ut taceam de pontificia legatione, qua episcopus Heracleæ nunquam ornatus fuit, acta ipsa Trullani conventus, quæ hodie exstant, Balsamonis manifestant mendacium; Corinthius enim episcopus ordinarius apostolicæ sedis legatus, necnon Ravennæ, Heracleæ et Sardiniæ episcopi ab illo abfuere, charta pura eisdem relicta, ut solutam synodum eorum subsignarent nominibus: Τόπος τοῦ Ἡρακλείας, τοῦ Σαρδινίας, τοῦ Ῥαβέννης, τοῦ Κορίνθου. In superiore etiam loco Sergio pontifici, utpote capiti sacerdotum omnium chartam puram pseudosynodus reliquit: Τόπος τοῦ ἁγιωτατοῦ πάπα Ῥώμης; sed eamdem Sergius rejecit; nam ex duobus supra centum canonibus, quos complectitur, licet aliqui valde laudandi sunt, aliqui tamen improbandi sunt plurimum. Canone 3, nec singulos scribendo minime prosequor, octoginta quinque apostolorum canones decernuntur recipiendi, quos omnes inter apocrypha solemni in toto orbe decreto Gelasius conjecerat. Canone 13, lex ecclesiastici cælibatus concutitur, et castissima Romanæ Ecclesiæ disciplina reprehenditur, qua sacrorum administri ab usu prohibentur conjugii. Canone 55 damnatur jejunium sabbati in Romana Ecclesia moris antiquitate celeberrimum. Canone 67 abstinentia a sanguine et suffocato præcipitur, clericis quidem sub pœna depositionis, laicis vero sub pœna excommunicationis, perinde quasi lacte semper nosmetipsos deberemus nutrire, quod infantes hac primum cœpimus sugere. Verum de hac synodo plura qui cupit, consulat Annalium ecclesiasticorum parentem (*ad annum Christi* 692).

Linea 4. — *Quæ et quasi synoda'iter definita.* Hic locus etiam addi potest probationibus quas eruditissimus præsul Ciampinus adduxit (*in Examine Libri Pontificalis*, 6) ut evinceret Anastasium Bibliothecarium auctorem non esse omnium Vitarum pontificum quæ in eodem Pontificali sunt scriptæ, quamquam sub ejus nomine typis vulgatæ sunt. Auctor enim hujus Vitæ Sergii I scribit in hoc numero pugnantia adversa fronte cum iis quæ Anastasius refert in præfationibus synodorum tum septimæ ad Joannem VIII, tum octavæ ad Adrianum II. Satius erit Anastasiana verba huic loco subjicere, ut quisque unico obtutu deprehendat an ab eodem calamo potuerint proficisci, tum ea quæ de duobus supra centum canonibus synodi erraticæ hic leguntur, tum ea quæ de eisdem in utraque præfatione enuntiantur. In prima hæc habet Anastasius: *Regulas quas Græci a* VI *synodo perhibent editas, ita in hac synodo principalis sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus, vel decretis sanctorum hujus sedis pontificum, aut certe bonis moribus, inveniuntur adversæ, quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ. Sed nec in cæterarum patriarchalium sedium, licet Græca utantur lingua, reperiuntur archivis, nimirum quia nulla earum, cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est. Quanquam easdem Patres illas Græci promulgare perhibeant, qui in sexta synodo sunt inventi. Sed hoc nullis probare certis possunt indiciis.* In altera vero præfatione: *Græci*, inquit, *et alia ostendunt regularum numerosa et præsumptuosa satis capitula, priscæ traditioni pene omnia valde contraria, quæ a* VI *synodo perhibent promulgata, cum* VI *synodus nullam pertulerit præter fidei regulam. Sed quas ejus asseverant regulas, longe post* VI *synodum apud ipsos constat penes se privatimque depromptas.*

Num 163, linea 7. — *Hic corpus beati Leonis probatissimi Patris, atque pontificis.* Corpus sancti Leonis Magni dicitur primum fuisse, quod ex confessoribus pontificibus in Vaticanam basilicam honoris causa illatum sit, depositumque in basilicæ ejusdem vestibulo. Post sanctum Leonem ita multi pontifices ibidem tumulati sunt, ut ejus sepulcrum aliorum

Digitized by Google

sepulcris obrutum delitesceret; cum a Sergio I papa divinitus admonito, corpus sancti pontificis e loco obscuriore in decentiorem translatum est, videlicet *in oratorium ad dexteram majoris absidis prope sancti Petri aram*, ut auctor Romæ subterraneæ testatur. Hæc fuit prima translatio corporis sancti Leonis (aliæ enim factæ sunt sequentibus sæculis) ab Anastasio narrata, quam confirmat vetustum epitaphium, quod inter alia in basilica sancti Petri repertum cl. Mabillonius (*in Analectis*, tomo III) fecit publici juris, et est sequens ad Oxoniensem Codicem emendatum :

Hujus apostolici primum est hic corpus humatum,
Quod foret et tumulo dignus in arce Petri.
Hinc vatum procerumque cohors, quos cernis adesse
Membra sub egregia sunt adoperta domo.
Sed dudum ut pastor magnus Leo septa gregemque
Christicolam servans janitor arcis erat.
Commonet e tumulo, quod gesserat ipse superstes,
Ne lupus insidians vastet ovile Dei.
Testantur missi pro recto dogmate libri,
Quos pia corda colunt, quos mala turba timet.
Rugiit, et pavida stupuerunt corda ferarum ;
Pastorisque sui jussa sequuntur oves.
Hic tamen extremo jacuit sub marmore templi,
Quem jam pontificum plura sepulcra tegunt.
Sergius antistes, divino impulsus amore,
Hunc in fronte sacræ transtulit inde domus.
Exornans rutilam pretioso marmore tumbam,
In quo poscentes mira superna vident
Et quia præmicuit miris virtutibus olim,
Ultima pontificis gloria major erit.

Ad hujus epitaphii calcem legitur apud Mabillonium hoc chronicum additamentum : *Sedit in episcopatu annos* XXI, *mensem unum, dies* XIII. *Depositus est tertio Idus* . . . supple Apriles, *et iterum translatus huc beato Sergio* IV *Kal Julii, indict p.* Bollandiani (*Tomo secundo mensis Aprilis, pagina* 21) historiam proferunt elevati et translati corporis ex ms. catalogo ecclesiæ sancti Petri, quam lege, si plura de translationibus sancti Leonis desideras. Vide etiam Adnot illustrissimi præsulis Blanchini ad sanctum Leonem.

Num 164, linea 4. — *Quod Hypapantem appellant.* Ἀπὸ τῆς ὑπαντῆς, sive ὑπαπαντῆς, aut ὑπαπαντήσεως, hoc est *ab occursu*, vel *obviatione*, a sene Simeone et Anna vidua tum Domino facta, cum a parentibus Maria et Joseph in templum puer Jesus fuit delatus, festum purificationis beatæ Mariæ Virginis, Hypante vel Hypapante a Græcis nominatur. Ab aliquibus dicitur Hypante Domini, ab aliis Hypante Simeonis et Annæ, a Theophilacto autem Simocatta (libro VIII *Hist*, cap. 4) appellatur numero rotundo Τεσσαρακοστὴ ἡμέρα τῆς γενεθλιακῆς πανηγύρεως τοῦ μεγάλου Θεοῦ Ἰησοῦ, id est, *quadragesima dies celebritatis natalium magni Dei Jesus.* Ex præcepto enim veteris Legis mulier quæ masculum erat enixa, elapsis quadraginta diebus, purificabatur in tabernaculo, et post templum a Salomone excitatum, in templo, victimis a lege præscriptis. Quare beatissima Virgo, quæ de Spiritu sancto concepit, a salutifero partu quadraginta diebus expletis, voluit cæteris puerperis se conformare, quanquam purissima Θεοτόκος nulla prorsus purificatione indigeret, ut ostendi in notis ad Sigonianam Hebræorum Remp., quæ exstant tomo IV Collect. Mediolan. (*Pag.* 224, *annot.* 58, 59.) Festum Hypante prius institutum fuisse apud Græcos, quam apud Latinos, inter Rerum ecclesiasticarum scriptores satis convenit. Cedrenus, ad annum nonum Justini Magni, refert illius institutionem, cum Antiochia corruit ingenti terræmotu quassata. Anastasius Bibliothecarius (*In Hist. eccles.*) secutus Theophanem, illam temporibus Justiniani consignat : *Anno*, inquit, *Justiniani* 15, *mense Octobrio, facta Byzantii mortalitas; et eodem anno Hypapante sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium* 2 *die Februarii.* Eadem habet Landulphus sagax (*In Vita Justiniani*), Sigebertus, in Chronico (*Ad annum* 542), et Martyrologium A Usuardi, in quo secunda die Februarii ita legitur : *Hypante Domini, et Purificatio beatæ Virginis, quod festum tempore Justiniani imperatoris apud Byzantium seu Constantinopolim sumpsit exordium.* Qui majorem huic festo antiquitatem assignant, ejus volunt meminisse sanctum Methodium episcopum primo Olympi et Patarææ maritimarum Lyciæ urbium, tum Tyri in Phœnicia, qui ineunte quarto sæculo Martyrii coronam est adeptus. Pater Combefisius, in Amphilochio, iterum typis commisit homiliam hoc festo habitam a sancto Methodio, cui sequens prælixus est titulus : Μεθοδίου ἐπισκόπου Πατάρων, καὶ μαρτύρος, εἰς τὸν Συμεῶνα, καὶ εἰς τὴν Ἄννην τῇ ἡμέρᾳ τῇ Ὑπαπαντήσεως, καὶ τὴν ἁγίαν Θεοτόκον. Addunt præterea tum sanctum Cyrillum episcopum Hierosolymitanum, scriptorem itidem quarti sæculi, magnumque rituum Ecclesiæ mystam, qui de cæremonia etiam cereorum adhibita hoc festo verba fecit, tum nonnullos alios ex Orientalibus Patribus, qui ante Justinianum in humanis degebant, quorum catalogum videre poteris B apud Bollandianos, tomo primo mensis Februarii. Quamobrem auctores hujus sententiæ asserunt, Justinianum instituisse Constantinopoli, cum assiduis funeribus urbs exhauriretur, novum hoc festum, quod aliæ Ecclesiæ, et præsertim Hierosolymitana, antiquum habebant; vel quod sanctum erat, nova sanctione instaurasse; eo modo quo Sixtus V antiquum festum Præsentationis Mariæ, multis Græcorum Patrum orationibus celebre, neque ignotum Latinis, nova constitutione non tam instituit novum, quam vetus restituit, dum celebrius deinceps in Ecclesia voluit haberi.

In hoc festo processiones fiunt ex antiquo more ardentibus cereis, quorum usum profluxisse a delectis sacris Februi, id est Plutonis, superstitione scilicet in veram religionem mutata, scribunt sanctus Ildefonsus, qui floruit anno 644 (*Serm. de Purificat.*), et sanctus Eligius episcopus Noviomensis, in Gallia, qui obiit anno 665 (*Homil.* 2 *in Purificat.*). Pro impetranda siquidem mortuorum quiete Romani diebus C Februarii, circa sepulcra piaculis et sacrificiis manes placabant, cereis et facibus accensis, ut Macrobius testis est (*Id. Saturn., cap.* 13). Censet card. Baronius (*In notis ad Martyrologium*) cæremoniæ luminarium viam aperuisse Gelasium, cum sustulit Lupercalia, quæ Februario mense Romæ agebantur, cujus conjectura parum soliditatis videtur habere, cum in apologia Gelasii adversus Andromachum senatorem, in qua pluribus ludos Lupercorum non minus superstitiosos quam lascivos convellit, nullum verbum de ritu luminarium occurrat. Auctorem hujus processionis Sergium papam exstitisse tradit auctor libri Pontificalis hoc loco, cui Ordo Romanus consentit. Verum cum ante Sergium mos gestandi lumina die Purificationis obtinuerit tum in Hispania, tum in Gallia, ut patet ex laudatis homiliis sanctorum Ildefonsi, et Eligii, qui Sergii pontificatum antecessere, sequitur Sergium hanc consuetudinem in D Romanam Ecclesiam primum aut invexisse, aut fortasse verius, locum determinasse processioni hujus diei ab ecclesia Sancti Adriani ad Sanctam Mariam Majorem, in qua processione clerum et plebem universam gestasse cereos ardentes a pontifice datos refert Beda (*De Ratione temp.*, cap. 10).

Linea 7. — *Aquileiensis Ecclesiæ archiepiscopus, et synodus quæ ab eo congregata est.* Aquileiensis Ecclesia cum Venetiarum atque Istriæ episcopis diu contra universalem synodum quintam depugnavit, tria, ut aiunt, capitula a Chalcedonensibus Patribus non proscripta, a quoquam negans posse proscribi. Paulinus Aquileiensis cathedræ invasor, et turbarum incentor, Aquileiæ cum suis schismaticis episcopis contra synodum Quintam, in qua adversus tria capitula pronuntiatum erat anathema, conciliabulum habuit circa annum 557, sedente in Romana sede Vigilio. Sergio etiam Romæ sedente, aliam de eadem causa pseudosynodum habitam fuisse, hoc est

Digitized by Google

circa annum 698, Noster hoc loco testatur, a quo Sergio tandem Aquileienses instructi, venerabilem quintam synodum susceperе ad unitatem Ecclesiæ catholicæ, ejurato schismate, redeuntes. Cardinalis Norisius, in dissert. de v synodo (*Cap.* 6, *parag. p.*), putat novum conciliabulum sub Sergio minime coactum fuisse, contra quam narratur ab Anastasio; Bedam vero cum nostro consentientem; nam in Chronico de sex ætatibus, Tiberio Absimaro imperante anno 7, quo tempore Sergius Romanam regebat Ecclesiam: *Synodus*, inquit, *Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec, salutaribus beati Sergii papæ monitis instructa, et ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit;* ita interpretatur, ut concilium a Paulino contra v synodum habitum Beda significet, cujus error et pravum de synodo v judicium diu invaluit, donec Sergii monitis Aquileienses instructi, eam, errore deposito, cum cæteris Ecclesiis susceperunt. Id autem eruditissimus cardinalis ex eo probat, quod synodo Lateranensi habitæ anno 649 subscriptus legitur Maximus Aquileiensis episcopus; et sub sancto Agathone papa, qui Sergii pontificatum quinquennio solum præcessit, adfuere in Romana synodo cum Agathone Aquileiensi metropolita cæteri suffraganei litteras subscribentes, ex quibus colligitur synodum quintam eos suscepisse.

Sed duo sunt quorum causa doctissimo Norisio non assentio, credoque duas pseudosynodos Aquileiæ coactas fuisse, unam anno 557 a Paulino; alteram anno 698 a Petro, qui Aquileiensem sedem tum obtinebat. Primum est, synodum a Paulino congregatam fuisse, ut dijudicaret de generali synodo v, quam rejecit, ut labefactantem concilium Chalcedonense damnatione trium capitulorum, quod constat ex iis fragmentis epistolarum Pelagii I quæ e tenebris primum eruit Lucas Holstenius. In tertio siquidem legitur: *Nec licuit aliquando, nec licebit, particularem synodum ad dijudicandum generalem synodum congregari.* Synodus vero a Beda memorata ob imperitiam fidei diffidebat duntaxat quintam synodum generalem recipere. Aliud siquidem est universale concilium rejicere, aliud ob imperitiam illud non suscipere. Primum est per contumaciam universale concilium contemnere, alterum ob ignorantiam de illo suscipiendo diffidere. Secundum est perspicuum testimonium Pauli scriptoris Aquileiensis provinciæ, et diaconi Aquileiensis Ecclesiæ, octavo sæculo vita functi, qui si in hac synodo indicanda Beda hallucinatus fuisset, emendasset illum sine dubio, non illius verba exscripsisset. Paulus igitur (*lib.* VI *Hist. Langob.*, cap. 14) asserit synodum sedente Sergio Aquileiæ coactam fuisse; postquam enim Tiberium Absimarum invasisse narravit imperium: *Hoc tempore*, subdit, *synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec beati Sergii papæ monitis instructa, et ipsa cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit.*

Hæc jam animadverteram de altera pseudosynodo Aquileiensi contra quintum universale concilium, cum ad manus venit eruditissima dissertatio de schismate Ecclesiæ Aquileiensis cl. Patris Bernardi Mariæ de Rubeis, in qua (*cap.* 5, 19) ostendit synodum diversam ab illa Paulini Bedam significare. Ad oppositam vero rationem desumptam tum ex subscriptione Maximi Aquileiensis synodo Lateranensi, tum ex synodica Romanæ synodi sub sancto Agathone, cui subscripsit Agatho Aquileiensis cum suis suffraganeis, respondet idem doctissimus scriptor Maximum et Agathonem non ad Aquileiensem Ecclesiam, sed ad Gradensem spectare. Neque vero mirandum est eos se subscripsisse Aquileienses; nam erant catholici metropolitæ ejus Ecclesiæ, in insula tamen Grado ordinati. Nondum enim metropolis Aquileiæ in duas dissecta fuerat, quod postea Gregorii II auctoritate factum fuit. Una metropolis erat, inquit laudatus auctor, quæ schismate lacerabatur; unum corpus cum duplici capite, altero schismatico, altero catholico; ac alteri sana membra adhærebant, alteri morbosa. Catholicus metropolita dicebatur Gradensis, quod in insula Grado eligeretur; schismaticus appellatus est Aquileiensis, quod Joannes, catholico Candiano oppositus, in vetere fuerit ordinatus Aquileia. Uterque se gerebat pro Aquileiensi, ac sibi jura in totam metropolim vindicabat. Favore Langobardorum fruebatur schismaticus; catholico favebant Romani pontifices, exarchi, et Christianissima Venetorum respublica. Sed de historia hujus schismatis plura qui desiderat legat eamdem dissertationem, a qua schismati Aquileiensi multum lucis affunditur.

PAGII.

Num. 159, linea 22. — *Pontifex ordinatus est.* Paschalis, Ecclesiæ Romanæ diaconus, quo facilius post Cononis mortem pontificatum adipisceretur, litteras ad Joannem novum exarchum Ravennatensem misit, eique eam auri quantitatem, quam Benedictus papa reliquerat, quamque tum clero, tum monasteriis Conon distribui jusserat, obtulit, si ejus opera ad pontificatum eligeretur. Post septem dies a defuncto beatæ memoriæ Conone, ut fieri mos erat, de successoris electione agi cœptum. Populo duas in factiones diviso, schisma factum est. Pars una Theodoro archipresbytero, Paschali archidiacono favebat altera. Una elegit Theodorum, altera Paschalem. Theodorus cum populo qui ei favebat interiorem partem patriarchii tenuit, Paschalis exteriorem partem ab oratorio sancti Silvestri et basilica domus Juliæ, quæ super campum respicit, occupavit. Cumque unus alteri locum cedere nollet, primates judicum et exercitus Romanæ militiæ, et cleri plurima pars, et præsertim sacerdotum, ad sacrum palatium perrexere, et diu quid agendum esset pertractantes, Deo annuente, summo consensu tertium elegerunt, Sergium scilicet S. R. E. presbyterum, natione Syrum, patria Antiochenum, Tiberii filium, Panormi in Sicilia educatum, quem Adeodatus pontifex in Romanum clerum adoptaverat, et Leo II presbyterum ordinarat. Eum itaque de medio populi tollentes in oraculum B. Cæsarii martyris Christi, quod est intra palatium, introduxerunt, et exinde in Lateranense episcopium cum laudum acclamatione deduxerunt.

Sergio legitimo pontifici sponte cessit Theodorus: Paschalis, in schismate pertinax, coactus ipsum salutavit, sed suæ factionis hominibus Ravennam missis, dictum Joannem cognomento Platyn exarchum Romam advocavit, qui ipsi pontificium nomen ac dignitatem assereret: exarchus, cum Sergium legitimis suffragiis ex communi consensu vidisset in sede sancti Petri collocatum, Paschali suffragari non valuit, sed a Sergio exegit centum auri libras, quas ipsi promiserat Paschalis. Quas cum se nec promisisse contestaretur Sergius, nec illis solvendis Ecclesiam satis esse, et ad flectendum exarchum cantharos et coronas, quæ ante sacrum altare, et confessionem beati Petri ex antiquo pendebant, deponi jussisset, et in pignus tradi, nihilo magis commotus est homo pecuniæ avidus, nec Ecclesiæ molestus esse desiit, donec centum auri libras accepisset. Non multo post magiæ convictus Paschalis, pontificis sententia ab archidiaconatus officio dejectus est, et in monasterium detrusus, ubi post quinquennium impœnitens obiit. Hæc constant ex Anastasio.

Num 160, linea 1. —*Concilium in regia urbe jussit fieri.* Cum in synodis generalibus quinta et sexta nulli canones editi essent, ad disciplinæ restaurationem et reformationem morum, Justinianus imperator Trullanam synodum congregavit, ad supplendas quintam et sextam synodos. Hanc synodi causam indicant qui ad illam convenere episcopi, in sua ad imperatorem allocutione: *Quoniam autem*, inquiunt,

Digitized by Google

sanctæ et universales duæ synodi (v nimirum et vi) *sacros canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ quatuor universales synodi.... propteret ergo tuæ pietatis jussu in hac Dei observatrice et imperante urbe congressi, sacros canones scripsimus.* Hinc *Quinisexta* hæc synodus appellata, quod velut ad supplementum utriusque facta sit; quam et *erraticam* alii appellavere. *Trullana* etiam dicta, quia habita in Trullo magni palatii, ut habet Balsamon. De Trullo vide dicta in Agathone. Verum unde habuere Græci non posse celebrari synodum œcumenicam absque canonum editione; cum eæ, ut Leo papa docet, ad exstinguendam hæresim, et fidem catholicam confirmandam celebrentur?

Tres sunt, de anno celebrationis hujus synodi opiniones. Aliqui cum Tarasio episcopo, Constantinopoli tempore septimæ synodi generalis sedente, volunt eam celebratam quatuor aut quinque annis post sextam synodum œcumenicam, ideoque anno sexcentesimo octogesimo sexto. Sed hæc opinio sustineri non potest: in canone enim tertio dicitur eam celebratam currente indictione quinta; anno autem 686 currebat indictio decima quarta. Præterea ex dicendis manifestum fiet ejus epocham figendam esse sub pontificatu Sergii, qui mense tantum Decembri anni 687 ordinatus est pontifex. Tandem deceptum esse Tarasium, patet ex eo quod etiam asserat, qui subscripsere sub Constantino Pogonato sextæ synodo, eosdem et sub Justiniano præsenti synodo subscripsisse. Huic enim subscripsit Paulus episcopus Constantinopolitanus, sextæ synodo Georgius. Huic Petrus episcopus Alexandrinus, sextæ idem Petrus adhuc presbyter Alexandrini patriarchæ vicarius. Huic Anastasius episcopus Hierosolymitanus, sextæ Georgius presbyter Hierosolymitanæ Ecclesiæ nomine. Tandem, ut de aliis taceam, huic synodo subscripsit Georgius episcopus Antiochiæ, sextæ adfuit Macarius ejusdem Ecclesiæ patriarcha, et depositionis sententiam tulit.

Secunda opinio est Theophanis scribentis hanc synodum habitam anno Incarnationis secundum Alexandrinos 699, qui inchoatur Kalendis Septembris anni æræ nostræ septingentesimi sexti, a quibus ideo et infra synodum inchoatum existimat, unde addit a sexta synodo ad Trullanam fluxisse annos viginti septem, et eos nugari « qui scriptis suis celebratos sexti concilii capitulares typos, exactis postmodum annis quatuor, editos affirmant; » ubi Tarasium indicat, ejusque opinionem suggillat. Sed ea quam proponit longe improbabilior est, cum Paulus episcopus Constantinopolitanus, qui huic synodo præfuit anno sexcentesimo nonagesimo tertio obierit, et Callinico vacuam sedem reliquerit, ipso etiam Theophane teste. Secundo auctor libelli synodici, postquam locutus est de synodo Trullana, ait: « Cum autem Leontius imperium invasisset, et Justinianum abscissis naribus Chersonem relegasset, Artemius, qui et Anastasius dicitur, Leontio successit, » quare non anno Christi 707, sed ante annum 695, quo Justinianus depositus est a Leontio, Trullana synodus congregata. Tertius Anastasius disertis verbis asserit hanc synodum coactam, Sergio primo Ecclesiam Romanam administrante, eique tuto fides adhiberi debet; in Vita enim ejus ita accurate narrat quæ Justiniano Augusto primum imperante Romæ gesta sunt, quo Quinisextæ synodi decretis Sergius subscribere compelleretur, ut eum de hujus synodi tempore probe edoctum fuisse certum videatur, cum insuper Beda, qui hac ætate vivebat, lib. de Sex ætatibus, et Paulus Diaconus, qui sæculo sequenti floruit, lib. VI de Gestis Longobard., cap. 11, auctores Theophane antiquiores, eidem Anastasio suffragentur.

Cum itaque in laudato tertio synodi Trullanæ canone dicatur eam celebratam præterito *anno sexcentesimo nonagesimo nono*, et utriusque opinionis defensores fateantur hunc locum corruptum esse, et ex Theophane ad annum Incarnationis secundum Alexandrinos 677 corrigendum, legendumque *anno sexies millesimo centesimo nonagesimo nono*, ille autem annus mundi, secundum æram Constantinopolitanam, desinat cum mense Augusto anni sexcentesimi nonagesimi primi, eo pariter anno congregata est synodus Trullana; Kalendis enim Septembris illius anni inchoatus est annus 6200, et indictio quinta, quibus obtinentibus, synodus habita est, et laudatus canon ante initium mensis Februarii anni 692 conditus est. Plura hac de re auctor Criticæ Baronii, qui in dissertatione de Periodo Græco-Romana tomo primo præfixa, æram illam mundi Constantinopolitanam, aliasque æras Græcorum tam mundi quam Incarnationis fuse explicat.

Matthæus Blastares, in proœmio sui Nomocanonis de synodo Trullana, scribit: « Principes ejus synodi celebrabantur Paulus Constinopolitanus, Paulus (legendum Petrus) Alexandriæ, Georgius Antiochiæ, Anastasius Hierosolymorum, Joannes Novæ Justinianopoleos, Basilius Gortinæ metropoleos Cretes insulæ ac totius synodi sanctæ Romanæ Ecclesiæ vices gerens. Ita namque post imperatoris subscriptionem patriarcharum et metropolitarum singuli proprium nomen ac dignitatem veteribus in libris signaverunt. » Anastasius tamen Bibliothecarius, in synodi VII ad Joannem VIII papam præfatione, asserit patriarchas nequidem per legatos ei adfuisse. Auctor libelli synodici episcopos CCXL, Balsamon et Zonaras CCXVII, huic synodo interfuisse scribunt; in hodiernis tamen exemplaribus subscripti tantum reperiuntur CCXI, inter quos exstitere quos probitas, doctrina et sanctitas commendabiles reddebat. Baronius et Binius, imo et nuperus auctor anonymus Delectus actorum Ecclesiæ universalis seu Novæ summæ conciliorum, scribunt Callinicum, Pauli Constantinopolitani patriarchæ successorem, hujus synodi auctorem et præsidem fuisse; sed illud dicitur contra manifestam subscriptionum fidem, contra Balsamonis citati testimonium, contra Nicephorum, in Chronico, et Theophanem, qui Pauli mortem cum anno 693 et Callinici initium conjungunt. Fam tamen Baronii sententiam secutus est Lupus, in dissert. de synodi Trullanæ causa et tempore, ubi addit: « Ejus (nempe Callinici) ut viri infamis, nomen existimem erasum a posterioribus synodi patronis, ac intrusum nomen Pauli. » At Callinicum nullus antiquorum alicujus criminis reum facit, et gratis dicitur nomen Pauli in locum nominis Callinici subrogatum fuisse. De Callinico infra sermo erit.

Apostolicam legationem huic synodo adfuisse, diserte testatur Anastasius in Vita Sergii papæ, in qua scribit: « Hujus pontificis temporibus Justinianus imperator concilium in Regia urbe fieri jussit, quo et legati sedis apostolicæ convenerant, et decepti subscripserant. » Hanc legationem varie explicant recentes Historici, inter quos Marca, lib v de Concordia, cap. 18, rem exactius exposuisse videtur. Observat enim Romanos pontifices solitos fuisse legatos ad imperatores Christianos mittere, pro negotiis Ecclesiæ universalis procurandis. Hi legati, qui apocrisiarii et responsales dicebantur, assidui erant in comitatu principis, et proprias Ecclesiæ Romanæ causas apud eum prosequebantur, ac pro negotiis fidei et disciplinæ excusabant; jurisdictionis tamen nullam partem attingebant, nisi ex delegatione speciali. Quæ cautio non inutilis erat ad vitandas patriarcharum Cpolitanorum machinationes; qui suæ sedis amplificationi semper intenti, terrore et minis principis, assensum legati ad res novas constituendas extorquere potuissent, ut saltem non incolorata videri posset immutatio, quæ apostolicæ sedis auctoritate aliqua muniretur. Attamen prudentia sua obtinere pontifices Romani non potuerunt quin in eos laqueos inciderent, a quibus tam

Digitized by Google

studiose sibi cavebant. Etenim in hac synodo Trullana, ut color aliquis novis decretis quæ in ea condita sunt quæsitus videretur, illa œcumenicæ titulum assumpsit ob Romanæ sedis auctoritatem adhibitam. Legati enim, seu apocrisarii vel responsales apostolicæ sedis, qui munere suggestionis apud principem Justinianum fungebantur, huic synodo interfuere. Certe Sergius papa legatos mandatis suis instructos ad eum conventum non miserat, eum quippe damnavit ut illicitum, ut mox videbitur. Basilius episcopus Gortinæ provinciæ Cretæ metropolitanus, eam legationem tunc solus obibat, unde in calce canonum synodi se inscribit legatum totius synodi Ecclesiæ Romanæ, exemplo trium legatorum Agathonis et synodi Occidentalis, qui in sexta synodo hoc nomen assumpserunt.

Centum et duo canones in hac synodo editi sunt, ut testantur sanctus Tarasius, septima synodus in refutatione conventus iconoclastici, Photius in Nomocanone, et auctor libelli synodici. Ex illis plures sunt optimi, et qui antiquam Ecclesiæ disciplinam ut plurimum redolent. Unde cum plurimi sint laudati jureque laudandi, non sunt omnes ab Ecclesia Romana rejecti, sed tantum quinque, nempe canon 2, quo octoginta quinque apostolorum canones et constitutiones decernuntur admittendæ, sicuti et canon 13, quo lex ecclesiastici cælibatus concutitur, et castissima Romanæ Ecclesiæ reprehenditur disciplina, qua sacris ministris usus conjugii interdicitur. Quin etiam eos qui presbyteris, diaconis, subdiaconis conjunctionem et consuetudinem cum legitima uxore prohibuerint anathemate ferit iste canon. Non est etiam approbatus canon 55, quo jejunium Sabbati in Ecclesia Romana celeberrimum damnatur. Nec etiam canon 67, abstinentiam a sanguine et suffocato clericis sub depositionis pœna, laicis sub pœna excommunicationis, prohibens, eamque abstinentiam velut ex divinæ Scripturæ mandato etiamnum obligante imponens. Nec omni ex parte approbatus est canon 82, quo prohibetur ne Christus Salvator depingatur in imagine agni, sicut ostensus est Patribus in figura, sed in imagine hominis, qua demum omnes sunt adimpletæ figuræ.

Alii canones, quos jure laudandos diximus, ut ex eorum lectione et examine cuilibet patebit, non sunt ab Ecclesia Romana rejecti. Ut enim hic de primo et ultimo tantum loquar, primus fidem a sex conciliis œcumenicis confirmatam et ab apostolicis traditam inviolabiliter servandam esse docet. Ultimus vero præstantissimas pro excipienda confessione leges et præcepta continet, et quam prudenter erga pœnitentes sacerdos se gerere debeat. Ipsum nempe considerare debere peccati qualitatem, peccatoris pro conversione æstuans desiderium, et morbo convenientem medicinam. Debere examinare an malum oriatur ex habitu, an ex infirmitate, an ex prava affectione. Denique pastoralis ipsius esse officii errantem ovem reducere, ideoque *neque per desperationis præcipitia impellat* peccatorem, *nec ad vitæ dissolutionem et contemptum frena relaxet*. De omnibus Trullanæ synodi canonibus tam approbatis quam reprobatis legendus Lupus, in notis et scholiis ad canones concilii Trullani.

Num. 161, linea 1. — *Deinde Zachariam*, etc. Omnia in synodo acta *in Romanam urbem ad confirmandum vel in superiori loco subscribendum Sergio pontifici, utpote capiti sacerdotum omnium*. Justinianum imperatorem direxisse scribit Anastasius; cum enim Justinianus gesta hujus synodi sex tomis comprehensa ab episcopis subscripta, et imperiali manu confirmata, ad Sergium papam misit, charta pura in codice concilii relicta est ante cæteros patriarchas, post Justinianum imp. ut eam subscriptione sua repleret. Eodem plane modo charta pura relicta est episcopis absentibus Thessalonicensi, Ravennæ, Sardiniæ, et Heracleæ, ut saltem post solutam synodum actis subscriberent; quod iisdem verbis in codice adnotatum est: *Locus Thessalonicensis, locus Ravennatis*, et cæterorum. Sed Sergius acta confirmare recusavit: *Compellebatur autem et ipse*, inquit Anastasius, *subscribere, sed nullatenus acquievit. Pro eo quod quædam capitula extra ritum ecclesiasticum fuerant in eo annexa, quæ et quasi synodaliter definita, et in sex tomis descripta*, etc. *Qui beatissimus pontifex penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem tomos suscipere aut lectioni pandere passus est. Porro eos ut invalidos respuit atque rejecit, eligens magis mori, quam novitatum erroribus consentire.* De iis canonibus in Joanne VII rursus sermo redibit.

Cum itaque Sergius, Justiniani imp. precibus haudquaquam fractus, Quinisextæ synodi canones rejecisset, imperator Zachariam protospatarium suum Romam misit, qui pontificem Constantinopolim deportaret. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium, jussa principis nefanda contemnens, non permisit ea executioni mandari. Quare cum omni ex parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias protospatarius, in timorem propriæ salutis adductus, ad pontificem protinus se recepit, atque ad pedes prostratus veniam supplex oravit, et ne furori militum se dederet obsecravit. Pontifex bonum ipsi animum habere jussit, inde ad placandum profectus exercitum, pro basilica Theodori pontificis, patefactis valvis assedit, ac militibus et populo sedatis, quod pro salute sua tanta alacritate arma sumpsissent gratias egit. Nec tamen ante milites urbe excedere voluerunt, quam onustum contumeliis et metu perterritum inde Zachariam exegissent. Hæc constant ex Anastasio in Vita Sergii, Beda, lib. de Sex ætatibus, et ex Paulo Diacono, lib. VI de Gestis Longobard., cap. 11.

Num 162, linea 11. *Hic fecit thymiamaterium.* Usum porro eorum vel similium vasorum, in quibus thura et varii odores incenduntur in solemni oblatione, ex apostolica traditione et Mosaicæ legis exemplo profluxisse ostendit cardinalis Bona, lib. I Rer. liturgic, cap 25, num 9; solemne enim fuit omni nationi quantumvis barbaræ, et veræ religionis experti, ut nullum sacrificium rite peragi posse crediderint sine incenso, vel aliquo saltem odorifero suffimento. Magi thure Christum Deum venerati et professi sunt; simili modo poetæ a Divinitatis protestatione thuris oblationem inseparabilem esse putabant. Ovidius ait:

Templa tibi statuam, reddam tibi thuris honorem.

Constantinus Magnus, referente eodem auctore libri Pontificalis in Silvestro, obtulit thymiamateria duo ex auro purissimo. Usum vero adolendi altaria intra solemnia divini officii vetustissimum esse indicat Ambrosius, ad cap 1 Lucæ, dicens: *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria sacrificium deferentibus assistat angelus!* Plura hac de re Bona laudatus.

Quibus ornamentis basilicas sanctorum Petri et Pauli, aliasque urbis exornaverit, narrat Anastasius, qui et scribit ipsum constituisse ut litaniæ a sancto Adriano quotannis dicerentur diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis et Dormitionis sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ac sancti Simeonis, quam Hypapantem Græci, Latini Purificationem appellant. Quod idem habet Albinus Flaccus, lib de divin Offic, Dominicæ crucis partem in capsula argentea, reconditiori loco absconditam, honestiori ac celebriori loco reposuit. Ordinavit per diversas provincias episcopos nonaginta septem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Martium, ordinavitque presbyteros decem et octo, diaconos quatuor. Ex his Anastasii verbis refellitur eorum opinio qui asserunt festum Dormitionis, seu Assumptionis beatæ Mariæ Virginis sæculo tantum octavo celebrari

Digitized by Google

cœpisse; ut enim observat Franciscus Maria Florentinius, in notis ad Martyrologium Hieronymianum, ad diem 18 mensis Januarii, ante Mauricii imperatoris tempora, ideoque ante sexti sæculi finem Assumptionis festum celebrabatur, et quidem die decima octava Januarii. Id autem probat tum ex eodem Martyrologio sancto Hieronymo attributo, et a se edito, tum ex aliis quæ laudat. Fuse enim de ejus festi institutione disserit, autumatque illud a mensis Januarii die decimo octavo ad decimum quintum mensis Augusti, a Mauricio imperatore translatum fuisse. His addit Joannes Mabillonius, in Liturgiæ Gallicanæ lib II, pag. 118, duo Kalendaria, Corbeiense nempe, quod vix amplius uno post Mauricium sæculo exaratum dicit, in quo ad XV Kalendas Februarii legitur depositio sanctæ Mariæ Virginis, et ex alio perantiquo Floriacensi, in quo, eodem die, ea depositio annotatur. Festum autem illud a Mauricio imperatore ad diem XV Augusti translatum esse probat Florentinius laudatus ex Nicephori Callisti lib XVII, cap 28, ubi scribit. *Idem imperator* (nempe Justinianus) *tum primum Servatoris exceptionem* (id est occursum seu Hypapantem, quam Purificationem Virginis dicimus) *toto orbe terrarum festo die honorare instituit, sicut Justinus de sancta Christi Nativitate fecit. Atque non ita longo post tempore Mauricius sacrosanctæ Dei Genitricis Dormitionem quindecimo Augusti mensis die celebrari præcepit.* Quibus ex verbis refert Florentinius, quod cum Nicephorus, in Justiniani et Justini sanctionibus, nihil de constituto die addiderit, de festo vero Dormitionis in Mauricii constitutione diem 15 Augusti præcise signaverit, eum non obscure indicare festum hoc in illum diem Augusti mensis translatum potius fuisse quam recenter institutum. Sed si vera scribit Nicephorus de Mauricio, mihi tamen videtur falli in eo quod ait, Justinum imp. constituisse ut festum Natalis Christi per totum orbem terrarum celebraretur, in Julio enim papa ostendimus longe ante Justinum festum Natalis Christi, tum in Occidente, tum in Oriente, vel die 25 Decembris, vel die sexta Januarii solemne fuisse, et Justinianum anno 551, non Justinum, lata lege statuisse ut die 25 Decembris coleretur; quod idem antea præceperat de festo Purificationis, quod diei secundæ Februarii affixit, ut constat ex his Theophanis, lib XVI Hist, et Landulphi Sagacis, in Vita Justiniani, verbis: *Anno quinto decimo imperii Justiniani, mense Octobri, facta est mortalitas Byzantii, et eodem anno Hypapante sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium die secunda Februarii.* De Justini constitutione nihil alibi scriptum inveni, quæ si vera sit, dici posset eam a Justiniano imperatore innovatam fuisse, eo quod non observaretur. De festo Purificationis, lege Criticam Baronii, ad annum 542, de utroque vero festo lege eumdem Mabillonium laudatum et Edmundum Martene, tom IV de Antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis. De festo tandem Nativitatis beatæ Mariæ lege dicenda in Innocentio IV.

Num. 164, linea 1.—*Hic statuit*, etc. Sergius papa *statuit ut tempore confractionis Dominici corporis*, AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, MISERERE NOBIS, *a clero et populo decantetur*, inquit auctor Libri Pontificalis. Et Sergius quidem instituit ter dici *miserere nobis*; sed multis postea ingruentibus Ecclesiæ adversitatibus, ut ait Innocentius III, lib. VI de Mysteriis missæ, cap. 6, sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit in tertio diceretur *dona nobis pacem*: qui ritus ubique receptus est, excepta basilica Lateranensi, in qua adhuc servatur mos antiquus dicendi ter *miserere nobis*, quia, ut observat Joannes Diaconus, in libro de Ecclesia Lateranensi, cap. 6, hæc cœlestis Ecclesiæ typum gerit: *In ea*, inquit, *non cantatur ad missas* AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, DONA NOBIS PACEM, *quoniam ibi summa pax justorum ipse Christus erit.* A quo pontifice facta sit hæc mutatio, cantandi *dona nobis pacem*, cardinalis Bona, lib. II Rer. Liturgic., cap. 16, num. 5, nusquam se legisse fatetur. At si verax est, inquit Bona, Robertus abbas Montensis, in supplemento Chronici Sigeberti, hanc pacis postulationem attulit e cœlo beata Virgo. Apparuit enim, ut Robertus refert, anno 1183, cuidam fabro liguario opus facienti in silva, deditque illum sigillum cum imagine sua et Filii cum hac inscriptione; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*; jussitque ut ferret ad episcopum, atque ei diceret ut qui vellent pacem Ecclesiæ, facerent hujusmodi sigilla, et portarent in signum pacis.

Linea 7. — *Hujus temporibus Aquilegiensis Ecclesia.* Anno circiter sexcentesimo nonagesimo octavo, Tiberio Apsimaro imperante, et Sergio papa Romæ sedente, finem accepit schisma Ecclesiæ Aquileiensis de tribus capitulis. Paulus enim Diaconus, lib. de Gestis Longobard., cap. 14, postquam Tiberium imperium invasisse narravit, quod contigit anno 698, scribit: *Hoc tempore synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit.* Eadem fere verba habet in Sergio auctor libri Pontificalis, errore vulgari Anastasio attributi, qui hoc ipso tempore vivebat. Paulus vero Diaconus non multo post hoc tempus vixit. Cardinalis quidem Norisius, in dissert. de quinta synodo, cap. 9, § 1, contendit ex loco Bedæ, in lib. de Sex ætatibus, synodum illam Aquileiensem esse synodum a Paulino Aquileiensi patriarcha contra quintam synodum sæculo superiori coactam: *Synodus*, inquit Beda, *Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa et ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis adnuere consensit*, quo ex adverbio, *donec*, cardinalis doctissimus non obscure colligi ait Bedam loqui de concilio ante Sergium congregato. Sed præterquam quod verosimile non est Paulum Diaconum in Bedæ sensum non penetrasse, etiamsi hoc concederetur, non tamen inde sequeretur schisma Aquileiensis Ecclesiæ ante Sergium penitus exstinctum esse, cum ibidem Beda asserat illam Ecclesiam *salutaribus beati papæ Sergii monitis* instructam quinto concilio *cum cæteris Christi Ecclesiis adnuere consensisse.* Ad rationes ejusdem cardinalis respondimus in pontificatu sancti Gregorii.

Acta sancti Aldhelmi abbatis Malmesburiensis in Anglia, quæ exstant apud Surium, ad diem 25 Maii produnt Sergium papam calumniam passum, quasi stupri reus esset, quod nempe pater esset pueri recens nati, quem cum Adhelmus Romæ existens baptizaret, coram astantibus ei præcepit edicere, si pater ejus esset is qui vulgo dicebatur. Puerum vero respondisse, *non se esse genitum illius opere quem vanus in hoc referebat populus*, sicque pontificem ab infamia liberatum. Sed hæc narratio jure merito a Baronio in dubium vocatur, revera enim non habetur in sancti Aldhelmi Vita, a Willelmo Malmesburiensi elucubrata, licet legatur in alia Vita sancti Aldhelmi, scripta ab auctore anonymo monacho Malmesburiensi, qui paulo ante Wilhelmum Malmesburiensem vixit, ut ostendit Henschenius, qui eam publicavit, ad diem 25 Maii. Aldhelmi Vitam a Willelmo Malmesburiensi scriptam recitat Mabillonius parte I sæc. IV Benedictini.

SOMMIER.

Num 160, linea 1. — *Hujus itaque temporibus Justinianus imperator concilium in regia urbe jussit fieri, in quo et legati sedis apostolicæ convenerant.* Horum quidem legatorum subscriptiones non apparent, nisi forte hujusmodi credenda est subscriptio Basilii Gortynæ episcopi Cretæ metropolis, qui ita subscribit: *Basilius episcopus Gor-*

Digitized by Google

gniorum metropolis Christo amabilis Cretæ insulæ, et locum tenens totius synodi sanctæ Ecclesiæ Romanæ definiens subscripsi. (*Concil. Quinisext.*) Quapropter dici oportet cum Petro Marca Anastasium legatorum nomine, intelligere apocrisiarium, aut administrum, qui jussu pontificis apud aulam Constantinopoleos morari consueverat, gesturus negotia sanctæ sedis, et si quæ alia evenirent; jurisdictionis amen expertem, ita ut de rebus definire, præsertim nomenti, absque speciali mandato non posset; solo quippe jure pollebat eas referendi, summique jussa pontificis exspectandi. Imperator Justinianus II subscripsit primus concilii decretis; in summa autem parte catalogi omnium Patrum locus subscriptioni Sergii debitus fuit relictus, his verbis notatis: *Locus sanctissimi papæ Romani.* Cætera satis perspicue Anastasius tum hac, tum seq. sectione.

Num. 160, linea 12. — *Porro eos ut invalidos repuit.* Quod præcipue movit pontificem ad id concilium rejiciendum, fuit episcoporum Orientis temeritas, qui adversus cælibatum presbyterorum et diaconorum, eum evertendi animo, ita definiunt: « Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus ut promovendi ad diaconatum, vel presbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos, nos, antiquum canonem apostolicæ perfectionis, ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma et stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum... si quis ergo fuerit ausus, præter apostolicos canones incitatus, aliquem eorum qui sunt in sacris, presbyterorum inquimus, vel diaconorum, vel hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore et consuetudine privare, deponatur. Similiter et si quis presbyter, vel diaconus, suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur; et si perseveret, deponatur » (*can.* 13).

Præterea hoc concilium canones habebat alios minime recipiendos, ut qui admitti jubet quinque et octoginta canones apostolorum nomen præferentes qui prohibet jejunium Sabbatorum Quadragesimæ fieri, vel in Romana Ecclesia, qui ab suffocato et sanguine abstineri jubet clericos, depositionis pœna proposita, laicos autem sub pœna excommunicationis, ac demum qui vetat depingi Dominum nostrum Jesum Christum sub figura agni a præcursore Joanne indicati, cum Salvator repræsentari tantum debeat humana imagine, per quam omnes cæteras complevit (*can.* 2, 55, 67, 82).

LXXXVII. JOANNES VI

ANNO CHRISTI 701, TIBERII 5.

165 Joannes VI, natione Græcus, sedit annos tres, menses duos, dies duodecim. Fuit autem temporibus Tiberii Augusti. Hujus temporibus venit Theophylactus, cubicularius patricius et exarchus Italiæ, de parte Siciliæ in urbem Romam. Cujus adventum cognoscentes [a] militia totius Italiæ tumultuose convenit apud hanc Romanam civitatem, volens præfatum exarchum tribulare. Pro cujus [b] pontifex, ne affligeretur, persona, sese medium [c] dedit, portas civitatis clausit, sacerdotes apud fossatum, in quo in unum convenerant, misit, et monitis salutaribus tumultuosam eorum seditionem sedavit. Dum vero infames quædam personæ capitulare adversus quosdam Romanæ urbis habitatores fecissent, et prænominato exarcho, ut a propriis substantiis denudarentur, tribuissent, hi juxta sui operis pœnam [d] multati sunt.

166 [e] Deinde vero dum Gisolphus [f] dux gentis Longobardorum Beneventi, cum omni sua virtute in Campaniam veniret, incendia et deprædationes multas exerceret, captivosque non paucos cepisset, et usque in locum qui Horrea dicitur, fossatum fieret [g], nullusque exstitisset qui ei potuisset resistere, denominatus pontifex missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, et illum cum suo hoste [h] ad propria repedare fecit. Hic fecit in basilica beati Andreæ apostoli, quæ ponitur infra ecclesiam beati Petri Principis apostolorum, ambonem noviter. Hic super altare ecclesiæ sancti Marci coopertorium fecit, et in basilica beati Pauli apostoli inter columnas altaris dextera lævaque vela alba. Hic fecit ordinationem presbyterorum, seu diaconorum unam, id est, presbyteros novem, diaconos duos. Fecit autem et per diversa loca episcopos quindecim. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum; et cessavit episcopatus mensem unum, dies octodecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] cognoscens. [b] pro cujus persona. [c] in medium fossatum, *id est, castra militum.* [d] * mercedem digna pœna. [e] *Vide Baron ad ann* 702. [f] Gisulphus *B.* [g] * fecisset, *B, castra posuisset.* [h] *B,* stolo, *id est* exercitu.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano.

Num 166, *lin* 12, qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die.... indict III, Tiberio Aug regnante, et cessabit episcopatus mens 1,

Ex codice Vallicellano.

Num 165, *lin* 1 *cod. Vallicell. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. lin* 2. Hujus temp. ven Theophilactus. *lin* 4 cujus adventum agnoscens. *lin* 6, pro cujus persona pontifex ne affligeretur in medium dedit portatis clavis (*sec. curis* clavibus) sacerdotalibus *apud* fossatum, in quo in unum conv. missi ; et *lin* 10 *et* 11 *concordat cum laudd. codd. Reg., Maz. et Thuan.* d. XVIII.

Num 166, *lin* 1, *cod Vallicell concordat cum Reg, Maz et Thuan et ita lin* 2, *lin* 6, *lin ead., lin* 10. *lin* 4, nullusque esset qui ei possit resistere. *lin* 7, in basil B. Andreæ, quæ ponitur. *lin* 8, Ammonem noviter super altare quoque ecclesiæ sancti Marci fecit coopertorium ; in basilica etiam B. Pauli apostoli. *lin* 12, quindecim ; et cessavit episcopatus.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 165, *lin* 1, sedit annos tresdecim, menses 8, dies 24. *lin* 4, *B*, cognoscens. *lin* 11, *A*, justa suis operis pœna.

Num 166, *lin* 1, bene ventum.

A *Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.*

Num 165, *lin* 1, Jo. nat Gr. ib. dies 13. Hujus temporibus ven Theophilatus. *lin* 5, apud civit hanc Rom. *lin* 6, pro cujus persona P. ne aff. sese in medium dedit, p. cl. s. *lin* 10, exarcho, ut a propr. s. eos denudaret, trib. *lin* 11, op. mercedem digna pœna multati (*M*, mulctati) sunt.

Num 166, *lin* 1, deinde vero dum Gisulphus d. g. Long et Beneventi. *lin* 2, virt Camp venir. *lin* 3, Hortas dicitur. *lin* 4, nullusque esset qui. *lin* 6, de ejus man. *lin ead* cum suo exercitu ad. p. r. f. Hic papa. *lin* 7, Andreæ, quæ pon. *lin* 8, noviter super altare quoque s. Marci fecit coopert. In bas. etiam s. Pauli apost. *lin* 10, lævaque fecit vela alba. Hic fecit ordinationem unam, presb novem, diac 2. Fecit autem episc per div loca 15. *lin* 13, apost indict 3. Tiberio Aug regnante, et cess. episcopatus mense uno, d. 18.

Ex codice Thuano altero.

B *Num* 165, *lin* 1, Joan nat Gr. *lin* 2, duodecimo. Hujus temp. *lin* 4, militiæ. *lin* 10, ut pr. subst.

Num 166, *lin* 1, Gisulphus. *lin* 2, prædationes. *lin* 6, et illum sua hoste.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 165, *lin* 5, vollens pr.

Num 166, *lin* 3, cepiss et usque in loco.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 165, linea 7. — *Sacerdotes apud fossatum, in quo in unum convenerant, in unum misit.* Joannes pontifex misit sacerdotes ad compescendum tumultum militum qui erant apud fossatum, id est in castris juxta urbem. Fossata sunt castra militum, quia vallo seu fossa munita erant. Anastas., infr., eod. : *Et usque in loco qui Horrea dicitur, fossatum fecisset.* Idem, in Stephano III : *Ipsi vero Franci introeuntes clusas, cunctum fossatum Longobardorum post peractum cædem absulerunt.* Idem, in Gregorio IV, de munitione Ostiæ : *Et a foris non longe ab eisdem muris ipsam civitatem altiori fossato præcinxit.* Inde munitiones in limite dispositæ castra dicta, quia e castris initium cœpere. Annal. Franc., ad ann. 801 : *Alter Sarracenus de Africa legatus amirali Abraham qui in confinio Africæ, in fossato præsidebat.* Etiam prætoriæ cohortes juxta muros urbis castra posuere. Tacit. VI Annal., de Sejano præfecto prætorio : *Vim præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo.* Hinc prætoriani milites, licet in urbe militent, pro absentibus reipublicæ causa habentur ; l. *Limites*, l. *Qui mittuntur*, ff. *Ex quibus caus. major.*

Num 166, linea 6. — *Et illum cum suo hoste ad propria repedare fecit.* Hostis est exercitus, sic dictus, quia in hostem instruitur. Aimoin. continuator., lib V, cap 22 : « Saraceni de Baira egredientes, et hostem Ludovici post tergum sequentes. » Idem, cap 28 ejusd lib : « Inde hostem quam maximam potuit, cum Carlomanno direxit. » Villelm. Tyrius, lib IX, cap 3 : « Ut interim cum suis hostibus in regno moram facere posset, allegabat. » Ivo Carnot., epist 28 : « Et excommunicatos in hostem mittere non debeo. » Paul. Varnefrid., de Gest. Longobard., lib II, cap 32 : « His diebus multi nobilium Romanorum, ob cupiditatem interfecti sunt, reliqui vero per hostes divisi, ut tertiam partem suarum frugum Langobardis persolverent, tributarii efficiuntur. »

BENCINI.

Num. 165, linea 4. — *Militia totius Italiæ.* Theophylactus, Italiæ exarchus, pontifici infensus, irruere in ejus personam tentavit ; sed nequidquam, resistente militia Italica, cujus zelus et constantia in fide ac pontificibus defendendis sæpius emicuit. Ea autem coalescebat ex Ravennatensibus, Pentapolitanis, et Venetis, qui ab eo tempore salubre consilium inierant pro Italia in libertatem a jugo Langobardorum atque exarchorum tyrannide vendicanda. Ilos enim in subsidium ab Aistulpho quandoque accersitos fuisse, prodit Agnellus.

Num. 166, linea 1. — *Gisolphus.* Ex Paulo, lib. VII, c. 27, hæc descripsit Anastasius. Scribit enim C ille : « Hac denique ætate, Gisulphus Beneventanorum ductor, Suram Romanorum civitatem, Hispinos atque Arcom, pari modo, oppida, cepit. Qui Gisulphus tempore Joannis papæ cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia, et deprædationes faciens, multos captivorum cepit, et usque in locum, qui Horra dicitur, castrametatus est, nullusque ei resistere potuit. Ad hunc pontifex, missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, ipsumque ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit. »

Linea 10. — *Vela alba.* Inter ecclesiarum ornamenta varii coloris, et non exigui pretii, erant vela quæ ad altaria præsertim contegenda, ad martyrum tumbas, majoris conciliandæ venerationis ergo, appendebantur. Ipsa olim tribunalia judicum atque imperatorum velis obtecta legimus. De camera imperatoris Orientis Cyrillus Scythopolitanus, apud Cotelerium, tom. III Monument., referens sanctum Sabam convenisse imperatorem, et ad eum introductum, D ait, pag. 299 : « Porro cum esset intra velum, cernit imperator angelicam quamdam formam præeuntem. » Velorum in sacris usus erat apud gentes frequentissimus, quippe sacrificiorum tempore, et solemnibus festis ab altaribus et simulacris vela deducebantur. Hinc Apuleius narrat quemadmodum, Isidii vota persoluturus, ingressus templum : « et dum, velis candentibus redactis in diversum, deæ venerabilem conspectum apprecamur. » Lib. XI Metamorph., p. 383. Pariter sacratus initiatione Isiaca, obiturus frequenti populo sacerdotalia munera, stetit intra velum, ut ait pag. 398 : « Sic adinstar solis exornato, et invicem simulacri constituto, repente velis reductis, aspectum populi inerrabam. Et hinc festivissimum celebravi natalem, et suaves epulas, et fausta convivia. » Fuerunt et apud Hebræos pretiosissima

Digitized by Google

vela, quibus tabernaculum cooperiebatur, et januæ Sancta sanctorum quæ gazophylacio ad trabem argenteum appensa custodiebantur. Agit de iis Josephus, lib. XIV Antiquit., c. 13 : « Tradidit vero ei hanc trabem custos pecuniarum Eleazarus nomine sacerdos, non malevolo animo, cum justus et bonus erat, sed dum commissa fuisset ei custodia velorum templi, quæ mira pulchritudine et constructione pretiosissima resplendebant in hac urbe pendentia. » Eadem vela in basilicis atque ædibus Christianorum passim fuerunt adhibita, cum ornamentis et figuris quæ varias aut sanctorum imagines aut historias repræsentarent, quod frequentissime in hisce gestis pontificalibus adnotatum videmus. Altare quod plerumque columnas quatuor et ciborium habebat, velis inter ipsas columnas appensis ornatum fuisse, iisque albis, et pretiosæ texturæ accessione decoratis, sæpius hic et aliis in locis refert Anastasius. Ipsa ornamenta sepulcrorum, in quibus martyres aliive sancti quiescerent, vela erant usitatissima, ad locum B venerationis gratia obumbrandum. De sancti Martini loculo scribit Gregorius Turonensis, lib. IV, c. 1 : « Accessi haud temerarius ad locum sepulcri, projectusque solo orationem fudi, atque secretius a pendentibus velis, uno sub vestimentis injecto filo, crucis ob hoc signaculum depinxi. » Et cap. 2 : « Accessi iterum quærere sanitatem ad tumulum tactusque a dependentibus velis, protinus stetit venæ pulsus. » Idcirco vela quæ a fidelibus appendenda ad altare mittebantur, solemni ritu festoque excepta sunt, ut docet sanctus Gregorius M., lib. IX, epist. 38, pag. 312, ubi de velis oblatis et susceptione eorumdem agit : « Ea autem (vela) ex purissimo sincerissimoque corde beato Petro apostolorum Principi transmisisti, præsente omni clero suscepta, atque illic suspensa sunt. Filius enim meus vir venerandus domnus Symmachus, qui ægrotum me ex podagræ dolore. . . scripta vestra mihi dare distulit, et post multum temporis quam vela susceptasunt dedit. Postmodum vero in scriptis Excellentiæ vestræ invenimus ut cum litania ad beati Petri ecclesiam portari debuissent. » De usu autem velorum subjungit mox Gregorius : « In cujus etiam pietate confido, quia cujus corpus cooperuistis in terra, ejus vos intercessio ab omnibus peccatis protegat in cœlo. » Et multo *prius* de horum varietate, opere et pretio, dixerat Tertullianus in lib. de Habitu mulierum : « Sed et parietes Tyriis et hiacynthinis, vel illis regiis velis, quæ ars operosa resoluta transfiguratis pro pictura abuntur. » De velis albis Christiano IV sæculo ad martyrum sepulcra adhibitis, ita loquitur Paulinus, in Natali 3 :

Aurea nunc niveis decorantur limina velis.

Et in Natali 6 :

Cedo, alii pretiosa ferunt donaria, ne quæ
Officii sumptu superent, quæ pulchra tegendis.
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Seu coloratis textum fucata figuris.

Sed ea potissimum vela a sæculo quarto et deinceps obtinuerunt, quæ sacras Historias repræsentabant. Qua de re plura qui cupit adeat cl. Mabillonium, de Re diplomatica, lib. VI, pag. 462.

BINII ET LABBEI.

Num. 165, linea 1. — *Joannes.* Anno Domini 701, Octobris 28, post interregnum unius mensis, et 20 dierum, Joannes hujus nominis sextus pontifex creatur.

Linea 2. — *Fuit autem temporibus Tiberii.* Quem Justinianus ab exsilio reversus, et per aquæductum etiam urbem ingressus post multa ludibria eidem illata vita simul et imperio spoliavit; idque justo Dei judicio accidisse videtur, ut qui in Romanum pontificem per Theophylactum cubicularium, et exarchum suum, ut describit Anastasius supra, insurrexerat, a Justiniano, ob Sergii pontificis persecutionem, naribus obtruncato, eademque de causa A imperiali dignitate spoliato, eadem vitæ et imperii spoliationem sustineret. Eodem Dei judicio factum esse apparet, ut Callinicus patriarcha Constantinopolitanus, qui numero episcoporum multum pollens supradicti conciliabuli canonibus orientalem Ecclesiam fœdavit, et in Romanam insurrexit, ab eodem imperatore vinctus, oculisque orbatus, in exsilium missus fuerat Romam; ut qui adeo superbe in Romanum pontificem caput extulerat, ab eodem vitæ stipem humiliatus acciperet. Hæc ex Theophanis et Cedreni Annalibus.

Linea 7. — *Apud fossatum.* Id est castra militum. Baron, ann. 702, n. 2.

Num. 166, linea 1. — *Gisolphus.* Eadem Paulus Diaconus, lib. VI, cap. 26 novæ editionis.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ

Qui a Sergio ad Gregorium III gesta pontificum collegit, præterquam quod litterarum expers erat, ut novit Ciampinus (*Exam. Lib. Pont.*, sect. 3), rationem temporum usque adeo neglexit, ut diu multumque chronologos recentiores vexaverit. Præterea codd. et catalogor, qua silentium, qua discrepantia, alios in aliam sententiam pertraxerunt. Duo præsertim pontifices, Joannes VI et Sisinnius, juxta chronologiam libri Pontificalis ordinati videntur extra diem Dominicam; et ita esse factum docuit Antonius Pagius, quem alibi hac in re deceptum vidimus, ac proinde non erit insolens novos ejus lapsus detegere. De utroque autem pontifice cum suo loco dicendum sit, hic de Joanne loquar, dicturus postmodo de Sisinnio in notis ad eum spectantibus. Audienda igitur est in primis doctrina Pagii de pontificiis ordinationibus.

Has fieri cœptas docet, post devictum a Constantino Maxentium, pacemque Ecclesiæ redditam (*ad an.* 68, *num.* 20) aut Dominicis, aut solemnioribus diebus. Hinc est quod sæpe Baronium secus sentientem reprehendit, incipiens ab ipsa ordinatione C Silvestri, nempe ab ipso anno pacis redditæ 314, quam retrahit ad supremum Januarii diem ex Kalendis Februariis, quibuscum Baronius eam illigaverat. Cujus doctrinæ partem primam, nempe pontifices ordinatos esse diebus Dominicis, eruditi alii ante Pagium tradiderunt, et post eum multi secuti sunt. Præ aliis Blanchinus, cujus ego vestigiis insisto, non modo pontifices Romanos, verum etiam episcopos alios diebus Dominicis ordinatos esse contendit (*Supra, in notis ad S. Linum*). Idque monumentis comprobari affirmans, ex Libro ipso Pontificali exemplum affert, nempe Interamnensis episcopi a Zacharia ordinati die Dominica. Quin etiam, quod Blanchini opinionem magis astruit, animadversione dignum est, quod Liber idem Pontificalis Zachariæ itinerarium enarrans, sect. 209, et seqq., dies singulos numerando recenset; at veniens ab diem Dominicam, non secus atque per or- D dinationem episcopi dies agnosceretur, eam nequaquam nominat; deinde ad alias res transiens, prosequitur : *Eodem die Dominico*, etc. At ordinarentur necne cæteri omnes episcopi diebus Dominicis, nec hujus loci, nec mei instituti est indagare; ad pontificias igitur ordinationes revertor.

Inter solemniores dies a Pagio memoratos, quibus fieri autumat consecrationes pontificum, haud dubie recensentur Nativitas Domini, Annuntiatio Dominicæ Incarnationis, et nativitas præcursoris Christi; iis tamen diebus, quos præ aliis nomino, quia pontifices quarti hujus tomi [a] spectandos propono, Dominicas prælatas esse, aut præveniendo ordinationem, si præcedebant, aut prætereundo, si sequebantur, palam faciunt Bonifacius V. Joannes IV et Stephanus III. Bonifacius siquidem V, qui absque jussione principis, ob causas memoratas

[a] Apud nos secundi. EDIT. PATROL.

Digitized by Google

pag. 26, an. 619. ordinabatur, die 24 Decembris, A id est pridie Nativitatis Dominicæ, sic volente recepto tam more, ordinatus est. Pari modo Joannes IV, anno 640, bidui ante eamdem solemnitatem fuit consecratus, nempe 23 Decembris cum die Dominica concurrente. Quod si laudati duo pontifices palam faciunt ne solemnitatem quidem Nativitatis Dominicæ ordinationibus celebrandis aptam censeri, ac proinde ordinatos sese esse ante eam solemnitatem die ordinationi debito Stephanus III ostendit solemniori aliqua die occurrente prætereundum fuisse, ut adveniens Dominica exspectaretur. Etenim anno 752, Zacharia denato die 15 Martii, creatoque pontifice quodam Stephano, qui ante ordinationem occubuit die quarto ab electione, statim eligitur alter Stephanus, et quanquam adesset annuntiatio Dominicæ Incarnationis cum Sabbato concurrens, quæ ordinationem prævertisset (non enim eam amplius morabatur jussio principis), tamen ad sequentem diem 26 ordinatio dilata est, ut debita die peragere- B tur. Ab aliis exemplis temperandum jam dixi, quorum nonnulla in quinto volumine nobis suppetent.

Hæc cum ita sint, id firmum ratumque haberi velim, quod Romani pontifices post pacem Ecclesiæ redditam diebus duntaxat Dominicis ordinari consueverunt. Id siquidem docet Ordo Romanus apud Mabillon. XII, antiquissimus, eodem Mabillonio teste, ac proinde a Felice Contelorio abjudicatus Cencio, qui merus scriptor antiqui Ritualis putandus est. Verba autem Ordinis, num. 81, hujusmodi sunt : *Post hæc autem in proxima die Dominica electus cum omnibus ordinibus sacri palatii et nobilibus Romanis vadit ad ecclesiam beati Petri, ubi ad altare majus, prout in Ordine continetur, ab episcopo Ostiensi specialiter et aliis episcopis de curia consecratur.* Quamobrem corruit sententia Pagii, qui Joannem VI esse ordinatum contendit die 28 Octobris, natali beatorum apostolorum Simonis Chananæi et Thadæi sacra, quæ anno 701 in feriam sextam incidebat; ordinatumque eumdem esse proxime sequenti Dominica, 30 die prædicti mensis, ex interpontificio post ejus mortem luce clarius constat, ut infra ostendam. Interea vacationem sedis post Sergium expendo.

Post Sergii mortem, unanimi consensu omnes codd. et catalogi vacasse sedem affirmant dies L, seu mensem unum, dies XX, ut habet eorum pars, nullo alio prorsus discrimine occurrente. Itaque si ab emortuali die Sergii, 8 Septembris apud Anastasium definita, L dies numerentur, ad diem Octobris 29 vix ventum erit; ac proinde vel Anastasius posuit diem sepulturæ pro emortuali, ut putant Baronius, et Aringhius, qui legunt V Idus, seu die 9 Septembris; sive, quod mihi est probabilius, nec cum Martyrologiis pugnat, nocte diem nonam præcedente Sergius occubuit, ita ut dubium remanserit XXIII an XXIV dies præter annos et menses darentur illius sedi; nihil vero dubitatum fuerit de die nona Septembris depositioni assignanda; hoc enim pacto D L illi dies recte implent interpontificium, et ad diem Dominicam 30 Octobris, qua haud dubie Joannes est consecratus, pervenitur, exclusis de more extremis.

Sedit autem Joannes annos III, menses II, dies XII sive XIII, ut habent catalogus Bergomas, et primus ac tertius codd. Ambrosiani, cætera mirum in modum consentientibus universis; atque idcirco mortem ejus illigo cum die 11 Januarii anni 705, ad quem ducor per rectam sedis enumerationem, silentibus præter morem codicibus plerisque annum, omnibus diem. Farnesianus, Regius, Mazarinus, Thuanus alter, et tres Ambrosiani præseferunt indict. 3. Tiberio Augusto regnante, quæ certo certius annum indicant 705. Dies vero emortualis mihi est undecima, quemadmodum Pagio est nona ob bidui discrepantiam in collocanda ordinatione; uter nostrum diligentius ac rectius, in sequenti nota planum fiet.

CIACONII.

Num. 165, linea 1. — *Joannes VI* Græcus patria et genere fuit, Paterni, alias Petronii filius, imperatore Tiberio Absimaro Augusto, sedit in pontificatu annos tres, menses duos, dies duodecim, creatus IV Kal., consecratus III Kal. Novembris. Obiit Romæ VII Idus Januar. anno 705. Vacat sedes mensem unum, dies decem et octo. Martyrio (ut quidam volunt) affectus; sed a quo martyrium passus sit, non constat, quemadmodum nec liquet sepultum fuisse ad catacumbas sancti Sebastiani, via Appia, quod quidam affirmant.

SOMMIER.

Num 165, linea 2. — *Venit Theophylactus cubicularius*, etc. Primordia sui pontificatus illustravit Joannes VI, duo benigne ac generose gerens, quæ magnam ei æstimationem et gloriam pepererunt. Quod scilicet primum gessit, id fuit, tueri Theophylactum exarchum, qui a Tiberio imperatore jussus B Romam venerat, incertum qua de causa, cum historia sileat; verum, quod facile conjici potest, non venerat ut sanctæ sedis aut pontificis commodis inserviret. Etenim ubi Italiæ exercitus id agnoverunt, eo statim advolarunt, multumque intulissent laboris exarcho, nisi pontifex intercedens, tumultum composuisset. Quod vero alterum gessit, in sequenti numero narrat Anastasius.

Num 166, linea 1. — *Dum Gisolphus dux gentis Longobard.*, etc. Dux. Langobardorum Gisulphus per Campaniam excurrens, eam nullo resistente penitus devastabat. Quare pontifex, missis ad eum episcopis cum donis, captivos omnes ex ejus manibus liberavit, coegitque illum cum suis copiis ad sua reverti.

MAFEI.

Num 166, linea 1. — *Deinde vero dum Gisulphus.* Gisulphum Beneventanorum ducem ingressum valido C cum exercitu fines Campaniæ, Romanorum dictionem prædabundum incursasse, abegisseque ingentem hominum prædam, quam multis donariis Joannes papa VI redemit, narrat etiam Paulus Diaconus (*lib* VI, *cap* 127) : « Hac denique ætate, inquit, Gisulphus Beneventanorum ductor Soram Romanorum civitatem, Arpinum atque Arcanum, pari modo, oppida cepit. Qui Gisulphus tempore Joannis papæ cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia et depredationes faciens, multos captivorum fecit, et usque in locum qui Horrea dicitur, castrametatus est, nullusque ei resistere potuit. Ad hunc pontifex, missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, ipsumque ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit. » Camillus Peregrinus, in Historia principum Longobardorum recusa tomo II Rerum Italicarum suggillat (*pagina* 324) Paulum Diaconum, et Anastasium, quod hanc irruptionem Gisulphi narrant sub D Joanne VI, quam ipse sub Joanne V vult accidisse. Verum tum Paulo, tum Anastasio stat sua fides, ut dilucide probat cl. Joseph Antonius Saxi, in notis ad Sigonium, de Regno Italiæ, in quibus (*ad annum* 695, 704), discussa chronologia ducum Beneventanorum, vastationem a Gisulpho factam spectare ostendit ad tempora Joannis VI, licet incertum esse fateatur an eadem acciderit anno 702, ut scribit Baronius, an 704 ut enarrat Sigonius, cum documenta non suppetant, utque potior sententia habenda sit decernatur.

PAGII.

Num 166, lin 1. — *Deinde vero dum Gisolphus* Anno septingentesimo secundo Gisulphus Beneventanus dux Romanorum ditiones prædabundus incursavit, multamque inde prædam colligens, domum reversus est. Antequam reverteretur, cum captivos plurimos cepisset, Joannes pontifex charitatem ape-

Digitized by Google

stolicam commendavit, missis enim ad eum in castris degentem sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de ejus manibus redemit, et illum A cum suo exercitu ad propria repedare fecit, ut tradunt Anastasius in ejus Vita, et Paulus Diaconus, lib VI de Gestis Longobard., cap 27.

LXXXVIII. JOANNES VII.

ANNO CHRISTI 705, JUSTINIANI ITERUM 2.

167 Joannes VII, natione Græcus, patre Platone, sedit annos duos, menses septem, dies septemdecim. Fuit autem temporibus Tiberii Augusti et Justiniani dudum imperatoris, vir eruditissimus et facundus eloquentia. Hic fecit oratorium sanctæ Dei Genitricis intra ecclesiam beati Petri apostoli, cujus parietes musivo depinxit. Illicque auri et argenti quantitatem multam expendit, et venerabilium Patrum dextra lævaque vultus erexit. Hic restauravit basilicam sanctæ Eugeniæ, quæ longo tempore detecta atque dirupta fuerat. Laboravit autem et in cœmeteriis beatorum martyrum Marcellini et Marci Damasique sancti pontificis. Fecit vero et imagines per diversas ecclesias, quas quicunque nosse desiderat, in eis ejus vultum depictum reperiet. Basilicam itemque sanctæ Dei Genitricis, quæ Antiqua vocatur, pictura decoravit, illicque ambonem noviter fecit, et super eamdem ecclesiam episcopium quantum ad se constituere maluit [a], illicque pontificatus sui tempus explevit. Hic fecit calicem aureum præcipuum, pensantem libras viginti, quem et gemmis pretiosis decoravit

168 Hujus temporibus Aripertus, rex Longobardorum, donationem patrimonii Alpium Gutiarum [b], quæ longa per tempora a jure Ecclesiæ privata fuerat, ac ab eadem gente detinebatur, in litteris aureis exaratum jure proprio beati apostolorum principis Petri reformavit. [c] Hujus temporibus Justinianus imperator a partibus Zachariæ [d] per loca Bulgariæ auxilio Trebellii, Bulgarorum regis, usque ad regiam urbem veniens, regnum proprium, de quo projectus fuerat, adeptus est. Leonem etiam et Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, et in medio circuli [e] coram omni populo jugulari fecit, et obtinuit principatum de quo antea tumultuose fuerat dejectus; qui illico ut palatium ingressus est, propriumque adeptus est imperium, tomos, quos antea sub domno Sergio apostolicæ memoriæ pontifice Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos metropolitanos episcopos demandavit, dirigens per eos et sacram, per quam denominatum pontificem conjuravit ac adhortatus est ut apostolicæ Ecclesiæ concilium aggregaret, et quæque ei visa essent, stabiliret, et quæ adversa, renuendo excluderet [f]. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans, per suprafatos metropolitas direxit ad principem, post quæ non diu in hac vita duravit. Hic fecit episcopos per diversa loca numero decem et octo. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum ante altare oratorii sanctæ Dei Genitricis, quod ipse construxit sub die XV Kalend. Novembris, indictione sexta, Justiniano Romanam rempublicam gubernante, et cessavit episcopatus menses tres.

NOTULÆ MARGINALES FABBOTTI.

[a] * construere voluit. [b] * Coctiarum. *B*, Cottiarum. [c] *Vide Baron ad ann Domini* 704. [d] * Gazariæ. [e] Circo. [f] *Vide Baron ad ann Domini* 705.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano.

Num. 168, *lin.* 2, qui longa per tempora a jura Ecclesia privatum fuerat, ac ab eadem gente detinebatur in l. a. e. jure. proprio. *lin.* 4, Justinianus imp. a partibus Chazariæ per loca Vulgariæ cum terbela u... usque ad regiam. *lin.* 15, atque adversa renovando cassaret.

Ex codice Vallicellano.

Num. 167, *lin.* 1 Joannes nat., etc., *ut Reg., Maz. et Thuan., cum quibus concordat etiam lin.* 4 *et* 6. *lin.* 2, dies 17; hic vir eruditissimus, et fac. eloquen.

Digitized by Google

lin. 7, distecta atque diruta fuerat. *lin.* 8, Marcellani et Marci. *lin.* 9, fecit quoque imagines. *lin.* 10, basilicam etiam sanctæ Dei Gen. quæ ant. vocatur decoravit. *lin.* 12, construere voluit, illicque pontificatus tempus et vitam finivit, etc., *ut laudd. codd.*

Num. 168, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, Longobardorum. *lin.* 2, a jure Romanæ Ecclesiæ privatæ erant, ac ab ead. gen. Langobardorum detinebatur, juri, etc., *ut Reg., Maz. et Thuan., cum quibus concordat etiam lin.* 6 *et* 9. *lin.* 5, Vulgariæ auxilio Trebelli Vulgar. Reg. ad regiam. *lin.* 8, medio arco. *lin.* 14, concil. congregavit. *lin.* 15, jussa essent super his stabiliret, et quæ adversa renuendo quassaret. *lin.* 17, remisit ad principem, postque. *lin. ead*, duravit; hic fecit ordinationem I, presbyteros X, dicanos II, episcopos per diversa loca XVIIII, et cessavit episcopatus menses III.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 167, *lin.* 2, *A*, indictione 3, Tiberio Augusto regnante. *lin.* 8, *AB*, Marcelliani. *lin.* 12, valuit, *B*, voluit.

Num 168, *lin* 2, scutlarum. *lin* 8, in medio circo. *lin* 13, *B*, sacram epistolam. *lin* 15, *A* cassaret, *B*, cessaret. *lin* 18, *AB*, episcopos 19. *lin* 21, *B*, menses 4.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 167, *lin* 1, Joannes nat Gr. ex patre Plat *ib.* mens 6. *lin* 2, dudum imperatoribus. Hic fuit vir erudit. *lin* 4, Genitr Mariæ intro in ecclesia beati Petri apost. *lin* 6, restauravit quoque. *lin* 7, distecta. *lin* 8, pontificis sancti. Fecit quoque imag. *lin* 10, basilicam s. D. gr. *lin* 12, construere voluit, illicque pontificatus sui tempus et vitam finivit. Fecit vero et cali. aur. unum præcipuum, pens : lib.

A *Num* 168, *lin* 2, cocciarum ib. a jure Romanæ Ecclesiæ privatæ, erant. *lin* 3, gente Longobardorum detinebantur, juri proprio beati Petri apostol principis ref et hanc donationem aureis litteris exaratam Romam direxit. Hujus quoque temporibus Justinianus imperator, qui amisso imperio exulabat in Ponto, a partibus Gazariæ. *lin* 5, Terebelli B. R. ad regiam. *lin* 6, de quo ejectus f. *lin* 8, medio circo. *lin* 9, ejectus. *lin* 15, jussa essent, super his stab et quæ diversa (*M*, adversa) renuendo cassaret. *lin* 17, misit (*M*, remisit) *ibid.* Hic fecit ordinationem unam, presbyteros 10, diac 2, episc per div loca 19. *lin* 19, ante altare s. Dei Genitr. *lin* 20, const die 15. *ib.* Justiniano imperatore.

Ex codice Thuano altero.

Num 167, *lin* 1, Joan. nat Græc de patr. *lin* 2, dies 17, vir erudit. *lin* 7, quæ per longa temp distecta, atque disrupta f. *lin* 12, construere m. illic-
B que pontifici ad tempus vitam finivit. Hic fecit cal præcip.

Num 168, *lin* 1, Aribertus. *lin* 5, Gazariæ p. l. B. cum Terebellio usque. *lin* 7, Leonem, et Tib. *lin* 8, circus. *lin* 12, metropolitas. *lin* 14, ac adoravit. *lin* 15, ren. censeret.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 167, *lin* 8, Marcelliani, et M. Damassique. *lin* 11, ammonem.

Num 168, *lin* 5, vulgariæ cum ter veli, usque ad. *lin* 8, cicculis. *lin* 9, dejectus. Ilico palat. *lin* 10, Promis namque. *lin* 12, inerant duos. *lin ult.*, mensibus tribus.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Num. 167, linea 9. — *Fecit vero et imagines per* C *diversas ecclesias, quas quicunque nosse desiderat in eis ejus vultum depictum reperiet.* Statuæ et imagines imperatorum adorabantur, et passim ponebantur in templis et foro. Ambros., Hexamer. lib. VI, c. 9 : « Sola ære fusa principum capita, et ducti vultus de ære, vel marmore, ab hominibus adorantur. » Idem, de Interpell., cap. 9 : « Vide quemadmodum in civitatibus bonorum principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum. » Corippus, de laudib. Justin., lib. III :

...Pictus ubique
Justinianus erat, dominus pictura placebat,
Gaudebantque sui genitoris imagine visa.

Num. 168, linea 1.—*Hujus temporibus Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ longa per tempora a jure Ecclesiæ privata fuerat, ac ab eadem gente destruebatur, in libris aureis exaratam jure proprio beati apostolorum principis Petri reformavit.* Donatio regia in ecclesiam aureis litteris scripta memoratur. Diplomata imperatorum aurea bulla obsignata tradit Pachymetes in Paleologo, lib. V, cap. 20 : Ὁ βασιλεὺς αὐτίκα προστάττει, καὶ λόγος ἐκτίσθαται χρυσοβούλλιος. *Jussu imperatoris evulgatum statim diploma est, aurea munitum bulla.* Idem in Andronic., lib. I, cap. 2 : Αἱ γάρ διὰ χρυσοβουλλείων λόγων πίστεις· *Nam fides data diplomatibus aurea bulla munitis.*

Linea 7. — *Leonem etiam et Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, et in medio circo coram omni populo jugulari fecit.* Leo et Tiberius invasores imperii in circo stante populo trucidati. In circo conciones et concilia habebantur. Livius, libr. IX : *Concilium populorum omnium habentibus Anagnimis in circo, quem maritimum vocant.* Ammian., lib. XXVIII, de Populo Romano : *Eisque templum et habitaculum et concio et spes omnis*, quia largitiones populares fiebant in circo et theatro (J. Chrysostom., *de divers. utriusque Testam. loc., serm. de Circo*). Qua de causa imperatores imperium ineuntes procedebant in circum largitionis causa (Gregor. Tur., lib. V, cap. 30, et lib. VI, cap. 30).

BENCINI

Num. 167, linea 10. — *In ejus vultum depictum.* Pontifex cum varias imagines in ecclesiis musivo opere depingi juberet, ut suamet imago adderetur curavit. Quod in opere de musivis observat Ciampinus, et non semel prodit Agnellus, dum recenset id genus imagines ab archiepiscopis Ravennatensibus ordinatas. Qui autem viventes depingebantur, adinstar orantis figurari consueverunt.

Num. 168, linea 1. — *Aripertus.* Hæc Anastasius ex Paulo Diac., lib. VI. c. 2, 28, descripsit : « Hoc tempore Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant apostolicæ sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, et hanc donationem aureis exaratam litteris, Romam direxit. Ad Joannis pontificatum, atque ad hunc annum quo
D ea donatio contigit, Hermannus Contractus, in suo Chronico, quod edidit Canisius, hæc annotavit : « Anno 707. Hoc tempore Aribertus rex Langobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum a Langobardis captam atque detentam, per privilegium aureis litteris scriptum sancto Petro, Joannique papæ tradidit. »

Linea 4. — *Justinianus.* Et hæc sumpta sunt ex Paulo, c. 31 : « At vero Justinianus, qui, amisso principatu, in Ponto exsulabat, auxilio Trebellii Bulgarorum regis, regnum rursus recipiens, eos qui se expulerant patricios occidit. Leonem quoque, et Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, et in medio Circi coram omni populo jugulari fecit. Gallicinum vero patriarcham Constantinopolitanum, erutis oculis, Romam misit; Cyrumque abbatem, qui eum in Ponto exsulem aluerat, episcopum in loco Gallicini constituit. » De exercitu a Justiniano Constantinopoli ad imperium restituto, sævitie et feritate, consulendus auctor Miscellæ, pag. 142; de iis vero

Digitized by Google

quæ in Ravennatenses deprehensos conjurationis fautores molitus est imperator, agit prolixe Agnellus, in Vita Felicis Ravennatensis, cap. 2, pag. 160.

Num. 167, linea 1. — *Joannes VII* pontificatum adeptus est anno Christi 705, prima die Martii, cui recens electo hoc prope miraculose contigit, ut homo Græcus opera Græcorum e numero cardinalium aliorum in sede apostolica collocatus, apostolicum spiritum hæreditavit, atque imperatori hæretico, conciliabuli Constantinopolitani, de quo supra, confirmationem petenti, nequaquam acquieverit.

Num. 168, linea 10. — *Tomos.* Intellige canones conciliabuli illius Constantinopolitani, de quo super sub Sergio.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedis apostolicæ vacationem post mortem Joannis VI, usque ad alterius Joannis ordinationem, catalogi et codd. magno consensu definiunt unius mensis, ac dierum octodecim, præter catalogum Veronensem uno minus die numerantem, quod procedit exclusis extremis, et Colbertinum tertium aperte mendosum, nam dies numerat omnino triginta. Recte igitur per nos constituta die emortuali prædecessoris 11 Januarii, dies ordinationis Joannis VII per se patet; quippe ab 11 Januar. 705 per mensem unum diesque octodecim interpontificii descendendo, Kalendæ Martiæ offenduntur, quæ eodem anno 705 cum Dominica concurrebant, ut lit. dom. D fidem facit. Easdem Kalendas Martias et Pagius tribuere ordinationi Joannis est compulsus, quia nullum festum diem habuit obvium, quod suam Chronologiam æquaret. Quid vero? Quemadmodum is bidui retraxit ordinationem prædecessoris, ejusque depositionem, ita bidui nunc distat ab iisdem Kalendis Martiis. Illud vero ut recuperet arte utitur plane singulari, quam ipsius verbis proponendam arbitror, ut legenti sit patentior: *Verum*, inquit de interpontificio, *loco dies* XVIII, *legendum dies* XIX, *excluso etiam die emortuali tam a sede Joannis VI, quam ab interpontificio, isque error, ut videtur, tribuendus Anastasio.* Duo hic peccat vir eruditissimus, idque eo quod removit ordinationem a die Dominica; arguit nempe erroris totam catalogorum et codicum seriem, eque suis thecis unam eruit diem, ut hiatum, si fieri possit, compleat; cumque adhuc desit dies una, emortualem Joannis VI perire jubet; quam profecto si perire jusserat post Sergium, consensui codicum et catalogorum eum adversari non oportebat, nam a die 9 Septembris L diebus numerans, in interpontificii extrema 29 Octobris, quæ Joannis VI ordinationem præcessit, desinebat; ita tamen ut emortualem ipsam, seu depositionis diem ab interpontificio excluderet, cumque Sergii sede conjungeret.

Quod si tantus codd. omnium consensus Pagium compulit ad diem ordinationis recte stabiliendum Kalendis Martiis, pari eorumdem constantia in emortuali die definienda 18 Octobris, hinc Joannis exitum removeri non posse evincitur, quidquid mira de sedis duratione dissensio secus suadeat. Et sane omnes quos vidi codd. et catalogi tribuunt Joanni VII pontificatus annos II; ad menses autem et dies quod attinet, inter se valde discrepant. Catalogi siquidem Veronensis et Colbertinus sextus habent menses VIII; Bergomas, Lucensis, Farfensis, tres Colbertini, quartus, quintus et septimus, una cum codd. vulgato, ambobus Freherianis, Thuano altero, Cavensi, et Farnesiano, menses VII; Palatino Vaticanus, duo Colbertini secundus, et tertius, cum codd. Reg., Mazarino, Thuano primo, Ambrosiano item primo, quibus suffragatur Luitprandus, menses VI. Ex his vero tam variis opinionibus potior haud dubie est quæ Joanni tribuit menses VII. Pariterque inter alias aliorum sententias de dierum numero, ea eligenda fuit quæ septemdecim numerat. Etenim Joannes VII anno 705, Kalendis Martiis, ordinatus, postquam sedit annos II, menses VII, dies XVII, XV Kal. Novembris, seu 18 Octobris, sepultus est ad beatum Petrum apostolum, indictione 6, seu anno 707, ut tradit Anastasius.

CIACONII.

Num. 167, linea 1. — *Joannes VII* Platone Janidega patre natus, Rossani Magnæ Græciæ, et Calabria dictæ, ortus, XIV papa regnicola, diaconus cardinalis sanctæ Mariæ Novæ, sedit annos II, menses VII, dies XII, creatus et consecratus die Dominico Kal. Martii.

BALDINI.

Num. 168, linea 1. — *Hujus temporibus Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Gutiarum, quæ longa per tempora a jure Ecclesiæ privata fuerat, ac ab eadem gente deti nebatur, in litteris aureis exaratam jure proprio beati apostolorum principis Petri reformavit.* Hunc locum auctoris Libri Pontificalis, seu potius Pauli Diaconi, ex quo in Librum Pontificalem facile transcripsit Anastasius, aut si qui alius ejusdem auctor, vel interpolator, illustre documentum repræsentare antiquissimæ possessionis ditionis temporalis in favorem sanctæ Romanæ sedis, qui non sit illi plus æquo infensus, mecum agnoscere haud gravabitur. Hæc Alpium Cottiarum sive donatio, sive restitutio, narratur facta anno 704, sub pontificatu Joannis VII, non longe ab ætate Pauli Diaconi rem narrantis, qui florebat ad annum 770, quique nedum litteris consignatam affirmat, sed litteris aureis, quam ipse potuit suis oculis usurpare. Non hæc fuit donatio massæ alicujus, aut fundi, aut horti, aut oliveti, cujusmodi infinitas nobis exhibent marmora, et tituli ecclesiarum, ut optime adnotavit in præfatione ad Anastasium (*Tom. I, num. 43 et seqq.*) illustrissimus præsul, et rerum ecclesiasticarum expertissimus Franciscus Blanchinus, cujus jacturam chartæ hæ, quas ad finem usque notis suis illustrare non potuit, magno legentium damno, intelligunt et lacrymantur; sed donatio ingentis tractus terrarum a Gallicis finibus per Allobrogos, et Segusium, Bobium usque excurrentis, in Romanam provinciam olim a Nerone redacti, ut affirmat Suetonius in Vita Neronis. *Item Alpium* (regnum *defuncto Cottio in provinciæ formam redegit.* Notabile etiam est non appellari has terras vocabulo simplici *Alpium*, sed *patrimonii Alpium*, cujus nominis promiscua est usurpatio in veteribus tabulis ad significanda cum bona fidelium pietate beato Petro dicata, tum bona regalibus juribus astricta. Præclarum hoc monumentum Jurium Romanæ Ecclesiæ mire illustrant, et confirmant Anastasiana regesta, vertente hoc sæculo, donationum, restitutionum, recuperationum terrarum, et patrimoniorum a regibus Longobardis, et Francicis sanctæ Romanæ Ecclesiæ factarum. Juvat hic unam aut alteram in antecessum referre in argumenti confirmationem. Ad annum 714, legimus in Vita Gregorii II, penes Anastasium, qui fortasse ex Paulo Diacono pariter exscripsit, illegitimam usurpationem earumdem Alpium Cottiarum, et paulo post subsecutam justam restitutionem factam a Luitprando. « Eo tempore, inquit Anastasius, Luitprandus rex donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri (Gregorii II) vel increpatione redditam confirmavit. » Et hic vides repetitam eamdem vocem *patrimonii*, quod non casu factum, sed prudenti consilio, ad declarandum bonorum translationem a regalibus juribus ad jura sanctæ sedis facile intelligi potest.

Anno 715, Longobardi dolo potiuntur castro Cumano, utique ad Romanæ Ecclesiæ ditionem pertinente. Pontifex repetit sibi injuste ereptam possessionem, quam obtinere precibus frustra nisus, socialibus armis Neapolitani principis usus, numerata eidem pecunia redemit: « Cumanum etiam castrum,

Digitized by Google

inquit Anastasius in Vita Gregorii II, ipso fuerat tempore a Longobardis pacis dolo pervasum. Quo audito, omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam sanctissimus pontifex, et commonens Longobardos, ut redderent, qui si non acquiescerent, in iram se divinam incidere pro dolo quem fecerant suis scriptis detestabatur, nam et munera eis dare ut restituerent voluit multa. Sed illi turgida mente, neque monitis audire, nec reddere sunt passi. Unde nimis idem sanctus indoluit pontifex, seseque spei contulit divinæ, atque in munitione ducis Neapolitani et populi vocans, ducatum ei qualiter agerent quotidie scribendo præsentabat. Cujus mandato obedientes, concilio inito, mœnia ipsius castri virtute sub nocturno ingressi sunt silentio. Joannes scilicet dux cum Theodimo subdiacono, et rectore, atque exercitu, et Longobardos pene trecentos cum eorum castaldione interfecerunt, vivos etiam amplius quingentos comprehendentes captos Neapolim duxerunt. Sic castrum recipere potuerunt. Pro cujus redemptione septuaginta auri libras ipse sanctissimus papa, sicut promiserat antea, dedit. » Ex hoc testimonio, quod volui integrum proferre, clare deducitur per ea tempora Romanam Ecclesiam possedisse jure incontroverso terras, et castra, ad quæ retinenda, aut amissa recuperanda, nullam non operam impenderunt sancti pontifices, precibus modo usi, et minis, modo etiam armis, et pecunia : « Vidisti, lector (ita commentarium instruit Baronius super recitato textu Anastasii), sanctum pontificem æque ac Gregorium primum in numerum sanctorum receptum bona ecclesiastica ab hostibus invasa minime contempsisse, vel recuperare desiisse, quantumlibet impossibilis propemodum videretur ejus expugnatio loci, sed quod minus posset suis, id alienis armis recipere procurasse, omnique studio præsto fuisse consilio, ope, pecunia adjuvisse, subdiaconi etiam Ecclesiæ Romanæ opera usum esse. Sed observa ordinem quo processit, nimirum ut primum paternis monitionibus rem ageret; deinde ut contemptores ecclesiasticis censuris exterreret; demum vero ut in eos hæc omnia contemnentes ageret armis, eisque castrum expugnandum curaret. Sic Deus rem tantam aggredi voluit pontificem et doctrina, et sanctitate insignem, ejusque exemplo sanciri disciplinam, qua successores eruditi ablata bona ecclesiastica ab iniquis possessoribus vindicarent, etiamsi opus sit armis, si cætera remedia contemnantur. » Sed de hac re fusius, et opportunius cum de Adriano I sermo occurret.

MAFEI.

Num. 168, linea 15. — *Sed Joannes humana fragilitate timidus.* Justinianus junior, per Trebellium Bulgarorum regem in imperium restitutus, jussit Tiberium Absimarum capite plecti, rebusque suis nece multorum in tuto positis, ad Joannem VII duos metropolitanos legavit, ut supremo judicio apostolicæ sedis canones synodi erraticæ subjicerentur. Postulabat ut quæcunque in iis pontifici visa essent laudanda, ipse stabiliret, et quæ emendanda corrigeret. Sed quamvis æqua videbatur hæc imperatoris petitio; pontifex tamen ad majestatem cathedræ Petri ratus spectare illa non approbari, quæ a conciliabulo essent decreta, eosdem synodi canones, nec ex parte quidem confirmatos, per dictos metropolitanos ad imperatorem remisit. Hæc autem est causa cur noster hoc loco humanæ fragilitatis suggillat Joannem, quod ne rem ingratam faceret imperatori, triticum a palea timuit segregare.

PAGII.

Num. 168, linea 1. — *Hujus temporibus Aripertus.* Joanne septimo sedente, Aribertus, seu Aripertus, hujus nominis II, rex Longobardorum, donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinuerant, sed a Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, et hanc donationem aureis exaratam litteris Romam dixerit, ut testis est Paulus Diaconus, lib. VI de Gestis Longobard., cap. 28, qui et cap. 43 ejusdem libri scribit Luitprandum, Ansprandi filium et successorem, restitutionem illam Romanæ Ecclesiæ factam confirmasse. Anastasius quidem id factum dicit sedente Joanne VI; sed Hermannus Contractus, in Canisiana Chronici sui editione, eam donationem conjungit cum anno 707, quo Joannes VII adhuc sedebat; ad eum enim annum scribit : « Anno 707, hoc tempore Aribertus, rex Longobardorum, possessionem Alpium Cottiarum, dudum a Longobardis captam atque detentam, per privilegium aureis litteris scriptum sancto Petro, Joannique papæ reddidit. » Porro Alpium Cottiarum, sic a rege Cottio, qui eas perdomuit, dictarum, initium Ammianus Marcellinus, lib. XV, cap 10, sumit a Segusione oppido; in Itinerario vero Burdigalensi earum initium sumitur ab Ebreduno oppido in Delphinatu hodierno; sic enim in eo legitur : *Mansio Hebriduno M. 16. Inde incipiunt Alpes Cotticæ*, et infra : *Civitas Secussione M. 16. Inde incipit Italia.* Sed Paulus Diaconus laudatus, lib. II, cap. 16, enumerans Italiæ provincias scribit Alpes Cottias, *sic a Cottio rege, qui Neronis tempore fuit*, appellatas a Liguria in Eurum versus, usque ad mare Tyrrhenum extendi, ab occiduo vero Gallorum finibus copulari; in eaque provincia, quam quintam Italiæ numerat, dicit haberi Dertonam et monasterium Bobium, Genuam quoque et Saonam civitates. Sed quod spectat ad regem Cottium Paulus Diaconus fallitur, quando dicit eum fuisse Neronis tempore, Ammianus enim, loco laudato, asserit eum « in amicitiam Octaviani principis, » scilicet Augusti, fuisse receptum. Dicit deinde, cap. 18, Paulus Diaconus nonam Italiæ provinciam esse in Apenninis Alpibus, « quæ inde originem capiunt, ubi Cottiarum Alpes finiuntur, » tandemque concludit : « Sunt qui Alpes Cottias et Apenninas unam dicunt esse provinciam; sed hos Victorini revincit Historia, quæ Alpes Cottias per se provinciam appellat. »

Num. 168, linea 10. — *Tomos quos ante*, etc. Hic auctor loquens de restitutione Justiniani in imperium, quæ, ut mox dictum est, circa finem ejusdem anni 705 contigit, scribit : « Illico ut palatium ingressus est, propriumque adeptus est imperium, tomos, quos antea sub domino Sergio apostolicæ memoriæ pontifice Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos metropolitanos episcopos demandavit, dirigens per eos et sacram, per quam Joannem VII pontificem conjuravit ac adhortatus est ut apostolicæ Ecclesiæ concilium aggregaret, et quæ ei visa essent stabiliret, et quæ adversa renuendo excluderet. » Justinianus itaque non solum a Sergio papa, ut superius dictum est, confirmationem synodi Quinisextæ postulavit, et repulsam tulit; sed eam etiam petiit a Joanne VII, qui, ut subdit Anastasius, « humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans per suprafatos metropolitas direxit ad principem, post quæ non diu in hac vita duravit. » Joannem itaque VII arguit Anastasius quod noluerit criticare canones synodi quinisextæ, et triticum a palea separare. Nec sine fundamento, inquit Lupus in notis et scholiis ad canones concilii Trullani, vere enim de hac synodo ait libellus synodicus : *omissos in quinta et sexta synodo canones edidit, et ab omni Græca*, id est gentili, *atque Judaica, quin et hæretica traditione Ecclesias purgavit.* Habet hæc synodus bona malis mista, et inutile ab inutili non vitiatur; quare potuerat separari, inquit idem Lupus.

SOMMIER.

Num. 168, linea 1. — *Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii.* Postquam Langobardi adepti sunt Italiam, in eorum ditionem venerant et Alpes Cottiæ, ea nempe regio, quæ media est inter Sedunum, et Ebredunum, in adversa parte horum

Digitized by Google

montium in Gallia Cisalpina. Hæ olim Alpes pertinebant ad sanctam sedem, cujus patrimonii pars erant; cumque illas, nullo jure usurpatas, diutissime retinuissent Longobardi, eorum rex Aripertus divo Petro, ejusque successori Joanni VII, restituit, aureisque consignatam litteris donationem ad eum misit, ut testatur Paulus diaconus (*de Gest. Lang.* lib. VI, cap. 28): « Hoc tempore Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant apostolicæ sedis, sed a Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit et hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit. »

Num. 168. Linea 10. — *Tomos quos ante sub domno Sergio.* Canones Trullanæ, seu quinsextæ synodi ad Joannem VII transmissos ab Justiniano juniore, ut eorum quos vellet rejiceret, probatis reliquis: eosdemque intactos Cpolim a pontifice afferri jussos, satis aperte narrat Bibliothecarius. Quod vero animadvertendum est, alii pontificem fragilitatis ac timiditatis ea occasione insimulant; alii dicunt nil incongruum futurum fuisse, utilia quæ multa sunt a multo paucioribus inutilibus separare. (Christ. Lup., *in not. et schol. ad can. Trull.*) Cæterum pontifex, si ad æquum examen res revocetur, majori uti prudentia non potuit, quam eorum nihil omnino approbans quæ conflata erant a cœtu œcumenici concilii nomen, Romano pontifice convocationis ac celebrationis prorsus inscio, sibi arroganter; cum præsertim in eo regnaverit spiritus superbiæ et invidiæ adversus apostolicam sedem. Nonne quotidie accidit ut sancta eadem sedes rejiciat damnetque integros libros, ob malas aliquot propositiones multis bonis admistas, nec tamen catalogum singillatim conficiat eorum quæ rejici damnarique debuerunt?

LXXXIX. SISINNIUS.

ANNO CHRISTI 708, JUSTINIANI ITERUM 5.

169 Sisinnius, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit dies viginti. Fuit autem temporibus Justiniani imperatoris Augusti. Qui vir podagrico humore ita tenebatur constrictus, ut sibi cibum propriis manibus exhibere non valeret. Erat tamen constans animo, et curam agens pro habitatoribus hujus civitatis. Qui et calcaria [a] pro restauratione murorum jussit decoquere. Verumtamen repentina morte defunctus est. Fecit autem episcopum unum in insula Corsica. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum, sub die 7 Februarii, indictione sexta, Justiniano Augusto, et cessavit episcopatus mensem unum, dies [b] viginti novem.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Calcarias. [b] *B* seu.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano.

Num. 169, *lin.* 8, et cessabit episcopatum mense uno, dies decem et octo.

Ex codice Vallicellano.

Lin. 1, *cod Vallicel.*, dies XX. Hic vir podagro humore. *lin* 5 *concordat cum Reg., Maz. et Thuan. lin.* 7, Corsicæ, et cessavit episcopatus.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Lin 5, *AB*, calcarias.

B *Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.*

Lin 2, Just Aug. Hic vir pod. *lin* 5, calcarias. *lin* 7, Corsicæ. *lin ead.* Ap. VIII. Id. Nov et cessavit episcop mens 1, d. 19.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, sedit dies 20. Qui vir p. *lin* 3, vix ut cibum sibi pr. m. exh valeret. *lin* 4, ag. de hab. h. c. qui et calcarias p. r. *lin* 7, Corsica, et cessavit episc mens 1, d. 28.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 7, sub die, indict VI.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

in. 5. *Qui et calcaria pro restauratione murorum jussit decoquere.* Calcaria est fornax calcis coquendæ causa. *L. Aut damnum.* § *In calcariam*, ff. *de pœn.* Tertull. de carne Christi: *Pervenimus igitur de calcaria, quod dici solet, in carbonariam.* Anastas. in Gregor. II: *Hic exordio Pontificatus sui calcarias decoqui jussit.*

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Depositione Joannis septimi die 18 Octobris recte, ut ostendi, apud Anastasium consignata; ut facilius assequamur quæ duo examinanda veniunt de brevi paucorum dierum pontificatu Sisinnii, nempe interpontificium præcedens ipsius ordinationem, et tempus ejus sedis, constituendam primum esse video

C Sisinnii depositionem. Hanc alii codd. silent, alii mendose ponunt, alii demum nempe Freheriani duo, et Farnesianus cum vulgato Sisinnii depositionem statuunt die septima Februarii. Qui eam silent, sunt codd. Thuanus alter, Cavensis, et Ambrosianus quartus cum catalogo Lucensi. Qui mendose eam ponunt, sunt numero plures; etenim Regius, Mazarinus, Thuanus, et tres Ambrosiani præstantiores depositum aiunt Sisinnium VIII Idus Novembres, seu die 6 ejusdem mensis. Mendum vero est evidens; iidem enim codd. indictionem VI habent, ut cæteri, quæ Novembrem indicat anni 707, et vacationem sedis post Sisinnium unius mensis, dierum 19, ita ut juxta hanc chronologiam ejus successor Constantinus fuerit ordinatus die 25 Decembris, quæ in Dominicam incidit anno eodem 707, quam quidem opinionem ægre fero eruditos viros amplecti. Nam cum Constantinus anno

Digitized by Google

709 adhuc numeraret annum primum, ut infra in notis ad eumdem ostendam, eum patet non esse ordinatum ante annum 708, ac proinde mendosos jure appello prædictos codices. Itaque vulgatus, aliique tres codd qui Sisinnii depositionem collocant die 7 Februarii, exemplo Baronii et Pagii, reliquis omnibus præferentur, ne divinandi artem sequi oporteat, silentibus codicibus inhærendo. Sic utraque depositio, Joannis videlicet VII et Sisinnii, invicem disjungetur mensibus tribus, ac viginti diebus, intra quod spatium temporis interpontificium post Joannem et Sisinnii sedem collocare necesse est.

Equidem videar nodum in scirpo quærere; nam tribus mensibus interpontificii cum plerisque catalogis, et codd. enumeratis a die 18 Octobris emortuali Joannis VII, an. 707, octava decima Januarii dies sequentis anni 708 fit obvia, quam Baronius et Pagius ordinationi Sisinnii tribuerunt; indeque viginti dierum spatio emenso, quod Sisinnium sedisse passim tradunt, ad 7 Februarii Sisinnii depositioni assignatam pervenitur. At nec doctissimo card. audiendum videtur, ex cujus opinione ordinationes pontificum extra dies Dominicas divagantur, nec ejus erudito censori, qui cum axioma suum considerit de ordinationibus, eas docens, aut Dominicis, aut solemnioribus diebus factas esse, Sisinnium modo valt ordinatum nec Dominico, nec festo die. Nam quod festum Romanæ Cathedræ tam alte repetendum putet auctor Baronianæ criticæ, est profecto cur mirer; quod autem inter solemniora festa recensendam putet festivitatem, quæ ne post Paulum quidem IV institutorem, præcepti, aut devotionis ergo, ut dicunt, colitur, putetque is, qui Baronium arguit a Dominicis, et diebus festis ordinationes removentem, satis mirari non possum. Quamobrem quæ restant Chronologiam spectantia expediam, deinde disseram de Romana Cathedra adversus Pagium, et alios noni sæculi Martyrologiis deceptos.

Trium, vel quatuor mensium solidorum interpontificii, quorum neutrum ducit ad diem Dominicam, falsi arguere nullus dubito. Sedis item tempus apud plerosque catalogos et codd. definitum dierum 2), cum a nulla Dominica deductum, æquet spatium inter eamdem et diem septimam Februarii positum, reprehendendum esse arbitror. Huc accedit catalogorum inconstantia (nam Palatino-Vaticanus dat Sisinnio annos 7, dies 15, ipsissimis utens verbis quæ adhibet in Constantino; Colbertinus secundus dies 30, tertius 25, septimus annum 1, dies 2) qua cogor dicere, nil certum de interpontificio et sede hujus pontificis affirmari posse. Nisi forte dies 30 cum secundo catalogo Colbertino assignandi sunt sedi, nam a die depositionis 7 Februarii tantumdem temporis retrocedendo dies 8 Januarii offenditur cum Dominica concurrens; hinc vero ad diem 18 Octobris Joannis emortualem, duo tantum menses, dies viginti numerantur: quare qui decem dies adderentur sedi, detrahi eos oporteret interpontificio. Et revera id ego tantum pro certo habeo, a depositione Joannis ad obitum Sisinnii tres omnino menses, dies 20, intercurrere; quomodo autem secernenda sit sedes ab interpontificio divinandum aliis relinquo. Cæterum adduci nunquam potero ut credam hunc pontificem fuisse ordinatum feria IV, contra receptum jam morem, nisi forte humor podagricus, quo tam misere vexabatur, eum diem carpendum suasit, ad quem pontifex per diuturnum trimestre interpontificium ægre perductus, afflictaretur levius, ac minime spem præberet felicioris diei. Rationem vero quæ movit Pagium, nempe festum Romanæ Cathedræ, nullatenus attendi oportere jam demum ostendam, ut sum pollicitus.

DISSERTATIO DE ROMANA CATHEDRA.

Sumvarium. — I. *Origo memorabilis Cathedræ Antiochenæ.* — II-III. *Ejus festum Romæ institutum die 22 Februarii ad abolenda feralia, seu epulas mortuorum.* — IV. *Romæ non celebrabatur aliud festum Cathedræ.* — V-VI. *Ut ostenditur auctoritate codd. ad ipsam S. Petri basilicam pertinentium.* — VII. *Et Martyrologio genuino Bedæ ab additamentis Flori expugnato, iisdemque Flori additamentis.* — VIII. *Necnon Martyrologiis Wandalberti, et Senonensi celeberrimis.* — IX. *Paulus IV instituit festum Romanæ Cathedræ an.* 1558, *et in constitutione laudat martyrologos.* — X. *Quorum exhibetur genealogia.* — XI-XII. *Fundatio Romanæ Cathedræ ad diem* 25 *Aprilis cum Blanchino revocatur.* — XIII. *Quæ olim credebatur celebrari* 22 *Febr. una cum Antiochena.* — XIV-XVI. *Falsa origo festi ejusdem* 18 *Januar. ex Martyrologiis Transmontanis; hodie vero, vi ejus constitutione Pauli IV, idem festum recte celebratur, at die non suo.*

I. Festum Cathedræ D. Petri, ab ipsis Ecclesiæ primordiis celebre, non secus ac Natale Apostolorum, sed Martyrium SS. Petri et Pauli, magnum certe, ac memorabile principium habuit. Namque, ut ait Gulielmus Durandus (*lib.* VII, *cap.* 8) : « De Cathedra S. Petri Ecclesia solemnizat, quoniam videlicet apud Antiochiam cathedrali honore sublimatus esse perhibetur. Quam sublimationem dicunt quidam factam esse a Theophilo principe Antiocheno (Maurolycus eum vocat præfectum) cujus filium defunctum post annos 14 Petrus suscitavit, et ipsum populum civitatis convertit; propter quod ibi ecclesiam construxerunt, in cujus medio excelsam Cathedram collocaverunt, et Petrum, ut ab omnibus audiri et videri posset, exaltaverunt; in qua sedit septem annis. De hoc igitur honore solemnizat Ecclesia, quia tunc prælati Ecclesiæ cœperunt loco præstare, et honore sublimari. Tunc enim impletum est illud Psalmistæ : *Exaltent eum in Ecclesia plebis* (*Psal.* CVI). Hinc est quod antiqui Ecclesiæ Patres, præsertim S. Augustinus (*serm.* 15, *de SS.*, nisi forte is sermo ad alium pertinet, ut PP. Maurinis est visum) magnis idem festum laudibus celebrarunt.

II. Quando id præcipue factum Antiochiæ non satis liquet. Romæ autem celebritatem ejus festi institutam Februario mense ad abolendam superstitionem cibos afferendi ad sepulcra mortuorum sermo laudatus testatur : « Cum solemnitatem hanc, inquiens, Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, et vina conferant, quasi egresse de corporibus animæ carnales cibos requirant. » Hæc de causa hujusmodi olim celebritas vocabatur Festum B. Petri Epularum, non enim solæ gentes eam superstitionem amplectebantur, sed de Christianis ipsis idem tradit Hieronymus Macer auctoritate S. Augustini : « Festum, aiens, epularum. Festum Cathedræ S. Petri, in quo die Christiani, præcipue in Africa, epulari solebant, de quibus D. August. lib. VI Conf., cap. 2 : « Cum, *inquit*, ad memorias sanctorum sicut in Africa solet, pultes, et panem, et merum attulisset. » Mos est gentilium superstitione introductus, qui in eodem prorsus die super mortuorum sepulcra cibos collocare solebant. » (Hieronlex.) Quam superstitionem diu apud Christianos perseverasse fidem facit concilium Turonense II, anno 570 celebratum, c. 22 : « Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ domni Petri apostoli cibos (*Sic mondus in cod. Bellovac. legit* intrinitas) mortuis offerunt, et post missas redeuntes ad domos proprias, ad gentilium revertuntur errores. »

III. Quibus ex documentis aperte agnoscitur ipsa dies institutæ festivitatis; nam in Calendario rustico tum a Grutero, tum a Bucherio de doctr. temp. edito, IX calend. Martii, seu die 21 Febr., legitur *Feralia*, quibus epulæ ad sepulcra ferebantur, eo quod animas putabant iis vesci nocte festum præcedente:

Digitized by Google

die vero ipsa festivitatis 22 in eodem Calendario est *Caristia*, quæ vox, ut observat Dufresnius in Glossario, idem sonat ac *cara cognatio* eadem die occurrens in laterculo Polemæii Sylvii, « ita dicta, aientis, quia tunc, etsi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponuntur. » Præterea eodem in laterculo ipsum Cathedræ festum indicatur per hæc verba : *Depositio S. Petri et Pauli;* quæ nonnulli perperam interpretati, apostolorum martyrium innuere contendunt : at eorum opinione eleganter confodit Tillemontius (*Hist. Eccl.* tom. I), et P. Conradus Janningus (*ad d.* 29 *Jun. in Comm. prævv.*, n. 24 et seqq.) eamdem perstringit, auctoribus objiciens quæ leguntur in eodem laterculo III Kal. Jul., seu die 29 Junii : *Petri in catacumbas, Pauli Ostiense;* ea quippe martyrium evidenter demonstrant. Cæterum quod Sylvius diem Cathedræ *Depositionis* nomine indicet, tum ex Bollandi observatione evincitur, tum ex veteri Martyrologio Bucherii, cui titulus: *Depositio Martyrum;* ita enim incipit : VIII *Kal. Jan. natus Christus in Bethleem Judæ;* ubi Nativitas Domini inter depositiones numeratur, quemadmodum inter depositiones easdem martyrum paulo infra recensetur Cathedra, videlicet : MENSE FEBRUARIO, VIII *Kal. Mart. natale Petri de Cathedra.* Hoc Martyrologium antiquissimum, quod scribebatur tempore Liberii, magnus ille vindex veterum monumentorum Franciscus Blanchinus ex lib. de Doctr. temp. Bucherii in prolegomena hujus operis transtulit, ut nostra legentibus præsto sit.

IV. Polemæii Silvii Laterculo et Martyrologii veteris auctoritate sum usus ad probandam Cathedræ Antiochenæ antiquissimam institutionem die 22 Februarii; ne diu insisterem in re eruditis satis nota, necesse est modo ut unum fuisse olim Romæ festum Cathedræ uberius ostendam. Quotquot potui videre Antiphonaria, Responsorialia, Sacramentaria, et id genus volumina, præsertim opera et studio V. card. Thomasii in lucem edita, diligenter scrutatus, nonnisi festum Cathedræ 22 Februarii in iis deprehendi. Antiphonarium a S. Gregorio ordinatum per circulum anni; Carnutense, quod Theodolinda, regina Longobardorum, inter alias res præclarissimas dono dedit basilicæ S. Joannis Baptistæ Modoetiæ; Capitulare Evangeliorum; comes, seu lectionarium, omnia antiquissima, et basilicam ipsam S. Petri spectantia, nullam aliam Cathedram præseferunt, præter memoratam 22 Februarii. Exstant quidem Antiphonarium et Lectionarium S. Galli mss., in quibus legitur die 18 Januarii : *Cathedra S. Petri;* at Walfridus Strabo scriptor noni sæculi (*de Reb. Eccl.* cap. 25) fidem facit, ut idem cardinalis admonet in præfatione, quod Romanum Antiphonarium, postquam ultra montes est devectum, complures a Gallicanis magistris accessiones habuit. Quod ut verum sit, considerari velim cod. ms. monasterii ejusdem S. Galli nullas additiones passum, in quo exstat *Ordo librorum Catholicorum, qui in Ecclesia Romana ponuntur ad legendum.* Namque in eo cod. legere est : *A natale Innocentium usque ad Septuag.*, etc. *A Purificatione S. Mariæ*, etc. *In Cathedra S. Petri leguntur lectiones quæ in natale omnium apostolorum.* Nulla alia Cathedra occurrente, nec antea nec post.

V. Atque ut luculentius comprobetur unicum fuisse festum Cathedræ, observatu etiam dignum est quod Responsoriale et Antiphonarium a Magno Gregorio dispositum, in quod nullæ irrepserunt Gallicanæ additiones, exhibet ritus in Ecclesia Romana usurpari solitos sæculo XII cum monachorum pietas et episcoporum religio jam undique ultra montes introduxerant aliud festum Cathedræ die 18 Januarii, cujus originem et progressum infra explicabo; attamen adamussim concinit cum Rituali Canonici Benedicti, qui suæ basilicæ ritus magna cum fide describit. Responsoriale siquidem habet die 18 Januar. : *In festo sanctarum Aquilæ et Priscæ*, R. etc., die autem 22 Febr. : *In Cathedra B. Petri cantamus ad Vesperas Antiphonas* ECCE SACERDOS. Prædicti vero Canonici Rituale (ap. Mabill. *Ord.* XI) singillatim ritus festorum describens, ubi ad Dominicam post octavas Epiphaniæ pervenit. *In feriis autem*, inquit, *si non est festivitas, cantatur Antiphona*, etc., certissimum argumentum quod festum Romanæ Cathedræ in propria ejus basilica ignorabatur; nam postmodo Purificationis, Septuagesimæ ac Sexagesimæ ritu expositio : *In Cathedra*, inquit, *S. Petri legitur, sicut in die natalis ejus; tamen ad Vesperas et Matutinas laudes canitur :* ECCE SACERDOS MAGNUS. *Statio in ejus basil.* Quid plura disiderantur de singulari festo Cathedræ D. Petri?

VI. His omnibus argumentum etiam firmius accedit : Kalendarium nempe, aut Martyrologium *juxta veterem usum canonicorum basilicæ Vaticanæ sancti Petri :* auctius Martyrologio veteri, quod produxi ex Bucherio et Laterculo Polemæii Silvii. Hoc præfigitur Responsoriali et Antiphonario Romanæ Ecclesiæ de circulo anni, quod V. Card. Thomasius refert scriptum per sæculum XII. In eodem variis disticis termini Septuagesimæ, Quadragesimæ et Paschales pro antiquo more indicantur. Præ cæteris Septuagesimæ gradus ultimus, qui in vigiliam Cathedræ Antiochenæ incidit, primo hujus distici versu indicatur.

> Præveniens Cathedram, dat tardius alle vacare.
> Cedit hyemps retro cathedrato Simone Petro.

Altior autem terminus cum die 18 Januarii concurrens, cum hodie aliam Cathedram celebramus, mirime a Kalendario Vaticano innuitur per festum proprium basilicæ; imo ne festum quidem memoratur, quod tunc nesciebatur, sed ejus loco visitur : *Aquilæ et Priscæ.* Nec profecto aliquis miretur nullum Vaticanæ basilicæ monumentum existere, aut vetus, aut medii sequiorisque ævi, in quo festum memoretur, quod tot antiqui transmontani codices præseferunt : Romani enim « posteriores sacramentariorum collectores (Morini utor verbis) non componunt marte suo sacramentaria, sed exscribunt : cumque aliquid addunt, id verbis suis non exprimunt, sed ut expressa vident, transcribunt (Jo. Mor. de *sac. Ordinat.* p. 3, exerc. 9, c. 1). » Hinc est quod S. Gregorius Magnus Sacramentariorum dispositor, et Canonicus S. Petri Benedictus Ritualis descriptor, festivitates, quarum ritus eorum ævo in basilica inoleverant, priscis Sacramentariis et Ritualibus addidere; quas autem episcopi et monachi aut pietate, aut studio in suas invexerunt ecclesias, Romæ penitus ignotas, tametsi majori apostolorum principis et basilicæ gloria essent, eas non memorarunt; non enim Sacramentaria marte suo componebant, sed exscribebant.

VII. Quid vero ad Romanæ Ecclesiæ dies festos comprobandos, Romanis tantum auctoribus utor? Ipsi scilicet exteri potiores veritati rei suffragantur. Ven. Beda, Florus et Wandalbertus, qui, sua edentes Martyrologia, monumenta veterum secuti sunt, de Cathedra 18 Januar. prorsus silent. Neminem latet, quod Ven. Angliæ presbyter Beda suum edidit Martyrologium Romano veteri auctius, quod omnes ubique Ecclesiæ amplexæ sunt; ediditque octavo sæculo ineunte, cum Pagius credit Romanæ Cathedræ festivitatem fuisse celebrem. Pari modo omnes norunt quod Florus diaconus Lugdunensis centum post annos, nono videlicet sæculo jam labente, Martyrologium Bedæ amplificavit. Hoc autem Bedæ Martyrologium genuinum, et Flori additiones eruditissimi viri Henschenius et Papebrochius tomo II SS. Martii ediderunt, selectissimis antea bibliothecis tota Europa excussis, Roma præsertim habitis codd. tribus selectissimis, Vaticano, monasterii S. Cyriaci in Thermis ex bibliotheca Vallicellana, quo usus est Baronius; ac tertio ex instructissima olim bibliotheca Barberina. Novas ad illam editionem curas adjun-

Digitized by Google

Actorum-continuator P. Sollerius in præfat. ad Martyrologium Usuardi (*tom VI Jun.*) ac demum P. Josephus Blanchinus exemplo patrui sui scrutator maximus monumentorum veterum, contulit emendavitque Henschenianam editionem cum cod. mille annorum præstantissimæ bibliothecæ capitularis Veronensis. Nihilo tamen minus nec Martyrologium Bedæ, nec additamenta Flori ex celeberrimorum tot codd. fide prodeuntia, aliud habent die 18 Januarii præter *Natale sanctæ Priscæ*, nec alia in iis Cathedra memoratur, quam quæ vere celebrabatur Romæ et in toto orbe catholico 22 die Februarii.

VIII. Bedæ Martyrologio fidem addunt Martyrologium Senonense S. Columbæ, postea reginæ Sueciæ, quod laudatus P. Sollerius auctoritate comparat cum tribus Romanis selectissimis paulo ante recensitis; et Martyrologium celebre Wandalberti monachi Prumiensis in diœcesi Trevirensi, qui circiter dimidium noni sæculi illud scribebat : namque horum neutrum Cathedræ Romanæ festum præsefert. Quæ Sollerium vires omnes ac nervos intendentem ut assereret Cathedram, objectionem eruditorum prævenire compulerunt : « Nec quidquam obstat, ait, Bedæ, Flori et Wandalberti silentium, nisi quis pari ratione arguere velit ad expugnandas sanctorum commemorationes prope innumeras. » Equidem religiosissimo viro spondeo meam fidem, quod horum silentio non utar ad festa expugnanda, sed ad veram festorum originem eruendam. Nonne damnabilis supinitas fuerit Vaticani cleri, suos ritus in tot Sacramentariis et codicibus supra allatis digessisse præcipuo mutilos ornamento, quod est memoria apostolicæ sedis Romæ primum institutæ? Nonne Venerabilis Beda, qui vetus Romanum Martyrologium augendum suscepit, ut nulla dies, si fieri poterat, non præclaro sancti alicujus nomine illustraretur, magnum Romanæ sedi, quam singulari prosequebatur obsequio, intempestivo eo silentio detrimentum importasset? Nonne demum Florus, qui primus omnium Martyrologium Bedæ amplificavit, inanem lusisset operam, silentio præteriens festivitatem cæteras inter Romanas præcipue numerandam?

IX. Hinc profecto omnes vident quod ante nonum sæculum jam adultum, cum juniores Martyrologi festum Romanæ Cathedræ illigarunt cum die 18 Januarii, nulla mentio illius ritus occurrit aut Romæ aut alibi. Postea vero pluribus in orbis Christiani partibus, præsertim in Gallia et Hispania, fortasse etiam ipsa in urbe Roma, solemniter id festum celebrari constat, teste Paulo IV, qui anno 1558 *celebre esse jussit*, ut ait Maurolycus, seu potius antiquæ celebritati restitui obsoletum, ut notant doctissimi viri card. Baronius (*not. ad Martyr.*, d. 18 Jan.) et Joannes Bollandus (*Act. SS.*, d. 18 Jan.). Verba autem pontificis sunt : « Verum, licet urbs ipsa multo plus debeat eidem Petro qui eam per Cathedram episcopalem in ea constitutam regnis cœlestibus inserendam condidit, quam illis, quorum studio prima mœnium suorum fundamenta jacta fuerunt, ex quibus is qui illi nomen dedit fraterna cæde fœdavit, festivitatem tamen ipsius Cathedræ, quæ, juxta antiquissimorum sanctorum Patrum nostrorum testimonia, xv Kal. Febr. fuit, et in diversis orbis Christiani, ut præsertim Galliæ et Hispaniæ partibus, prædicta die solemniter celebratur, minime observet celebretque solum festivitatem Cathedræ Antiochenæ, quæ octavo Kalendas Martii juxta eorumdem Patrum testimonium fuit : tanquam idem Salvator noster qui sæpius infirma elegit ut fortia quæque confundat, non respiciens imbecillitatem nostram, festivitatem Cathedræ, qua ipse Petrus apostolus Romæ primum sedit, nostris temporibus celebrandam, seu potius antiquæ celebritati restituendam reservaverit. » Quibus ex Pauli verbis tria innotescunt : 1° suo ævo non celebrari Romæ festum Romanæ Cathedræ ; 2° antiquissimos Patres testari Romanam Cathedram fuisse xv Kal. Febr., quo die apud exteros, præsertim Gallos et Hispanos, tunc temporis celebrabatur ; 3° originem Romanæ Cathedræ non aliam esse quam epochem instituti Romani pontificatus.

X. Horum primum tametsi abunde comprobavi monumentis veterum per prima octo Ecclesiæ sæcula, non tamen negare ausim quod aliquandiu per nonum decimumve sæculum Romæ quoque id festum celebraretur. Moveor enim laudatis Pauli verbis, qui Martyrologorum auctoritate festivitatem Cathedræ *celebrandam, seu potius antiquæ celebritati restituendam* sanxit, xv Kal. Febr, quod est caput alterum. Eorum vero genealogiam, sive, ut melius dicam, ætates spectari oportere intelligo, ut dictis major fides accedat. P. Joan. Baptista Sollerius in præfatione ad Usuardum (*tom. VI Jun.* a num. 12, usque ad 160) tres omnium principes ponit, Eusebium, sive Hieronymum, seu utrumque simul, V. Bedam, et auctorem incertum Martyrologii Ravennæ reperti ab Adone. Horum veluti successores facit Rabanum, Adonem, Notkerum, Usuardum. Rabanum docet esse aut æqualem Flori diaconi Lugdunensis, qui Bedæ Martyrologium circa annum 830 amplificavit, aut probabilius suum Martyrologium confecisse ex inspectis additamentis Flori ; Adonem episcopum Viennensem probat eodem tempore meditari suum ex eodem fonte ; Notkerum demonstrat vidisse etiam Martyrol. Rabani ; ac denique Usuardum monachum, qui post alios scripsit circa annum 875, facile alienos omnes labores inspexisse affirmat.

XI. Quamobrem, ni ego fallor, tenemus originem Romanæ Cathedræ, quando scilicet in Martyrologia laudatorum Patrum primo irrepsit. Cum vero eruditissimus canonicus Parisiensis, Claudius Castellanus, affirmet quod idem festum in Galliis ante Carolum Magnum peculiare erat, Romæ vero et tota Italia prorsus ignotum, Paulus autem IV veram ejus originem dicat fuisse derivatam ab initio Romani pontificatus : operæ pretium fecero si ostendam quod non recte xv Kal. Febr. in Galliis hoc Romanæ Cathedræ initium constitutum fuerit. Magnus pontificiæ chronologiæ assertor Blanchinus invictis adeo rationibus planum facit primordia Romanæ Cathedræ a die 25 Aprilis repetenda esse, ut eamdem rem iterum demonstrare in eodem opere otiosum videatur. (*Vide notas ad S. Petrum.*) Quid vero si ea vidisset quæ eruditissimus fratris filius P. Joseph. Blanchinus protulit e patria præstantissima bibliotheca Veronensi, quam ille toties excussit expilavitque? Veterem nempe codicem Sacramentorum eruit [a], in quo die 25 Aprilis non ut in aliis litaniæ majores, incertum valde argumentum, sed integra exhibetur missa divi Petri, et ne ullum remaneat dubium quin principium Romanæ Cathedræ inde sumi debeat, notatur in margine : IN DEDICATIONE. Verum fateor, cum primum hoc pretiosissimum monumentum mecum communicavit, qua est liberalitate et humanitate laudatus vir, exsultavi gaudio ; nam vidi hoc esse argumentum invictum ad constituenda Romanæ Cathedræ primordia cum catalogo Felicis IV et tertio codice Colbertino, die 25 Aprilis, qua in omnibus Sacramentariis et codicibus videbam inmui litanias majores et stationem ad S. Petrum ; at mysterium assequi non poteram.

XII. In ordine præsertim Romano canonici Benedicti sæpe laudati legebam, num. 58 : *Finita Letania aliisque officiis, ascendit ad basilicam S. Petri, ubi est studio : ibique dominus pontifex cantat missam.* Itemque in excerptis Petri Manlii, pariter canonici S. Petri, cap. 27, de diurnis Stationibus : *In Letaniis majoribus in die S. Marci, in Dedicatione ecclesiarum apostolorum Petri et Pauli* (nempe 18 Novembris, quo die legitur in Kalendar. et Martyrol.)

[a] Vide Patrol. tom. LV.

Digitized by Google

in Cathedra S. Petri. In libro autem Onuphrii Panvinii de Stationibus urbis Romæ : *In die sancti Marci in Litaniis majoribus vetus statio.* De Stationibus vero fer. II, ad S. Paulum ; fer. III, in basilica Lateranensi, et fer. IV, ad S. Petrum triduanarum litaniarum, Rogationum tempore : *Recens statio.* Quæ omnia faciebant ut irem pedibus in sententiam Blanchini ; at quemadmodum minime cum videbam rejicere diem 18 Januarii, ita ex discrimine illo quod idem ponit inter fundatam Cathedram et declaratum primatum, non obscure intelligebam aliquod adhuc dubium in ejus mente inesse, undenam repeti Romanæ Cathedræ primordia oporteret. Nunc vero et Bedæ genuino Martyrologio, et magni Leonis Sacramentario inspectis, non amplius dubitandum reor, cum Blanchino, de primordiis fundatæ Cathedræ Romanæ ; sed probabili admodum ratione ab ipsa die 25 Aprilis repeti eadem posse.

XIII. Quod autem attinet ad festum Romanæ Cathedræ, aut illud celebrandum, aut veteri celebritati restituendum decreverit Paulus IV die 18 Januarii, minorum etiam Ecclesiarum exempla secutus, ut ait, id profecto nihil impedit quominus extra diem fundationis illud celebremus, quemadmodum ex cod. Gelasiano præfigi olim constat diei 29 Junii, quod et de Antiochena Cathedra jam nonni esse factum. Hanc siquidem non quo die incathedratio facta est Antiochiæ, celebrandam instituerunt Romani pontifices, sed quo die superstitiosa epularum festivitas a Christianis more gentium colebatur. Quin etiam duodecimi sæculi scriptor probatissimus Beletus uno eodemque die utramque Cathedram Romæ celebrari tradidit in suo Ration. div. off. c. 83 : « Hoc item tempore, inquiens, celebrari solet Cathedra sancti Petri, tam quæ Romæ fuit, quæque tempore posterior est, quam illa quæ fuit Antiochiæ. Verum illa quæ fuit Antiochiæ, solemnior profecto est alia, ut vel hujus diei collecta, quæ est de incathedratione Antiochiæ facta abunde testatur, diciturque festum B. Petri epularum. » Et infra : « Quod quidem cum viri sancti animadvertissent, ac penitus illam consuetudinem exstinguere voluissent, instituerunt festum de Cathedra S. Petri, tam de illa quæ fuit Romæ, quam quæ Antiochiæ ; idque illo eodem die quo abominanda illa ab ethnicis fiebant, ut solemni hoc festo pravæ istius consuetudinis festum omnino exstingueretur. » Quæ non abludunt a sermone supra laudato D. Augustini, aut alius antiqui Patris, de utraque simul Cathedra agentis ; neque a prædictis codd. Vaticanis, semel duntaxat festum Cathedræ memorantibus, tametsi stabilis remaneret ritus litaniarum et cæterorum quæ fieri consueverunt die anniversario fundatæ Cathedræ 25 Aprilis.

XIV. Dicendum restat de origine fundatæ Cathedræ Romanæ ultra montes, quam a die 18 Januarii repetitam esse testantur Antiphonarium ms. S. Galli in Helvetiis, additamenta ad Martyrologium Bedæ, et posteriores codd. multi. Gallicani Magistri, ut eos vocat Walafridus Strabo, habuerunt haud dubie præ oculis Laterculum Polomæii Silvii, in quo legitur die 22 Febr. : *Depositio S. Petri et Pauli ;* figentesque eodem die martyrium apostolorum, principium Romani pontificatus D. Petri constituere conati sunt ; nec difficile illis fuit catalogum aliquem seu codicem invenire, qui, ut noster Cavensis, daret Petri sedi, præter annos viginti quinque, mensem unum, dies quinque. Quare a die, quam crediderunt, martyrii, retrocedentes mense uno, diebus quinque, in octavam decimam Januarii inciderunt, quam, prout erant vel episcopi vel monachi, suis in ecclesiis, vel monasteriis, fundatæ Cathedræ sacram haberi voluerunt. Hinc factum est quod alias apud ecclesias, quibus religio et pietas suadebant ut quotcumque possent sanctorum nomina suis Martyrologiis adjungerent, festum Romanæ Cathedræ cœpit esse celebre. Præsentissima exempla proferam quæ luce ipsa clarius rem demonstrent. Quæ præ aliis adducit laudatus P. Sollerius, Martyrologia Hieronymiana *contracta*, ut vocat, ea sunt Rhinoviense et Richenoviense. Eademque ut Romanum vetus, illud reginæ Sueciæ, et tot alia Martyrologia præstantissima, habebant die 18 Januarii, *Romæ S. Priscæ.* Deinde sunt passa additionem, tanta conflatoris socordia, ut futuram vel cæcis reliquerit deprehendendam. Spectentur ambo : Rhinoviense : XV *Kal. Febr. : Romæ sanctæ Priscæ. Item Romæ Cathedra S. Petri apostoli, et Ponto Mariæ.* Richenoviense : XV *Kal. Febr. : Romæ Cathedra S. Petri apostoli, et in Ponto Mariæ. Item Romæ S. Priscæ.*

XV. Prætereo manifestam hujus in principio, illius in fine additionem ex *Romæ* repetitione ; per se enim patet : quid sibi vult Richenoviensis (nam Rhinoviense duobus mensibus Februario et Martio est mutilum) commemoratio illa de Cathedra Antiochena, *Natale Cathedræ apostoli Petri?* nonne adscitiam suggillat primam Romanæ Cathedræ memoriam? At de luce solis disputo ; nam Henschenius et Papebrochius in præfatione ad Martyrologium Bedæ duo hæc Martyrologia conflata affirmant addendo ex aliis quæcunque libuit. Ejusmodi sunt et alia quæ affert Sollerius, et Gellonense ipsum in Spicilegio Dacherii tom. XIII evulgatum (quod editor, ut maximam ei antiquitatem ascribat, tamen ultra sæculum nonum transmittere non potest) eodem tempore est conflatum, cum sanctorum nomina hinc inde eligere conabantur eorum scriptores, ut singuli dies mensium implerentur ; idque magna, quam habent, similitudine deprehenditur. Utrum fons præcipuus unde ejus ætatis Martyrologi derivarunt sua, Bedæ Martyrologium fuerit, affirmare non ausim ; hoc certum scio quod hujus exempla ab archetypo admodum rara eam additionem exhibent, ut patet ex tot codd. ab Henschenio, et Papebrochio inspectis, quorum unicus Tornacensis ad usum monasterii S. Martini Romanæ Cathedræ memoriam refert.

XVI. Cæterum quicunque hanc additionem primus in Martyrologia invexerit, tanto id fecit successu, ut vel in uno Italo Ambrosiano Kalendario legerim. Sutura tamen facta est pari socordia atque in laudatis Transmontanis. Et sane duo sunt antiqua Kalendaria Ægyptiacorum dierum superstitionem more antiquorum præferentia, quæ in lucem edidit V. C. Ludovicus Muratorius (*Italicor. Scriptor.* tom. II, pag. 2). Nempe Ambrosianum et Sitonianum, illud certe antiquitate huic præstat, et est fere totum astronomicum, præter quatuor primos menses, in quibus termini paschales et alia ad præcipuas solemnitates spectantia indicantur. Utrumque ad Mediolanensem Ecclesiam spectantia exhibet festa. Ambrosianum vero sanctorum nomina non recitat nisi mense Januario, tribus enim sequentibus rara, deinde nulla prorsus memorat. Plura autem numerat quam alterum recentius, ita ut sæpe additum haud dubie videatur. Ac ne gratis id affirmem facit dies ipsa XV Kal. Feb. hæc habens : *Priscæ virginis. Romæ Cathedra S. Petri ;* ubi additio est evidens, tum quia nullibi præter hic locum nominat ; tum quia Petro apostolo addit *S.*, ut ipsis Kalendis addiderat Martinæ virgini, item additiliæ, quod non facit nisi bis aut ter in aliis hujusmodi additionibus, ut sunt *S. Benedicti ;* depositio *S. Ambrosii*, et *S. Zenonis ;* exceptis iis paucis qui apud antiqua Martyrologia tali honore dignantur. Sitonianum e contrario, tametsi admodum recentius, *Cathedram S. Petri* memorat suo loco, id est 22 Febr., quod illud non facit. Quæ cum ita sint, pervetusta igitur Breviaria illa et Martyrologium Rom. ms. ; in quibus Baronius legit festum Cathedræ Romanæ die 18 Januar. (*not. ad Martyr* d. die) antiquiora esse non possunt nono aut decimo Eccl. sæculo. Ac proinde sive id temporis celebraretur Romæ festum Cathedræ die 18 Januar., sive non celebraretur, quemadmodum papa illud poterat instituere quocunque die sibi placuisset, ut de

Digitized by Google

aliis quamplurimis festis accidit, quæ celebrantur extra proprium diem; ita non fuit opus Paulo IV rem subtilius indagare; cum præsertim *in diversis orbis Christiani partibus*, ut ipse ait, præfata die XV Kal. Feb. celebraretur. Itaque *minorum etiam Ecclesiarum* exempla sequi non est dedignatus, ut ad principis apostolorum gloriam Cathedræ Romanæ ritus uno eodemque die in toto orbe catholico ac præsertim in urbe Roma celebraretur.

CIACONII.

Linea 1. — *Sisinnius.* Joannis filius, Syrus, Justiniano II Augusto imper.; sedit dies XX; creatus XV Kal., consecratus X Kal. Novembris.

MAFEI.

Linea 1. — *Sisinnius natione Syrus.* Temporibus Benedicti II restincto per Constantinum Pogonatum iniquissimo jure confirmandi electum pontificem, de quo supra dixi in Benedicto, novas artes Græci excogitarunt, quibus pro eorum arbitrio Romanam moderarentur Ecclesiam. In sacrum videlicet cleri Urbis collegium Græcos et Orientales curabant cooptari, ex quibus præcipue exarchorum opera pontifex eligebatur. Benedictus Joannem, nominis ordine quintum, Syrum natione, successorem habuit; Joannes, Cononem Thracem; Conon, Sergium Syrum; Sergius, Joannem VI, et deinde VII, ambos Græcos; Joannes VII, Sisinnium hunc Syrum; Sisinnius, Constantinum itidem Syrum; et vix uno Gregorio II interjecto, Gregorius III, Syrus, eligitur; post quem Zacharias, Græcus, Romanæ sedi præficitur. Sed tantum abfuit ut hac de causa electi pontifices vel minimum quidpiam apostolicæ gravitatis et religionis remiserint, ut Græcorum iniquis postulationibus nemo his acrius obstiterit.

XC. CONSTANTINUS

ANNO CHRISTI 708, JUSTINIANI ITERUM 5.

170 Constantinus, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit annos septem, dies quindecim [a]. Fuit autem temporibus Justiniani Philippici et Anastasii Augustorum. Vir valde mitissimus, cujus temporibus in urbe Roma fames facta est magna per annos tres. Post quos tanta fuit ubertas, ut fertilitatis copia præteritæ sterilitatis inopiam oblivioni mandaret. Hic ordinavit Felicem archiepiscopum Ravennatem, qui secundum priorum suorum solitas in scrinio noluit facere cautiones, sed per potentiam judicum exposuit, ut inaluit [b]. Cujus cautio, a pontifice in sacratissima confessione beati Petri apostoli posita, post non multos dies terra et quasi igni combusta reperta est. [c] Nam Ravennatium cives elati superbia digna ultionis pœna mulctati sunt. Mittens quippe Justinianus imperator Theodorum patricium et primum [d] exercitus insulæ Siciliæ cum classe navium, Ravennam civitatem cepit, præfatum archiepiscopum arrogantem in navi vinctum tenuit, et omnes rebelles quos ibi reperit compedibus strinxit, divitias eorum abstulit, et Constantinopolim misit. Dei autem judicio, et apostolorum principis Petri sententia, qui inobedientes fuerunt apostolicæ sedis [e], amara morte perempti sunt, et isdem archiepiscopus lumine privatus dignam factis recipiens pœnam exsul in Ponticam transmissus est regionem.

171 Hisdem [f] temporibus misit suprafatus imperator ad Constantinum pontificem sacram per quam jussit eum ad regiam ascendere urbem [g]. Qui sanctissimus vir, jussis imperialibus obtemperans, illico navigia fecit parari, quatenus iter aggrederetur marinum, et egressus est a portu Romano die quinta mensis Octobris, indictione IX. Et secuti sunt eum Nicetas episcopus Silvæ Candidæ, Georgius episcopus Portuensis, Michaelius [h], Paulus, Georgius presbyter, Georgius diaconus, Georgius secundicerius, Joannes primus defensor, Cosmus [i] sacellarius, Sisinnius nomenculator, Sergius scriniarius, Dorotheus et Julianus subdiaconi, et de reliquis gradibus Ecclesiæ pauci clerici [j].

172 Veniens igitur Neapolim, illic eum reperit. Joannes patricius et exarchus, cognomento Rizocopus, qui veniens Romam jugulavit Saulum [k] diaconum et vicedominum, Petrum arcarium, Sergium abbatem presbyterum, et Ser-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, 6, *d.* 15. [b] Voluit. *B*, Valuit. [c] *Vide Baron ad ann. Domini* 708. [d] primicerium. [e] *B*, sedi. [f] *B*, Iis [g] *Vide Baron. ad ann. Domini* 709. [h] Michael. [i] *B*, Cosmas. [j] *B* non pauci. [k] *B*, Paulum.

Digitized by Google

gium ordinatorem, pergensque Ravennam pro suis nefandissimis factis judicio Dei illic turpissima morte occubuit. Georgius vero presbyter Neapoli relictus est, et pontifex cum suis Siciliam perrexit, ubi Theodorus patricius extraticus [a] anguore detentus occurrens pontifici, magna cum veneratione salutans atque suscipiens, medelam adeptus est celerem. Atque inde egrediens per Regium et Cortonam, transfretavit Gallipolim, ubi mortuus est Niceta episcopus. Dum vero Hydrunti moras faceret, eo quod hiems erat, illic suscepit sigillum imperiale per Theophanium regionarium, continens ita ut ubi [b] denominatus contingeret [c] pontifex, omnes judices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter imperatorem viderent. Unde egressi partes Græciæ contingentes, in insula quæ dicitur Cæa occurrit Theophilius patricius extraticus [d] caravisianorum [e] cum summo honore eum suscepit, et amplectens ut jussio continebat, iter absolvit peragere cœptum. A quo loco navigantes venerunt a septimo milliario Constantinopolim; ubi egressus Tiberius imperator, filius Justiniani Augusti, cum patriciis et omnibus inclytis, et Cyrus patriarcha cum clero et populi multitudine, omnes lætantes et diem festum agentes. Pontifex autem et ejus primates cum sellaribus imperialibus, sellis et frenis inauratis simul et mappulis ingressi sunt civitatem. Apostolicus pontifex cum Caumelango [f], ut solitus est Romæ procedere, a palatio egressus, in Placidias usque ubi placitus erat [g], properavit.

173 Domnus autem Justinianus imperator, audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, a Nicæa Bithyniæ misit sacram [h] gratiarum actione plenam: Et ut debuisset pontifex occurrere Nicomediam, et ipse venire [i] a Nicæa, quod et factum est. In die autem qua se vicissim [j] viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite se prostravit, pedes osculans pontificis. Deinde in amplexum mutuum [k] corruerunt, et facta est lætitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni principis. Die vero Dominico missas imperatori fecit, et communicans princeps ab ejus manibus, quoque suis delictis ut deprecaretur pontificem postulans, omnia privilegia Ecclesiæ renovavit, atque sanctissimum papam ad propria reverti absolvit. Egressus igitur a Nicomedia civitate crebris valetudinibus pontifex attritus, tandem, sospitatem Deo tribuente, incolumis ad portum Caietæ pervenit, ubi sacerdotes et maximam populi Romani reperit multitudinem, ac vicesimo quarto die mensis Octobris indictione x, Romam ingressus est, et omnis populus exsultavit atque lætatus est.

174 Hic fecit ordinationes episcoporum in eundo et redeundo per diversa loca episcopos duodecim. Post menses autem 3 lugubre nuntium personuit, quod Justinianus Christianissimus imperator, et orthodoxus imperator, trucidatus est, et Philippicus hæreticus in imperiali promotus est arce, cujus et sacram cum pravi dogmatis exaratione Constantinus suscepit, sed cum apostolicæ sedis consilio respuit. [l] Hujusque rei causa zelo fidei accensus omnis cœtus Romanæ urbis imaginem, quam Græci votaream [m] vocant, sex continentem sanctas ac universales synodos, in ecclesia beati Petri erexerunt. Hic refecit patenam auream, pensan. lib. duodecim. Eodem tempore Felix archiepiscopus Ravennæ, ab exsilio reductus, pœnitentia motus, licet oculorum lumine privatus, tamen ad propriam rediit sedem, et solita quæ ab universis in scrinio Episcoporum fiunt indicula, et fidei expositionem, et hic confessus est, sicque reconciliationis promeruit absolutionem.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] et Straticus. [b] ubicunque. [c] conveniretur. [d] et Strategus *B*. [e] *B*, curavisianorum. [f] Camelauco. [g] hospitaturus erat. [h] epistolam. [i] veniret. [j] *B*, invicem. [k] motuo. [l] *Vide Baron. ad ann. Domini* 711. [m] pancaream.

Digitized by Google

175 Hujus temporibus duo reges Saxonum ad orationem apostolorum cum aliis plurimis venientes, sub velocitatem [a] suam vitam, ut optabant, finierunt. Venit autem et Benedictus archiepiscopus Mediolanensis orationis voto, et suo se pontifici præsentare. [b] Altercavit vero et pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est, eo quod a priscis temporibus sedis apostolicæ ejusdem Ticinensis Ecclesiæ antistes ad consecrandum pertinebat atque pertinet.

176. Hisdem temporibus cum statuisset populus Romanus nequaquam hæretici imperatoris [c] nomen aut chartas vel figuram solidi suscipere, unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, nec suum nomen ad missarum solemnia proferebant [d], contigit ut Petrus quidam pro ducatu Romanæ urbis Ravennam dirigeret præceptum, et pro [e] hujusmodi causa acciperet. Dumque innotuisset quod ad nomen [f] hæretici imperatoris sua promotione isdem Petrus fuisset potitus, zelo fidei accensa magna pars populi Romani statuerunt nullo modo hunc ducem suscipere. Et factum est, dum Christophorus, qui erat dux, ob hanc causam cum Agathone et suis hominibus concertarent, bellum civile exortum est, ita ut in via Sacra ante palatium sese committerent, et ex utrisque partibus amplius quam viginti quinque plagarentur atque interirent, donec pontifex mitteret sacerdotes cum Evangeliis et crucibus Domini, sicque partes sedarentur. Nam pars Petri ita angustiata, ut nulla illi esset spes vivendi. Verum ad pontificis jussum pars alia, quæ et Christiana vocabatur recessit. Sicque defensoris hæretici pars valuit Petri, ac si illa attrita recederet [g]. Non post multos autem dies scripta venerunt a Siciliensi insula, quæ nuntiaverunt Philippicum hæreticum a principali vertice depulsum, et Anastasius orthodoxus Augustus sceptra regalia gubernanda suscepit [h]. Tunc orthodoxis exsultatio magna, tenebrarum autem dies cunctis hæreticis superfusa est. Post aliquod vero temporis [i] scholasticus cubicularius patricius et exarchus Italiæ veniens Romam detulit secum sacram Anastasii principis, per quam veræ se orthodoxæ fidei prædicatorem et sancti sexti concilii confessorem esse omnibus declaravit, quam et pontifici obtulit, et ita perrexit Ravennam. Dum autem hæc gererentur, obtinuit Petrus ducatum [j], promittens quod nulli [k] adversari niteretur. Hic fecit ordinationem unam, presbyteros decem, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero sexaginta quatuor. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum v Idus Aprilis, indictione XIII, Anastasio Augusto, et cessavit episcopatus dies quadraginta.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

velocitate. [b] *Vide Baron. ad ann. Domini* 711. [c] Imperatoris Philippici. [d] proferebatur. [e] dirigeretur, et præceptum pro. [f] *B*, nomine. [g] Sicque defensorum Petri hæretici pars non prævaluit, sed attrita recessit. [h] *Vide Baron. ad ann. Domini* 713. [i] tempus. [j] *B*, *add.* Urbis. [k] *B*, nequaquam ultra Romanis.

VARIÆ LECTIONES

Ex codice Farnesiano XC.

Num 170, *lin* 7, exposuit ut maluit.

Num 172, *lin* 18, et omni synclitu. *lin* 21, cum caarelauco.

Num 174, *lin* 5, pravi dogmatis exaratione suscepit.

Num. 176, *lin.* 3, ad solemnia proferebatur. *lin.* 11, amplius quam XXX plagarentur.

Ex codice Vallicellano.

Num. 170, *lin* 2, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thuan et ita lin* 6, 8 *et* 9. *lin* 4, post quos tantum fuit ubertas, ut feralitatis copia. *lin* 10, est Ravennatium quoque cives. *lin* 11, mittens quoque Just. *lin ead*, primicerium exercitus ins. Sicil circumdasse Ravennam. *lin* 13, et in navi, etc., *ut laudd codd. lin* 16, sedi. *lin* 17, privatus *ibid* et exul.

Num 171, *lin.* 2, *cod. Vallicell. concordat cum* A *Reg., Maz. et Thuan. et ita lin ead atque lin* 4, 5 *a* 9. *lin* 6, Gregorius presbyter, Georgius diaconus, Gregorius secundicerius, Jo. defensor primus, Cosmas. *lin.* 8, scriniator, Dorotheus subdiaconus, et Julianus subdiaconus.

Num 172, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thuan., et ita lin.* 4, 11, 20 *et* 23. *lin* 2, Rizocopos q. ven. Rom. jug. Savilum diac. Petrum Arch. *lin.* 5, Gregorius vero presb. Neapolim relictus est. *lin.* 6, et stratigos langore detentus, *etc. ut cod. Maz., Reg. et Tuan. lin.* 8, celerem, atque inde, etc. *ut laudd. codd. lin.* 9, Callipolim. *lin* 10, Ydrontho. *lin.* 11, ut quicumque denom. conveniret Pont. *lin* 14, Theophilus Patr. et stratigos curavisianorum, et cum. *lin.* 17, ubi egressus est. *lin.* 18, et omni synclito *lege* syncleto, hoc est senatu. *lin.* 22, Romam procedere.

Num 173, *lin* 2, *cod Vallicel.* a Nichea *Bithiniæ*

Digitized by Google

lin 3, et ipse veniret a Nichea. *lin* 5 *et* 6, in amplexu mutuo. *lin* 8, proque suis delictis, ut deprecaretur Deum, pontificem postulans. *lin* 10, atque beatissimum papam ad propria reverti absolvit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad capiendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum eum idem venerabilis papa prohibuit, ne hoc facere deberet, etc. *ut laudd codd usque ad* attritus est. *Mox cod Vallicel* tandem sosp Domino e. t. incol portum Gajetæ pervenit. *lin* 13, et vigesima quarta die. *lin* 14 *ut laudd codd.*

Num 174, *lin* 1, *cod Vallicel*, ordinationem episc in eund et red per div loca XII. Post, *lin* 3 *concordat cum Reg, Maz et Thuan et ita lin* 5 *et* 10. *item lin* 16 *et* 11, *nec. non lin* 12 *lin* 6 concilio respuit. Hujus rei causa zelo fid. acc. domnus papa, et omnis cœtus. *lin* 7, continentem VI. S. ac un. synodos, etc. *ut laudd codd lin* 11, quæ ab universis episcopis in scrinio fiunt.

Num 175, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Th. et ita lin* 5. *lin* 2, sub velocitate vitam suam, ut optabant fin. Venit quoque his diebus et Ben. *lin* 4, altercatus est vero pro Eccl. Tic., sed convictus est, eo quia.

Num. 176, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, statu, memoratus papa, et populus Rom. ut nequaquam hær. imp. Philippici nomen, aut chartas, vel figuram, etc., *ut cod. Reg., Maz. et Thuan. cum quibus concordat etiam lin.* 5, 9, 11, 16, 19 *et* 22. *lin.* 10, exortum est, ut in via Sacra, ante Palladium. *lin.* 13, *ut laudd. codd. usque ad* quæ Christophori; *mox cod. Vallicel.*, vocabatur, recessit; sicque defensorum hæretici Petri pars non prævaluit, sed attrita recessit. *lin.* 26, apud B. Petrum Ap. sub die XI, mens. Febr. indict. XIIII, et cessavit episcopatus annos, dies XI.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 170, *lin* 2, *A*, dies 18, *B*, 28. *lin* 10, *A*, digna multitudinis. *lin* 11, *A*, primos exercitus. *lin* 15, *AB*, sedit. *lin* 16, *AB*, et idem.

Num 171, *lin* 2, *B*, sacram epistolam. *lin* 4, *B*, egressus ad portum Romanum. *lin* 6, *AB*, Gregorius diaconus. *lin* 8, Sergius scriniator.

Num 172, *lin* 2, *B*, decollavit sagiolum, *A*, sajulum. *lin* 6, *A*, stratigas, *B*, et straticus. *lin* 12, *B*, præfectum inveniret pontificem, *A*, conjungeret. *lin* 14, et stragus, *B*, et stradicus carabisianorum. *lin* 16, *B*, venerunt ad 7 milliarium. *lin* 21, *A*, mapolis. *lin* 23, ubi placuit ei.

Num 173, *lin* 7, *B*, missam.

Num 174, *lin* 2, episcop 41. *lin* 4, *B*, imperialem promotus est archen. *lin* 7, *B*, qua Græci Botarica, *A*, votaria. *lin* 11, ad proprium rediit thronum. *lin* 12, expositiones confessus est. *B*, expositiones hic confessus est.

Num 175, *lin* 2, *AB*, sub velocitate. *lin* 4, *B*, altercatus est.

Num 176, *lin* 2, *B*, suscipi debere. *lin* 5, *B*, dirigeret, et præceptum pro hujusmodi. *lin* 6, *B*, hæretici suam promotionem petisset. *lin* 11, *B*, triginta flagellarentur. *lin* 12, *B*, et crucem Domini, *AB*, sicque partes sedarent. *lin* 19, post aliquantum vero temporis scholastici. *lin* 27, *A*, indictione XIV.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 170, *lin* 2, dies 20. F. Hic fuit vir mitissimus valde. *lin* 6, secundum priores suos sol. *lin* 8, ut voluit. *lin* 9, non post m. d. *lin ead* est. Ravennatum quoque cives. *lin* 11, et primicerium exercitus ius. Sic. cum classe Rav. *lin* 13, et in navi v. t. omnesque rebelles q. r. *lin* 14, omnes div. *lin* 15, sancti P. S. ib. sedi. *lin* 17, est, dignam. *lin ead.*, et exsul.

Num 171, *lin* 2, sacram misit. *lin ead*, qui venerabilis vir jussis imperatoriis. *lin* 3, præparari. *lin* 4, m. Itaque egr. *lin* 5, secuti, sunt autem cum Niceta. *lin* 6, Georgius (*M*, Gregorius). *lin* 7, defensorum primus, Cosmas. *lin* 8, scriniator. *lin ead*, Dorotheus subdiaconus, et Jul. subd. *lin* 9, clèric pauci.

Num 172, *lin* 1, veniente igitur eo Neap. *lin* 2, Rizocopos. *ib. R.* decollavit Savillum diac. Pet. *lin* 4, Pergens vero R. *lin* 5, Georgius (*M*, Gregorius). *lin* 6, et stratigus l. d. occ. pontificemque magna cum veneratione s. *lin* 8, celestem, atque inde pergens p. R. et Cotronam. *lin* 10, Idronto. *lin* 11, Theophanum. *lin* 12, conveniretur P. *lin* 14, pas. et stratigos Curavisianorum, etc. *lin* 18, et omni syndico. *lin* 20, et omnes pr. C. S. i. sellas, et frænos inauratos simul et mappulas habentes ing. s. c. Apostolicus vero P. cum camelauco. *lin* 22. ubi Romam pr. *lin* 23, ubi hospitaturus erat p.

Num 173, *lin* 3, veniret. *lin* 5, in c. in terram sese pr. *lin* 5 *et* 6, in amplexo mutuo. *lin* 9, dep Dominum pontif. *lin* 10, beatiss. P. ad propriam sedem reversi abs. Qui cum exercitum mitteret in Pontum ad capiendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum idem papa abstinere eum prohibuit ne hæc facere deberet; sed tamen inhibere non potuit. Egressus igitur pontifex a Nicomediæ civ crebris invalitudinibus attritus est tamen (*M*, tandem) sosp Domino ei t. inc ad portam civitatis pervenit (*M*, in portum Caietæ p.) *lin* 13, mult rep et vig. *lin* 14, est omnisque.

Num 174, *lin* 1, fecit vero ordinationem in e. et r. episc. p. d. *lin* 3, Chr et orth imp t. est Philippicus vero. *lin* 5, exar non post multum susc. *lin* 6, hujus rei c. *lin ead* acc dominus papa, et omnis cœtus. *lin* 7, in imag q. G. pan (*M*, vocaream) contin. 6, f. ac. un. synodos in porticu ecclesiæ S. Petri cum picturis erexit. Nam et hujusmodi picturas, cum haberentur in regia urbe Philippicus jusserat auferri. Eodem temp. *ut lin* 9. *lin* 10, Ravennas; *lin* 10 *et* 11, priv esset tamen, ad proprium rediit thronum, et s. *lin* 12, indic expositionis fidei, et hic.

Num 175, *lin* 1, eo quoque tempore d. *lin ead.*, orationes *lin* 2, sub velocitate, et optabant, vit s. f. Venit quoque his diebus, et Ben. *lin* 3, et ut suo se P. præsentaret. *lin* 4 altercatus est vero pro. *lin* 5, sedi.

Num 176, *lin* 1, st. memor papa, et pop Rom. *lin ead et* 2, hær I Philippici nomen, aut chartas nomen, vel figuram solidi susciperent, nec ejus effigies in Ecclesia introduceretur, nec nomen ejus ad. m. sol. proferretur, contigit. *lin* 5, dirigeretur, et præc pro h. c. a. Dumque in notitiam venisset q. a n. h. l. suam promotionem. *lin* 9, concertaret. *lin* 11, quam triginta flagellarentur at. 1. *lin* 12, et cruce D. *lin* 13, P. in angustia sita erat, et nulla ei erat sp. v. verumtamen ad P. i. pars alia, quæ Christophori r. Sicque defensatio Petri pars hæretici non prævaluit, sed attrita recessit. *lin* 16, nuntiav quod Philippicus hæreticus a princi v. depulsus esset, et Au. Aug ort s. r. g. suscepisset. *lin* 19, post aliquod vero tempus schol pat et ex. lal. *lin* 23, et ita Rav perr. Dum autem hæc ager ob. P. supradictus Duc pr. q. nequaquam ultra Romanis adversari niteretur. Hic papa fecit patenam auream, pens lib 20. Fecit autem ordinationem unam. *lin.* 26, apud B. P. A. sub die 11, mens Febr, indict XIV, etc. episc d. 40 (*M*, ann 1, d. 40).

Ex codice Thuano altero.

Num 170, *lin* 2, dies q. vir amantissimus valde, c. *lin* 6, secundum morem p. *lin* 8, ut maluit. *lin* 9, non post m. *lin* 10, jam Rav civ c. el. in superbiam. *lin* 11, et primi ex. i. S. cum classe R. *lin* 17, privatur d. *lin ead* exsilio in P.

Num 171, *lin* 5, indict 8. *lin ead.* Silva Candida. *lin* 6, presbyteri. *lin* 7, Comas. *lin* 8, Dor. diaconus, et J. subdiaconus.

Num 172, *lin* 2, decollavit S. d. Pet. *lin* 6, et stratigos. *lin* 12, conjungeret P. *lin* 13 *et* 14, conjungentes *ib.* et stratigos. *lin* 18, et omnes incliti. *lin* 21, camelauco.

Digitized by Google

Num 173, *lin* 3, veniret. *lin* 5 *et* 6, in amplexu mutuo c. *lin* 8, de ejus m.

Num 174, *lin* 1, hic fecit ordin in c. *lin* 2, lug nuntiatum p. quod J. C. et orth ad truc est et P. h. ad imperialem p. c. arcem. *lin* 7, botarpa v. *lin* 11, red thronum. *lin* 12, exp hic c.

Num 175, *lin* 2, cum velocitate. *lin* 3 *et* 4, ut suo se P. præsentaret. *lin* 4, convictus. *lin* 6, pertinebat. Hisd.

Num 176, *lin* 4, proferebatur. *lin* 5, dir et pr. pro. *lin* 8, hunc susc. *lin* 11, quam 30 p. *lin* 14, quæ Chr. *lin* 13, att rediret. *lin* 20, deferens sec. *lin* 24, P. duc quod nequaquam adv. *lin* 26, 64, et episcop.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 170, *lin* 4, post quæ. *lin* 8, maluit. *lin* 11, primi exerc.

A *Num* 171, *lin* 3, illico. *lin* 5, Octub. *lin ead*, Silva Candida. *lin* 6, presb Gregorius. *lin* 7, Cosmas.

Num 172, *lin* 2, sajulum. *lin* 4, pergens Rav. p. quæ suis. *lin* 9, Callipolim. *lin* 10, Ydronto. *lin* 11, ubi ubi. *lin* 13, patres grec. conjungentes in ins. q. d. C. o. Theophilus. *lin* 19, pontifex, et ejus. *lin* 22, Roma.

Num 173, *un* 2, plena. *lin* 3, Nicomedia. *lin* 5, prostravit, et pedes. *lin* 11, Domino trib incolumis portum razete.

Num 174, *lin* 3, Christianissimus et orth imp truc e. Ph. *lin* 6, cetus. *lin* 7, votarea.

Num 175, *lin* 1, rege. *lin* 4, Ticinense.

Num 176, *lin* 4, umanæ urbis. *lin* 6, heretici sua pr. *lin* 13, sedarent n. p. pet inangustiata nulla illi erat. *lin* 17, depulsum. Anast. *lin* 18, suscepit, orthodoxis. *lin* 20, Romam deferens.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 170, linea 6. — *Felicem.* Mala hic recenset Anastasius, quæ Ravennatensi populo illata sunt, quod nescio quædam ausi fuerint inconsulto, atque temere. Reticet autem rebellionem factam in Justinianum, quam Agnellus prolixe refert, cum ea de causa Felix archiepiscopus erutis oculis exsul in Ponto aliquandiu vixerit. Cautio vero ab eodem tradenda ei similis, vel forte amplior erat, quæ in Diurno Romano habetur, quamque electi metropolitæ faciebant. Amplior, inquam, fuit Ravennatensium episcoporum, cum ea capitula complecti deberet, quæ sub Leone II, concordata fuisse asseverat idem Agnellus in Vita Theodori Ravennatensis cap. 4, p. 153. Videsis Bacchinium in Observat. ad Felicis Ravenn. Vitam.

Num 171, linea 2. — *Ad regiam ascendere urbem.* Prolixe Anastasius iter pontificis et comitum gesta recenset. Paulus vero Diaconus, lib. VI, c. 31, ubi de Justiniano hæc habet: « Hic Constantinum papam ad se venire jubens, honorifice suscepit ac remisit. Quem prostratus in terram pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta ejus Ecclesiæ privilegia renovavit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum eum isdem venerabilis papa prohibuit, ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit. » Si hæc cum Agnelli narratione conferantur, qui prodit Justinianum infensissimum fuisse Ravennatibus, atque Urbi, et optimatibus incommoda plurima intulisse, quos reos dejectionis suæ ab imperio noverat, causam fortasse divinabimus itineris, quod pontifex Constantinopolim suscepit, scilicet conquestus Constantinus papa de sibi abnegata a Felice Ravennatensi cautione, ad rei examen coram instituendum, accersitus fuisse videtur a Justiniano, qui inter concessa apostolicæ sedi privilegia, confirmavit decreta Constantini Pogonati circa subjectionem Ecclesiæ Ravennatensis ad Romanam. Quod autem affirmat Paulus, commonitum a pontifice Justinianum, ne milites, copiasque suas adversus Philippicum dirigeret, eo quod proditionem subodoraverit, ipso eventu comprobatum est, deprehensumque, monitum consultissime fuisse traditum.

Num 174, linea 3. — *Justinianus trucidatus est.* Narrant infelicem Justiniani sortem, ob Philippici tyrannidem, et proprii exercitus proditionem, auctor Miscellæ, et Theophanes. Refert autem Agnellus in eadem Felicis Ravennatensis Vita, causam conjicit in ea quæ imperator contra Ravennatenses egerat, auctore seditionis Joannicio, qui paulo ante sicariis dixerit et proditoribus: « Cras eadem quæ ut nunc est hora interficietis imperatorem vestrum, et erit mecum ante æquissimum judicem.... alio vero die, hora qua prædixerat ille irruentes super imperatorem, non sustinentes populi ejus malignitatem, oc-

B ciderunt eum. » Addit Agnellus, et mortis genus, et ludibrium principi illatum, cujus caput per Italiam universam perlatum fuerit. Sed hic levem, ut alibi, traditionem vulgi describit rudis historicus.

Lin. 4. — *Et Philippicus hæreticus.* Exscribit Anastasius, quæ habet Paulus, c. 32: « Exercitus, qui missus contra Philippicum fuerat, ad partem Philippici se contulit, eumque imperatorem fecit. Qui Cplim contra Justinianum veniens, cum eo ab urbe milliario decimo pugnavit, vicit, et occidit, regnumque ejus adeptus est. » Immodica Justiniani sævities permovit ad defectionem populos, ut ibi advertit Paulus, qui cap. 33 addit: « At vero Philippicus, qui et Bardanis dictus est, Cyrum.... de pontificatu ejectum, ad gubernandum monasterium suum, Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino papæ litteras pravi dogmatis direxit, quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit. Et hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ gesta sex sanctarum synodorum universalium retinent. Nam et hujusmodi picturas, cum haberentur in regia urbe, Philippicus jusserat auferri, statuitque populus Romanus, ne hæretici imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperent. » Duo hinc concilia accuratius expendenda sunt, quorum alterum illegitimum est Cpoli habitum; alterum Romæ a pontifice celebratum.

C

DE CONCILIABULO CONSTANTINOPOLI CIRCA SYNODUM VI CELEBRATO.

Philippicus itaque, dum exsul ob affectatam tyrannidem apud Chersonam ageret, imperator a Chersonensibus electus est, quippe qui audierant Justinianum multa adversus eosdem parata classe disponere et moliri. De primis Philippici motibus et imperialis exercitus proditione agit Agatho diaconus, in peroratione ad synodum VI, quam edidit Combefisius in Auctario ad Bibliothecam PP. Sic enim ille: « Nimirum amplissimo excercitu, quem mari in diversas distributum turmas ad urbem Chersonem expugnandam ac diripiendam, ejusque funditus necandum delendumque populum destinarat, inde adversus eum rebellante ac impetum faciente, eodem ipso exercitu, fanatico quodam promiscue ac temere tumultu, nullaque legitima probatione ac suffragio in imperatorem præficiente, præfectumque renuntiante, quemdam id temporis tyrannidis prætextu iis locis exsulantem, nomine Bardanem, genere Pergamæum, filium Nicephori. » Meruerat Philippicus in schola Monothelitarum, a quibus hæreticam labem imbiberat; sed vehementius in errore confirmatus ab impostore quodam monacho, de quo auctor Miscellæ, pag. 145, ad hunc modum scribit: « Priusquam imperaret, erat quidam inclusus in monasterio Callistrati prævisor (ἀστρονόμος) et hæreticus, qui ad se venienti Philippico dixit: *Imperium tibi est repositum.* At ille turbatus est; et ait inclusus: *Sic*

D

jubet Deus ; tu quam, ob rem contradicis ? Hoc autem dico, quia sexta synodus male facta est. Si ergo imperaveris, hanc projice, et imperium tibi efficietur forte atque longævum : qui cum juramento spopondit ei se hoc facturum. Cum autem Leontius Justiniano successisset, ascendit Philippicus ad inclusum, qui dicit ei : *Ne festines, fiet tibi.* » Et Theophanes in Chronico, pag. 319 : « Cæterum prius longe quam imperio potiretur, ad Callistrati cœnobium inclusus non nemo, vaticinandi arte præditus et hæresi infectus morabatur, qui Philippico ad se nonnunquam venienti prænuntiavit : *Imperium tibi repositum est.* Et Philippico sermonibus istiusmodi perculso, subinfert inclusus : *si Deus ita jubet, adversaberis tu ? Illud unum enuntio : pessime rerum synodus* VI *peracta est. Si usquam imperaveris, proscribe, et incassum redde, et felix tibi diuturnumque imperium succedet.* Is, data perjurandi fide, rem exsequendam in se suscepit. » Erat inclusus Stephani abbatis et Macarii Antiocheni, contumacissimi Monothelitæ, discipulus ; atque, ut ait Agatho diaconus : « Jam olim habens innatam, non solum præcedente parentum, ut ipse dicebat, doctrina, et traditione, sed etiam falsam quamdam doctrinam huic sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi contrariam profanissimam hæresim, ut qui ab ineunte ætate fuisset discipulus Stephani abbatis, discipuli Macarii. » Hujuscemodi autem impostores monachi, astrologiæ judiciariæ dediti, mirum quam sæpe incautos dementarent. Ærugo erat hæc perquam familiaris hoc ferreo Ecclesiæ tempore viris deo sacratis. Hinc Paschalis archidiaconus, qui sub Sergio pontificatum ambierat, referente Anastasio : « Ab officio archidiaconatus pro aliquibus incantationibus et lucis quos colebat, vel sortibus, quas cum aliis respectoribus tractabat, Dei beatique apostolorum principis Petri interveniente judicio, privatus est. » Philippicus interim ad imperium evectus, monachum illum allegit socium et perfidiæ promotorem. « Statim ac nulla mora, imperiali potestate ac auctoritate usus, ante suum ipsius ingressum, sanctæ ejusdem sextæ synodi imaginem.... expositam dejici jussit ; alioquin, inquiens, non sustinens ingredi in regiam non suam, nisi ita prius res habuisset, » ut ait Agatho, qui extemplo subdit : « Brevissimo autem post tempore, cum eos quoque quos diximus invenisset in imperiali palatio repositos, mea manu scriptos, ejusdem sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi Actorum tomos, eos ejiciens, et in publicum proferens, in secreto igni tradidit ac abolevit. » Paria scribit Joannes patriarcha in synodica ad pontificem. « Ausus est comburere tomos Actorum nominatæ sanctæ sextæ synodi, repositos in palatio, existimans, ut sibi videbatur, cum iis verbum quoque delere veritatis. » Acta sunt hæc anno 711. Mox autem indixit Cpnum conciliabulum, ut solemniore decreto anathemati sexta synodus subderetur.

Anno itaque 712 coactum est Cpoli hoc concilium, de quo Theophanes : « Insanum conciliabulum adversus sanctum œcumenicum concilium celebratum est : Cyroque expulso sub sextum patriarchatus sui annum, Joannes Patriarcha Cpnus factus est ; Andreas autem metropolitanus Cretæ, et Germanus Cyzici metropolita, propalam subscripserunt, ac anathemate damnarunt cum omnibus collegis præfatam in Monothelitas celebratam sanctam œcumenicam synodum. » In eo itaque conventu primum actum est de synodo Chalcedonensi condemnanda, ut innuit Joannes patriarcha in epistola a Combefisio ibid vulgata, ad Romanum pontificem, in qua quod ipse huic prædatoriæ synodo præfuisset, veniam poscit, atque inter alia inquit : « Imo vero quidam jam murmurarent ipsam sanctam catholicam Chalcedonensem synodum abrogandam, utpote quæ ab illa penderet, quod ad dogmatum attinet convenientiam, et eam, ut ita dicam, haberet radicem et confirmationem dicta sancta sexta synodus. » Verumtamen ausi tunc non sunt quidquam decretis A suis attentare contra magnum Chalcedonense concilium, licet anathema intorserint synodo VI et universis Patribus qui in eadem consederant, scribente Nicephoro in Historia : « Post hæc Philippicus imperium turpiter et negligenter administrat, et eos Patres qui in VI œcumenica synodo convenerunt, condemnat, et quæ ab iis de duplici Christi Domini voluntate et actione decreta erant, improbans. Qua in re adjutorem nactus est Joannem patriarcham Cpnum, et Germanum Cyzici metropolitanum, aliosque tam sacerdotes quam senatores plurimos. » Editum subinde est encyclicum decretum, cui episcopi omnes sub gravissimæ multæ interminatione deberent profiteri et subscribere ; quod paucis enarrat Agatho diaconus : « Cum plurimos et orthodoxos Patres fuisset persecutus, et quosdam ex eis misisset in exsilium, et maxime eos qui noluerunt ejus jussu composito ac pronuntiato de fide veluti tomo ad abolendam hanc sanctam et œcumenicam sextam synodum, subscribere. » Eadem habet libellus synodicus Pappi : « Philippicus autem, qui et Bardanes, Chersone profectus, cum una cum classe regia occupasset, et Justinianum in Dimatrye gladiis occidisset, Cpoli synedrium nefandum congregans, Monothelitarum impietatem renovavit. » Subscriptiones Joannis Cpoli, Germani in patriarchatu postmodum successoris, et Andreæ Cretensis, hujus conciliabuli præsidum, quorum celebris erat doctrina, in tantum valuit, ut plurimos ad subscribendum huic formulario pertraheret ; quanquam id fecisse eos arbitrarentur, ad majora evitanda mala ; recte an secus, in dissertatione de Œconomia ecclesiastica opportunius disputabimus.

B

C

D

SYNODUS ROMANA SUB CONSTANTINO.

Scribit Anastasius Philippicum imperialem sacram ad Constantinum direxisse *cum pravi dogmatis exaratione ;* Paulus vero duntaxat ait misisse eum *Constantino papæ litteras pravi dogmatis.* In eo uterque consentit quod pontifex illas *cum apostolicæ sedis consilio respuit.* Synodum hoc loco denotari a pontifice coactam arbitramur, in qua discussa fuerit hæreticalis Philippici epistola. Cui libeat ea consulere quæ in nostra dissertatione prima de litteris encyclicis disputata sunt, is nihil ambiget apostolicæ sedis confirmationem fuisse semper exigitam, quoties nova fidei professio, declaratio aut simile quidpiam ad publicum Ecclesiæ bonum spectans, evulgabatur, quatenus in dogmatis aut disciplinæ constitutione unitas totius ecclesiasticæ compagis eluceret. Jam perfidiæ tomus, ut loquitur Agatho, missus ad Orientis metropolitas fuerat, ut imperarent suffraganeis et professionem et subscriptionem. Id multo arbitratus est imperator urgentius promovendum esse apud Occidentales, gnarus a capite postremum necessarium robur decretis hujusmodi esse exspectandum. Cum vero moribus receptum esset ut id genus encyclicæ in synodo Occidentalium proponeretur, aut saltem in synodo apostolicæ sedis, quæ pro necessitate ex vicinioribus provinciis adunabatur, Romæ colligitur synodus, et, ut oportuit, episcopi hæreticalem tomum exsecrantur, improbos Philippici conatus declarant, ipsumque velut hæreticum ubique proclamant. Decretum subinde primo fuit ut in atrio S. Petri imagines conciliorum omnium una cum synodo VI apponerentur cum suis fidei decretis, ut conjicere licet ; namque consueverunt præcipua conciliaria decreta in tabulis scribi, ut populo innotescerent. Quod de synodo VIII factum ostendit Breviarium inter Acta ejusdem repositum, in quo asseritur gesta synodalia posita fuisse apud templum S. Sophiæ. Haud aliter damnatio Anastasii in tabulis apud S. Petrum publico usui et conspectui reposita est, cujus exemplar in sua Romana collectione vulgavit Holstenius. Interim Romanus populus Philippico obedientiam denegavit palam et velut plebiscito. « Statuit populus (verba sunt Pauli

Digitized by Google

diaconi) ne hæretici imperatoris nomen, aut chartas susciperet..... unde nec ejus effigies in ecclesia introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum. » Imo, ut luculentius populi zelum pro fide orthodoxa perspicias, constanter respuit ipsam consuetam erogationem quæ dum novi imperatoris effigies solemni ritu per Urbem deferebatur, a ministris distribui consueverat populo, quod solidus pro more recentis imperatoris figuram exhiberet. Unde signanter Paulus *figuram solidi* a populo rejectam fuisse narrat. Tandem ad synodalis decreti exsecutionem etiam armis certarunt Romani adversus Petrum, qui ab imperatore missus fuerat ad Romanum ducatum regendum, quique per vim et nefas conabatur formularium impietatis, quod Anastasius vocat *præceptum*, Romæ promulgare, atque omnes ad professionem subscriptionemque adigere, ut prodit Noster. Quin etiam eousque arma infesta tenuit, donec scholasticus cubicularius patricius et exarchus Italiæ Romam veniens, secum detulit sacram Anastasii orthodoxi principis ad pontificem, in qua se catholicæ fidei prædicatorem et sancti sexti concilii esse confessorem palam omnibus declaravit. Quæ sunt fere verba Pauli Diaconi ibid : « Hic (Philippicus) cum annum unum et sex menses regnum gessisset, contra eum Anastasius, qui et Artemius dictus est, insurgens, eum regno expulit, oculisque privavit, nec tamen occidit. Hic Anastasius litteras Constantino papæ Romam per Scholasticum patricium et exarchum Italiæ direxit, quibus se favorem catholicæ fidei et sancti sexti concilii prædicatorem esse declaravit. » Atque hæc sunt Acta synodi hujus Romanæ sub Constantino.

Num 174, linea 9. — *Felix archiepiscopus.* Liberatum ab exsilio Felicem Ravennatensem archiepiscopum, imo et muneribus ditatum cumulatumque remissum fuisse ad propriam sedem, prodit Agnellus, qui dona pariter eidem collata recenset.

Num 175, linea 1. — *Duo reges Saxonum.* Eadem habet Paulus cap. 37 : « His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et feminæ, duces et primates, divini amoris instinctu Romam venire consueverunt. »

Num 176, linea 17. — *Anastasius orthodoxus Augustus.* De hujus electione audiendus, qui tunc vivebat, Agatho diaconus : « Die enim Sabbati sanctæ Pentecostes, indictione XI, repente circa crepusculum in eum facta insurrectione, præter exspectationem, ab exercitu qui in Thracia fuerat congregatus propter irruptionem vicinæ gentis Hungarorum Bulgarorum, cum magna cæde et strage Christianorum qui manebant in Thracia, ejus culpa factam quod pactis conventis non steterat; captus ipse barbarus tyrannus, imperioque motus et ejectus, repente orbatur oculis, in tenebris deinceps insipientis sui cordis tempore vitæ suæ ambulans, ut dicit Psalmorum eloquium. Sequenti autem die proclamatur ipse die sanctæ Pentecostes, inspiratione et gratia sanctissimi et vivifici Spiritus imperator, pius et orthodoxus, nomine Philartemius, qui etiam mutato nomine postea vocatus fuit Anastasius, qui prius fuerat in numero scholæ a secretiorum : sententia et suffragiis sacrosancti senatus, et totius catalogi sacerdotalis, et Christi amantium qui illic agebant, exercituum et universi populi civitatis, primum renuntiatus in sanctissima Dei catholica et apostolica ecclesia, et coronatus a pontifice et patriarcha Joanne ad sanctum et venerabile altare : cum eo aperte quoque proclamata et renuntiata ab omnibus sanctissimis, qui ibi agebant, pontificibus, et pio clero dicta sancta et œcumenica sexta synodo. Qui quidem maximam curam gerebant pacis et concordiæ sanctissimarum, quæ ubique sunt, Ecclesiarum. »

BINII ET LABBEI.

Num. 170, linea 1. — *Constantinus.* Anno 708, prima Martii. Hujus temporibus Hispania proditione Juliani comitis, eventu miserabili, Saracenorum imperio tota subjecta fuit, haud dubie permissu Dei vindicis, Roderici libidinem et Witizæ regis a sede apostolica defectionem vindicantis. Vide Baron. ann. 713.

Linea ead. — *Sedit annos septem.* Sex annis uno tantum mense et die Constantinum sedem apostolicam tenuisse recte probat Baronius.

Num 172, linea 16. — *Venerunt Constantinopolim.* Anno Christi 710, pontificatus Constantini tertio. Quid ibidem egerit, scriptorum inopia latet, quanquam ex Vita Gregorii II aperte colligatur, ipsum de auctoritate canonum sextæ synodi hoc tempore inter Orientales et Occidentales controversorum apud imperatorem pluribus egisse.

Linea 18. — *Inclytis.* Intellige senatoribus.

Linea ead. — *Cyrus patriarcha.* Hunc Callinico oculis orbato et Romam relegato Justinianus subrogavit, ideo quod ipsum imperio restituendum prædixisset. Theophanes in annalibus.

Num. 174, linea 7. — *Imaginem, quam Græci tabellam vocant*, etc. Ea occasione quod Philippicus imperator inter alia nefanda sanctas VI synodos œcumenicas effigiatas a pariete abradi præcepisset.

Num. 176, linea 4. — *Ducatu Romanæ urbis.* Hinc constat Romanam rempublicam his temporibus solitam esse gubernari per duces qui ab imperatoribus mitterentur.

Linea 16. — *Nuntiaverunt Philippicum hæreticum a principali vertice depulsum.* Bardanes Philippicus promotione per diabolum et magum quemdam postea excæcatum facta, acclamatus est imperator. Per rebellionem contra Justinianum conciliatam imperio potitus, abdicato Cyro episcopo Constantinopolitano, et Joanne quodam Monothelita in ejus locum suffecto, explet quod pseudomonacho per juramentum promiserat, nimirum, ut sacrosancta sexta synodus œcumenica damnaretur, ea fiducia ut longævum imperium obtineret. Sed a Mago turpiter delusus, fiducia excidit; nam dum vix secundum annum imperii attigisset, excæcatus, et per Anastasium in exsilium tractus, eamque sustinuit pœnam quam ipse aliis intulerat. Hæc Theophanes et Cedrenus.

CENNI.

NOTÆ CRONOLOGICÆ.

Quanquam minus diligens ratio temporum, ancepsque sententia Codicum hariolari compellat chronologos præstantiores; tamen præsidio quandoque veteris monumenti astruuntur quæ aut dubie affirmata, aut opinioni alteri prælata temere videbantur. Perinde est de primordiis Constantini pontificis; cum enim prædicta duo incommoda valde operosam reddiderint chronologiam superiorum trium pontificum, idemque pergant facere in hujus et Gregorii II ætatibus consignandis, aliunde monumentum vetus demonstrat utram opinionem præstet sequi, docens vulgati Codicis Anastasii depositiones præferendas iis quæ mss. Codd. leguntur. Monumentum vero exstat in catalogo sæpe laudato Veronensi, æquali eorum temporum qui ita habet : *Primo anno pontificatus ejus* (Constantini) *implentur anni* CL *de repetito cyclo Victorii, indict.* 7 *anno primo, Tiberio imperante cum Justiniano patre.*

Tria ex pretioso hoc monumento innotescunt, (præsertim quod Victoriana periodus hauddum apud Italos desueverat) quæ ego breviter persequar, quia meum institutum attingunt. Tribus illud characteribus temporum insigne est : Cyclo, seu periodo Victoriana, indictione, et imperatore. Victorianæ periodi repetitæ annus 150 cum Kalendis Januariis Dionysianæ 709 incipit. Nam, ut erudite card. Noris (*de Cyclo Pasch. Rav.*, cap. 2) contra Scaligerum demonstrat, principium ejus periodi oportet desumere ab anno passionis Jesus Christi bissextili 28, cujus Kalendæ Januariæ fer. 5, Pascha V Kal. Apr. lunæ cyclo 16 qua tota revoluta expletur an

Digitized by Google

nus 559, quo erant Kalendæ Januariæ fer. 4, Pascha Kalib. Apr., lunæ cyclo 9. Quamobrem sequenti anno 560 nova revolutio incipit, ejusque annus 150 fluere incipit cum anno Dionysiano 709, quo ex allato monumento in cursu erat primus annus Constantini papæ. Indictio autem 7 cum cœpit a Septembri mense anni 708, haud dubie concurrit cum 150 periodi Victorianæ, et 709 Dionysianæ. Ad imperatorem quod spectat, annos monumentum non numerat, sed Tiberii filii ejus in consortium asciti neglectum a nonnullis imperium, quod Baronius an. 703, ex Græcorum Annalibus Theophane et Cedreno memorat, testatur. Quin Baronius cum Tiberio Theodoram conjugem imperiali corona insignitos ab Justiniano, statim atque recuperavit imperium, ibidem docet, quod de Tiberio conceptis his verbis Paulus diaconus (*De Gest. Lang.*, lib. VI, cap. 32) tradiderat : *Imperavit autem Justinianus cum filio Tiberio in hac secunda vice annos sex.*

Hinc facile agnoscitur utriusque imperatoris annus, cum enim liqueat ex Anastasio pontificem Constantinopoli Romam rediisse anno 711, die 24 Octobris mensis, ac post menses tres nuntiatam fuisse Romæ cædem Justiniani, cujus imperium Philippicus usurpaverat minime dubium est Decembri mense ejusdem anni 711 Justinianum esse obtruncatum, ac proinde anno 705, eodem mense Decembri, cœpisse iterum imperare cum Tiberio filio, quod recte etiam Pagius observat, adversus opinionem doctissimi cardinalis, qui biennio imperium auget. Quare anno Victorianæ periodi repetitæ 150, Dionysianæ 709, in cursu erat quartus utriusque imperatoris annus; quæ ad majorem veteris monumenti intelligentiam dicta accipiantur. Nunc vero, juxta ejus fidem, ea persequar quæ ad Constantini pontificatum attinent.

Jure, ut patet, mirabar, quod doctis aliquot viris visa fuerint repetenda Constantini primordia a mense Decembri anni 707, namque ita ejus annus primus cum 709 minime poterat numerari; ut autem ea recte constituantur sequenti anno 708, spectandum est interpontificium post Sisinnium. Hoc pontifice repentina morte obeunte, ac die 7 Februarii anno 708 ad sanctum Petrum deposito, vacavit apostolica sedes mensem unum, ut unanimi consensu omnes codd. et catalogi habent, ac dies XVIII, ut legitur in catalogo Lucensi, quatuor colbertinis, seu XIX, ut habet Colbertinus primus, Codicesque Regius, Mazarinus, Thuanus, et Ambrosiani duo primus et tertius, cæterorum auctoritatem dies decem addentium esse rejiciendam docente die emortuali Constantini. Quare cum post interpontificium unius mensis, ac dierum XVIII, Sisinii emortuali exclusa, seu XIX eadem inclusa, fiat obvia dies 25 Martii cum Dominica ea anno bissextili concurrens, eamdem constat ordinationi pontificis assignandam esse. Idem quippe postquam sedit annos VII, dies XV, ex consensu omnium catalogorum et Codicum, paucorum dierum discrimine in eorum aliquibus occurrente jus deque habendo ; v Idus Apr., seu die 9 ejusdem mensis, indict. 13, quæ annum indicat 715, occubuit, ut recte Anastasius vulgatus, et Codd. Freherianus alter, Cavensis, et Farnesianus, quibus astipulatur catalogus Lucensis diem emortualem a sepulturæ aperte distinguens, dum die 7 April. mortem Constantini consignat. Totidemque numerantur a die ordinationis 25 Martii anni 708 ad emortualem, seu depositionis 9 April. 715. Aliorum codd. qui cœpto in errore persistunt, et mortem pontificis ad multos menses producunt, manifestam contradictionem in exscriptorum vecordiam rejici oportere chronologus diligens observabit, ut aliorum mentem e tot ambagibus aliquando eductam, iisdem iterum obvolvi non curem. De Constantino autem satis multa.

A

C

D

CIACONII.

Num 170, linea 1. — *Constantinus.* Joannis filius, Syrus, imperatoribus Justiniano juniore et Philippico Bardane Augustis, sedit annos VIII, mensem unum, dies XX; creatus X Kal. Januarii, consecratus VIII Kal., die Natalis Domini, ineunte anno 708, sub quo ingens fames.

Linea 7. — *Noluit facere cautiones.* Moris tum erat ut episcopi, antequam consecrarentur, rationem fidei atque obsequii ederent, eamque in pontificium tabularium referrent, quod cautiones in scrinio facere illi dicebant.

Num. 174 Linea 17.—*Lumine privatus.* Æneo vase concavo candente inspecto; inde enim radius ignitus egreditur, qui facillime oculorum aciem perstringit et obcæcat.

MAFEI.

Num. 170, linea 7. — *Solitas in scrinio noluit facere cautiones.* Apud scriptores medii ævi aliquis dicebatur *cautiones in scrinio facere*, qui fidei et observantiæ suæ rationem scriptis conceptam in tabularium referebat. Unde cautionis nomen, quam Ravennatum archiepiscoporum in morem Felix noluit præstare, non cautionem de pecunia Romam mittenda, ut perperam quidam scripsere, hic significat, sed assertam certis verborum formulis sinceram fidem, qua recens ordinatus Ravennas antistes jurabat se velle subesse Romano pontifici, nedum communi illa reverentia qua omnes episcopi subsunt, sed insuper præcipua quadam, qua metropolitæ Ravennates Romano pontifici, ut Occidentis patriarchæ subjiciebantur. Subdit enim Anastasius : *Sed propter potentiam judicum exposuit, ut maluit ;* hoc est subnixus Felix potentia judicum exarchatus, vel etiam illorum judicum qui imperatoris nomine Romæ jus dicebant, exposuit arbitratu suo, ut libertati Ecclesiæ Ravennatis magis favebat. Censeo nimirum Felicem nolnisse in ejus ordinatione præstare Constantino pontifici easdem cautiones, quas exstincto post schismate præstabant Ravennates episcopi, autocephaliæ prætextus omnes tollentes de medio, atque illarum instar quæ habentur in libro Diurno; sed illis aliquid addidisse, aut fortasse verius, ab illis demere voluisse eorum quidpiam, quæ jus patriarchicum Romanæ Ecclesiæ supra Ravennæ metropolim exprimebant. Verum hujusmodi cautio a pontifice in confessione beati Petri apostoli posita, post multos dies atra, et quasi afflata igni inventa est, ut narrat hic Anastasius. Res enim a pontifice Deo commissa, et principis apostolorum patrocinio commendata, declarata fuit per signum divinitus editum, veluti certa nota voluntatis divinæ, ingratam scilicet Felicis professionem Deo fuisse, in qua Ecclesiam a beato Apollinari jussu Petri fundatam, Romanæ Ecclesiæ, quatenus Occidentis patriarchalis est, subjectam esse non exprimebat.

Num 171, linea 2. — *Qui sanctissimus vir jussis imperialibus obtemperans.* Precibus nempe adhibitis, præstitaque quacunque securitate per litteras, Justinianus junior, tum ad meliorem frugem receptus, Constantinum pontificem accersit in regiam urbem, mandatis editis, ut quocunque pontifex diverteret, ibi non aliter a magistratibus reciperetur, ac si ipse adesset. Gestorum seriem narratam ab Anastasio, cum eleganter describat ex eo Sigonius (*de Regno Italiæ*, ad annum 711), hujus verba me transferre in hunc locum non piget. « Constantinus, inquit, ineunte vere, Hidronto digressus, in omnibus quæ attigit Græciæ oppidis omni genere liberalitatis est cultus. Constantinopolim inde accedenti Tiberius, Justiniani filius, et Cyrus patriarcha cum patriciis et civibus universis obviam ad septem millia passuum exierunt, ac diem festum agentes in urbem equis ornatissimis cum comitatu suo impositum, ac pontificiam chlamydem de more indutum induxerunt, atque in ædibus Placidiæ, ubi paratum erat hospitium, colloca-

Digitized by Google

runt. Justinianus de adventu pontificis certior factus sacram alteram ad eum ex Bithynia misit, gratiis actis rogans, ne Nicomediam accedere gravaretur; nam se illuc quoque Nicæa processurum. Profectus est ergo Nicomediam Constantinus ingenti honore ab illa quoque civitate exceptus. Neque ita multo post Justinianus advenit. Inauditus post hominum memoriam in iis locis pontificis imperatorisque congressus omnes vicinos populos ad visendum tam rarum in terris spectaculum concitavit. Itaque frequentissima omnis generis multitudine circumfusa imperator urbem ingressus, ad pontificem ex composito exspectantem accessit, ac more coronatus ad pedes ejus procubuit, atque eis osculum tulit; et solemnibus datis utrinque amplexibus, benigne in primis ac liberaliter appellavit, omnibus qui aderant ingentes præ lætitia plausus edentibus, nec minus nostris propter insignem principum concordiam Ecclesiarumque lætantibus. Inde ad suas uterque ædes digressi, sequentes dies variis de Ecclesia imperioque constituendo sermonibus traduxerunt. Quibus cum imperator se classem exercitumque adversus Philippicum mittere velle diceret, pontifex, ne id faceret magnopere dissuasit. Verum irrita omnis ejus oratio fuit. Placuit inde utrique ut die Dominico res divina a pontifice fieret. Ea vero apparatissima pompa confecta, imperator peccatis ante suis expiatus corpus ab eo Domini sumpsit, ac vetera omnia Romanæ Ecclesiæ privilegia confirmavit, atque eum inde Romam dimisit. » Hactenus Sigonius; cæterum quam ob causam præcipue imperator Constantinopolim vocavit pontificem, præ scriptorum inopia non certo constat; ex his tamen quæ in sequenti Vita sancti Gregorii II, a nostro referuntur, colligitur controversiam fuisse inter Latinos et Græcos jam diu vexatam, ob canones additos quintæ et sextæ œcumenicis synodis, ut illi tandem finis a pontifice præsente imponeretur. Scribit enim ibidem Anastasius : « Cum viro sancto Constantino pontifice ad regiam profectus est urbem, atque a Justiniano principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem. »

Num. 175, linea 4. — *Altercavit vero et pro Ecclesia Ticinensi.* Ordinationem Ticinensis episcopi ad Mediolani metropolitam antiquitus spectavisse, duo exempla, quorum etiam num memoria superest, ita liquido ostendunt, ut perperam scribat Sigonius (*De Regno Italiæ*, ad annum 715), Benedictum Mediolanensem archiepiscopum novi parandi juris causa, Ticinensis episcopi consecrationem ad se traducere voluisse; sed adversantibus omnibus vetustatis exemplis, victum abscessisse. Desumitur primum exemplum a facto sancti Crispini episcopi Ticinensis, qui, ætate fractus, diem resolutionis cognoscens instare, sanctum Epiphanium adduxit ad Mediolanensem antistitem, eum orans, ut postquam ab humanis excessisset, Epiphanium Ticinensi sacerdotio præficeret; quod præstitum fuit a Mediolanensi statim ac Crispinus migravit ad superos, ut in Vita sancti Epiphanii testatur sanctus Ennodius, qui etiam fuit Ticinensium episcopus. Alterum vero habetur in Vita sancti Ambrosii scripta eodem ævo a Paulino presbytero, in qua legitur : *Ordinato sacerdote Ecclesiæ Ticinensis, incidit in infirmitatem.* Sed in Romana synodo sub Constantino Benedictus archiepiscopus cecidit causa, *eo quod*, ut noster inquit, *a priscis temporibus sedi apostolicæ, eju dem Ticinensis Ecclesiæ antistes ad consecrandum pertinebat, et pertinet.* Hæc vero prisca tempora non altius repeti possunt ab iis, quibus Langobardorum reges Ticini sedem posuere. Facta enim per Langobardos in Italiam irruptione, Honoratus Mediolanensis antistes novæ gentis feritate perterritus, cum plerisque clericorum, atque optimatum Genuam concessit. Post eum plures archiepiscopi Mediolanenses traduntur electi ibidem fuisse, usque ad sanctum Joannem Bonum, qui, immanem Langobardorum dominatum non timens, ad sedem suam se contulit, Ligusticæ secessioni ferme post lapsum sæculi finem imponens.

Cum vero pro vetere jure recuperando consecrationis Ticinensis episcopi Benedictus litem intentavit in Romano concilio, a discessu Honorati sesquisæculum effluxerat. Hac de causa noster affirmat spectavisse ad Romanum pontificem *a priscis temporibus* consecrare episcopos Ticino regiæ urbi præficiendos; unde Benedictus sententia Romanæ synodi victus abcessit. Eumdem controversiæ finem fuisse scribit etiam Paulus Diaconus (*libro* VI, *cap.* 29), qui addit præterea venerabilem Benedictum archiepiscopum virum egregiæ sanctitatis fuisse, de quo per universam Italiam bonæ opinionis fama fragravit. Tanta vero hujus archiepiscopi sanctitas fuit, ut in sanctorum fastos ejus nomen relatum sit, atque ab Ecclesia Ambrosiana quotannis quinto Idus Martias memoria ejus solemni ritu celebratur. Imo in tabula archiepiscoporum Mediolanensis Ecclesiæ decreto concilii provincialis edita, quæ exstat quarta parte Actorum sub sancto Carolo, sanctus Benedictus de familia Crispi fuisse dicitur : quæ res doctissimo Papebrochio (*tomo VII Maii in Exegesi de episcopis Mediolanensibus*), haud probatur; quod ea tempestate, qua sanctus Benedictus vivebat, id est octavo sæculo, notus non erat cognominum usus, qui post undecimum tantummodo invaluit. Hinc censet et Puricello, Petrum Galesinium primum fuisse qui cognomina familiarum nobilium antiquis nominibus episcoporum addiderit. Sed longe ante Galesinium, qui decimo sexto sæculo vitam agebat, in mss. episcoporum catalogis, nonnulli archiepiscopi, qui ante undecimum sæculum floruere, cum familiarum cognominibus scripti inveniuntur. Præsertim in catalogo ms. Philippi de Castro Seprio, quem usque ad ejus ætatem, ad annum scilicet 1331, perduxit, cujus exemplar, Mediolani cum essem, in bibliotheca insignis monasterii sancti Ambrosii ego perlegi. Non igitur Galesinius singula episcoporum cognomina catalogis primus attexuit. Quod non ita tamen velim intelligi, ut cognomina, præsertim inter Ecclesiarum antistites, ante undecimum sæculum in usu putem fuisse, cum id unice sentiam, tam firmiter veterum episcoporum origines in nobilibus Mediolanensium familiis (quod idem Puricellus in Vita sancti Laurentii Littæ testatur) continuata majorum traditione servari potuisse, ut quasi domesticæ historiæ fulcis præsidio, sobolem quisque sibi cognominem, postquam cognomina adjecta sunt, merito ascripserit. Id autem multo facilius cæteris Crispa familia potuit præstare, quandoquidem sanctus Benedictus ad multos annos, ad septimum videlicet supra quadragesimum, Mediolani sedem tanta vitæ sanctimonia illustravit, ut ejus fama, quemadmodum Paulus noster laudatus testatur, universam Italiam pervaserit.

Num. 176, linea 16. — *Nuntiaverunt Philippicum hæreticum a principali vertice depulsum.* Per rebellionem adversus Justinianum concitatam Bardanes dictus Philippicus ope Chersonitarum imperio potitus, ejecto Cyro patriarcha Constantinopolitano, ac Joanne diacono et chartulario œconomii in ejus loco suffecto, exsequitur quod juratus receperat pseudomonacho præstigiatori, qui illi imperium portenderat, sexti nimirum universalis concilii abrogationem. In hoc autem scelus haud difficile fuit Bardanem impellere, qui a puero Stephanum abbatem Monothelitam Macarii discipulum docentem audierat, atque ex prava institutione altius animo hæresim hauserat. Conciliabulo itaque coacto, sextæ synodo per summum nefas dixit anathema, illiusque imaginem, quæ in palatii vestibulo intra quintam et sextam scholam erat depicta, antequam urbem ingrederetur, jussit deleri, ut legitur in Peroratione Agathonis diaconi, apud Combefisium (in *Hist. Monothel.*). Hinc fore Bardanes confidit ut diutina statione, quod dæmoniacus illi *prænuntiare-*

Digitized by Google

rat, possideret imperium. Sed turpiter a præstigiatore delusus, paucis post mensibus supra annum exsecratus fuit a Rufo opsicianorum præfecto, ac deinde per Artemium, Anastasium appellatum postquam imperator est consecratus, pulsus fuit in exsilium.

PAGII.

Num. 170, linea 5. — *Hic ordinavit Felicem.* Ipso Constantini papæ exordio, Damiano Ravennatensi episcopo mortuo, Felix in ejus locum subrogatus est; qui Romam licet reluctans, ex more se conferens, ut consecrationem a pontifice acciperet, professionem fidei edidit, et obedientiæ sponsionem. Sed Ravennam rediens civium instigatione, eam violavit, et a sede apostolica sese schismate iterum divisit: cujus rei gratia in ipsum concitatus Justinianus imperator, Theodorum patricium cum exercitu Ravennam misit, qui, capta civitate, rebelles bonis spoliavit, ac vinctos Constantinopolim misit; ubi morte puniti sunt, ipseque Felix archiepiscopus oculis privatus, ac in Pontum exsilio deportatus est. Ita Anastasius, qui tamen in Constantino papa addit, occiso Justiniano, Felicem liberatum esse exsilio, et licet cæcum, Ecclesiæ suæ restitutum, post præstitam Romano pontifici solitam obedientiam. Imo cum egregia claruisse sanctitate, ac miraculis etiam coruscasse, auctor est Hieronymus Rubeus in Historia Ravennatensi. Ex quo tempore præsules ejusdem civitatis in omnibus se obedientissimos Ecclesiæ Romanæ pontificibus exhibuerunt usque ad sæculum undecimum ineuntem, ut in Paschali II videbimus.

Num 171, linea 1. — *Hisdem temporibus misit*, etc. Quid Constantinus papa Constantinopoli egerit, scriptorum inopia et silentio latet, sed agitatam ibi fuisse tunc controversiam de canonibus Trullanæ synodi deducit Baronius, ex eo quod, cum nulla his temporibus alia verteretur quæstio inter Orientales et occidentales, idem tamen Anastasius in Vita Gregorii II, scribit: « Gregorius (Romanæ tum Ecclesiæ diaconus) cum viro sancto Constantino pontifice ad regiam profectus est urbem, atque a Justiniano principe inquisitus de quibusdam capitulis optima responsione unamquamque solvit quæstionem, » quam responsionem aut latere aut periisse dolendum est. Christianus vero Lupus in scholiis et notis ad canones Trullanos, pag. 1078, ex superius laudatis Anastasii verbis, colligit Constantinum primum fuisse e pontificibus Romanis, qui canones synodi Trullanæ Ecclesiæ Romanæ decretis non adversantes probarit, et Justinianum quod a Joanne VII postularat a Constantino obtinuisse, ideoque omnia Romanæ Ecclesiæ privilegia Justinianum novis edictis confirmasse. Nam et antea, ut numero secundo dixi, restituerat Ecclesiam Romanam adversus repullantem autocephaliam ac rebellionem archiepiscoporum Ravennatensium. Quæ apostolica confirmatio Trullanorum canonum Adriano I pontifici Romano, et sancto Tarasio episcopo Constantinopolitano, fundamentum dedit illustre de iis canonibus testimonium ferendi. Sed Adrianus I solos synodi Trullanæ canones probavit, qui jure et orthodoxe promulgati sunt, inquit idem Lupus, qui addit valde falli eos qui existimant authenticam esse confirmationem dictorum canonum factam a septima synodo in primo suo canone, cum et septimæ synodi canones omnes Romana Ecclesia nunquam confirmarit. Hinc canonum Trullanorum per Constantinum papam confirmatio mansit incognita, non solum apud Romanam, sed et apud cæteras, Constantinopolitana excepta, patriarchales ecclesias, ideoque per Joannem VIII opus habuit innovari, ut in ejus Vita videbimus.

Num. 175, linea 1. — *Hujus temporibus duo reges*, etc. Secundum Constantini papæ pontificatus annum maxime illustrem reddidit abdicatio Coenredi Merciorum, et Offæ Orientalium Saxonum regum, qui, regnis relictis propter Christum, anno septingentesimo nono Romam perrexerunt, ubi monachicum habitum induerunt, quos ad apostolorum limina venientes humanissime susccpit Constantinus papa, gaudens eos, terrenis abdicatis regnis, Petro piscatori inservire. Hæc constant ex Beda, tam in Epitome quam in Historia, libr. v, cap. 20: « Anno 709 (scribit in Epitome) Coenred rex Merciorum, postquam quinque annis regnabat, Romam pergit. » In Historia vero: « Anno imperii Osredi (qui absolvitur anno 709) Coinred, qui in regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo sceptra regni relinquit. Nam venit Romam, ibique attonsus, pontificatum habente Constantino, ac monachus factus, ad limina apostolorum, in precibus, jejuniis et eleemosynis usque ad diem permansit ultimum, succedente in regnum Ceolredo, filio Edilredi, qui ante ipsum Coinredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo et filius Sigheri regis Orientalium Saxonum, vocabulo Offa, juvenis amantissimæ ætatis et venustatis, totæque suæ genti ad tenenda servandaque regni sceptra exoptatissimus, qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos et patriam propter Christum et propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, et in sæculo venturo vitam æternam. Et ipse ergo, ubi ad loca sancta Romam pervenerunt, attonsus, et in monachico habitu vitam complens, ad visionem beatorum apostolorum in cœlis diu desideratam pervenit. »

Num. 176, linea 17. — *Anastasius orthodoxus Aug.* Anno septingentesimo decimo tertio impius Bardanes seu Philippicus, postquam anno uno et mensibus sex imperium tenuisset, ut tradunt Paulus Diaconus, lib. VI de Gest. Longobard., cap. 33 et Beda, lib. de sex Ætatibus, die tertia mensis Junii imperio pulsus dejectusque est; et Philartemius, mutato nomine Anastasius appellatus, vir pius ac orthodoxus, die sequenti in festo Pentecostes in ejus locum subrogatus et coronatus, ad Constantinum papam, per Scholasticum cubicularium patricium, quem in Italiam exarchum destinavit, fidei suæ professionem misit, ut tradit Anastasius in Constantino. Cum itaque Constantinus papa audisset catholicum in Oriente regnare imperatorem, a quo orthodoxam fidei professionem per exarchum missam accepisset, eumdem in catholicam communionem acceptum, in album orthodoxorum imperatorum, quo pro eo universa Ecclesia exoraret, referri voluit: ad quem etiam ex more misit pro responsis ecclesiasticis Michaelem presbyterum apocrisiarium, ut refert Theophanes. Pernecessaria ejusmodi videbatur esse legatio, ut Constantinopoli esset, qui auctoritate apostolicæ sedis lapsos in persecutione Philippici episcopos pœnitentes catholicæ conciliaret Ecclesiæ; cum enim multi, nonnisi timore concussi, in sextæ synodi damnationem consensissent, perfacilis fuit eorum resipiscentia, iisque naufragis per suum apocrisiarium manum porrigens Constantinus papa, quam citius subvenire curavit; id enim ab ipso Constantino, velat a *Christiani sacerdotii capite* epistola mox laudata rogaverat Joannes Constantinopolitanus episcopus.

SOMMIER.

Num. 170, linea 5. — *Hic ordinavit Felicem archiep. Ravennatem.* Ravennatenses archiepiscopi Romanorum pontificum jurisdictioni sese subtrahere jampridem machinabantur, quod saltem ad eorum ordinationem, et jura Ecclesiæ Romanæ, tanquam patriarchalis Occidentis, pertinebat. Qua in re haud dubie æmulabantur Coplitanos archiepiscopos, qui tandem emerserant patriarchæ, eo quod illorum urbs imperialis sedes facta erat. Horum exemplo Ravennatensibus persuasum fuit fieri posse ut quid simile ipsi etiam obtinerent, eo quod exarchus in urbe eorum residebat. Ea propter archiepiscopus Felix, qui ægre passus erat a Constantino pontifice ordinari,

Digitized by Google

longius quam suorum prædecessorum ullus, tentatæ independentiæ facinus extendit. Vixdum enim Roma ordinatus Ravennam rediit, jugum sanctæ sedis excussit, civesque præcipuos in suum schisma pertraxit. At proh infelicem! audaciam ejus, maxime illa offensus imperator, pro eo ut foveret, punire deliberavit. Quare, misso Ravennam exercitu, quæ urbs frustra ad resistendum parata erat, captoque archiepiscopo et ejus sectariis, hos necari jussit, illum vero orbatum oculis damnavit exsilio.

Num. 174, linea 4. — *Cujus et sacram cum prari dogmatis exaratione.* Tertio vix mense Constantinus Romam redux, unde annum abfuerat, agnovit quemdam Armenum cognomento Bardanem proclamatum fuisse imperatorem, ac vocatum Philippicum, jussuque ejus Justinianum et Tiberium imperatores cæsos esse.

Hic invasor, « quia ab ineunte ætate, » ut ait Agatho diac. (*In Collect. conc.*, pag. 1405,) « fuisset discipulus Stephani abbatis, discipuli Macarii, usus protinus auctoritate, et potestate imperatoria ejusdem sanctæ synodi imaginem (vi generalis) quæ multis ante annis posita fuerat in vestibulo palatii imperialis, jussit dejici. »

Posthac dedit sacram ad Constantinum, de qua abunde Anastasius num. 174 et 176, quem ill. archiep. Sommier recitat Hist. Dog. Pont. l. VIII, cap. 21.

Et ut suum facinus magis magisque astrueret contra sextum concilium : « Insanum, inquit Theoph. in Chron., conciliabulum adversus sanctum œcumenicum concilium celebrari curavit ; cui Joannes Cp. patriarcha, Andreas metropolitanus Cretæ, ac Germanus Cyzici metropolita propalam subscripserunt, ac anathemate damnarunt cum omnibus collegis præfatam in Monothelitas celebratam sanctam œcumenicam synodum. »

Verum tyrannus impietatum ac defectionis fructu haud gavisus est diu. Perdita enim vita atque in administrando imperio negligentia invidiam et contemptum a principibus prætorianæ cohortis ei compararunt ; quare palatio expulere generalemque tumultum contra eum excitarunt. Deinde omnium consensu ordinum Philarthemium, qui Anastasii nomine appellari voluit, magnæ æstimationis hominem, et cum primis catholicum, elegerunt, oculis orbato pulsoque in exsilium Philippico.

Num. 175, linea 1. — *Hujus temporibus duo reges Saxonum.* Dum Audax Ravennæ archiepiscopus damnabilem affectabat libertatem a jurisdictione sanctæ sedis, duo principes laici venerunt Romam, ut qua legitime utebantur libertate, eam exuerent, offerrentque Christo Jesu, coram vicario ejus summo pontifice. Coenredus scilicet rex Merciorum, et Offa Orientalium Saxonum princeps, Evangelii præceptum secuti, coronas et regna hujus mundi reliquerunt, cœlesti duntaxat regno inhiantes; ac proinde Romam adventantes, apostolorum sepulcris inservierunt, ibique diem suum sanctæ obierunt Constantino pontifice, qui Deo reddidit gloriam, tum de tantorum principum conversione, tum de honore quem sancta sedes inde accipiebat. « Constantinus papa, ait Beda, gaudens eos, terrenis regnis abdicatis, Petro piscatori inservire. » (*Ep.* et libr. v *Hist.*, cap. 20.)

Num 176, linea 20. — *Exarchus vemens Romam detulit secum sacram Anastasii principis.* Statim atque Anastasius ad imperiale culmen ascendit, dedit litteras Constantino, quibus palam profitebatur catholicam fidem, ac sextæ synodo se inhærere significabat. Eidem præterea visum est ut qua occasione patriarcha Constantinopoleos mittebat suam synodicam Romano pontifici, eidem adnecteret quæ facta erant adversus religionem, tyrannidis tempore. « Cum ei ita visum esset, et consensisset, factæ sunt litteræ defensionis a sanctissimo hujus civitatis pontifice Joanne ad Constantinum sanctissimum et beatissimum papam Romæ veteris. Quæ quidem cum synodalibus de more missa sunt litteris. Quæ de omnibus prius scriptis, ut par erat, eum reddebant certiorem. » (*Agath. diac. epil.*)

Earum vero litterarum patriarchæ Joannes notabile initium est, quippe comparationem præsefert unde quidquid papa est in Ecclesia luculenter agnoscitur : « Ipse (verba earumdem sunt) naturæ nostræ opifex, cum suo artificio curasset ut caput toti corpori præficeretur, in eo collocatis præcipuis sensuum instrumentis, omnem reliquorum membrorum motionem et perfectionem illinc oriri fecit, et conservari; et si aliquod contigerit eorum offendi, aut aliquo incommodo offici, non levem eorum curam a se gerendam esse statuit, sed etiam adversus ultima membra naturalem offendens affectionem et consensionem, per manuum ministerium ductu oculorum curat quod laborabat. His vestrum quoque apostolicum pontificatum comparare possumus, o sanctissimi et Christiani sacerdotii caput, vos canonice reputantes, merito per vos quærimus ægritudinis, quæ ecclesiastico nostro accidit corpori, a pestilenti et exitiosa animis tyrannica potestate accipere solatium. Omnino enim vos quoque, ut est proprium capitis, nos involuntarie laborantes minime despicietis, neque a congenita ac coalita conjunctione nos amandabitis... et maxime quando morbus a culpa corporis non est profectus, sed extrinsecus a violenta et inopinata calamitate fuit effectus. » (Joan Cpol., *ep. ad Const. Pp.*)

Quæ post exponit perniciosa tyranni eique adhærentium consilia, quæ usque ad Chalcedonense abolendum concilium devenerant, dum sextum œcumenicum, quod illud confirmabat sustinebatque, condemnaverant, nullum non movet lapidum ut illos excuset, qui, necessitati temporis sese accommodantes, aliqua ex parte morem ei gessisse videbantur, qui armorum vi, uti poterat, etsi illi secus se gessissent, finem rebus magis deplorabilem attulisset. Sanctorum aliquot Patrum exemplis inhæret, Deumque ipsum tum suæ, tum confratrum intentionis testem appellat. « Quin etiam, inquiens, inter homines sanctissimæ vestræ sedis religiosus apocrisiarius, qui hic agit, cui nos hoc maxime urgente tempestate dato jurejurando satisfecimus, ei puram quæ nobis inerat in orthodoxam fidem affectionem aperientes. » (*Ibid.*)

Et prosequitur se et suos excusans : « Viri motibus parumper cedendum esse censuimus, ut in iis quæ sunt præcipua, si non verbis, at sententiis inviolata fidei servaretur confessio... Hæc autem dicimus, non ut qui velimus evertere voces jam synodice definitas, quasque universa Dei Ecclesia longo jam tempore est confessa, nempe dicere in mysterio Christi Incarnationis ex pia et sanctis Patribus cognita intelligentia duas naturales voluntates, et duas naturales operationes... Volendi enim et operandi potestate prædituin in altera natura dicere esse Christum, nihil est aliud quam intelligere duas naturales voluntates et duas naturales operationes. » (*Ibid.*)

Pergit Ecclesiæ felicitatem exaggerans, quæ imperatorem catholicum sortita erat, studioque ardenti flagrantem erga bonam causam; deinde conversus ad sanctum pontificem : « Vos ergo, inquit, o sacrum caput, benignæ invocationis nobis manum porrigentes, tuiti contactu mutuarum litterarum ex more ecclesiastico, antisynodicorum scilicet apostolorum, charitatis adhibeatis medicamentum... Etenim cum sitis illius discipuli et successores qui audiit a Domino : « Ego etiam rogavi pro te, » etc., debetis quidem diligenter inducere quæ fulciunt, et stabiliunt ad correctionem, promptius etiam donare quæ sunt clementis animi et misericordis. » (*Ibid.*)

Hujusmodi vero preces Aaronis exemplo a fratre reprehensi fulcit : « Aaron enim, aiens, ille, cum prisci populi cessisset impetui, et ad idolum fabricandum eis fuisset administer, a fratre fuit quidem

Digitized by Google

reprehensus; sed cum se id per vim coactum fecisse in sua assereret defensione, nullam a Deo accipit increpationem, neque privatur dignitate pontificatus. » (*Ibid.*)

Tantam pontifex lætitiam de optimi imperatoris electione concepit, ut ad eum statim miserit Michaelem presbyterum apocrisiarium, seu residentem apud aulam cum facultate reconciliandi Ecclesiæ omnes episcopos atque alios ecclesiasticos pœnitentes, quos timor tyranni Bardanis sexti concilii damnationi ad subscribendum compulerat, ut Baronius docet, ex Theophane, ad an. 713 : « Constantinus papa Anastasium in catholicam communionem acceptum in album orthodoxorum imperatorum, quo pro eo universa Ecclesia exoraret, referre voluit; ad quem etiam ex more misit pro responsis ecclesiasticis Michaelem presbyterum cardinalem apocrisiarium. »

ALTASERRA.

Num 171, linea 7. — *Cosmus sacellarius, Sisinnius nomenclator.* Sacellarius et nomenclator censentur inter officia Ecclesiæ Romanæ. Sacellarius est custos ærarii ecclesiæ. Anast. in Constantino : *Subdiaconus atque sacellarius factus.* Idem in Gregor. II : *Hic sub sanctæ memoriæ dom. Sergio papa subdiaconus atque sacellarius factus.* Idem in Stephano IV : *Una cum Sergio tunc sacellario.* Idem in Leone III : *Similiter et Campulus sacellarius.* Idem in Adriano II : *Ibi a Paulo librorum custode, Joseph vasorum custode, simulque Basilio sacellario, ecclesiasticis induti vestibus, salutati.* Et distinguitur ab Arcario Anast. inf. *Paulum diaconum et vicedominum, Petrum Arcarium.* Nomenclator est monitor, qui pontificem monet de proprio nomine accedentium ad Rom. pontificem. De utroque Anast. in Agathone, ubi dixi. Sacellarius fisci est procurator, seu præfectus fisci. Baldric., in epist. ad Henricum III imp. : *Et sicut liberalitas vestra sacellarium habet, qui causis supervenientibus quoti ianas expensas faciat, ita et ego sacellarius eorum sum,* etc. Joan. Diac., lib. II, cap. 23 : *Idem Gregorius, juxta consuetudinem suam, præcepit sacellario ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret.* Et paulo post : *Et accersito sacellario, cur contra jussionem suam tertium decimum invitare præsumpserit, inquisivit.*

Num 172, linea 3. — *Sergium abbatem presbyterum, et Sergium ordinatorem.* Abbatem presbyterum signat, quia ab initio singula monasteria habebant unicum presbyterum, suum abbatem, a quo sacramenta peterent, et missam audirent. Augustin. epist. quæ est 81, scripsit *abbati monachorum insulæ Capreariæ et compresbytero.* Idem de Morib. Eccles. catholic., libr. I, cap 33. *Vidi ego diversoria Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat, vir optimus et doctissimus.* Joannes Hierosolymitanus episcopus, epist. quæ est 60, scribit se ordinasse Paulinianum presbyterum monasterii Bethleemitici, quia beatus Hieronymus ejus monasterii præpositus non sustinebat præ humilitate sacramenta fratribus ministrare. Anastas., infr. in Stephano III. *Fulradum abbatem et presbyterum.* Ordinator est magister ordinis missæ, vel diascalus ordinandorum. Ordinationem præcedit instructio ordinandorum; et ordinatis traditur ab ordinatoribus libellus officialis, quo continetur ordo, id est, ratio ecclesiastici officii. Conc. Tolet. IV, can. 25; Can. *Quando*, 38, dist.

Linea 10. — *Illic suscepit sigillum imperiale per Theophanium regionarium.* Sigillum imperiale hic est præceptum imp. sigillo munitum, ut alibi sigillum iconiæ, seu imaginis beatæ Mariæ, est inscriptio imaginis. Robert. Montens., in supplem. Sigebert., ad ann. 1183 : « Anno superiori apparuit domina nostra mater misericordiæ sancta Maria cuidam fabro lignario opus facienti in quadam silva, et obtulit ei signum iconiæ suæ et filii sui Salvatoris nostri, cujus conscriptio erat : *Agnus Dei,* » etc.

Linea 14. — *Occurrit Theophilus patricius extraticus caravisianorum, cum summo honore eum suscepit. Extraticus*, lege *stratigus scaravisianorum*, id est, dux turmæ equestris militum. A Latino barbaro, *scara*, quod idem est ac turma equestris. Aymoin., libr. IV, cap. 25 : « Anno autem decimo Dagobertus collegit lectam e Franciæ bellatoribus *scaram*, quam nos turman vel cuneum appellare possumus. » Hincmarus Rhemens. ad episcopos diœcesis suæ, cap. 3 : « Bellatorum acies, quas vulgari sermone *scaras* vocamus. » Male *scala*, pro *scara* legitur apud Willelm. Britonem, Philippid. lib. X :

In scala regis, regi lateraliter hærent.

Inde scaritæ milites in scaram lecti. Fredegarius, in Chronic., cap 37 : *Ibique Theodoricus cum scarittis virumque decem millia accessit.* Scaravisianos, seu scaritas milites, de quibus agitur hic, fuisse milites Francos, qui per scaras militabant stipendiis Græcorum, non levis conjectura est, quod Francos Græcis in Oriente militasse scimus ex Cedreno in Constantino Monomacho; imo et imperatores Byzantinos in sui custodiam Francis et Germanis usos, qui hipennes gestarent. Nicet. in Alexi Commeno.

Linea 19. — *Pontifex autem et ejus primates cum sellaribus imperialibus, sellis et frenis inauratis, simul et mappulis ingressi sunt.* Sellare hic distinguitur a sella; sellare videtur esse pallium superstratum, quod ornatus causa imponitur sellæ, *Housse.* Anastas. in Stephano III : *Cui et vicestratoris usque in aliquantum locum, juxta ejus sellarem properavit.* Idem pallium vocat Anastas. in Conone : *Sed et pallio ad caballicandum uti licentiam ei concessit.* Pontifex et cardinales usi frenis et sellis deauratis. Episcopos suæ ætatis eadem de re notat Bernard Clarevallens. epist. 42, ad Willelmum Senonensem : *Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur et dicunt :*

Dicite, pontifices, in freno quid facit aurum

Ne clerici frenis, sellis pectoralibus, calcaribus deauratis utantur, vetat conc. Lateranens. sub Innocent III, cap. *Clerici*, de vit. et honest. cleric. Pontifex et cardinales equitantes usi sunt mappulis in solemni pompa. Mappulæ sunt linteolæ albæ, de quibus Gregor., Dialog. lib. II, cap. 19 : « Quadam vero die misit ex more; sed is qui missus fuerat monachus, post admonitionem factam a sanctimonialibus feminis rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. » Et infra : « Cui ait : Nunquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti? Qui mox ejus vestigiis provolutus, stulte se egisse pœnituit, et eas quas in sinu absconderat mappulas abjecit. » Mappularum usus communis fuit episcopis et diaconis Ecclesiæ Romanæ. Gregorius, libr 2, epist. 54. Unde sumptus est can. *Illud*, 93, dist.

Linea 21. — *Apostolicus pontifex cum camelauco, ut solitus est Romæ procedere, a palatio egressus, in Placidias usque, ubi hospitatus erat, properavit.* Camelaucum, seu camelaugum est pileus quo utitur pontifex, a Græco καύμα, quod prosit ad arcendum calorem. Suidas : καμηλαῦκιον παρὰ τὸ καύμα ἐλαύνειν· *Quod calorem arceat.* Etymologic. M. : καῦσια ὥριτας μὲν καμελαῦκιον παρὰ τὸ ἐλαυνεῖν τὸ καύμα· *Causia dicitur camelaucium, quod arceat calorem.* Achmes, Oneirocritic. cap. 219 : Τὸ καμηλαύκιον ἐπὶ βασιλεῖς εἰς τὴν Αὐγοῦσταν, καὶ εἰς τέκνον κρινίται· *Camelaucium regis ad Augustam et ejus liberos refertur.* Camelaucum erat indumentum capitis commune regibus et privatis, colore diversum; sed usu factum est, ut camelaucum Romanis proprie dicatur pileus pontificis. Papias : *Camelaucus vestimentum papæ.*

Digitized by Google

Num. 174, linea 6. — *Hujusque rei causa zelo fidei accensus, omnis cœtus Romanæ urbis, imaginem, quam Græci votaream, vel* (ut alii legunt) *pancaream, vocant, sex continentem sanctas ac universales synodos in ecclesia beati Petri erexerunt.* Imago sex universalium conciliorum, quam Græci votaream, vel pancaream, vocant, a Romanea plebe erecta in ecclesia beati Petri. Hæc imago a Philippico imp. hæretico deposita, a Theodosio restituta Constantinopoli. Anastas. in Gregor. II : « Protinus etiam ut ingressus est Theodosius regiam urbem, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ erant sex synodi depictæ, et a Philippico nec dicendo fuerat deposita, in pristino erexit loco. »

Num. 175, linea 1. — *Hujus temporibus duo reges Saxonum ad orationem apostolorum cum aliis plurimis venientes, sub velocitate suam vitam, ut optabant, finierunt.* Hic locus accipiendus est de Anglo-Saxonibus, anno Christi 689. Et his temporibus frequens erat Anglorum peregrinatio ad limina apostolorum, ut refert Beda lib. v, cap. 7 : « Quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles ignobilesque, laici et clerici, viri ac feminæ, certatim facere consueverunt. » Idem ante tradit idem scriptor lib. iv, cap. 23 : « Etiam Romam adire curavit, quod eo temporis magnæ virtutis æstimabatur. » Idem Anastas. in Benedicto III : « Hujus temporibus rex Saxonum nomine, causa orationis veniens, relictis omnibus suis rebus, regnum proprium suum dimisit, Romam properans ad limina apostolorum Petri et Pauli cum multitudine populi, » etc.

Num. 176, lin. 10. — *Et ex utrisque partibus amplius quam viginti quinque plagarentur, atque interirent.* Plagare est vulnus infligere. Augustin., de Civit. Dei, lib. 21, cap. 11 : *Lacessivit Dominum vel plagavit.*

Linea 11. — *Donec pontifex mitteret sacerdotes cum Evangeliis et crucibus Domini, sicque partes sedarentur.* Litaniæ seu processiones fiebant præla-tis Evangeliis et crucibus. Episcopo occurri cum Evangelio moris erat. Ekkeard. junior, de Casib. M. Sancti Galli, cap. 1 : « Parat illico basilicam et aram, parat tapetes, et pallio dorsili caminatam, Evangelio episcopum, aliquos, qui aderant, presbyteros recipere jubet. » Et infra : « Post non multum quoque temporis, accidit Petrum etiam Veronensem a palatio redeuntem simili loci gratia inopinatum venire; fratres autem suscipientes illum, quod melius quidem habebant, Evangelium ei offerebant. » Idem, cap. 9 : « Ad recipiendum enim episcopum cum Evangelio, etiamsi frater conscriptus non fuerit, æquum esse ut pariter occurrant, omnes concordant. Suscipitur episcopus, Victor Evangelium obtulit ipsi, quod ubi ille osculatur, Victor revertitur. » In litaniis cruces præferri moris antiquissimi est. Ne litaniæ sine crucibus fiant vetat nov. Justin. 123, cap. 32. In litaniis mos erat ut crux aurea a Carolo Magno oblata præferretur ante pontificem; de quo Anastas. in Leone IV. Occursus solemnis cleri principibus et dynastis cum crucibus fiebat. Gregor. Tur., libr. x, cap. 9 : « Ebraccharius vero usque Venetias urbem accessit; miserat enim ad eum obviam episcopus regalis clericos suos cum crucibus et psallentio, qui eos usque ad urbem deduxerunt. » Lothario imperatori obviam itum cum crucibus et signis, id est, vexillis. Anastas., in Sergio II : « Obviam illi ejus sanctitas dirigens, venerandas cruces, item signa, sicut mos est imperatorem aut regem suscipere, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. »

BALDINI.

Num. 176, linea 4. — *Contigit ut Petrus quidam pro ducatu Romanæ urbis Ravennam dirigeret præceptum... Et factum est dum Christophorus, qui erat dux...* Primus ex Anastasio occurrit Christophorus qui sub nomine ducis Romanæ urbis aperte enuntiet. Quid significet nova hæc appellatio ducis, quæ dignitas, quæ jurisdictio, quæ partes fuerint, quæ ducum series, et successio, qui fines Romani ducatus, quæ urbes, ad eum pertinerent, libenti studio investigarem, si spes alicubi affulgeret aliquid certi eruendi, et figendi, unde liber Pontificalis illustrari pro merito posset. Sed tenebris obsita omnia, lubrica, et incerta, quibus fidere tuto non possis, silentibus super hac re auctoribus synchronis, et recentioribus scriptoribus veterum monumentorum præsidio destitutis. Tentabo, si ex Anastasio possit Anastasius illustrari.

Italia omnis imperatoribus parebat, antequam barbaræ nationes in illam irrumperent, et ferro, et igne omnia vastarent. Novissimi, qui Italiæ majori parti insedere, fuere Longobardi, qui, præcipuis Italicis provinciis potiti, imperatoribus Græcis reliquum non fecere, nisi eum tractum, qui a Padoad mare Adriaticum porrigitur inter Apenninum, Pentapolim, et mare, cui Ravennæ exarchatum, ad exemplum Exarchatus Africæ, nomen fecit Longinus, datus a Justino imperatore successor Narseti, anno 567, atque eam Italiæ partem, quæ mari supero alluitur, ad Siciliam usque, excepto ducatu Beneventano, quem Longobardi pariter obtinebant. Exarchus Ravennæ consistebat, indeque in alias terras Orientis imperatori subjectas tum sacra principis jussa, tum suos administros, qui variis nominibus indicabantur, magistri militum, sacellarii, chartularii, mittebat. De duce et ducatu Romæ per ea tempora usque ad annum circiter 711 altum silentium in libro Pontificali, et si quæ mentio de Romanis magistratibus, ii indicantur, vel nomine judicum, seu exercitus Romani, ut in Theodoro, n. 125, vel cleri, populi, et exercitus Romanæ civitatis, ut in Benedicto, n. 153 (« Hic suscepit, inquit Anastasius, divales jussiones clementissimi Constantini Magni ad venerabilem clerum et populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis »), vel judicium et primatum exercitus, ut in Conone, n. 156, vel primatum judicum et exercitus Romanæ militiæ, ut in Sergio, n. 158. Constantino itaque pontificatum agente primus dux, Christophorus nominatur hac occasione. Cum Philippicus imperator hæreticus, sacrarum imaginum osor, Romam misisset Petrum quemdam ad ducatum Romanum obtinendum, populus Romanus, qui, ut inquit Anastasius, « nequaquam hæretici imperatoris nomen, aut chartas, vel figuram solidi recipere statuerat, unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, nec suum nomen ad missarum solemnia proferebant, » zelo fidei accensus noluit Petrum illum suscipere, seque Christophoro duci armatum exhibuit, ut eo duce decertaret adversus Petrum, eumque ab ingressu urbis et magistratus arceret. Pugnatum est in via sacra; cumque plures vulnerati hinc inde caderent, misit pontifex sacerdotes cum Evangeliis, et crucibus Domini, ut sedarentur partes; et jam pars Petri angustiis ita premebatur, ut nulla illi esset spes vivendi, cum ad jussum pontificis pars alia, quæ Christiana vocabatur, recessit.

Hinc disco militiam, et totius rei militaris curam ad ducem pertinuisse, res urbanas etiam administrasse, conjicio ex eo quod Zacharias papa Roma discedens urbem reliquit Stephano duci ad gubernandum (*Anastasius, in Vita Zachariæ, n.* 213); magnam curam adhibuisse pariter vacante sede, ne tumultus excitarentur in Urbe, novique pontificis electionem auctoritate gradus et præsidio armorum protexisse crediderim, cum legam in Vita Adriani, n. 292, Adrianum eadem hora qua electus fuit, reverti fecisse judices hujus Romanæ urbis tam de clero quam de militia, *qui in exsilium ad transitum domni Stephani papæ missi fuerant a Paulo cubiculario cognomento Afiarta.* Hic, mortuo Stephano regundæ Urbi præpositus, interpontificio durante, primores civitatis in exsilium miserat. Christophorus

Digitized by Google

itaque primus dux fuit urbis Romæ, Romano populo renuente parere amplius imperatori hæretico, ut supra retuli ex Anastasio, cujus exemplum secuti cæteri populi ex eodem Anastas., n. 184, *sibi omnes ubique in Italia duces elegerunt.*

Romanorum ducum seriem ex Anastasio exhibeo: Christophorus dux, ab anno 711 (Anast.. *in Vita Constantini*, *n.* 176, sub finem); Petrus dux, ab anno 713 (Anast., *in Vita Constantini*, *n.* 176, sub finem); Basilius dux, ab anno 717 (Anast., *in Vita Gregorii II*, *n.* 183, sub finem); Marinus spatharius dux, ab anno 718 (Anast., *in Vita Gregorii II*, *n.* 183, sub medium); Petrus dux, ab anno 720 (Anast., *in Vita Gregorii II*, *n.* 184, sub medium); Stephanus dux, ab anno 740 (Anast., *in Vita Zachariæ*, *n.* 207).

Præter dictos nominantur etiam quidam Gratiosus tunc chartularius, postmodum dux in Stephano IV, n. 269, et n. 288, et Joannes dux, germanus domni Stephani papæ in Adriano, n. 297; sed illos vel non fuisse duces cum ordinaria ducum potestate, quemadmodum superiores, vel alterum in tumultu a factiosis civibus excitato electum, alterum vero fultum cognatione pontificis nomen ducis usurpasse, illud mihi persuadet, ab usque Stephano III ducum imperium cessasse instituto patriciatu Romano, de cujus dignitate et officio sermonis occasio infra se offeret. Sublatos itaque duces fuisse nullus dubito, cum primum unctus est Pippinus in Francorum regem, electusque patricius Romæ a Stephano II, ob præclara ejus merita in Romanam Ecclesiam, et præsertim ob donationem eidem factam Exarchatus Ravennæ, cujus authenticas tabulas suo tempore exstitisse in Romano archivio Anastasius affirmat, n. 253. In epistola enim a Stephano III ad Pippinum data, antequam ille in Italiam iterum descenderet erepturus Aistulpho Longobardorum regi Exarchatum Ravennæ, quem hic occupaverat, et pontifici consignaturus, donationem Exarchatus ab eodem factam beato Petro commemorat, quam implendam esse et juste exigit, et enixim rogat; inquit enim epist. 3: « Doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, et beati Petri causa, et quod per donationem beato Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. Mementote, et semper in vestris præcordiis firmiter tenete, quod promisistis eidem janitori cœlorum. . . . . Videte omnia quæ ei promisistis et per donationem polliciti estis, contradere festinate... Sciatis quia sicut chirographum vestram donationem princeps apostolorum firmiter tenet, et necesse est ut ipsum chirographum expleatis. » T. VIII Concil. gen. Labbei pag. 381, Edit. Ven.

Dum interim duces Romæ imperitabant, supremum in urbem Romam, Romanumque ducatum jus erat penes pontificem. Id clare doceor ab Anastasio, cujus, et non alius, testimonio in hac adnotatione utor. Refert Anastasius in Vita Sisinnii, n. 169, Sisinnium pro restitutione murorum urbis calcaria jussisse decoquere, nihilque perficere potuisse morte præventum. In Vita autem Gregorii II, n. 177. « Hic, inquit, exordio pontificatus sui calcarias decoqui jussit, et a porta sancti Laurentii inchoans, hujus civitatis muros restaurare decreverat, et aliquam partem faciens, emergentibus incongruis variisque tumultibus, præpeditus est. » Quod autem evidentius argumentum supremæ auctoritatis in urbem esse potest, quam illam munire et muros per illius circuitum exstruere? Idem Gregorius exarchum Romæ morantem, ex defectione quarumdam urbium ad Tiberium seductorem, pavidum et turbatum confortat, inque ejus subsidium mittit *proceres Ecclesiæ, atque exercitus*, n. 187. Gregorius III: *in Centumcellensium civitate muros dirutos pene a fundamentis fortissime construi facit*, n. 204. Zacharias Roma discessurus, profecturus ad Luitprandum regem Longobardorum pro Ravennatum salute, relinquit Romanam urbem *Stephano patricio et duci ad gubernandum*, n. 213. Per hæc manifeste apparet stetisse supremum imperium urbis atque ducatus apud pontifices, ducibus licet jus dicentibus.

Quæ porro urbes et castra ducatum Romanum constituerent, ex Anastasio penitus exploratum non habeo. Centumcellas utique ad Romanum ducatum Romanum pertinuisse intelligo ex ejus murorum constructione a Gregorio III imperata; pariter Galliensium castrum sub eodem Gregorio recuperatum, *pro quo*, inquit Anastasius, n. 203, *quotidie expugnabatur ducatus Romanus a ducatu Spoletino*; itidem Ameriam, Hortam, Polimartium, et Bleram, *ab eodem rege*, inquit Anastasius in Zacharia, n. 207, *ablatæ sunt a Romano ducatu civitates quatuor, id est Ameria, Hortas, Polimartium et Blera.* De aliis non ita certe pronuntio; Anastasius quidem in Zacharia, n. 210, inquit: « Nam et Sabinense patrimonium, quod per annos prope triginta fuerat ablatum, atque Narniense etiam, et Auximanum, atque Anchonitanum, necnon et Numanatense, et vallem, quæ vocatur magna, sitam in territorio Sutrino per donationis titulum ipsi beato Petro apostolorum principi reconcessit, et pacem cum ducatu Romano ipse rex in viginti confirmavit annos. » Sed hoc in loco Anastasio mentem non fuisse numerandi loca ad ducatum Romanum proprie pertinentia illud ostendit, quod et Anchonam recenset, et Auximum, et Sabinense patrimonium, quæ extra ducatum esse satis constat. Sigonius (*de Regno Italiæ*) affirmat ducatum Romanum complexum fuisse civitatem Romanam et Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Maturanum, Sutrium, Nepet, Castellum Gallesii, Ortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusiam, Narniam, Otriculos; Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Frusinonem, Tibur; quam enumerationem, ut opinor, desumpsit ex tabulis confirmationis Ludovici Pii ad Paschalem anno 817, de quibus tamen nullum verbum apud Anastas. in Vita Paschalis.

XCI. SANCTUS GREGORIUS II.

ANNO CHRISTI 714, ANASTASII IMPER. 2.

177 Gregorius II, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos sexdecim, menses octo, dies viginti [a]. Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis atque Constantini Augustorum. Hic a parva ætate in patriarchio nutritus sub sanctæ memoriæ domno Sergio papa, subdiaconus atque sacel-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] C, 9, d. 11.

Digitized by Google

larius factus, bibliothecæ illi est cura [a] commissa, deinde ad diaconatus ordinem provectus est. Et cum viro sancto Constantino pontifice ad regiam profectus est urbem, atque a Justiniano principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem. Erat enim vir castus, divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela et constans animo, ecclesiasticarum rerum defensor et contrariis [b] fortissimus impugnator. Hic exordio pontificatus sui calcarias decoqui jussit, et a porta [c] sancti Laurentii inchoans hujus civitatis muros restaurare decreverat, et aliquam partem faciens, emergentibus incongruis variisque tumultibus, præpeditus est.

178 [d] Hujus temporibus Joannes Constantinopolitanus antistes synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est pontifex. Hic maximam partem basilicæ beati Pauli [e] apostoli, quæ ceciderat, allatis de Calabria trabibus cooperuit, et altare a novo fecit, et ciborium argenteum, quod fuerat ruina quassatum [f]. [g] Sancti Laurentii pariter ecclesiam foris muros sitam, quæ trabibus confractis ruinæ jam erat vicina, reparavit, atque aquam fistulis compaginatis post multum tempus in eamdem ecclesiam reduxit, diversasque ecclesias in ruinis positas innovavit, quas per ordinem dicere longum est. Hic in Germania per Bonifacium episcopum verbum salutis prædicavit, et gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis convertit ad Christum. Hic monasteria, quæ secus [h] basilicam sancti Pauli erant, ad solitudinem deducta innovavit, atque ordinatis servis Dei monachis, congregationem post longum tempus constituit, ut ibidem die noctuque Deo redderent laudes. Hic gerocomium [i], quod post absidem sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe situm est, monasterium instituit. Atque monasterium sancti Andreæ apostoli, quod Barbaræ nuncupatur, ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur [j] monachus, ascitis monachis ordinavit, ut utraque monasteria ad sanctam Dei Genitricem singulis diebus atque noctibus Deo laudes canerent.

179 Eo tempore Luitprandus rex donationem patrimonii Alpium Cotziarum [k], quam Aripertus rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri, vel increpatione redditam confirmavit. [l] Hujus temporibus signum in luna factum est indictione XIV, et visa est cruentata usque ad mediam noctem. Eo itaque tempore Teudo [m], dux gentis Bajoariorum [n], ad apostoli beati Petri limina, primus de gente eadem, occurrit, orationis voto. Hujus temporibus Anastasius imperator classem navium præparatam in partibus Alexandriæ direxit contra a Deo destructos [o] Agarenos, qui ad aliud versi consilium, antequam pervenissent ad destinatum locum, ab itinere medio ad regiam regressi sunt urbem, Theodosium orthodoxum inquirentes imperatorem elegerunt, atque coactum in solio imperii confirmaverunt. Anastasius itaque cum civibus, vel quibus potuit de exercitu munitam civitatem Nicæam perrexit : illic cum classe, in qua Theodosius fuerat imperator, dimicavit, et fere septem millia exercitus sunt interempta. Cujus Anastasii superata pars verbum jam immunitatis expetiit. Datoque sibi sacramento clericus factus atque presbyter est consecratus. Protinus etiam ut ingressus est memoratus Theodosius regiam urbem, imaginem illam veneran-dam, in qua sanctæ erant sex synodi depictæ, et a Philippico nec dicendo fuerat deposita, in pristino erexit loco [p], ita ut hujus fidei fervore omnis ab Ecclesia cessaret quæstio.

180 [q] Eo autem tempore fluvius qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, curam suscepit. [b] *C*, contrariorum. [c] *C*, porticu. [d] *Vide Baron. ad ann.* 714, *tom* IX. [e] *C*, Petri. [f] *C*, restituit. [g] *Baron. an.* 710. [h] *C*, circa. [i] gerontocomium. [j] *C*, habitabat. [k] Coctiarum. [l] *Vide Baron. ad ann. Domini* 715. [m] Theodo. [n] Baugariorum. [o] destruendos. [p] in pristinum erexit locum atque titulum. [q] *Baron. ann.* 717.

Digitized by Google

sese per campestria dedit; intumuit etiam inundatione aquarum multarum, et per portam quæ Flaminia dicitur ingressus [a] est. Transcendit interea aliquibus in locis et muros urbis, atque ultra basilicam sancti Marci per plateas se extendit, ita ut in via Lata ad unam et semis staturam aquam ejusdem fluminis excrevisset, atque a porta beati Petri apostoli usque ad pontem Milvium aquæ se distenderent, et juxta remissa in ipsius fluminis alveum se dedit [b]. Domos itaque evertit, agros dissipavit, eradicans arbusta et segetes. Nam nec serere ipso potuit tempore pars maxima Romanorum. Pro hoc imminebat tributo magna. Per dies autem septem aqua Romam tenebat pervasam. A domno itaque papa letaniæ crebro fiebant. Cumque in oratione et letaniis persisteret, post octavum jam diem misertus Deus, aquam amovit, et fluvius ad proprium regressus est alveum per XV indictionem.

181 Cumanum etiam castrum ipso fuerat tempore a Longobardis pacis dolo pervasum. Quo audito omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam sanctissimus pontifex, et commonens Longobardos ut redderent, qui si non acquiescerent, in iram se divinam incidere pro dolo quem fecerant, suis scriptis detestabatur [c]; nam et munera eis dare ut restituerent voluit multa, sed illi turgida mente neque monitis audire nec reddere sunt passi. [d] Unde nimis idem sanctus indoluit pontifex, seseque spei contulit divinæ, atque in munitione ducis Neapolitani et populi vacans, ducatum ei qualiter agerent quotidie scribendo præsentabat [e]. Cujus mandato obedientes, consilio inito, mœnia ipsius castri virtute [f] sub nocturno ingressi sunt silentio. Joannes scilicet dum cum Theodimo subdiacono et rectore [g] atque exercitu, et Longobardos pene trecentos cum eorum castaldione [h] interfecerunt, vivos etiam amplius quingentos comprehendentes captos Neapolim duxerunt. Sic castrum recipere potuerunt. Pro cujus redemptione septuaginta auri libras ipse sanctissimus papa, sicut promiserat antea, dedit.

182 Hic Hierusalem ecclesiam sanctam, quæ multo fuerat detecta tempore, et circumquaque porticus vetustate quassatas trabibus deductis cooperuit ac reparavit. Ambonem etiam marmoreum in eadem ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis atque ministeriis. Eodem tempore nefanda Agarenorum gens, cum jam Hispaniarum provinciam per decem tenerent annos pervasam, undecimo anno Rhodanum conabantur fluvium transire, ad Francias occupandum, ubi Eudo præerat. Qui facta Francorum generali motione [i] contra Saracenos, eos circumdantes interfecerunt. [j] Trecenta enim septuaginta quinque millia uno sunt die interfecti, ut ejusdem Eudonis Francorum ducis missa pontifici epistola continebat. Mille tantum quingentos ex Francis fuisse mortuos in eodem bello dixerunt [k]. Adjiciens quod anno præmisso in benedictionem a prædicto viro eis directis [l] tribus spongiis, quibus ad usum mensæ pontificis apponuntur, in hora qua bellum committebatur, idem Eudo Aquitaniæ princeps populo suo per modicas partes tribuens ad sumendum eis, nec unus vulneratus est, nec mortuus ex his qui participati sunt. Eo quoque tempore in Campaniæ partibus combustum triticum, hordeum, seu legumina, quasi pluvia in loco quodam e cœlo missa sunt. Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium atque missarum celebritas fieret in ecclesiis, quod non agebatur, instituit. Oratorium sane in patriarchio in nomine beati Petri apostoli diversis ornatum metallis a novo refecit [m], et circumquaque altaris parietes deargentavit, ac depinxit duodecim apostolos, qui pens. libras centum et octuaginta. Illis in-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] egressus. [b] *B* remissa ejusdem fluminis se dederint. [c] *B*, protestab. [d] *Vide Baron. ad ann. Domini* 715. [e] præstabat. [f] *B*, versuti, veluti. [g] correctore. [h] castaldo. [i] *C*. monitione. [j] *Vide Baron. ad ann. Domini* 725. [k] libello dicebat. [l] C. dir ctum. [m] C fecit.

Digitized by Google

terea diebus Constantinopolis biennium est a nec dicendis [a] Agarenis obsessa. Sed Deo eis contrario maxima illic eorum parte fame ac bello interempta confusi recesserunt Leone principe; nam et ejusdem civitatis populum trecenta dictum est millia diversi sexus et ætatis fuisse necessitate vastatum pestilentiæ [b].

183 [c] Eo namque tempore moribus certe Honesta et nomine pontificis mater ab hac vita subtracta est. Post cujus obitum Gregorius domum propriam in honorem sanctæ Christi martyris Agathæ, additis a fundamento cœnaculis, vel quæ monasteria [d] erant necessaria a novo construxit. Prædia illic [e] urbana vel rustica pro monachorum obtulit necessitate. Fecit autem in eadem ecclesia beatæ Agathæ ciborium ex argento, quod pens. libras septingentas et viginti [f]; arcus argent. sex pens. sing. lib. quindecim, canistra decem, pens. sing. lib. duodecim, et alia dona multa largitus est. Eo tempore castrum est Narniæ a Longobardis pervasum. Rex vero Longobardorum Luitprandus, generali motione facta, Ravennam progressus est, atque illam obsedit per dies aliquot, et castrum pervadens, classes captas abstulit plures et opes abstulit innumeras. [g] Post aliquot dies Basilius dux, Jordanes chartularius, et Joannes subdiaconus, cognomento Lurion, consilium inierunt ut pontificem interficerent. Quibus assensum Marinus, imperialis spatharius, qui Romanum ducatum tenebat, a regia missus urbe, imperatore mandante, hoc probavit; sed tempus invenire non potuerunt, quia Dei judicio dissolutus et contractus est, et sic a Roma recessit. Postmodum Paulus patricius et exarchus missus in Italiam est, qui denuo, ut hoc scelus perficerent, meditabantur. Quorum consilium Romanis patefactum est, qui morte [h] cuncti Jordanem interfecerunt et Joannem Lurionem. Basilius vero, monachus factus, in loco quodam retrusus vitam finivit. Paulus vero exarchus imperatoris jussione eumdem pontificem conabatur interficere, eoque censum in provincia ponere præpediebat, et cogitaret suis opibus ecclesias denudare, sicut in cæteris actum est locis, atque alium in ejus ordinaret loco. Post hunc spatharius cum jussionibus missus est alter, ut Pontifex a sua sede amoveretur. Denuo Paulus patricius ad perficiendum tale scelus, quos seducere potuit ex Ravenna [i] cum suo comite, atque ex castris aliquos misit. Sed motis Romanis, atque undique Longobardis pro defensione pontificis in Salario ponte Spoletini, atque hinc inde duces Longobardorum circumdantes Romanorum fines hoc præpedierunt.

184 Jussionibus itaque postmodum missis decreverat imperator [j], ut nulla imago cujuslibet sancti, aut martyris, aut angeli ubicunque haberetur [k], maledicta enim omnia asserebat, et si acquiesceret in hoc pontifex, gratiam imperatoris haberet; si et hoc fieri præpediret, a suo gradu decideret. Respiciens ergo pius vir profanam principis jussionem, jam contra imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens hæresim ejus, scribens ubique cavere se Christianos, eo quod orta fuisset impietas talis [l]. Igitur permoti omnes Pentapolenses atque Venetiarum exercitus contra imperatoris jussionem restiterunt, dicentes, nunquam se in ejusdem pontificis condescendere nece, sed pro ejus magis defensione viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum exarchum, vel qui eum direxerat [m], ejusque consentaneos submittunt, spernentes ordinationem ejus sibi omnes ubique in Italia duces elegerunt [n], atque sic de pontificis deque sua immunitate cuncti studebant. Cognita vero imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit ut sibi eligerent imperatorem et Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium pontifex, sperans conversionem principis.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C.* non nominandis. [b] De quo populo vero ejusdem civitatis ccc millia diversæ ætatis pestilentia vastante perierunt. [c] *Baron, ad. ann.* 717. [d] monasterio. [e] *B*, illi. [f] *C*, 22. [g] *Baron. ann.* 726. [h] *B*, moti. [i] Ravennatibus. [j] Leo imper. [k] sed omnes jusserat deponi, et incendi. [l] quæ orta fuisset impietatem, *B*. [m] *B*, qui illud edictum direxerat. [n] *B*, mori eligerent.

Digitized by Google

Ipsis interea diebus Exhilaratus, dux Neapolis, deceptus diabolica instigatione cum filio suo Adriano [a] Campaniæ partes tenuit, seducens populum, ut obedirent imperatori et occiderent pontificem. Tunc Romani omnes eum secuti comprehenderunt, et cum filio suo interfecerunt. Post hunc [b] et Petrum ducem, dicentem contra pontificem imperatori scripsisse [c], turbaverunt.

185 Igitur dissensione facta in partibus Ravennæ, alii consentientes impietati [d] imperatoris, alii cum pontifice et fidelibus se tenentes, intra [e] eos contentione mota, Paulum patricium occiderunt. Longobardis vero Æmeliæ castra Ferorianus, Montebelli, Verablum [f] cum suis oppidis Buxo et Pernicteta [g], Pentapolis quoque et Auximana civitas se tradiderunt. Post aliquod vero tempus Eutychium patricium eunuchum, qui dudum exarchus fuerat, Neapolim misit imperator, ut illud quod exarchus Paulus, spatharii quoque et cæteri malorum consiliatores facere nequiverunt, perficeret ille; sed nec sic, innuente [h] Deo, latuit miserabilis dolus, sed claruit cunctis pessimum consilium, quia [i] Christi violare conabantur ecclesias, et perdere cunctos atque diripere omnium bona [j]. Cumque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, ut pontifex occideretur cum optimatibus Romæ, agnita crudelissima insania protinus ipsum patricium missum [k] occidere voluerunt, nisi defensio pontificis nimia præpedisset. Verum eumdem anathematizaverunt Eutychium exarchum, sese magni cum parvis constringentes sacramento nunquam pontificem Christianæ fidei zelotem et Ecclesiarum defensorem se permittere noceri, aut amoveri, sed mori pro illius salute essent omnes parati. Munera tunc hinc inde ducibus Longobardorum et regi pollicentes [l] plurima, ut ab juvamine desisterent pontificis per suos legatos patricius ille suadebat. Qui rescripsit [m] detestandam viri dolositatem despicientes, una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt Romani atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione pontificis sustinere gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam, pro fide vera et Christianorum certantem [n] salute. His ita se habentibus, elegit majus præsidium pater [o] ille distribuere pauperibus largissima manu quæ reperiebat, incumbens orationibus et jejuniis, et letaniis Deum quotidie deprecabatur. Et spe ita manebat semper fultus plus quam hominum, gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus et in fide persisterent, rogabat, sed ne desisterent ab amore vel fide Romani imperii admonebat. [p] Sic cunctorum corda molliebat, et dolores continuos mitigabat.

186 Eodem tempore per XI indict. dolo a Longobardis pervasum est Sueriense castellum, quod per centum quadraginta dies [q] ab eisdem Longobardis possessum est. Sed pontificis multis continuis scriptis atque commonitionibus ad regem missis, quamvis multis datis muneribus, saltim [r] omnibus suis nudatum opibus, castrum donationem beatissimis apostolis Petro et Paulo antefatam emittens Longobardorum rex restituit atque donavit. Eo autem tempore, indictione XII, mense Januario, per decem et amplius dies stella, quæ Antifer [s] vocitatur, cum radiis in cœlo apparuit in Occiduo, [t] cujus radii partes Aquilonis respiciebant, et usque ad medium cœlum se extendebant. Eo vero tempore sæpius dicti Eutychius patricius et Luitprandus rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus rex subjiceret duces Spoletanum et Beneventanum, et exarchus Romam, et quæ pridem de pontificis persona jussus fuerat, im-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, Andriano. [b] Post hoc. [c] *B*, dicentes turbati quod contra pontificem quoque scripsisset. [d] pravitati. [e] inter. [f] Frentana, Montella, Venafrum. [g] Persiceda, *C*. Præcutio. [h] jubente. [i] *B*, quo. [j] *B*, omnia loca. [k] sententia Romani protinus ipsius Patricii missum. [l] pollicens. [m] *B*, ex scriptis. [n] certantes. [o] papa. [p] *Baron. ad ann.* 728 *in fine*. [q] *B*, 40 dies. [r] tamen. [s] *C*, aurifer. *f.* Lucifer. [t] *Baron. ann.* 729.

Digitized by Google

pleret. Qui rex Spoletum veniens, susceptis ab utrisque ducibus sacramentis atque obsidibus, cum tota sua cohorte [a] in Neronis campum secessit. Ad quem egressus pontifex, eique præsentatus, studuit ut potuit regis mollire animum commonitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus, et promitteret se nulli inferre læsionem : atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut quæ fuerat indutus, exueret, et ante corpus apostoli poneret mantum, armilausiam [b], balteum, spatam atque ensem deauratum, necnon coronam auream et crucem argenteam. Post orationem factam obsecravit pontificem ut memoratum exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod et factum est. Et sic recessit rege declinante a malis, quibus inierat, consiliis cum exarcho.

187 Igitur exarcho Romæ moranti, venit in partibus Tusciæ in castrum Manturianense [c] quidam seductor, Tiberius nomine, cui cognomen erat Petasius, qui sibi regnum Romani imperii usurpare conabatur. Leviores quoque decipiens ita ut Manturianenses, Lunenses atque Bledani [d] ei sacramenta præstitissent. Exarchus vero, hæc audiens, turbatus est, quem sanctissimus papa confortans, et cum eo proceres Ecclesiæ mittens atque exercitus profecti sunt. Qui venientes, in Mantuarianensi castello ibidem Petasius interemptus est. Cujus abscisum caput Constantinopolim ad principem missum est, et nec sic Romanis plenam gratiam largitus est imperator.

188 Nam post hæc claruit ejusdem imperatoris malitia, pro qua persequebatur pontificem, ita ut compelleret omnes Constantinopolim habitantes, tam virtute [e] quamque blandimentis, ut deponerent, ubicunque haberentur, imagines tam Salvatoris quamque ejus Genitricis sanctæ vel omnium sanctorum, easque in medio civitatis, quod dicere crudele est, igni cremarent, et omnes dealbarent depictas ecclesias. Et quia plerique ex ejusdem civitatis populo tale scelus fieri præpediebant, aliquanti capite truncati, alii partem [f] corporis excisi, pœnam pertulerunt. Pro qua causa etiam Germanum, sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ antistitem, eo quod ei consensum præbere noluisset, pontificatu privavit isdem imperator, sibique complicem Anastasium presbyterum in ejus loco [g] constituit. Qui missa Romam synodica dum tali hæresi eum consentientem reperiret, vir sanctus non censuit eum fratrem aut consacerdotem solito vocari, sed rescriptis commonitoriis nisi ad catholicam converteretur fidem etiam extorrem a sacerdotali officio esse mandavit. Imperatori quoque suadens salutaria, ut a tali exsecrabili miseria declinaret, scriptis commonuit.

189 Hic fecit calicem aureum præcipuum diversis ornatum lapidibus pretiosis, pens. lib. xxx ; similiter et patenam auream, pens. lib. xxviii et sem is. Hic dimisit omni clero, monasteriis, diaconiæ et mansionariis solidos duo millia centum sexaginta, et ad luminaria beati Petri apostoli solidos mille. Hic fecit ordinationes quinque : quatuor per mensem Septemb. et unam mens. Jun. : presbyteros triginta quinque, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca centum quinquaginta. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum apostolum sub die III Idus Februarii, indict. XIV, Leone et Constantino imperatoribus. Et cessavit episcopatus dies quinque mensem unum.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] cum omni suo exercitu. [b] Armillas sive B, armillariam. [c] Mantuarianense. *C*, Maturanense. [d] Bleani C. [e] vi. [f] in aliqua parte. [g] locum.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano.

Num. 177, *lin.* 1, sedit annos XV, mens. VIII, dies XXIV : *post paucos versus in Cod. Farnes. Folium integrum deest.*

Num 181, *lin* 11, *sequitur textus Farnes* et Longobardos pene trecentos cum eorum Castaldio interfecerunt.

Num. 185, *lin.* 4 Buxo Persiceta.

Num. 186, *lin.* 1, persuasum est, sutriense castellum. *lin.* 5, antefatus emittens Langobardorum rex. *lin.* 19, spatam atque ensem deauratos.

Digitized by Google

Num. 187, *lin.* 4, ita ut Mantuarienses, Lunenses, atque Blerani.

Ex codice Vallicellano.

Num. 177, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, Gregorius natione Romanus. *Ibid.* annos 15, menses 9, dies 22, qui a parva ætate in patr. nutritus, subdiaconus factus, deinde ad diaconatus ordinem provectus est. Et cum, *lin.* 6, regiam provectus ad urbem est. Erat autem vir castus. *lin.* 8, *concordat cum Reg., Maz. et Thuan. lin.* 10, impugnator. Hujus temporibus Joannes Constantinopolitanus antistes synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est pontifex, etc., *ut in sect. seq.*

Num. 178. *lin.* 2, *cod. Vallicel.* Hic trabes in basilica B. Pauli vetustate quassatas mutavit; et maximam cooperuit partem basilicæ quæ ceciderat; et altare a novo refecit; et ciborium argenteum pariter, quod fuerat ruina quassatum; ecclesiam quoque S. Laurentii foris murum sitam. *lin.* 7 *utrobique concordat cum Reg., Maz. et Thuan. lin.* 10, ad Christum convertit; et maximam partem, etc., *ut laudd. codd. Excipe tamen vocem* beatus *cujus loco noster ms. liber habet*, venerabilis; *lin.* 11, beati Pauli apostoli erant. *Ibid.* atque servis Dei monachis congregationem post longum tempus constituens, ut per diem et per noctem laudes Deo dicerent, instituit. Gerontocomium etiam, quod juxta ecclesiam sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe situm est, monasteriumque juxta positum sancti Andreæ apostoli. *lin.* 16, *concordat cum laudd. codd., excepto verbo*, agerent, *cujus loco Vallicel. cod. habet* ageretur.

Num 179, *lin* 1, *cod Vallicel*, Alpium Cottiarum. *lin* 3, reddita confirmavit. Tunc etiam, *etc*, *ut cod Reg, Maz et Thuan. lin* 4, eo quoque tempore Theodo dux gentis Bajoariorum cum aliis, *etc*, *ut laudd codd, cum quibus concordat etiam lin* 7. *lin* 8, destruendos. *lin ead*, concilium *item lin eadem* pervenerunt... apud regiam regressi urbem. *lin* 11, Anastasius vero cum civibus vel cum eis *etc usque ad* dimicavit, *concordat cum Reg et Thuan. lin* 13 *ut cod Reg, Maz et Thuan. lin* 15, Anastasius clericus factus. *lin* 17, fuerant depositæ in pristinum erexit titulum atque locum.

Num 180, *lin* 1, eo itaque tempore fluvius qui Tyberis appellatur, *etc.*, *ut codd Reg, Maz et Thuan, cum quibus concordat lin* 7 *et* 10. *lin* 3, transcendit itaque aliquibus locis muros, atque usque basilicam *lin* 5, aqua. *lin* 6, B. Petri, usque. *lin* 8, evellens et eradicans. *ibid* segetes. Ipso tempore parti maximæ Romanorum pro hoc. *lin* 10, tenebat. *lin* 12, est Deus *lin ult verba* per 15 indictionem *desunt in nostro cod.*

Num 181, *lin* 1, cum e. c. fuerat a Longobardis *lin* 2, Quo audito Romani valde sunt omnes contristati, *etc.*, *ut cod Reg, Maz et Thuan, exceptis his :* nempe Langobardos, ut ipsum, *lin* 4 *ut iidem col. usque ad verbum* restituerent. *lin* 6, neque monita ejus audire, nec castrum eum reddere passi sunt. *lin end.*, nimis idem pontifex in l. *lin* 7, in admonitionem. *lin* 8, eis qualiter hoc agerent *ibid* præstabat. *lin* 9, *ut iidem codd lin.* 11, Langobardos. *lin* 12, Castal'o. *lin* 13, *ut iidem codd.*

Num 182, *lin* 1, eo tempore Jerusalem Ecclesiam sanctam. *ibid.* dilecta tempore. *lin* 4, ministeriis. Hic quadragesimali tempore in V feria missarum celebritas fieret in Ecclesia, quæ antea non agebatur, instituit. Oratorium Osannæ in patriarchio in nomine beati Petri apostoli diversis ornatum metallis a novo fecit. Domum quoque propriam, post matris obitum, in honorem sanctæ Christi martyris Agathæ additis a fundamento cænaculis, vel quæ monasterio erant necessaria a novo construxit. Prædia illic urbana et rustica pro monachorum necessitate obtulit; atque ciborium in eadem ecclesia super altare construxit. Eodem tempore, etc. *Hæc habentur in editione lin* 17 *et* 20 *hujus num. atque lin* 2 *sequentis*, A *ordine turbato. Item lin* 4, nec dicenda Agarenorum gens a loco qui Septa dicitur ex Africa transfretantes, e c., *ut Reg, Maz et Thuan hoc loco usque ad illa verba*, participati sunt. *Excipe tamen hæc :* interemerunt ex eis, *omissis* uno die : *item* in benedictione. . . ad sumendum (*ut Maz*) et ne unus quidem. . . *ex his qui inde participati sunt. Illis præterea diebus*, e c., *ut infra laudd Codd. linea* 22. *lin* 23 *concordat cum iisdem codd. excepta voce* navibus, *cujus loco Vallicel. cod. habet*, manibus.

Num. 183, *linea* 1, *cod. Vallicel.*, *Eodem* tempore Narnia civitas a Longobardis pervasa est. Rex vero Longobardorum Leuzprandus, generali motione facta, Ravennam pergressus est, etc., *ut infra lin.* 10, *in edit. lin.* 10, 11. Castrum pervadens clusis, capto eo plures secum abstulit, et opes tulit innumeras. Post aliquod tempus. *lin.* 13, *concordat cum Reg., Maz. et Thuan. et ita lin.* 15, 26 *et* 27. *lin.* 16, Dei judicio Marinus dissolutus est, et contractus. *lin.* 18, hoc B scelus ipsi perficerent, meditabatur. *Ibid.* quorum consilio Romanis patefacto, Jordanem interfecerunt. *lin.* 20, finivit. In illis diebus imperatoris jussione Paulus patricius, qui exarchus fuerat eumdem Pontificem conabatur interficere. *lin.* 22, præpediebat; et suis opibus ecclesias denudare, sicut in cæteris fecerat locis; atque alium in ejus ordinaret locum, nitebatur. Post hunc spatarius missus est alter cum jussionibus, ut.

Num. 184, *linea* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. et ita lin.* 2, 14, 15 et 18. *lin.* 3, pontifex Romanus. *lin.* 4, si hoc fieri præp. a. s. g. discederet. Despiciens ergo vir venerandus profanam. *lin.* 7, *vox* talis *deest. lin.* 9, necem. *lin.* 11, submitterent. Spernentes quoque ordinationes exarchi, sibi omnes. *lin.* 16 τὸ Neapolis *deest. lin.* 17, Hadriano.

Num. 185, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin.* 6, 8, 15, 22 *et* 23, *lin.* 3, Langobardis. *Ibid.* Ferromannus Monte belli Bononia cum suis oppidulis Buxo et Persiceda. *lin.* 9, possimum concilium. *lin.* 13 *et* 14 *ut laudd. codd. Ibidem.* nisi nimia defensio pontificis præpediret. Tunc eumdem Eutichium et exarchum anathematizaverunt, se se. *lin.* 17, neceri, sed mori essent pro ipsius salute omnes parati. Tunc munera hinc et inde ducibus Langobardorum et regi pollicens plurima, ut a. *lin.* 19, qui rescriptis detestandum viri dolositatem decipientes. *lin.* 21, atque Langobardi. *lin.* 24 præsidium papa distribuere scilicet pauperibus largissima manu quæque, *lin.* 25 et jejuniis, lætaniis quoque Deum quotidie deprecans, et spe ista, *lin.* 28, persisterent ob amorem vel fidem Rom. imp. admonebat. Sic totorum corda, etc.

Num 186, *in.* 1, *cod. Vallicel.*, Eo tempore dolo a Langobardis pervasum est Sutriense Castellum. *lin.* 2, Langobardis *et ita ubique. lin.* 3, *concordat cum Reg., Maz. et Thuan. lin.* 4, *ut laudd. codd., exceptis his in fine, nempe :* donavit. Post aliquod tempus D idem rex, generali facta motione, ut subjiceret duces Spolitinum, et Beneventanum, susceptis ab ipsis ducibus sacramentis, atque obsidibus, cum omni suo exercitu in Neronis campo convenit. Ad quem egressus pontifex, eique se præsentans regis mollivit animum commonitione pia, etc. *ut in edit. lin.* 16, *lin.* 17, læsionem, et sic recedere. Nam ad tantam compunctionem piis monitis ejus flexus est. *lin.* 18, poneret; postque facta oratione recederet. Suggesserant autem ei plurimi, ut illa quæ imperator mandabat, cum exarcho impleret; sed commonitus blanda suasione pontificis vidit non expedire. Sed ad partem flexus salutis, illa fecit quibus institutus erat, nec consensit pravis consiliis; et recessit mitis, qui venerat ferus. Sic compressa est adversantium malitia rege declinante a malis, quæ suggerebant consiliis. Post paucos vero dies claruit malitia imperatoris, pro qua persequebatur pontificem, etc., *ut infra num.* 188. *lin.* 1.

Digitized by Google

Num. 188, *lin* 2, *cod. Vallicel.*, habitantes Constantinopolim tam vi, quam blandimentis, ut deponerent omnes imagines ubicumque haberentur, tam Salvatoris, quam ejus sanctæ Dei Genitricis, vel omnium sanctorum, et eas. *lin.* 5, crudele est, incenderent; et quia multi ex eis tale scelus præpediebant. *lin.* 7, alii in aliqua parte corporis pœnam pertulerunt, *etc. ut laudd. codd. exceptis his:* in ejus locum: *pro quibus ms. liber Vallicel. habet* in ejus loco. *lin.* 11, *ut laudd. codd. et ita ibidem primo et secundo loco, atque lin.* 13 *et* 14. *lin.* 15, *ut codd. Reg., Muz. et Thuan.*

Num. 189, *lin.* 4, *cod. Vallicel.*, hic fecit ordinationes v, presbyteros xxxv, diaconos iiii, episcopos per diversa loca cxlviiii. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri apostoli sub die x mensis Februarii, indictione xiiii, et cessavit episcopatus dies xxxv.

Apud Fabrottum codice Freheri.

Num 177, *lin* 1, *A*, annos 5, m. 8, d. 24, *B*, m. 9, dies 11. *lin* 9, ecclesiasticorum dogmatum, B. contrariorum.

Num 178, *lin* 4, ciborium, *B. lin* 16, *B*, habitabat monachus.

Num. 179, *lin.* 5, *AB*, Bavariorum. *lin.* 17, *B*, Philippico hæretico

Num. 180, *lin.* 3, B, egressus.

Num. 181, *lin.* 4, *AB*, protestabatur. *lin.* 6, *A*, neque monita audiebant, nec reddebant. *lin.* 8, et 9, *A B*, præstabat.

Num. 182, *lin.* 7, A, munitione *B.*

Num. 183, *lin.* 7, *AB*, lib. 20. *lin.* 15, *AB*, mandante præbuit. *lin.* 21, eo quod præp.

Num. 184, *lin.* 4, despiciens ergo.

Num. 185, *lin.* 8, *AB* jubente Deo. *lin.* 15, Beneventano exarcho.

Num. 186, *lin.* 1, *AB*, Sutriense. *lin.* 11, *A*, Beneventanum exarcho. *lin.* 12, *B*, jussa fuerant expleret. *lin.* 22, *A*, quæ inierat.

Num. 187, *lin.* 3, *AB*, leviores quosque.

Num. 189, *lin.* 8 *et* 9, *A*, episcopatus dies 35

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 177, *lin* 2, mens 9, d. 11. *lin* 3, qui a parva æt. in p. nut subdiaconus, at sac factus bibl i. est c. com sub sanctæ memoriæ d. S. Pet et deinde. (M, in Pat nutritus sub sanctissimo memorato domino S. P. et subdiaconus, atque sac f. bibl illi est cura com atque a Justiniano pr. inq de q. c. o. r. v. s, q. unde ad diaconatus ordinem p. est, et cum viro sancto Constantino P. regiam profectus est urbem, erat autem vir). *lin* 8, divinis Scripturis. *lin* 10, in exordio. *lin* 11, juss a porta S. Laur.

Num 178, *lin* 2, hic trabes in ecclesia beati Pauli apost vetustate quassatas mutavit, et maximam cooperuit partem basilicæ, quæ ceciderat, et altare a novo refecit quassatum ruina, et ciborium argenteum, pariterque fuerat, eccl quoque (*M*, refecit et ciborium argenteum, pariterque fuerat quassatum ruina ecclesiam q.) s. Laur foris murum sitam, quæ. *lin* 7 temporis. *lin eadem*, reduxit, diversas quoque basilicas i. r. P. renovavit. *lin* 10, ad Christum c. cl. maximam partem gentis ejusdem sancti baptismatis unda lavit. Hic etiam beatus papa monasteria, quæ secus. *lin* 11, atque servis Dei monachis c. p. l. t. constituens, ut per diem et noctem laudes Deo dicerent constituit. Gerontocomium, quod erat juxta ecclesiam sanctæ Dei Genitricis ad. P. situm est, monasteriumque juxta positum s. Andr. apost. *lin* 16, in quibus n. v. h. m. restaurans, et monachos faciens ordinavit, ut per diem et noctem laudes Deo in ecclesia eadem sanctæ Dei Genitricis cottidianis agerent diebus, et manet nunc usque pia ejus ordinatio. Et tempore Luitprandus.

Num. 179, *lin.* 1, *A*, Coctiarum. *lin.* 2, petierat (*M*, reperierat) *lin.* 4, Tunc etiam 14 indict. sign. [illegible] f. est, et visa est cr. *lin. ead.* eo quoque tempore Theodorus dux gent. Baugarior. cum aliis gentis suæ ad B. P. apost. limina orationis voto pr. de g. e. occ. Hujus etiam temp. *lin.* 7, in partes. *lin.* 8, destruendos. *lin. ead.*, pervenirent. *lin.* 9, apud reg. *lin.* 11, civibus, et cum eis, quos potuit habere de exercitu munita civitate Nicæa obvius exiit. Pergens itaque illuc cum classe, Theodosius imper. cum eo dimicat (*M*, dimicavit). *lin.* 13, exerc. Anastasii s. i. Cumque Anastasii pars superata esset, verbum immunitatis ab eo expetivit. Dato itaque sibi sacramento. *lin.* 17, in qua acta sex sanctæ synodi erant depictæ, et a Philippo nec dic. fuerant depositæ, in pristinum erexit titulum atque locum.

Num. 180, *lin.* 1, eo quoque tempore fluv. qui Tib. appell. al. s. eg. per campestria se dedit, intumescens inundatione aquarum, et per p. *lin.* 4, locis muros, atque usque in basilicam. *lin.* 7, remissa in ips. *lin.* 8, dissip. evellens, et eradicans a. et s. nam nec serere ipso t. p. m. r. et per hoc im. *lin.* 10, per dies etiam. *lin.* 12, est Deus, aq. a. *lin. ead.*, et fluv. pr. reg. est alv. xv indict.

Num. 181, *lin.* 2, Romani omnes sunt contristati de castri perditione. Adortatus est etiam venerabilis pontif. et commonuit Longobardos ut eum redderent. Quod si non adq. in i. eos d. i. *lin.* [illegible]stabatur. Munera eis etiam dare multa, ut illum restitu. s. *lin.* 6, m. monita ejus a neque castrum eum a. p. s. *lin. ead.* nimis idem pontifex ind. *lin.* 7, spei div. cont. atque in admonitionem. d. *lin.* 8, q. hæc ag. *ib.* præstabat. *lin.* 9, castri viri virtutis sub. n. s. ing. s. *lin.* 10, Theoduno. *lin.* 12, castaldo. *lin.* 13, sicque castrum receperunt. *lin.* 14, venerabilis papa si. a p. d.

Num. 182, *lin.* 1, Eo tempore Hier. eccl., scilicet s. Crucis, quæ multo fuerat distecta t. *lin.* 3, Ambon. marmor. *lin.* 4, ministr. Hic quadragesimali temp. ut v. feria missarum celebritas fieret in ecclesia, quod antea non agebatur, instituit, ut. *lin.* 19 oratorium Osannæ in. *lin.* 20, a n. fecit. Domum quoque propriam post matris obitum, ut. *lin.* 2 *num. seq. lin.* 4, monasterio. *lin.* 5 *ejusd. num.* nec obt. atque ciborium in eadem ecclesia super altare construxit. Eodem tempore nec dicenda Agarenorum gens a loco, qui Cepta dicitur, ex Africa transfretantes, Hispaniam ingressi, maximam partem gentis illius cum eorum rege occiderunt; reliquos omnes subdiderunt cum suis bonis, et ita eandem provinciam annis decem possederunt. Undecimo vero anno cum uxoribus et parvulis venientes Aquitaniam Galliæ provinciam quasi habitaturi ingressi sunt. Carolus tunc Francorum princeps cum Eudone Aquitaniæ principe discordiam habebat. Qui tamen in unum se conjungentes, contra eosdem Saracenos pari consilio dimicaverunt. Facta est autem Francorum generalis motio contra eos, et circumdantes eos interemerunt uno die ex eis cccLxxv millia, ex Francorum vero parte mille tantum quingenti interierunt, ut Francorum missa pontifici epistola continebat. Qui pontifex anno præmisso in benedictionem eis direxerat tres spongias, quibus ad usum mensæ pontifices utebantur. Ex quibus Eudo Aquit. princeps populo suo per modicas partes tribuit assumendum (*M*, ad sumendum) et ne quidem unus vulneratus est, aut mortuus ex his qui inde participati sunt. Eo quoque tempore, *ut lin.* 16, et ordeum. *lin.* 17, missa sunt. Hic quadrag. *Hic repetuntur, quæ jam posita sunt, lin.* 5, orat. sane. *supra autem*, Osannæ. *lin.* 20, fecit, et circumquaque altare p. *lin.* 21, illis præterea diebus const. biennio est a nec dic. A. mari obs. *lin.* 23, maxima pars eorum fame, frigore, bello pestilentiaque perierunt, ac sic pertesi obsidionis cum navibus suis confusi recesserunt. De populo vero ejusdem civitatis ccc millia diversæ ætatis pestilentia vastante perierunt.

Digitized by Google

Num. 183, *lin.* 1, eo namque tempore moribus certa Honesta pont. mater. *lin.* 2, obit. domum pr. in hon. *lin.* 4, monasterio. *lin.* 6, lib. 6, arcus arg. *lin.* 7, lib. 12, et alia dona m. l. est (*M*, lib. 15, canistra 10, pens. similiter lib. 12, etc.). Eodem tempore Narnia civitas pervasa est. Rex (*M*, a Longobardis pervasa est). *lin.* 10, pergressus. *lin.* 11, perv. clusis, capto eo (*M*, perv. capto eo plures abstulit) et opes tulit innumeras. Post aliquot tempus *B. lin.* 13, Quibus Marinus imper. *lin.* 15, mand. assensum præbuit. *lin.* 16, jud. dissol. est, et cont. *lin.* 17 missus est in l. q. ibid. ipsi perf. *lin.* 18, patefacto Jord. *lin.* 20, fin. In illis diebus Imper. jussu. Paulus qui ex fuerat, eund. P. c. i. eo quod. *lin.* 22, et suis opibus ecclesias denudare, sicut in cæteris fecerat locis, atque alium ordinare in ejus loco nitebatur. Post hæc (*M*, post hoc) spatharius missus est alter cum i. ut P. *lin.* 26, ex Ravennatibus c. *lin.* 27, pontif. repugnantibus quoque Spoletinis in ponte Salario, et ex alia parte Longobardis, Tuscis resistentibus hoc fieri præpeditum est, jussionibus itaque.

Num. 184, *lin.* 1, Leo imper. *lin.* 2, hab. sed omnes jusserat deponi, et incend. maled. *lin.* 3, pont. Rom. *lin.* 4, si fieri pr. a. s. g. discederet. Despiciens ergo vir venerabilis prof. *lin.* 7, talis imp. I. *lin.* 9, P. necem conscendere. *lin.* 11, submitterent. Spernentes quoque ordinationem exarchi sibi o. *lin.* 14, et duc. Constant. *lin.* 15, sper. de conversione P. ipsis diebus exh. *lin.* 18, interf. dicentes, quod contra pontificem imper. scripsissent. Post hoc et Petrum ducem orbaverunt.

Num. 185, *lin.* 1, post hæc in partibus Ravennæ aliis consentientibus pravitati imper. aliis cum P. et fidelib. se tenentibus, inter eos cont. m. P. *lin.* 3 *et* 4, c. Ferromanus. *lin.* 4. Verrabulum (*M*, Verabulum) cum suis oppidulis, Buxo, et Persiceda, Pent. *lin.* 6, eunuchum Neap. imp. m. *lin.* 8, ille perf. sed nec sic jubente D. *lin.* 12 *et* 13, crudel. sententia, Rom. protinus ipsius patritii missum occ. vol. *lin.* 13, nisi nimia def. pontif. pr. Tunc eundem Euticium *sic. sup. lin.* 6, (*M*, Euthicium) anathematiz. *lin.* 15, m. cum minoribus. *lin.* 17, sed pro ipsius salute mori ess. o. p. Tunc munera. *lin.* 18, hinc et inde D. *ib.* pollicens. *lin.* 21, catena fidel. *lin.* 22, non illum q. *lin.* 23, His itaque. *lin.* 24, pr. Papa tribuere, scilicet pauperibus l. m. quæque r. *lin.* 25 jejun. letaniisque D. p. deprecans, et spe ista m. *lin.* 28, persist. ob amorem, vel fidem Romani imp. admonebat. Sic totorum c. m.

Num. 186, *lin.* 1, eo temp. dolo a Longob. *lin. ead.*, Sutriense c. quod per cl. d. (*M*, CXL.) ab eisd. p. est (*M*, ab e. l.) *lin.* 3, sed P. cont. sc. *lin.* 4. tamen omnibus s. op. n. castellum antefatus Longobardorum rex [illegible]a donatione beatissimis Petro et Paulo apost. restit. at. don. Eodem temp. ind. 12. *lin.* 7, per. 10, et eo amplius. *lin. ead.* ante fer. v. *lin.* 8, in Occidente *ibid.* partem, A. *lin.* 9, eodem temp. *lin.* 10, consilium nephas, ut congregato exercitu res subjiceret ducem Spol. *lin.* 12 *et* 13, impleret. Post aliquot tempus idem rex, generali facta monitione, ut subjiceret ducem Spoletanum et ducem Beneventanum, susceptis ab ipsis ducibus sacramentis, atque præsidibus cum omni suo exercitu in Neronis campo convenit, ad quem egressus pontifex, eique se præsentans regis mollivit animum commonitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus et promitteret se nulli dare aut inferre læsionem, et sic recederet: nam ad tantam compunctionem p. m. ejus flexus est. *lin.* 18 *et* 19, armillas, sive b. *lin.* 19, deauratos. Postque facta oratione recederet. Suggesserant autem plurimi ut illa quæ imperator mandabat, cum exarcho impleret. Sed commonitus blanda oratione pontificis, vidit non expedire. Sed ad partem flexus salutis, illa fecit quibus institutus erat, nec consensit pravis consiliis et recessit mitis, qui venerat ferus; sic compressa est adversantium mala opinio rege declinante a malis, quæ suggerebant consiliis. Post orationem factam, *ut lin.* 20.

Num. 187, *lin.* 1, in partes T. *lin.* 1 *et* 2, Mantuarianense. *lin.* 2, cognomento. *lin.* 3, et leviores q. *lin.* 4, sacramentum. *lin.* 6, exercitum. *ibid*, qui venientes in Mantuarianense castellum isdem Pet. *lin.* 8, et nec sic plena Rom. gr. l.

Num. 188, *lin.* 1, nam post paucos dies claruit imp. m. *lin.* 2, omnes hab. Const. tam vi q. b. ut deponerent omnes imagines, ubic. hab. tam Salvatoris, q. ej. S. Genitr. *lin.* 5, cr. est incederent. *lin.* 6, eccl. depictas. Et quia multi ex eis tale scelus præpediebant. *lin.* 7, alii in aliqua parte corp. pœnam pertulerunt. Germanus quoque patriarcha eodem tempore a propria expulsus est sede, quia imperatoris nequitiæ non consensit, sibique complicem Anastasium presbyt. in ejus locum c. *lin.* 11, Romæ s. *ibid.* dum tali errore. *ibid.*, eum c. apostolicus reperiret, non c. e. f. aut sacerdotem vocari, sed scriptis commonitoriis. *lin.* 13 *et* 14, rediret fidem, etiam a s. off. ext. esse m. *lin.* 15, ut a tali execratione decl. scriptis sæpius mandavit.

Num. 189. *lin.* 1, hic fecit ordinationes quinque, presb. 35, episc. per div. loca 149; qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apost. sub die 11 mens. Febr. indict. 14, et cess. episc. d. 35.

Ex codice Thuano altero.

Num 177, *lin* 1, Gregor nat Rom. *ib.* 15, mens 8, d. 24. *lin* 10, in ex.

Num. 179, *lin.* 2, Haribertus. *lin. ead.*, adm. t. v. redd. c. *lin.* 5, Theodo.

Num. 180, *lin.* 8, agros desertavit. *lin.* 13, reversus est alv.

Num. 181, *lin.* 3, quod si non adq. *lin.* 4, protestabatur. *lin.* 8 *et* 9, præstabat. *lin.* 12, castaldio.

Num. 182, *lin.* 1 distecta *lin.* 6, ad Franciam occupandam. *lin.* 7, monitione *ib.* interemerunt. *lin.* 14, ad sumendum ex eis, ne unus. *lin.* 20, fecit *lin.* 22, biennio est.

Num. 183, *lin.* 7, lib. 15 et al. *lin.* 8, eodem t. *lin.* 19, moti. *lin.* 21, eo quod c. *lin.* 22, et suis opib. eccl. *lin.* 23, ordinare.

Num. 184, *lin.* 1, ut nulla in ecclesia imag. *lin.* 2, angeli hab. *lin.* 4, si autem hoc f. *lin. ead.* Despiciens ergo. *lin.* 6, Ch. quod orta f. i. Igitur. *lin.* 20, dicentes.

Num. 185, *lin.* 1, pravitati imp. *lin.* 2, fidelibus tenentes inter eos. *lin.* 4, Persicita. *lin.* 8, nequiverant *ibid.* juvante D. *lin.* 12, Romani agn. *lin.* 14, præpediret. *lin.* 17, munera tamen. *lin.* 18 et 19, ut ad juvamen adsisterent P. *lin.* 22, neque ill. *lin.* 23, pro fide vero Christianorum certantes s. His ita hab. *lin.* 24, pater distribuit namque p. *lin.* 26, imprecabatur.

Num. 186, *lin.* 1 *et* 2, Sutriense. *lin.* 3, sed. pont. cont. sc. *lin.* 5, antefatus e. *lin.* 7, et eo amplius d. *lin.* 10, consilium nefas, ut congregato exercitu R. *lin.* 14, cum tota sua hoste in Neronis campo conjunxit, atque egressus P. e. p. potuit R. m. animos c. *lin.* 16 promitt. nulli. *lin.* 20, post oratione facta.

Num. 187, *lin.* 1, in partes T. *lin.* 2, cui cognomento e. P. q. s. r. R. i. v. c. leviores quosque d. *lin.* 4, Blerani. *lin.* 7, Manturianense cast. isdem P.

Num. 188, *lin.* 7, scis. *lin.* 11, dum talis erroris eum c. *lin.* 14, exortem.

Num. 189, *lin.* 2, lib. 29, *lin.* 3, diaconibus, *lin.* 4, ordin. 9, *lin.* 6, diac. 5. *lin.* 9, dies 35.

Apud Peniam codice Cavensi.

Num 177, *lin* 11, decoquere. *lin* 12, restauraret. *lin ead*, et mergentibus in eo nervis var.

Num. 179, *lin.* 2, ammonitione t. v. reddita. *lin.* 9, apud regiam. *lin.* 11, vel quos pot. *lin.* 12, illi cum.

Num. 180, *lin.* 3, aliquibus in locis. *lin.* 6, molvium. *lin.* 7, remissa ipsius fluminis se dedit.

Digitized by Google

Num. 181, *lin.* 9, viruti. *lin.* 11, et Longobardis pene trecente. *lin.* 14, lib. tam ipse s. P. promiserat ded.

Num. 182, *lin.* 6, transire Francias.

Num. 183, *lin.* 2, obitum Gregorius domum. *lin.* 9, motione Ravenna. *lin.* 10, per dies, et castrum. *lin.* 15, hoc præbuit. *lin.* 17, Italiam, qui d. ut scelus. *lin.* 22, et suis opib.

Num. 184, *lin.* 1, ut nulla eccl. imago c. s. a. m. a. angeli hab. *lin.* 7, impietas igitur. *lin.* 8, restit. nunquam. *lin.* 16, dux deceptus, *lin.* 20, scr. orbaverunt.

Num. 185, *lin.* 1, cons. pravitate. *lin.* 2, intro. *lin.* 5, post aliq. v. Euth. *lin.* 12, occ. optim. *lin.* 14, præpediret. *lin.* 17, mori essent p. i. [illegible] *lin.* 22, pertulere. *lin.* 25, jejun. kalan. D. cotid[illegible] imprec. spes ita. *lin.* 29, sic tutorum.

Num. 186, *lin.* 1 *et* 2, Satriense. *lin.* 3, pontif. contin. scr. com. *lin.* 7, et eo amplius, *lin.* 10, Liudprandus. *lin.* 14, obsidibus c. t. sua [illegible]ste. *lin.* 15, animos. *lin.* 16, prom. nulli.

Num. 187, *lin.* 4, blerani, *lin.* 7, isdem Petas.

Num. 188, *lin.* 11, qui missa syn. *lin.* 12, censuit fr. a. cons. s. sed. *lin.* 14, imper. quoque mandavit suad.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 177, linea 7.—*De quibusdam Capitulis.* Gregorius pontificem Constantinum properantem Constantinopolim comitatus est, atque a Justiniano de capitulis interrogatus, quæ alia non fuisse videntur, quam Trullani canones, ad quorum promulgationem diuturnam operam suam imperator contuleral, velut legimus in vita Sergii, pag. 151. Sunt qui existiment, ex Trullanis canonibus nonnullos ea occasione fuisse a Romano pontifice approbatos, confirmatosque. Nos sine certis documentis definire nolumus.

Num. 178, linea 1. — *Joannes Cpnus.* Hic præfuerat conciliabulo Cpno sub Philippico habito, iisque decretis subscripserat quæ per encyclicam promulgata, atque a multis suscepta fuisse notavimus. Hæc autem Anastasiana perioche ad Vitam Constantini spectat, ad quem Joannes synodicam scripsit. Adeoque post illa verba gestorum Constantini, pag. 163, lin. 1. *Ita perrexit Ravennam*, addenda hæc sunt, quæ perperam in Vita Gregorii sunt inserta : *Hujus temporibus Joannes Cpnus antistes synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est pontifex.* Neque enim Joannes synodicam scribere potuit Gregorii II temporibus, cum ultimum diem obierit antequam ille ad pontificatum eveheretur. Quippe obiit Constantinus anno 715, Joannes autem Cpnus ann. 714 obiit, eique suffectus Germanus, de quo Theophanes in Chronico, pag. 322 : « Eodem porro anno secundo imperii Artemii, qui etiam Anastasius, indictione XIII, mensis Augusti die undecimo, e Cyzicena metropoli Cplim Germanus translatus est, decretumque super ea translatione.... promulgatum fuit. » Agatho Diaconus, pariter coætaneus scriptor, id testatissimum facit, dum post enarratam Anastasii ad imperium promotionem, subjungit : « Sicque paulo post cum ei ita visum esset, et consensisset, factæ sunt litteræ defensionis a sanctissimo hujus civitatis pontifice Joanne ad Constantinum sanctissimum et beatissimum papam Romæ veteris. Quæ quidem cum synodalibus de more missæ sunt litteræ. Quæ de omnibus prius scriptis, ut par erat, eum reddebant certiorem. » Discimus hinc ad plenioremn Romanæ synodi, de qua supra, notitiam, Constantinum comminatoriam dedisse ad Joannem, exprobrando ea quæ in prædatoria Cpna synodo gesta fuerant : ad hæc Joannem, præter consuetam synodicam, apologeticum ad Constantinum direxisse, ut saluberrimo ecclesiasticæ œconomiæ remedio ascriberentur quæcunque perperam egerat. Innuit quoque Agatho, Joannem scripsisse ad pontificem, *ut par erat*, nimirum debuisse illum Romanæ synodicæ respondere, ne contumax videretur. Epistola Joannis est tomo III Conc. Hard., pag. 1838, cum hac epigraphe : *Epistola sanctissimi archiepiscopi Cpni Joannis ad Constantinum sanctissimum papam Romanum, Apologetica, propter ea quæ tempore tyrannidis Bardæ mota sunt adversus sanctam et œcumenicam sextam synodum.*

Num 179, linea 1. — *Luitprandus.* Excerpsit hæc Noster ex Paulo Diac., lib 6, c. 43 : « Eo tempore Luitprandus rex donationem patrimonii Alpium Cottiarum Romanæ Ecclesiæ confirmavit. »

Linea 6. — *Anastasius imperator.* Hæc Paulus, servato temporum ordine, ante [illegible] confirmationem donationis narravit; [illegible] ad hunc modum : « Hoc tempore Anastasius imperator classem in Alexandriam contra Saracenos direxit. Cujus exercitus, ad aliud versus consilium, ab itinere melio Cplim urbem regressus, [illegible]dosium Orthodoxum inquirens, imperatorem [illegible], atque coactum in solio imperii confirmavit. Qui Theodos[illegible]ud Areum civitatem Anastasium gravi prælio vi[illegible]que sibi sacramento, eum clericum fieri ac p[illegible]um fecit ordinari. Ipse vero ut regnum accepit [illegible] in regia urbe imaginem illam venerandam, in quâ sancta synodus erat depicta, et a Philippico fuerat dejecta, pristinum in locum erexit. His diebus Tiberis fluvius ita inundavit, ut, alveum suum egressus, multa Romanæ fecerit exitia civitati; ita ut in via Lata ad unam et semis staturam excresceret, et a porta sancti Petri usque ad pontem Milvium aquæ se distendentes conjungerent. »

Linea 16. — *Imaginem illam venerandam.* Tam Paulus, quam ejus exscriptor Anastasius, ascribunt Theodosio restitutionem imaginis synodi VI. Agatho tamen, qui rebus interfuit, opus hoc aperte Anastasio tribuit atque adeo uterque historicus est emendandus, et loco Theodosii sic scribendum : *Protinus etiam ut ingressus est memoratus Anastasius*, cum reliquis, quæ pariter ad gesta Constantini sunt referenda. Agatho enim post descriptam Anastasii electionem loco sæpius laudato sic prosequitur : « Quoniam autem post dejectionem superius dictæ synodalis imaginis, qui eam nefarie dejici jusserat, sceleratus et demens Bardanes, in Melii quæ dicitur fornice, sanctas, et œcumenicas quinque synodos, et solum in imagine se poni jussit, in ejus medio se cum Sergio erectum statuens, necessario omnino et valde convenienter his duabus personis [illegible] dejectis, ejusdem sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi cum aliis quinque fit in columna descriptio. Communi festo et lætitia, et spirituali in Domino exaltatione exorta universo Dei amantis Ecclesiæ cœtui, ob constitutionem et pacem sanctissimarum Ecclesiarum. »

Num. 182, linea 4. — *Nefanda Agarenorum.* Quibusdam immutatis, nam. hic integer 182 descriptus est ex lib. VI, cap. 46, 47, Pauli Diaconi.

Linea 12. — *Directis tribus spongiis.* Hæc quæ de spongiis habet noster, Paulus prætermisit. Spongiarum apud veteres usus communis fuit. Frequenter in mensis adhibitæ imo et in sacris usurpatæ, et ad nitorem quidem luminarium ante altare existentium, prout certo nos faciunt quæ infra in Paschali notantur. Siquidem reponebantur in vasis argenteis quæ altaris servitio erant destinatæ; legimus enim quemadmodum a Paschali dedicata fuerit *concha ad spongiam* (reponendam), *pro nocturnis diligentiis ibidem ex argento constituit.* Spongias hujusmodi missas reor, quia oleo perfusæ quod martyrum sepulcris inserviebat. BENCINUS.

Digitized by Google

Linea 24. — *Leone principe.* Leo imperium, dejecto Theodosio, occupavit, ipseque, cum milites, Anastasium ejicientes, acclamarent Theodosium imperatorem, solus restitit, ex auctore Miscellæ, lib. xx, pag. 116 : « Leo cum esset prætor Orientalium, quoniam auxiliabatur Artemio, non est subditus Theodosio. » Erant crebræ admodum hujusmodi imperatorum dejectiones, ut observat Nicephorus, in Chronico, post narratam depositionem Theodosii : « Dum assidue hunc in modum contra imperatores conjurationes, dumque, invalescente tyrannide, imperii ac reipublicæ status negligitur, et paulatim in deterius prolabitur, una et litterarum studia exstingui, atque intercidere appetunt, nec minus disciplina militaris pessumdari, ita factum est ut Romanorum imperium bellis impune lacesseretur, et cædes passim promiscue, et abductiones hominum, et urbium eversiones fierent. Accessit ad horum malorum cumulum Saracenorum irruptio, qui contra regiam urbem, terrestri expeditione facta, infinitas peditum et equitum copias ex subjectis sibi gentibus colligerent. Eodemque tempore classem ingentem mille octingentarum navium circiter moverant, duce Musulmano (ita enim gentili eorum lingua vocabant). Quibus rebus cognitis, tam militiæ præfecti quam civiles magistratus, cum Theodosii imperitiam animadverterent, neque tantis hostium viribus sustinendis parem esse scirent, instare atque hortari cœperunt, ut imperio sese abdicaret, ac tuto se in ordinem cogi pateretur. Nec conditionem abnuit ille, sed anno imperii currente (717) sponte se abdicavit. Inde de successore deligendo consilium ineunt, ac tum forte Leo patricius oblatus est, Orientalibus copiis ea tempestate præfectus. Hic igitur, ut imperatores solent, solemni pompa susceptus, aurea porta Byzantium ingreditur, ac in majori Ecclesia imperatoriam coronam accepit. »

Num. 183, linea 9. — *Longobardorum Luitprandus.* De eo Paulus, lib. vi, c. 49 : *Eo tempore Luitprandus Ravennam obsedit, classem invasit, atque destruxit.*

Linea 13. — *Ut pontificem interficerent.* Scilicet Leo Armenus, sub imperii spe a Judæis pridem circumventus, ut imagines destrueret, priora edicta ad easdem abolendas emiserat. Cum vero agnosceret, sibi in eo magnopere adversari Gregorium pontificem, per eos quos hic Anastasius recenset interfici allaboravit.

Num. 184, linea 1. — *Jussionibus.* De hisce edictis ab Isaurico Leone vulgatis, eadem habet Paulus, lib. vi, c. 49. Anastasius dum Paulum exscribit, hæreticalia imperatoris edicta simul commiscet, nullo priorum a secundis discrimine. Decreta itaque duo vulgavit Leo. In primo, quod anno 726 prodiit, caveretur ne imagines adorarentur. Atque de isto sunt intelligenda verba Stephani diaconi Cpni, in Vita sancti Stephani Junioris, ubi hæc leguntur : « Post decimum imperii sui annum novus ille Balthazar Manichæam hæresim, et Aphthartocitarum, ut ita loquar, forte haud dissimilis, in Ecclesiam spiravit. Itaque subjecta sibi plebe convocata, coram omnibus Leoninum rugiens inhumana hæc bellua, et Leonis nominis insignis, et iracundo corde, velut ex Æthna monte, ignem et sulphur, miserandam illam vocem eructavit ac protulit : Quandoquidem imaginum fabricatio ars est idolica, illas adorare non oportet. » Unde Leo errorem hauserit, fusius produnt Theophanes ad dictum annum, et auctor Miscellæ, pag. 150. Et ab interdicenda quidem imaginum veneratione, antequam ad earum incendium decernendum progrederetur, exorsum fuisse, aperte docet Theophanes, pag. 340 : « Enimvero impius ille non tam in errore de respectiva venerandarum imaginum adoratione versatus est, sed etiam de sanctissimæ Deiparæ, sanctorumque omnium intercessionibus, eorumque reliquias homo sceleratissimus in Arabum præceptorum suorum more abominatus est. Ab eo itaque tempore inimicitias cum beato patriarcha Cpno Germano imprudenter suscepit, omnesque decessores suos imperatores, præsules, Christianosque populos, tanquam idololatras, ob sanctarum venerandarumque imaginum adorationem, condemnans, cum ille præ nimia incredulitate atque rusticitate de respectivo earum cultu rationem ac sermonem capere valeret. »

Linea 4. — *Respiciens ergo pius vir.* Nempe Gregorius pontifex in causa sacrarum imaginum, Romæ synodum congregavit, cujus aliquot fragmenta reservat Adrianus I in epistola ad Carolum de imaginibus. Ut autem cum Philippicus, suo edicto tomo fidei, universos cogebat anathema dicere sextæ Synodo, hæreticus ob id a pontifice declaratus, Italica militia se ab illius obedientia subtraxit, ita Gregorii pontificis synodica adeo eamdem militiam commovit ad fidei defensionem, ut nisi Gregorius obstitisset, de nova imperatore eligendo ferme deliberasset. BENCINUS.

Linea 8. — *Venetiarum.* Veneta respublica, jam hoc tempore armis clara, plerumque ad pontificis defensionem stetit. Ursus illi tunc præerat, qui summa necessitudine Gregorio conjunctus præsto sæpius fuit. Quapropter cum Luitprandus rex occupasset exarchatum Ravennæ, scripsit ad Ursum Gregorius, ut auxiliaturus adesset. Legitur epistola pontificis inter ejusdem epistolas.

Lin. 12. — *Omnes ubique in Italia duces elegerunt.* Hæc prima est Periodus Italicæ libertatis, in qua Itali a Barbarorum, Græcorumque jugo sese eximere incipientes, jecerunt fundamenta restaurati postmodum Occidentalis imperii. De hoc Italiæ motu sic loquitur Theophanes, pag. 342 : « Porro sacer ille ac divinus Germanus, decretorum veræ religionis defensor, Byzantii floruit adversus Leonem, ex re nomen habentem, ejusque satellites tanquam adversus feras depugnans, quemadmodum in veteri Roma vir undequaque sacer et apostolicus, Petri apostolorum coryphæi confessor, eruditione præclarisque facinoribus clarebat Gregorius, qui Romam, atque Italiam totumque Occidentem a Leonis obedientia tam civili quam ecclesiastica, et ab ejus imperio subtraxit. »

Num. 187, linea 2. — *Tiberius nomine.* Si vera prodit Anastasius, duo tyranni sunt distinguendi. Unus qui sub initium imperii Leonis occupavit in Sicilia tyrannidem ; alter qui circa ann. 728, aut 29, se in Tuscia imperatorem fecit, qui et Tiberius vocabatur. De primo agit auctor Miscellæ, pag. 150, ad ann. 718, ubi de anno secundo imperii Leonis : « Sergius protospatarius et prætor Siciliæ, audito quod Saraceni obsiderent regiam urbem, coronavit illic proprium imperatorem, virum Constantinopolitanum ex hominibus suis, filium Gregorii Onomaguli, mutato nomine Tiberium vocitatum, qui fecit promotiones, et suos principes, prædicti consilio Sergii. Ast imperator, his auditis, mittit Paulum proprium chartularium : hunc patricium ordinatum, et prætorem Siciliæ, datis in auxilium ei duobus spatariis, et in servitium ejus perpaucis hominibus, jussionibusque ad principes Occidentis, et sacra populo recitanda. Qui cum ingressi fuissent noctu in Dromonem velocem, exierunt in partes Cyzici, a loco autem ad locum per terram perque mare itinere facto repente in Siciliam venerunt. Cumque Syracusam introiissent, audivit Sergius, et obstupuit, et proprio excessu perpenso, confugit ad propinquos Calabriæ Longobardos. Populus vero congregatus, et sacra relecta per eam certus effectus quod et imperium staret, et urbs promptior esset adversus gentes, necnon et enarrantibus illis quæ facta fuerant super duobus stolis, Leonem imperatorem laudaverunt, Basilium autem Onomagulum, et principes, qui ab eo profecti fuerant, vinctos prætori tradiderunt. Ipse vero Basilium cum singulari prætore ipsius decollavit, et capita eorum pusca condita per spatarios imperatori transmisit, reliquorum autem quosdam aut verberatos, aut tonsos, quosdam vero abscissis naribus

Digitized by Google

in exsilium destinavit. Sicque factum est ut hinc in Occidentalibus magna correctionis constitutio fieret. Porro Sergius, verbo impunitatis accepto a prætore pariter et petito, exivit ad eum, et ita omnes pace potitæ sunt Hesperiæ partes. » Tyrannus alter in partibus Tusciæ, similiter Tiberius nuncupatus, et ab Anastasio hoc loco memoratus, cognomento Petasius, qui Etruriam ad defectionem pellexit, quanquam per Romanum exercitum, Gregorio pontifice conveniente, oppressus est.

Num 188, linea 1. — *Claruit ejusdem imperatoris malitia.* Pleraque ab Anastasio hic memorata, ad verbum sumpta ex Paulo Diacono, in fine cap. 49. Itaque imperator anno 730 secundum edictum promulgavit, mandans ut dejicerentur, et adurerentur venerabiles imagines per universum imperium. Locum, tempus rationemque, hæreticalis reservavit Theophanes ad prædictum annum : « Cæterum, die 7 mensis Januarii, indictione XIII, irreligiosus Leo silentium contra sacras venerandasque imagines in novemdecim accubitorum tribunalio celebravit, Germano sanctissimo patriarcha advocato, cui persuadendum arbitrabatur ut suo de abolendis sacris imaginibus decreto tandem subscriberet. At fortis Christi servus abominando Leonis consilio nequaquam cedens, imo veritatis verbum recto sensu distribuens, episcopatu se abdicavit.... die autem 7 ejusdem mensis Januarii Anastasium falsi nominis virum, ipsius beati Germani discipulum ac cancellarium, in ejus locum suffecerunt, qui, videlicet, dominii sæcularis ambitione motus, cum Leonis impietati assentiret, falsus Cpnus episcopus creatus est. Cæterum Gregorius sacer Romæ præsul.... Anastasium una cum libellis suis abdicavit, Leonemque ipsum tanquam irreligiosum per epistolas redarguit, ac Romam cum universa Italia ad defectionem ab ejus imperio concitavit; ex quo tyrannus majori in dies furore percitus, persecutiones adversus sanctas imagines movit, adeo ut multi clerici et monachi, et devoti Laici ob recta fidei decreta periclitati, martyrii corona fuerint redimiti. » De excitata in Catholicos persecutione plura habet Stephanus in Vita Stephani junioris. Cum interim Langobardi principes Luitprandus, et dein Aistulphus universam Italiam dissidiis hujusmodi conflictatam invadere molirentur, plurimaque in dies occuparent, quæ Romanæ ditionis erant, Gregorius clam fœdus cum Carolo Martello inivit, quod et a sequentibus Pontificibus factum, ut suo loco annotabimus.

Linea 14. — *Imperatori suadens salutaria.* Gregorius II epistolas plures in causa sanctarum imaginum edidit. Exstant modo duæ, quæ leguntur sub initium synodi VII. Imo post priora Leonis decreta, emissam fuisse a pontifice in omnem catholicum orbem encyclicum, qua imperatorem declarabat hæreticum, notavit supra Anastasius, unde primi orti sunt Italiæ militiæ motus. Quin etiam vulgatam eamdem per Orientem fuisse, innuit Theophanes, ubi ait Joannem Damascenum anathema dixisse Leoni : *Gregorius epistolis, quas omnes norunt, ad eum datis, ipsi succensuit; ac denique Joannes* (Damascenus) *una cum totius Orientis episcopis impium Leonem anathemate devinxit.*

BINII ET LABBEI.

Num. 177, linea 1. — *Gregorius.* Cum post obitum Constantini Pontificis sedes apostolica XLII dies vacasset, Gregorius ejus nominis secundus summa concordia totius cleri et populi creatus est pontifex 22 Maii anno 714, sub Anastasio imperatore, contra Panvinum, in Fastis. Probatur illud in primis assertione Anastasii Bibliothecarii, qui dum numerat sedis ejus annos sexdecim, menses VIII et dies X, dicitque eumdem 11 Februarii mortuum esse, necesse est affirmare eum anno 714 sedere cœpisse. Idem confirmat, dum scribit Joannem Constantinopolitanum episcopum ad Gregorium litteras scripsisse. Quod si verum est, Gregorium prædicto tempore pontificatum tenuisse plane est concedendum. Nam auctore Theophane constat prædictum Joannem episcopatu suo amotum fuisse ab Anastasio imperatore anno imperii illius secundo, qui est Christi 714. Hic pontifex perperam a Græcis antiquioribus et Latinis quibusdam etiam recentioribus dialogus cognominatur, cum a scriptis dialogorum libris hoc soli Gregorio I vere conveniat. Gennadius in expositione pro concilio Florentino, cap. 5, sect. 16, et cap. 3, sect. 5 et 6, vel inter duos Gregorios ejus nominis pontifices non distinguit, vel utrumque hoc nomine appellandum esse male existimavit. Nam dicto cap. 5 Gregorium II, cap. autem 3 Gregorium I, dialogum cognominat. Vide Baron. ann. 726, num. 31.

Linea 11. — *Calcarias decoqui jussit.* Idque metu Longobardorum, qui Urbi insidiabantur. Vide Baron. ann. 715, num. 2.

Num 178, lin 8, 9. — *Hic in Germania per Bonifacium.* De rebus a sancto Bonifacio Germaniæ patre, apostolo et martyre, præclare gestis plura revetendus et doctissimus Nicolaus Serarius, soc. Jesu theologus in histor Moguntiaca, libr. II.

Num 179, linea 1. — *Eo tempore Luitprandus.* Eadem Beda et Paulus Diaconus et Oldradus, in epistola ad Carolum magnum, ubi tradit hæc primo anno Luitprandi ab ipso facta fuisse.

Num. 182, linea 21. — *Illis infestis diebus Constantinopolis.* De Constantinopoli biennio, sive triennio, a Saracenis obsessa, auxilioque Deiparæ Virginis liberata, post Bedam et Paulum Diaconum, plura Theophanes. Ejusdem meminit sanctus Gregorius, epistola ad sanctum Germanum episcopum Constantinopolitanum.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Ad sancti Gregorii II tempora ordo rerum nos ducit, qui, si ejus Acta omnia exstarent, cum sancto Gregorio Magno, unde orsus sum, comparari jure posset, ut cum doctissimo Annalium parente Bollandus affirmat. (*Comm. prævi. ad Greg. II Vit. 13 Febr.*) Ætatem hujus pontificis certam Antonius Pagius aliique recentiores definiunt contra Panvinii et Baronii opinionem; quod et Papebrochius ante eos fecit, tametsi ordinationem anticipans, aliquot diebus de more disjungit mortem a depositione. Ab illis autem minime recedendum esse, mox liquebit; cum enim ex tribus, quæ in cujusvis ætate pontificis considerantur, duo, nempe interpontificium et exitus seu dies emortualis unanimi omnium consensu certa sint, quod spectatur secundo loco, scilicet tempus sedis, inter utrumque includitur, ac proinde per se evidens fit. Nihilo tamen antequam ista hæc spectanda propono, miram, quæ in catalogis codicibusque de annis, mensibus, ac diebus occurrit, dissensionem, eruditionis gratia expediam.

Annos Gregorii quindecim, et sedecim, catalogi et Codices bipertito divisi nobis exhibent. Eorum quippe undecim stant pro annis XV, tredecim vero, quibus suffragatur Luitprandus, pro annis XVI. Catalogi Bergomas, et Colbertini quinque, Codicesque duo Freheriani, unus Thuanus, Farnesianus, et Ambrosianus alter habent annos XV. Reliqui omnes catalogi quatuor nostri, et duo Colbertini, necnon quatuor ex nostris Codd. ac tres Ambrosiani annos XVI. Par in mensium numero discrepantia invenitur; nam VII, VIII et IX, Gregorii sedi inconstanter tribuuntur : de diebus denique discrimen cæteris majus occurrit; quippe X, XI, XXII, XXIV, XXIX, passim consignatos videre est. Hæc profecto redderent valde operosam hujus sancti pontificis chronologiam; cum vero, ut paulo ante aiebam, de ejus principio, et fine liqueat, facile est medium definire. Illud itaque sic se habet.

Post Constantini obitum, die 9 Aprilis, ut supra vidimus, recte consignatum in Codd., iidem una cum

Digitized by Google

catalogis, nullo prorsus discrepante, habent inter pontificium LX dierum, quibus enumeratis a præfecta die, pervenitur ad 19 Maii, quam anno emortuali Constantini esse Dominicam diem docet lit. dom. F., ac proinde principium sancti Gregorii II, repetendum est ab ipsa die ordinationis, 19 Maii ann. 715. Finis vero, sive obitus hujus pontificis pari constantia ab omnibus Codd. traditur III Id. Febr. ind. 14, quæ annum haud dubie indicat 731, tum quia eadem indictio 14, quæ in cursu erat anno 2 Pontificatus Gregorii, est celebris apud Anastasium lunari eclipsi, quam secuta est inundatio ingens Tiberis, ind. 15, tum præsertim quia Gregorius II sacras imagines contra Leonem Isauricum aliosque Iconomachos strenue vindicavit, cujus vesaniæ, sacrilegæque Orientalium audaciæ epocham mox constituam. Quæ cum ita sint, sanctus Gregorius igitur apostolicam sedem sanctissime gubernavit totum id tempus, quod duo inter extrema medium est, a die 19 Maii 715 ad 11 Februarii 731 nempe annos XV, m. VIII, d.-XXIV, ut recte habent quatuor catalogi Colbertini, alter ex Codd. Thuanis, duo Freheriani, et Farnesianus cum AA, apud Pagium. Hoc tamen in numero comprehenduntur tam dies ordinationis quam emortualis; nec certam hanc ætatem vel minimum quid turbant Martyrologia, quæ transitum sancti pontificis postridie, seu post biduum commemorant. At de his videndus Bollandus ad d. 13 Febr., comment. prævio ad ejus Vitam.

His quæ ad Gregorii ætatem spectant absolutis, nonnulla pro meo instituto attingam, quæ eamdem confirmant; ea sunt indictum sacris imaginibus bellum ab impio Leone, quo de Baronius prolixe agit ad ann. 726, et duæ Gregorii II epistolæ ea occasione ad imperatorem scriptæ, quæ ætatem pontificis luculenter ostendunt. Leonem ad imperium evectum anno 716, VIII Calendas Apriles, cum adhuc in cursu erat, ind. 14, recte Baronius contra Theophanem docet, nequidquam eruditis recentioribus adversantibus, ut Theophanis sententiam tueantur; nam prima ex Gregorii epistolis Baronii opinionem astruit: *Imperante*, inquit, *te indictione quartadecima, ipsius etiam 14, et 15, et 1, et 2, et 3, et 4, et 5, et 6, et 7, et 8 et 9. Indictionum acceptas epistolas tuas in sancta Ecclesia repositas in limine confessionis sancti et gloriosi, ac principis apostolorum Petri diligenter servamus* (*Baron., ad ann.* 726). Eadem Pagius et sui et recentiorum opinionis probandæ causa utitur, Leonem dicens anno 717 imperatorem renuntiatum scripsisse *Epistolam ind. 14, quæ eo anno in cursu erat.* Et ne in librarium rejiciatur error, infra subdit: *Gregorius mentionem fecit litterarum ab imperatore ad se scriptarum ind. 14, primo nempe imperii ejus anno.* Equidem fateor eruditi scriptoris supinitatem miratus sum, qui epistolas Gregorii hactenus suo anno non redditas demum animadverterus, non vidit anno 717 in cursu esse usque ad Kalendas Septembres ind. 15, et Leonis epistolas si singulis indictionibus singulæ datæ erant, ut Gregorius affirmat, non undecim, sed decem, indictione IX enumeratum iri. Præterea ann. 741, n. 4, Copronymi diuturnum regnum recte a Theoph. digestum per annos, quia cum sua opinione pugnat, totum perturbat, Chroniconque Theophanis corruptum affirmat, non videns ingentem rerum seriem tum a Theophane, tum ab auctore Miscellæ memoratarum perverti. Quare, ut omnia procedant, et Isauri, et Copronymi primordia retrahi oportet unius anni spatio, rejecta indictionum vitiosa nota. Cumque hæc digesserim in Chronologia Cæsarea pontificia, persequor cætera de Gregorio II, quæ sum pollicitus.

Leo igitur Isaurus *post decimum sui imperii annum*, ut legitur in Vita sancti Stephani monachi et martyris, sceleri suo initium fecit, imaginem Salvatoris quæ supra portam æream collocata erat dejiciendo. Sed publica edicta de omnibus ubique imaginibus evertendis, nonnisi anno imperii quarto decimo, A Christi 730, promulgavit. Cujus opinionis assertor est Anastasius, qui narrat invasionem Langobardorum, ac postea donationem Sueriensis Castelli D. Petro factam ann. 728, ac sequenti 729, Cometæ apparitionem ab Occidentali parte, quem etiam Beda refert eodem anno, alium ab Oriente esse visum narrans; deinde Anastasius: « Post hæc, inquit, claruit ejusdem imperatoris malitia, pro qua persequebatur pontificem, ita ut compelleret omnes Cp. habitantes tam vi, quamque blandimentis, ut deponerent ubique haberentur, imagines tam Salvatoris, quamque ejus Genitricis sanctæ, vel omnium sanctorum, easque in medio civitatis, quod dicere crudele est, igni cremarent, et omnes dealbarent depictas ecclesias. » Quin etiam certissimam hanc epochem confirmat abdicatio sancti Germani, postquam imperatoris audaciæ et impietati nequidquam intercessit, de qua erudite Pagius ann. 730, a num. 1. Ac proinde principium belli imaginibus indicti rectius anno 730 B quam 726 constitueremus. Cum tamen antiqui Auctores statim atque emersit Leonis immane flagitium, hoc bellum cœpisse nos doceant, et nos persecutionis initium statuimus anno 726, eamque post quadriennium, nempe 730, publicatam asserimus.

Ridear fortasse tam frequenter Pagio adversans; nam ille edictum publicæ eversionis imaginum docet promulgari anno 726: « Sicuti ergo, inquiens, alias imperatores ethnici annis decennalibus suis dicatis adversus Christianos edicta promulgabant: sic Leo Isaurus anno imperii sui decimo adversus Orthodoxos persecutionem excitavit, et bellum sacris imaginibus indixit, idque ante Kalendas Septembris, quo indictio decima initium sumpsit. » (*Ann.* 726, *n.* 1.) At, bona cum venia Isaurus qui ex eodem Pagio regnare orsus est die 25 Martii, anno 717, Kalendis Septembribus 726 numerabat quintum mensem anni decimi imperii sui; atque ea propter non ethnicorum instar promulgare potuit edictum anno suis decennalibus dicato, C vota enim decennalia decennio evoluto, ac novo decennio ineunte, nuncupabantur, cujus rei exempla videbis apud card. Noris, (*Diss. Chron. de vot. Dec.*), ne sim multus extra aleam. Verum quidem est quod Leo juxta Baronii chronologiam, quam sequor, agebat annum undecimum, qui votis decennalibus celebrandis fuisset aptissimus; cum vero docuerim promulgationem edicti spectare ad annum 730, eruditio omnis de decennalibus corruit.

His cognitis, duarum quoque epistolarum sancti Gregorii ætas fit evidens, qua de erudite disserit Pagius (*Ann.* 726 *et* 730) contra opinionem card. Baronii, qui eas vult esse datas antequam res evenirent, de quibus agunt. Scriptæ igitur eæ sunt postquam sanctus Gregorius accepit synodicam Anastasii ab imperatore intrusi in sedem patriarchalem, ejecto sancto Germano, indict. scilicet 14, quæ a Kalendis Septembr. anni 730 cœpit fluere; nam ex Anastasio constat ad hunc prius dedisse litteras sanctum pontificem, deinde ad imperatorem. De his D diserte Pagius nepos exscriptor Antonii, et Sommier, quorum notæ consulendæ infra, sect. 184 et 188. Cæterum cur Leo post annum 726 non scripsisse videatur Gregorio, palam est; sanctus enim pontifex, cum numerando percenset imperatoris epistolas quoquo anno scriptas, catholicas intelligit; at post ind. 9, nempe post 726, cum persecutio imaginum cœpit, non amplius catholicæ erant, adeoque si ullas dedit, ut certe dedit, quando fœderatam agnovit Italiam contra se, concilium convocari cupiens, non est quid servarentur; nam Gregorius eum tanquam iniquissimum hæreticum detestatus est, ut concilium Romæ habitum, cujus exstat fragmentum, et duæ laudatæ epistolæ paucis ante obitum mensibus datæ fidem faciunt. Rerum seriem lege apud adnotatores historicos.

CIACONII.

Num. 177, linea 1. — *Gregorius II.* Junior Ro-

Digitized by Google

manus, Marce..i filius, ex monacho sancti Benedicti S. R. E. diaconus cardinalis a Constantino papa factus, imperatoribus Flaviis Anastasio, Arthemio, Theodosio Adramiteno, et Leone Isaurico Augustis, sedit annos XIV, menses X, dies XXI, creatus XII Kal., consecratus XI Kal. Aprilis : sub Sergio pontifice sacris initiatus, sacellis et bibliothecæ præfuit.

Num 188, linea 1. — *Nam post hæc claruit imperatoris malitia.* Leo de sacris imaginibus abolendis cogitare vehementius cœpit; atque ea de re litteras ad pontificem misit : cui Gregorius, pro dignitate, rescripsit sanctas imagines ex antiquo Catholicorum instituto in Ecclesia coli, neque sibi venerationem earum abrogare, aut pro arbitrio licere, aut pro officio convenire. Monere autem illum etiam atque etiam, ut diligenter et quid ageret et quousque progrederetur animadverteret; neque enim imperatoris esse novi aliquid de fide statuere, sed quæ antiquitus decreta a Patribus fuissent, quacunque ratione defendere.

ALTASERRA.

Num. 178, linea 8. — *Hic in Germania per Bonifacium episcopum verbum salutis prædicavit, et gentem illam sedentem in tenebris, doctrina lucis convertit ad Christum.* Bonifacius a Gregorio II consecratus episcopus, et missus in Germaniam ad conversionem gentis fuit primus Moguntinus episcopus. Ad Romanum pontificem pertinet ordinatio et missio episcoporum ad conversionem infidelium. Hoc jure a Gregorio II in Germaniam missus est Bonifacius : a Sergio ordinatus est Wilibrodus Clemens dictus, missus ad conversionem Frisonum, qui primus fuit Trajectensis episcopus, de quo Anastas. in Sergio. Beda, libr. V, cap. 12, Sigebert in Chronic., ad ann. 697. A Gregorio I Augustinus missus est in Angliam feliciter ad conversionem Anglorum, de quo Gregorius ipse, lib. V, epist 53 et seq.; Beda, lib. IV, c. 23 et seq.

Num 181, linea 11. — *Et Longobardos pene trecentos cum eorum castaldo interfecerunt.* Castaldus, vel gastaldus Longobardis est præpositus civitatis vel castri. Paulus Varnefrid., de gent. Longobard., lib. 5, cap. 29 : *Ipsum Alzoronem, mutato dignitatis nomine, de duce castaldium vocitari præcepit.* Rainerius gastaldeus Soranæ civitatis memoratur apud Leonem Ostiensem, Chronic. Cassinens. lib. 2, cap. 32. Tacipertus castaldius, et Ramingus castaldus Tusciæ, Anastas., in Zachar. Interdum gastaldus pro procuratore. Urban. II, in can. *Salvator.* 1, q. 33 : *Defensoris nomine advocatum, sibi castaldum et judicem.* Pandulphus gastaldus nominatur in inscriptione Joannis VIII, epist. 215. Idemque Judex Capuanus, in epist. ejusd. 217.

Num. 182, linea 11. — *Anno præmisso in benedictionem a prædicto viro eis directis tribus spongiis, quibus ad usum mensæ pontificis apponuntur.* Ante annum quo Saraceni, duce Addiramen rege, in Galliam irruerunt, a Gregorio II Eudoni duci Aquitaniæ, benedictionis gratia, missæ sunt tres spongiæ, de his quæ in usu erant ad detergendam mensam pontificis : his concisis in particulas, et distributis militibus, quotquot eas sumpsere, e prælio in quo Carolus Martellus et Eudo conjunctis copiis Saracenos ad internecionem fuderunt, incolumes et illæsi evasere. Spongiæ erant in usu ad detergendas mensas, ut probatur hoc loco, quem illustrat Martial., lib. XIV, epigr. 144 :

> Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
> Utilis.

Vel ad extergenda pavimenta. L. *Quæsitum*, § *Item pertica*, ff. de instruct. instrum. legat. M. Tull., pro Sextio : « Meministis tum, judices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas resarciri, ex foro spongiis ellingi sanguinem. » Hinc virgo Ægyptia, quæ, fingens se stultam, præ humilitate cæteris ministrabat, dicebatur σπόγγος τῆς συνοδίας, *spongia monasterii.* Pallad., Hist. Lausiac., c. 40.

Linea 17. — *Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit.* Etiam in quadragesima jejunium solvi perpetuum ab apostolis institutum fuit in gratiam dominicæ Resurrectionis. Gregor., in Evang. homil. 16 : « Quamvis ergo de quadragesimali tempore est adhuc aliud quod possit intelligi; a præsenti etenim die usque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quam triginta sex dies remanent. » Præter dies Dominicos etiam feria quinta de consuetudine a jejunio Quadragesimæ immunis erat; sed Gregorius junior restituit jejunium etiam in feria quinta, et missarum, id est officiorum, solemnitatem per Quadragesimam. Testis est Anastas., hic, et Microlog., de Eccles. obs., cap. 50.

Num. 183, linea 7. — *Canistra decem pensantia libras duodecim.* Canistra erant vasa argentea, in quibus reponebantur vasa, id est, ministeria sacra. Anastas., in Benedicto III : *Canistra exafoci duo ex argento purissimo pensantia libras numero quatuor et semis.* Locus est valde corruptus ; et ita restituendus videtur canistra exaphodia, a Græco ἐξάφιον, quo id est sacrum viaticum. Conc. Nic., can. 12, quia erant canistra, in quibus reponebatur corpus Domini. Hieronym. ad Rusticum de beato Exuperio : *Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Inde restituendus est alter locus depravatior Anastas. in Leone III : *Canistra ex cede Cafolii pensantem libras duodecim et semis.* Necnon et illud ejusdem in Paschali : *Fecit jam prædictus pontifex canistra Enafoti ex argento duo.* Et illud ejusdem in Gregorio IV : *Obtulit etiam canistra enna fodia duo.* Olim pocula mensis apponebantur in canistris argenteis. Servius, in illum locum Æneid. :

> Qui depibus mensas onerent et pocula ponant.

Veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur ; et hodie apud plures pocula in canistris argenteis apponuntur, quæ canistra siccaria dicuntur.

Num. 186, linea 18. — *Et ante corpus apostoli poneret mantum, armilausam, balteum, spatam, atque ensem deauratum, necnon coronam auream et crucem argenteam.* Luitprandus rex Longobardorum, fractus pontificis precibus ante altare divi Petri deposuit vestes regias et ornamenta, mantum, armilausam, balteum et spatham. Mantum est breve palliolum, quod tegit humeros, et ad manus pervenit tantum. Isidor., Origin. lib. XIX, cap. 24 : « Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantum; est enim breve amictum. » Mantum ponitur hic inter ornamenta regia, inter pontificia ponit Radevic., de gest. Frideric., lib. II, cap. 62 : « Multi ex nostris dicunt vidisse cancellarium undecimo die ab urbe exisse sine manto, sine stola, sine albo equo, et sine omni habitus munitione, cum pellibus regio pallio coopertis, et cum nigro almutio usque ad cisternam. » Inter vestes regias ponitur armilausa. Est vestis militaris, quæ armos, id est, humeros tegit, et pertinet ad genua, ut sit expeditior. Paulin, epist. 7, ad Severum : « Sibi ergo ille habeat armilausam suam, et suas caligas et suas buccas. » Idem epist. 13, ad eumdem : « Cum præterea facie non minus quam armilausa ruberet. » Armilausæ etymon ab armis signat Isidor. Orig. lib. XIX, cap. 22. « Armelausa vulgo vocata, quod ante et retro divisa, atque aperta est, in armos tantum clausa, quasi armiclausa, *c* littera ablata. » Suidas : Ἀρμιλαύσιον παρὰ τὸ ἄρμα, τὸ ἐπάνω τῶν ὅπλων· *Armilausæ jungitur balteum, quod est cingulum militare.* Paulin., epist. 7, ad Severum : *Nec balteo, sed reste succincti.* Balteum oblationis causa super altare deponi moris antiqui fuit. Gregor. Tur., de Mirac

Digitized by Google

martyr., lib. 1, cap. 61 : « Igitur quodam tempore homo devotus balteum ex auro purissimo cum omni apparatu studiosissime fabricatum super altare basilicæ illius posuit, orans ut in causis suis martyris virtus dignaretur adesse. » Ait crucem argenteam. Imperatores crucem auream in collo gestabant. De Carolo M. testatur Ditmarus, lib. IV. « Crucem auream, quæ in collo ejus pependit, cum vestimentorum parte adhuc imputribilium sumens, cætera cum veneratione magna reposuit. »

PAGII.

Num. 178, linea 1. — *Hujus temporibus Joan. Cp.*, etc. Ubi Gregorii creatio Orientalibus innotuit, Joannes Constantinopolitanus episcopus synodalem Epistolam ex more ad eum scripsit, ut idem Anastasius auctor est, qui ait : *Hujus temporibus Joannes Constantinopolitanus antistes Synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est pontifex.* Aliqui cum Baronio existimant rejectam a Gregorio synodalem Joannis epistolam, huncque ab eo tanquam hæreticum habitum; ideoque Anastasium imperatorem, acceptis Gregorii papæ litteris, Joannem in ordinem redegisse ac e throno deposuisse, ejusque depositionis meminisse Theophanem. Verum non solum Theophanes, sed etiam Anastasius, in Historia ecclesiastica, seu in versione Theophanis, diserte habent Joannem patriarcham post annos tres sedis mortuum esse; cumque solus Zonaras hujus Joannis exauctorationis meminerit, longe major fides Theophani habenda. Ex his autem quæ in Constantino papa diximus, constat Joannem non fuisse Monothelitam, ideoque nec ejus synodicam a Gregorio II rejectam, cum statim ac Philippicus tyrannus sublatus est, œconomiam suam Constantino papæ significavit, pro ea excusarit, ac in eadem non paucos socios habuerit, et inter eos Germanum ejus in sede Constantinopolitana successorem, et Andream Cretensem magnæ virtutis viros. Quod mirum non est fugisse Baronium, qui Joannis epistolam ad Constantinum scriptam et a Combefisio publicatam non viderat.

Hic porro Joannes, non solum ex Theophane et Anastasio laudatis, sed etiam ex Nicephoro, in Chronico, postquam tres annos sedisset, obiit, ideo anno septingentesimo decimo quinto, eodemque anno, die undecima mensis Augusti, sanctus Germanus Cyzici metropolita ad Constantinopolitanæ ecclesiæ regimen translatus est, ut scribit Theophanes anno Incarnationis secundum Alexandrinos 707, qui inchoatur Kalendis Septembris anni Christi Dionysiani 714, quo pariter die imperatorum annos exorditur. *Eodem secundo*, inquit, *imperii Artemii, qui etiam Anastasius, indictione decima tertia, mensis Augusti die undecimo, e Cyzicena metropoli Constantinopolim Germanus translatus est*, de quo infra non semel nobis sermo habendus, quia pro sanctarum imaginum defensione imperatori restitit ac in exsilium missus est.

Linea 8. — *Hic in Germania*, etc. Anno 718. Sanctus Bonifacius, qui ex Anglia in Frisiam trajecerat, Romam ad limina apostolorum perrexit, cui Gregorius papa die trigesima mensis Novembris divo Andreæ apostolo sacra, viva voce potestatem fecit Evangelium gentibus in Germania annuntiandi, eumdemque legatum suum declaravit, quo factum ut tam Willibaldus in ejus Vita, quam Othlonus, qui ejusdem Bonifacii Vitam etiam scripsit, utramque a Mabillonio sæc. III Benedict., part. II, recitatam, ejus episcopatus initium ab eo die desumant, quia episcopatum pro concionandi munere improprie usurpant eumque episcopum dicunt, quem Gregorius II præconem fidei, legatumque sedis apostolicæ per Germaniam creavit. Bonifacius itaque, acceptis litteris apostolicis suæ legationis, die decima quinta Maii anni septingentesimi decimi noni datis, in Thuringiam venit, inde *in Frisiam navigavit, ibique verbi divini semina spargens, permultos ab errore idololatriæ retraxit*, ut inquit Othlonus, libr. I, cap. 10, ejus Vitæ. Ibidem per triennium permansit, indeque in Hassia et Thuringia felicissimo successu prædicavit.

Postea de prospero susceptæ prædicationis eventu Gregorium papam per unum e suis certiorem fecit, statimque Romam litteris apostolicis invitatus, eo magnis itineribus contendit, ubi pridie Kalendas Decembris ordinatus est episcopus ab eodem papa, et quidem anno septingentesimo vigesimo tertio, ut constat ex litteris ejusdem Gregorii papæ, postero die post Bonifacii ordinationem omnibus Christianis in Germania constitutis inscriptis, quas exhibet Willibaldus. Gregorius itaque Bonifacium, episcopum nulli tamen sedi affixum, consecravit, ut apostolicæ dignitatis auctoritate fulciretur, et in officio prædicandi cunctis acceptior foret. A Bonifacio exegit Gregorius solemne sacramentum de fidei integritate et unitate Ecclesiæ conservanda, deque obedientia singulari sedis apostolicæ pontificibus perpetuo præstanda. Quod juramentum propria subscriptione munitum, supra corpus sancti Petri pro more deposuit, ut refert Othlonus laudatus, cap. 14.

Bonifacium episcopum consecratum esse dixi, sed nulli sedi affixum : ad cujus rei intelligentiam observandum est cum Serrario, not. 25 in Vitam sancti Bonifacii, distinguenda esse duo episcoporum et archiepiscoporum genera : « Quibusdam, inquit, certa sedes, certusque locus, et fixus est, cujus episcopi aut archiepiscopi appellentur. Quibusdam vero incerta sedes nullusque certus et fixus locus; et posterius hoc genus in iis plerumque gentibus ac provinciis invenitur quæ ad Christi fidem aggregari primo incœptant. Cum enim ii qui Evangelium eis annuntiant, huc illuc procurrere debeant, neque congregatum adhuc ovile in una quapiam aut ditione, aut urbe obtineant, episcopalem quidem presbyterorum ordinandorum, variisque in locis collocandorum, vel archiepiscopalem etiam creandorum episcoporum potestatem ab apostolico accipiunt, sed incertis interea vagantur sedibus, et ad verum summumque animarum Pastorem Christum Jesum, quotquot et undique possunt, oves congregant. Et hi quidem præcise ac simpliciter episcopi, vel generatim ejus regionis in qua laborant, gregemque Domini conquirunt, episcopi et archiepiscopi nuncupantur. » Ita Serarius. Posterioris generis episcopum fuisse sanctum Bonifacium ex duobus ejus Vitæ auctoribus patet. Bonifacium variis litteris commendatitiis ad Carolum ducem et majorem domus regiæ Francorum, ad episcopos et alios omnium ordinum tum clericos, tum laicos, ad clerum, optimates, et omnem populum Thuringorum et Saxonum munitum, remisit Gregorius, ut cœptum apostolatus officium obire pergeret.

Ex epistola autem ejusdem Gregorii ad clerum et plebem, quam cum aliis quinque refert Othlonus, lib. I, constat pontificem Bonifacio in mandatis dedisse ne ordinationes præsumeret illicitas; ne biganum, aut qui virginem uxorem non duxisset, illiteratum, quavis parte corporis vitiatum, pœnitentiæ publicæ olim subditum, curialem, aut cuilibet conditioni obnoxium, aut aliqua infamiæ nota inustum, ad sacros ordines admitteret; ne Afris passim manus imponeret; ut ordinationes extra Sabbatum Quatuor Temporum non celebraret; ut baptisma extra Pascha et Pentecosten, nisi in vitæ discrimine positis, non conferret; ut ecclesiæ ministeria, ornamenta, patrimonia studeret augere, nusquam imminueret; ut quatuor in portiones ecclesiasticos redditus et oblationes distribueret. Mandata illa videntur desumpta ex epistola 9 Gelasii papæ primi *ad episcopos per Lucaniam et Bruttios et Siciliam constitutos* directa, anno 494, de qua ibidem egimus, ut de singulis anno 723, num. 17 et seq. ostendit Cointius, in Annal. eccles. Francorum.

Digitized by Google

Gregorius tamen, de cavendis illicitis ordinationibus sermonem habens, meminit Afrorum, de quibus silet Gelasius, et hanc rationem reddit Gregorius, quod *aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati.* Saraceni priusquam in Hispaniam transirent, Africam occuparunt, et extorres Africani sese in Europam infundentes, victum ex ordinibus ecclesiasticis cœperunt quærere. Verum quia plerique eorum agniti sunt, vel Manichæi, vel Donatistæ, *universali lege*, ut Baronius eodem anno 723 scribit, sancitum est, ne Africanus aliquo modo a quopiam episcoporum ordinaretur. Neque dubium quin Gregorius per Afros designet Donatistas, quia in magno numero fuerunt in Africa, et pertinaciter Anabaptismum defenderunt.

Anno septingentesimo vigesimo sexto Gregorius a Bonifacio variis de capitibus consultus, respondit ad singula, epistola quæ incipit : *Desirabilem mihi*, quæ dicitur *data x Kalendas Decemb., imperante piissimo domino Augusto Leone a Deo coronato magno imperatore, anno* 10 *imperii ejus; sed et Constantino magno imperatore, regni ejus anno* 7, *indictione* 10, ex qua indictione currente mense Novembri anni 726, juncta cum anno 10 Leonis imp., apparet initium imperii Leonis anno 717 recte fuisse affixum. Multis sæculis hæc Ecclesiæ monasteriorumque praxis viguit, ut pueri, seu infantes, a parentibus oblati perpetuo astringerentur monachatui, nec eis liceret hunc vitæ statum ante vel post pubertatis annos repudiare. Cujus praxis exempla non pauca apud Francos cis et ultra Rhenum exstant. De hac praxi Gregorius a Bonifacio consultus respondit in hæc verba : « Addidisti etiam (nempe in septima consultatione) quod si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina utrum liceat eis, postquam pubertatis impleverint annos, egredi et matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus, quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. » Quod in secundo responso permittit Gregorius, ut si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, vir, si non possit continere, nubat; hoc sic accipiendum est, ut intelligatur de impedimento perenni, quod nesciebatur quando contraxit. Gregorii responsa ad alias Bonifacii consultationes refert Natalis Alexander sæculo VIII, hanc epistolam Gregorio III perperam ascripsit Gratianus. Reliqua sancti Bonifacii apostolatum respicientia in Gregorio III et Zacharia examinabuntur.

Num 179, linea 16. — *Imaginem illam venerandam.* Cum Artemius, dictus postea Anastasius, die quarta mensis Junii anni septingentesimi decimi tertii, ut superius diximus, imperator coronatus esset, ac imperium annos duos et menses octo tenuisset, tumultuantibus militibus et alium sibi imperatorem deligentibus nomine Theodosium, imperio dejectus est et in monasterium detrusus, ideoque Theodosius circa initium anni 716 dictus est imperator, qui, quod catholicus esset, nihil antiquius habuit, quam ut quod Philippicus imperator fuerat demolitus, ipse restitueret nobile monumentum, quo sex œcumenicæ synodi depictæ erant; qui hoc facto ita compressit ora hæreticorum, ut omnis de fide quæstio in ea urbe cessarit. Ita Baronius ex Anastasio in Gregorio II. Sed deceptum hac in re Anastasium certa mihi stat sententia; Anastasium enim imp., non vero Theodosium, sextæ synodi imaginem in palatio imperiali a Philippico erasam restituisse, diserte asserit Agatho diaconus in peroratione sæpius laudata, tam in Agathone, quam in Conone, cui, utpote testi oculato, potior fides habenda quam Anastasio. In ea postquam dixit Anastasium virum pium ac orthodoxum dictum esse imperatorem, eoque probante ac annuente Joannem patriarcham ad Constantinum papam scripsisse, subdit : « Quia vero post superius declaratam integræ synodorum imaginis, erasa sextæ synodi imagine, abolitionem, qui nefarie aboleri jusserat miser ac insanus Bardanes, in dicta Melii camera, sanctis tantum quinque relictis œcumenicis synodis, ipse se, una cum Sergio, rectum stantem ejus medio, in imagine depingi præceperat, necessario plane ac valde congrue, deturbatis inde ejusmodi ambabus personis, sancta eadem ac œcumenica sexta synodus, una cum aliis quinque, ibidem iterum loci depicta est; universo Dei amante sanctæ Ecclesiæ cœtu communi tripudio ac lætitia, spiritualique in Christo exsultatione, ovante pro sanctissimarum Ecclesiarum concessa tranquillitate et pace. » Vide de hoc Bardanis seu Philippici imp. facto dicta in Constantino papa, quem etiam cum Baronio ex Theophane observavimus Constantinopolim misisse Michaelem, Romanæ Ecclesiæ presbyterum, apocrisiarium ad Anastasium imp., quem tamen hic Baronius dicit missum a Gregorio II.

Num. 181, linea 1. — *Cumanum etiam Castrum.* Sisinnium papam de restaurandis Romanæ urbis muris serio cogitasse, ob idque calcarias decoquere jussisse diximus. Idem initio sui pontificatus tentasse Gregorium II asserit Anastasius, sed emergentibus variis tumultibus præpeditum esse. Quinam autem fuerint illi tumultus, quibus a proposito avocatus est, idem auctor refert. Longobardos nempe castrum Romanæ Ecclesiæ sub dolo pacis pervasum eripuisse; cumque nec ultionis divinæ metu, nec muneribus a Gregorio papa oblatis ad illius restitutionem flecti possent, Gregorius, ducis populique Neapolitani auxilio illud recuperavit, septuaginta auri libris, ut promiserat, pro ejus redemptione datis. Eadem habet Paulus Diaconus, lib VI de Gestis Longobard. cap 40, qui nos edocet castrum illud, quod non nominat Anastasius, fuisse castrum Cumanum, quod Beneventanus Longobardorum dux Ecclesiæ eripuerat. Idem Paulus Diaconus laudatus, cap 42, refert etiam Luitprandum Longobardorum regem eo tempore confirmasse restitutionem Alpium Cottiarum jam Ecclesiæ factam Joanne septimo sedente, ut ibidem dictum est. Addit Beda, lib de sex Ætatibus, Luitprandum Alpes Cottias a Romano pontifice repetiisse, sed *admonitione venerabilis Gregorii papæ* eum Ariperti restitutionem confirmasse.

Num. 182, linea 4. — *Eodem tempore nefanda Agarenorum gens.* Ex verbis Anastasii in Vita Gregorii, asserentis Saracenos cum Eudone Aquitaniæ duce pugnasse; et ex iis quæ Paulus Diaconus lib. VI de Gestis Longobard., cap. 46, de ingressu Saracenorum in Aquitaniam scribit, inter se collatis, auctor Criticæ Baronii recte deducit prælium illud habitum esse anno septingentesimo vicesimo quinto, victoriamque reportatam fuisse ab Eudone ope spongiæ sibi a Gregorio II missæ : « Adjiciens, » inquit Anastasius, de Eudonis epistola ad pontificem scripta loquens, « quod anno præmisso in benedictionem a prædicto viro eis directis tribus spongiis, quibus ad usum mensæ pontificis apponuntur, in hora qua bellum committebatur, idem Eudo Aquitaniæ princeps populo suo per modicas partes tribuens ad sumendum eis, nec unus vulneratus est, nec mortuus ex his qui participati sunt, » ubi loquitur Anastasius de spongia qua mensa pontificis tergebatur, Eudoni transmissa, et pro benedictione exercitus distributa. De ea victoria ope spongiæ relata loquitur etiam Frodoardus lib. de Pontificibus Romanis, in Gregorio II :

> Externos etiam benedictio lata triumphos
> Celebrat papæ victores spongia Francos,
> Dum reddens Agarenorum tutatur ab armis,
> Participes ferri neque læsos vulnere tantum
> Prostratis tali vacuis pro tegmine paucis.

Quæ Frodoardi verba manifeste evincunt hoc prælium inter Agarenos seu Saracenos et Francos habitum sub Gregorio II diversum esse ab eo quod anno 732 sub Gregorio III commissum est. De spongiis legendi Thesaurus linguæ Latinæ et Calepinus, in

Digitized by Google

voce *Spongia*, ubi invenies antiquos spongias in deliciis habuisse, strigilum vice linteorumque illis utentes ad distringenda et emundanda corpora. Martialis, lib. XIV, 149, asserit morem fuisse iis mensas tergere :

Hæc tibi forte datur tergendis spongia mensis.

Num. 188, linea 1.— *Post hæc claruit*, etc. Primis ab ortu Christianæ religionis temporibus, cum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, et in hominum mentibus lateret adhuc idolorum superstitio, non tam frequentem fuisse sacrarum usum imaginum, ut neque templorum atque basilicarum, observat Dionysius Petavius, lib. XV theologic. Dogmatum, de incarnatione, cap. 15. Cum enim imagines ex eorum genere sint quæ ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam religionis attinent, in potestate Ecclesiæ est ut ea vel adhibeat, vel ableget, pro eo atque satius esse decreverit, cujusmodi *positivi* vulgo *juris* esse dicuntur. Ex eo nata est illa infidelium exprobratio, quæ apud Minucium Felicem his verbis exprimitur, pag. 25 : « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? » Cui Octavius, p. 95, respondens : « Putatis autem nos, inquit, occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte æstimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod exstruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit; et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore? » Ergo neque templa tunc exstrui Deo fas esse quidam opinati sunt, quod nondum in Christiano populo institutum erat, necdum per rerum potientes ethnicos licebat, nefas et illicitum rati; et de sacris imaginibus, atque ab idolis multum discrepantibus non disparem plerique sententiam habuisse videntur. Quod utrumque paulatim dedocti sunt Christiani, postquam usu et ratione magistra compererunt neutrum damnandum esse, sed ad pietatem prodesse posse.

Quamobrem uti basilicas, sive, ut appellari tandem cœperunt, ecclesias et altaria in Dei honorem ac cultum exstruere non dubitarunt, et quidem magnifice ac sumptuose, pace ac libertate reddita, nec pristino illo usu et antiquo more, ac magnorum etiam virorum auctoritate, deterriti sunt, quominus ita facerent; sic imagines Christi atque sanctorum quarum nondum hactenus percrebuerat usus, eodem tempore usurpavit Ecclesia, cum jam nullum idololatriæ periculum esset, et ad propagandam Christi, ac martyrum sanctorumque cæterorum memoriam, et animandos ad pietatis constantiam, illorum exemplo, fideles, utile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis, eodem instituto ac tempore constat esse factum, sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus et indoles erat, et qui illis præerant expedire judicabant. Quod eo diligentius observandum, quod ad pleraque valet interpretanda memoriæ veteris exempla et testimonia, quibus ad oppugnandum Ecclesiæ ritum abutuntur protestantes; nimiumque commoventur interdum repugnantes illis catholici theologi, cum sic ubi constet imagines repudiatas et damnatas ab Orthodoxis fuisse, pro locorum ac temporum ratione istud commode explicari debeat. Quare in controversia de imaginibus, citerioris Ecclesiæ potius exemplorum et institutorum, quam antiquioris, duci rationem oportet. Cum enim plenis adhuc velis gentilium superstitio ferretur, multa primis illis Ecclesiæ sæculis vel non inutilia per sese, vel etiam commoda, supprimi omittique satius visum est, dum periculum erat ne offensionis aliquid traheret externa quorumdam rituum species, cum iis, quæ ab ethnicis celebrabantur similitudine ipsa congruens, velut ne imagines Christi atque sanctorum, pro idolis, quibus erant assuefacti, a rudibus et imperitis haberentur, et ut eorum animus ab inanium simulacrorum consuetudine ac memoria longius avocaretur. Credibile itaque est parum a Christianis usurpatas fuisse primis fere quatuor sæculis, per quæ nefanda dæmonum in idolis religio et Christiani nominis crudelissima vexatio cursum suum tenuit. Quinto demum sæculo, postquam, adepta libertate, lacertos quodammodo suos explicare cœpit Ecclesia, plerisque locis imagines palam haberi cœptæ, atque in templis et oratoriis propositæ sunt, cum hactenus, etsi in usu essent aliquo, non tamen promiscue ac frequenter adhiberentur. Hæc et plura alia Petavius citatus de usu imaginum in veteri Ecclesia. Hunc usum cultumque imaginum Christi ac sanctorum non solum cum lege Dei non pugnare, sed religioni consentaneum esse, et fidelium pietati excitandæ utilem, pluribus demonstrat Natalis Alexander sæculo VIII, dissert. 6.

Quo eodem sæculo VIII ineunte, exortum est in Oriente monstrum horrendum, hoc est hæresis Iconoclastarum, quæ venerandis imaginibus bellum indixit. Ejus fuisse præcursores gentiles, Judæos, Marcionitas, Manichæos, Theopaschitas, testatur septima synodus actionibus prima et quinta. A Judæis bellum tam impium instauratum est anno Christi septingentesimo vigesimo tertio, quo, jubente Jezido, Arabum Calipha, e Christianorum templis, totius regni sui finibus, Christi et sanctorum imagines deturbarunt, ut eo anno refert Baronius, ex Theophane, et ex relatione Joannis monachi, vicarii orientalium episcoporum, ex eadem septima synodo, actione quinta, ex cujus actione quarta constat eam impietatem ab Hebræis ad Christianos derivatam esse, auctore Constantino Nacoliæ in Phrygia Salutari episcopo, qui, a suis diœcesanis expulsus, in imperatoris Leonis Isauri aulam irrepsit, eumque in sanctas imagines accendit. Sed et Judæi, quibus Leo Isaurus jurejurando se obstrinxerat concessurum se illis quidquid postulassent, cum ad imperium evectus esset, quod ipsi fuerant vaticinati, ipsum impulere ut sanctas imagines, ac earum cultum quasi idololatriæ reliquias, aboleret, ut testantur Cedrenus, Zonaras et Constantinus Manasses, Græci historici.

Sicuti ergo alias imperatores ethnici, annis decennalibus suis dicatis, adversus Christianos edicta promulgabant; sic Leo Isaurus *decimum suæ tyrannidis annum*, ut loquitur Zonaras auspicatus, ideoque anno Christi vigesimo sexto supra septingentesimum, adversus Orthodoxos persecutionem excitavit, et bellum sacris imaginibus indixit. « Post decimum sui imperii annum (id est inchoatum, inquit Stephanus diaconus Ecclesiæ Cpolitanæ, in Vita sancti Stephani Junioris monachi et martyris, quam scripsit anno circiter 808, quamque Græce et Latine publicavit tomo I Analectorum Græcorum Jacobus Loppinus monachus Benedictus) novus ille Baltassar (Leo Isaurus imp) Manichæam hæresim, et Æpthartodocitarum, ut ita loquar, forte haud dissimilem, in Ecclesiam spiravit. Itaque, subjecta sibi plebe convocata, coram omnibus leoninum rugiens, inhumana hæc bellua, et Leonis nominis insignis, ex iracundo corde, velut ex Ætna monte ignem et sulphur, miserandam illam vocem eructavit et protulit : Quandoquidem imaginum fabricatio ars est idolica, illas adorare non oportet. » Id autem accidisse anno decimo Leonis tantum inchoato, ut scribit Zonaras, non transacto, ut insinuare videtur Stephanus diaconus, patet etiam ex Auctore anonymo à Combefisio inter scriptores Historiæ Byzantinæ, qui post Theophanem scripsere, publicato, in invectiva edita *ad confutationem eorum qui sanæ fidei sanctorumque ac orthodoxorum Patrum doctrinæ adversantur*, in qua testatur Leonem veritati obsistere cœpisse *indictione nona*, quæ anno 726 usque ad Kalendas Septembris concurrit cum ejus imperii anno decimo Hic autem anonymus vivebat anno 770.

Digitized by Google

Eam hæresim ipso ejus initio fuisse acerbissimam observat Theosterictus monachus et discipulus sancti Nicetæ Hegumeni Mediciensis, in Bithynia, sacrarum imaginum defensione clarissimi, anno 824 in exsilio mortui. Scripsit ille hujus sancti vitam intra quinque priores annos ab ejus morte, recitatam a Bollando ad diem 3 Aprilis, in eaque ait : « Sed et hoc modo considera, alias quidem hæreses ab episcopis inferioribusque presbyteris ortum habuisse, hanc vero ab ipsis processisse imperatoribus (nosti autem quantum reges inter et sacerdotes intersit), et istas quidem docendo et contradicendo coaluisse, paulatimque invaluisse; hanc vero ab imperatoria potestate fuisse ab initio valentissimam. » Ingens tamen tumultus excitatus est a plebe, statim ac prodiit decretum Leonis imp de abolendis imaginibus. Unde sibi metuens imperator sacrilegum consilium dissimulavit. « Non huc, inquit, spectat mea sententia, ut ea prorsus deleantur, sed hoc alo sublimiore loco eas locandas esse, ne ore quisquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat. » His artibus omnem imaginum venerationem abolere meditabatur.

Eodem anno septingentesimo vigesimo sexto Leonem Augustum ad Gregorium papam scripsisse ut si imperialem gratiam habere vellet, sanctorum imagines deponeret, et vicissim Gregorium secundum ad imperatorem rescripsisse, testantur Paulus Diaconus, lib VI, de Gestis Longobard., cap 49, Anastasius et Theophanes. Sed eæ epistolæ periere. Postea cum imperator nihil a Gregorio obtinere posset, sæpius per suos exarchos, duces, aliosque ministros, insidiatus est vitæ hujus sancti pontificis; sed pro illius defensione Romani et Longobardi pie fœderati ipsum conjunctis viribus ab eorum dolis et insultibus incolumem servavere : « Una se quasi fratres catena fidei constrinxerunt Romani atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione pontificis sustinere gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam, pro fide vera et Christianorum certantes salute, » inquit Anastasius. Pontifex vero, ut idem auctor subdit, « Gratias voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, et fide persisterent, rogabat, et ne desisterent ab amore et fide Romani imperii admonebat. Imperator infensus erat Gregorio II non solum ob novas opiniones, quas hic rejiciebat, sed etiam quod novum censum agi in Romana provincia non pateretur, indeque eum per Marinum spatharium ducem Romanorum, deinde vero per Paulum patricium et exarchum interfici curavit : « Paulus vero exarchus, inquit Anastasius, imperatoris jussione, eumdem pontificem conabatur interficere, eo quod censum in provincia ponere præpediebat. » Erat census ille capitatio ei similis, quam Siciliæ et Calabriæ indixit de qua loquitur Theophanes.

Leonis Isauri impietati, qua potuit constantia, obstitit sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus. Ipsi per quemdam ex præcipuis Ecclesiæ ministris significavit ab initio post Christi in cœlos assumptionem imagines expressas esse, se pro illis libentissime moriturum, et qui Christi imaginem ignominia afficit, in illum quem ea exhibet injuriam rejicere. Ipsi itaque traditionem et usum sanctæ Ecclesiæ objecit, honorariam imaginum venerationem a concilio probatam; solemnia quæ emiserat promissa de non convellendis Ecclesiæ ritibus, cum imperator inauguratus est, revocavit in memoriam; ipsum per sacra omnia exoravit, ne ipso imperante, sacrarum imaginum fieret eversio, Antichristi præcursorem fore adjiciens qui facinus istud perpetraret. Tandem nullum non movit lapidem ut illum a concepta revocaret impietate. Hæc constant ex alia ejusdem sancti Stephani Junioris monachi et martyris Vita, quæ a Baronio aliisque perperam tribuitur sancto Joanni Damasceno, quo Joannes Bjllius eam hujus sancti operibus subjunxerit, cum tamen hæc genuinus sit fetus Metaphrastes, ut docet Allatius in diatriba de Simeonibus, pag. 126.

Sed nihil promovit sanctus patriarcha; quin imo anno septingentesimo tricesimo, « die septima mensis Januarii, indictione decima tertia, feria hebdomadis tertia, irreligiosus Leo, » inquit Theophanes ad eum Christi annum, « silentium » (id est conventum optimatum tractandis imperii negotiis imperatoris mandato coactum) « contra sanctas venerandasque imagines in novemdecim accubitorum tribunalio celebravit, Germano sanctissimo patriarcha advocato, cui persuadendum arbitrabatur ut suo de abolendis sacris imaginibus decreto tandem subscriberet. At fortis Christi servus abominando Leonis consilio nequaquam cedens, imo veritatis verbum recto sensu distribuens, episcopatu sese abdicavit. » Tum imperator satrapas in patriarchicam domum misit : « quibus præcipit ut cum pugnis et conviciis sanctum virum inde deturbarent, » inquit Stephanus diaconus in laudata sancti Stephani Junioris Vita. Germanus Platanium in domum gentilitiam secessit, vitam privatam acturus, sed paulo post e domo sua in monasterium longe dissitum, Leone jubente, deportatus est ac strangulatus prope centenarius, subdit Stephanus diaconus.

« Illo autem ejecto et monasticæ vitæ participe facto, videre erat universam civitatem, mellifluæ Patris doctrina orbatam, fletum et gemitum non parvum edere; ita ut dies illa, non dies, sed tenebræ et fletus super fletum, et væ super væ esset, ut loquitur propheta. Iisdem miseris diebus impius Anastasius (ipsius sancti Germani discipulus et consacellaneus) « impietatis manu pontificatum occupavit » (ordinatus ut scribunt Anastasius et auctor Miscellæ, die vigesima secunda ejusdem mensis Januarii) « vi militum, non suffragio divinæ pietatis; qui quidem omnia ad Ecclesiam pertinentia imperatoris ædibus tradidit. » Annum tum agebat nonagesimum quintum sanctus Germanus, ut legitur in epistola Gregorii papæ eodem anno scripta. Varia scripsit Opera, quorum pleraque adhuc inedita sunt. Colitur in Menæis Græcorum die 12 mensis Maii.

« Tum tyrannus, *prosequitur idem auctor*, libera potestate prodendæ hæresis accepta, illico sanctam et dominicam Christi Dei nostri imaginem quæ, super imperatoria atria collocata, ob effigiem, sancta Ænea dicebatur, dejicere et igni tradere tentavit, quod quidem peregit. Interim vero dum tollebatur, divino zelo roboratæ honorabiles mulieres fortiter irruerunt, arreptaque scala, spatharium qui imaginem amovebat, in terram projecerunt, distractumque morti dederunt. Post hæc ad patriarchicam domum statim properantes, impium Anastasium lapidibus petunt, aientes : *Impurissimum caput, et veritatis hostis, ergone, idcirco sacerdotium invasisti, ut sancta et sacra anathemata, sive donaria everterentur?* Hanc de se victoriam non ferens profanus, a conspectu piarum mulierum aufugit, et ad tyrannum confugiens, ei auctor fuit ut sanctas illas mulieres ferro interimeret. Quod quidem factum est, illæque, pro Christi imagine inito certamine, victoriæ præmium ab ipso Christo receperunt, cum omnibus sanctis victricibus in regno cœlorum lætantes. » Harum piarum mulierum virorumque martyrium memoratur in Menæis ad diem 9 mensis Augusti.

Servabatur imago illa in æde Deiparæ sacra, Chalcopratiana appellata, ab urbis tractu in quo condita fuit; inde modo dicitur Chalcopratina, modo Ærea, aut Ænea, et modo Antiphonetes, velut dicas *sponsor ac fidejubens*. Combefisius, in Historia hæresis Monothelitarum, pag. 613, publicavit piam narrationem de dominica imagine in Chalcopratis, in qua origo religionis erga istam imaginem explicatur, et cur dicatur *Antiphonetes* aperitur. Suspicatur ibidem Combefisius mulieribus concessum esse ut in sancta sanctorum ac locum altaris ingredi

Digitized by Google

possint in ecclesia, cum in Ecclesiis aliis per Orientem soli ingrederentur ministri, ac imperator cum erat facturus oblationem, vel etiam monachi cum Deo consecrabantur; suspicatur, inquam, sibi pias feminas sub Leone ingressum arrogasse, ut ejus sacrilegum ministrum ab impio conatu deterrerent, ita sapienter judicantes, non esse velut pro religione servandum quod in casu militaret contra religionem. Quare in præmium illius zeli liber fuit ingressus loci altaris illius ecclesiæ mulieribus, quia ipsæ præiverant tanto facinori ac scalam detraxerant. Interea Leo imperator, misso edicto, quo imagines dejici præcipiebat, Gregorio II gratiam suam pollicetur, si nefariæ definitioni subscriberet, alioquin suo gradu quantocius pellendum minatur. Gregorius statim se adversus hostilem principis animum parat, monetque Pentapoleos et Venetiarum exercitus, ut ab ea impietate sibi caveant : « Igitur permoti, inquit Anastasius, Pentapolensium et Venetiarum exercitus jussioni imperatoria restituerunt, et nunquam se ejus pontificis condescendere neci dicebant; sed quod pro ejus magis defensione viriliter decertarent. » Omnium mentes ad pontificem tuendum inclinatæ ab exarchi obsequio deciscunt, et delectu suo quisque sibi duces præficiunt, ut testatur idem Anastasius : « Anathemati Paulum exarchum, vel qui eum direxerant, ejusque consentaneos submittunt, spernentes ordinationem ejus, sibi omnes ubique in Italia duces elegerunt, atque sic de pontificis deque sua immunitate cuncti studebant. » Ex eo tempore ducem Romana provincia, quemadmodum et cæteræ, suo arbitratu, id est, procerum delectu, habuit, qui eodem jure uteretur in administranda republica, quo duces ab imperatore missi. Voluerunt Itali in apertam defectionem erumpere, et novum principem creare; sed pontifex intercessit, et hortatu Luitprandi Longobardorum regis in amicitiam rediit cum Eutychio exarcho, eique suam auctoritatem, teste Anastasio, restituit in civitate Romana : « Cognita, inquit, imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit ut sibi eligeret imperatorem, et Constantinopolim duceret. Sed compescuit tale consilium pontifex, sperans conversionem principis. » Et infra : « Ne desisterent ab amore vel fide Romani imperii admonebat. » Ex quibus liquet Theophanem, eumque secutos Zonaram et Cedrenum auctores Græcos, de rebus in Occidente gestis plerumque parum edoctos, perperam scripsisse Gregorium papam Romam atque Italiam, cæterasque Occidentis provincias ab obedientia imperioque Leonis abduxisse, cum, præter ea quæ ex Anastasio retulimus, Paulus Diaconus, l. VI de Gestis Longobard., c. 49, etiam scribat eum populos in officio et in fide imperio debita continuisse, qua de re mox. Eodem anno septingentesimo trigesimo Gregorius de hæresi Leonis a sancto Germano patriarcha certior factus, cui respondit epistola inserta actioni quartæ septimæ synodi, et acceptis litteris ipsius Leonis, duas epistolas dogmaticas, summo pontifice dignas, ad ipsum scripsit, de quibus loquitur Theophanes, scribens Gregorium *eumdem Leonem per epistolas, quæ multis sunt notæ, manifeste* redarguisse. Eas epistolas recitat Baronius anno 726, quo scriptas credit, sed, ex mox dicendis, clare constabit eas anno 730 datas esse. Cum enim videret Leo jam Romanos, Campanos, Ravennates et Pentapolitanos a se defecisse et de imperio sibi abrogando agi, rursus ad eumdem pontificem scripsit, petiitque concilium generale indici. Gregorius omne cum eo litterarum commercium dissolverat, quod cum vita exuere tentasset. Respondit tamen ejus litteris, illumque irrisit, quod ei insolenter insultaret et minas intentaret. « Scripsisti, inquit Gregorius in priori sua epistola, ut concilium universale cogeretur, et nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor es imaginum, et hostis contumeliosus, et eversor. Cessa, et nobis hoc largire, ut taceas; tum mundus pace perfruetur, et scandala cessabunt..... Non animadvertis hunc tuum conatum, quo adversus imagines insurrexisti, facinus esse turbulentum, et insolens, et superbum? Cum Ecclesiæ Dei alta pace fruerentur, tu pugnas, et odia et scandala suscitasti. Cessa et quiesce, tum synodo minime opus erit. Scribe ad omnes et in quascunque regiones orbis terrarum quibus offendiculo fuisti, Germanum patriarcham Constantinopolitanum, et Gregorium papam Romanum circa imagines peccasse; et nos ab hac causa quietum te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus, utpote qui a Deo potestatem et cœlestia et terrena solvendi acceperimus. » His præmiserat pontificiæ et regiæ potestati præscriptos fines : « Scis, inquit, imperator, sanctæ Ecclesiæ dogmata non imperatorum esse, sed pontificum, qui tuto assolent dogmata tradere. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt pontifices a reipublicæ negotiis abstinentes, et imperatores ergo similiter de ecclesiasticis abstineant, et quæ sibi commissa sunt capessant. »

Illas porro Gregorii ad Leonem epistolas dogmaticas anno 730 datas esse constat; in priori enim ait : « Tu Ecclesias Dei denudasti, quas sancti Patres convestierant et ornarant, tu spoliasti atque denudasti; tametsi talem habebas pontificem, dominum, inquam, Germanum fratrem nostrum et comministrum. Hujus debebas tanquam Patris ac doctoris et tanquam senioris, multaque rerum cum ecclesiasticarum, tum civilium, experientia pollentis, consiliis obtemperare, annum etenim agit hodie vir ille nonagesimum quintum, singulis patriarchis et imperatoribus inserviens. » Germanus itaque, quando ea epistola scripta ad imperatorem, Constantinopoli non erat, et pontificatum abdicarat, quem tamen, ipso fatente Baronio, anno tantum 730 abdicavit. Præterea meminit in ea epistola Gregorius imaginis Salvatoris quæ Antiphonetes appellatur, et necis spathario ab imperatore misso ut eam dejiceret illatæ, postquam ter securi imaginis Salvatoris faciem percussisset; meminit insuper martyrii sanctarum illarum mulierum quæ, iniquum illud facinus non ferentes, spatharium necaverant, quod accidit postquam Anastasius sancti Germani sedem occupavit, ut mox ex Actis sancti Stephani Junioris demonstratum est, ideoque mense Januario anni 730, quo ideo præfatæ Gregorii II epistolæ scriptæ, post initium mensis Septembris, quo indictio decima quarta inchoata est.

His non contentus Gregorius papa, synodum Romæ celebravit, in qua, cum vicinis episcopis considens ac præsidens, Iconomachorum damnavit hæresim, fidemque catholicam de sanctis imaginibus confirmavit. Hujus synodi unicum exstat fragmentum ab Adriano primo Romano pontifice recitatum in epistola prima ad Carolum Magnum. Hujus etiam synodi meminerunt Cedrenus et Zonaras, ex quibus Baronius deducit Gregorium, cum videret imperatorem penitus hæreticum, eum hac in synodo anathemate exsecratum esse, tumque Romanos et Italos ab ejus obedientia recedere fecisse, eique tributa solvere prohibuisse. Idem scribunt Bellarminus, lib v de Rom Pontif, cap 8, Sigonius, lib III de Regno Italiæ, aliique plures.

Num 189, linea 8.— *Leone et Constantino imperatore.* Sedente sancto Gregorio, Leoni imperatori, anno septingentesimo decimo octavo, natus est filius Constantinus postea appellatus, et auctus titulo *Copronymi*, a fœdato sacro fonte cum infans intingeretur. Eum sanctus Damascenus, sacrarum imaginum generosus defensor, in oratione demonstrativa de sacris ac venerandis imaginibus, vocat *Cabalinum*, ab equino stercore, cujus odore et tactu homo impurissimus delectabatur. Hunc Leo imperator anno septingentesimo vigesimo, *indictione tertia*, *ipso Paschatis die*, ut scribit Theophanes, consortem imperii fecit, quare ejus anni numerantur a die 31 Martii, in quem diem illo anno Pascha incidebat.

Digitized by Google

SOMMIER.

Num 178, linea 1. — *Hujus temporibus Joannes Cp. antistes*, etc. Cum primum est auditum Cpoli, quod Gregorius II ad supremæ dignitatis fastigium evectus erat, Joannes patriarcha synodicam ei scripsit, cui summus pontifex suam pariter synodicam rescripsit. Hunc patriarcham recentiores nonnulli, qui nec viderunt, neque expenderunt ejus apologeticum a nobis aliqua ex parte prolatum in Constantino, auctoritate Zonaræ Monothelitam crediderunt, cujus propterea synodicam Gregorius rejecerit, ac subinde imperator Anastasius e sua illum sede deturbaverit. Verum præterquam quod apologetica ejus epistola improbabilem prorsus reddit hanc opinionem, auctores alii gravissimi, reique scientiores quam Zonaras, expresse narrant patriarcham Joannem esse mortuum postquam sedit annos tres, datumque ei successorem Germanum episcopum Cyzicenum (Theoph. Anast. *in ejusd Vers.* Niceph, *in Chron.*).

Linea 8. — *Hic in Germania per Bonifacium episcopum*, etc. Evangelii præco Gregorii II ævo illustrior haud dubie fuit Winfridus Anglus, postea celebris Bonifacii nomine, qui habetur tanquam Germanorum apostolus. Monachum is induerat; deinde evangelici præconis ministerium præferens dignitati abbatis sibi exhibitæ, ad Gregorii pedes confugit facultatem impetraturus Evangelium gentibus annuntiandi. Quare pontifex et Vintoniensis episcopi, cujus erat subditus Bonifacius, testimonio, et privatis ejusdem meritis, in frequenti colloquio deprehensis, commotus, diploma apostolicum illi concessit, quo fidem idololatris annuntiandi potestatem ei faciebat, mandabatque ut, juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, illos qui converterentur baptizaret, ac sanctam sedem de iis omnibus admoneret, quæ ad susceptum opus perficiendum necessaria viderentur. « Gregorius, servus servorum Dei, Bonifacio religioso presbytero. Exigit manifesta nobis religiosi propositi tui piæ in Christo flagrantis intentio, et approbatæ sincerissimæ fidei tuæ perlata relatio, ut ad dispensationem verbi divini, cujus per gratiam Dei curam gerimus, te comministro utamur, » etc. (Greg II, *epist* 1, *ad Bonif.*)

Et sane cum suo functus ministerio esset per quam felici successu in Frisia, Hassia, et Thuringia, id significavit pontifici, qui eum adesse voluit Romæ, ut rerum rationem oretenus redderet. Venit igitur, ac postmodo factus episcopus rediit cum commendatitiis Gregorii ad Carolum Martellum majorem domus Francorum, ad episcopos, ad secundi ordinis ecclesiasticos, ad proceres, ad magistratus, ac denique ad populos provinciarum, quas nuper laudabam (Greg. II, *epist* 2, 3, 4, 5, 6, 7). Ad eumdem postea dedit litteras (*Epist* 8) quæ incipiunt: *Creditæ speculationis sollicitudine permoti, evangelica quoque institutione*, etc., ut apostolico in ministerio eum sustineret animosque adderet ad perseverandum. In decretali autem ad eum data, qua respondet, aliquibus disciplinæ articulis, primo eum commendat, quod de rebus ad Ecclesiam pertinentibus consuluit sedem divi Petri apostolorum et episcopatus principis; deinde ait se minime decidere tanquam ex se, verum affatu ejus qui dedit multis loquelam, fecitque disertos etiam pueros: « Litteris, inquit (*epist* 13), quædam subnexuisti capitula, sciscitando qualiter teneat vel doceat hæc sancta apostolica Romana Ecclesia. Bene satis, quia beatus Petrus apostolus et apostolatus et episcopatus principium exstitit, et consulenti tibi de statu Ecclesiæ non ex nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, et linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeat apostolici vigoris doctrinas dicimus 1, » etc.

Hac in decretali Gregorius contrahit impedimentum matrimonii ad quartum consanguinitatis gradum; viro habenti mulierem rei uxoriæ non aptam, permittit aliam ducere, ita tamen ut alimenta præbeat etiam illi. Presbyteris juramento se purgare permittit criminibus, queis leviter accusabantur, ac sine certis testibus.

Sacramentum confirmationis reiterare, in missæ sacrificio alterum calicem consecrare, comedere idolis oblata, matrimonium permittere filiis quos parentes devoverint, ac rebaptizare semel baptizatos cum legitima forma, a presbyteris licet indignis, prohibet. Filios tamen parentibus ereptos vult baptizari, nisi liqueat baptizatos eosdem esse post raptum. Leprosis Eucharistiam negari sub obtentu vetitæ cum iisdem comestionis non vult. Stultitiam esse ait a monasteriis ecclesiisve contagione infectis abire; tanquam ita Dei manus declinaretur. Haud fugiendam docet consuetudinem et mensam ecclesiasticorum, ac virorum illustrium, qui vitiis scatent, dum hæc ipsa sæpe conducunt magis ad revocandos ad officium, quam correptio et reprehensio.

Num. 179, linea 1. — *Eo tempore Luitprandus*, etc. Sancti hujus pontificis tempore multi supremi principes singularem erga sanctam sedem venerationem testati sunt. Nam Theodo II, Bajoariæ dux, quem sanctus Rudpertus Salisburgensis episcopus ad catholicam fidem converterat, Germanorum omnium principum primus pietatis ergo venit Romam ad visendum D. Petrum ejusque successorem summum pontificem. Theodoni vero est præferendus pietate rex Anglorum Ina, qui non modo Romam venit visum apostolorum sepulcra, ut tradit Beda (*Hist. Angl.* l. v, c. 7) « cum XXXVII annis imperium tenuisset gentis illius; » sed antequam ab Urbe proficisceretur « denarium ex singulis domibus regni sui beato Petro fertur concessisse, quod diu ab Anglis *Romescot*, Latine vero denarius Petri vocabatur. » (Ranulf. Cestren, lib., cap. 24.)

Ina idem, dum Romæ esset, facultatem a pontifice obtinuit domum ædificandi, quam dixerunt scholam Anglorum. « Ad quam domum, » ait Matthæus Westmonasteriensis, « reges Angliæ, et genus regium cum episcopis, presbyteris et clericis in doctrina et fide catholica erudiendi venirent, ne quod in Ecclesia Anglicana sinistrum aut veritati catholicæ contrarium doceretur; et sic in fide stabili roborati ad propria remearent. Fecit præterea Ecclesiam » (cui scilicet clerici Angli inservirent, atque in ea tumularetur gens Anglicana, quæ Romæ supremum diem obiisset). « Et hæc omnia, prosequitur, ut perpetuæ firmitatis robur obtinerent, statutum est generali decreto per totum regnum occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut singulis annis de singulis familiis denarius unus beato Petro et Ecclesiæ Romanæ mitteretur, ut Angli ibidem commorantes vitale subsidium inde haberent. »

De Eudone, Aquitaniæ duce, apostolicæ sedis auxilium contra Saracenos implorante, deque admirabili ejus victoria post pontificiam benedictionem, de Langobardorum rege Liutprando Cottias iterum Alpes nuper invasas restituente apostolicæ sedi, ac demum de Langobardorum Beneventi usurpationibus, etc., *abunde Anastasius loquitur, quem Gallico idiomate illustriss. arch. Sommier exprimit, ut principum erga sanctam Sedem obsequia conjunctim narret.*

Num. 184, linea 4. — *Jussionibus itaque postmodum missis decreverat imperator, ut nulla imago.* Ill. arch. Sommier late enarrat Iconoclastar. historiam, quam infra, num. 188, dabo integram in *notis* Pagii. Eam interea delibabo ex ejusd. arch. Hist. Dogm., l. VIII, c. 24. Lex et institutum Iconoclastarum erat Christi sanctorumque imaginibus cultum rejicere, eorumque invocationem et reliquias superstitionis insimulare. Leo Isaurus hæresiarcha passim habetur, de quo ait Constantinus Manasses: « Exsecrabilis imperator parturiebat illa quidem absurda novaque consilia contra Christum; sed fetum improbitatis nullo modo parere poterat, quippe timidus animus eum ab instituto revocabat. » Et sane antequam pareret conceptum scelus, ipso anno quo crea-

Digitized by Google

batur imperator, deinde quotannis, catholicas semper litteras dedit Gregorio, quod idem testatur in epistola ad imperat. prima : « Undecim indictionum acceptas epistolas tuas in sancta ecclesia repositas in limine confessionis sancti et gloriosi ac principis apostolorum Petri diligenter servamus, ubi et Christi amantium prædecessorum qui pie imperarunt sunt litteræ. » In iis autem litteris pollicitus erat pontifici se nunquam ab orthodoxæ fidei regulis discessurum. « At post decimum sui imperii annum novus ille Balthasar.... miserandam illam vocem eructavit, et protulit : Quandoquidem imaginum fabricatio ars est idolica, illas adorare non oportet. » (Jacob. Loppin., *Analect.* t. I, *Vita sancti S eph., monachi et mart.*)

Adhuc tamen siluit aliquandiu imperator ob excitatos Cp. tumultus hac de re, agente cum primis patriarcha sancto Germano ad avertendum impium facinus. Verum in senatu demum aperuit suum animum, aususque est pontifici persuadere ut sacras imagines eliminaret, si gratia ejus uti vellet, suamque lædi majestatem summi pontificis paterna admonitione arbitratus, identidem qui eum interimerent Romam misit. Sanctum Germanum ex patriarchio expulit, Christi imaginem a M. Constantino in aulæ vestigio erectam dejecit, jussionesque ad suos undequaque tradidit, præsertim in Italia degentes, ut sacras imagines, nefas dictu ! igni absumerent, ac pontificem, si obsisteret, interficerent.

Tum vero necesse habuit sanctus Gregorius Catholicos ubique in fide suis litteris confirmare adversus hæresim, Deique singulari beneficio accidit, ut omnes sacramento sese astrinxisse audiverit pro fide ac vita pontificis defendenda. Longobardi etiam, quos impius imperator ad suas partes trahere molie-batur, rejectis generose donis, percusserunt fœdus cum Italis, piam causam defensuri.

Luitprandus quidem eorum rex, ducatuum Spoleti ac Beneventi adipiscendorum spe illectus, pollicitis ab exarcho auxiliis, quemadmodum vere est adeptus, fœdus percussit cum eodem exarcho, cui vicissim tulit opem ad expugnationem Romanæ urbis. At cingentibus ea Romam suis copiis, destitutum omni humana ope pontificem, nam fœderatæ Italiæ vires non erant satis, tuitus est Deus, quem jejuniis, ac precibus tam privatis quam publicis propitium sibi reddiderat. In eo siquidem confidens, ab obsessa urbe proficiscitur ad inimicum regem, suavique oratione adeo illum mulcet, ut victus ea rex, pontificis pedibus advolutus, nulli molestiam se illaturum promiserit, ac deinde obsequii, et reverentiæ plenus ea omnia gesserit, quæ satis perspicue Liber Pontificalis enarrat.

Num 188, linea 13. — *Rescriptis commonitoriis nisi ad Catholicam converterentur fidem*, etc. Ut Leo sensit Italiæ provincias, quæ ad Occidentis spectabant, imperium defecisse, ducesque sibi omnes elegisse, minitantes novum se electuras Augustum, quem Cpolim ducturæ erant; ad Romanum pontificem dedit litteras, ut œcumenicum concilium convocaret. At pontifex imperatoris consilium contemnens : « Scripsisti, inquit, ut concilium universale cogeretur, et nobis inutilis ea res visa est... Tu persecutor es imaginum, et hostis contumeliosus, et eversor; cessa et nobis hoc largire ut taceas : tuus mundus pace perfruetur, et scandala cessabunt... Finge nos tibi paruisse, et ex universo terrarum orbe pontifices congregatos esse, senatumque ac concilium consedisse : ubi est Christi amator, ac pius imperator, qui de more in senatu considere debet et eos qui recte loquuntur numerari, eosque qui aliena a veritate blaterant amandare, cum tu imperator vacilles ac barbaros imiteris ? » (Greg II, *epist* 1 *ad Leon.*)

Interea pontifex synodum celebrari voluit Romæ, in qua postquam defendit cultum sacrarum imaginum, et sanctorum invocationem tum auctoritate sacræ Scripturæ et Patrum, tum consuetudine a pietate fidelium in Ecclesiam inducta, contrariam doctrinam condemnavit, tanquam insanam sententiam, et perniciosissimam hæresim. « Dominus Gregorius II junior papa, in suo sacro concilio, in eo ipso præsidente summo ac beatissimo quondam D. Gregorio papa, per semetipsum similiter dixit... quia videmus plerosque turbatis mentibus statuta conturbare Ecclesiæ, cupimus ad compescendam erroris insaniam adhuc ex veteribus documentis aliquid dicere, » etc. (*Frag conc Ro* III, *in epist Adr I ad Car Mag.*). Hujus concilii superest solum fragmentum in epistola Adriani I ad Carolum Magnum. Græci tamen auctores æquales horum temporum ut Theophanes, Cedrenus, Zonaras, quos plerique Recentiorum sequuntur, referunt Leonem eo in concilio fuisse excommunicatum, Italosque fidelitatis sacramento erga eum principem fuisse absolutos. « Gregorius, ait Zonaras, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiata societate præsidis novæ Romæ, Leonis scilicet imperatoris, necnon eorum qui sequerentur, illos una cum imperatore synodico anathemate obstrinxit, vectigalia quæ ad id usque tempus inde pendebantur, sibi habuit, icto cum Francis fœdere. »

Recentiores vero alii secus sentiunt; docent siquidem Leonem in ea synodo neque excommunicatum, neque depositum fuisse. A communione, aiunt, sejunctus non fuit, quia Paulus Diaconus et Anastasius Bibliothecarius latini Scriptores, rerumque earum quæ fiebant Romæ, scientes melius quam Græci, hac de re silent. Depositus autem non fuit, ut illi obtendunt (ita nempe postremi sentiunt) quod probabilius esse videtur; iidem enim Latini auctores conceptis verbis referunt Gregorium pontificem voluntati populorum, et copiarum Italiæ, levandi scilicet Augustum novum Leonis loco, semper obstitisse, utpote qui in eam spem venerat, ut imperator aliquando converteretur. « Omnis Ravennæ exercitus, ait Diaconus (*lib* VI, *cap* 49) vel Venetiarum talibus jussis uno animo restiterunt; et nisi eos prohibuisset pontifex, imperatorem super se constituere fuissent aggressi. » Et Anastasius (*num* 184) : « Omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent imperatorem, et Cpolim ducerent, sed compescuit tale consilium pontifex, sperans conversionem principis. » Quod de eadem re habemus certum, id ex sæpius laudata epistola I Gregorii liquet : « Invocamus, inquit, principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cœlis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait Apostolus, *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* » Ex quibus aliud non posse intelligi quam excommunicationem videbatur.

Ad dogmaticas vero epistolas Gregorii quod spectat, in earum prima imperatorem admonet cur Deus Israelitis prohibuerit imaginum cultum : ab idololatria nempe ut animos eorum averteret, propter quam populos terræ promissionis exterminatum mittebat. Moysi a Domino petenti, ut sensibili sub imagine se illi cernendum exhiberet, gratiam minime concessisse. At in plenitudine temporum Dei Filium humana carne indutum se visibilem præbuisse in omnibus mysteriis, quæ pro nostra redemptione fuerat operatus. Eos qui Jesum Christum viderant, repræsentasse illum eadem imagine, qua ipsum agnoverant. Sanctorum pariter Jacobi, Stephani, ac cæterorum martyrum effigies ab iis fuisse expressas qui eosdem viderant. Minime autem ad ejusmodi imagines determinari Catholicorum cultum, sive in iis eorumdem spem collocari; at eosdem spectantes Jesu Christi imaginem, ad ipsum Jesum Christum sese convertere aientes : Domine Jesu Christe Fil. Dei, adjuva nos, salva nos; sic beatissimæ Virginis effigiem intuentes dicere : Sancta Maria Dei genitrix virgo, intercede pro nobis ad Dominum ut salvos

Digitized by Google

nos faciat; et ita de cæteris sanctorum imaginibus. Ipsum Leonem sibi comparasse universalem invidiam, contemptumque vel parvulorum catechismum discentium, bellum indicendo sacris imaginibus. Se, tanquam Romanum pontificem, potestate et auctoritate uti voluisse, quam a D. Petro apostolorum principe obtinuerat, ut cum puniret : « Sed quoniam, verba ejus sunt, in te ipsum exsecrationem ingessisti, tibi habeto illam cum consiliariis tuis, quos complecteris... scribe Gregorium papam Romanum circa imagines precasse; et nos ab hac cura quietum te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus, utpote qui a Deo potestatem et cœlestia et terrena solvendi acceperimus. » Episcopos, docere pergit, non Augustos, de doctrina definire; seque solutum declarare coram Deo et hominibus cultum imaginum prætenso eo crimine idololatriæ quod imperator illi tribuebat. Se suosque successores Romanos pontifices futuros semper arbitros ac mediatores pacis inter Orientem et Occidentem, quidquid is tot malis interminaretur; et, si forte mitteret Romam, ut jactabat, qui sancti Petri imaginem prosternerent, se eidem minime significare quæ eventura erant; protestatur tamen se fore innocentem ab effusione futura sanguinis, qua solus imperator culpandus erit.

Altera in dogmatica epistola testatur Leoni summum quo afficiebatur dolorem, quod in errore persisteret; deinde oculis ejus subjicit suorum prædecessorum exempla, qui una cum pontificibus conciliorum celebrationem procuraverant. Non imperatores, at pontifices fidei dogmata definisse ait; sicut pontifex non immiscetur rebus et officiis domus Augustæ, ita non debere imperatorem admisceri ecclesiasticis rebus, eligere aut sacrare ministros altaris, sacra mysteria celebrare, aut denique eorumdem fieri participem absque opera sacerdotum. In politicis principes sæculi punire crimina confiscatione bonorum, ac pœna capitis, vel exsilii. In Ecclesia vero post criminum confessionem plecti homines jejuniis, vigiliis, precibus; quæ post ad communionem corporis et sanguinis pretiosi Jesu Christi admittuntur, pleneque cum Domino reconciliantur. Augustos religione ac pietate illustres ejusmodi legibus aliorum instar hominum fuisse ultro obnoxios; eum autem e contrario post rebellionem, et scelera, vi et armis uti ut supremum affligat pontificem, vitæque ipsius paret insidias. Eum denique, cum semper salutaria pontificis monita, et documenta rejecerit, certeque addictus sit perversorum damnabili doctrinæ, haud dubie habiturum partem cum iis, nisi misericors Deus ad resipiscentiam eum vocasset.

MAFEI.

Num. 181, linea 10.— *Cum Theodimo subdiacono, et rectore.* Erat Theodimus subdiaconus regionarius, et rector nomine sedis apostolicæ diaconiæ sancti Andreæ Neapoli. In iis siquidem locis, in quibus Romana Ecclesia patrimonia possidebat, constitutæ erant diaconiæ, ubi eleemosynæ a subdiacono rectore patrimonii erogabantur. Sicut enim plures litteræ sancti Gregorii Magni nos docent, subdiaconi munus erat pauperum diaconiæ curam habere. Hic Theodimus sepultus est Neapoli, in eadem ecclesia sancti Andreæ, ad Nidum appellata, de quo exstat in tabula marmorea ante altare sequens sepulcralis inscriptio :

CONFUGIENTIS AD TUUM SUFFRAGIUM LÆTUS AMPLECTERE OSSA PUTRIDA TABEFACTA APOSTOLE SCE QUI OB TUI MERITI DESIDERIUM AULÆ TUÆ MOENIA MIRA FECIT PULCHRITUDINE CORUSCARE.

UT TUIS ADJUTUS AUXILIIS DISRUPTIS VINCULIS INFERNI HINC RESURGERE CARO MISERA POSSIT ET IN DIE EXAMINATIONIS CALCATIS FACINOROSIS PECCATIS GAUDIA DIVINA PERCIPIAT TE INTERPRECANTE MARTYR ANDREA.

HIC IN PACE MEMBRA SUNT POSITA THEODIMI SUBD. REG. ET RECT. SCÆ. SED. APOST. ET DISP. HUJUS DIACONIÆ BEATI ANDREÆ.

SI QUIS PRÆSUMPSERIT HUNC TUMULUM VIOLARE ERIT ANATHEMATIS VINCULO INNODATUS.

Num. 182, linea 17. — *Hic Quadragesimali tempore, in 5 feria jejunium atque missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit.* Quæ Walafridus Strabo σύγχρονος Anastasio refert (*lib. de Rebus Eccl.* cap. 120), huic Anastasii loco lucem afferre possunt, licet aliqua ratione videntur inter se conflictare; nam Anastasius narrat Gregorium II instituisse ut jejunium et missarum celebritas feria 5 peragerentur, quod ante ipsum moris non erat; Strabo vero missam propriam a Gregorio II asserit institutam fuisse, cum prius missa diei Dominicæ præcedentis feria 5 repeteretur. Verba Strabonis sunt : « Quia Melchiades XXXIII ordine Romæ præsulatum agens, statuit ut nulla ratione Dominico, aut feria 5 jejunium quis fidelium ageret (pagani enim his diebus quasi jejunia frequentabant), ideo beatus Gregorius in dispositione officiorum anni, infra Quadragesimam feriam 5 vocantem dimisit, ut quia festiva erat, veluti Dominica, etiam officio dici Dominicæ celebris haberetur. Quæ feria 5, quoniam postmodum cœpit, ut cæteræ, jejuniis applicari, Gregorius Junior (nempe II) statuit eam missis et orationibus esse solemnem, id est suas sibi solas habere proprias missas, uti cæteræ per Quadragesimam feriæ habent; et undecunque colligens ejusdem diei augmentavit officia. » Strabonis verba fere transcripsit, qui sub humili nomine latere voluit Micrologus, illis addens (*capite* 50) : *Maxime ex dominicalibus Evangeliis feriis 5 adhuc ascriptæ reperiuntur.* Cardinalis Bona (*Rerum liturg* lib. p., cap. 18, num. 12) ita Anastasium cum Strabone conciliat. Vult significare Anastasium, nullo honore feriam 5 habitam fuisse, donec Gregorius II statuit ut in Quadragesima jejunium et missa, sicut fit in aliis feriis legitimis, coleretur. Strabonem vero, extra Quadragesimam diu mansisse feriam 5 sine proprio, et solemni officio, et si quis privatim eadem feria sacrificare voluisset, præcedentis Dominicæ missa utebatur. Cui autem ratio a Strabone adducta minus arriserit, vacantem scilicet dimissam fuisse feriam 5 a sancto Gregorio I in dispositione officiorum, quod pagani his diebus quasi jejunia frequentabant (quanquam ejus assertio ex canone 15 concilii Narbonensis, anno 589, potest confirmari, ubi contra quosdam, qui superstitiose diem, qui dicitur Jovis, celebrabant, decernitur, nisi festivitas aliqua occurrit, diem hanc nullo ritu religioso esse transigendam), is legat in præfatione libri Sacramentorum, editi a Pamelio (tomo II *Liturgic.*), Grimoldum abbatem, qui longe clariorem assignat causam, ob quam aliquot dies in Sacramentario sancti Gregorii Magni carent officio. « Sicut quorumdam relatu didicimus, Grimoldi verba sunt, domnus apostolicus in eisdem diebus a stationibus penitus vacat, eo quod cæteris septimanæ feriis stationibus vacando fatigatus, eisdem requiescit diebus, ob id scilicet, ut tumultuatione populorum carens, et eleemosynas pauperibus distribuere, et negotia exteriora liberius valeat disponere. » Comprobat dictum Grimoldi liber Sacramentorum sancti Gregorii apud eumdem Pamelium, in quo, ubi aliqui dies prænotantur vacare, subjiciuntur hæc verba : *Dominus papa eleemosynam dat.* Christianus Lupus, in notis ad canones Trullanos (*can.* 52) putat errare Strabonem, dum de sancto Gregorio I ait, in dispositione officiorum feriam 5 infra Quadragesimam vacantem dimisisse, sensitque omnibus Quadragesimæ diebus, præter feriam sextam

Digitized by Google

Parasceves et Sabbatum sanctum, Latinam Ecclesiam plenarium missæ sacrificium peregisse.

Ad suam sententiam confirmandam duo adducit auctor clarissimus. Primum est caput quartum epistolæ Innocentii I ad Decentium Eugubinum, in quo dicitur : *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo sacramenta Ecclesiæ penitus non celebrari.* Sed ex hoc loco Innocentii quid confici possit non video; cum ibidem sancti pontificis unicus scopus sit ostendere, nedum sexta feria, sed Sabbato etiam esse jejunandum, et non dies aliturgicos enumerare, quibus Romana Ecclesia missis carebat. Alterum est, in Sacramentario beati Gregorii Magni missas reperiri feriis 5 assignatas. Sed vir doctissimus non advertit Grimoldum monere, esse addita post ætatem beati Gregorii ea omnia, quæ in ejusdem Sacramentario sunt virgulis jugulata, quemadmodum sunt missæ, quæ feriis 5 assignantur. Imo certum est in antiquis Sacramentorum libris, in Lectionariis item et Kalendariis nullam inveniri missam vel Evangelium, tam in Quadragesima quam extra ipsam, per totum annum feriæ 5 assignatum, nisi, post sanctum Gregorium II, in Quadragesima tantum, et in octava Paschatis, ut videri etiam potest in Kalendario quod Fronto vulgavit, quem consule in prænotatis, paragrapho 6.

Linea 21. — *Illis interea diebus Constantinopolim biennium.* Famosæ hujus obsidionis, qua Masalmas dux Saracenorum pedestribus copiis, classe vero Sulimanus calipha (cui primo anno obsidionis, denato die secunda Octobris, Omarus II, calipha XII juxta Chronologicas tabulas Langlet, in caliphatum fuit suffectus, ut Elmacinus in Historia Saracenica scribit) Constantinopolim obstrinxerunt, præter Latinos meminere ex Græcis Theophanes et Nicephorus, qui regiæ urbis liberationem præcipuo erga illam Dei Genitricis præsidio partam testantur. Porro urbs dicata Deiparæ pluribus in locis illam impenso cultu venerabatur, omnium autem frequentissimo in Blachernis, ubi augustum templum ejus nomine dedicatum erat. Liberatæ urbis memoriam quotannis recolit Menæum Ecclesiæ Græcæ XVIII Kalendas Septembres, et in Menologio Basilii Porphyrogeniti, quod elegantibus formis Urbini primum excusum est, ita enuntiatur in versione Latina. « Imperatore Leone Isauro numerosus Saracenorum exercitus venit, ac terra marique Constantinopolim circumdedit, et urbem illam obsidione opprimere meditabatur. Cumque imperatorem animadvertissent a necessitatis urgeri angustiis, atque cum illis ad conditionem paratum descendere, autumabant ipsi præsidium etiam imponere civitati. At Dominus ille qui superbis resistit, irritum eorum reddit consilium. Explorans enim illius gentis princeps quod nihil proficeret, postulavit sibi saltem licere per Bosphori portam equo insidentem ingredi. At aliis citra noxam introeuntibus, ejus solummodo equus sese erigens intro minime pervadebat. Tunc ille attollens oculos, ac supra portam Deiparæ intuitus imaginem, id ei accidere intellexit, quia in ipsam blasphemias emiserat. Itaque re infecta sunt reversi, et cum ad mare Ægæum cum navibus pervenissent, ferventi grandine percussi perierunt. » Græci recolunt hoc beneficium annua celebritate τῆς ἀκαθίστου, nempe stantes per totam noctem psallunt hymnis et canticis sine sessione. Vide Codinum, de Officiis aulæ Constantinopolitanæ (*Cap.* 12, *num.* 10), et ad eum annot. 13 in regia edit. Vide etiam eruditissimum Patrem Combefisium in Auctario Bibliothecæ sanctorum Patrum (*tomo secundo*), ubi orationem historicam de Constantinopolis liberatione fecit publici juris, unde plura ad hanc rem spectantia peti possunt.

BALDINI.

Num 182, linea 12. — *Directis tribus spongiis, quibus ad usum mensæ pontificis apponuntur.* Particulatim sectis, et singulis militibus distributis, tribus spongiis sibi a papa Gregorio II directis, *quibus ad usum mensæ pontificis apponuntur*, vel, ut in aliis codicibus legitur, *quibus ad usum mensæ pontifices utebantur*, Eudo Aquitaniæ dux trecenta septuaginta quinque millia Saracenorum delevit, nemine ex suis, qui ejusmodi spongiæ participes fuerint, desiderato. Quid intelligendum sit per has spongias ad usum mensæ a pontifice adhibitas, necessarium duco explicare. Franciscus Pagius, in Breviario Gestorum pontificum Romanorum, in Vita Gregorii II, dicit Anastasium loqui hic *de spongia qua mensa pontificis tergebatur, Eudoni transmissa, et pro benedictione exercitus distributa.* Additque commentarium : « De spongiis legendus Thesaurus linguæ Latinæ, et Calepinus, in voce *Spongia*, ubi invenies antiquos spongias in deliciis habuisse strigilum vice linteorumque illis utentes ad distringenda et emundanda corpora. » Optume factum, sanctum pontificem Gregorium II, loco benedictionis, ad Eudonem misisse spongias, quas in deliciis habuerit, et quibus, vice strigilis, usus fuerit ad distringendum corpus et emundandum. Nec minus feliciter vir cæteroquin plurimæ selectæque eruditionis, Joseph Maria Suaresius episcopus Vasionensis, locum hunc Anastasii satis obscurum exposuit in opusculo de annua lotione aræ maximæ basilicæ sancti Petri, ubi inquit : « Delebantur scripta spongia, uti Suetonius refert, c. 20 in Caio Cæsare Caligula; hinc Augustus Ajacem suum in spongiam incubuisse respondit amicis apud eumdem Suetonium, c. 85; portenderunt igitur tres spongiæ illæ delendos fore ad internecionem Agarenos, et ducis ac militum pietas ipsos conservavit sospites atque incolumes, » scilicet delendi fuissent milites Eudonis, quibus spongiæ partes distributæ, non Agareni, quos spongia minime contigerit. Rem acu tetigisse putaverim clariss. præsulem Joan Christophorum Battellum, in libro Romæ edito anno 1702, in quo explicat et illustrat ritum annuæ ablutionis altaris majoris basilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini. Hic recitatis spongiarum usibus tum sacris, tum profanis, habitaque mentione facti Eudonis ab eodem Eudone descripti in epistola ad Gregorium II data, subjungit : « Qualis autem fuerit antiquitus spongiarum usus in mensa pontificis hactenus incompertum nobis est; illud profecto certum exploratumque habemus his temporibus tales spongias neque spirituali neque corporali pontificis mensæ apponi solere. Probabile tamen arbitramur ejusmodi spongias adhiberi consuevisse, dum pontifex solemne sacrum faceret, ad abstergenda sacræ mensæ vasa, quæ modo purificatoriis linteisque terguntur. Talis enim erat et adhuc est spongiarum usus apud Græcos, tum in missa solemni, tum etiam in ablutione sanctæ mensæ in Cœna Domini, ut supra ostendimus. Quin etiam patriarcha spongias in ablutione sacræ mensæ adhibitas populo in benedictionem distribuere solet, quippe quæ ex altaris contactu sanctitatem virtutemque divinam hausisse credantur, ut explicat Goar in suis notis ad dictum ritum, n. 13. Quod et Gregorium II factitasse memorat Anastasius, dum pontificiæ mensæ spongias misisse tradit Francorum duci in benedictionem. »

Quod si liceat aliquid addere explicationi Battelli, non putarem perperam intelligi posse spongias missas a pontifice, quæ in Anastasio ea circumstantia notantur, usui fuisse pontifici in mensa, ex illis fuisse quibus pontifex usus fuerit in ablutione solemni altaris, super quo ipse missas faciebat. Antiquissimus ritus est basilicæ Vaticanæ, quem eadem basilica religiose adhuc retinet, et custodit, in die Cœnæ Domini majus altare vino abluere, aspergillis verrere, ac demum spongiis primum, dein mappulis diligenter abstergere. Hujus ritus meminere veteres Rituum collectores, Isidorus Hispalensis, l. I de divinis, sive ecclesiasticis, Officiis; Alcuinus, lib de divinis Officiis; Amalarius, lib de ecclesiasticis Officiis; Rabanus Maurus, lib II de clericorum Institu-

Digitized by Google

tione, qui claruere ab usque sæculis VI, VII et IX. Hoc majus altare basilicæ Vaticanæ imminet confessioni, ut aiunt, sancti Petri, seu inferiori sacello, in quo sanctorum Petri et Pauli sacra pignora coluntur. Super illud, præter summum pontificem, nemini sacrum facere fas est, nisi ei cui summus pontifex facultatem dederit, prævia tamen speciali bulla, quæ prope idem altare affigenda est, ut præscribit Ordo Romanus, n. 15, apud Mabillonium, in Museo Italico, t. II, pag 455, auctore Petro Amelio, art 17, titulo de Circumcisione Domini : « Hanc missam Romani pontifices semper consueverunt celebrare. . . Item nota si papa sit in urbe hac die, et non celebret, sed facit dici missam per aliquem cardinalem in ecclesia sancti Petri, antequam cardinalis induat, præsentetur bulla, quomodo papa dispenset cum eo, quatenus possit celebrare super aram sancti Petri ; et per totam diem pendet ante regias, et ita in omnibus aliis missis, quæ super illud celebrantur. » Quid mirum si hoc altare pontificis altare proprie nuncupetur ? An vero idem est altare et mensa ? Utrumque promiscue usurpatur. Anastasius, in Vita Stephani IV, n. 294 : « Hic statuit, inquit, ut omni die dominico a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant missarum solemnia, super altare beati Petri celebraretur. » Erat autem in ecclesia Lateranensi mensa lignea, magno in honore habita, frequentibus olim liturgiis beati Petri consecrata. Ordo Romanus, signatus n. 10, apud laudatum Mabillonium, tom. II Musæi Italici, pag. 99, hæc habet : « Si fuerit pontifex Laterani, decantato *Credo in unum Deum*, et antequam intret ad sacrificandum, a diaconibus levatur mensa de altari (hic unum ab alio distinguitur) pallis desuper complicatis, et cum reverentia, et omni devotione ab eodem reportetur in capella sancti Pancratii, juxta claustrum canonicorum, quia ibi est locus reservationis, et cum omni cautela usque in diem Sabbati custoditur. »

Habemus itaque spongias, habemus pontificis mensam, habemus sacrum spongiarum usum in abstersione ejusdem mensæ, quid ultra quærimus pro pleniore intelligentia textus Anastasii ? Quod autem spongiæ ex contactu aræ superimpositæ tumulo beatorum apostolorum Petri et Pauli quodammodo consecratæ pio Francorum duci Eudoni mitti a pontifice potuerint ad instar rei sacræ, aut sanctarum reliquiarum, id docent per ea tempora plurima similia exempla, et pannorum super corpus beati Petri illatorum, et clavis de corpore sancti Petri ablatæ, cujus non una mentio in pluribus epistolis Gregorii Magni, principibus viris transmissæ, et clavium aurearum, de quibus Gregorius Turonensis, lib. I de Gloria martyrum : « Multi, inquit, et claves aureas ad venerandos cancellos beati sepulcri faciunt, qui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medentur. »

Num. 188, linea 1. — *Num post hæc claruit ejusdem imperatoris malitia.* Natalis Alexander in dissertatione 1, in Historiam ecclesiasticam sæculi octavi, t. V, pag. 733, negat Gregorium II, ab obedientia Leonis Isaurici imperatoris ob abrogatum sacris imaginibus cultum Italiæ populos abduxisse, atque eidem vectigalia amplius solvi prohibuisse. Nititur ille auctoritati Pauli Diaconi, lib. VI de Gestis Longobardorum, c. 49, inquientis : « Omnes Ravennæ exercitus, vel Venetiarum, talibus, jussibus uno animo restiterunt, et nisi eos prohibuisset pontifex, imperatorem super se constituere fuissent aggressi, » et Anastasii, qui, n. 184, inquit : « Cognita vero imperatoris nequitia omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent imperatorem, et Constantinopolim ducerent ; sed compescuit tale consilium pontifex, sperans conversionem principis ; et n. 185 : Blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent artibus, et in fide persisterent, rogabat, sed ne desisterent ab amore, vel fide Romani imperii, admonebat. » Recitat etiam litteras ab eodem Gregorio ad Leonem datas, in quibus pontifex non minas intentat avertendi populos a fide imperatoris, et vectigalium solutionem impediendi, sed se inermem et nudum profitetur, secessurum in proximam Campaniam, si insultus paret, et Christum invocaturum, ut quod apud beatum Panlum Corinthio reo incestus contigit Imperatori contingat. Sed minime decebat, subjungit, sanctissimum antistitem in divinis Scripturis eruditum populorum tumultibus se implicare, eosdemque ad defectionem urgere, et ab obsequio imperatori etiam hæretico debito abducere. Natali adhæret Franciscus Pagius, in Vita Gregorii II, qui inquit : *Tantum abest ut Gregorius Italos et Romanos ad defectionem impulerit, aut eos a pensione tributorum solvenda impedierit, ut Ravennæ et Venetiarum exercitus ad rebellionem paratos in officio continuerit,* recitatque deinde eadem testimonia, quibus Natalis usus est.

Hæc quidem ita se habuisse, antequam clarescerct imperatoris malitia, ut inquit Anastasius, libens concedo. Voluit nempe sanctissimus pontifex patienter ferre, quæ sibi ab impio imperatore inferebantur, cum vitæ discrimine injurias, atque omnia remedia mansuetudinis et beneficentiæ experiri, ut sibi animum imperatoris promereretur, et a furore quo in sacras imagines sæviebat revocaret. Et Italiæ populos imperio orientali subjectos defectionem meditantes in officio continuit, et a constituendo novo imperatore, quem Constantinopoli inferrent, compescuit, et exarchum Ravenna a Longobardis expulsum, et Venetiis morantem Urso Venetiarum duci, ut ei hæreret, et ad pristinum statum Ravennatum civitatem revocaret, data ad eumdem littera, commendavit, et binas epistolas ad Leonem scripsit, quibus obstinatum animum frangeret, et ad meliora consilia traduceret. Minitatus fuerat Leo se Romam missurum, qui imaginem sancti Petri confringeret, et Gregorium illinc pontificem vinctum abduceret. At Gregorius respondit pontifices Romæ conciliandæ pacis causa sedere, tanquam parietem integerrimum, septumque medianum Orientis et Occidentis, ac pacis arbitros et moderatores : « Quod si quempiam, inquit, ad evertendam imaginem miseris sancti Petri, vide, protestamur tibi, innocentes sumus a sanguine, quem fusuri sunt, verum in cervices tuas, et in caput tuum ista recident. » Præviderat namque sanctus pontifex, quod futurum erat, si quidpiam armis tentare imperator ausus fuisset ; ut enim tradit Anastasius, ad resistendum imperatoris jussionibus Pentapolenses et Venetiarum exercitus parati sibi duces elegerant, et, de pontificis deque sua immunitate studentes, « una se quasi fratres fidei catena constrinxerant Romani atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione pontificis sustinere gloriosam, numquam illum passuri perferre molestiam, pro fide vera et Christianorum certantem, » vel, ut alii, *certantes salute.* Et cui potius salutem suam et fidem populus Romanus præsertim concredere poterat quam Romano pontifici, cui nihil magis cordi erat, quam egenorum inopiam largissima manu sublevare, Ecclesiæ horrea ingruente fame pauperibus aperire, blando omnes sermone complecti, urbem templis et monasteriis augere, templaque aureis, atque argenteis muneribus exornare ! Manum Gregorius applicuerat restaurandis urbis moenibus, Alpes Cottias ab Ecclesiæ patrimonio divulsas eidem iterum junxerat, castra a Longobardis Romano ducatui erepta qua vi, qua precibus, qua donis eidem vindicaverat. Nil mirum itaque, si, abrogato imperio Leoni hæretico minitanti Romæ veteri quæ in nova perfecerat, rapinas, cædes, incendia, se suo sanctissimo præsuli, vitamque, opesque Romani commiserint.

Hæc postremis Gregorii II pontificatus temporibus contigerunt, illa vero quæ Natalis Alexander ex auctoribus refert, ante declaratam universo orbi

Digitized by Google

imperatoris malitiam. Leo namque imperium arripuit anno 716, Gregorius ad Leonem scribit anno circiter 727 : « Decem annos, inquit in epist. ad Leonem, Dei benignitate recte ambulasti, neque sacrarum imaginum mentionem fecisti; nunc autem dicis idolorum locum implere. » Anno itaque 726 Leo in sacras imagines aperte furere cœpit, eaque monstra immanitatis, et stultitiæ edere quæ Gregorius in dicta epistola eidem exprobrat : ob id cœpere Italiæ populi jugum Græci imperii excutere, laurata imperatoris conculcare, urbesque occupare eidem subjectas. Ab anno 727 malitia imperatoris magis inclaruit, sacras imagines ex templis avulsit, atque igne combussit, principes inter cives impietati ejusdem infensos obtruncavit, et sacros antistites exsilio et morte affecit. Anno itaque 730, versus finem pontificatus Gregorii, ea accidere, quæ et Græci historici memorant Cedrenus, Zonaras, et Theophanes. Pontifex Leonem ut publicum hæreticum anathemati subjecit, omnes Italiæ populi justis armis se ab imperatoris tyrannide vindicarunt, eosdemque consilio, auctoritate et patrocinio Gregorius juvit. Ad quam temporum distinctionem vel animum non appulit, vel appellere noluit Romanæ sedis auctoritati plerumque infensus Natalis, quem Pagius nimio critices studio abreptus secutus est. Audiatur diligentissimus annorum supputator Baronius ad annum 730, scribens : « Retinuerat hactenus habenas rebellantis populi sæpe Gregorius, ne adversus imperatorem penitus rebellarent, quandiu spes aliqua esse potuit, ut sæpe monitus promulgatum de impietate revocaret edictum, non curans se ob ejus causam sæpius esse vitæ in discrimen adductum. Ubi autem eumdem neque verbis scriptisve a cœptis potuit revocare, neque beneficiis continere, quin in deterius labereretur, tempus jam advenisse ratus, ut securis ad radicem admoveretur arbores infelicis, apostolica auctoritate, Succidite eam, clamat. Quo tonitru excitati fideles occidentales, mox desciscunt penitus a Leonis imperio, apostolico pontifici inhærentes. Sic dignum posteris idem Gregorius reliquit exemplum, ne in Ecclesia Christi regnare sinerentur hæretici principes, si sæpe moniti in errore persistere obstinato animo invenirentur. Tunc enim accidit, quod et Græci historici omnes affirmant, et idem Theophanes ait, anno decimo quarto Leonis imperatoris ipsum Leonem ab eodem Gregorio privatum esse tributorum Italiæ exactione. Testantur id Cedrenus et alii. Zonaras hæc Romæ (quod par est credere) facta esse synodice tradit, atque in eodem concilio ipsum imperatorem anathematis affectum pœna. »

THOMÆ ACETI ADNOTATIO.

Num 188, linea 1. — *Post hæc claruit imperatoris malitia.* Leo Isaurus impius Iconoclasta, sanctorum imagines hac illac vel comburendo vel deturpando, adeo insanivit, ut sancto Gregorio secundo summo pontifici, qui eum ab errore avocare conabatur, temere scriberet, *se quoque* (ut ait Baron. ann. 726) *missurum Romam qui imaginem æneam prostantem conspicue sanctissimi apostoli Petri confringeret.* Hæc statua apostolorum principis quæ judicio gravissimorum auctorum vetustissima est, jure merito conflata creditur ex metallo simulacri Jovis Capitolini, jussu sancti Leonis Magni, postquam, anno reparatæ salutis 452, Roma ab imminente sibi flagello Attilæ Hunnorum regis, ejusdem sanctissimi apostoli patrocinio, liberata, quievit. Verumtamen ex oratorio antiquissimo sancti Martini ejusdem sancti Leonis opera prope basilicam Vaticanam exstructo, ubi primum collocata fuit, ad aliud sanctorum martyrum Processi et Martiniani (ut ait Matthæus Vegius, qui floruit sub pontificatu Martini V), inde, sub Paulo III, in pronaum anteriorem ejusdem basilicæ ut scribit Tiberius Alpharanus scriptor contemporaneus, tandem, sub Paulo V, ad locum ubi nunc invisitur, translata est. Hujus itidem celeberrimi simulacri antiquissimus fuit cultus. osculo præsertim pedis, qui ex frequentissimo labiorum contactu levis ac detritus conspicitur. Quinimo Cæsar cardinalis Baronius, dum quotidie basilicam apostolorum principis visitaret, statuam hanc bis deosculando venerabatur, primo cum ad confessionem apostolorum accederet, hæc verba in osculo proferens : *Credo in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam;* deinde cum e confessione recederet, hæc alia dicens : *Pax et obedientia.*

Nec prætereundum putavimus instantaneæ sanationis insigne miraculum, quod ad osculum viva fide impressum huic statuæ, apostolorum principis intercessione, patravit Deus eo tempore quo Codex hic Anastasianus excudebatur. Anno jubilæi millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quinto Idus Junii, Benedicto XIII summo pontifice, Joannes Kouvalschi provinciæ Salesiæ, miles in bello Turcico, dum Bellogradum expugnaretur, fœde vulneratus, e rupe quadam in profundam decidit foveam, ita ut vertebræ ex ruina ac contusione luxarentur; nec ambulare amplius potuit, nec stare, nam tibiæ et coxendices ex contracta paralysi quasi arefactæ inutiles sibi fuere. Vehebat se miser, imo trahebatur ut poterat soccis quibusdam ligneis ad manus aptatis per octo circiter annos, quousque refulsit lumen in habitaculo mentis suæ, et Romam mitti ut sanaretur a languoribus suis sibi videre visus est. Vovit itaque, nec sine peculiari Numinis providentia, Romam tandem aliquando pervenit, triduo jejunavit, acceptaque per R. P. Alexandrum Morichoni soc. Jesu, pro lingua Polona pœnitentiarium, sacramentali absolutione, in Vaticana basilica, sacra ibidem communione refectus est : mox accessit ad statuam principis apostolorum, oravit aliquantisper, pedemque sacrum deosculari cupiebat, nec poterat : rogavit propterea peregrinos quosdam astantes, quorum adjutorio pedem statuæ exosculatus est viva fide, ut sancti Petri intercessione sanitati restitueretur. Mira vis fidei ! protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ, et cœpit ambulare et laudare Deum, non secus ac claudus ille ex utero matris suæ, qui sedebat et victum quærebat ad Speciosam portam templi, a beato Petro sanatus, ut in Actibus apostolorum videre est.

Hujus instantaneæ sanationis prodigium longe lateque divulgatum est, nostrumque reverendissimum sacrosanctæ basilicæ Vaticanæ capitulum per authenticas probationes et documenta, in nostro archivo reposita, cura ac diligentia eruditissimi viri Dominici Baptisti presbyteri beneficiati, typis Vaticanis evulgari mandavit; et eminentissimus dominus Annibal S. R. E. cardinalis Albanus, sancti Clementis nuncupatus, ejusdem basilicæ archipresbyter, statuæ imaginem ære incidi jussit hac epigraphe :

ÆNEAM STATUAM APOSTOLORUM PRINCIPI IN BASILICA VATICANA POSITAM ANTIQUISSIMO CHRISTIANI POPULI CULTU FREQUENTATAM, AD QUAM ANNO JUBILÆI MDCCXXV. SEDENTE BENEDICTO XIII. P. M. SANITATE PARALYTICO B. PETRI OPEM IMPLORANTI RESTITUTA PER INSIGNE MIRACULUM APOSTOLI SUI MERITA DEUS ILLUSTRAVIT, ANNIBAL S. CLEMENTIS S. R. E. CARDINALIS CAMERARIUS EJUSDEM SACROSANCTÆ BASILICÆ ARCHIPRESBYTER AD AUGENDAM APOSTOLICI PATROCINII CELEBRITATEM CHRISTIQUE FIDELIUM RELIGIONEM ÆREA TABULA EXCEPTO TYPO EXPRIMENDAM CURAVIT ANNO DOMINI MDCCXXVII.

Nos quoque qui in eadem basilica principis apostolorum ejusdem eminentissimi archipresbyteri beneficio ac munificentia in ordine clericorum beneficiatorum, tametsi immeriti, cooptati reperiebamur, juvenem illum vidimus ambulantem et glorificantem Dominum, quapropter testimonium veritati fideliter perhibemus. Ne autem lapsu temporis præclarissimi

Digitized by Google

Lujus facinoris memoria deperiret, Anastasiano huic A Altissimi, quem in apostolo suo Petro mirabilem codici inserendam duximus ad majorem gloriam prædicamus

XCII. SANCTUS GREGORIUS III.

ANNO CHRISTI 731, LEONIS ISAURICI 16.

190 Gregorius tertius, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit annos decem, menses octo, dies viginti [a]. Vir mitissimus et valde sapiens, in divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca Latinaque lingua eruditus, psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, et in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Lingua quoque in lectione polita, exhortator omnium bonorum operum, plebique florentissime salutaria prædicans, fidei catholicæ et apostolicæ immutilate conservator, perenniter sua monita, corda fidelium corroborans, orthodoxæ fidei æmulator ac defensor fortissimus, paupertatis amator, et erga inopes provisor [b] non solum mentis pietate, sed studii sui labore sollicitus. captivorum etiam redemptor, orphanorum quoque et viduarum largitor, necessaria tribuens, amator religiositatis in Christiana norma [c], et religiose volentibus vivere et Dei timorem habentibus [d], in suis præcordiis dilector [e] existens, Deo favente, pervenit ad sacrum ordinem presbyteratus. Quem viri Romani seu omnes populi, a magno usque ad parvum, divina inspiratione permoti, subito eum, dum ejus decessor de hoc sæculo migrasset, dum ante feretrum in obsequio sui antecessoris esset intentus [f], vi abstollentes in pontificatus ordinem elegerunt.

191 Fuit autem temporibus Leonis et Constantini imperatorum, ea persecutione grassante quæ per ipsos mota est ad depositionem et destructionem sacrarum imaginum Domini nostri Jesu Christi et sanctæ Dei Genitricis, sanctorum apostolorum omniumque sanctorum et confessorum, pro quibus isdem sanctissimus vir, ut ab hoc resipiscerent ac se removerent errore, commonitoria scripta vigore apostolicæ sedis instituta [g], quemadmodum et sanctæ memoriæ decessor ipsius direxerat, misit per Georgium [h] presbyterum. [i] Qui humano ductus timore, non eadem scripta imperatori porrexit. Qui revertens, secum in civitatem Romanam reducens ipsi sanctissimo pontifici patefecit, confessus se faciens reum culpæ. Quem magna comminatione pontifex ipse voluit ab ordine sacerdotali privare. Cui residente concilio [j], sed obsecrante tam concilio quam optimatibus, ut non deponeretur, sed magis isdem presbyter pœnitentiæ submitteretur : cui, imposita digna pœnitentia, iterum secundo eum cum eisdem litteris scriptis apud regiam direxit urbem. Sed nequiter augmentata [k] dispositio eorumdem imperatorum, eadem venerabilia scripta in Siciliensi insula retinere fecit, nec ad urbem regiam pertransire permisit. Sed eumdem portitorem pene per annum integrum in exsilium relegavit.

192 [l] Unde majori fidei ardore permotus pontifex synodale decretum cum sacerdotali conventu coram sacrosancta confessione sanctissimi corporis beati Petri apostoli residentibus, cum eodem summo et venerabili papa et archiepiscopis, id est Antonio Gradensi archiepiscopo, Joanne episcopo Ravennate, cum cæteris episcopis istius Hesperiæ partis numero XCIII, seu presbyteris sanctæ hujus apostolicæ sedis, astantibus diaconibus cum cuncto clero, nobilibus

NOTULÆ MARGINALES FARROTTI.

[a] *B*, 9, d. 12, C, dies 25. [b] erga inopum provisionem. [c] et Christianæ normæ. [d] habere. [e] director, *B*. [f] inventus esset. [g] juxta vigorem, et institutionem sedis apostolicæ. [h] *B*, Gregorium. [i] *Baron. ann.* 731. [j] residens in concilio. [k] argumentata. [l] *Baron. ann.* 732.

Digitized by Google

etiam consulibus, et reliquis Christianis plebibus astantibus, decrevit ut si quis deinceps, antiquæ consuetudinis et apostolicæ Ecclesiæ tenentes fidelem usum contemnens, adversus eamdem venerationem sacrarum imaginum, videlicet Dei et Domini nostri Jesu Christi, et Genitricis ejus semper virginis immaculatæ atque gloriosæ Mariæ, beatorum apostolorum et omnium sanctorum depositor atque destructor, et profanator vel blasphemus exstiterit, sit extorris a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, vel totius Ecclesiæ unitate, atque compage, quod et subscriptione sua solemniter universi firmaverunt, et inter cætera instituta probabilium prædecessorum, orthodoxorum pontificum adnectenda sanxerunt

193 Post peractum igitur hoc memoratum superius synodale constitutum, iterum misit alia similia scripta commonitoria pro erigendis sacris imaginibus, per Constantinum defensorem, quæ similiter, ut anteriora detenta sunt. Et portitorem eorum fortissima custodia constrinxerunt pene per annum integrum. Postmodum autem vi afferentes ei ipsa scripta, et comminantes ei, post tanti temporis custodiam, cum injuriis eum remiserunt. Nam et cuncta generalitas istius provinciæ Italiæ similiter pro erigendis imaginibus supplicationum scripta unanimiter ad eosdem principes direxerunt, quæ et ipsa similiter ut anteriora ablata sunt a Sergio patricio, extratico [a] ipsius insulæ Siciliæ. Ac fere per octo menses detenti, remissi sunt, similiter cum exprobationis injuria, portitores. Et iterum faciens domnus papa adhortatorias litteras pro erigendis suprascriptis sacris imaginibus et orthodoxæ fidei firmitate, direxit per Petrum defensorem apud [b] regiam urbem, tam Anastasio invasori sedis Constantinopolitanæ quamque principibus Leoni et Constantino

194 Hic concessas sibi columnas sex onychinas volubiles ab Eutychio exarcho, duxit eas in ecclesiam beati Petri apostoli, quas statuit circa presbyterium ante confessionem, tres a dextris et tres a sinistris, juxta alias antiquas sex filio pares [c], super quas posuit trabes, et vestivit eas argento mundissimo. In quo [d] sunt expressæ ab uno latere effigies Salvatoris et apostolorum, et ab alio latere Dei Genitricis et sanctarum virginum. Posuitque super eas lilia et pharos [e] argenteos, pens. in unum lib. septuaginta [f]. Hic fecit oratorium intra eamdem basilicam juxta arcum principalem parte virorum, in quo recondidit in honorem Salvatoris sanctæque ejus Genitricis reliquias, sanctorumque apostolorum, vel omnium sanctorum martyrum ac confessorum, perfectorumque justorum toto in orbe terrarum requiescentium. Quorum festa vigiliarum a monachis trium monasteriorum illic servientium quotidie per ordinem existentia [g], atque natalitiorum missas in eodem loco celebrare instituens [h], in canone missæ [i] hoc adjecit ita a sacerdote dicendum : *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum*

195 Quam institutionem in eodem oratorio tabulis lapideis conscribere fecit, in quo faciens pergulam, contulit dona diversarum specierum, id est gabathas, aureas duas, alias saxicas numero quinque, cruces pendentes numero quatuor. Item cruces similiter [j] numero decem, amulas superauratas paria duo pendentes, fibulatoria numero quinque. Coronam auream cum cruce pendentem gemmis ornatam super altare, patenam et calicem aureum par unum [k] in gemmis, aquæmanile argenteum par unum. Et imaginem sanctæ Dei Genitricis diadema aureum habentem cum gemmis, et collare aureum cum gemmis pendentibus,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] C, et strago. [b] ad. [c] B, Lithoparias. C, Philopareas. [d] in quibus. [e] phara. [f] septingentas. [g] existentium. [h] instituit. [i] missæ hoc adjecit. [j] similes. [k] paratum.

Digitized by Google

inaures habentes hyacinthinas sex. Et faciem altaris et confessionem cum regulis vestivit argento, et in tribus lateribus altaris posuit cruces argenteas tres, pensant. in unum libr. triginta sex. Canistra argentea duo ; calicem argenteum quotidianum ; coronulas argenteas numero quinque, et calicem argenteum unum, qui pendet in abside ipsius oratorii, et super eamdem absidem cruces argenteas tres, et cætera, quæ in ornamento pergulæ, seu ad vestes altaris ordinatæ sunt.

196 Hic fecit in ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe per circuitum super columnas regulare candelabrum [a] ad instar ecclesiæ beati Petri apostoli. Fecit et ibidem in oratorio sancto quod Præsepe dicitur imaginem auream Dei Genitricis, amplectentem Salvatorem Dominum Deum nostrum, cum gemmis [b] diversis, pens. libras quinque. Hic renovavit tectum sancti Chrysogoni martyris, et cameram sive parietum picturas, ciborium autem de argento seu arcus quinque, pens. in unum libras ccxx ; ubi obtulit coronas argenteas quatuor, pharacanthara duo, patenam argenteam unam, calicem argenteum unum. seu etiam et vestes altaris, necnon et vela serica alba, ornata blatto, circumquaque pendentia.

197 Construxitque monasterium erga eumdem titulum sanctorum martyrum Stephani, Laurentii atque Chrysogoni, constituens ibidem abbatem et monachorum congregationem ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo diurnis atque nocturnis temporibus, ordinatam secundum instar [c] officiorum ecclesiæ beati Petri apostoli, segregatum videlicet a jure potestatis presbyteri prædicti tituli. In quo monasterio pro sustentatione ibidem idem ipse sanctissimus vir prædia et dona atque familiam largitus est. Et diversi alii fideles et amatores Domini nostri Jesu Christi in eodem monasterio sanctorum Stephani, Laurentii atque Chrysogoni prædia et dona devotissimi contulerunt. Simili etiam modo renovavit monasterium sanctorum Joannis Evangelistæ, Joannis Baptistæ, et sancti Pancratii secus ecclesiam Salvatoris antiquitus institutum [d], quod ab omni ordine monachio [e] exstiterat nimia incuria destitutum. In quo prædia et dona contulit, et quæ invenerat de ipso monasterio alienata, reddito pretio, in eumdem locum restituit ; ubi et congregationem monachorum et abbatem constituit ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinæ in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur juxta Lateranis, diurnis nocturnisque temporibus ordinata, juxta instar officiorum ecclesiæ beati Petri apostoli.

198 Item imaginem sanctæ Dei Genitricis antiquam deargentavit, ac investivit argento mundissimo, pens. lib. quinquaginta. Item fecit patenam auream magnam cum diversis lapidibus, pens. lib. xxvi ; et calicem similiter cum gemmis, pens. lib. triginta quatuor : similiter et Evangelia aurea cum gemmis, pens. lib. quindecim. Fecit autem et tectum noviter simul et cameram sancti Andreæ apostoli ad sanctum Petrum apostolum, quam depinxit, et fecit in eadem basilica imaginem auream in gemmis beati Andreæ apostoli, pens. lib. octo, et intra confessionem vestivit argento, quod deauravit auro purissimo. Hic etiam basilicam sancti Calixti pontificis et martyris, pene a fundamentis dirutam, novis fabricis cum tecto construxit ac totam depinxit. Ubi contulit patenam argenteam simul et calicem et vestem altaris.

199 Item tectum basilicæ sanctorum Processi et Martiniani a novo construxit subposita pila fabricis fortissimis, post eorumdem sanctorum veneranda corpora, ad firmamentum murorum basilicæ sanctæ. Item in ecclesia beati Genesii martyris tectum noviter restauravit, ubi et altare erexit in nomine Salvatoris Domi-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *L*, candelaborum. [b] ornatam gemmis. [c] *B*, ad instar. [d] constructum. [e] monastico.

Digitized by Google

in nostri Jesu Christi, in quo contulit patenam argenteam et calicem, seu coronam argenteam cum delphinis sex, necnon et coronulam auream cum cruce pendentem super altare

200 Item in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Martyres dicitur, tectum, vetusta incuria demolitum, purgari fecit ad purum, et cum calce abundantissima seu chartis plumbeis a novo restauravit, et quæque per circuitum ejusdem tecti fuerant dissipata novo nitore construxit.

201 Item basilicam sanctæ Dei Genitricis, quæ in Aquiro dicitur, in qua antea diaconia et parvum oratorium fuit, eam a fundamentis longiorem et latiorem construxit atque depinxit. Item diaconiam sanctorum Sergii et Bacchi sitam ad beatum Petrum apostolum, in qua pridem parvum oratorium erat, a fundamentis ampliori fabrica dilatavit. Et concedens omnia quæ in usum diaconiæ existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum in diaconiæ ministerio deservire.

202 Item in cœmeterio sanctæ Petronillæ stationem annuam dari instituit, ubi obtulit coronam auream, calicem et patenam argent., seu alia diversa ad ornatum ecclesiæ pertinentia. Item accubita [a] quæ sunt ab beatum Petrum in ruinis posita, a fundamentis noviter restauravit atque depinxit. Item basilicam beati Marci, sitam foris muros hujus civitatis Romanæ, via Appia, ejus tectum dirutum a novo refecit. Item in ecclesia beati Pauli apostoli mutavit trabes numero quinque, atque totum ejusdem basilicæ tectum ab arcu altaris usque ad regias resarcivit ac restauravit. Mutavit autem trabes in sancta Dei Genitrice ad Præsepe numero quinque. Fecit vero a novo ecclesiam sanctorum Marcellini et Petri juxta Lateranis, etiam et cœmeterium beatorum martyrum Januarii, Urbani, Tiburtii, Valeriani et Maximi, et eorum tectum in ruinis positum [b] a novo perfecit [c]. Hujus temporibus plurima pars murorum hujus civitatis Romanæ restaurata est. Alimoniam quoque artificum et pretium ad emendam calcem de proprio tribuit.

203 Hujus temporibus Galliensium castrum recuperatum est, pro quo quotidie expugnabatur ducatus Romanus a ducatu Spoletino, duas pecunias non parvas Trasimundo duci eorum, ut cessarent bella et quæstiones, potuit causa finire, et in compage sanctæ reipublicæ atque in corpore Christo dilecti exercitus Romani annecti præcepit.

204 Hic fecit vestes de altari in ecclesia Salvatoris [d] Dei Genitricis, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, atque Andreæ et cæterorum in diversis ecclesiis. Nam et in Centumcellensium civitate muros dirutos pene a fundamentis fortissime construi fecit, et hoc constituit ut secundum constitutum quod a collegio sacerdotum coram sacro corpore beati Petri factum est pro celebrandis solemniis vigiliarum atque missarum Christi Domini nostri Jesu Christi, sanctæque ejus Genitricis, sanctorum apostolorum, vel omnium sanctorum martyrum, ac confessorum, perfectorumque justorum in toto orbe terrarum requiescentium, ut in oratorio nomini eorum dedicato intra ecclesiam beati Petri apostoli sub arcu principali a monachis vigiliæ celebrarentur, et a presbyteris hebdomadariis missarum solemnia : iisdemque institutis disposuit ut in cœmeteriis circumquaque positis Romæ in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas et oblationes de patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, per quem prævideret pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem.

205 Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem . presbyteros viginti quatuor, diaconos tres, episcopos per diversa loca numero octuaginta, qui

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] accubitus, qui *B*. [b] tecta in ruinis posita. [c] refecit. [d] * ad altaria ecclesiis sancti Salvatoris.

Digitized by Google

etiam venerabilem Vulcarium partibus Franciæ in civitate Vienna dato pallio archiepiscopum constituit. Qui sepultus est in basilica beati Petri apostoli quarto Kalendas Decembris. Et cessavit episcopatus ejus dies quatuor.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano XCII.

Num. 190, *lin.* 2, dies XXIII. *lin.* 7, perenniter sua monita salutaria prædicans corda fidelium.

Num 191, *lin* 6, vigore apostolicæ sedis institutionis.

Num 192, *lin* 4, Antonino Gradensi, Johanne archiepiscopo Rabenna.

Num. 200, *lin* 1, tectum vetusta caria demolitum.

Num. 203, *lin.* 1, Gallensium casterum.

Num. 204, *lin.* 5, sacerdotum. *Hic desinit Vita Greg. III in cod. Farnes.*

Ex codice Vallicellano.

Num. 190, *linea* 1, *cod Vallicel. concordat cum Reg., Max. et Thuan. et ita lin.* 2. *ibid. lin.* 9, 10, 11, 12. *ibid. et lin.* 16. *lin.* 5, exortator. *lin.* 6, florentissimæ salutaria monita prædicans, fidei catholicæ immutabilitatem conservans, corda fidelium. *lin.* 13, presbyteratus. Hunc viri Romani, seu omnis populus ad. *lin.* 15, permoti, dum ejus decessor.

Num 191, *lin* 1, *cod. Vallicell. concordat cum Reg., Max. et Thuan. et ita lin* 3, 6, 11, 12, 13 *et* 17. *lin* 3, Domini Jesu Christi. *lin* 8, porrexit: sed revertens, secum in hanc civitatem Romanam detulit: et hoc domno pontifici patefecit, confitens, et se reum faciens culpæ. *lin* 14, sed nequiter argumenta dispositio imperatorum.

Num 192, *lin* 1, *cod. Vallicell.*, unde majore fidei ardore. *lin* 2, *concordat cum Reg., Max. et Thuan. lin* 3, papa, archiepiscopis Antonino Gradense archiepiscopo, cum cæteris episcopis Hesperiæ istius, et aliis Patribus innumeris, seu presbyteris. *lin* 6, diaconibus, vel cuncto clero. *lin* 7, *ut laudd. codd. et ita lin* 8, 9 *et* 16. *lin* 14, qui et, *lege* quod et, *ut in edit. Ibid.* universi sollemniter.

Num. 193, *lin.* 2, *cod. Vallicel.* similiter scripta. *lin.* 4, *ut codd. Reg., Max. et Thuan., et ita lin.* 6 *et* 7. *lin.* 8, ut anteriora detenta sunt a Sergio patricio, et Stratigo ipsius insulæ Siciliæ. Ac fere VIII mensibus detenti portitores, remissi sunt similiter cum exprobrationis injuria. Iterum faciens domnus papa adhortatorias litteras pro erigendis sacris imaginibus. *lin.* 13, ad regiam urbem.

Num. 194, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, hic venerabilis papa sex columpnas onychinas volubiles concessas sibi ab Euthicio exarcho, duxit in ecclesiam. *lin.* 3, *ut codd. Reg., Max. et Thuan. et ita lin.* 4, 5, 7 *et* 13. *lin.* 8, principalem partis virorum. *Item lin.* 8, in honore Domini Salvatoris. *lin.* 9 reliquias sanctorum apostolorum. *lin.* 10, martyrum, confessorum atque virginum, perfectorumque justorum in toto orbe terrarum quiescentium. Quorum festis, etc. *ut laudd. cod. lin.* 13, secundo loco. *lin.* 15, toto in orbe terrarum.

Num. 195, linea 1, — *Cod. Vallicel.*, quoniam institutionem. *Ibid.* in tabulis lapideis, etc., *ut codd. Reg., Max. et Thuan. lin.* 2, specierum. Gravatas aureas duas, alias saxiscas V, cruces aureas IV. Item cruces argenteas similes X. Amulas argenteas superauratas pendentes paria II, fibulatoria aurea V. *lin.* 5, *ut laudd. codd. lin.* 6, patenas et calices aureos cum gemmis II. Aquamanus, etc., *ut iidem Codd. lin.* 8, col. aureum cum geminis, et inaures pendentes cum sex iacinthis. Faciem quoque altaris. *lin.* 9, cum regiolis. *lin.* 10 *ut laudd. codd. et ita lin.* 11, 12 *et* 14. *lin.* 13, super eandem absidam.

Num. 196, linea 4. — *Cod. Vallicel. concordat cum Reg., Max., et Thuan. et ita lin.* 6, picturas fecit etiam ibi ciborium de argento. *lin.* 7, pens. libras CCX, obtulit ibi coronas. *lin.* 8, calicem argenteum, seu *lin.* 9, vela sirica alba, ornata blattio.

Num. 197, *lin* 1, *cod. Vallicel.*, contruxit et monasterium circa eundem titulum. *lin* 2, Grisogoni. *lin* 3, laudes diurnis atque nocturnis temporibus ordinatum. *lin* 5 *concordat cum Reg., Max. et Thuan. et ita lin* 6, 8, 10, 11, 12, 13 et 18. *lin* 7, sed et alii diversi fideles. *lin* 17, diuturnis: *lege* diurnis, *ut in edit. Ibid.* ordinatam.

Num. 198, *cod. Vallicel. ubique concordat cum Reg., Max. et Thuan.*

Num. 200, *lin* 2, *cod. Vallicel.* vetusta caria. *sec. curis* carie. *lin* 2, *ut codd. Reg., Max. et Thuan.*

Num. 201, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Max. et Thuan. lin* 3, diaconiam Sergii et Bachi.

Num. 202, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, beatæ Petronillæ statione annue dari. *lin.* 2, argenteam, seu et alia. *lin.* 3, item ad acubida. *lin.* 4, item in basilica sancti Marci sita. *lin.* 5, *concordat cum Reg., Max. et Thu. et ita lin.* 6 *et* 7. *lin.* 8, regias recurrens restauravit. Mutavit quoque trabes in ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe. *lin.* 10, Lateranis. In cimeteriis quoque beatorum martyrum. *lin.* 11, Valeriani (et Maximicorum: *mendose*) tecta in ruinis posita a novo refecit. Hujus temporibus. *lin.* 15, ipso artificum et pretium ad emendum calcem de proprio tribuente.

Num. 203, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, Ejus temporibus. *Ib.* cotidie, *lin.* 2, a ducatu Spolitino datis pecuniis non parvis Transimundo.

Num. 204, *lin.* 1, *cod. Vallicel.* Hic fecit vestes ad altaria in ecclesia scilicet Domini Salvatoris, sanctæ Dei Genitricis, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, atque Andreæ, et cæterorum sanctorum in diversis ecclesiis. In Centumcellensium quoque civitate. *lin.* 4, *concordat cum Reg., Max. et Thu. lin.* 6, Christi Domini Dei nostri, sanctæque ejus genitricis, vel omnium sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, perfectorumque justorum toto in orbe terrarum. *lin.* 9, beati Petri sub archu. *lin.* 11, 13 *et ibidem, ut laudd. codd.*

Num. 205. *Hic numerus non habetur in cod. Vallicellano.*

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 190, *lin.* 2, *A*, dies 27. *B*, d. 25. *lin.* 7, *A*, perenniter sua monita conservari prædicans, *B*, perenniter sua monita prædicans. *lin.* 9, *B*, erga inopum provisionem. *lin.* 10, *A*, orphanis quoque et viduis largiter necessaria tribuens, *B*, orphanorum quoque viduarum largiter, etc. *lin.* 11, *A*, religiositatis normæque Christianæ amator, religiose vivere Dominique timorem volentibus habere in suis præcordiis, *B*, amator religiositatis Christianæ, et religiose vivere studens, ac Dei timorem habere in suis præcordiis delectator existens. *lin.* 15, Hunc dum decessor ejus de hoc sæculo migrasset, dum ante feretrum in obsequio sui antecessoris inventus esset, viri Romani, seu omnis populus a magno usque ad parvum divina inspiratione permoti, subito vi attollentes in pontif. etc.

Num. 191, *lin.* 4, *AB*, de quibus idem. *lin.* 6, *B*. apostolicæ institutionis. *lin.* 14, argumentosa dispositio, *B*.

Num 194, *lin* 3, *B*, Filopares, *B*, septingentas.

Num 198, *lin* 3, *B*, lib 29.

Ex codice Regio Mazarino et Thuano.

Num. 190, *lin.* 1, Gregorius nat. Syr. *lin.* 2, dies

Digitized by Google

24 : hic fuit vir mitiss. *ib.* sap. div. *lin* 6, p. florentissima et salutaria monita prædicans, fidei catholicæ et apostolicæ immutabilitatem conservans, corda fid. *lin* 9, et erga inopum provisionem non. s. *lin* 10, r. orphanis quoque et viduis largiter necessaria tribuens. *lin* 11, rel. et Christianæ normæ. *lin* 12, tim. habere. *lin.* 13, exist. Hic talis Deo fav. *lin ead.*, presbyt. Hunc viri Romani a parvo usque ad magnum, seu omnis populus d. i. permotus, dum ejus decessor de hoc sæculo migrasset. *lin* 16, inventus esset subito eum vi abstrahentes in P.

Num 191, *lin* 1, Leonis imperatoris, et C. filii ejus, ea p. g. *lin* 3, et s. ejus genitr. omniumque sanctorum, pro quibus idem venerabilis vir. *lin* 6, sc. juxta vigorem et institutionem apostolicæ sedis, quemadm. *lin* 7 per Gregorium (*M*, per Georgium). *lin* 8, porr. sed revertens secum in hanc civitatem Romanam detulit, et hæc domino pontif. patefecit, confitens et se reum faciens culpæ. *lin* 11, priv. residens in concilio, sed. *lin* 12, sed magis pœnitentiæ submitteretur, imposita ei d. p. *lin* 13, eum cum eadem auctoritate scripta ad reg. *lin* 14, argumenta disp. imper. *lin* 16, transire. *lin* 17, int. exiliore legavit.

Num 192, *lin* 2, conv. celebravit coram s. c. sacratissimi corporis. *lin* 3, papa, archiepiscopis Antonino Gradense, archiepiscopo Joanne, archiep. Ravennæ. *lin* 5, episc. Hesperiæ istius, et aliis patribus num. 93. *lin* 6, D. vel c. cl. *lin* 7, plebibus simul et decr. *lin* 8, cons. Apost. eccl. fidelem usum contemnens. *lin* 9, imag. Dei, et D. n. et sanctæ genitr. ejus Mariæ semp. virg. vel aliorum omnium sanctorum depositor, vel d. aut pr. *lin* 16. anathema sanxer.

Num 193, *lin* 3, portit. eor. pene per annum intreg. fort. c. contr. Post. *lin* 6, cuncta etiam gener. *lin* 7, supplicat. sc. *lin* 8, ut a detenta sunt a S. p. et stratigo. *lin* 9 *et* 10, ac fere octo mensibus detenti portitores remissi similiter cum exprobrationibus. Iterum faciens domnus papa adh. litt. pro erigendis sacris imag. *lin* 12, direxerunt p. P. d. ad reg. u.

Num 194, *lin* 1, Hic venerabilis papa sex columnas onychinas volut concessas sibi ab ep. ex. duxit in eccl. *lin* 3, sev philopares. *lin* 4, in quibus s. exp. *lin* 5, et ab alio Dei Genitr. *lin.* 7, lib DCC. Fecit quoque orat. *lin* 8 et 9, in honore s. S. ej. g. reliquias sanctorum apost. *lin* 10, mart atque virginum et confess. *lin* 11, in toto o. terr quiescentium. *lin ead*, quorum festis vigiliarum atque natalitiorum per ordinem existentium a mon ter serv quotidie missas celebrari instit. In can miss. *lin* 14, hoc adi a sac die.

Num 195, *lin* 1, in tab lap conscribi fecit, et faciens ibi pergulam. *lin* 2, sp. gravatas aur duas, alias saxiscas qu. cruces aureas 4; item cruces similes 10, amulas argenteas superauratas pendentes paria duo, fibulatoria aurea quinque. *lin* 5, c. cruce gemm orn sup alt pend. *lin* 6, patenas et calices cum gemmis 2 aureos; aquamanus arg duas imaginem s. Dei Genitr habentem d. aur c. g. *lin* 8, col aur c. g. et inaures hab cum sex jacinthinis, faciem quoque altaris *lin.* 9, cum regiolis. *lin* 10, In tribus etiam. *lin* 11, 26. *lin* 12, arg quinque calicem aureum unum. *lin* 14, perg seu et in vestibus alt ordinata s. fecit etiam in eccl.

Num 196, *lin* 4, Dominum nostrum, ornatam g. *lin* 5, ipse ren. *lin* 6, pict. Fecit etiam ibi cib. de a. *lin.* 7, pens lib 210, obtulit ibi cor. *lin* 9, seu etiam v. alt. *lin ead* blattio.

Num 197, *lin* 1, *ibid.* const et mon circa eundem. *linea* 5, beati Petri, segr quoque a. i. *lin* 6, pro sust sanctorum virorum præd. *lin* 7, et alii fid. *lin* 8, Chr eidem monasterio sanctorum martyrum prædia et dona multa devotissime contulerunt. Simili modo ren. *lin* 10, et Jo. Bapt. *lin* 11, eccl S. Salvat. *lin* 12, monachico. *lin* 15 et quæ invenit. *lin* 18, Petri. Item.

Num 198, *lin* 1, imag s. Dei Genitr antiquam investivit arg m. *lin* 2, fecit et pat. *lin* 3, calicem quoque aureum cum gemm pens lib 29 simil. *lin* 5, fecit autem noviter, et t. simul, et cam in ecclesia s. A. *lin* 6, quam et dep et fecit *lin.* 7, imag aur b. Andreæ cum gemm pens lib 8. *lin* 7 *et* 8, introgressionem. *lin* 8 *et* 9, item basil s. C. *lin* 10, pat arg et cal seu et vestes altaris.

Num 200, *lin* 3, pl. noviter.

Num 201, *lin* 1, in adchiro. *lin* 3, Bachi.

Num 202, *lin* 1, b. Petr stationem annue dari i. *lin* 2, seu, et al. di. *lin* 3, ad accubida, *lege*, Item accubita. *lin* 4, item in basilica beati Marci, sita. *lin* 5, Appia tectum dir. *lin* 6 *et* 7, trabes quinque. *lin* 8, regias recurrens restaur; mutavit quoque tr. s. Dei Gen ecclesiæ ad pr. *lin* 10, Later in cimiteriis quoque beatorum martyrum. *lin* 11, Max eorum tecta in ruin posita a n. refecit. Hujus temporibus concussa est provincia Romanorum dictioni subjecta nefandorum Longobardorum, seu et regi eorum Leuprando. Veniensque Romam in campo Neronis tentoria tetendit, deprædataque Campania multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit atque vestivit. Pro quo vir Dei undique dolore constrictus, sacras claves ex confessione beati Petri apost accipiens, partibus Franciæ Karolo sagacissimo viro, qui tunc regnum regebat Francorum, navali itinere per missos suos direxit. Idem per Anastasium sanctissimum virum episcopum, necnon et Sergium presbyterum postulantes a præfato excellentissimo Karolo ut eos a tanta oppressione Longobardorum liberaret. Hujus temp. *lin* 13, rest est ipso alimoniam artif. *lin* 14, tribuente.

Num 203, *lin* 1, cujus temp *ib.* Galientium. *lin* 2, datis pecuniis non parvis. *lin* 3, quæst et sic causa finita est *lin* 4, atque a Deo dilecti exercitus Romani eum adnecti præcepit.

Num 204, *lin* 1, hic fecit vestes ad altaria in ecclesiis scilicet Domini Salvatoris, sanctæ Dei Genitricis, sanctorum Apost Petri, et Pauli cæt Sanctorum in d. eccl. In Centumcellentium quoque civitate. *lin* 4, fecit. Hoc etiam constituit secundum constitutum servatum, quod a coll. *lin* 6, Domini nostri, sanctæque ejus Genitr omniumque sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum perf. *lin* 11, His denique institutis disp. *lin* 13, deportentur. *lin* 14, per sacerdotem, quem præv pont qui p. t. f. Hic f.

Num 205, *lin* 3, in partib Franc. *lin* 4, arch eum esse const. *lin* 5, et cess episc dies 8.

Ex codice Thuano altero.

Num 190, *lin* 1, Gregorius nat. *lin* 7, immutilate conservare p. *lin* 11, relig. Christianæ normæ, et r. *lin* 12, tim. habere in s. p. delictis resistens. *lin* 13, presbyteris, *lin* 14, omnis pop. *lin* 16, inventus.

Num 191, *lin* 3, ac sanct. apost. *lin* 8, idem. *lin* 9, deducens. *lin* 10, ipsum vol. a. o. s. privare cum resid. c. et obs. *lin* 16, ret. eum fecit. *lin* 17, int. exilio rel.

Num 192, *lin* 3, papa, archiep. *lin* 15, cæt. statuta pr. præcesso. *lin* 16, senserunt.

Num 193, *lin* 2, alia sc. comm. *lin* 7, supplicationis sc. *lin* 9, abstulta sunt a s. P. et stratico

Num 194, *lin* 1, volutiles. *lin* 3, filopares. *lin* 5, A, ex alio lat. *lin* 7, lib DCC *lin* 8, ex parte vir.

Num 195, *lin* 4, similes. *lin* 5, num 10. *lin* 6, *scribe* in g. *lin* 9 et 10, cum regiolis v. *lin* 10, arg 5 pend. *lin* 11, calices argenteos 2 quotidianios cor. *lin* 13, absida, *et ib.* absidam.

Num 196, *lin* 4 *et* 5, in gemmis. *lin* 6, ciborium etiam de a. *lin* 7, 210. *lin* 9, seu etiam vestes. *lin ead* blateo.

Num 197, *lin* 9, devotissime. *lin* 12, monachico. *lin* 14 *et* 15, Ab. æque const.

Num 198, *lin* 1, inv de arg. *lin* 2, pat de auro m.

Digitized by Google

c. d. l. p. lib 26 ; calicem s. in gemmis, pens lib 29. *lin* 4, aurea in g. *lin* 7, lib 7. *lin* 9, disruptam.

Num 199, *lin* 5, in quo obtulit.

Num 200, *lin* 3, plumb noviter r.

Num 201, *lin* 1, Genitr quam Aciro, in q.

Num 202, *lin* 2, coronam, calicem. *lin* 3 *et* 4, in ruina p. *lin* 8, restruxit, ac r. m. a. t. in ecclesia sanctæ Dei Genitricis. *lin* 9, fecit vero eccl. *lin* 12, hujus temporibus concussaque est provincia Romanorum ditioni subjecta a nefandis Longobardis, seu et rege eorum Luitprando, veniensque Romam in campo Neronis, tentoria tetendit, deprædataque Campania multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit atque vestivit; pro quo vir Dei undique dolore constrictus, sacras claves ex confessione beati Petri apostoli accipiens, partibus Franciæ Carolo sagacissimo viro, qui tunc regnum regebat Francorum, navali itinere per missos suos direxit per Anastasium sanctissimum virum episcopum, necnon et Sergium presbyterum, postulandum a præfato excellentiss. Carolo, ut eos a tanta oppressione Longobardorum liberaret. Eodem tempore necessitate compulsus plurima, et c. *lin* 13, alimonia.

Num 203, *lin* 1, hujus denique t. G. *lin* 3, causam fin.

Num 204, *lin* 1, hicque f. *lin* 3, Centumcellensi civit. *lin* 11; isdemque inst d.

Num 205, *lin.* 3, ven virum Vulc. *lin* 5, Dec per indictionem 10, et cess episc dies 8.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 190, *lin* 7, conservari, *lin* 12, habentes.

Num 191, *lin* 9, sec hic in, *lin.* 13, 14, cum easdem auctas scriptas.

Num 192, *lin* 1, permotus synod. *lin* 4, archiepiscopo Rav. *lin* 5, istius superiæ p. numero seu pr. *lin* 6, diac. vel c. *lin* 7, astant. ut si quis.

Num 193, *lin* 4, earum. *lin* 6, injuriis rem. *lin* 7, supplicationem. *lin* 10, poritores, et it. fac adort.

Num 194, *lin* 1, volutiles. *lin* 3, erga presb. *lin* 3, sex filo pares. *lin* 13, in canone ita.

Num 195, lin 5, pend in gemmis insuper alt. *lin* 7, imagine s. Dei Genitr. d. aureum in gemm et coll. a. in gemmis cum gemm. *lin* 9 *et* 10, regiolis.

Num 196, *lin* 2, regulare candelarum. *lin* 9, syrica.

Num 197, *lin* 3, in eundem titulum. *lin* 9, devotissime. *lin* 12, monachico.

Num 198, *lin* 9, Calisti.

Num 200, *lin* 1, martires tectum vetusta carta. *lin* 3, et quæque per ejusdem tecti fuerat dissipatum.

Num 202, *lin* 1, annue. *lin* 7 *et* 8, et usque ad regias revissit. *lin* 9, a novo san.

Num 203, *lin* 1, castrum, pro quo.

Num 204, *lin* 2, cæteras. *lin* 4, construere. *lin eod* ut servatæ, et sec. *lin* 15, sacerdotem; et cessavit episcop dies III. *Cætera desunt in cod Peniæ.*

NOTÆ VARIORUM.

BINII ET LABBEI.

Num. 190, linea 1. — *Gregorius.* Anno 731, die 16 Februarii, electus est Gregorius III, pontifex optimus, quem sanctus Bonifacius Germanorum apostolus semel per legatos, semel proprio ad Urbem accessu de rebus fidei contra gentiles et hæreticos propagandis consuluit.

Sedit annos 10, *menses* 8, *dies* 20. Anno 741, quarto Kal. Decembris defunctus, post decennium mensibus 19 et diebus 12 sedisse recte scribit Baronius, ann. prædict.

Num 191, linea 1. — *Persecutio.* Hac persecutione Æmilianus Cyzicenus episcopus, Basilius, Procopius Decapolita, et Theophilus monachus relegati leguntur in menologio Græcorum.

Num. 193, linea 2. — *Misit alia scripta*, etc. Eadem Adrianus in epistola ad Constantinum imperatorem : « In magnam tribulationem uterque Gregorius Romani pontifices per tempora sanctissimi, conjecti sunt. Sæpius etiam proavum vestræ serenitatis admonuerunt ne sineret venerandas imagines de statu suo dejici, verum illorum salutiferæ preces animum illius nequaquam commoverunt. »

Num. 194, linea 1. — *Hic concessas sibi columnas.* Sacrarum imaginum usum, contra Leonem scriptis defensum, etiam reipsa confirmavit, quando magni pretii, Salvatoris, Dei Genitricis, apostolorum et sanctarum Virginum imagines in ecclesia beati Petri erexit.

Linea 7. — *Hic fecit oratorium.* In hoc oratorio idem pontifex sanctorum omnium reliquias, quas toto orbe Christiano colligere poterat, honorifice collocavit; idque ideo quod a Leone Iconoclasta sanctorum reliquiæ contemnerentur.

CENNII.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Post diem Februarii constanter, ut videmus, tributam morti sancti pontificis Gregorii II, vacavit sedes dies 35, ut habent tres Catalogi Colbertini et Veronensis, Codicesque omnes tum nostri tum Ambrosiani, præter quartum, qui cum vulgatis, Freheriano altero et Cavensi, habent mensem 1, dies 5. Hos Pagius vult cum primis concinere, at non vidit quod mensem enumerando, dies scilicet 2 Martii ac dies quinque, sexta decima ejusdem mensis occurrit ordinationi haud conveniens, quia in feriam VI incidit: contra vero ob bidui spatium, quod Februario deest, si 35 numerentur, ad diem 18 Martii pervenitur, nempe Dominicam *G* lit. Dom. indicatam, qua sanctus Gregorius III ordinatus fuit; idque anno emortuali prædecessoris 731.

Equidem dies tredecim aut ex interpontificio, aut ex tempore quo sedit Gregorius, expungendos videns, diu hæsi num juxta quintum et septimum Catalogos interpontificium facerem dier. 22, ita ut ordinatum dicerem Gregorium die 4 Martii, tempus enim sedis, quod in plerisque Codd. et Catalogis legitur an. 10, m. 8, d. 24, mirifice expletur die 28 Nov. an. 741, ejusdem emortuali; an potius cum Pagio sequens Catalogum Rheginonis ex 24 diebus ad sedem pertinentibus, facerem 11. At cum viderim, monumentum non adversari ullum undecunque ii tredecim auferantur, ac præterea inconstanter numerari eosdem animadverterim, quippe quos passim legere est 9, 12, 20, 22, 23, 24 et 25, idcirco Rheginonem cum Pagio præferendum sum ratus. Huc accedit quod Rhegino floruit decimo sæculo ineunte; exscriptores autem Catalogorum duodecimo et quarto decimo, quorum septimus ut plurimum mendosus deprehenditur; quintus autem aperte indicat, exscriptorem non esse assecutum notas apographi; nam interpontificio hujus simili dierum 35 occurrente, iterum videre est d. 22.

Quæ cum ita sint, Gregorius igitur III ob instaurationem ecclesiarum Urbis, et continuatam sacrarum imaginum defensionem, æque ac prædecessor memorabilis; dum astaret, obsequii causa, ejusdem funeri, ab omnibus divina inspiratione permotis, ut ait Anastasius, electus fuit. (Vide infra notas Pagii.) Idemque ordinatus die 18 Martii post interpontificium 35 dierum, anno 731. Ecclesiam turbulentissimis temporibus rexit, usque ad IV Kalendas Decembres, sive 28 Novembris, cum, ut est in Martyrologiis, obiit supremum diem anno 741, postquam sedisset annos 10, menses 8, dies 11. Ejus autem obitum spatio unius mensis præcessit Caroli majoris domus Franciæ : *Cujus filii*, ait annalista Pithoeanus,

Digitized by Google

Carlomannus et Pippinus, sub obtentu majordomatus totius Franciæ regnum suscipiunt, et inter se dividunt. Quorum ego epochem libenter constituo ob præclara regum Francorum merita erga apostolicam sedem, quæ ab eodem Pippino Caroli filio duxerunt originem. Cætera ad Gregorium spectantia lege in not. ad Zachariam.

CIACONII.

Num. 190, linea 1. — *Gregorius III*, Joannis filius Syrus S. R. E. presbyter cardinalis, imperatore Leone III Isauro, sedit annos decem, menses octo, dies 24. Creatus III Nonas Martii, consecratus XV Kal. Aprilis, anno 731 omnium consensu pontificatum iniit.

PAGII.

Num. 190, linea 15. — *Dum ante feretrum*, etc. Gregorium Græcæ Latinæque linguæ peritia, divinarum Scripturarum scientia, psalmorum, quos memoria complectebatur, intelligentia, facundia, fidei conservandæ studium, animi fortitudo et constantia, sapientia et mansuetudo singularis; paupertatis amor; pro redimendis captivis, orphanis, viduis egenisque omnibus sublevandis pia sollicitudo, in viros religiosos propensio, ita summo pontificatu dignum fecere, ut, teste Anastasio: *Viri Romani, seu omnis populus a magno ad parvum divina inspiratione permoti, subito cum ejus decessor de hoc sæculo migrasset, dum in obsequio sui antecessoris esset intentus, vi abstollentes in pontificatus ordinem* eum elegerint. Idem scribit Frodoardus in fragmento de Romanis pontificibus:

Insistens patris exsequiis de funere raptus
Eximitur, lectusque ad regmina summa vocatur.

Licet porro Gregorius III pontifex electus fuerit statim ac Gregorius II mortem oppetiit, ejus tamen ordinatio dilata est usque ad diem 18 mensis Martii, trigesimum quintum a decessoris morte, quia ejus confirmatio petenda fuit ab exarcho Ravennatensi, qua servitute liberata est Ecclesia Romana post mortem Gregorii III, ut in Zachariæ successoris pontificatu videbitur. Ex his Anastasii et Frodoardi verbis etiam erui mihi posse videtur formulam litterarum, quas post electum pontificem clerus Romanus scribebat ad exarchum, ad judices, ad archiepiscopum et apocrisiarium Ravennæ, quibus electionem factam referebant, et confirmandam petebant, quæque exstat cap. 2 libri diurni pontificum Romanorum, scriptam non esse post mortem Gregorii II, ad petendam scilicet confirmationem Gregorii III, quia hic post mortem decessoris *subito, et dum in obsequio sui antecessoris esset intentus*, ut ait Anastasius, vel dum insisteret antecessoris *exequiis*, ut scribit Frodoardus, electus est; ille vero cujus his litteris postulabatur confirmatio, post triduum tantum a morte decessoris, ut in iisdem legitur. Præterea tempore electionis Gregorii, sede vacante, regimen Ecclesiæ erat penes electum pontificem non vero penes archipresbyterum, archidiaconum et primicerium notariorum, ut in Benedicto II probavimus, ideoque hanc formulam, quam Papebrochius in Conatu Chronico-Historic. in dissert. pontificatui Gregorii II subjuncta, existimans eamdem nondum lucem vidisse, integram recitat, longe ante Gregorium III exaratam esse verisimile crediderim.

Num 191, linea 5. — *Commonitoria scripta.* Gregorius inito pontificatu, cultum sacrarum imaginum, qui ab imperatoribus Leone et Constantino impugnabatur, sibi defendendum existimans, litteras subito ad eos scripsit, ad tam pravam opinionem abjiciendam adhortans; quas litteras Gregorius presbyter, qui pertulit, reddere præ metu persecutionis, qua his temporibus Leo imp. multos tam episcopos quam patricios, omnisque generis homines, in exsilium expulit vel neci tradidit, reddere non ausus, re infecta Romam rediit, easque ad pontificem integras retulit. Qua de causa gravissime a pontifice exceptus, fuisset etiam in synodo, ea de re Romæ celebrata, depositus, nisi intercessione Patrum ejusdem synodi iram pontificis mitigasset; quod tamen ea conditione fecit, ut idem ipse Gregorius presbyter iterum cum iisdem litteris Constantinopolim peteret. Verum imperator cum in Sicilia retineri, scripta auferri et in exsilium amandari iussit, quæ omnia tradit Anastasius.

Num. 194, linea 1. — *Hic concessas*, etc. Sanctissimus pontifex Gregorius, non solum scriptis, sed etiam factis adversus impietatem imperatoris obnixus est in cultu sacrarum imaginum, et veneratione sanctarum reliquiarum. Anastasius enim superius dictis addit eum imagines Salvatoris et apostolorum ex una parte, Deiparæ et sanctarum virginum ex altera in basilica sancti Petri magnifico opere erexisse; ibidemque construxisse oratorium, in quo sacras reliquias undique conquisitas ad cultum condidit, sanctorumque natalitia sacris officiis et missis quotidie celebrari statuit a monachis trium monasteriorum illic Domino ministrantium: et tandem a sacerdote in ipso oratorio missas agente hanc clausulam in canone, post illa verba, *et omnium sanctorum tuorum*, dici instituisse: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum*, quam institutionem in eodem oratorio in tabulis lapideis conscribere fecit. Sed hoc specialiter pro illo oratorio instituit Gregorius, atque ideo, ut notat Walfridus, cap. 22, non est canoni qui generaliter dicitur adnotatum. Cardinalis Bona, lib. III Rerum liturgic., cap. 11, num. 2, in magno illo Missalium mss. quæ pervolvit numero, unum duntaxat se reperisse testatur in quo hæc verba ascripta sint, quod exstat in bibliotheca Barberina, Cod. 1858. Similem tamen clausulam exhibere codicem Colbertinum num. 2585, qui fuit olim monasterii sancti Dionysii in Francia, observat Edmundus Martene, lib. I de antiquis Ecclesiæ Ritibus, cap. 4, art. 8, num. 16. In eo enim habetur: *Necnon et illorum martyrum quorum hodie solemnis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* Cæterum has similesve additiones, interrogatus ea de re a Guillelmo abbate sancti Albani, haudquaquam improbavit Innocentius III, ut scribit Matthæus Paris in Vitis abbatum sancti Albini. De canone missæ vide dicta in Gelasio.

Num 202, linea 12. — *Hujus temporibus*, etc. Anno septingentesimo quadragesimo Luitprandus Longobardorum rex Romam obsidione cinxit, eo quod Trasamundus Spoletanus et Godescalcus Beneventanus, duces sibi infensi, essent in amicitia Romani pontificis. Quare Gregorius anno septingentesimo quadragesimo primo duplicem legationem ad Carolum Martellum majorem domus regiæ Francorum cum clavibus sancti Petri et particulis catenarum misit, duplicemque ad eum scripsit epistolam eo concilio, *ut eos a tanta oppressione Longobardorum liberaret*, inquit Anastasius, qui unius quidem tantum legationis meminit obitæ per Anastasium episcopum et Sergium presbyterum. Sed duplicem legationem ad Carolum a Gregorio missam habemus ex continuatore Fredegarii, qui cap. 110 scribit Gregorium, non solum opem Caroli contra Longobardos implorasse, sed etiam contra imperatorem, qui, ut ait Baronius, concitaverat regem Longobardorum contra Ecclesiam Romanam: « Eo tempore, inquit Continuator, bis a Roma beatus papa Gregorius claves venerandi sepulcri cum vinculis sancti Petri et muneribus magnis et infinitis, aut (quod antea nullis auditum legationem visum temporibus fuit) memorato principi (nempe Carolo) destinavit. » Cujus duplicis legationis hæc ratio profertur ab eodem Anonymo: « Eo pacto patrato, ut ad partes imperatoris recederet et Romanum con-

Digitized by Google

sulatum (seu patriciatum) præfato principi Carolo sanciret. »

Gregorium non solum contra Longobardos, sed etiam contra imperatorem auxilium postulasse, expresse legitur in Annalibus Metensibus, qui in collectione Historicorum Francorum Duchesnii exstant: « Anno 741, Carolus princeps domitis circumquaque positis gentibus, dum ea quæ pacis erant infra sui regiminis terminos disponeret, bis eodem anno legationem beatissimi Gregorii papæ ab apostolica sede directam suscepit. Qui sibi claves venerandi sepulcri principis apostolorum Petri, ejusdemque pretiosa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt; quod antea nulli Francorum principi a quolibet præsule Romanæ urbis directum fuit. Epistolam quoque decreto Romanorum principem sibi prædictus præsul Gregorius miserat, quod sese populus Romanus, relicta imperatoris dominatione, ad suam defensionem et invictam clementiam convertere voluisset. » Ex quo etiam liquet duplicem legationem illam pertinere ad annum 741, Gregoriumque a Carolo petiisse ut ab imperatoris parte recederet.

Quid legationibus litterisque Gregorii III responderit Carolus, nullus veterum prodidit; sed eas Carolo gratissimas accidisse nos edocet Continuator Fredegarii, qui in sua Appendice scribit: « Ipse mirifico ac magnifico honore ipsam legationem recepit, munera pretiosa contulit, atque cum magnis præmiis cum suis sodalibus missis Grimonem abbatem Corbeiensis monasterii et Sygobertum reclusum basilicæ sancti Dionysii martyris Romam ad limina sancti Petri et sancti Pauli destinavit. » Cum hæc legatio Carolo gratissima fuerit, non dubium quin per missos Luitprando regi bellum denuntiarit, nisi ditione Romana quamprimum excederet, et Luitprandum, ejus minis ab incœpto deterritum, papiam unde venerat rediisse, retentis tamen, ut habet Anastasius, oppidis quatuor quæ occupaverat, quæ postea sub Zacharia Gregorii successore restituta sunt, ut ibidem dicemus. Auxilia pontifici promisisse Carolum dubitandi etiam locus non est, sed cum eodem anno 741, obierit, ea præstare non potuit.

Porro ex his Continuatoris Fredegarii et Annalistæ Metensis verbis deducitur consulatum, seu, ut auctor criticæ Baronii fuse explicat, patriciatum Carolo Gregorium III obtulisse, cum posterior dicat populum Romanum relicta imperatoris dominatione ad suam defensionem Carolum vocasse. Patricii enim dignitas conferebatur illis qui ad defensionem Ecclesiarum et inopum adversus vim potentiorum eligebantur, ut liquet ex formula a Paulo Diacono in Hist. Longobard. in ms. Vaticano relata, qua princeps patricium renuntiabat: « Hinc honorem tibi concedimus, ut Ecclesiis Dei et pauperibus legem facias, et inde apud altissimum Judicem rationem reddas. Tunc induat eum imperator mantum, et ponat ei in dextro indice annulum, et det ei bombacinum propria manu scriptum: Esto Patricius misericors et justus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum et dimittat. » Importabat patriciatus jus quoddam protectionis extraordinarium, ut explicat Marca, lib. I de Concordia, cap. 12, num. 1, quod Ecclesiis sibi non subditis, adversus potentiorum vim publicam aut privatam, impertiri solent illi qui alias ex munere suo ad id non obligantur; licet enim principes Ecclesias in regnis suis constitutas ex officio tueri teneantur; illud tamen jus protectionis ordinarium est, et a jurisdictione pendet. Jus illud extraordinarium protectionis concedebatur proceribus viris, qui vocabantur *patroni*, *defensores*, *protectores*, et *advocati*, qui protectionem et defensionem singularem Ecclesiis particularibus impendebant, præter eam quæ a regibus ex ordine disciplinæ publicæ exspectabatur.

Sed patriciatus Ecclesiæ Romanæ, seu patricii Romanorum nomen, duo quædam complectebantur, et jurisdictionem qua reges Francorum in Urbe ex consensu pontificis et populi Romani potiebantur, et protectionem, seu defensionem, quam Romanæ Ecclesiæ polliciti erant, quæ defensio pactis cum Romanis pontificibus initis constituta erat. Pactorum illorum initium de protectione cum Ecclesia Romana conventorum confert Marca in hæc tempora, quibus Gregorius III se suamque Ecclesiam tuitioni Caroli Francorum ducis commisit; et protectionem istam novis quibusdam legibus, a Pippino rege Francorum et Stephano II pontifice Romano, qui patricii dignitatem Pippino et ejus filiis attribuit, firmatam fuisse scribit. His itaque difficillimis temporibus Carolum Martellum patricium Romanorum et defensorem Ecclesiæ dictum esse, præter Fredegarii Continuatorem laudatum, evidenter insinuant Carolus Magnus et Ludovicus pius imperatores: ille in divisione regni sui anno 806 inter filios facta, in qua ait: « Super omnia autem jubemus ut ipsi tres fratres curam et defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo et beatæ memoriæ genitore Pippino rege, et a nobis postea suscepta est, et ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, et justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet et ratio postulaverit, habere faciant. » Idem habet Ludovicus Pius in divisione regni sui, quam Goldastus, tomo II imperial. Constitut., et Baluzius., tomo I Capit., anno 837, auctor vero criticæ Baronii rectius anno 835 factam existimat: « Super omnia jubemus atque præcipimus ut ipsi tres fratres curam et defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam a proavo nostro Carolo et avo nostro Pippino, et beatæ memoriæ Carolo genitore nostro imperatore, et a nobis postea suscepta est. » Ex quibus concludendum est Carolum Martellum primum fuisse omnium principum Francorum, aut cujusque alterius gentis, qui Urbis Ecclesiæque Romanæ patrocinium suscepit. Qui plura hac de re cupit, consulat Marcam laudatum, et criticum Baronii ad annum 740.

Ex legatione illa Gregorii III ad Carolum Martellum, penes quem Franciæ tunc omnis administratio erat, orta videtur origo nuntiorum apostolicorum in Francia. Tunc enim primum apocrisiarii Romanæ sedis in Francia visi sunt, qui bis cum Carolo Martello egerunt, ut auxilio consilioque Romanis esset. Qui Romanum pontificatum post Gregorium III gesserunt, inquit Cointius in Annal. ecclesiast. Franc. ad annum 740, num. 7, ii frequentius nuntios direxerunt in Franciam, resque eo devenit, ut præter legatos, qui pro novis causis emergentibus Roma mittebantur, apocrisiarius apostolicæ sedis in comitatu regis assidue maneret, nec raro id muneris a Romano pontifice collatum est ei quem rex archicapellanum palatii sui constituerat.

BENCINI.

Num 192, linea 1. — *Synodale decretum.* Hoc constitutum synodale editum est in secunda synodo Romana a Gregorio II. Synodi illius fragmenta aliquot reservavit Adrianus I in epistola ad Carolum, pro sanctis imaginibus.

Linea 15. — *Inter cætera instituta.* Celeberrimum encyclicum scriptum, a synodo Romana vulgatum, reliquis pontificiis decretalibus annexum fuisse, asserit Anastasius. Codicem itaque supponit exstitisse, in quo pontificum decretales epistolæ insererentur ad fidem faciendam, eumdemque in scriniis apostolicis religiose diligenterque fuisse asservatum. Et quidem pontificis Gregorii I ævo Codex hujusmodi expetebatur in provinciis ad fidei disciplinæque vigorem retinendum. Secundinus enim monachus et inclusus petierat a Gregorio Magno decretorum pontificiorum exscriptionem; ad quem rescribens Gregorius, lib. VII, epist. 54, pag. 255, ait: « De ordinationibus vero apostolicæ sedis pontificum, utrum post beatissimum virum Hormisdam aliqua sint addita, vestra charitas requirit: sed usque ad Vigilii

Digitized by Google

papæ tempora expositas ordinationes præsulum esse cognoscat. » Quoties igitur solemniora decreta aliqua evulgabantur a pontificibus, una cum synodorum, quas haberi contingeret, assensu et confirmatione ea corpori seu Codici eidem Decretalium annectebantur; quod præsens decreverat synodus. Ejusdem moris exemplum alterum recensetur in Gestis Leonis IV, ubi hæc occurrunt : « Quæ etiam capitula, ut in futurum ab omnibus illibata servarentur, post cætera decreta pontificum in sanctis canonibus jussit ascribi. »

ALTASERRA.

Num. 194, linea 13. — *Natalitiorum missas.* Missæ natalitiorum seu natalium martyrum sunt missæ diei solemnis eorum ultimi agonis, quia eo die nati sunt Christo. Anastas. in Gregorio III : *In die natalitiorum eorum, id est sanctorum apostolorum et martyrum.* Idem in Adriano : *In natali pontificis.* Ambros., sermon. 72 : *Natali, sicut dicunt, imminente vindemia, natalem ejus martyrii procuramus.* Tertull. de Coron milit., cap. 3 : *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.*

In canone missæ hoc adjecit. Canon missæ est solemnis oratio, qua conficitur corpus Domini. Ordo Rom. de sacrific. miss., cap. 12 : *Orationem quam canonem sive actionem, propter regularem sacramentorum confectionem, Romano more appellamus.* Et ita intelligendus est Gregor., lib. VII, epist. 63, *quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis.* Et Leo Ostiens. Chronic. Cassin. lib. II, cap. 94 : *Cumque ad eum canonis locum pervenisset, quo virorum solent recenseri nomina.*

Num. 195, linea 1. — *Quam institutionem In eodem oratorio tabulis lapideis conscribere fecit, in quo faciens pergulam contulit dona diversarum specierum.* Gregorius pontifex condidit oratorium juxta basilicam beati Petri, et in eo exstruxit pergulam, in qua proposuit varia dona a se oblata. In ecclesiis donaria oblata proponuntur in pergula. Anastas. infr. hoc loco : « Et super eamdem absidem cruces argenteas tres, et cætera quæ in ornamento pergulæ, seu ad vestes altaris ordinatæ sunt. » Eo alludens Tertullian., advers. Valentinian., cap. 7 : « Aliis atque aliis pergulis superstructis, et unicuique Deo per totidem scalas distributis. » Pergula est locus seu appendix ædium qua prospicitur in publicum. Diutino carcere multatus Fulvius, tempore belli Punici II, quod cum corona rosacea e pergula in forum spectare visus esset, Plin., lib. XXI, cap. 3 : « Lucius Fulvius bello Punico II cum corona rosacea interdiu e pergula sua in forum prospexisse dictus est, auctoritate senatus in carcerem addictus, non ante finem belli emissus est. » Apellem tabulas pictas proposuisse in pergula, et post tabulas latuisse, ut transeuntium judicia exciperet, scribit idem lib. XXXV, cap. 10 : « Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vilia quæ notarentur auscultabat. » Servi etiam venum exponebantur in pergula. Plautus in Pseudolo.

Te ipsam culleo ergo eras faciam deportere in pergulam.

Linea 2. — *Gabathas aureas duas, alias saxicas numero quinque.* Gabathæ sunt patellæ cavæ ex auro, vel argento, vel ære, in quibus ardebat oleum Anastas. in Honorio : « Fecit et gabathas aureas quatuor, pensantes singulas libras singulas. » Etymon nominis signat Papias : *Gabatha patella vas quasi cavata.* Hinc a Prasinis derisus Phocas quasi per insaniam gabatha, vice poculi, uteretur. Anastas. in Histor : « Phocas autem fecit circenses ludum, et Prasini conviciis eum lacessere præsumpserunt clamantes : In gabatha bibisti, iterum sensum perdidisti. » Est quoddam genus gabatharum quæ dicuntur saxicæ vel saxiscæ. Anastas. in Benedict. III : « Gabatham saxiscam ex argento purissimo unam, pensantem libras numero tres. » Forte quasi Saxoniciæ, quod inventæ essent in Saxonia, quæ est provincia Germaniæ, ut Saxonicia est quoddam genus vestis, petitum a gente Saxonum. Auctor Quæst. utriusq. Testam., cap. 127 : « Nunquid non tunica mediocris hominis, quamvis munda, imperatori tamen sordida et illicita est, similiter et Saxonicia senatori. » Vel quia venibant et fiebant Romæ in vico Saxonum. Unde Urbe fuit vicus Saxonum, cujus meminit Anastas. in Leone IV : « In ipso pontificii sui exordio Saxonum vicum validus ignis invasit. » Aliæ sunt gabathæ, quæ dicuntur interrasiles. Anastas. in Leone III : « Gabathas interrasiles novem, pensantes libras undecim. » Interrasiles dictæ, quia erant quasi derasæ, id est, puræ et simplices sine cælatura. Idem in Gregorio IV : « Gabathas interrasiles quinque cum pedibus suis. » Sic aurum interrasile quasi derasum et æquatum. Plin., lib. XII, cap. 19 : « Coronas ex cinnamo, interrasili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolii atque Pacis dicavit imperator Vespasianus Augustus. » Hanc interpretationem juvat idem lib. XVII, cap. 23 : « Deraso cortice quatenus obruatur, unde et rasilem volunt deprimere sulco. » Gabathæ fiebant in modum leonum vel aliarum belluarum. Idem in eodem : « Item gabatham saxiscam habet in modum leonis. » Gabathis insculpebantur gryphes et aliæ belluæ. Anastas. in Leone III : « Gabathas argenteas habentes gryphes deauratos. » Et ibid. : « Gabatha saxisca in modum leonis. » Gabathæ pendebant in pergula ante altare. Anastas. in Leone III : « Necnon et gabathas fecit ex auro purissimo quindecim cum gemmis pendentes in pergula ante altare. » Gabathæ genus patinæ veteribus notum. Martial., lib. VII, epig. 47 :

Transcurrunt gabathæ, volantque lances.

Linea 4. — *Amulas superauratas paria duo pendentes. Fibulatoria numero quinque.* De armis seu amulis dictum est supra. Fibulatoria sunt vestes ecclesiasticæ, ut dalmaticæ et similes, quæ fibulis connectuntur. Anastas. in Leone IV : « Fibulatoriæ majora et minora quinque. » Trebell. Pollio in Claudino : « Saga fibulatoria. » Fibula est vinculum ex auro, argento vel ære, quo vestes subnectuntur. Eo sensu conjunctivam velut fibulam apponi, ad conjungendas partes orationis, ait Tertull. advers. Hermogen. : « Nam et artem velut fibula conjunctivæ ad connexum orationi appositum est. » Hinc fibula pro ipsa veste fibulata. Leo Ostiens. Chronic. Cass., lib. I, cap. 28 : « Phialis quoque et humulis, bocis, ac fibulis auri purissimi. » Virg., Æneid. IV :

Aurea purpuream subnectis fibula vestem.

Valer. Flacc. Argon. I :

At tibi collectas solvit jam fibula vestes.

His affinia sunt campestria, seu succinctoria, quibus juvenes succingebantur, cum se exercerent in Campo Martio : unde et campestrium nomen. August. de Civit. Dei, lib. XIV, cap. 16 : « Et fecerunt sibi campestria, id est, succinctoria genitalium : porro autem campestria Latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum quod juvenes qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant, unde qui ita succincti sunt campestratos vulgus appellat. » Unde campestrati, succinctoria habentes. Luitprand., lib. VI, cap. 4 : « Adducti sunt autem duo pueri nudi, sed campestrati, id est, succinctoria habentes. »

Linea 7. — *Aquamanile argenteum par unum.* Aquamanile est vas e quo aqua funditur manus lavandi causa. Anastas. in Sixto III : « Aquæmaniles argenteos, pensantes singulos libras octo. » Paulus in l. 3, ff. *de supellect. legat.* : « Vasa aquaria, pelves, aquimanilia. » Varro de Vit. pop. Rom., lib. II : « Urceolum aquæ manile vocamus, quod eo aqua in trulleum effundatur. » Aquamanus Anastas. inf. in Leone III : « Fecit aquamanus auri pempto deauratas paria duo. »

Linea 8. — *Et collare aureum cum gemmis pendens*

Digitized by Google

tibus. Colbre est monile e gemmis, colli mulierum ornamentum. Virgil. Æneid. I :

. . . . . Colloque monile bacatum.

Ammian., lib. XX : « Jubebatur diadema proferre, negansque unquam se habuisse uxoris colli, vel capitis, poscebatur. »

Linea 9. — *Et faciem altaris et confessionem cum regulis vestivit argento.* Regulæ sunt virgæ ex auro, argento vel ære, vel ferro, e quibus ducuntur vela ante altare vel sacras imagines. Paul. Varnefrid., de Gest. Longobard., lib. III, cap. 61 : « Multos in itinere negotiatione sua deceperunt, venundantes regulas æris, quæ ita nescio quomodo erant coloratæ, ut auri probati atque examinati speciem simularent. » Aliis locis regulares vocat Anastas. in Stephano IV : « Fecit enim et tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines in frontispicio constitutæ sunt. » Idem in Adriano : « In introitu Ecclesiæ presbyterii, ubi et regularem ex argento investito fecit, et posuit super eumdem regularem præfatas tres imagines. In superiori vero ruga, id est, in medio presbyterii, faciens aliam regularem ex argento investito. » Idem in Leone III : « Vela modica de stauraci quatuor, quæ pendent in regulari ante imagines. » Et infra : « Fecit et columnas argenteas sex, et regulares duos ex argento purissimo, pensantes simul libras octuaginta. » Idem in Paschali : « Fecit etiam ante vestibulum altaris, regularem investitum ex laminis argenteis. »

Linea 12. — *Coronulas argenteas numero quinque.* Coronæ vel coronulæ aureæ, vel argenteæ, erant donaria quæ sæpius offerebantur a fidelibus, ut infra hoc loco : « Necnon et coronulam auream cum cruce pendentem super altare. » Coronula est diminutivum coronæ : rursus diminutivum coronulæ est cornula. Matth. Paris ad ann. 1247 : « Et cornula aurea quæ vulgariter garlanda dicitur. » Inde manavit vernaculum *cornette.*

Num 196, linea 1. — *Hic fecit in ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe per circuitum super columnas regulare candelabrorum ad instar ecclesiæ beati Petri apostoli.* Regulare candelabrorum est linea seu ordo candelabrorum, quæ ordine disposita erant.

Linea 9. — *Vela serica alba ornata blatto,* id est, blatteo limbo. Blatta idem est quod purpura. Trebellius Pellio in Claudio : « Cum ab eo uxor peteret ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit : Absit ut auro fila pensentur; libra enim auri tunc libra serici fuit. » Gregor. Tur., Hist. lib. II, cap. 38 : « Igitur ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit, et in basilica beati Martini tunica blattea indutus et chlamyde. »

Num. 197, linea 1. — *Construxitque monasterium erga eumdem titulum sanctorum martyrum Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem abbatem et monachorum congregationem, ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo diurnis atque nocturnis temporibus ordinatam, ad instar officiorum ecclesiæ beati Petri apostoli.* Basilica sancti Chrysogoni martyris est titulus cardinalis. In eo Gregorius III condidit monasterium, et in eo instituit abbatem et congregationem monachorum, ad celebrandum divinum officium per diem et noctem, ad exemplum ecclesiæ beati Petri. Ab ecclesia beati Petri ad alias omnes sæculares et regulares manavit mos celebrandi divina officia suis horis die noctuque. Et hæ sunt quæ dicuntur Horæ canonicæ, quia divina officia recitantur certis horis videlicet hora matutina, prima, tertia, sexta, nona, vespera. Anastas. in Adriano : « Porro et in basilica beatæ Eugeniæ monasterium puellarum noviter ibidem a fundamentis ædificans, constituit ut jugiter illic Deo canerent laudes, videlicet hora prima, tertia, sexta, nona, vespera, matutina. » Augustin., de Tempor., serm. 55 : « Et ideo rogo vos, fratres charissimi, ad vigilias maturius surgite; ad tertiam, ad sextam, ad nonam ante omnia convenite. » Idem, serm. 78, de Tempore : « Attentius tamen rogo et admoneo, fratres, ut ad vigilias maturius surgere studeatis; ad tertiam, ad sextam, ad nonam feliciter veniatis. » Similiter Gregorius III monasterium restituisse memoratur infra hoc loco, juxta basilicam Lateranensem, ad celebranda ibi officia diurno nocturnoque tempore, instar officiorum ecclesiæ beati Petri. Et Adrianus instituit ut in monasterio Honorii papæ Horæ canonicæ celebrarentur, ut in ecclesia Lateranensi. Anastas. in Adriano : « Et constituit eos, ut in basilica Salvatoris, quæ et Constantiniana dicta est, juxta Lateranense patriarchium posita, et officia celebrarent, hoc est, matutinam horam, primam, tertiam, sextam, sed et nonam etiam et vespertinam. » Idem statuisse memoratur infr. in monasterio sancti Laurentii.

Linea 5. — *Segregatum videlicet a jure potestatis presbyteri prædicti tituli.* Gregor. III condidit monasterium in ecclesia sancti Chrysogoni martyris, quæ est titulus cardinalis, exemptum tamen a jurisdictione presbyteri cardinalis dicti tituli : quia generaliter servatur in Urbe, ut nullum monasterium titulo cardinali sit subjectum, cap. *Dilectus,* extr. *de capell. monach.*

Num 198, linea 5. — *Fecit autem et tectum novum, simul et cameram sancti Andreæ apostoli ad sanctum Petrum apostolum, quod depinxit.* Ecclesias depingi moris antiqui est. Anastas. infr. hoc loco : « Hic etiam basilicam sancti Calixti pontificis et martyris, pene a fundamentis dirutam, novis fabricis cum tecto construxit, ac totam depinxit. » Et infra : « Item basilicam sanctæ Dei Genitricis, quæ in Aquiro dicitur, in qua antea diaconia, et parvum oratorium fuit, eam a fundamentis longiorem et latiorem construxit atque depinxit. » De quo fusius diximus in Gregor. Tur., lib. II, cap. 17.

Num 202, linea 3. — *Item accubita quæ sunt ad beatum Petrum in ruinis posita, a fundamentis noviter restauravit atque depinxit.* Accubitum proprie est lectulus tricliniaris, in quo accumbitur epularum causa. Lamprid. in Heliogabalo : « Non cubuit in accubitis facile, nisi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares. Sæpe culcitras mutans vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat. » Interdum accubitum significabat cœnaculum, in quo accubita disponebantur. Anastas. in Leone III : « Itemque fecit in patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis, in quo loco et accubita collocavit. » Et infra eod. « Fecit et atrii domum, in qua etiam et accubitos collocavit. » Idem in Leone IV : « Nam et accubitum quod domnus Leo bonæ memoriæ papa III a fundamentis construxerat, et omnia ornamenta quæ ibi paraverat, præ nimia vetustate et oblivione antecessorum pontificum deleta sunt, et in die natalis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, tam domnus Gregorius quam et domnus Sergius sanctæ recordationis, ibidem minime epulabantur. Isdem vero beatissimus et summus præsul Leo IV cum gaudio et nimia delectatione omnia ornamenta sive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, et ad usum pristinum magnifice revocavit. » Inde restituendus locus mendosus ejusdem in Gregorio IV : « Fecit etiam juxta acoliti pro quiete pontificis, ubi post orationes matutinales, vel missarum officia, ejus valeant membra soporari, hospitium parvum, sed honeste constructum. » Lege *juxta accubita,* quæ erant scil. ad basilicam beati Petri.

Num. 203, linea 1. — *Hujus temporibus Gallicensium castrum recuperatum est, pro quo quotidie expugnabatur ducatus Romanus a ducatu Spoletino, dans pecunias non parvas.* Tempore Longobardorum Italia divisa erat in ducatus : singulæ provinciæ ducatus dicebantur, ut ducatus Romanus, ducatus Spoletinus, ducatus Forojuliensis. Paul. Varnefrid., de Gest. Longobard. lib. IV, cap. 52 : « Circa hæc

Digitized by Google

tempora mortuo apud eorum Julii Grasulfo duce Forojulliensi, ducatum Hago regendum suscepit. Apud Spoletum quoque Theuldelapis defuncto Attone eidem civitati ductor efficitur. » Per hæc tempora ditio Romana multa passa est a Luitprando rege Longobardorum, ob causam Trasimundi, ducis Spoletani, qui Romam rege persequente confugerat, et ita ducatu Romano obsidione ablatæ sunt quatuor urbes, Ameria, Hortas, Polimartium et Blera, de quo Anastas. in Zachar.

Num. 204, linea 4. — *Et hoc constituit ut, secundum constitutum quod a collegio sacerdotum eorum sacro corpore beati Petri factum est, pro celebrandis solemniis vigiliarum atque missarum Domini nostri Jesu Christi sanctæque ejus Genitricis, sanctorum apostolorum, vel omnium sanctorum martyrum ac confessorum, perfectorumque justorum toto in orbe terrarum requiescentium, ut in oratorio nomini eorum dedicato, intra ecclesiam beati Petri apostoli sub arcu principali a monachis vigiliæ celebrarentur, et a presbyteris hebdomadariis missarum solemnia.* Constitutum hoc continet duo capita. Unum, ut vigiliæ sanctorum apostolorum, martyrum et confessorum toto orbe quiescentium celebrarentur a presbyteris hebdomadariis. In ecclesia beati Petri erant presbyteri heddomadarii, qui per hebdomadas missas celebrabant : de quibus Anastas. in Hilaro, ubi dixi.

Linea 11. — *Iisdemque constitutis disposuit, ut in cœmeteriis circumquaque positis Romæ, in die natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, et oblationes de patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, per quem prævideret pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem.* Gregorii III constitutum est ut in die natalium apostolorum et martyrum, in cœmeteriis luminaria ad vigilias celebrandas, et oblationes, id est panis et vinum, ad missas celebrandas e patriarchio Lateranensi deportentur per oblationarium, quod ante constitutum a Joanne III, ut observatum est ex Anastas. in Joanne. Oblationarius est subdiaconus, qui oblationes, id est, panem, vinum destinatum sacrificio missæ, suscipiebat e manu pontificis, et deinde eum tradebat archidiacono. Ordo Romanus de offic. miss : « Oblationes autem a pontifice suscipit subdiaconus, et ponit in sindonem qui eum sequitur, quam tenent duo acolythi. » Et infr. « Deinde archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, et dat pontifici, » etc.

Num 205, linea 3. — *Ven. Vulcarium partibus Franciæ in Vienna dato pallio archiepiscopum constituit.* Archiepiscopus dicitur constitui dato pallio, quia per pallium confertur plenitudo pontificalis officii, cap. *Nisi de auctor. et usu pallii.*

MAFEI.

Num. 14, lin 7, *Hic fecit oratorium intra eamdem basilicam.* Quo crudelius impius imperator Leo Isaurus contra sacras imagines earumque cultores in Oriente desæviebat eo impensius in Occidente sanctus Gregorius III catholicum dogma de veneratione sanctorum scriptis ac factis curabat stabilire. Semel et iterum per apocrisiarios comminatorias litteras dedit ad Leonem, quibus illum ab hæresi atque ab impietate revocaret. In basilica sancti Petri synodo nonaginta trium episcoporum convocata, iconomachos anathematis mucrone percussit. Salvatoris et apostolorum imagines ex una parte ejusdem basilicæ, ex altera imaginem Deiparæ, et sanctarum virginum, magnifico opere collocavit. Ibidem oratorium construxit, in quo sanctorum lipsana toto orbe conquisita, religiosæ venerationis causa honorifice condidit. Erat inter hæc corpus beati Gabinii presbyteri, eique ara statuta, ad quam Sardinia et Corsica tributum quotannis mittebant. Erat etiam altare beatæ Mariæ semper virginis una cum ejus imagine Filium amplexantis. Altaria hæc perstiterunt in Gregoriano oratorio ad ætatem usque Eugenii papæ III, ut testatur in Descriptione basilicæ Vaticanæ canonicus Romanus, qui tum interfuit, cum jubente eodem Eugenio, antiqua altaria diruta fuerunt, ibique novum a fundamentis excitatum. Ut autem hoc oratorium in dies magis ac magis cœlitum diaretur suffragio, voluit idem Gregorius natalitias eorum celebritates quotidie solemnes esse sacris officiis per monachos trium monasteriorum in Vaticana basilica Deo inservientes, persolvendis. A sacerdote vero in eodem oratorio rem sacram faciente post illa canonis verba : *et omnium sanctorum tuorum*, sequentia recitari : *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum ;* ut scribit Anastasius hoc loco, cui plane consonat Walfridus Strabo, scriptor paris ætatis, capite 22, ubi, « Gregorius, inquit, III faciens oratorium in basilica beati Petri in honorem omnium sanctorum, et quotidiana ibidem officia ac missas in eorum venerationem constituens celebrari, instituit in canone a sacerdote dicendum : *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum ;* quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est canoni qui generaliter dicitur adnotatum. » Cum enim verba per sanctum Gregorium III instituta solummodo in prædicto oratorio a sacerdote divinis operante essent dicenda plane sequitur canoni, qui ex ipsismet Domini verbis, ex apostolicis traditionibus, atque ex institutionibus sanctorum pontificum constat, nihil omnino post sanctum Gregorium Magnum additum fuisse aut immutatum, ut optime observat non minus dignitate quam eruditione illustrissimus archiepiscopus Ravennæ Hieronymus Crispi, in secunda editione aureæ Dissertationis de Mysteriis evangelicæ legis, pag 110, quæ, ad profectum illius cleri primum concinnata, bis communi bono est Romæ tvois commissa.

SOMMIER.

Num 202, linea 12. — *Hujus temporibus*, etc. Ultionem Leo meditabatur Italiæ, ac præsertim pontificis, quem fautorem Italæ defectionis autumabat. Classi propterea instructæ præfecit Manem e suis ducibus valentiorem. « Ast imperator, ait Theophanes in Leone, contra papam, atque recessum Romæ, ac Italiæ sæviebat : constructumque stolum magnum direxit adversus eum, Manem prætorem Cyberrotensium caput in eo constituens. » Interea pontifex rebus suis prospexerat legatione adornata ad Carolum Martellum Francorum principem, a quo petebat auxilia tum pro sancta sede, tum pro Romano populo, qui Leonis detrectabat imperium. De ea legatione loquuntur præ aliis Annales Metenses (*Apud Duchesne*, in Collect Hist Franc), in quibus hæc leguntur : « Anno 741, Carolus princeps bis eodem anno legationem beatissimi Gregorii papæ ab apostolica sede directam suscepit... epistolam quoque decreto Romanorum principum sibi prædictus præsul Gregorius miserat, quod sese populus Romanus relicta imperatoris dominatione ad suam defensionem et invictam clementiam convertere voluisset. »

Ab eodem Carolo auxilia quoque flagitaverat adversus Longobardos (*epist.* 5 *et* 6) Italiam opprimentes, multaque inferentes incommoda sanctæ sedi. Hanc vero Deus, nulla hominum ope interveniente, mirabiliter tutus est adversus iram Leonis. Ejus namque classem inter imperium et Italiam tempestas valida adorta est, partemque disjecit in scopulis, partem in altis fluctibus sepelivit. Nec tamen Leo ad meliorem frugem ob id rediit. At : « Tunc (Theophan. *loc. cit.*) impugnator Dei peramplius sæviens, cum Arabico sensu teneretur adversus imagines, tributa capitalia tertiæ parti Siciliæ, seu Calabriæ super imposuit. Ea vero, quæ dicuntur patrimonia sanctorum principum apostolorum, quæ olim et Ecclesiis auri dimidium et

Digitized by Google

tria conferebant argenti talenta publicæ rationi exsolvi præcepit; considerare etiam ac describere natos mares jubens, ut Pharao quondam eos qui erant ex Hebræis. »

Quamobrem imperium novo hoc Pharaone imperante terribiles æque plagas est passum ac veteri sub Pharaone olim Ægyptus afflicta erat. In illud Saraceni irrumpentes provincias devastaverunt. Fames subinde ac pestis earum desolationem perfecerunt: atque ob calamitatis incrementum horribili terræmotu præcipuæ illius urbes subversæ plerosque incolas ruderibus contriverunt. Cæterum quod malorum omnium pessimum hic divinæ iræ manceps imperator subditis importavit, successorem iis reliquit filium suum Constantinum Copronymum, qui et impietate et omni scelerum genere parenti longe antecelluit.

Num 205, linea 2. — *Episcopos per diversa loca*, etc. Bonifacius episcopus ad Germaniæ conversionem olim missus, rationem eorum quæ illic evenerant pontifici reddiderat per suas litteras. Quare pontifex grati animi æstimationisque causa archiepiscopi dignitatem illi contulit, misitque pallium, quo tempore uti eodem deberet significans: « Tibi sacri pallii direximus munus, quod beati Petri apostoli auctoritate suscipiens induaris; atque inter archiepiscopos unus, Deo auctore, præcipimus ut censearis. Qualiter autem eo utaris, ex mandato apostolico informatus agnosce. Itaque dum missarum solemnia agis, vel episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodo tempore eo utaris. » (Greg. III, *ep.* 1, *ad Bonif.*) Præterea facultatem ei concessit creandi episcopos juxta leges sacrorum canonum: « Præcipimus, ut juxta sacrorum canonum statuta, ubi multitudo excreverit fidelium, ex vigore apostolicæ sedis debeas ordinare episcopos, pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas episcopatus. » (*Ibid.*)

Baptizari oportere docet in nomine sanctissimæ Trinitatis, quos pagani alio modo baptizaverint. Equina carne Christianos vesci prohibere eum jubet, severamque transgressoribus pœnam imponere. Pro defunctis orandum, eorumque a presbyteris in missæ sacrificio mentionem faciendam. Consilium dandum ne plusquam semel et iterum quis nuberet. Parricidio pœnitentiam, quoad vita superesset, injungendam, nec nisi in mortis articulo communionem iis dandam. Homicidarum instar eos habendos qui mancipia ad immolandum paganis venderent. Episcopi consecrationem semper faciendam coram duobus aliis episcopis. De his omnibus illum admonet.

Deinde cum Bonifacius ipse venisset Romam, trinas ei discedenti dedit litteras, primas ad episcopos omnes, presbyteros et abbates, quos in itinere habuisset obvios, eos enim hortabatur, ne ullum detinerent morarenturque ex ecclesiasticis eorum jurisdictionis, si qui cum Bonifacio ad infideles convertendos vellent proficisci. Alteras ad proceres populumque provinciarum recens conversarum; eosque deprecabatur ut propria ejus ministerium auctoritate fulcirent, proscriberentque e suis ditionibus quotquot superstitiones idololatria reliquas ibidem fecerat. Tertias vero ad episcopos Bajoariæ et Germaniæ, quibus se declarasse significat vicarium suum apostolicum in eorum diœcesibus Bonifacium, fecisseque ei potestatem convocandi synodos ubicunque expedire visum esset, ac sanctæ sedi nuntiandi quidquid in eis factum esset.

Reversus Bonifacius ad missionem suam, Bajoariam invisit, ubi reperit omnigenam in clero corruptelam, ob episcoporum inopiam; dum unus duntaxat vastam eam provinciam moderabatur, idemque nec cathedralem Urbem, nec territorium habebat. Quare is alios tres ibi constituit ducis procerumque accedente consensu, et cathedrales quatuor erexit Salisburgensem, Frisingensem, Ratisponensem, et Passaviensem; quæ omnia nuntiavit pontifici. Hic autem nihil eorum improbans: « Quia, inquit, indicasti perrexisse te ad gentem Bajoariorum et invenisse eos extra ordinem ecclesiasticum viventes, dum episcopos non habeant in provincias, nisi unum nomine Vivilo, quem nos ante tempus ordinavimus, et quia cum assensu Orilonis ducis eorumdem Bajoariorum, seu optimatum provinciæ illius, tres ordinasses episcopos, et in quatuor partes provinciam illam divisisses, id est in quatuor parochias, ut unusquisque episcopus suam habeat parochiam, bene et satis prudenter peregisti, frater, quoniam apostolicam præceptionem ex nostra vice implesti, et sicut tibi præcipimus ita peregisti » (*ejusd. ep.* 7, *ad eumd. Willib., in Vita sancti Bonifacii*, cap. 31). Cum Gregorius renuntiavit archiepiscopum Bonifacium nullam in iis provinciis metropolim erexerat, haud hærere eum volens particulari ulli episcopatui, ut generalem omnium curam susciperet.

XCIII. SANCTUS ZACHARIAS.

ANNO CHRISTI 742, CONSTANTINI COPRONYMI 2.

206 Zacharias, natione Græcus, ex patre Polychronio, sedit annos decem, menses tres, dies quatuordecim [a]. Vir mitissimus atque suavis omnique bonitate ornatus, amator cleri et omnis populi Romani, tardus ad irascendum et velox ad miserandum, nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens, sed pius ac misericors a tempore ordinationis suæ omnibus factus, etiam et his qui ante sui fuerant persecutores bona pro malis reddidit, eosque honoribus promovens simul et facultate ditavit.

207 Hic invenit totam Italiam [b] provinciam valde turbatam, simul et ducatum Romanum, persequente Luitprando, Longobardorum rege, ex occasione Trasimundi [c] ducis Spoletini, qui in hac Romana urbe, eodem rege persequente, refugium fecerat. Et dum a prædecessore ejus beatæ memoriæ Grego-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, dies 10. [b] Italiæ. [c] Transamundi.

rio papa, atque ab Stephano, quondam patricio et duce, vel omni exercitu Romano prædictus Trasimundus redditus non fuisset, obsessione facta, pro eo ab eodem rege ablatæ sunt a Romano ducatu civitates quatuor, id est, Ameria, Hortas [a], Polimartium et Blera. Et sic isdem rex ad suum palatium est reversus per mensem Augustum, indict. VII. Trasimundus vero dux, habito consilio cum Romanis collectoque generali exercitu ducatus Romani, ingressi sunt [b] per duas partes in fines ducatus Spoletani. Qui continuo timore ductus [c] præ multitudine exercitus Romani, eidem Trasimundo se subdiderunt Marsicani, et Forconini, atque Balvenses [d], seu Prinenses. Deinde ingressi per Sabinense [e] territorium, venerunt in Reatinam civitatem. Qui [f] Reatini continuo et ipsi se subdiderunt.

208 Exinde pergentes ingressus est Spoletum [g] per mensem Decembrem prædicta indict. Eratque magna turbatio inter Romanos et Longobardos. Quoniam et Beneventani et Spoletani cum Romanis tenebant [h]. Sed dum idem Trasimundus Spoletinus dux noluit implere quæ prædicto pontifici et patricio simul et Romanis promiserat pro recolligendis quatuor civitatibus, quæ pro eo perierant, et aliis, quæ spoponderat capitula; et prænominatus rex ad motionem [i] contra ducatum Romanum se præpararet : in his prædictis beatæ memoriæ Gregorius papa divina vocatione ex hac luce subtractus est, et divino nutu prænominatus sanctissimus Zacharias in pontificatum est electus. Cui omnipotens Deus tantam contulit gratiam, ut etiam pro salute populi Romani suam ponere animam non dubitaret. Missa igitur legatione apud jam dictum regem Longobardorum, salutaria illi prædicavit. Cujus sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor, quas a ducatu [j] Romano abstulerat, civitates reddere promisit. Dumque motione militum facta ad comprehendendum Trasimundum ducem Spoletinum conjungeret se, exhortatione sancti viri exercitus Romanus in adjutorium prædicti regis egressi sunt [k]. Et dum ipse Trasimundus suam deceptionem conspiceret, egressus a Spoletana civitate sese prædicto tradidit regi [l].

209 Dumque isdem rex [m] protraheret dilationem ad reddendum juxta suam promissionem jam factam, quatuor [n] civitates, prænominatus pontifex, ut vere pastor populi sibi a Deo crediti, spem ponens in Deum, egressus ex hac Romana civitate cum sacerdotibus et clero, perrexit fiducialiter et audacter ad ambulandum in locum Interamnensium urbis, ubi in finibus Spoletinis ipse residebat rex. Qui dum in Ortanam convenisset civitatem, ipseque rex ejus cognovisset adventum, misit Grimoaldum missum suum, qui ei obvius factus usque ad Narniensem perduxit civitatem. Ad cujus sancti viri adventum obviam jam nominatus rex misit duces, satrapas suos pluremque [o] exercitum, et a Narniensium civitate octavo fere milliario eodem rege eum suscipiente. Sextæ feriæ die perduxerunt ad basilicam beati Valentini episcopi et martyris, sitam in prædicta Interamnensium urbe ducatus Spoletini [p]. Ante cujus fores basilicæ isdem rex cum reliquis optimatibus et exercitu suo sanctum virum suscepit. Factaque oratione mutua, et salutatione [q] sibi persolventes dum divinis eum fuisset commonitus colloquiis, impensaque charitate ab eadem egressus ecclesia in ejus obsequium rex dimidium fere milliarium perrexit, et sic in suis tentoriis uterque eadem feriæ sextæ die sunt morati.

210 Sabbato vero iterum convenientes divina perfusus gratia Deo placitis

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Ortas. [b] ingressus est. [c] ducti. [d] Valvenses, atque Pennenses. [e] Persianimense, vel Ravennense. [f] e quibus. [g] ingressi sunt Spoletinum. [h] juncti erant. [i] admonitione exercitus facta. [j] B. Duce. [k] egressus est. [l] *Baron. ann.* 742. [m] *B*, Luitprandus. [n] *B*, jam fatas 4. [o] magnumque. [p] Spoletani. [q] mutuam salutationem.

Digitized by Google

admonitionibus eum est allocutus, prædicans ei [a] ab hostili motione et sanguinis effusione quiescere, et ea quæ pacis sunt semper sectari. Cujus piis eloquiis flexus, et constantiam sancti viri et admonitionem admiratus, omnia quæcunque ab eo petiit, per gratiam Spiritus sancti obtinuit, et prædictas quatuor civitates, quas ipse ante biennium per obsessionem factam pro prædicto Trasimundo duce Spoletino abstulerat, eidem sancto cum eorum habitatoribus redonavit viro. Quas et per donationem firmavit in oratorio Salvatoris, sito intra ecclesiam beati Petri apostoli, in ejus nomine ædificato. Nam et Sabinense patrimonium, quod per annos prope triginta fuerat ablatum, atque Narniense etiam et Auximanum atque Anchonitanum, necnon et Numanatense [b], et vallem quæ vocatur Magna, sitam in territorio Sutrino, per donationis titulum ipsi beato Petro apostolorum principi reconcessit, et pacem cum ducatu Romano ipse rex in viginti confirmavit annos. Sed et captivos omnes quos detinebat ex diversis provinciis Romanorum, missis litteris suis tam in Tusciam suam quamque trans Padum, una cum Ravennatibus captivis, Leonem, Sergium, Victorem et Agnellum [c] consules [d] prædicto beatissimo redonavit pontifici.

211 In prædicta vero basilica beati Valentini per ejusdem regis petitionem in locum Consignensis [e] Antistitis, qui transierat, alium ordinavit episcopum. In cujus consecratione dum adesset ipse rex cum suis judicibus, compunctione inspirationis divinæ tantæ orationis dulcedine ab eó sunt prolata, ut cum sanctum virum conspicerent fundere preces, plures ex eisdem Longobardis ad lacrymas sunt permoti. Eodem vero die Dominico, post peracta missarum solemnia, ad prandium eumdem regem ad apostolicam benedictionem suscipiendam ipse beatissimus pontifex invitavit. Ubi cum tanta suavitate esum sumpsit, et hilaritate cordis, ut diceret ipse rex tantum se nunquam meminisse comessatum [f]. Alia vero die, quæ fuit secunda feria, vale faciens ei ipse rex, misit in ejus obsequium Agiprandum [g] ducem Clusinum, nepotem suum, seu Tacipertum castaldium in ejus obsequium, et Ramingum [h] castaldum Tuscanensem, atque Grimoaldum, qui eidem sancto viro usque ad prædictas civitates obsequium facerent, easdemque civitates cum suis habitatoribus traderent, quod et factum est.

212 In primis Amerinam civitatem, deinde Hortanam, dumque in Polimartio castro convenissent, eumque recepisset, et fuisset itineris longitudo per circuitum finium reipublicæ eundi usque ad Bleranam civitatem per partes Sutrinæ civitatis per fines Longobardorum Tusciæ, quia de propinquo erat, id est per castrum Viterbium [i], ipse missus regis Grimoaldus eumdem beatissimum pontificem perduxit usque ad Bleranam civitatem, quam et ipsi sancto viro prænominatus Ramingus castaldius et jam dictus Grimoaldus missus contradiderunt. Et sic regressus est, Deo propitio, cum victoriæ palma in hanc urbem Romam. Qui etiam omnem populum aggregans, eos est allocutus, ut ad persolvendas omnipotenti Deo gratiarum actiones ab ecclesia Dei Genitricis, quæ vocatur ad Martyres, egressi omnes cum letania generaliter properarent ad beatum Principem apostolorum; et ita factum est.

213 [j] His autem expletis indict. x, in subsequenti indict. xi, dum nimium opprimeret prædictus rex provinciam Ravennatium, fuissetque præparatus ad motionem faciendam et obsidendam Ravennatium urbem, cognita motione ejusdem regis, Eutychius excellentissimus patricius et exarchus, una cum

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] eum. [b] *B*, Polimarense. [c] Agellum. [d] *B*, consulares. [e] *C*, Consentini. *B*, Constantini. [f] *C* comedisse. *B*, a se comesum. [g] *B*, Aldeprandum. [h] *B*, Raningum. [i] Laternium. [j] *Baron. ann.* 743.

Digitized by Google

Joanne archiepiscopo Ecclesiæ Ravennatis, atque universo populo prædictæ civitatis ac civitatum Pentapoleos et Æmiliæ, facta in scriptis obsecratione prædicto sancto miserunt viro, petentes ut pro eorum curreret [a] liberatione. Qui sanctus vir, missa legatione et muneribus ad obsecrandum eumdem regem per Benedictum episcopum et vicedominum, atque Ambrosium primicerium notariorum, petiit ut a motione cessaret, et Cesenatense Ravennatibus redderet castrum; sed passus non est. Cujus dum duram perseverantiam conspiceret jam nominatus sanctissimus vir, tropæo fidei munitus, relicta Romana urbe jam dicto Stephano patricio et duci ad gubernandum, non sicut mercenarius, sed sicut vere pastor relictis ovibus, ad eas quæ perituræ erant redimendas occurrit. Quo egresso itinere dum se orationibus commendaret beato apostolorum principi Petro cum suis sacerdotibus et clero cum viatoribus, nutu omnipotentis Dei, ut non calore urerentur per diem, usque ad locum ubi tentoria figebant, nubes eos tegebat, quæ ad vesperum residebat [b]. Alio autem die in eorum protectione erat divinitus instituta, cui obviam occurrit denominatus excellentissimus exarchus usque ad basilicam beati Christophori, positam in loco qui vocatur ad Aquilam, quinquagesimo fere milliario a Ravennatium urbe. Ipsa vero nubes cum eis usque ad basilicam sancti Apollinaris in Ravennatium urbem tegendo conviavit. Exinde factum est signum, ut sanctum pontificem quo erat iturus in Ticinensium urbem acies igneæ in nubibus præcederent. Egressus autem de civitate Ravennatensi, viri ac mulieres diversi sexus, et ætatis agentes gratias omnipotenti Deo, profusis lacrymis eumdem sanctum susceperunt pontificem, clamantes atque dicentes : Bene venit [c] pastor noster, qui suas reliquit oves, et ad nos, qui perituri eramus, liberandos occurrit.

214 Ex eadem quoque Ravennatium urbe misit papa, ad prænominatum regem, Stephanum presbyterum et Ambrosium primicerium, qui annuntiarint ei suum adventum. Qui viri ingressi in finibus [d] Longobardorum in civitatem quæ vocatur Imola, cognoscentes qui præpoditionem [e] nitebantur facere prædicto sancto viro, ne illuc ambularet, per epistolam scriptam per noctis silentium nuntiaverunt. Quo cognito jam nominatus pontifex, lucescente die Sabbato, non mortis timore perterritus, sed Christi fretus auxilio, audacter egressus de Ravennatium urbe in finibus [f] Longobardorum ingressus, sesquipes factus est suis missis. Quos quidem præcedentes ante eum, jam dictus rex, dolore perculsus, suscipere noluit. Ipse vero summus pontifex vicesima octava die mensis Junii ad Padum convenit, ubi et ad suscipiendum eum ipse rex suos misit optimates; cum quibus Ticinum conveniens, ubi ipse residebat rex, foris muros ejusdem civitatis pertransiens, ad horam orationis nonam pro vigiliarum beati apostolorum principis Petri celebrandis solemniis missarum, in basilicam ejus, quæ vocatur ad Cœlum aureum, perrexit. Et post completam oblationem [g] in eamdem urbem ingressus, moratus est.

215 Alio quoque die pro natali celebrando ipsius principis apostolorum in prædicta ecclesia a prænominato rege invitatus, missarum solemnia celebravit. Ibique mutuo se invicem salutantes pariter susceperunt cibos, et sic in prænominatam civitatem regressi sunt. Quem sanctum virum alio die isdem rex per optimates suos ad suum palatium procedere invitavit. Et [h] ab eodem rege nimis honorifice susceptus salutaribus monitis eum allocutus est, obsecrans ne amplius Ravennatium provinciam opprimeret facta motione, sed magis et ablatas Ravennatium urbes sibi redonaret simul et castrum Cesinacense.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] occurreret. [b] recedebat. [c] Vehit, venit. [d] fines. [e] *B*. proditionem. [f] finis. [g] expleta libatione. [h] Qui.

Digitized by Google

216 Qui prædictus rex post multam duritiem inclinatus est fines Ravennatium urbis dilatare sicut primitus detinebantur [a]. Et duas partes territorii Cæsenæ castri ad partem Reipublicæ restituit. Tertiam vero partem de eodem castro sub obtentu retinuit, inito constituto ut usque ad Kalendas Junii, dum ejus missi a regia reverterentur urbe, idem castrum, et tertiam partem, quam pignoris causa detinebat, parti Reipublicæ restitueret. Post hæc autem is ipse rex egressus de loco in locum usque ad Padum, eidem sancto viro conviatus [b] eum deduxit. In quo loco ei vale faciens cum digna ordinatione eum [c] repedandum absolvit, dans in obsequium ejus duces et primates suos, sed et alios viros, qui sæpe dicta Ravennatium territoria et Cæsenate castrum redderent; et ita factum est.

217 Operatus est autem Deus mirabiliter, et Ravennatium atque Pentapolensium populos ab oppressione et calamitate qua detinebantur, liberavit, et saturati sunt frumento, oleo et vino. Regressus autem in urbem Romanam, cum omnibus qui secum erant gratias agentes [d] Deo, denuo natale beatorum principum apostolorum Petri et Pauli cum omni populo celebravit, et sese in orationibus dedit, petens ab omnipotenti Deo misericordiam et consolationem fieri populo Ravennatium et Romano ab insidiatore et persecutore illo Luitprando rege. Cujus preces non despiciens divina clementia, eumdem regem ante diem superius constitutum de hac subtraxit luce, et quievit omnis persecutio. Factumque est gaudium non solum Romanis et Ravennatibus, sed etiam genti Longobardorum, quoniam et Aldeprandum nepotem suum, quem ipse reliquerat regem, malivolum projecerunt de regno, et Rachisum, qui fuerat dux, sibi Longobardi elegerunt in regem. Ad quem missa relatione [e] ipse beatissimus pontifex continuo ob reverentiam principis apostolorum, et ejus precibus inclinatus [f], usque ad viginti annorum spatium inita pace universus Italiæ quievit populus.

218 Hic in Lateranensi patriarchio ante basilicam beatæ memoriæ Theodori papæ a novo fecit [g] triclinium, quod diversis marmoribus et vitio, metallis atque musivo et pictura ornavit, sed et sacris imaginibus tam oratorium beati Silvestri quamque et porticum decoravit. Ubi etiam et omnem substantiam suam per manus Ambrosii primicerii notariorum introduci mandavit. Fecit autem a fundamentis ante scrinium Lateranense porticum atque turrem, ubi et portas æreas atque cancellos instituit, et per figuram Salvatoris [h] ante fores ornavit. Et per ascendentes scalas in superioribus super eamdem turrem triclinium, et cancellos æreos construxit. Ubi et orbis terrarum descriptionem depinxit, atque diversis versiculis ornavit, et omne patriarchium pene a novo restauravit; in magna enim penuria eumdem locum invenerat. Hic in ecclesia apostolorum principum Petri et Pauli pendentia vela inter columnas ex palleis Syricis [i] fecit. Hic in ecclesia prædicti principis apostolorum omnes codices domus suæ proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinos, in armarii opere ordinavit. Hic domum cultam Lauretum [j] noviter ordinavit, adjiciens et massam Fonteianam [k], quæ cognominatur Paunaria [l].

219 Hic viginti auri libras pro emendo oleo annue, ut de lucro eorum in luminariis [m] apostolicis proficiat, instituit, et constitutum sub anathematis vinculo obligavit. Hic fecit vestem super altare beati Petri ex auro textam, habentem Nativitatem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ornavitque eam gemmis pretiosis. Simulque et vela serica alithyna quatuor, quæ et ornavit cum rotis [n]

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] quos primitus detinebat. [b] eumdem sanctum virum convians, B. comitatus. [c] C. ad. [d] agens. [e] C, legatione. [f] rex. [g] C, renovavit. [h] C, pergulam Salv. [i] sericis. [j] C, occultam Laurentum. [k] B, Fontinianam. [l] B, Paunasia. [m] C, in luminaribus. [n] C, in Rhodicis. B, in votis.

Digitized by Google

et ornamentis variis auro textis. Item fecit coronam de argento purissimo cum delphinis ex proprio suo, pens. libras centum viginti. Hic beatissimus vir juxta ritum ecclesiasticum et fidei suæ sponsionem orthodoxam, synodicam Ecclesiæ misit Constantinopolitanæ, simulque et aliam suggestionem dirigens serenissimo Constantino principi. Et pergentibus apostolicæ sedis responsalibus ad regiam urbem invenerunt intra palatium regiæ potestatis invasorem quemdam et rebellem, Artaustum [a] nomine : dum enim isdem imperator ad dimicandum contra Agarenorum properasset gentem, illico præfatus Artaustus datis populo qui in regia remanserunt urbe, præmiis, imperiale arripuit solium. Et postmodum aggregans Orientalium exercituum multitudinem antelatus [b] Constantinus princeps, pergensque Constantinopolim, eamdem viriliter expugnans, atque extrinsecus circumvallans, comprehendit civitatem, et pristinum regni sui adeptus est fastigium

220 Statimque jam fati Artausti ejusque filiorum eruit oculos, et plures ex suis rebellibus exsules a propriis fecit habitaculis. Post hæc requirens missum [c] apostolicæ sedis, qui ibidem in tempore perturbationis contigerat advenisse, eumque repertum ad sedem absolvit apostolicam, et juxta quod beatissimus pontifex postulaverat, donationem in scriptis de duabus mansis [d] quæ Nymphas et Normias appellantur, juris existentes publici, eidem sanctissimo ac beatissimo papæ sanctæ Romanæ ecclesiæ jure perpetuo direxit possidendas.

221 [e] Hujus temporibus Carolomanus, filius Caroli Francorum regis, præsentis vitæ relinquens gloriam atque potestatem terrenam, ad beatum Petrum apostolorum principem devotus cum aliquantis suis advenit fidelibus, seseque eidem Dei contulit apostolo, atque in speciali [f] habitu se fore spondens permansurum, clericatus jugum ab eodem sanctissimo suscepit pontifice. Et inter alia multa dona obtulit beato Petro apostolo ante confessionem arcum argenteum majorem, pensantem libras septuaginta. Et post aliquantum temporis ad beati Benedicti, quod in Aquinensium finibus situm est, profectus est monasterium, in quo et suam omnire vitam jure professus est jurando.

222 Porro eodem tempore contigit plures Veneticorum hanc Romanam advenisse in urbem negotiatores, et mercimonii nundinas propagantes, multitudinem mancipiorum, virilis scilicet et feminini generis emere visi sunt, quos et in Africam ad paganam gentem nitebantur deducere. Quo cognito isdem sanctissimus Pater fieri prohibuit, hoc judicans quod justum non esset ut Christi abluti baptismo paganis gentibus deservirent. Datoque eisdem Veneticis pretio, quod in eorum emptione se dedisse probati sunt, cunctos a jugo servitutis redemit atque more liberorum degendos absolvit.

223 Ipsis itaque temporibus Ratchis [g] Longobardorum rex, ad capiendam civitatem Perusinam, sicut cætera Pentapoleos oppida, vehementi profectus est cum indignatione, quam et circumdans fortiter expugnabat. Hoc audiens sanctissimus papa, continuo spe divina fretus, assumptis aliquantis ex suo clero cum optimatibus, quanto opus [quantocius?] ad eamdem pervenit civitatem, impensisque eidem regi plurimis muneribus, atque oppido eum deprecans, opitulante Domino, ab obsessione [h] ipsius civitatis eum amovit. Cui et salutifera prædicans, Deo auctore, valuit animum ejus in speciali studio inclinare. [i] Et post aliquantos dies isdem Ratchis rex, relinquens regalem dignitatem, decore cum uxore et filiis ad beati Petri principis apostolorum conjunxit limina, acceptaque a præfato sanctissimo papa oratione clericusque effectus, monachico indutus est habitu cum uxore et filiis

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Artavastum, *C.* [b] *C*, ante fatus. [c] missos. [d] massis. [e] *Vide Baron. ad ann. Domini* 747. [f] spirituali. [g] Rarchisus. *B*, Rachis. [h] obsidione. [i] *Vide Baron. ad ann. Domini* 750.

Digitized by Google

224 Hujus denique temporibus magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana urbe per eumdem almificum pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque patriarchio sacratissimum beati Georgii martyris isdem sanctissimus papa in capsa reconditum reperit caput, in quo et pictacium [a] invenit pariter litteris exaratum Græcis, ipsum esse significantes. Qui sanctissimus papa omnino hilaris et satisfactus, illico aggregato Romanæ urbis populo, cum hymnis et canticis spiritualibus in venerabili diaconia ejus nominis, sita in hac Romana civitate, regione secunda, ad Velum Aureum, illud deduci fecit; ubi immensa miracula et beneficia omnipotens Deus ad laudem nominis sui per eum dem sacratissimum martyrem operari dignatur [b]. Hujus temporibus defunctus Theodorus major, filius Megisti [c] Cataxanti, ob veniam suorum delictorum, prædium quo ex hæreditate fruebatur paterna, situm quinto ab hac Romana urbe milliario, via Tiburtina, in quo et oratorium sanctæ Cæciliæ [d] esse dignoscitur, beato Petro reliquit. Quod ipse beatissimus papa magnæ constructionis fabricis atque picturis decoravit, ampliavitque in eo fines ex omni parte. Data enim digna recompensatione his qui in vicino ejusdem loci possessiones tenere videbantur, nemini vim inferens, sed magis ut condecet patri, cuncta secus eumdem locum amica pactione pretio emit prædia. Et domum cultam, beato Petro eumdem locum jure perpetuo statuit permanendum. Quæ domus culta sanctæ Cæciliæ usque in hodiernum diem vocatur. Construxit quippe et in ea oratorium sancti Abbacyri [e], ubi et multas sanctorum condidit reliquias. Quam videlicet domum cultam usui proprio dominicæ videlicet traditionis descripsit. Hic constituit aliam domum cultam in decimo quarto milliario ab hac Romana urbe patrimonium [f] Tusciæ, et constitutionibus obligavit usui Ecclesiæ permanendum, etiam loca quæ ab Anna relicta quondam [g] Agathonis primicerii beato Petro videntur esse concessa. Hic massas quæ vocantur Antro et Formias suo studio jure beati Petri acquisivit, quas et domos cultas statuit.

225 Et de omnibus superius adnexis domocultis [h] apostolicæ exarationis constituta faciens, atque sacerdotale collegium aggregans, sub anathematis interdictionibus statuit nulli quoquo modo successorum ejus pontificum, vel alii cuilibet personæ, licere ipsas domos cultas ab usu Ecclesiæ quoquomodo alienare. Hic fecit vestem super altare beati Andreæ apostoli ad beatum Petrum nimis optimam.

226 Hic beatissimus papa statuit ut crebris diebus alimentorum sumptus, qui et eleemosyna usque nunc appellatur, de venerabili patriarchio a paracellariis [i] pauperibus et peregrinis qui ad beatum Petrum morantur, deportari eisque erogari. Necnon et omnibus et inopibus et infirmis per universas regiones istius Romanæ urbis constitutis, eamdem similiter distribui ipsa alimentorum constituit eleemosynam. Hujus temporibus contigit subito tegumen [j] tituli beati Christi martyris Eusebii cadere. Qui sanctissimus vir cum tota sua decertans virtute, prudenterque elaborans, sicut antiquitus fuit, rursus quod ceciderat reparavit atque optime restauravit. Hic præcipuus pontifex multa loca sanctorum in meliorem statum perduxit. Et vestes optimas super altaria earumdem Dei ecclesiarum fecit. Hic dilexit clerum suum valde atque presbyteria eis annua in duplo et amplius tribuit : omnes utpote pater et bonus pastor amplectens et utiliter fovens, et penitus quempiam minime tribulari permittens. Hujus itaque temporibus in magna securitate et lætitia populus a Deo illi commissus degens vixit. Hic beatissimus papa suo prudentissimo studio, quos beatæ recor-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] pittacium. [b] dignatus est. [c] *C*, regis. *B*, magnifici Cataxanti. [d] *C*, Ecclesiæ. [e] *C*, abbatis Cyri. [f] in patrimonio. [g] tam loca, quam annua relicta quædam. [h] domibus cultis. [i] a cellariis. [j] tegumentum.

Digitized by Google

dationis Gregorius papa fecit, quatuor Dialogorum libros. de Latino in Græcum transtulit eloquium, et plures qui Latinam ignorant lectionem, per ejusdem lectionis illuminavit historiam. Hic fecit ordinationes tres per mensem Martium, creavit presbyteros triginta, diaconos quinque, episcopos per diversa loca octoginta quinque. Qui sepultus est ad beatum Petrum apostolorum Idibus Martii, indict. v, et cessavit episcopatus ejus dies duodecim.

VARIÆ LECTIONES.

Ex Farnesiano codice XCIII.

Num 206. *Desunt in cod Farnes plura folia, ac fere tota Vita hujus pontificis usque ad lin* 10, *num* 226, in meliorem statum perduxit.

Num. 226, *lin* 18, hic fecit ordinationes IV per mens. Marcio et Decembri, presbyteros XVIII, diac. VI, episcopos per diversa loca num. XXXV.

Ex codice Vallicellano.

Num 206, *lin* 1, *cod Vallicel*, ex patre Polieromo. *lin* 2, dies XX. Hic fuit vir mitissimus. *lin* 3, amator clericorum. *lin* 4, ad miserendum. *lin* 5, et misericors. *lin* 7, *concordat cum Reg, Maz et Thu.*

Num 207, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thuan. et ita lin* 5 *et* 14. *lin* 2, Romanorum, persequente Luitbrando (*primis curis* Leuzbrando) Langobardorum rege. *lin* 3, Transimundi. *Ibid.* quia in hac. *lin* 6, Transimundus. *lin* 7, a ducatu Romano III civitates, id est Ameria. *lin* 8, isdem rex Leuzprandus. *lin* 9, mense Augusto. *lin* 10, generaliter exercitu. *lin eadem, ut laudd. codd. lin.* 11. Spoletini. Cui continuo timore ducti. *lin* 12, Romani se subdiderunt Marsicani, Forconnii, Valvenses atque Pennenses. *lin* 13, *primis curis*, per Saviniense; *secundis vero, ut in edit.*

Num 208, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz et Thuan. exceptis his, nempe :* et Langobardos... cum R. juncti sunt... Isdem Tr. Spoletinus dux nollet implere q. p. P. et patritio simul, et Romanis promiserat. *lin* 9, prænominatus Zacharias. *Ibid. ut laudd. codd., cum quibus concordat etiam lin* 11, 12 *et* 14. *lin* 14, Transimundum ducem Spoletum pergeret ad exhortationem sancti viri. *lin* 16 *et* 17 *ut laudd. codd.*

Num 209, *lin* 2, *cod. Vallicel. concordat cum cod. Reg. Maz. et Thu. et ita lin* 6, 8, *ibid.* 9, 12, 14, 15 *et* 16. *lin* 3, sibi a Deo crediti. *ibid. ut laudd. codd. lin* 4, audacter usque ad Interamensium urbem. *lin* 10, ab eodem rege VI feria perduxerunt. *lin* 17, eadem VI feriæ die.

Num 210, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin* 4, 5, 6, 13, 14, 16 et 17. *lin* 2, admonitionibus regem est allocutus, prædicans eum. *lin* 7, eidem sancto viro cum earum habitatoribus reddidit. *lin* 8, sancti Salvatoris. *lin* 9 *deest vox* apostoli. *ibid.* ædificato, et Sabiense patrimonium. *lin* 10, fuerat ei ablatum, Narniense etiam et Anconitanum, atque Humanensem, et vallem quæ vocatur Magna.

Num 211, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz., et Thu., et ita lin* 7 *et* 11. *lin* 2, Consinensis. *lin* 3, dum compunctione inspirationis divinæ, etc, *ut laudd. codd. hic. lin* 11, seu Agipertum, vel Ramingium gastaldium Tuscanensem.

Num 212, *lin* 1, *cod. Vallicel* in Polimarcium castrum, etc., *ut codd. Reg., Maz. et Thu. hic, cum quibus concordat etiam lin* 3, 5, 8. *ibid.* 9. 10, *et* 11. *lin* 4, et per fines Langobardorum Tuscis. *lin, ead.* id est per castrum Vitruvium. *lin* 6, viro Ramingus castaldius et Grimoaldus missi.

Num 213, *lin* 1, *cod Vallicell.*, dum nimie opprimeret Leuzbrandus rex provinciam Ravennatium, et esset præparatus ad munitionem faciendam. *lin* 3, cognita munitione. *lin* 4, Euticius. *lin.* 5, *concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin.* 7, 12, 15, 18, 23 et 25. *lin* 9, vicedominum suum. *lin* 10, ut a munitione cessaret, et Cesenate castrum Ravinianis redderet, sed. *lin* 12, Rom. urbe, Stephanus patritio. *lin* 14, ad ea, quæ perierant, redimenda occurreret. Quo egresso in itinere. *lin* 19, instituta. Ad cujus præsentiam occurrit denominatus. *lin* 22, basilicam B. Apollinaris. *lin* 25, egressis autem. *ibid* atque mulieres.

Num 214, *lin* 1, *cod Vallicel.*, ex eadem autem Ravennatium urbe miserat papa. *lin* 2, *concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin* 10, 11 *et* 12. *lin* 4, Imolus cog. etc., *ut laudd. codd. lin* 7, audacter a Ravennatium urbe exiens, fines Langobardorum ingressus. *lin* 10, ipse vero pontifex. *lin* 11, ubi ad suscip.

Num 215, *lin* 3, *cod Vallicel* pariter susceperunt cives, et sic in præn etc., *ut codd Reg et Thuan hic cum quibus concordat etiam lin* 3. *lin* 7, opprimeret; sed magis et ablatos fines Ravennatium urbis sibi redonaret: simul et castrum Cesenate.

Num 216, *lin* 1, *cod Vallicel*, qui rex, post multam duritiam inclinatus, fines Ravennatium urbis, quos primitus detinebat, et duas partes territorii Castri Cesenæ ad p. *lin* 3 *concordat cum Reg, Maz et Thuan. lin* 4, ad Kalendas Junias. *lin* 5 *ut laudd codd et ita lin* 6, 7, 8 et 9. *Item* 10, *primo loco et* 11.

Num 217, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thu et ita lin* 2 *et lin ead, omisso tamen verbo est. Item lin* 11, 13, 14 *et* 15. *lin* 4, agens Deo, denuo Natale apostolorum principum Petri et Pauli. *lin* 6, ab omnipotente Deo. *lin* 7. Leuzprando. *lin* 10, non solum Romanis, sed et Ravennianis, et genti Langobardorum. *lin* 12, sibi Langobardi eligerent.

Num 218, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thuan. Ibidem deest vox* ante. *lin* 2, quem diversis marmorum et vitri metallis. *lin* 3, sed et factas imagines, tam oratorii B. *lin* 4 *ut laudd codd et ita lin* 7, 8, 10, 11 *et* 14. *lin* 9, ubi orbis terrarum. *lin* 12, fecit. In prædicta etiam ecclesia B. Petri omnes codices domus proprios suæ, qui in circuitu anni. *lin* 15, adjiciens ei et massam Fortuanam, quæ cognominatur Pannaria.

Num 219, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thu et ita lin* 3, 4, 8, 9 *et* 10. *lin* 5, vela syrica alitina. *lin* 12, Artaustum, *et ita ubique infra, nempe cum aspiratione. lin* 13, dat (*lege* datis) populo, qui in Regia remanserat urbe præmiis, imperiale, etc. *lin* 14, sed postmodum præfatus Constantinus princeps, etc., *ut laudd codd hic.*

Num 220, *lin* 1, *cod Vallicel mendose* Artanti. *lin* 2, *ut cod Reg, Maz et Thu. lin* 4, eis repertis, etc., *ut laudd codd hic cum quibus concordat etiam lin* 5. *Item lin* 6, *exceptis tamen his*, jure perpetuo direxit possidendas, *in quibus adhæret editioni.*

Num 221, *lin* 1, *cod Vallicel*, Karolus Mannus, etc., *ut cod Reg, Maz et Thu. lin* 3, seseque eidem contulit Apostolo, etc., *ut laudd cod hic. lin* 5, pontifice, etc., *quæ sequuntur usque ad* libras septuaginta, *desunt in cod Vallicel. lin ult* jurejurando professus est.

Num 222, *lin* 1, *cod. Vallicel. omittit vocem* porro. *Ibid. concordat cum codd. Reg., Maz. et Thuan. et ita lin.* 4 *et* 7.

Num 223, *lin* 1, *cod. Vallicel.* Ipsis temporibus Ratchisus Langobardorum rex. *lin* 3, *ut codd. Reg., Maz. et Thuan. et ita lin* 5, quantocius ad eandem perrexit civitatem. *lin* 6 *concordat cum laudd. codd.*

Digitized by Google

ei ita lin 7 *excepto vocabulo* Rathis, *cujus loco habet, ut supra*, Ratchisus. *lin* 10, perrexit limina. Ibi accepta a prælato venerabili papa oratione clericus effectus et monachico.

Num 224, *lin* 1, *cod. Vallicel.*, Dominus noster. *lin* 2, almificum papam. *lin* 4, in qua et pitatum pariter invenit *lin* 5, *concordat cum Reg.*; *Maz. et Thu. et ita lin* 6, 10, 12, 14, 18 *et* 24. *lin* 7, spiritalibus in venerabili diaconia ejus nomine consecrata in hac. *lin* 8, ubi immensa beneficia, atque miracula. *lin* 11, Cathasanti, etc., *ut laudd. codd. hic. lin.* 16, in vicinio. *lin* 20, construxit quoque in ea et oratorium. *lin* 22, Dominicæ rationis descripsit. Constituit etiam aliam. *lin* 24 *et* 25, *ut Maz. ubique. lin* 26, quæ vocatur Anthlus. *lin* 27, vir beati Petri. *Ibid.* et domus.

Num. 225, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin* 3, *ubi tamen habetur* alii, *non* aliæ. *lin.* 4, domocultas. *Ibid* alienare. Hic papa ut crebris diebus, etc., *ut infra num seq., lin* 1.

Num 226, *lin* 1, *cod. Vallicel.*, qui et eleemosinæ usque nunc appellantur. *lin* 3, pauperibus, et infirmis per universas regiones istius Romanæ Urbis constitutis curiose distribuerentur. Hujus temporibus contigit subito tegumentum, *ut habent codd. Reg Maz. et Thu cum quibus concordat etiam lin* 7, 8 *et* 9. *lin* 11, fecit. hic beatissimus papa, etc., *ut lin* 15. *Dicta lin* 15, studio quatuor Dialogorum libros, quos beatæ recordationis Gregorius papa fecit. *lin* 17, *ut laudd. codd. et ita lin* 18. *Excipe*, in duplo, etc., *usque* permittens, *quo loci ut in edit lin* 12 *et seq. lin* 13 permittens. Hujus autem temporibus in magna securitate, et lætitia populus a Deo illi commissus degens vixit. *Hic vero desinit Vita S. Zachariæ in cod Vallicellano.*

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 206, *lin* 2, dies 14, *B*, 13.

Num 207, *lin* 10, ingressi, *A*, ingressus est. *lin* 11, ductus *AB*, ducti. *lin* 13, *B*, Balvenses, *A B*, Valvenses, *A*, seu Pinuenses, *B*, Pennenses. *lin dicta* 13, Sabinense, *B*, Ravennense. *lin* 14, qui, *B*, cui.

Num 208, *lin* 1, ingressus, *B*, ingressi. *lin* 16, egressi, *B*, egressus.

Num 210, *lin* 11, Numanatense, *AB*. Humanatem. *lin* 17, Aguellum, B. Agellum.

Num 213, *lin* 18, *B, non habet miraculum de nube. lin* 25, egressus, *B*, egressi.

Num 214, *lin* 15, post completam, *AB*, et post suppletam libationem.

Num 217, *lin* 11, Aldeprandum, *AB*, Hildebrandum.

Num 218, *lin* 12, Syricis, *AB*, sericis.

Num 219, *lin* 12, Artaustum, *B*, Artavastum.

Num 220, *lin* 5, mansis, *AB*, massis.

Num 221, *lin* 4, speciali, *A*, spiritali.

Num 223, *lin* 10, *B*, a. cucurrit limina.

Num 224, *lin* 4, *AB*, in qua et pistacium. *lin* 7, *A* nominis situm. *lin* 22, *A*, Dominicæ. *lin* 24, *A*, patrimonio, *R*, in patrimonio. *lin* 26, *B*, Antius.

Num 225, *lin* 1, a domibus cultis, B. Apostolica ratione constituta. *lin* 5, A. vestem optimam, *BA.* vestes optimas valde.

Num 226, *lin* 2, *B*, patriarchivo apucellariis. *lin* 6, *A*, tegumen. *lin* 7, *A*, quod sanctissimus vir. *lin* 10, *B*, super altaria eorum. *lin* 17 *et* 18, *B*, per illorum illuminavit. *In A cætera desunt usque ad Stephanum.*

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 206, *lin* 2, dies 20; hic fuit vir m. *lin* 7, facultatibus dit.

Num. 207, *lin* 1, Italiæ p. *lin* 5, a Steph qu. p. *lin* 7, a duc Rom 4, civ Amel (*M*, id est). *lin* 8, Bleta ib. isdem rex Leugbrandus. *lin* 8 *et* 9, rev mense Augusti ind 7, Transimundus. *lin* 10, generaliter ex. *lin ead* ingressus est per d. p. cum eis in fi. *lin* 11, ducti. *ibid.*, Rom se sub M. Forconii, Balbenses, atque Punienses (*M*, Pinnenses). *lin* 13, Persaviniense. *Sic correctum in R. c.* (*M*, Persianimense). *lin* 14, quibus continuo, et ipsi reat se subd.

Num 208, *lin* 1, ingressi sunt Spoletinum p. m. D. indict 8; tunc erat magna turbatio i. R. et Longobardos, quoniam Benev et Spoletini cum R. juncti erant; sed dum isdem Tr. dux n. i. q. p. P. et Romanis simul, et patr pr. pro recuperandis q. civ quas pro eo perdiderant, et alia q. S. c. præn R. admonitione exercitus facta c. d. R. se præparavit. *lin* 9, præn Zach. *ibid* c. omnip Dominus. *lin* 11, ad jam d. *lin* 13, quatuor civitates q. a. d. R. a. r. se pr. *lin* 14, dumque admonitione *ib.* Tr. militem et ducem Spoletum (*M*, Spoletini) pergeret adhortationem s. v. *lin* 16, egressus est. *lin* 17, Spoletina civit se præd R. trad.

Num 209, *lin* 2, jam fatas 4 civit. *lin* 3, spem suam. *lin* 4, aud usque ad. In d. urbem. *lin* 6, et dum in Hort pervenisset. *lin* 8, eum perd *ib.*, adventum jam n. *lin* 9, duces, et sat. *lin* 10, m. ab eod r. *lin ead* suscipientes eum, sexta feria perdux ad bas sancti Valent episc. *lin* 12, idem rex cum reliquo exercitu suo s. *lin* 14, mutuam salutationem sibi p. *lin* 15, impensa ch. ab ead eccl eg. *lin* 16, cum eo perr. *lin* 17, eadem 6, feriæ d. sunt commorati.

Num 210, *lin* 1, sabbatho vero die. *lin ead* profusus. *ib.* pl. monitis regem est allocutus. *lin* 2. pr. eum. *lin* 4, flexus, const. *lin* 5, obt. Nam præd. *lin* 6, obsidionem f. *lin* 7, sancto viro cum habitatoribus reddidit, quas. *lin* 9, b. P. in e. n. *lin ead* ædif Sabinense quoque patr. *lin* 10 f. ei abl Narniense etiam et Ausim. *lin* 11, et Numanatam. *lin* 13, Pr. reddidit. *lin* 14, in vig ann conf. *lin* 16, et una Ravinianos cap. *lin* 17, prædicto redonavit P.

Num 211, *lin* 1, per ejus R. *lin* 2, Continensis (*M*, Consinensis). *lin* 3, et dum comp div inspir tanta orat dulced ab eo prolata sanctum virum conspicerent, plures fundere preces, multi ex. e. L. in lacrimis sunt permoti. *lin* 7, R. pro apostolica benedictione suscipienda. *lin* 10, alio vero die. *lin* 11, Agibrandum *lin* 11 *et* 12, Agipertum, vel Ramingum gastaldum T.

Num 212, *lin* 1, in Polimartium castrum venisset, ipsumque recep. *lin* 3, eundi undique usque ad Bleram per partes. *lin* 4, et per fi. *lin* 5 eundem pontif. *lin* 6, viro Ram Gastaldus, et Grimoaldus missi contrad. *lin* 8, est papa *ib.*, Romæ. Tunc omnem populum. *lin* 9, persolvendam. *lin* 10, actionem, ab eccl sanctæ Dei Genitr. *lin* 11, beatum Petrum pr.

Num 213, *lin* 1, dum nimie opp provinciam Ravenn et esset præparatus. *lin* 2, 3, ad munitionem fa. *lin* 5, cognita munitione. *lin* 5, atque universus populus pr. civ et utrarumque Pen. *lin* 7, sancto viro mis. *lin* 9. vicedominium suum. *lin ead* prim suum, idem notariorum. *lin* 10, ut a munitione cess (*M*, pet a munit c.) et Cæsennate cast Ravinianis redderet s. p. *lin* 11, consp prænominatus papa, trop. *lin* 14, ad ea quæ peritura erant redimenda occ. Quo eg. in. it. *lin* 15, beato Petro apost cum sac et cler suis conviatoribus n. *lin* 18, reg ad vesp recedebat. *lin* 19, instituta. Ad cujus præsentiam occ prænominatus. *lin* 22, bas beati Apost. *lin* 23, est aliud signum, ut s. P. usque in Ticin ur. quo cr. iturus. *lin* 25, e civ Raviniani. *lin* 26, perfusus l.

Num 214 *lin* 1, ex hac autem Ravennatium urbe miserat P. *lin* 2, primic adnuntians ei. S. a; qui ingressi fines Longob. *lin* 4, imolus (*M*, umola) cog quia præpeditionem nit fac sancto viro ne illud amb epistola scripta p. n. s. ei nunt. Quo cognita P. *lin* 7 *et* 8, aud a Ravennat urbe exiliens, *sed expuncta syllaba li et legatur*, exiens, *ut in M.* fi. Longob ingressus, sequipes. *lin* 10 *et* 11, viges oct mens Jun die ad Padum pervenit. *lin* 12, miserat *ib.*, Ticinum pertingens. *lin* 13, nonam vigilia beati Petri apost pr. pro celebrandis s. m. ad basil. *lin* 15, consp orationem (*M*, oblationem).

Digitized by Google

Num 215, *lin* 3, par suscep et sic in prænominata civitate reg s. (*M*, ingressi s.). *lin* 5, qui ab eodem. *lin* 7, Ravenn urbis, quos primitus detinebat, sibi redonaret, simul et castrum Cesinate. Qui rex.

Num 216, *lin* 1, incl fi. R. urb et duas partes territorii castri Cesinæ ad. p. *lin* 3, partem ejusdem castri sub obt r. placito constituto. *lin* 5, ejusdem castri tertiam partem, quam pro pig c. d. *lin* 6, aut ipse rex. *ibid* P. eumdem sanctum virum convians deduxit. *lin* 8 *et* 9, eum repedare abs. *lin* 10, quia jam dicta. *ib*. Cesinate. *lin* 11 quod et factum est.

Num 217, *lin* 1, oper est enim Deus mirabilia, Ravenn. *lin* 2, populis. *lin ead* eos liberans, et sat sunt frum vin et oleo. Reversus est autem papa in urbem Romam. *lin* 4, agens D. den pr. Ap. *lin* 9, de h. luce sub. *lin* 10, Rom sed et Ravennatis, et genti Longobard. *lin* 11, Hirprandum nep ejus, q. i. r. r. malivoli projecerant de r. *lin* 13, rel beatissimi pontificis c. *lin* 14, preces. *lin* 15, sp. invicem in. p. u. l. p. q.

Num 218, *lin* 1, hic papa venerabilis in lat. *lin* 2, et vitri metallis. *lin* 3, sed et sacras imagines tam oratorii. *lin* 4, porticus d. ubi etiam, et suam subst omnem. *lin* 7, et fig. *lin* 8, per asc quoque sc. *lin* 10, or. omne etiam patr. *lin* 11, inv. In ecclesia quoque sanctorum principum apostol Petri. *lin* 12 *et* 13, fecit in ecclesia etiam præd b. Petri, et om (*in M. deest* et). *lin* 14, m. arm op. *lin* 15, adjiciens ei et m. Fontuanam. *lin* 16, Pannaria.

Num 219, *lin* 1, ipse etiam 20 a. l. *lin* 3, fecit et vestem sub altare beati Petri apostolorum principis auro textam. *lin* 4, Domini Dei nostri, orn. *lin* 8, eccl fidei suæ sp. *lin* 9 *et* 10, ser princ Constant et pergentes apost sedis responsales. *lin* 11, juxta p. *lin* 12, Artavastum (*M*, Artaustum). *lin* 13, præpar. *ib*. Arthavastus daret p. q. in r. remanserat urbe p. imperialibus ar. *lin* 14, sed post modum pr. c. p. *lin* 15 præfatus Constantinus princeps aggregans Orientales exercitus multitud perg C. et eam viriliter exp.

Num 220, *lin* 1, Artavasti. *lin* 2, post hoc vero requirens apostol sed missos, quos ib. *lin* 4, ad. eisque repertis a d. s. eos abs redire apostol. *lin* 5, massis. *lin* 6, normis app juris p. ex eidem beatissimo papæ, sanctaque R. Ec. dir in per poss.

Num 221, *lin* 1, Karolus Magnus frater Pipini, filius Karoli. *lin* 3, seseque cont apostolo in spiritali hab. *lin* 5, f. sp. p. clericatusque jugum. *lin* 6, *A*, atque ad conf. *lin* 7, LXXX. *lin* 8, *A*, situm est finibus. *lin* 9, finire v. p. e. jurejurando. Eodem temp.

Num 222, *lin* 1, v. ad Romanam venire urbem negotiat. *lin* 4, perducere. *lin* 7, d. professi sunt.

Num 223, *lin* 1, hujus temp Rathis. *lin* 3, hoc aud venerabilis P. *lin* 5, quantocius ad e. civit perrexit ipsis, impensisque. *lin* 6, ab obsidione. *lin* 7, salutaria p. Deo a. animum ejus ad spiritale studium inclinavit. Post aliquantos enim dies i. Rathis r. r. r. d. devote cum v. *lin* 10, *A*, perrexit lim. Ibi accepta a venerabili prælato papa oratione, clericus effectus, et monachino ind.

Num 224, *lin* 1, thes per eumdem almificum papam Dominus noster prop. *lin* 4, in qua epitaphium pariter inv (*M*, pittacium). *lin* 5 ipsum caput esse significans Q. S. P. o. h. satisf. *lin* 6, hujus Rom u. *lin* 7, spiritalibus in v. d. hujus nomine consecrata. *lin* 9, atque benef. *lin* 10, dignatus est H. t. d. est Th. *lin* 11, Cathasancti, qui ob ven del s. pr. quod ex h. *lin* 12, quinto milliario ab h. R. vu. T. *lin* 14, dereliquit. Quod ipse venerabilis papa. *lin* 16, compensatione iis (*M*, recompensatione his) qui in vicinio. *lin* 18, part emit pretio, et domum. *lin* 20, construxit quoque in ea orat s. abbatis Cyri. *lin* 22, Dominicæ rationis descr (*M*, subscripsit). Constituit etiam aliam. *lin* 24, in patrimonio Tusciæ. *lin* 24 *et* 25, permanenda tam loca, quæ ab amia (*M*, ab anna) relicta sunt, quam quæ ab Agathone primicerio

A beato Petro esse vid conc. *lin* 26, Antherus, et F. s. st. juri B. P. quas et domus.

Num 225, *lin* 1, de omnibus itaque superius adnexis. *lin* 3, st. nulli succ ei. p. vel aliæ (*M*, alii). *lin* 4 *et* 5, alien; hic ven papa (*M*, hic fecit vestes, *et mox*, optimas).

Num 226, *lin* 1, qui et eleemosynæ u. n. appellantur, de v patr a bucellariis p. et infirmis per universas regiones ist. R. urbis constitutis curiose distribuerentur. Hujus temp c. s. tegumentum. *lin* 7, cadere, quo vir venerabilis tota. *lin* 8 fuerat. *lin* 9, hic pr. pont fecit vestes super altare b. Andreæ apost et ad b. Petrum nimis optimam. Multa etiam loca s. *lin* 11, fecit hic beatissimus papa, *ut lin* 15. *dicta lin* 15, studio quatuor Dialogorum libros q. b. v. G. P. fecerat, de lat. *lin* 17, ignorabant. *lin* 18, historiam. Hic dilexit clerum suum valde, atque presbyteria eis a. in duplum. *lin* 14, hujus autem temporibus. *lin* 15, vixit. Hic fecit ordinationes 3 B per m. M. presbyt 30. *lin* 19 et 20, num 85. *lin* 21, episc di. 12.

Ex codice Thuano altero

Num 207, *lin* 7, abstractæ sunt. *lin* 8, Hortas, P. *lin* 11, Spoletini. *lin* 13, Valenses, seu Pinnenses d. i. per Ravennense t. *lin ead* ingressi sunt.

Num 208, *lin* 2, quon et Spoletini cum Rom t. sed dum isdem. *lin* 6 *et* 7, ad munitionem. *lin* 9, præ dictus. *lin* 15, conj ex adhort. *lin* 17, Spoletina.

Num 209, *lin* 2, jam fatas 4 civit. *lin* 4, audaciter *lin* 10, suscipientes sextæ fer. *lin* 13, factaque oratione atque salutatione sibi mutua pers.

Num 210, *lin* 3, eff cessare, et ea q. p. s. s. s. servare. *lin* 10, abstultum, atque N. *lin* 14, quos tenebat ex d. *lin* 16, captivis, Leone, Sergio, Victore, et Agello consulibus.

Num. 211, *lin* 12, castalidum *T*.

Num 212, *lin* 10, sanctæ Dei Gen. *lin* 11, ad b. Petrum pr.

Num 213, *lin* 3, munitione. *lin* 7, occurreret. *lin* C 14, ad eas, quæ perierant red cucurrit, ad cujus obviam cucurrit denominatus excellentissimus exarchus, *ut infra lin* 20. *lin* 21, urbe. Egressi autem de civit. R. et c. *lin* 27, dic. Venit, venit p. n.

Num 214, *lin* 4, quod præpeditionem meditabatur ad fiendum pr. s. u. *lin* 7, audaciter. *lin* 8, sequipes. *lin* 11, ad Padum conjunxit. *lin* 12, Ticino conjungens. *lin* 13, pert ad orationis nonæ per vigil b. Ap. p. P. celebranda solemnia m.

Num 215, *lin* 7, abstultas *R*.

Num 216, *lin* 1, præ multa duritia inc. *lin* 2, detinebat. *lin* 2 *et* 3, Cæssini. *lin* 4, præinito constituto. *lin* 10, Cessinate c.

Num 217, *lin* 1, factum est. Deus autem mir. *lin* 3, frum et vino. *lin* 5, cum omni populo Ravenn et Romano. *lin* 11, quoniam nihil prandium.

Num 218, *lin* 2, vitro. *lin* 10, patriarch a novor. *lin* 12, Siricis. *lin* 13, prædicta. *lin* 14, ad matutinas.

Num 219, *lin* 5, Sirica. *ib*. in roteis. *lin* 12, Arta- D vastum. *lin* 13, illic prædictus Artavastus. *lin* 14, remanserat. *lin* 15, antefatus.

Num 220, *lin* 1, Artavasti. *lin* 2, post hæc vero r.

Num 221, *lin* 1, Carlomanus. *lin* 4, apostolico atque in spiritali h.

Num 223, *lin* 5, quantocius ad eamd perrexit civ. *lin* 6 *et* 7, ab oppressione. *lin* 8, voluit animam ejus ad spiritale studium inc. *lin* 9, devote cum u.

Num 224, *lin* 4, pitacium. *lin* 10, dignatus est. *lin* 25, tam loca quæ.

Num 225, *lin* 3, vel aliæ cuil p.

Num 226, *lin* 2, a bucellariis. *lin* 3, demorantur. *lin* 7, qui beatissimus vir. *lin* 13, tribulare p. hujus denique. *lin* 17, translatavit el. *lin* 18 per m. M. presb. 30.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 206, *lin* 1, Polochronio. *lin* 6, fuerunt.

Digitized by Google

Num 207, *lin* 12, eo jem trasim. *lin* 14, qui contin A e. i. subd. Reatini.

Num 208, *lin* 1, Spoletio. *lin* 3, Spoletini. *lin* 10, Deus cont.

Num 209, *lin* 6, conjunxisset. *lin* 8, viri in obviam. *lin* 12, Terracinensium. *lin* 15, ead gressus e. i. e. ob. dim.

Num 210, *lin* 2, monitione. *lin* 11, ausimanum. *lin ead* humanatem. *lin* 14, annis. *lin* 16, traspadum cm.

Num. 211, *lin* 5 *et* 6, in lacrimis sunt. *lin* 9 *et* 10 commessurum.

Num 212, *lin* 2, conjunxisset. *lin* 6, usque ad prædictam Bler. *lin* 7, ramingo. *lin ead* Grimualdus.

Num 213, *lin* 1, nimio. *lin* 3, faciendi et obsidendi. *lin* 6, civitatis, et utraque Pentapolim. *lin ead* observationem. *lin* 8, munera. *lin* 10, Cesinatem ravinianis. *lin* 17, calore arer. *lin* 19, ad cujus obviam, *lin* 22, nubes it cum. *lin* 23, regendo. *lin* 25, civit. raviniani. *lin* 28, perit. sumus.

Num 214, *lin* 1, misit ad pr. *lin* 4, himula. *lin ead* præpeditione vetabant ad fiendum pr. *lin* 10, perpulsus. *lin* 11, conjunxit ubi. *lin* 12, Tycino conjungens. *lin* 14, celebranda solempnia. *lin* 15 *et* 16, subpleta libatione.

Num 215, *lin* 3, mutuo invicem. *lin* 8, urb redonaret finibus sim. e. c. cesinate.

Num 216, *lin* 2 *et* 3, Cæsine. *lin* 5, quam pro pignor. *lin* 7 *et* 8, conv. ded. *lin* 10, cesinate.

Num 217, *lin* 3, satur sunt frumento, et vino. *lin* 10 *et* 11, Langobardorum q. et ildepr. *lin* 12 projecto de regno Rachis. *lin* 14 *et* 15, inclinatus in viginti.

Num 218, *lin* 1, patriarchiæ. *lin* 6, Lateranensem. *lin* 14, ad mat armarium op. ord.

Num 219, *lin* 1, librarum. *lin* 4, ex gemm. *lin* 5, orn in rotis. *lin* 8, eccles fidei suæ sponsionis. Orthodoxam Ecclesiæ misit Constantinopolitanæ synodicam. *lin* 10, respons regiam. *lin* 12, dimicandum Agaren. *lin* 14, remanserant.

Num 220, *lin* 3, ibidem imperatoris perturbatione contigerat.

Num 221, *lin* 1, Carulomanus. *lin* 4, habitu fore. *lin* 5, pontifice; et post aliqu. t.

Num 222, *lin* 1, eodem in tem.

Num 223, *lin* 1, Langobardorum. *lin* 4, clero, optimatibus quantotius. *lin* 9, dignitatem, devote cum.

B *Num* 224, *lin* 6, omnino satisfactus. *lin* 14, dereliquid. *lin* 18, pactione emit. *lin* 19, quæ et domus. *lin* 20, quippe in ea. *lin* 25, tusciæ const. *lin* 24, permanen. tam loca q. a. a. r. quædam. *lin* 26, voc. antius.

Num 226, *lin* 1, alim s. quæ. *lin* 13, tribulare. *lin* 17 *et* 18, per eorum illuminavit lectionem hyst. Et cess.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Num. 206, linea 1. — *Zacharias.* Post interpontificium dierum solummodo quatuor ab obitu Gregorii III, pontifex electus est Zacharias : prima scilicet die qua proceres de electione simul tractaturi in patriarchio Lateranensi coierunt. Nam tribus prioribus diebus justa defuncto pontifici persolvebantur, nec de electione agitari consilia poterant. Festinata hæc et pacifica electio, cum ex meritis C Zachariæ, tum inde profecta etiam videtur quod depressa esset exarchorum tyrannis, quippe Italica militia hæretico imperatori Leoni minime obtemperaverat, et a Copronymo palam deseivit.

Num. 208, linea 7. — *Contra ducatum Romanum.* Roma, ejusque ducatus, a Græcis ad Romanum pontificem propter hæreticalia Leonis edicta, populis detrectantibus obedientiam hæretico imperatori, facile pervenit. Porro ducatus Romanus, de quo crebra fit mentio in superioribus gestis, et cujus rectores ab imperatoribus deligebantur, constabat ex urbe Romana cum castellis, oppidis et vinculis etiam in Tusciæ partibus. Erant autem Portus, Centumcellæ Cære, Bleda, Maturanam, Surium, Nepet, Castellum Gallesii, Orta Polimartium, Ameria, Tuder, Perusia, Narnia et Otriculi. In Latio autem erant Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Frusino, ac Tibur. Hunc ducatum sub Gregorio II ad arbitrium Romanæ sedis fuisse, vel ex eo constat, quod Romanus exercitus, ipso imperante pontifice, D seditiosos, ac Tiberium tyrannum compresserit, coegeritque Luitprandum ea loca restituere quæ in hoc ducatu usurpaverat. Igitur a temporibus Gregorii II et successoribus clariora supremæ temporalis dominationis indicia occurrunt.

Num 213, linea 5. — *Joan. archiep. Eccl. Raven.* Prodit Agnellus in Vita Joannis quemadmodum per proditionem capta fuerit a rege Langobardorum Ravenna. Reticet autem beneficia a Zacharia pontifice Ravennatibus collata, quæ hic describit Anastasius. Confer. Agnellum, pag. 170.

Num 217, linea 15. — *Inita pace.* Zacharias pro more supremorum principum, pacem iniit cum Rachi, qui post obitum Luitprandi regis susceperat Langobardicum imperium.

Num 221, linea 1. — *Carolomannus.* Is erat Pippini frater, ambo filii Caroli Martelli. Fœdera cum Francis jam dudum inierant pontifices Gregorius II et III, eaque renovaverat Zacharias; qui anno 746, cum Pippinus cum consuluisset utrum frater dignior regio fastigio illi videretur, isne qui, otio languens, nihil ad communem populorum utilitatem afferret, an qui dies noctesque de regni salute atque custodia cogitaret, respondit omnino se existimare regem illum eligendum, qui regni commodo et incolumitati populorum serviret; rogatusque decretum interposuit, ut Pippinum regem substituerent. Ita Bertiniani Annales, ad ann 749, de regno in Pippinum conferendo Burchardum et Fulradum missos egisse produnt : « Burchardus Witzeburgensis episcopus et Fulradus capellanus missi fuerunt ad Zachariam papam interrogando de regibus in Francia, qui, illis temporibus, non habentes regalem potestatem, si bene fuisset, an non. Et Zacharias papa mandavit Pippino ut melius esset illum regem vocari qui potestatem haberet, quam illum qui sine regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo apostolicam jussit Pippinum regem fieri. » Et ad ann 750, « Pippinus secundum morem Francorum electus est ad regem, et unctus per manum sanctæ memor. archiepiscopi Bonifacii, et elevatus a Francis in regno, in Suessionis civitate. Hildericus vero, qui falso rex vocabatur, tonsuratus est, et in Silhiu monasterium missus. » Hæc pariter Fredegarii continuator ad anu 751 scripsit : « Et quievit terra a præliis. Quo tempore una cum consilio et consensu omnium Francorum missa relatione a sede apostolica auctoritate percepta, præclarus Pippinus electione totius Franciæ in sedem regni cum consecratione episcoporum et subjectione principum, una cum regina Bertradona, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in regno. » Et Annales a Pithœo editi sic habent : « Septingentesimo quinquagesimo secundo anno ab incarnatione Domini, Zacharias papa ex auctoritate beati Petri apostoli, mandat populo Francorum ut Pippinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Itaque Hildericus rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperavit, depositus, et in monasterium missus est. Pippinus vero in civitate Suessionum a sancto Bonifacio archiepiscopo unctus, regni honore sublimatus est. » Carolovingorum regiæ stirpis epocha ab anu 752 auspicanda, ut pluribus ad eumdem ann probat in Critica card Baronii Antonius Pagius.

Digitized by Google

BINII ET LABBEI.

Num. 206, linea 1. — *Zacharias*. Anno 741, 5 Decembris, qui erat octavus post obitum Gregorii, Zacharias summo omnium consensu creatus est pontifex. *Sedit annos* 10, etc. Supra assignatum numerum annorum, et mensium dies decem sedisse ex initio et fine pontificatus recte colloquitur.

CENNI.

OTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedis apostolicæ patrimonia vindicari a summis pontificibus debent, *tum jure patrimonii, ut aiebat præsul optime de eadem meritus* (Blanchin., Anast. *Num.* 34, *ad S. Sylvest.*), *tum alio potiori divinis eligibus emanante, quo res Deo sacræ per summum sacerdotem procurandæ, possidendæ, retinendæ, et vindicandæ, et repetendæ sunt a sacrilegis usurpatoribus, quoties occupentur*. Hinc est quod hi duo pontifices maximi, quorum primi adhuc interpontificium, alterius primordia, sedes et mors, examinanda restant, nempe Gregorius III et Zacharias, uterque innocentia morum et vitæ sanctitate celebris, ille vi armorum, hic agendo, civitates Ameriam, Hortam, Polimartium et Bleram, a rege Langobardorum Luitprando sanctæ sedi ablatas, recipere conati sunt. Eas Gregorius amiserat, quod intra Urbis mœnia Trasamundum Spoleti ducem a Luitprandi furore protexerat. Cumque auctis illius viribus Romano milite, ut ducatum suum et Ecclesiæ civitates adipisci facilius posset, fœdifragum expertus esset, ad Carolum Martellum Franciæ subregulum, ut vocat, legatione bis adornata auxilium petiit, ut Ecclesiæ jura suis illiusque armis assereret. Interim Carolus paucosque post dies sanctus Gregorius moriuntur.

Sed quod a Deo optimo maximo optandum erat, Gregorio Zacharias, Pippinus Carolo statim succedunt, hic armorum gloria, ille rebus gerendis singularis. Pippinus siquidem post annos aliquot sanctæ sedis patrimonia undique propagavit; Zacharias vero vix ad Petri sedem evectus cum Langobardorum rege per legatos de urbium restitutione agit, ac reddere pollicentem Romano adjuvat milite adversus fœdifragum Trasimundum : promissis vero non stantem impiger atque intrepidus adit castrametatum in Spoleti finibus, nec Romam revertitur, nisi redditis patrimoniis multo antea ereptis, simulque civitatibus quatuor ante biennium ablatis quarum ipse per se iniit possessionem, deinde Romam est ingressus, ubi sacris dans operam Christo Ecclesiæ vindici rependit gratias. Facta hæc sunt ab utroque pontifice intra triennium, ut videre est per me digesta in Chronologia Cæsarea pontificia; nisi quis malit in Diaconi et Francicorum ambages ingredi, unde ne Pagio quidem tantæ eruditionis viro datum fuit emergere : ne enim dicat plus æquo a meo instituto divagari, ad rationem temporum venio. Mortuo igitur sancto Gregorio III, ut in ejus notis dictum fuit, die 28 Novembris, qua in Martyrologiis colitur, pontificatus cessavit quatridui, ut recte vulgatus et duo codd. Freberiani, Cavensis et Ambrosianus quartus, non dies octo, ut in nonnullis codd. et Catalogis legitur, reliquis omnibus præsertim Colbertinis, septimo excepto, interpontificium silentibus. Itaque ab emortuali 28 Novembris, quæ pertinet ad Gregorii sedem, diebus quatuor numeratis dies offenditur 3 Decembris, quæ, ut A littera Dom. ostendit, anno 741 in Dominicam incidebat ac proinde ordinationi Zachariæ tribuenda est. Sedit autem Zacharias annos 10, menses 3, dies 13, ut recte habent Catalogus Lucensis et cod. Freherianus secundus, uno plus die cæteris, unoque plus mense Catalogis duobus Colbertinis perperam numerantibus. Ab emortuali enim die 15 Martii an. 752, qua depositum Zachariam Anastasius testatur, cui Martyrologia fidem faciunt, palam est hunc pontificem A sedisse annos 10, menses 3, dies 13, ipsis diebus tum ordinationis, tum mortis inclusis.

Hæc cum ita sint, nullo pacto audiendum est Pagio, qui privata auctoritate vult sanctum Zachariam ordinatum esse die 30 Novembris sancto Andreæ sacra. Ut enim præteream quæ de Dominicis diebus ordinationi debitis sæpe alibi, fortasse ad nauseam, disputavi, et in sequenti nota memoria repetam necesse erit; quanam ratione inter 28 et 30 quatriduum inseritur? Equidem non modo id mente, at ne cogitatione quidem amplector. Quanquam enim Regino, quem unum sequi oportuit in Gregorii sede stabilienda, in summam contulerit diem depositionis, quod Pagio videtur novum, cum sit solemne omnium codd. et Catalogorum; inde quidem licebit, propter angustias quæ nos sæpiunt, numerare interpontificium. At quæ aliunde major difficultas emergit, quinam superabitur? Electiones scilicet Romanorum pontificum non fiebant nisi tertio depositionis die, tum ex alias laudato Bonifacii III constituto, tum ex laudabili Romanæ Ecclesiæ consuetudine; quare nisi quis velit pessumire monumenta veterum, Romanos Ordines, ac librum Diurnum pontificum, die 30 Novembris factam ad summum dicet electionem. Hanc vero qui cum ordinatione conjungeret, quasi electus mitteretur in patriarchium Lateranense, ut moris erat, indeque pernicissime ad Vaticanum advolaretur, cæteraque omnia fierent quæ Ordo et Diurnus docent, non satis nosse antiquos ritus videretur. Etenim per hæc tempora ὑθρονιαμός præcedebat consecrationem, fiebatque statim post electionem : quod ne gratis asseram, ipse Anastasius de successore sancti Zachariæ verba faciens (num. 227), electo in basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe : « Quem omnes, inquit, sincera mente cum laudis præconiis in basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportaverunt, et exinde intus venerunt et in patriarchium juxta morem intromiserunt. » Et clarius in Valentino (num. 455) pariter electo in basilica sanctæ Mariæ : « Deinde condignis gloriæ laudibus et honoris amplitudine ad Lateranense patriarchium ab ipsis deductus, et in pontificali est positus throno. » Consecratio enim fiebat alia die (nempe Dominica), cujus adventus exspectabatur post factam inthronizationem, eodem Anastasio ibidem teste : « Ejusque consecrationis die sereno jam illuscente, cum lumine jam dictum antistitem ad beati Petri apostolorum Principis ecclesiam omnes pariter Romani a palatio deducentes, eum, majestate divina auxiliante, in alto throno summum consecravere pontificem. » Inthronizatio igitur die ipsa electionis fiebat in patriarchio Lateranensi; deinde alia die (haud dubie Dominica) fiebat consecratio in basilica sancti Petri : et hinc numerari incipiebat ætas consecrati; nam tempus quo erat tantum electus utcunque inthronizatus ad interpontificium pertinebat; ac proinde Pagius, qui hæc recte docuit ad an. Chr. 67, contraria nunc doctrina primam destruit.

Ita vindicata ordinatione sancti Zachariæ suæque diei reddita, ut par erat; nam qui pontifex Interamnensem episcopum ordinans die Dominico, ansam dedit maximo antiquitatis pontificiæ assertori, ut ipsos episcopos non ordinari, præterquam diebus Dominicis, affirmaret (*Blanchin. Anastas.*, *Num.* 2, *ad S. Linum*), eum minime consecratum esse die Dominico ne cogitari quidem debet; vindicata, inquam, Zachariæ ordinatione, necesse est novissimum ejus annum duplici insignem eventu, damnabili silentio, non præterire. Annum itaque sancti pontificis emortualem memorabilem reddunt finis exarchatus Ravennæ, et Carolovingiorum regum initium, qui tam bene de apostolica sede sunt meriti. Exarchatus periodus, quæ annos circiter 184 comprehendit, ab anno videlicet 567, cum Longinus patricius in Italiam venit, ad 751, cum Eutychius patricius Constantinopolim profectus est, defecit circa mensem

Digitized by Google

Julium prædicti anni 751, quando Ahistulphus rex Langobardorum Ravennam cepit, ut erudite observat Bachinius in Agnellum (*P. 2, ad V. Mauri schism.*), ubi profert ejus chartam datam in palatio Ravennæ *quarto die mensis Julii, felicissimi regni nostri tertio, per indictionem* IV; quare exarchi exacti Italia sunt nono circiter mense ante obitum sancti Zachariæ. Carolovingiorum autem principium cum ipso emortuali pontificis mense Martio illigat Pagius; qui ad an. 752, a num. 1 ad 11 multa eruditione hanc epochem stabilit. Nil autem ad annum quod attinet argumentis est opus, nam annales Francorum habemus testes. En ex Fuldensibus Pithœanis verba ipsa : « DCCLII Zacharias papa ex auctoritate sancti Petri apostoli mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldricus rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperavit, depositus et in monasterium missus est. Pippinus vero in civitate Suessionum a sancto Bonifacio archiepiscopo in regem unctus regni honore sublimatus est. » Ita Bertiniani, qui hoc anno silent, ad an. 754 : « Stephanus, aiunt, confirmavit Pipinum unctione sancta, et cum eo inunxit duos filios ejus Carolum et Carlomannum. » Quare si *confirmavit*, antea igitur inauguratus fuerat. Sed videndus hac de re Pagius laudato loco, ubi contra Cointium et Mabillonium disertissime comprobat Pipini epochem, et exauctorationem Hyldrici seu Childerici III Merovingiorum novissimi.

CIACONII.

Num. 206, linea 1. — *Zacharias*, Polychronii Pontinii filius, Siberenæ Magnæ Græciæ, nunc Calabriæ dictæ, urbe natus, canonicus regularis, deinde monachus sancti Benedicti, mox S. R. E. presbyter cardinalis a Gregorio III papa factus imperatore Constantino Copronymo Augusto hæretico impiissimo iconomacho, XV papa regnicola, sedit annos 10, menses 3, dies 14 : creatus Kal. Decembris, consecratus 3 Nonas ejusdem mensis anno 741, inter optimos pontifices et sanctos annumeratur.

THOMÆ ACETI ADNOTATIO.

Num. 206, linea 1. — *Natione Græcus.* Tametsi conveniant scriptores Zachariam ex Magna Græcia fuisse quæ nunc Calabria est, dissentiunt tamen de loco; quidam enim patriam non indicant, quidam Sybari ascribunt, ut Ciaconius et Ferracius. Verumtamen ex Siberena civitate fuit hic pontifex, vulgo sancta Severina, ut constans traditio est, et ex Breviario Canonicorum Lateranensium apparet, ubi sic legitur: *Zacharias Siberenæ urbe Calabriæ natus.* Vide Barr. cum notis.

PAGII.

Num. 207, linea 1. — *Hic invenit totam Italiam turbatam.* Sanctus pontifex invenit totam Italiam Longobardorum armis turbatam, et Luitprandum eorum regem ad bellum contra Romanum ducatum, cui jam quatuor civitates eripuerat, nempe Hortam, Polimartium, Ameriam et Bledam, se præparantem; quare, « missa legatione apud jam dictum Longobardorum regem (verba sunt Anastasii), salutaria illi prædicavit; cujus sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor, quas ducatu Romano abstulerat civitates, reddere promisit. » Sed cum interea prædictas quatuor civitates rex Luitprandus non restitueret, Zacharias eum Interamnæ in ditione Spoletina sedentem conveniendum existimavit anno septingentesimo quadragesimo secundo. Ita universo Romano prosequente clero, urbe egressus, illuc iter intendit. Id postquam rex accepit, humanitate se vinci haud passus, legatum ei obviam, qui Narnium usque deduceret, misit, ubi duces et milites plerique eum exceperunt. Interamnam appropinquanti rex cum reliquo optimatum ac militum agmine occurrit; aliquot cum eo spatia jucundissimo sermone illato confecit, et ad palatium ei paratum dimisit. Postridie, cum iterum ad colloquium processissent, sanctus pontifex ita regis animum demulsit, ut ei quæcunque postulabat indulserit, et *prædictas quatuor civitates, quas ipse ante biennium per obsessionem factam pro prædicto Trasimundo duce Spoletino* (id est occasione ipsius) *abstulerat, eidem sancto cum eorum habitationibus* redonaverit *viro. Quas et per donationem confirmavit*, inquit idem Anastasius, qui addit regem ultro pontifici restituisse Sabinense patrimonium, triginta ante annos Romanæ Ecclesiæ ereptum, atque insuper Narniensem, Anconitanum, Auximanum patrimonia et Vallem agri Sutrini, quæ vocatur Magna, per donationis titulum ipsi beato Petro apostolorum principi reconcessisse, et pacem cum ducatu Romano ipsum regem in viginti annos confirmasse. Sed et captivos omnes quos tenebat prædicto pontifici redonasse. Tandem quatuor civitates redditas et pontificem Romam regressum esse.

Num. 213, linea 1. — *Dum nimium opprimeret prædictus rex provinciam Ravennatium.* Anno postea septingentesimo quadragesimo tertio, idem Luitprandus rex exarchatum Ravennæ sibi subjicere tentavit, seseque ad Ravennam obsidendam parabat. Quare pontifex, Eutychii exarchi et Joannis archiepiscopi Ravennatensis rogatu, ad eam urbem se contulit, Romana urbe Stephano patricio et duci ad gubernandum relicta. Antequam Roma discederet, legatos cum muneribus ad Luitprandum misit, obsecrans ut a proposito recederet et castrum Cesennatense Ravennatibus redderet. Sed cum nihil obtinere potuisset, Ravennam venit, ubi Ravennatenses, profusis lacrymis, eum susceperunt, clamantes et dicentes: « Venit, venit Pater noster, qui suas reliquit oves, et ad nos perditos liberandos occurrit. » Ex eadem urbe misit ad regem Stephanum presbyterum, et Ambrosium primicerium, ut ei suum adventum nuntiarent, ipseque fines Longobardorum ingressus, sequipes factus est suis missis, quos dictus rex suscipere noluit. Sed cum pontifex die vicesima octava Junii ad Padum convenisset, rex ad eum suscipiendum optimates suos misit, cum quibus Ticinum, ubi rex residebat, pervenit. Ad eum rex foras muros civitatis accessit, inde pro vigiliarum beati apostolorum principis Petri celebrandis missarum solemniis, in basilicam ejus, quæ vocatur ad Cœlum Aureum, perrexit, et post, expleta libatione, eamdem urbem ingressus est. Postero die pro ipsius principis apostolorum Natali celebrando invitatus Zacharias pontifex, missarum solemnia celebravit, ibique mutuo invicem pariter susceperunt cibum. Sequenti die, rex eum ad palatium suum invitavit, a quo honorifice susceptus, eum obsecravit ne amplius Ravennatium provinciam opprimeret, sed ablatas civitates redonaret cum finibus, simul et castrum Cesennatense. Cui rex, licet gravate, id se facturum respondit. Descendentem inde usque ad Padum prosecutum dimisit, datis ex primoribus suis, qui Ravennatium loca imprimisque Cesennam redderent. Quibus locis receptis, pontifex Urbem repetiit, ac gratiis Deo actis, denuo Natale principum apostolorum Petri et Pauli celebravit. Hæc omnia constant ex Anastasio. Ex quibus Marca, lib. III de Concordia, cap. 11, num. 5, concludit non posse liquidius demonstrari, retentam hac tempestate a summis pontificibus imperii curam, et imperatorios magistratus Ravennæ et Romæ rebus administrandis præfuisse, ita ut spes omnis conservandæ Italiæ in summa pontificis dignitate collocata esset. Ex his vide, inquit Baronius, ad annum 743, quam injustæ sint querelæ Orientalium de Romano pontifice, quod exuerit Occidentali imperio Orientales imperatores.

Num 219, linea 7. — *Hic beatissimus juxta ritum eccl.* Zacharias pontifex dictus, juxta ritum ecclesiasticum fidei suæ sponsionis orthodoxæ synodicam ecclesiæ Constantinopolitanæ anno septingentesimo

Digitized by Google

quadragesimo secundo misit, aliamque suggestionem per Responsales suos Constantino imperatori; sed hi intra palatium regiæ urbis invenerunt Artabasdum invasorem et rebellem. Postquam vero tam Artabasdo quam filiis ejus eruti fuerunt oculi, Constantinus Copronymus licet hæreticus, requirens missum apostolicæ sedis eum Romam dimisit, « et juxta quod beatissimus pontifex Zacharias postulaverat, donationem in scriptis de duabus massis, quæ Nymphas et Nornias appellantur, juris existentibus reipublicæ, eidem sanctissimo papæ, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, jure perpetuo direxit possidendas, » inquit Anastasius, quæ donatio contigit an 743, ut Artabasdi depositio demonstrat. Porro *massa* idem est ac *mansus*, vel *mansa*, designatque certam agri portionem, ut explicat Ducangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, in vocibus *Mansus* et *Massa*. Ex quo Baronii annotator observat evidenter patere Gregorium II imperii jugum non excussisse, nec consequenter Leonem Isaurum anathemate perculisse; Zacharias enim cum Constantino, Leone patre deteriori, commercium aliquod non habuisset, si hic a decessore suo excommunicatus, et tributorum solutione multatus fuisset.

Num. 221, linea 1. — *Hujus temporibus*, etc. Anno septingentesimo quadragesimo septimo Carolomannum majoremdomus Franciæ, devotionis causa, « regnum una cum filio suo Drogone in manibus Germani sui Pippini commisisse, et ad limina beatorum apostolorum Petri et Pauli Romam in monachorum ordinatione » perseveraturum advenisse, testatur continuator Fredegarii, cui suffragantur annalista Metensis, Nazarianus, Petavianus Masciacensis et auctor Chronici San-Dionysiani. Eadem refert Anastasius, clericatus nomine monasticum statum intelligens, quo sensu passim alibi hoc vocabulum usurpatur. Ex quo corrigendi illi qui Carolomannum primo Cassinum adiisse, ibique monachum factum affirmant; nam Herkempertus scribit eum Romam adiisse et a Zacharia papa factum esse monachum, indeque Cassinum *post aliquantum temporis* profectum esse. Eo autem intermedio tempore *in monte Soracte monasterium in honorem sancti Silvestri ædificavit, ubi quondam, tempore persecutionis, quæ sub Constantino facta est latuisse fertur*, ut scribit Eginhardus in annalibus ad annum 746. Eadem refert hic in Vita Caroli Magni, cap. 2, et ex eo Adrevaldus, in lib. de Miraculis sancti Benedicti, cap. 14, qui addit multos nobiles ex Francia Romam, ad vota solvenda commeantes, et otium quo maxime delectabatur in monasterio Soractis montis interrumpentes, eum mutare locum compulisse. Ex quibus sequitur Carolomannum ab ipso papa Zacharia Romæ monachico habitu indutum fuisse.

Num 223, linea 9. — *Ratchis rex, relinquens regalem dignitatem.* Rachis Longobardorum rex nulla habita ratione pacis vicennalis, quam cum Romano pontifice sanciverat, Pentapolitanam invasit provinciam, ferro et igne omnia vastans, Perusiam obsidione cinxit. Quod audiens Zacharias papa, assumptis quibusdam ex suo clero, divina spe fretus, ad eamdem pervenit civitatem, eumque muneribus et precibus placatum ad solvendam obsidionem adduxit; quin et sacris exhortationibus, tantum ipsi sæcularis vitæ indidit fastidium, ut, abdicato regno cum uxore Tbesia et filia Rattruda, vitam religiosam sub regula sancti Benedicti professus sit: ille in Cassinensi monasterio; istæ in monastario puellarum quod non procul a Cassino construxere et dotavere, ut constat ex Anastasio, in Vita Zachariæ, Leone Ostiensi, in Chronico Cassinensi, cap. 8, et Sigeberto, in Chronico, ubi testatur Rachin nuntium sæculo misisse anno Christi septingentesimo quadragesimo nono, quem annum etiam exhibet monachus Nonantulanus anonymus, in Vita sancti Anselmi abbatis Nonantulani in Italia primi, apud Mabillonium, Sæc. IV Benedict., part I.

Num. 226, linea 1. — *Hic beatissimus papa*, etc. Zachariam libros Dialogorum S. Gregorii Magni e Latino in Græcum transtulisse tradunt Anastasius Bibliothecarius, in ejus Vita, Photius, Codice 252, et Joannes Diaconus, lib. IV, cap. 75 Vitæ ejusdem sancti Gregorii, ubi scribit: « Quos libros (scilicet *Dialogorum*) Zacharias sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopus, Græco Latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini imperatoris, post annos ferme centum septuaginta quinque » (quindecim ad minus annos plus numerat Joannes Diaconus) « in Græcam linguam convertens, Orientalibus Ecclesiis divulgavit, quamvis astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus sancti a Patre procedentis nomen Filii suaptim radens abstulerit. » Nam cum libro II Dialogorum. cap. ult. scriptum reliquisset Gregorius: « Cum enim constet, quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio, » in vulgato Zachariæ contextu Græco legitur: « Aperte igitur patet quod Paracletus Spiritus a Patre procedit, et in Filio permanet. »

SOMMIER

Num. 210, linea 5. — *Prædictas quatuor civitates*, etc. Expresse notat historicus pontifici esse redditas civitates cum habitatoribus. Quod profecto aliud indicat quam dominium utile, quidquid autument recentiores, contendentes quod pontifex Romanus per ea tempora nullum jus regium, seu summæ potestatis exercebat, eodem semper apud imperatores permanente. Animadverti ab iis tamen debebat quod non imperatori ullive ex administris ejus rex Langobardus civitates, et ad eas pertinentia loca, necnon captivos belli tempore factos, in Romano ducatu restituit; sed pontifici tantum et apostolicæ sedi facta est restitutio, eademque ratihabita confirmataque per solemnem donationem ante altare subscriptam a rege, qui eam de altari sumpsit, et in altari iterum post subscriptionem collocavit. Perinde est de possessione quam unus pontifex iniit, non alius quocunque pacto ab imperatore dependens.

Num. 221, linea 1. — *Carolomannus, filius Caroli Francorum regis.* Jam pridem erat, cum majores domus Franciæ summam rerum sibi arrogaverant, nihilque reliqui factum erat, præter nomen regium, descendentibus a Magno Clodoveo. At Pippinus, cognomento Brevis, majorumdomi novissimus, demum aliquando opus magnum aggressus est, ut nempe dignitatem, titulum et jus regium sibi asciscerat. Id consilium ut exsequeretur, firmumque atque ratum eventum redderet, intellexit quod, præter assensum regni procerum, necesse erat auctoritate apostolicæ sedis illum astruere, ne subditæ gentes mutare suo arbitratu reges sese posse arbitrarentur: « Eginhardus, in Annalibus, ait Marca (Marc., Hisp. *l.* III, *c.* 4), ne populi permissas suo arbitrio putent regum mutationes, sedis apostolicæ auctoritatem adjungit; huic vero consensum procerum, et utriusque seriem continuam regum, quorum socordia et inertia fuerat exitialis reipublicæ Christianæ. »

Occasio valde opportuna se offerebat ad demerendum sanctæ sedis studium rebus Pippini, qui unus Langobardos opprimere ac religionem undequaque periclitantem sustinere potuisset. Nuperrimus auctor observat Pippinum esse usum sancti archiepiscopi Bonifacii opera ad rem gerendam, tentandumque animum Zachariæ quisnam futurus esset in re (P. Daniel., *Hist. de France, in Pippino*). Eaque propter ad pontificem misisse eumdem Bonifacium e suis presbyteris unum, ut eum consuleret de variis rebus ad suum ministerium pertinentibus, eique præ cæteris hæc scripsisse: « Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixis precibus obsecro, ut hunc presbyterum meum clementer suscipiatis; habet enim secreta quædam mea quæ soli pietati vestræ profiteri debet, quædam quidem viva voce dicens . . . mihique paternitatis vestræ responsum, et consilium ex

Digitized by Google

auctoritate sancti Petri apostoli repræsentare debet, ut his omnibus auditis et consideratis, si quæ sint quæ vobis placeant, facere Deo auxiliante studeam.» (*In Vit. Bonif.*, l. II, c. 9.) Pontificem vero ore tenus respondisse de secretis his rebus Bonifacii presbytero, eventum autem declarasse quod responsio Pippini consilio favebat. « Interea, » inquit Zacharias (*ep.* 12, *ad Bonif.*), « prædictus tuus gerulus Lul cum cæteris suis comitibus quæ injuncta fuerant a tua sancta fraternitate, tam in verbo quam in scripto, omnia liquidius suggerentes, innotuerunt, de quibus tam in verbo quam in scripto responsum dantes tuæ remisimus fraternitati. »

Et revera, ut ex Chron. a Pithœo edit., ex Annal. Fuldens., et ex Annal. Loisel., discimus, res ita se habuit: « Burchardus Wirceburgensis episc. et Fulradus capellanus missi sunt a Pippino Romam ad Zachariam papam ut consulerent pontificem de causa regum, qui fuerunt illo tempore in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habebant, quæ tota apud majorem domus habebatur. Orat ergo sibi decerni quis eorum juste rex debeat dici et esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni et omnium negotiorum molestias sufferat. Per quos dictus pontifex mandavit melius esse illum vocari regem apud quem summa potestas consisteret; dataque auctoritate sua, jussit Pippinum regem constitui. Secundum Romani pontificis sanctionem Pippinus rex Francorum appellatus est, et ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanct. mem. Bonifacii, et more Francorum elevatus in solium regni Suessione civitate. Hildericus vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite, in monasterium missus est, et ultimus Merovingiorum Francis imperavit. »

Præter tres laudatos auctores de translatione regni Francorum a prima in secundam stirpem locutos, necnon Eginhardum Carolo Magno a secretis *Pippinus*, aientem, *per auctoritatem Romani pontificis ex præfecto palatii rex constitutus (in Vit. Car. Mag.)*; præter hos, inquam, idem reperire est in epigraphe opusculi quod scriptor Pippini æqualis confecit, cujus exemplum vidit Mabillonius in Papebrochii manibus, verbaque ipsa profert in suo opere Diplomatico, educta ex fine libri Gregorii Turonensis de Gloria confessorum. Hæc autem ibi leguntur: « Si nosse vis, lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus, et ad sacrorum martyrum pretiosam editus laudem, invenies anno ab Incarnatione Domini 767, temporibus felicissimi atque tranquillissimi et catholici Pippini regis Francorum, et patricii Romanorum, filii beatæ mem. quondam Caroli principis, anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto decimo . . . . Ipse prædictus florentissimus domnus Pippinus rex pius per auctoritatem et imperium sanct. rec. domni Zachariæ papæ, et unctionem sancti chrismatis beatorum sacerdotum Galliarum, et electionem omnium Francorum, tribus annis antea in regni solio sublimatus est. » (*In fin. S. Greg. Tur. de Gl. Conf., et ap. Mabill., de Re diplom., l.* 5, *tabell.* 22.) Equidem, ut verum fatear, satis mirari non possum recentiorum aliquot tam ex Protestantibus quam ex nostris (*Natal. Alex., sect.* 8, *diss.* 2), qui falsitatis insimulant testimonia veterum de rei veritate, qua de nulla esse potest suspicio.

Pippino idem pontifex Zacharias nominandi episcopos regni Francorum potestatem concessit, ut medicam afferret manum abusibus atque excessibus eorum temporum cum ad electiones deveniri contingebat. Id vero est factum, dum adhuc erat major-domus; quippe indultum ejusmodi accepit in concilio Suessionensi, quod fuit celebratum anno 744, ante annos octo quam regni solium ascenderet. « Pippinus exposita necessitate hujus regni Zachariæ Romano papæ, in synodo cui Bonifacius martyr interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis, industria sibi probatissimorum decedentibus episcopis, mederetur. » (*Lupi abbat. Ferrar. epist.* 81, *ad Amul. archiep. Lugdun.*

ALTASERRA.

Num. 211, linea 6. — *Eodem vero die Dominico, post peracta missarum solemnia, ad prandium eumdem regem, ad apostolicam benedictionem suscipiendam, ipse beatissimus pontifex invitavit.* Benedictio accipitur hic pro refectione seu prandio, vel quia incipit a benedictione mensæ, vel quia per modum eulogiæ seu benedictionis datur. Vit. Ludovic. P.: « Qui cum primo vere a patre dimitteretur, interrogatus est ab eo cur rex cum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari ut nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset. » Et infra: « Et benedictione panis ac vini simul participata, imperator ad civitatem rediit. » Conc. Melphiense, sub Urbano II: « Ut episcopi et abbates de vineis, vel agris, ac frugibus, quæ ad usum vel fratrum usum laborant, decimas sibi pro benedictione vel hospitum susceptione habeant. » Can. Quæst. 16, q. 1.

Num 213, linea 22. — *Ipsa vero nubes cum eis usque ad basilicam sancti Apollinaris, in Ravennantium urbem tegendo conviavit.* Conviare est una cum alio viam facere. Anastas. infr. eod.: « Post hæc autem is ipse rex, egressus de loco in locum, usque ad Padum eidem sancto viro conviatus cum deduxit. »

Num 214, linea 3. — *Qui viri ingressi in finibus Longobardorum, in civitatem quæ vocatur Imola.* Imola civitas Æmiliæ, olim forum Cornelii, postea Imola dicta, a castro urbis cui nomen erat Imola. Paul. Varnefrid., de gest. Longobard., lib. II, cap. 18: « Corneliique foro, cujus castrum Imolas appellatur. » Forum Cornelii civitas Galliæ togatæ, postea dictæ Lombardiæ, de qua Martial., lib. III, epigr. 4:

> Si quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit,
> Corneli referas me licet esse Foro.

Cornelii Forum civitas episcopalis, quæ olim fuit suffraganea metropolis Mediolanensis. Hinc Ambrosius episc. Mediolanensis, vacanti Ecclesiæ visitatorem dedit unum e suffraganeis. Testis ipse epist 44, Constantio coepiscopo: « Commendo tibi, fili, Ecclesiam quæ est ad forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus. » Hodie paret metropoli Ravennati. Gregor., lib. VI, epist 39, ubi dixi.

Linea 12. — *Cum quibus Ticinum conveniens, ubi ipse residebat rex foris muros ejusdem civitatis pertransiens, ad horam orationis nonam, pro vigiliarum beati apostolorum principis Petri celebrandis solemniis missarum, in basilicam ejus quæ vocatur ad Cœlum Aureum, perrexit.* Hora orationis nona signatur, quia officium sacrum certis horis distribuitur, matutina, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio. Reg. Benedict. cap. 16.

Num 218, linea 1. — *Hic in Lateranensi patriarchio, ante basilicam beatæ memoriæ Theodori papæ, a novo fecit triclinium, quod diversis marmoribus et vitio, metallis atque musivo, et pictura, ornavit, sed et sacris imaginibus tam oratorium beati Silvestri quamque et porticum.* Locus est corruptus; pro *vitio*, lege *vitreis*. Veteres parietes ædificiorum vitreis bitumine conjunctis vice tectorii inducebant. Vopiscus in Firmo: « Nam et vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis, domum induxisse perhibetur. » Senec., epist 86: « At nunc quis est qui sic lavari sustineat? pauper sibi videtur ac sordidus nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulserunt, nisi vino absconditur camera. »

Linea 11. — *Hic in ecclesia apostolorum principum Petri et Pauli pendentia vela inter columnas ex paleis sericis fecit.* Inter columnas vela ad ornatum ecclesiarum e paleis seu palliis sericis adhibebantur. Anastas., in Adriano: « Sed et per diversos arcus

Digitized by Google

vela syrica numero quinquaginta septem. » Et infra : « Vela de palliis syricis numero viginti, et linea viginti. » Idem in Leone III : « Et vela holoserica majora sigillata habentia periclysin, et crucem de bathin, seu fundato. » Lege *blathin*. Idem inf eod : « Verum etiam et per arcus argenteos fecit vela paschalia cum periclysi de stauraci. » Apud veteres etiam signa inter columnas disponebantur. M. Tull., Verrin 3 : « Quæ signa nunc, Verres, ubi sunt? illa quæro, quæ apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in silva denique, disposita sub dio vidimus. » Imo et silvæ inter columnas majorum ædium, id est, arborum lineæ ornatus causa consitæ. Horat, lib I, epist 10 :

Nempe inter varias nutritur silva columnas

Linea 13. — *Hic in ecclesia prædicti principis apostolorum omnes codices domus suæ proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinos, in armarii opere ordinavit.* Zacharias libros proprios reposuit in armario ecclesiæ Romanæ. Armarium est bibliotheca librorum, § *Sed si bibliothecam*, de Legat 3. Plin., libr II, epist 17 : « Parieti ejus in bibliothecæ speciem armarium insertum est. » Sidon, lib II, epist 9 : « Videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut Athenei cuneos, aut armaria exstructa bibliopolarum. » Hac analogia armarium sancti Martini dixit Lupus Ferrar, epist 16 : « Impendio supplicamus, ut commentarios Boetii in Topica Ciceronis, quos in chartalio Codice Amalricus in armario sancti Martini habet. » Armarium sancti Galli Ekkeard Junior, de Casib monast sancti Galli, cap 10 : « Itur in armarium, sed in angustum Galli thesaurarium. » Alias armarium est locus in quo res custodiæ causa ponuntur. Hieronym, in Ezechiel libr IV, cap 15 : « Continent armaria, risco, loculis. »

Linea 14. — *Hic domum cultam Lauretum noviter ordinavit, adjiciens et massam fondanam.* Domus culta est massa seu prædium instructum ædificiis, colonis, et instrumento rustico. Anastas infr eod : « Et domum cultam beato Petro eumdem locum jure perpetuo statuit permanendum, quæ domus culta sanctæ Ceciliæ usque in hodiernum diem vocatur. Quam videlicet domum cultam usui proprio, dominicæ videlicet traditionis, descripsit. Hic constituit aliam domum cultam in decimo quarto milliario ab hac Romana urbe patrimonium Tusciæ, et constitutionibus obligavit usui Ecclesiæ permanendum. Hic massas quæ vocantur Antrus et Formias, suo studio jure beati Petri acquisivit, quas et domos cultas statuit. Et de omnibus domocultis, sub anathematis interdictionibus, statuit, nulli quoquo modo successorum ejus pontificum, vel aliæ cuilibet personæ licere ipsas domos cultas ab usu Ecclesiæ quoquo modo alienare. » Idem in Adriano : « Hic beatissimus præsul fecit atque constituit noviter domos cultas quatuor. » Prædia propria domocultas instituit Leo III, Vit. Ludovic Pii : « Eadem etiam tempestate, cum Leo apostolicus gravaretur adverso incommodo, prædia omnia quæ illi (Romani) domocultas appellant, et noviter ab eodem apostolico instituta erant, sed et ea quæ sibi contra jus querebantur erepta, nullo judice exspectato, diripere et sibi conati sunt restituere. »

Num. 222, linea 1. — *Porro eodem tempore contigit plures Veneticorum hanc Romanam advenisse in urbem negotiatores, et mercimonii nundinas propagantes, multitudinem mancipiorum, virilis scilicet et feminini generis, emere visi sunt, quos et in Africam ad paganam gentem nitebantur deducere.* Notatur turpe mercimonium Venetorum emendi mancipia utriusque sexus, ut ea paganis distraherentur in Africa : quod vetuit pontifex. Hoc genus commercii frequens fuit. Paul. Varnefrid., de Gest. Longobard., lib. I, cap. 1 : « Ab hac ergo populosa Germania sæpe innumerabiles captivorum turmæ abductæ, meridianis populis pretio distrahuntur. » Turpius commercii genus fuit quo servi a Virdunensibus mercatoribus solebant castrari, quæ dicebantur mancipia carsamantia, ut Saracenis venderentur in Hispania. Luitprand. Ticinens., lib. VI, cap. 3 : « Obtuli mancipia quatuor carsamantia imperatori, nominatis omnibus pretiosiora; carsamantium autem Græci vocant amputatis virilibus et virga puerum eunuchum, quos Verdunenses mercatores ob immensum lucrum facere solent, et in Hispaniam ducere. »

Num 223, lin. 2. — *Sicut cætera Pentapoleos oppida.* Flaminia est provincia Italiæ, in qua sunt primariæ Ravenna et quinque civitates Pentapoles dictæ Paulo Varnefrid, de Gest Longobard., lib. II, cap. 19. Hinc Anastas. ante dixit : *Ravennæ, ac civitatum Pentapoleos et Æmilia.*

Num 224, linea 7. — *In venerabili itaque patriarchio sacratissimum beati Georgii martyris isdem sanctissimus papa in capsa reconditum reperit caput, in quo et pittacium invenit pariter litteris exaratum Græcis, ipsum esse significantes.* Capsis, id est, loculis reliquiarum sanctorum apponitur pittacium, id est, schedula, seu brevis inscriptio, qua significatur cujus essent. Gregor. Tur., de Glor. confess., cap. 36 : *Habetur enim ibi tumulus, huic a læva contiguus; in hujus fronte superiore habetur scriptum : Sanctæ memoriæ Gallæ.* Pittacium est schedula. Augustin, de verb. Apostol., serm. 23 : *Memor. legis proposuit pittacium publice.* Cujus diminutivum est pittaciolum. Flodoard., Hist. Rhemens., lib. III, cap. 23 : *Pittaciolum irrationabiliter confectum, et manu tua subscriptum.* Hieronym., in Matth., lib. IV, cap. 23 : *Pittaciola illa Decalogi phylacteria vocabant.* Joan Diac., lib. II, cap. 45 : *Et scribens orationem in pittacio, dedit uni diaconorum suorum.* Alibi pittacium est fasciola obligandis vulneribus. Cornel. Celsus, lib. III, cap. 10 : *Duo pittacia, quæ latitudinem frontis longitudinemque æquent.* Veget., Art. veterinar. lib. I, cap. 22 : *In plaga vero pittacium imponas, ut diligentius claudat.*

Num. 226, linea 1. — *Hic beatissimus papa statuit ut crebris diebus alimentorum sumptus, qui et eleemosyna usque nunc appellatur, de venerabili patriarchio a paracellariis, pauperibus et peregrinis, qui ad beatum Petrum morantur, deportari, eisque erogari,* etc. Paracellarii sunt cellarii præpositi cellæ patriarchii Lateranensis, e qua quotidie erogabantur stipes pauperibus et peregrinis. Anastas., in Adriano : « Et quinquaginta panes, simulque et decimatas vini duas, et caldaria plena de pulmento, erogentur omni die per manus unius fidelissimi paracellarii eisdem pauperibus. » Unde cellarium patriarchii Lateranensis dicitur paracellarium. Anastas., in Adriano I : « Vinum vero, seu diversa legumina, quæ in prædiis ac locis ipsius domocultæ annue nata fuerunt, simili modo curiose in paracellario sanctæ vestræ ecclesiæ deducantur, et separatim reponantur; sed et porcos qui annue in casalibus sæpius dictæ domocultæ inglandati fuerint, capita centum exinde occidantur, et in eodem paracellario reponantur. »

MAFEI.

Num 223, linea 1. — *Ipsis itaque temporibus Ratchis.* Luitprando regi e vivis sublato, post breve Ildeprandi nepotis regnum, septimo mense a solio dejecti, Rachis Forojulii dux favore omnium Langobardorum sufficitur; vir ob firmum corporis robur, quæ dos in ea gente plurimi habebatur, summopere commendatus; at longe ob egregiam pietatem commendabilior, quam regiæ dignitati nuntio remisso, in Cassinensi monasterio monasticam vitam amplexus, ad supremum usque diem custodivit, ut narrat Leo cardinalis Ostiensis (*In Chron. Cassin., lib. p., cap.* 8). Me non piget subjicere hujus historici verba, quanquam Anastasio nostro recentioris, cum ab illis narrata hoc loco in bono lumine collocentur. « His quoque diebus, inquit cardinalis Ostiensis, Rachis rex Langobardorum ad capiendam Perusiam urbem cum valido exercitu pergens, eam undique fortiter expugnabat. Ad quam prædictus papa Za-

Digitized by Google

chârias profectus, multis precibus ac monitis, multisque illi concessis donariis, ad suam illum redire coegit. Cujus idem rex monitionem sollicite reminiscens, non multo post divino afflatus instinctu, relinquens regalem dignitatem et gloriam, cum ita per annos quinque et sex menses regnasset, Romam una cum uxore et filia ad beati Petri apostolorum principis limina devotus advenit. Ibique a præfato apostolicæ sedis præsule Zacharia comam attonsus et clericus factus, monachico etiam habitu simul cum uxore et filia est indutus. Moxque ad hoc monasterium beati Benedicti eodem apostolico transmittente perveniens, et sub regulari magisterio instituendum se tradens, post religiosam satis ac Deo placitam conversationem, ibidem vitæ finem sortitus est. Exstat in hodiernum diem vinea satis monasterio vicina, quæ vulgo vinea Rachisi vocatur, quam eumdem Rachis et plantavisse et incoluisse nonnulli nostrorum existimant. Uxor vero illius nomine Tasia, et filia Rattruda, concedente et adjuvante præfato abbate, monasterium puellarum non longe a Cassino, in loco qui Pallumbariola vocatur, propriis sumptibus exstruxerunt, multisque ditatum opibus, ibi, sub magna cautela et districtione regulari, vitam agentes, ultimam diem clauserunt. »

Num. 226, linea 1. — *Hic beatissimus papa suo prudentissimo studio.* Antiqua querela est Joannis Diaconi, libro IV Vitæ sancti Gregorii Magni, cap. 75, et post eum omnium catholicorum, corruptam fuisse versionem Dialogorum beati Gregorii, quam in Græcum sermonem sanctus Zacharias papa adornavit. Ait enim Joannes Diaconus, loco mox laudato : « Quos libros Zacharias sanctæ Ecclesiæ Romanæ episcopus Græco Latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini imperatoris (id est Copronymi), post annos ferme 175 (emendatius 158) in Græcam linguam convertens, Orientalibus Ecclesiis divulgavit, quamvis astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus sancti a Patre procedentis nomen Filii suapte radens abstulerit. » Vitiata autem fuit Græca translatio, ut etiamnum cognosci potest, libri secundi capite ultimo ; ubi enim Latinis in Dialogis legitur : « Cum constet quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedit, et Filio, » in Græcis hæc habentur : Φανερὸν οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται, καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει. Sensus est : « Aperte igitur patet quod Paracletus Spiritus a Patre procedit, et in Filio permanet. » Hujus autem corruptæ lectionis auctorem fuisse Photium peritissimum depravationum artificem quidam ex eo suspicantur, quod miris laudibus in ejus Bibliotheca sancti Gregorii Dialogos effert perinde quasi cum de libris a se lectis judicium proferret, tunc temporis conflaret arma quibus aliquando Spiritus sancti a Patre et Filio processionem impeteret. Sed dum Photius Gregorium celebrabat, tum machinas sibi parare non studuisse mihi longe verosimilius videtur, tum quia, ut dixi ad Vitam sancti Gregorii Magni, scripsit Photius suam Bibliothecam eo tempore quo legatus erat pro Basilio in Assyria, ante scilicet quam cathedram Constantinopolitanam invaderet, tum etiam quia non solum Dialogorum Photius laudat scriptionem, sed universa Gregorii opera, quam maxime potest, et jure quidem, extollit. Qui autem ad suum schisma stabiliendum a beati Gregorii vitiatis Dialogis Photius præsidium sibi suisque comparasset, dum Gregorius tot aliis in locis Spiritum sanctum a Patre et Filio aperte dicit procedere ? In Symbolo, quod initio sui pontificatus promulgavit : *Spiritum sanctum nec genitum*, ait, *nec ingenitum, sed cœterum de Patre et Filio procedentem.* In Moralibus autem, tum libro primo, numero 30, inquit : *Dum sanctum Spiritum, qui a se procedit*, id est a Filio, tum libro quinto, numero 65 : *Qui de Patre procedens, et de eo quod est Filii accipiens*, etc. Apertius adhuc 26 in Evang. post initium : *De Patre procedit, et Filio.* Non igitur a Photio vitiatum est libri secundi caput ultimum, sed a quopiam alio Græcæ fidei Græco homine ; alioquin universa scripta beati Gregorii, et præcipue homilias in Evangelia, laudando, arma potius ministrasset, non abstulisset Latinis, qui ex ejus etiam confessione, et summam Gregorianæ doctrinæ auctoritatem asserere, et ex scriptis ejusdem Gregorii processionem Spiritus sancti ex Patre, Filioque, facili negotio potuissent ostendere.

BALDINI.

Num. 226, linea 20. — *Sepultus est ad beatum Petrum apostolum Idibus Martii, indictione* 5. Iterum mihi res est cum Natali Alexandro, qui, in dissertat. II in Historiam ecclesiasticam sæculi VIII, t. V, adversus nubem testium uno ore affirmantium translationem regni Francorum a Childerico ultimo ex regibus Merovingis ad Pippinum primum ex Carlovingis auctoritate apostolica factam fuisse, id præfracte negat, *fabulam esse*, inquiens, art. 5, c. 7 ejusdem sæculi, *Zacharia Romano pontifice suasore, vel auctore, exauctoratum esse Childericum, et Pippinum regem constitutum.* Quibus argumentis nitatur, quave ratione, apertissima veterum scriptorum testimonia eludere satagat, paucis complectar.

Illud primum Natalis pro fundamento locat, haud convenire inter se veteres annalistas factane fuerit depositio Childerici, et Pippini ad regnum elevatio, Stephano auctore, an Zacharia. Stephano autem tribui non posse ostendit, quod defuncto Zacharia die decima quinta Martii, ut tradit Anastasius, indictione 5, qua indicatur annus Christi 752, versus finem ejusdem mensis Stephanus III pontifex inauguratus est, qui in Franciam non est profectus nisi mense Novembri, indictione 7 quæ a Kalendis Septembris inchoaverat, scilicet anno 753, cum jam a sesquianno Pippinus regnaret. Sed neque Zachariæ, quem Anastasius vocat *virum mitissimum, atque suavem, omnique bonitate ornatum*, quique propterea justitiæ ac pietatis ita cultor fuerit, ut innoxium adolescentem, et cui se probare nondum per ætatem licuerat, qualis erat Childericus, annorum vix duodeviginti, ex avito throno per vim deturbare, et in monasterium trudere citra maximam injuriam non potuisset. Adde silentium Anastasii in Vita Zachariæ super re quam toto orbe celebrem et apostolicæ sedis dignitati auctoritatique nimis favorabilem tacitus præterire auctor pontificius minime voluisset. Sed idem Zacharias ignorabat qui verus esset Francorum rex, imo pro rege habuisse Carolum Martellum patrem Pippini indicat in epistola ad Bonifacium archiepiscopum Moguntinum data, et in epistola 5, ad eumdem, nuncupat filios ejusdem Caroli principes Galliarum. Scriptores porro fere omnes Stephanum auctorem faciunt depositionis Childerici et absolutionis Pippini a perjurio in regem, non Zachariam.

Ad numerosum agmen scriptorum qui idem factum posterorum memoriæ mandarunt respondet numerum scriptorum nullius esse ponderis ad auctoritatem faciendam, cum certissimis documentis falsi convincuntur, et fons indigitatur, ex quo figmenta hauserunt, fontem autem esse Eginhardum, a quo omnes eamdem fabulam acceperunt, et novis commentis auxerunt ; Eginhardum ipsum fateri in Vita Caroli Magni se ignorare quæ ad nativitatem et infantiam Caroli spectabant, defectu probatorum auctorum qui ea scripserint, multoque magis ignorasse quæ illius nativitatem præcesserant ; falsa esse quæ de ignavia regum Merovingorum vulgavit ; plura fortasse ab eodem conficta, ut regibus Carlovingis adularetur ; barbam non aluisse promissam, qui fere omnes imberbes decesserunt ; regiam illorum magnificentiam erga ecclesias et monasteria satis refellere exaggeratas angustias, ut nihil possederint præter perparvi redditus villam, et precarium vitæ stipendium, quod eis aulæ præfectus exhiberet ; veteres Francorum annalistas circa tempus non

Digitized by Google

idem sentire, plures Pippinum thronum ascendisse anno 750, alios vero anno 755, alios in regem iunctum a Bonifacio archiepiscopo Moguntino, alios a Stephano pontifice Romano; errare etiam circa locum, Suessione id contigisse, cum Pippinus a Stephano unctus in regem fuerit in monasterio San-Dionysiano agri Parisiensis, Childerico jam defuncto, ut scribit Anastasius in Vita Stephani; tandem auctoritate pontificis more Francorum elevatum Pippinum ad regnum, quando mos Francorum non fuit reges a Romano pontifice postulare, et accipere, sed in regni comitiis clypeo impositos evehere, et acclamare. Ex quibus antilogiis quid certi sponderi potest? Ita Natalis, sus deque omnia miscens, ut malæ causæ adversus pontificiam auctoritatem infeliciter patrocinetur.

Ego vero contra dico vix in omni historia factum occurrere cui stabiliendo tot scriptorum fides et auctoritas tanta consensione conspiret, factum, inquam, adeo pervulgatum, ut per eadem ferme tempora illud scriptis consignaverint et Franchi, et Germani, et Longobardi, et Itali, et Græci. Non vacat hic lectori ad Anastasii textum properanti obtrudere prolixam citationum farraginem, quam ex collectoribus scriptorum rerum Francicarum et Germanicarum petere potest si velit. Duos tantum auctores recitare juvat, quorum innegabilem fidem elevare perfrictæ frontis, seu potius emoti capitis esset; alterum tamen Cointius, quem laudat Alexander, interpolatum perperam opinatur, et alterum uterque dolose dissimulat et maligno silentio præterit. Omissis itaque Eginhardo, annalistis Laureshamensi, Fuldensi, Loiseliano, Metensi, Paulo Diacono, Theophane, Anastasio, Monacho Engolimensi, Adone Viennensi, Egiluvardo, Reginone Prumiensi, auctoribus vel paribus vel suppariibus temporibus rei gestæ, quippe omnes ante annum millesimum scripsere, profero primum auctorem appendicis ad historiam jussu Childebrandi conscriptam, quem fuisse Nibelungum prodit hæc subscriptio, quæ legebatur in codice ms. D. Petavii. « Usque nunc illuster vir Childebrandus comes avunculus prædicti regis Pippini scribi procuravit. Ab hinc ab illustre viro Nibelungo filio ipsius Childebrandi, itemque comite succedat auctoritas. » Scribit itaque Nibelungus: « Quievit terra a præliis annis duobus; quo tempore una cum consilio et consensu omnium Francorum missa relatione, a sede apostolica auctoritate percepta, præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in sedem regni, cum consecratione episcoporum et subjectione principum, una cum Bertrudane, ut antiquitatis ordo deposcit, sublimatur in regno. » — Alterum documentum luculentissimum nobis exhibet doctissimus Mabillonius, l. v de Re diplom., pag. 384, videlicet subscriptionem anonymi libro de Gloria confessorum sancti Gregorii Turonensis, cujus exemplar se habuisse fatetur a RR. PP. Henschenio et Papebrochio, penes quos autographum exstabat. « Si nosse vis, lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus, et ad sanctorum martyrum pretiosam editus laudem, invenies anno ab Incarnatione Domini septingentesimo sexagesimo septimo temporibus felicissimi atque tranquillissimi et catholici Pippini regis Francorum, et patricii Romanorum, filii bonæ memoriæ quondam Caroli principis, anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto decimo, indictione quinta; et filiorum ejus, eorumdemque regum Francorum Caroli et Carolomanni (qui per manus sanctæ recordationis viri beatissimi domni Stephani papæ, una cum prædicto patre domno viro gloriosissimo Pippino rege, sacro chrismate divina providentia et sanctissimorum Petri et Pauli intercessionibus, consecrati sunt), anno tertio decimo. Nam ipse prædictus domnus Florentissimus Pippinus rex pius per auctoritatem et imperium sanctæ recordationis domni Zachariæ papæ et unctionem sancti chrismatis per manus beatissimorum sacerdotum Galliarum, et electionem omnium Francorum, tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea per manus ejusdem Stephani pontificis die uno in beatorum prædictorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii ecclesia (ubi et venerabilis vir Folradus archipresbyter et abbas esse cognoscitur) in regem et patricium, una cum prædictis filiis Carolo, Carolomanno, in nomine sanctæ Trinitatis unctus et benedictus est. In ipsa namque beatorum martyrum ecclesia uno eodemque die nobilissimam, atque devotissimam, et sanctis martyribus devotissime adhærentem, Bertradam jam dicti florentissimi regis conjugem prædictus venerabilis pontifex regalibus indutam cycladibus gratia septiformis Spiritus benedixit, simulque Francorum principes benedictione et Spiritus sancti gratia confirmavit, et tali omnes interdicto et excommunicationis lege constrinxit, ut nunquam de alterius lumbis regem in ævo præsumant eligere, sed ex ipsorum quos et divina pietas exaltare dignata est, et sanctorum apostolorum intercessionibus per manus vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare et consecrare disposuit. Hæc ideo charitati vestræ breviter in novissima paginula libelli inseruimus hujus, ut per succedentium temporum et vulgi relatione propago in ævo valeat cognoscere posterorum. »

Habemus in præclarissimo hoc testimonio circumstantiarum omnium, loci, temporis, personarum, exactissimam adeo designationem, ut ad versutorum hominum cavillationes refellendas divino veluti consilio composita esse videatur. Zachariæ itaque et Stephano Childerici depositio et elevatio Pippini ad thronum referendæ sunt. Annuit nempe Zacharias papa legatis sibi a gente Francorum missis, Burchardo Wirceburgensi episcopo et Fulrado capellano, petentibus ut quem dignum judicaret regno, eumne qui nomen regis haberet, nihil agens præterea, ut Childericus, an vero qui regni negotia omnia obiret, ut Pippinus, ipse pronuntiaret; pronuntiavitque auctoritate beati Petri apostoli regem Pippinum, eumque jussit a Bonifacio archiepiscopo Moguntino inungi in regem, quod in urbe Suessionum factum est. Rursus idem Pippinus post tres annos a Stephano papa in monasterio San-Dionysiano simul cum uxore Bertrada, filiisque Carolo et Carolomanno unctus est chrismate, et coronatus: per quod in concordiam redeunt scriptores, alii Zachariæ, Stephano alii, Pippini ad thronum elevationem ascribentes. Si quæ temporum discrepantia in Annalibus penes scriptores diversarum gentium occurrit, cum omnes in momento rei gestæ plenissime concordent, vel negligenda est, vel componi etiam potest, si ad suos annos diligenter referantur diversa facta quæ rem hanc antecessere, subsecutaque sunt. Pippini certe elevatio ad thronum anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta, figenda est. Cum hoc anno conveniunt exactissime quæ diversis annis regni Pippini accidere. Concilium Vernense Pippini regis auctoritate in Verno Palatio celebratum est sub die v Idus Julias, anno Christi 755, et Pippini regis anno 4. Anonymus de quo supra consignat sui libelli scriptionem anno ab Incarnatione Domini 767, et regni Pippini anno 16. Sirmondus, in notis ad dictum concilium Vernense, pariat annum regni Pippini 3 cum anno Christi 754, 6 cum 757, et 10 cum 761. Pippinus mortuus est anno Domini 768 post annos regni XVII. Qui Pippino tribuunt XV annos regni, initium sumere videntur ab ejus unctione in regem per Stephanum papam. Hæc per annos et indictiones digesta ob oculos pono:

Anno 749, indictione 2, legati Romam mittuntur ad Zachariam papam.

Anno 750, indictione 3, redeunt in Franciam legati cum sacris responsis Zachariæ papæ.

Anno 751, indictione 4, in civitate Suessionum Pippinus ungitur rex a sancto Bonifacio archiepiscopo Moguntino.

Digitized by Google

Anno 752, indictione 5, die 15 Martii Zacharias papa moritur.

Anno 752, indictione 5, die 27 Martii, eligitur papa Stephanus III.

Anno 753, indictione 7, die 15 Novembris, Stephanus papa proficiscitur in Franciam.

Anno 754, indictione 7, die 28 Julii, Stephanus papa ungit in reges Pippinum, Carolum et Carolomannum filios, et Bertradam uxorem.


Anno 757, indictione 10 die 24 Aprilis, Stephanus papa moritur.

Anno 768, indictione 7, die 24 Septembris Pippinus rex moritur post 17 annos regni.

Ad ea quæ Natalis in adversum dixit, singulatim respondeo. Falsum primum est Zachariam vocasse regem Francorum Carolum Martellum in ulla ex epistolis ad Bonifacium datis. Quinimo aperte agnovit Pippinum pro majoredomus, quo titulo eum compellat in epistola 7 : *Domino excellentissimo atque Christianissimo Pippino majoridomus*, quanquam in epistola 3 vocaverat Carolomannum et Pippinum *principes Francorum*, scilicet honoris causa, utpote filios Caroli Martelli majorisdomus, quem Gregorius III subregulum nuncupaverat in epist. 5 et 6 ad eum datis. Probatissimæ pietati Zachariæ et justitiæ nebulam more, non affundit Childerici exauctoratio, et subrogatio Pippini ad regnum, id per solemnem legationem postulantibus universis Francorum ordinibus, ob egregias Pippini virtutes obque ex adverso ignaviam Merovingorum, et Childerici præsertim, qui stupidi cognomine pe.es auctores audit. Anastasius super hoc silet in Vita Zachariæ papæ, cui visum est præterire factum toto orbe celebre, referendis præcipue intento quæ ad Ecclesiarum regimen, cultum, titulos, donaria spectabant. Rem hanc autem abunde narrat in Historia ecclesiastica, quam post Nicephorum, Georgium Syncellum et Theophanem, scripsit.

Eginhardus se ignorare profitetur quæ ad nativitatem et infantiam Caroli Magni pertinebant, eaque proinde silentio premit; Pippini autem elevationem ad thronum, quæ ob oculos omnium contigerat, et quam omnium linguæ celebrabant, recitat, ejusque causas juxta historiæ leges narrat. Quæ de cultu Merovingorum refert, incessisse crine profuso, et *barba submissa* (non *promissa* ut Natalis pervertit, hoc est barbam prolixam nutrire, quod iis qui vigesimum aut vigesimum quartum annum decesserant haud convenit, illud est barbam non radere, sed succrescentes mento pilos intonsos deferre), satis confirmant sigilla Merovingorum, quæ repræsentant eorum vultu visum horridum, tum apud Mabillonium, I. v de Re diplom., tum apud Joan. Heinéccium, lib. de Sigillis Vet. Germ. Eosdem Merovingos possessione et proventu unius villæ contentos fuisse non improbant donationes magnificæ ecclesiis et monasteriis factæ, quæ quidem eorum nomine, sed majorumdomus auctoritate, fiebant, quibus regni et regalium administratio curæ fuerit. Childerici detonsio, et in monasterium ablegatio, absolutioque Pippini a juramento, Stephano papæ a scriptoribus tribuuntur, qui in Galliis existens ea coram agere potuit quibus Zacharias absens consulere satis non potuerat. Falsum autem est in Vita Stephani III Anastasium scribere Childericum sub adventum Stephani in Gallias obiisse, ut Natalis affirmat. Denique nullus auctor scribit fuisse morem Francorum a Romano pontifice suos reges postulare, sed in eo rerum articulo, ubi de transferendo regno ab una regum stirpe ad aliam agebatur, opportunum visum esse Francis consilium a Romano pontifice petere, ut ejus auctoritate quod meditabantur exsequi possent; eaque obtenta, juxta gentis morem, scuto Pippinum impositum super se regem constituisse.

Lectori cujus palatio hujusmodi cupediæ sapiant ectypum exhibeo bullæ plumbeæ plane singularis Childerici regis ex stirpe Merovingorum, cujus fugientes litteras, et pene exesas non sine difficultate revocavi



XCIV. STEPHANUS II.

ANNO CHRISTI 752, CONSTANTINI COPRONYMI 12.

227 Stephanus II, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos quinque, dies viginti octo. Hic post patris sui transitum parvus derelictus in venerabili cubiculo Lateranensi pro doctrina apostolicæ traditionis sub prædecessoribus beatæ memoriæ pontificibus [a] permansit, quem sigillatim per ecclesiasticos [b] ordines promoventes, ad diaconatus ordinem eum ordinaverunt. Defuncto vero beatæ memoriæ domno Zacharia papa, Stephanum quemdam presbyterum ad ordinem pontificatus cunctus populus sibi elegit, et intra Lateranense patriarchium misit, ubi biduo manens, tertio die postquam a suo surgeret somno, et sedens familiares causas suas disponeret, subito dum sederet alienatus obmutuit et sequenti die defunctus est. Post hæc vero cunctus Dei populus congregatus est intra venerabilem basilicam sanctæ Dei Genitricis ad

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Sub doctrina apostolicæ traditionis suorum prædecessorum Gregorii et Zachariæ pontificum. [b] B, clericales.

Digitized by Google

Præsepe. Ubi et omnes misericordiam Domini Dei nostri petentes, et ipsius dominæ nostræ sanctæ semperque virginis Dei Genitricis Mariæ, bono animo et consona voce prædictum beatissimum virum sibi eligunt pontificem. Quem omnes sincera mente cum laudis præconiis in basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportaverunt, et exinde intus venerunt, et in patriarchium juxta morem intromiserunt.

228 Erat enim isdem beatissimus papa amator Ecclesiarum Dei, traditionem etiam ecclesiasticam firma stabilitate conservans [a]. Pauperum Christi velox subventor, verbi Dei in magna constantia prædicator : Viduas et pupillos multo melius visitans [b], fortissimus etiam ovilis sui cum Dei virtute defensor. Mox vero restauravit et quatuor in hac Romana urbe sita antiquitus xenodochia, quæ a diuturnis et longinquis temporibus destituta manebant, et in eis ordinavit omnem utilitatem in diversis eorum locis disponens intus etiam et foris, in quibus et multa contulit dona, quæ et per privilegii paginam sub anathematis interdicto confirmavit. Pari modo a novo fundasse dignoscitur et xenodochium in Plantana [c], centum pauperum Christi dispositum illic faciens, quotidianum videlicet victum eorum decernens tribui.

229 Nam et foris muros hujus civitatis Romanæ secus basilicam beati Petri apostoli duo fecit xenodochia, in quibus et plura contulit bona, quæ et sociavit venerabilibus diaconiis illic foris existentibus perenniter permanere [d], id est diaconiæ sanctæ Dei Genitricis, et beati Silvestri duæ, et privilegiis apostolicis perenniter permanenda munivit.

230 [e] Inter hæc vero dum magna persecutio a Longobardorum rege Aistulfo [f] in hac Romana urbe vel subjacentibus ei civitatibus exstitisset, et vehemens ejusdem regis sævitia immineret, illico isdem beatissimus papa tertio apostolatus ordinationis suæ mense disponens suum germanum sanctissimum, scilicet Paulum diaconum atque Ambrosium primicerium, plurimis [g] cum muneribus ad eumdem Longobardorum regem Aistulfum ad pacis ordinandum atque confirmandum fœdera misit. Qui præfati viri ad eum convenientes, impartitis muneribus, quo facilius eadem pro re apud eum impetrarent, in quadraginta annorum spatia pacis fœdus cum eo ordinantes confirmaverunt. At vero isdem protervus Longobardorum rex, antiqui hostis invasus versutia, ipsa fœdera pacis post pene quatuor menses, in perjurii incidens reatum, disrupit, multas jam fato sanctissimo viro vel cuncto populo Romano ingerens contumelias, varias illi minas dirigens. Cupiens quippe Deo sibi contrario cunctam hanc provinciam invadere, onerosum tributum hujus Romanæ urbis inhabitantibus adhibere [h] innitebatur : per unumquodque scilicet caput singulos auri solidos annue inferre [i] inhiabat. Et suæ jurisdictioni civitatem hanc Romanam vel subjacentia ei castra subdere indignanter afferebat.

231 Cernens vero idem sanctissimus papa valide præfati regis perniciosam imminere sævitiam, magnopere ad se accersitis venerabilium monasteriorum sanctorum Vincentii et Benedicti religiosis abbatibus, sua vice eidem crudelissimo misit regi, obnixe per eos postulans pacis fœdera, et quietem utrarumque partium populi Dei obtinere confirmandam. Quos nempe suscipiens, et omnino contemptui habens, sprevit eorum monita [j] et ad suæ animæ detrimentum sine effectu causæ confusos ad propria absolvit monasteria, obtestans eos minime ad sanctissimum papam declinare. Quod audiens ipse præcipuus Pater extemplo (juxta ut crebro consueverat) omnipotenti Domino Deo nostro suam

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] conservabat. [b] *Baron. eleemosynis scilicet, quam corporali præsentia.* [c] *B*, Plataria. [d] ut perenniter permanerent. [e] *Baron. ann.* 752. [f] *B*, Aistulpho. [g] et plures. [h] adjicere. [i] auferre. [j] munera.

Digitized by Google

populique sibi commissi commendans contulit causam, et hanc lugubrem ejus divinæ majestati insinuavit lamentationem.

232 Et (dum hæc agerentur conjunxit [a] Romam Joannes imperialis silentiarius, deferens eidem sanctissimo pontifici regiam jussionem, simulque et aliam ad nomen prædicti regis impii detulit adhortationis annexam jussionem, ut Reipublicæ loca diabolico ab eo usurpata ingenio, proprio restitueret domino. Quem videlicet imperialem missum confestim sæpefatus sanctissimus papa cum suo germano prædicto sanctissimo Paulo Diacono ad eumdem misit nequissimum Aistulfum Ravennam. Quibus susceptis cum inani eos absolvit responso, adhærens[b] eidem imperiali misso quemdam propriæ gentis nefarium virum diabolicis imbutum consiliis ad regiam properandum[c] urbem, reversique legati Romam ac præsentati eidem sanctissimo papæ, enarraverunt ei nihil se egisse. Tunc præfatus sanctissimus vir, agnito maligni regis consilio, misit in regiam urbem suos missos et apostolicos affatus cum imperiali præfato misso, deprecans imperialem clementiam ut juxta quod ei sæpius scripserat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adveniret, et de iniquitatis filii morsibus Romanam hanc urbem vel cunctam Italiam provinciam liberaret.

233 Inter hæc vero permanens in sua pernicie [d] præfatus atrocissimus Longobardorum rex, exarsit furore vehementi, et fremens ut leo, pestiferas minas Romanis dirigere non desinebat, asserens omnes uno gladio jugulari, nisi suæ, ut præfatum est, sese subderent ditioni. Rursumque [e] antefatus sanctissimus Pater, congregato universo Romano cœtu, taliter eos paterno amore admonuit, inquiens: Quæso vos, filii charissimi, pro nostrorum delictorum mole Domini imploremus clementiam, et ipse noster erit adjutor, liberabitque nos sua providentissima misericordia a persequentium manibus: cujus salutiferis admonitionibus cunctus obediens populus, congregati unanimiter omnes lacrymis fusis omnipotentem Dominum nostrum deprecati sunt. In una vero dierum cum multa humilitate sollicite procedens in letania cum sacratissima imagine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ antheropsita [f] nuncupatur, simulque et cum ea alia diversa sacra ministeria recipiens [g] proprioque humero ipsam sanctam imaginem cum reliquis sacerdotibus idem sanctissimus papa gestans, nudisque pedibus, tam ipse quamque universa plebs, incedentes in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præsepe nuncupatur, posito in omnium capitibus populorum cinere, cum maximo ululatu [h] pergentes, misericordissimum Dominum nostrum deprecati sunt, alligans connectensque adorandæ cruci Dei nostri pactum illud quod nefandus rex Longobardorum disrupit.

234 Hic beatissimus papa omnes suos sacerdotes, et clerum in Lateranensi patriarchio sedule aggregans, admonebat divinam totis nisibus scrutari Scripturam, et in lectione vacare spirituali, ut efficaces invenirentur in omni responso et assertione adversariorum Ecclesiæ Dei. Nec enim cessabat indesinenter admonendo et confutando cunctum Dei populum sobrie pieque agere, atque ab omni pravitate sese custodire. Hic beatissimus vir pro salute provinciæ et omnium Christianorum omni Sabbatorum die letaniam, omni postposito neglectu, fieri statuit. Unum quidem Sabbatum ad sanctam Dei Genitricem ad Præsepe, alium vero ad beatum Petrum apostolum, et alium ad beatum Paulum apostolum.

235 [i] Hic beatissimus papa restauravit basilicam sancti Laurentii, super *sanctum* Clementem sitam, regione tertia, quæ a diuturnis temporibus diruta manebat. Restauravit et tegumen cœmeterii sanctæ Sotheris, quod ceciderat. Itaque dum

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] convenit. [b] *B*, id est, *conjungens*. [c] profecturum. [d] nequitia. [e] Rursusque. [f] *forte* acheropita. [g] misteria. [h] *B*, ejulatu. [i] *Baron., ann.* 753.

Digitized by Google

isdem sanctissimus vir jam fatum pestiferum Longobardorum regem immensis vicibus innumerabilia tribuens munera deprecaretur pro gregibus sibi a Deo commissis, et perditis ovibus [a], scilicet pro universo exercitu [b] Ravennæ, atque cuncto istius Italiæ provinciæ populo, quos diabolica fraude ipse impius deceperat rex et possidebat; et dum ab eo nihil hac de re obtineret, cernens præsertim [c] et ab imperiali potentia nullum esse subveniendi auxilium, tunc quemadmodum prædecessores ejus beatæ memoriæ domnus Gregorius, et Gregorius alius, et domnus Zacharias beatissimi pontifices, Carolo, excellentissimæ memoriæ regi Francorum, direxerunt, petentes sibi subveniri propter oppressiones ac invasiones quas et ipsi in hac Romanorum provincia a nefanda Longobardorum gente perpessi sunt : ita modo et ipse venerabilis Pater, divina gratia inspirante, clam per quemdam peregrinum suas misit litteras Pippino regi Francorum nimio dolore huic provinciæ inhærenti conscriptas.

236 Ad hunc etiam nunc [d] cessavit dirigens, ut suos hic Romam ipse Francorum rex mitteret missos, per quod eum ad se accersiri fecisset. Et dum valide [e] ab eodem Longobardorum rege civitates et provincia ista Romanorum opprimerentur, subito conjunxit [f] missus jam fati regis a Francorum nomine Rodigangus [g] abbas, per quem misit in responsis omnem voluntatem ac petitionem prædicti sanctissimi papæ se adimplere. Et postmodum alius missus familiaris ejus conjunxit, ea ipsa annuntians

237 Cumque a Longobardis, ut præfatum est, antiqua Romana urbs et castra universa distringerentur, ita etiam ut Ciccanense castellum, quod colonorum sanctæ Dei Ecclesiæ existebat, usurparet, illico ad regiam urbem conjunxit [h] sæpefatus Joannes imperialis silentiarius cum missis ipsius sanctissimi pontificis, deferens secum et quæ deportaverat iniqui Longobardorum regis missus, simul et jussionem imperialem, in qua inherat [i] insertum a Longobardorum rege [j], eumdem sanctissimum papam esse properatum ob recipiendam Ravennatium urbem et civitates ei [k] pertinentes. Pro quo et de præsenti Stephanus papa direxit ad eumdem blasphemum regem suum missum pro sua, et qui cum eo ituri erant, indemnitate. Ipsoque reverso extemplo, et missi jam fati Pippini regis Francorum conjunxerunt, id est Rodigangus [l] episcopus, et Autcharius dux quatenus prædictum sanctissimum papam (juxta quod petendo miserat) ad suum Franciæ [m] regem deducerent, quem etiam paratum invenerant ad prædictum Longobardorum regem properandum, pro recolligendis universis dominicis perditis ovilibus [n].

238 Tunc consulens [o] idem beatissimus papa omnipotentis Dei nostri misericordiam, egressus est ab hac Romana urbe ad beatum Petrum apostolum, decimo quarto die mensis Octobris, indictione septima; secuti sunt eum plures Romanorum et cæterarum civitatum populi, flentes ululantesque, et nequaquam eum penitus ambulare sinebant. Qui videlicet sanctissimus vir, sese in Dei virtute et protectione sanctæ Dei Genitricis et beatorum principum apostolorum confidens, constanter pro salute omnium, licet infirmitate corporis detentus, laboriosum aggressus est iter, confortans atque commendans cunctam Dominicam plebem bono pastori Domino nostro, et beatorum apostolorum principi Petro. Et assumens secum ex hac sancta Ecclesia [p] quosdam sacerdotes, proceres etiam et cæteros clericorum ordinis, necnon et ex militiæ optimatibus, Christo prævio, cœptum prosecutus est iter, magnam illi cœli serenitatem Domino in ipso itinere tribuente.

239 Igitur conjungente eo fere quadragesimum milliarium Longobardorum finium [q], in una noctium signum in cœlo magnum apparuit, quasi globus igneus

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, civibus [b] exarchatu. [c] * præterea. [d] Adhuc etiam non. [e] *B*, valde. [f] *B*, *pervenit*, scilicet. [g] *B*, Rodigandus. [h] a regia urbe venit. [i] erat. [j] ad regem. [k] ad eam. [l] * Rhotingandus. [m] in Franciam. [n] ovibus. [o] cernens. [p] ex hujus sanctæ Ecclesiæ clero. [q] * perveniente eo in Longobardorum fines.

Digitized by Google

ad partem australem declinans a Galliæ partibus in Longobardorum partes. Itaque unus ex eisdem Francorum missis, scilicet Autcharius dux, quantocius præcedens Ticinum, eum præstolatus est. Cum vero appropinquasset jam fatus beatissimus papa ad civitatem Papiam, direxit ad eum sæpefatus Aistulfus nequissimus rex missos suos, obtestans eum nulla penitus ratione audere verbum illi dicere petendi Ravennatium civitatem et exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis reipublicæ locis, quæ ipse vel ejus prædecessores Longobardorum reges invaserant. Ille vero ita ei misit in responsis asserens quod nullius trepidationis terrore sileret hujuscemodi petendi causam [a].

240 Conjungente vero eo Papiam in civitatem, et prædicto nefando regi præsentato, plura illi tribuit munera, et nimis eum obsecratus est atque lacrymis profusis eum petivit ut Dominicas, quas abstulerat, redderet oves, et propria propriis restitueret. Sed nullo modo apud eum hæc impetrare valuit. Nam et imperialis missus simili modo petiit, et imperiales litteras illi tribuit, et nil obtinere potuit. Prædicti vero Francorum missi imminebant fortiter apud eumdem Aistulfum, ut præfatum sanctissimum papam in Franciam pergere relaxaret. Ad hæc convocans jamdictum beatissimum virum interrogavit, si ejus [b] in Franciam properandi esset voluntas? Quod videlicet ille nequaquam siluit, sed suam illi propalavit voluntatem. Unde ut leo dentibus fremebat, pro quo et diversis vicibus suos satellites ad eum clam misit, ut eum quoquo modo a tali intentu [c] declinarent.

241 Alias vero, præsente Rodigango sanctissimo episcopo, interrogavit eumdem beatissimum papam jam fatus Longobardorum rex si velle haberet Franciam ambulandi [d], et ita affatus est [e]: Quod si tua voluntas est me relaxandi, mea omnino est ambulandi. Tunc absolutus est ab eo, et assumens ex hujus sanctæ Dei Ecclesiæ sacerdotibus et clero, id est, Georgium episcopum Ostiensiem, Wilearium [f] episcopum Numentanum, Leonem, Philippum, Georgium et Stephanum presbyteros, Theophylactum archidiaconum, Pardum et Gemmulum diaconos, Ambrosium primicerium, Bonifacium secundum, Leonem et Christophorum regionarios secum et cæteros, quinta decima die mense Novembris prædictæ septimæ indictionis a civitate Papia movens suum in Franciam profectus est iter.

242 Et post ejus absolutionem adhuc nitebatur suprascriptus Longobardorum rex a prædicto itinere eum deviare, quod minime ipsum sanctissimum virum latuit. Unde et cum nimia celeritate Deo prævio ad Francorum conjunxit [g] clusas [h]. Quas ingressus cum his qui cum eo erant, confestim laudes omnipotenti Deo reddidit. Et cœptum gradiens iter, ad venerabile monasterium sancti Christi martyris Mauricii pervenit, in quo et constitutum erat pariter secum Francorum regem conveniri; annuente Domino sospes isdem beatissimus pontifex cum omnibus qui cum eo erant, advenit. In quo et aliquantis demorantes diebus, conjunxerunt [i] in prædicto venerabili monasterio Fulradus abbas et Rothardus [j] dux, directi a sæpefato Pippino excellentissimo Francorum rege, petentes eumdem sanctissimum pontificem ad suum progredi regem. Quem et cum magno honore cum omnibus qui cum eo erant ad eum deduxerunt.

243 Audiens vero isdem rex ejusdem beatissimi pontificis adventum, nimis festinanter in ejus advenit occursum, una cum conjuge, filiis etiam et primatibus, pro quo et afferens centum [k] millia filium suum nomine Carolum in occursum ipsius coangelici papæ direxit cum aliquibus ex suis optimatibus. Ipseque in palatio suo, in loco qui vocatur Ponticone, ad fere trium millium

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] pro nullius trepidatione terroris sileret ab ejuscemodi petendi causa. [b] ei [c] intentione. [d] si vellet ire in Franciam. [e] respondit. [f] Villarium. [g] pervenit. [h] *B*, clausas, *id est angustias Alpium*. [i] venerunt. [j] Rothaldus. [k] pro quo et fere ad centum. *B*, offerens.

Digitized by Google

spatium descendens de equo suo cum magna humilitate terræ prostratus, una cum sua conjuge, filiis et optimatibus, eumdem sanctissimum papam suscepit. Cui et vicestratoris usque in aliquantum locum juxta ejus sellarem properavit. Tunc prædictus almificus vir cum omnibus suis extensa [a] voce gloriam et incessabiles laudes omnipotenti Deo referens cum hymnis et canticis spiritalibus usque ad præfatum palatium pariter et cum rege omnes profecti sunt, sexta Januarii mensis die in Apparitionis Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi sacratissima solemnitate, ibique intus oratorium pariter consedentes, mox idem beatissimus papa prædictum Christianissimum regem lacrymabiliter deprecatus est ut per pacis fœdera causam beati Petri et Reipublicæ Romanorum disponeret. Qui de præsenti jurejurando eidem beatissimo papæ satisfecit, omnibus mandatis ejus et admonitionibus sese totis nisibus [b] obedire, et ut illi placitum fuerit, exarchatum Ravennæ et Reipublicæ jura seu loca reddere modis omnibus [c]. Sed quia tempus imminebat hiemale eumdem sanctissimum papam cum suis omnibus Parisios [d] apud venerabile monasterium beati Dionysii ad habitandum [e] pergere curavit.

244 Quo peracto et eo in eodem venerabili monasterio cum jam fato Christianissimo Pippino conjungente [f], Domino annuente, [g] post aliquantos dies isdem Christianissimus Pippinus rex ab eodem sanctissimo papa Christi gratia cum duobus filiis suis reges uncti sunt Francorum. Postea vero beatissimus papa præ nimio labore itineris atque temporis inæqualitate fortiter infirmatus est, ut etiam omnes tam sui quamque etiam Francorum ibidem existentium omnes eum desperarent [h]. Sed Domini Dei nostri ineffabilis clementia, qui non deserit sperantes in se, salvum cupiens dominum Christianissimum, dum eum [i] mane mortuum invenire sperabant, subito alio die sanus repertus est. Pippinus vero rex cum admonitione, gratia et oratione ipsius venerabilis pontificis absolutus, in loco [j] qui Carisiacus [k] appellatur, pergens, ibique congregans cunctos proceres regiæ suæ potestatis, et eos tanti Patris admonitione imbuens, statuit cum eis quæ semel, Christo favente, una cum eodem beatissimo papa decreverat, perficere.

245 Interea nefandissimus Aistulfus Carolomannum fratrem [l] benignissimi Pippini regis a monasterio beati Benedicti, in quo devote per revolutum temporis spatium monachice [m] degebat, diabolicis ei suasionibus suadens Franciam provinciam ad obicendum [n] atque adversandum causæ redemptionis sanctæ Dei Ecclesiæ Reipublicæ Romanorum, direxit. Dumque illuc conjunxisset [o], nitebatur omnino et vehementius decertabat sanctæ Dei Ecclesiæ causam subvertere, juxta quod a præfato nec dicendo Aistulfo tyranno fuerat directus. Sed propitiante Domino minime valuit sui germani Christianissimi Pippini regis Francorum in hoc firmissimum cor inclinare. Potius autem, comperta nequissimi Aistulfi versutia, tota se virtute idem excellentissimus Pippinus Francorum rex professus est decertare pro causa sanctæ Dei Ecclesiæ, sicut pridem jam fato beatissimo spoponderat pontifici.

246 Tunc pari consilio isdem sanctissimus papa cum denominato Francorum rege consilio inito juxta id quod præfatus Carolomannus Deo se devoverat monachicam degere vitam, in monasterio eum illic in Francia [p] collocaverunt. Ubi et post aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit anno Domini 755. [q] Porro Christianissimus Pippinus Francorum rex, ut vere beati Petri fidelis, atque jam fati sanctissimi pontificis salutiferis obtemperans monitis [r] direxit

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] excelsa. [b] viribus. [c] seu cætera loca juri reipubl. modis omnibus reddere. [d] *Parisiacum. [e] hibernandum. [f] comitante. [g] *Vide Baron. ad ann.* 754. [h] *Franci ibidem existentes de ejus vita desperarent. [i] *omnem fieri hominem, dum eum. [j] *ad locum. [k] *B*, Parisiacus. [l] *Carolo Magno fratri. [m] *monachus. [n] *eum in Franciæ provinciam ad sibi obediendum. [o] *pervenisset. [p] *Viennæ collocaverunt. [q] *Vide Baron. ann.* 754. [r] *jussis.

Digitized by Google

suos missos Aistulfo nequissimo Longobardorum regi propter pacis fœdera, et proprietatis sanctæ [a] Dei Ecclesiæ, ac Reipublicæ restituenda jura, atque bis et tertio juxta sæpefati beatissimi papæ admonitionem eum deprecatus est, et plura ei pollicitus est munera, ut tantummodo pacifice propria restitueret propriis; sed ille, peccato imminente, obedire distulit. Ad hoc, isdem eximius Francorum rex, cernens quod atrocissimi Aistulfi nequaquam valeret quoquo modo saxeum mollire cor, generalem contra eum decrevit facere motionem. Et dum jam fere medium itineris spatium Francorum exercituum graderentur cunei, rursum ipse sanctissimus vir præfatum benignissimum deprecatus est Pippinum regem, demum [b] sævissimo Aistulfo dirigi Longobardorum regi, si quo modo potuisset vel sero tandem ejus sedare sævitiam, et propria propriis saluberrime suaderet reddere absque humani effusione sanguinis. Et ita factum est, atque denuo ipse benignissimus Francorum rex suos eidem Aistulfo misit missos

247 Sed beatissimus isdem papa, ut vere pater et bonus pastor, ne sanguis effunderetur Christianorum, admonitionis et obsecrationis apostolicas ei direxit litteras, per eas et fortiter per omnia divina mysteria et futuri examinis diem conjurans atque obtestans ut pacifice sine ulla sanguinis effusione propria sanctæ Dei Ecclesiæ et Reipublicæ Romanorum redderet jura; sed iniquitate ejus obsistente, nequaquam acquiescere voluit. Potius autem e contrario minas et indignationes præfato pontifici et excellentissimo Pippino regi vel cunctis Francis direxit. Tunc fixus [c] in omnipotentis Dei misericordia antefatus Pippinus Francorum rex iter suum profectus [d] est, præmittens ante suum occursum aliquos ex suis proceribus, et cum eis exercituales viros ad custodiendum proprias Francorum clusas [e]; ibique conjungentes remoti residebant, proprii regis præstolantes adventum. Audiens itaque protervus ille Aistulfus parvos fuisse Francos illos qui ad custodiam propriarum advenerant clusarum, fidens in sua ferocitate [f], subito aperiens clusas, super eos diluculo cum plurimis exercitibus irruit. Sed justus judex Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus victoriam paucissimis illis tribuit Francis. Et multitudinem illam Longobardorum superantes trucidaverunt, ita ut ipse Aistulfus fuga arreptus vix ab eorum evadere potuisset manibus, nisi usque in Papiam civitatem absque armis fugam arripuisset; in qua et præ timore Francorum cum aliquantis se retrusit. Ipsi vero Franci introeuntes clusas, cunctum fossatum [g] Longobardorum post peractam cædem abstulerunt, spolia multa auferentes.

248 Conjungens vero Christianissimus Pippinus Francorum rex, sequipes etiam ejus factus, et antefatus beatissimus papa, usque ad muros civitatis Papiæ utrique pervenerunt. Quam et obsidentes per aliquantos dies viriliter eam Francorum exercitus constrinxerunt [h]. Tunc jam fatus beatissimus et coangelicus papa Pippinum deprecatus est benignissimum regem, ut jam amplius malum hoc non proveniret [i], neque sanguis effunderetur Christianorum, imminens salutifera prædicatione, ut pacifice causæ finirentur. Ad hæc Christianissimus Pippinus Francorum rex, ejusdem beatissimi Patris et boni pastoris audiens [j] adimplensque admonitionem, Deo dilectam pacem inientes, atque in scripto fœdera partium affirmantes inter Romanos, Francos et Longobardos, et obsides Longobardorum isdem Francorum rex abstollens : spopondit ipse Aistulfus cum universis suis judicibus, sub terribili et fortissimo sacramento, atque in eodem pacti fœdere per scriptam paginam affirmavit se illico redditurum civitatem Ravennatium cum aliis diversis civitatibus.

249 Et post hoc, facta pace inter Romanos, Francos et Longobardos, rex Pippinus obsides Longobardorum secum ducens in finibus suis rediit. Cumque

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, præfatæ sanctæ. [b] denuo. [c] fisus. [d] *B*, prosecutus. [e] B. clausas. [f] fortitudine. [g] fossatum, *id est* castra. [h] constrinxit. [i] perveniret. [j] * Ad hoc Pappinus rex audiens eos paci inhiantes, atque in scripto fœdere pactum promittentes dixit summo Pontifici. Fiat secundum præceptum tuum beatissime Pater.

Digitized by Google

ab invicem essent segregati, solitum in perjurii reatum infidelis ille Aistulfus Longobardorum rex incidens, quod jurejurando promisit, reddere distulit. Dum enim sæpefatus sanctissimus papa conjungeret Romam, post aliquanti temporis spatium, furore vehementi repletus adversarius ille, et suæ animæ inimicus, Aistulfus, Deo sibi contrario, non solum quia ea quæ promiserat minime adimplevit, sed etiam et generalem faciens commotionem cum universo regni sui Longobardorum populo contra hanc Romanam venit urbem, quam per trium mensium spatia obsidens, atque ex omni circumdans parte, quotidie fortiter eam expugnabat, omnia quæ erant extra urbem ferro et igne devastans atque funditus demoliens consumpsit. Imminens vehementius isdem pestifer Aistulfus, ut hanc Romanam capere potuissent urbem, nam et multa corpora sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria [a], ad magnum animæ detrimentum abstulit.

250 Hæc itaque impie ab eodem Aistulfo gesta quantocitius sæpedicti Francorum insonuere regis in aures [b]. Sed et beatissimus pontifex per marinum iter suos ordinans, et ad eum Franciam dirigit missos, una cum quodam religioso viro, Warnerio nomine, qui ab eodem Francorum rege huc Romam directus fuerat. Cuncta quæ gesta sunt, et quæ crudeliter tyrannus ille peregit Aistolfus, subtili fictione suis [c] apostolicis relationibus sæpefato Christianissimo, et Dei cultori Pippino Francorum intimavit regi, adjurans eum fortiter firmiterque sub divina diei judicii obtestatione, cuncta quæ beato Petro pollicitus est adimplendum [d]. Ad vero hæc Christianissimus Pippinus rex Francorum, fervore fidei motus, iterum cum Dei virtute generalem faciens motionem, in Longobardorum partes conjunxit [e], et clusas funditus eorumdem evertit Longobardorum. Etenim cum ad prædictas Longobardorum clusas jam fatus Christianissimus Pippinus Francorum appropinquaret rex, conjunxerunt in hac Romana urbe [f] imperiales missi, Gregorius scilicet protosecrata [g], et Joannes Silentiarius, directi ad prædictum Francorum regem. Quos suscipiens beatissimus papa eisdem motionem præfati Francorum regis nuntiavit. Quod quidem illi dubium habuerunt credendi. Et adhærens eis missum apostolicæ sedis eos in Franciam ire absolvit [h]. Et pergentes marino itinere quantocius Massiliam advenerunt; in quam ingredientes didicerunt jam prædictum Francorum regem Longobardorum fines fuisse ingressum, juxta adhortationem antefati beatissimi papæ, et promissionem quam beato Petro jurejurando obtulerat. Et hæc [i] cognoscentes ipsi imperiales missi, tristes effecti, nitebantur dolose [j] missum apostolicæ sedis detinere Massiliam, ut minime ad prædictum properaret regem, affligentes eum valide [k].

251 Sed, interveniente beato Petro apostolorum principe, eorum cassida ad nihilum redacta est versutia. Itaque unus ex ipsis, Gregorius videlicet protosecreta [l] præcedens apostolicæ sedis missum, celeriter prænominatum Francorum assecutus est regem, quem et in finibus Longobardorum non procul a Papia reperit civitate; et nimis eum deprecans, atque plura spondens tribui [m] imperialia munera, ut Ravennatium urbem vel cæteras ejusdem exarchatus civitates et castra imperiali tribuens concederet ditioni. At nequaquam valuit firmissimum jam fati Christianissimi atque benignissimi fidelis Dei et amatoris beati Petri apostoli, scilicet antefati Pippini Francorum regis, inclinare cor, ut easdem civitates et loca imperiali tribueret ditioni. Asserens isdem Dei cultor, mitissimus rex, nulla penitus ratione easdem civitates a potestate beati Petri et jure Ecclesiæ Romanæ vel pontificis apostolicæ sedis quoquomodo alienari [n]. Affirmans etiam sub juramento quod per nullius hominis favorem seso

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] cœmeteria. [b] insonuerunt auribus. [c] subtiliter suis. [d] sub divini judicii die obtestans, ut omnia quæ beato Petro pollicitus est, adimpleret. [e] venit. [f] venerunt in hanc urbem. [g] proto a secretis. [h] Absolvit, *id est, dimisit*. [i] quod. [j] dolo. [k] valde. [l] Proto a secretis. [m] tribuit [n] B. p. ti.

Digitized by Google

certamini sæpius dedisset, nisi pro amore beati Petri, et venia delictorum, asserens et hoc quod nulla eum [a] thesauri copia suadere valeret ut quod semel beato Petro obtulit, auferret. Et hæc prædicto imper. misso reddens in responsis, continuo eum ad propria remeandum per aliam viam absolvit, qui et sine effectu Romam conjunxit.

252 Dum vero antefatus benignissimus Pippinus Francorum rex Papiam obsidens constringeret civitatem, tunc Aistulfus atrocissimus rex Longobardorum, ut veniam illi tribueret et ab obsidione cessaret, quas prius contempserat conscriptas in pacti fœdere redderet civitates, se modis omnibus professus est redditurum. Et denuo confirmato anteriore pacto, quod per elapsam octavam indictionem inter partes provenerat [b], restituit ipsas civitates orælatas, addens et castrum quod cognominatur Comiaclum [c].

253 De quibus omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis a beato Petro atque a sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum pontificibus apostolicæ sedis, misit possidendam, quæ et usque hactenus in archivio sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur. Ad recipiendas vero ipsas civitates misit ipse Christianissimus Francorum rex suum consiliarium, id est Fulradum venerabilem abbatem et presbyterum. Et continuo ejus eximietas [d] feliciter cum suis exercitibus Franciam repedavit. Prænominatus autem Fulradus venerabilis abbas et presbyter Ravennatium partes cum missis jam fati Aistulfi regis conjungens, et per singulas ingrediens civitates tam Pentapoleos quam et Æmiliæ, easque recipiens, et obsides per unamquamque auferens [e], atque primates secum una cum clavibus portarum civitatum deferens, Romam conjunxit.

254 Et ipsas claves tam Ravennatium urbis quamque diversarum civitatum ipsius Ravennatium exarchatus una cum suprascripta donatione de eis a suo rege emissa in confessione beati Petri ponens, eidem apostolo et ejus vicario sanctissimo papæ, atque omnibus ejus successoribus pontificibus perenniter possidendas atque disponendas tradidit, id est Ravennam, Ariminum, Pisaurum, atque Fanum, Cesenas, Senogallias, Esium, Forum Pompilii, Forum Livii, cum castro Sussubio, Montemferetri, Acerragio, Montem Lucari, Serram, castellum sancti Mariani, Bobrum, Urbinum, Callium, Luculos, Eugubium seu Comiaclum. Necnon et civitatem Narniensem, quæ a ducatu Spoletino [f], a parte Romanorum per evoluta annorum spatia fuerat invasa. Dum ergo hæc agerentur, ipse infelix Aistulfus quodam loco in venerationem pergens divino ictu percussus, defunctus est. Tunc Desiderius quidam dux Longobardorum, qui ab eodem nequissimo Aistulfo Tusciæ in partes erat directus, audiens præfatum obiisse Aistulfum, illico aggregans ipsius Tusciæ universam exercituum multitudinem, regni Longobardorum arripere nixus est fastigium. [g] Cujus personam despectui habens Radehisus dudum rex, et postmodum monachus, germanus præfati Aistulfi, sed et alii plures Longobardorum optimates cum eo eundem Desiderium spernentes, plurimam transalpium vel cætera Longobardorum exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt

255 Ad hæc præfatus Desiderius obnixe præfatum beatissimum pontificem deprecatus est sibi auxilium ferre, quatenus ipsam regalem valeret assumere dignitatem, spondens jurejurando omnem præfati beatissimi pontificis adimplere voluntatem. Insuper et reipublicæ se redditurum professus est civitates quæ remanserant, imo et copiosa daturum munera. Tunc isdem præcipuus Pater et bonus pastor, inito consilio cum sæpe fato Fulrado venerabili presbytero et

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] ei, [b] *B*, convenerat. [c] *B*, Comaclum. [d] ipse rex. [e] * de unaquaque tollens. [f] * duce Spoletano
[g] *Vide Baron. ann. Domini* 756.

Digitized by Google

abbate, atque consiliario Christianissimi Pippini Francorum regis, misit suum germanum, Paulum scilicet diaconem, atque Christophorum consiliarium una cum præfato Fulrado in partes Tusciæ ad prædictum Desiderium. Cum quo loquentes confestim per scriptam paginam terribili juramento isdem Desiderius cunctam professus est superius annexam sponsionem adimplere. Post hæc vero peracta statim suum missum, id est Stephanum venerabilem presbyterum cum apostolicis exhortatoriis litteris præfato Radehiso, vel cunctæ genti Longobardorum direxit, properans et prædictus Fulradus venerabilis cum aliquantis Francis in auxilium ipsius Desiderii, sed et plures exercitus Romanorum, si necessitas exigeret, in ejus disposuit occurri [a] adjutorium. Et suffragantibus prædicti sanctissimi pontificis Deo acceptis precibus, ita omnipotens Dominus disposuit, ut sine ulla animarum periclitatione antefatus Desiderius, per jam dicti coangelici papæ concursum, eamdem quam ambiebat assumeret regalem dignitatem [b].

256 Dum vero hæc agerentur, direxit missum suum sanctissimus pontifex, et abstulit de ipsis civitatibus quas sæpedictus Desiderius rex reddere promiserat beatissimo eidem papæ, id est Faventiam cum castro Tiberiaco [c], seu Gabellum [d] et universum ducatum Ferrariæ in integrum. Et annuente Deo rempublicam dilatans, et universam dominicam plebem videlicet, rationales sibi commissas oves, ut bonus pastor, animam suam ponens, omnes ab insidiis eruit inimicorum, cursumque consummans, et omnia utiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiens ad æternam migravit requiem. Qui fecit ordinationem unam per mensem Martium; presbyteros undecim, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero viginti; et cessavit episcopatus dies triginta quinque. Sepultus est in basilica beati Petri apostolorum principis sexto Kalendas Maii, indictione x. Et cessavit episcopatus diebus triginta duobus.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] occurrere. [b] *Rachis vero rediit ad monasterium.* [c] B. Tiberiano. [d] Caballo.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano XCV.

Num 227, *lin* 1, sed ann v, dies XXIII.

Num 228, *lin* 9, pari modo fundasse dignoscitur ex Zenodochium in plantana.

Num 233, *lin* 12, achiropyta.

Num 234, *lin* 5, et confortando.

Num. 241, *lin* 6. Wildecharium; *lin.* 8, Bonifacium secundicerium.

Num. 243, *lin* 18, exarchatum Rabenæ. *lin* 20, ad libernandum pergere rogavit.

Num 246, *lin* 4, de hac luce migravit. Porro Christianissimus Pippinus.

Num. 249, *lin.* 14, detrimentum abstulit. Castrum itaque illum Narniensem, quem pridem reddiderat misso Francorum, a jure beati Petri abstulit. Hæc itaque impie, etc.

Num. 250, *lin.* 14, Imperiales missi Gregorius scilicet.

Num 255, *lin* 13, prefato Radehiso.

Num 256, *lin* 11, Indict. x Paulus nat., etc.

Ex codice Vallicellano.

Num 227, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thu. ibid.*, annos v, dies XXIX. *lin* 3, *ut laudd codd. lin* 6, be. mem. Zacharia papa. *lin* 7, cunctus populus elegit. Ubi biduo manens. *lin* 7 *et* 8, ut *laudd codd. lin* 10, post hoc, cunctus pop Dei congr. est intra basilicam sanctæ Dei Genitricis virginis Mariæ bono animo, consona voce prædictum beatissimum sibi elegerunt P. *lin* 15 laudum præconiis in basilica salv q. appel Cons depor et exinde intra venerabilem (*sic*) patriarchium.

Num 228, *lin* 2, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thu et ita lin* 5, 8, 9 *et* 11. *lin* 3, prædicatorum, *mendose. lin* 4, fortissimus etiam illorum defensor. Mox. *lin* 6, manebant, et inordinata, omnem. *lin* 7, eis disponens intus, et foris. *lin* 9, dinoscitur.

Num 229, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg, Maz et Thu lin* 2, contulit dona. *lin* 3, diaconis foris existentibus. Idem diaconiæ. *lin* 4 *et* 5, *ut laudd cod.*

Num 230, *lin* 1, *cod Vallicel*, inter hæc vero bona, quæ agebat, magnam persecutionem Langobardorum rex Aistulfus in hoc Rom urbe, vel subjacentibus civitatibus fecit. Sed isdem beatissimus papa tertio mense ordinationis suæ germanum suum, sanctissimum scilicet. *lin* 5, primicerium cum muneribus ad eumdem regem Langobardorum nomine Aistulfum, ob pacis ordinanda atque firmanda fœdera misit. Qui viri ad eum jungentes. *lin* 8, quasi facilius pro eadem re apud eum impetrantes in 40 annorum spatia fœdus cum eo ordinantes conf. *lin* 11 *et* 12, *ut codd Reg, Mag et Thu, cum quibus concordat etiam lin* 13. *lin* 15, per unumquique, *mendose. lin* 16, auferre inhiabat.

Num 231, *lin* 1, *codd Vallicel concordat cum Reg., Maz et Thu et ita lin* 3 *et* 4; *item lin* 4, 5, 6, 8 *et* 9.

Num 232, *lin* 1, *codd Vallicel concordat cum Reg., Maz et Thu et ita lin* 12. *lin* 2, eidem beatissimo pontifici. *Ibid* simulque et alia. *lin* 3, retulit adhortationis adnectens verba, etc., *ut laudd codd hic. lin* 5, quem imperialem missum confestim præfatus papa cum suo germano Paulo prædicto diacono ad regem misit nequissimum Aistulfum Ravennam. *lin* 7, responso, et adjungens eidem. *lin* 9, *ut laudd codd* (*excepto tamen pronomine* ei, *quod deest in nostro*

Digitized by Google

redi) et ita lin 14, *ibi tamen* advenîret *pro* convenîret.

Num 233, *lin* 1, *codd Vallicel concordat cum Reg., Maz et Thu., et ita lin* 2 *ibid et lin* 4, 14 *et* 15. *lin* 19, deprecati sunt Dominum omnipotentem. *lin.* 11, processit in letania cum sacratissima imagine Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ archeropsita nuncupatur, simulque cum ea alia diversa sacra mysteria eiciens. *lin* 17, cinere, maximo fletu et ululatu misericordissimum Deum deprecati sunt. Affigavit quoque et connexuit adorandæ cruci Domini Dei nostri. *lin* 19, disruperat.

Num 234. *Deest in codd Vallicellano integer num.* 234.

Num 235, *lin* 1, *codd Vallicel*, itaque dum idem sanctissimus vir jam fatum pestiferum Langobardorum regem, universis vicibus innumera tribuens munera, deprecaretur pro gregibus a Deo sibi commissis, et perditis ovibus, scilicet et pro universo exarchato Ravennæ, atque cuncto istius Italiæ provinciæ populo, quem pro diabolica fraude ipse impius decerpserat rex, et possidebat, etc., *ut infra lin* 8. *lin* 9, *ut codd Reg., Maz et Thu, cum quibus concordat etiam lin* 10. *ibid et lin* 11, 12, 13 *et* 16.

Num. 236, *lin* 1, *cod Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. lin.* 2, per quos. *Ibid.* accersiri juberet (faceret.) *ly* faceret *est varians lectio perperam in textum illata. lin.* 4, *ut codd. Reg., Maz. lin.* 6, prædicti papæ. Postmodum vero, etc., *ut laudd. Codd. hic.*

Num. 237, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu., et ita lin* 6, 13. *lin. eadem, ibid. et lin*, 15. *lin.* 2, ita etiam, ut et Cicanense. *lin.* 3, usurparent, illico a regia urbe venit prædictus Joannes. *lin.* 4, ipsius beati pontificis, deferens secum, etc., *ut laudd. codd. hic, quibus adhæret etiam lin.* 9, *exceptis his lin.* 11, *nempe:* Rotdingandus episcopus et Autcharius dux.

Num. 238, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. Ibid.* omnipotentis Dei misericordiam. *lin*, 2, *ut laudd. codd. et ita lin.* 7 *et* 8. *Item. lin.* 9 *ibid. et* 12. *lin.* 3, secutique sunt eum. *lin.* 4, et nequaquam cum ambulare sinebant. Tunc beatissimus vir sese in Dei virtute. *lin.* 9, apostolorum conferens. *lin.* 11, proceres etiam, et cæteros clericalis ordinis, etc., *ut laudd. codd. hic.*

Num. 239, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin.* 5, 6, 8 *et* 11. *lin.* 2, quasi gladius ingneus. *lin.* 6, ad eum Aistulfus rex missos suos.

Num. 240, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, veniente vero eo in Papiam civitatem, et pr. regi præsentato. *lin.* 2, lacrymis profusis petiit ut. *lin.* 4, impetrare hoc valuit, etc., *ut laudd. codd. hic, cum quibus concordat etiam lin.* 5 *et* 6, 10, 11 *et* 12. *lin.* 7, ut præ. P. Franciam p. r. Ad h. e. B. virum rex, interrog. si ei Franciam prop. esset vol. *lin.* 10, voluntatem propalavit.

Num. 241, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz, et Thu.* (*excepto vocabulo* Rodigando) *et ita lin.* 9. *lin.* 5, vel clero Georgium episcopum Hostiensem, Quilcharium episcopum Numentanum. *lin.* 7, et Gemulum. *lin.* 8, Bonifatium secundicerium. *lin.* 10, movens iter suum, Franciam profectus est.

Num. 242, *lin* 1, *cod. Vallicel*, Post ejus absol. adh. nil. supra scripturis rex, etc., *ut codd. Reg. Maz. et Thu. hic. lin* 3 *et* 4. *Item lin* 5 *et* 7, *ut laudd. codd. lin* 6, Mauritii, in quo const. *et c. ut laudd. codd. hic. lin.* 8. aliquantis diebus moratus est. Tunc convenerunt in prædictum monasterium Agaunensem Floradus abbas, etc., *ut iidem codd. hic.*

Num. 243, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. lin.* 3, et filium suum nomine Karolum in occursum ejus papæ. *lin* 7, *ut cop. Maz. ubique. lin* 8, in aliquantum loci. *lin* 9, tunc prædictus papa cum omnibus suis excelsa voce gloriam et laudes omnipotenti Deo referens, etc., *ut laudd, codd. hic usque ad ea verba*, profectus est. *lin* 11, VI Januarii mensis die in app. Domini sacratissima sollemnitate, etc., *ut codd. laudd. linea* 12, *cum quibus concordat etiam lin* 16, *ibid.* 18 *et* 21. *lin* 18, placitum esset. *lin* 19, tempus hiemale imminebat. eundem papam cum suis omnibus Parisiacum apud.

Num. 244, *lin.* 1, *cod. Vallicel.*, vero monast. cum rege convivante post aliquantos, etc., *ut codd. Reg., Maz. et Thu. hic cum quibus concordat etiam lin.* 8. *lin* 9, sperarent. *Ibid* subito alia die sanus effectus est repertus. *lin.* 10, *ut laudd. codd., exceptis his lin.* 11, *nempe:* qui Carisiacus appellatur. *lin.* 12, tanti patris sancta admonitione. *lin.* 13 *et ibid ut iidem codd.*

Num 245, *lin* 1, *Cod Vallicel* interea Aistulphus Karolo Manno fratri Papini (*sic*), qui in monasterio B. Benedicti, etc., *ut ms. cod Maz hic ubique: in reliquis vero, ut Reg ac Thu. lin* 5 *et* 11, *ut laudd codd Reg., Maz et Thu et ita lin* 7, *si hæc excipias: lin.* 9 comperto A. ingenio decertabat, tota sé virtute isdem Pipinus professus est decorare.

Num 246, *lin* 1, *cod Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin* 3. *Item lin end.* 3, 9, 15, 17 *et* 19. *lin* 2, Karolmannus. *ibid. ut laudd. codd., excepta voce* se, *quæ deest in nostro ms. libro.*

Num 247, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg., Maz et Thu et ita lin* 3, 4, 8 *et* 9, 10 *et* 15. *lin* 5, redderet (*omissa voce* jura) sed ille, etc., *ita laudd codd hic. lin* 7, *ut Reg et Thu tantum lin.* 11, residebant, regem suum exspectantes. Audiens itaque Aistulfus rex parvum numerum ex illis Francis adfuisse, qui ad custodiendas proprias clusas venerant fidens in sua fortitudine, subito aperiens chassas, super eosdem diluculo cum plurimis irruit exercitibus. Sed justus, etc., *ut laudd codd. linea* 15; *deinde superiorem plurium pagellarum nostri ms. libri marginem occupans hæc inscriptio majusculis litteris minio depicta occurrit:* Petrus Guillermus bibliothecharius apud Acejum, C dum ibi moraretur anno Dominicæ incarnationis millesimo C. XLII. *Lin* 17, fuga ereptus, ab eorum invaserit (*sic*) manibus, etc., *ut laudd codd hic. lin* 21, auferentes.

Num. 248, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin.* 4. *lin.* 7, causa finiretur. Ad hæc Pipinus rex audiens eos pacti inniantes, atque inscripto fœdere pactum promittentes, etc., *ut laudd. codd. hic.*

Num. 249, *lin.* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. lin.* 2, cum ab invicem essent segregati, Aistulfus rex in perjurium incidens, quod jurejurando promiserat, reddere distulit. Dum vero papa pervenisset Romam, post aliquantum temporis spatium furore vehementi repletus Aistulfus, non solum ea, quæ promiserat, minime adimplevit; sed etiam generalem facit motionem: et cum universo regni sui populo Langobardorum. *lin.* 9, 10 *et* 12, *ut laudd. codd.*

Num. 250, *lin* 1, *Cod. Vallicel. habet ut Reg., Maz. et Thu. exceptis his lin.* 2: sed et beatissimus pontifex. *lin.* 3, in Franciam suos dirigens missos, una cum viro nomine Uvarnario, qui. *lin.* 5, cuncta quæ gesta fuerant, et quæ Aistulfus peregit, etc., *ut laudd. Cod. hic; cum quibus concordat etiam lin* 7, *item lin.* 14, *excepto hoc vocabulo*, prothoa secretis. *lin.* 15, directi ad prædictum Pipinum: quibus susceptis jam dictus papa, etc, *ut laudd. codd. hic. lin.* 20, *ut iidem codd. et ita lin.* 22 *et* 23. *Ead. lin.* 22, quod cognoscentes. *lin.* 23, Massilia.

Num. 251, *lin.* 2, *cod Vallicel.*, ex ipsis imperialibus missis, Georgius videlicet protho a secretis. *lin.* 3, A. S. missos, celeriter præmoninatum Fr. reg. assecutus est. *lin.* 5, repperit civitate. Itaque unus cum deprecans, etc., *ut codd. Reg. Maz. et Thu. hic cum quibus concordat etiam lin.* 12, *item* 12 *et* 13, 15, *ac demum* 16, *exceptis his:* et hoc prædicto imperiali. *lin.* 7, sed nequaquam valuit

Digitized by Google

Pipini, etc., *ut laudd. codd. hic lin.* 14, delictorum suorum. Asserebat et hoc. *lin.* 18, Romam pervenit.

Num. 252, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. lin.* 4, reddere civitates. *Ibid.*, redditurum. Ita demum confirmato. *lin.* 6, restituit ipse Aistulfus prælatas civitates. *lin.* 7, *ut laudd. codd. hic.*

Num 253, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg., Maz et Thuan, et ita lin* 5, 6, 7, 10 *et* 11. *lin* 8, cum m. Aistulfi, etc., *ut laudd codd hic*

Num 254, *lin* 1, *cod Vallicel concordat cum Reg., Maz et Thu. lin* 2, cum Sca donatione de eis a suo rege missa. *lin* 3, eidem Dei apostolo, et ejus vicario papæ. *lin* 5, tradidit ipse Ravennam, Arimininum, Pensaurum, Concam, Famum, Cesenas, Senogallias, Æsis, Forum Populi, Forum Livii, cum Castro Salsubio, Montem Feletri, Accerrem, Agiomontem, Montem Lucati, Serram, Castellum Sancti Marini, Boibium, Orbino, Callis, Luceolis, Egubium et Comaclum. Necnon, etc., *lin* 9, quæ a duce Spolitano per, etc., *ut laudd codd hic. lin* 13, qui ab eodem Aistulfo Tusciæ in partes erat directus. *lin* 14, universi exercitus multitudinem. *lin* 15, arripere usus [*lege* ausus] est fastigium. Hunc despectui habens Ratchisus, dudum. *lin* 17, *ut laudd codd exceptis his :* vel cæteri exercitus Langobardorum multitudinem adgregantes.

Num 255, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin* 5, 7, 10, 13. *ibid.* 17 *et* 18, *lin* 2, quatinus ipse regalem. *lin* 3, prædicti pontificis se adimp. *lin* 6, *voces* et bonus pastor, *desunt in cod. ibid.*, cum prædicto Fobrado : *et ita paulo infra lin* 11, *ut iidem codd. lin* 16, in ejus deposnit occurrere adjutorium. Ita suffragantibus pr. beatissimi pont. . . .

Num 256, *lin* 1, *cod. Vallicel. concordat cum Reg, Maz. et Thu. et ita lin* 4. *lin* 6, ut bonus pastor pro eis animam suam ponens, omnes, etc., *ut laudd. codd. hic : excipe tantum quæ sequuntur, nempe :* totis nisibus sectari Scripturam... et adversatione Ecclesiæ Dei... et omnium Christianorum... omni postposito, neglecta, fieri statuit... sancti Laurentii, super sanctum Clementem sitam... sanctæ Soteris... cursum suum consummans... sepultusque est in basilica beati Petri vi. Kal. Maii... episcopos per diversa loca (*omisso numero*)... etc.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 227, *lin.* 1, *in A et B. desideratur numerus. lin.* 1, 2, *A*, d. 29. *lin.* 5, diaconatus ordine eum ordinaverunt. *lin.* 14, *AB*, elegerunt. *lin.* 16, *B*, et exinde venerunt ad patriarchium.

Num. 228, *lin.* 9, *AB*, pari modo. *lin.* 10, *AB*, in platana, *B*, dispositionem.

Num. 229, *lin.* 2, *AB*, dona quæ, et sociavit. *lin.* 4, *B*, Silvestri diu. *lin.* 5, *B hæc addit :* Hujus temporibus advenit Huhmac dux Aquitaniæ ad limina apostolorum, ibique se perseveraturum esse promisit; qui postmodum diabolica fraude deceptus versutia votum frangens, Longobardis egrediens maligna exhortatione se sociavit, sed sicut meruit, lapidibus dignam morte vitam finivit.

Num. 230, *lin.* 7, *AB*, qui prælati viri. *lin.* 9, *A*, pacti fœdus. *lin.* 10, *B*, ipsa fœdera pacis postponens. *lin.* 16, *AB*, auferre inhiabat. *lin. ead.* 16, *A*, sui jurisdictione, h. sui jurisditioni.

Num. 231, *lin.* 7, *B*, ad propria remisit, *lin.* 9, exemplo quo crebro, [illegible] *lin.* 10, *A*, commendans contumelii causam hanc.

Num. 232, *lin.* 1, *B*, agerentur venit Romam, *A*, conjunxit Roma. *lin.* 7, *B*, quos susceptos cum inani remisit responso eidem adjungens. *lin.* 8, *B*, gentis nefas verum.

Num. 233, *lin.* 7 *et* 8, *A*, sua clementissima misericordia. *lin.* 12, *AB*, acheropsita. *lin* 13, *B*, mysteria adjiciens, *A*, mysteria ejiciens. *lin* 18, deprecati sunt pro pacto, scilicet illo quod nefandus rex Longobardorum disruperat *B*.

Num. 234, *lin.* 2, *AB*, nisibus sectari scripturam *lin* 5, *AB*, et confortando cunctum Dei, etc. *lin* 6, *AB*, sese custodire, *B*, omnibus autem sacerdotibus, dum cœlestia suadebat, terrenis eos honoribus attrahebat. Nam ut cuncti ornati in Ecclesia Dei inveniremur, tunicas, planetas, aut quod competebat unicuique, in honorem tribuebat. Alios pretii datione, qui crediti a fœneratoribus fuerant, liberavit, ut tota Ecclesia Dei in summum deveniret honorem. Hic beatissimus. *lin* 8, uno quidem sabbatho, *B*, alio et alio. *lin* 9, *B*, apostolorum; hic fecit rugas ante ecclesiam sanctæ Mariæ semper virginis, quæ appellatur ad Præsepe, quas et argento investivit, quæ pensant libras triginta.

Num. 235, *lin* 1, Hic restauravit basilicam. *lin* 3, quod ceciderat; fecit et vestem altaris ad sanctam Dei Genitricem, quæ vocatur ad Martyres, quod et ipse illuc cum lætania peragens suis propriis manibus investivit. Itaque dum idem sanctissimus, etc., *B. lin* 4, regem multis vicibus. *lin* 6, universo exarchatu, etc. *lin* 8, *B*, nihil super hac re obtinere cerneret. *lin* 12, *B*, regi Francorum suos direxerunt missos. *lin* 16, nimio dolore conscriptas. *dicta lin* 16, *B*, conscriptas.

Num 236, *lin.* 1, Tunc etiam iis lem litteris postulavit ut suos, etc. *lin* 3, *B*, provincia tota opprimeretur, subito venit missus. *lin* 4 *et* 5, nomine A Trottigangus, *B*, Orocligangus abbas, *lin* 6, *B*, papæ velle adimplere. *lin* 7, *B*, ejus venit, ea ipsa.

Num 237, *lin* 3, *BA*, illico a regia urbe æpefatus. *lin* 5, *B*, et quem deportaverat iniqui Longobardorum regis missum. *lin* 6, *AB*, insertum ad Longobardorum regem. *lin* 7, *AB*, esse properaturum. *lin* 8, *AB*, pro quo, et de præsenti direxit. *lin* 11, *B*, Francorum venerunt, id est Chrodigangus. *lin ead A*, Aucharius. *B*, Autharius. *lin* 15, *B*, perditis ovibus.

Num 238, *lin* 1, Tunc consolest idem, etc., misericordia. *lin* 7, *A*, conferens. *lin* 7 *et* 8 *AB*, defectus. *dicta lin* 8, *B*, arripuit iter. *lin* 10, *AB*, ex hujus ecclesiæ sinu. *lin* 11, *B*, ex militiæ optimates. *lin* 12, *B* carpsit iter.

Num 239, *lin* 6, ad civitatem Papiam. *lin* 8, *B*, de repetenda.

Num 241, *lin* 1, Chrodigango. *lin* 2, *AB*, Longobardorum. *lin* 4, *B*, inde absolvit, et dimisit. *lin* 5, *B*, sacerdotes et clerum. *lin* 6, *B*, Vilcharicum, *A*, Vinlcharicum, *ead. lin* 6, *A*, episcopum cognomento Leonem. *lin* 8, *AB*, Bonifacium secundicerium. *lin* 9, seu ut cæteros.

Num 242, *lin* 1, *A*, malignus Longobardorum rex. *lin* 3 *et* 4, *B*, venit clusas. *lin* 8, *B*, in quo loco. *lin* 9, *B*, diebus, ubi Ambrosius primicerius febre correptus defunctus est convenientes in prædicto.

Num 243, *lin* 3, *B*, non pauca milia. *ibid.*, *B*, Carolo. *lin* 11, *A*, cum jam dicto rege, *B*, *lin* 13, *B*, in oratorio. *lin* 20, *AB*, in Parisio.

Num 244, *lin* 2, Pippino degente. *lin* 7, de eo. *lin* 10, admonitionis.

Num 245, *lin* 2, *B*, devotus. *lin* 3, ei suasionibus. *lin* 5, illuc venisset. *lin* 6. *AB*, causas.

Num 246, *lin* 4 *et* 5, *AB*, *deest numerus anni obitus. lin* 8 *AB*, proprietates. *lin ead B*, jura, hoc bis, et tertio juxta beatissimi papæ admonitionem actum est.

Num 247. *lin* 3, *AB*, per quas, et fortiter. *lin* 8, *AB*, fisus in omnipotentis. *lin* 9, iter sum arripuit. *lin* 11, *B*, convenientes. *lin* 17 *B*, fugam arripiens. *lin* 19, *B*, aliquantos retrusit.

Num 248, *lin* 6 *et* 7, *B*, qua imminente prædicatione. *lin* 11, *B*, rex accipiens.

Num 249, *lin* 3, *B*, perfidus ille. *lin* 5, papa venisset, *B*, post aliquot, *linea antecedenti, nempe* 4, *post verbum* distulit *sequuntur ista in codice B :* Direxit quoque eum eo Christianissimus atque Deo amabilis rex Francorum missos suos fratrem suum Hiero-

Digitized by Google

aymum, atque alios proceres suos cum non paucis hominibus, qui usque dum Romam reverteretur in obsequium ejus essent. Cum post sanctiss. papa venisset Romam in campum qui vocatur Neronis, ibi invenit sacerdotes cum crucibus psallentes, et immensas Domino gratias agentes, similiter et multitudinem promiscuam populorum turbam, tam virorum quam mulierum clamantium et dicentium : Venit Pastor noster, et post Dominum salus nostra. Post aliquot temporum spatia, vehementi furore repletus adversarius ille, etc., et suæ animæ inimicus Aistulphus Deo sibi contrario ea quæ promiserat minime adimplevit. Sed interea idem beatissimus papa semper quæ Dei sunt meditans officia, quæ per multa tempora relaxata fuerant nocturno tempore nocturnis horis explere fecit, et diurna officia similiter diurnis horis restauravit, ut antiquitus fuerant. Et tribus monasteriis, quæ a prisco tempore in ecclesia beati Petri apost. eadem officia persolvunt, adjungens quartum ibidem monachos qui in ipso conjungerentur officio instituit atque abbatem super eos ordinavit, et multa dona ibi largitus est, tam universa, quam in monasterio necessaria sunt monachis, quam quæ foris immobilia loca, qui in psallentio beatorum apostolorum principis Petri, aut supradictis tribus monasteriis usque in hodiernum diem constituit. Sed idem malignus Aistulphus rex Longobardorum, quod motione facere jusserat cordis duritia adimplevit. Cum universo namque regni sui Longobardorum, etc. *lin* 14, sacra cimiteria, *B*, detrimentum subvertit *B*. *lin* 15, abstulit. Castrum itaque illud Narniense, quod pridem reddiderat misso Francorum, a jure beati Petri abstulit *AB*.

Num 250, *lin* 3, iter arripere suos ordinans missos, et eos in Franciam dirigens, *B*. *lin* 4 *A*, Warnario hic Roma. *lin* 9, *B*, adimplere ad hæc vero, *l n* 10, *B*, ad Longobardorum partes pervenit. *lin* 13, *B*, convenerunt in hac. *lin* 14, *B*, protus a secretis. *lin* 17, *B*, dubium habentes non crediderunt. *lin eadem* 17, credendi, quibus missus apostolicæ sedis conjunctus ex licentia papæ in Franciam iter eundi arripuerunt. *lin* 23, *B*, in Massilia.

Num 251, *lin* 4, *AB*, Christianissimum regem. *lin* 5, *B*, plura spopondit se ei daturum imperialia munera, si Ravenn. *lin* 18, *post verbum* conjunxit *sequitur in codice B :* iisdem vero temporibus sanctiss. vir prælatus papa fecit in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ imaginem ex auro purissimo ejusdem Dei Genitricis in trono sedentem, gestantem in genibus vultum Salvatoris Dei nostri Jesu Christi, quam et multis lapidibus pretiosis adornavit, id est hyacintis, smaragdis, brasinis, et albis, et inter alias duas ejusdem Dei Genitricis Mariæ imagines, quæ ab antiquo ibidem ex argento ante altare eam in medio statuit, qui et ipsas argenteas inaurare fecit. Dum vero, etc.

Num 253, *lin* 3, *A*, archivo. *lin* 6 *et* 7, *B*, continuo ipse fœliciter ad Franciam. *lin* 11, Romam venit.

Num 254, *lin* 7, cum castro Sassusio : *BA*, Sustibio. *lin* 8, Bobio, *A*. *lin* 10, invasa. Eodem tempore idem beatissimus papa fecit super basilicam beati Petri apostoli turrem, quam ex parte inauravit, et ex parte argento vestivit, in qua tres posuit campanas, quæ clerum et populum ad officium Dei invitarent. *lin* 11, *B*, divino instinctu. *lin* 14, *A* universum exercituum, *B*, universam exercitus. *lin* 18, *B*, plurimum transalpinum, id ut, vel cæteram Longobardorum, etc.

Num 255, *lin* 16, *B*, disposuerunt concurrere.

Num 256, *lin* 1, pontifex, et recepit ipsas civitates. *lin* 7, *B*, consummavit. Interea. *lin* 9, presbyteros duos, *AB*, per diversa loca numero 15, *B*, numero viginti, et dum in Francia esset positus Chrodigango sanctissimo viro episcopo pallium tribuit, et archiepiscopum ordinavit, qui ut sepultus est, etc. *lin* 11, *B*, 5 Kal Maii. *lin* 12, *B*, episcopatus mense uno, dies 5, *A*, diebus 55.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 227, *lin* 1, St. n. R. *lin*. 2, 6. di. 29. Hic p. p. s. obitum (*M*, transitum). *lin* 3, sub doctrina apostolicæ traditionis suorum prædecessorum beatæ memor. Gregorii et Zachariæ pontificum perm. *lin* 6, b. mem. papa Zach Steph. *lin* 7, c. pop elegit. *lin* 8 *et* 9, a suo som surg. *lin* 10, post hoc v. *lin* 11, basil s. D. ib. ubi omn mis D. petentes, et ipsius Domini Genitricis virg Mar b. a. cons. u. p. b. sibi eligerunt P. *lin* 15, laudum pr. in basilica S. et exinde intra venerabile patriarchium i.

Num 228, *lin* 2, conservabat *lin*. 5, rest qu. *lin* 6, man et ordinata omnem inutilitatem (*M*, utilitatem). *lin* 7, intus et foris. *lin* 8, quæ pr. pr. *lin* 9, pari modo. *lin* 10, depositum illic faci. *lin* 11, v. eis dec t.

Num 229, *lin* 1, foris muros quoque h., *lin* 2, et multa contulit dona. *lin* 3, diaconis (*M*, diaconiis) foris ex. ut perenniter permanerent, idem d. pro id est. *lin*. 4, Silv et pr. apost. *lin* 5, permansura m.

Num 230, *lin* 2, extit illico idem beat. *lin* 4, m. germanum suum, sanctiss. *lin* 5, prim et plures. *lin* 6, ad eund Longob Aist r. (*M*, eundem reg Longob nomine Aistulphum) ob pacis ordinanda, atque confirmanda f. m. Qui viri ad eum jungentes. *lin* 8, quo fac pro ea re apud eum impetrantes in XI annorum spatia pacti, et ordinantes fœdus cum eo firmaverunt (*M*, quo facilius pro eadem re apud eum imp in 40 anu spatia impetrantes, et ordinantes f. cum eo conf.). *lin* 11 *et* 12, multas etiam præfato beato viro vel omni pop. *lin* 13, dirigebat. Cupiens quippe e contrario c. *lin* 15, caput solidos auri an auferre.

Num 231, *lin* 1, isdem s. P. perniciosam sevitiam (*M*, sevitiam) regis, accersitis ad se ven. *lin* 3 *et* 4, eid misit cr. regi. *lin* 4, cum quiete. *lin* 5, confirmanda. *lin* 6, sprevit munera. *lin* 8, ad præfatum venerabilem papam d. *lin* 9, juxta quod cr. cons omnipotenti Deo suam pop.

Num 232, *lin* 1, dum hæc ag. pervenit Romæ. *lin* 2, beatissimo pap. *lin* ead et alia. *lin* 3, adnectens verba, ut scilicet reip loca diab ab eodem rege us. *lin* 5, cum suo germano Paulo prædicto ad regem misit prædictum Aistulphum nequissimum Ravennam. *lin* 7, Q. s. inani eos abs r. adjungens eidem imperiali misso. *lin* 9, profecturum urbem, reversique Romam, ac præs eidem beatiss pap ei narr nisi s. eg. Tunc beatissimus papa agnito. *lin* 12, cum pr imp m. *lin* 13, eis sæpius tribulatis scripserat, has Italiæ in partes modis omnibus conveniret, et de morsibus filii iniquitatis R. h. u., etc. Italiæ prov.

Num 233, *lin* 1, in sua nequitia. *lin* 2, rex Aistulphus. *ib*. et frendens. *lin* 4, sub sese d. Rursusque beatissimus Pater congr. *lin* 10, omnip Deum depr. *lin* 11, processit in let ibid imagine Salvatoris Domini nostri Jesu Chr. *lin* 12, acheroposita (*M*, acheropsita) n. simulque cum ea al. div sac ministeria ejiciens. *lin* 14 *et* 15, sac gestans, nudis p. *lin* 15, pl. perg ad eccl. *lin* 17, cinere, maximo fletu, et ululatu misericordissimum Deum deprecati sunt. Allegavit quoque, et connexuit ad cr. Domini nostri. *lin* 19, diruperat (*M*, diripuerat).

Num 235, *lin* 3, itaque dum isdem sanctissimus vir jam fatum pestiferum Longobardorum regem universis vicibus innumera tribuens munera deprecaretur pro gregibus sibi a Deo commissis, et perditis ovibus, scilicet pro universo exarchatu Ravennæ, atque cuncto istius Italiæ provinciæ populo, quem pro diab fr. ipse impius decerpserat rex, et poss, etc., *ut lin* 8. *lin* 9, et ab imperatoris p. *lin* 10, decessores ejus. *lin ead* atque domnus z. *lin* 11; excellentissimo bonæ mem r[illegible] *lin* 12, pet sibi ut subveniret. *lin* 13, prov a Longobardis perpessi sunt; et ipse venerabilis Pater d. g. inspiratus. *lin* 16, ex nimio dol c.

Num 236, *lin* 1, adhuc etiam non cessavit dirig ut suos Romam. *lin* 2, faceret. *lin* 4, subito advenit m. præfati regis Francorum nom Rotdingandus (*M*,

Digitized by Google

Rodingandus). *lin* 6, præd p. se a. Postmodum vero et alios missos familiares sibi direxit, ea ipsa adnuntiantes.

Num 237, *lin* 1, C. a L. ut prædictum est, a. *lin* 2, ut et Curanense (*M*, Ciccanense, *atque ita emendatum est in ora Regii*) usurparent : illico a regia urbe venit prædictus imperialis sil. c. m. i. beati P. def s. quem portaverat iniqui regis Longobardorum missum simul, et i. *lin* 6, in qua erat ins ad Longobardorum regem, eundem papam esse properaturum ob rec urbem Ravennam. *lin* 8, præf direxit ad eundem regem missum suum pro ejus, et qui cum eo i. e. ind. Ipso itaque reverso ext et m. Pipini regis Franc venerunt, id est Rotdingandus (*M*, Rotingandus) abbas, et Antharius d. p. q. pap. *lin* 13, ad suum regem in Franciam ded. *lin ead* invenerunt *lin.* 14, properaturum. *lin* 15, ovibus.

Num 238, *lin* 1, tunc consulens beatiss P. *lin* 2, ad beatiss. *lin* 4, et neque deambulare sinebant. Tunc beatissimus vir sese in prot et virt D. sanctæque ejus Genitricis, et b. apost pr. conferens. *lin* 7 *et* 8, c. defectus, lab arrip iter. *lin* 9, do. n. beato ibid et ass sec ex hujus sanctæ Ecclesiæ clero q. s. *lin* 11, p. c. et baroues, etc., clericalis ordinis, nec non et mil opt Chr pr. cœptum profectus est iter. *lin* 12, illi cœlestem ser.

Num 239, *lin* 1, igitur perveniente eo in Longobardorum fines, una noctium sign appar in cœlo, m. *lin* 5, pr. Ticino eum. *lin* 6, P. civitatem Papiam. *lin ead* ad eum Aist missos suos. *lin* 8 *et* 9, vel rel reip loca q. *lin* 10, q. pro nullius trepidatione terroris s. *lin* 11, ab ejusmodi petendi causa.

Num 240, *lin* 1, veniente eo (*M*, ven vero eo) in Pap civit et pr. regi pr. p. i. t. m. et nimis eum obsecrans, atque lachr perfusis petiit (*M*, obsecratus est) atque l. profusis p. *lin* 4, hoc imp (*M*, hæc) val imperialis quoque missus s. m. hoc p. *lin* 5 *et* 6, sed nihil obt pot. *lin* 7, ut pr. P. Franciam p. rel A. h. c. b. u. i. si ej. Franciam esset pr. vol quod ille videlicet, neque S. Sed suam illi vol pr. *lin* 10, fremuit. *lin* 11, suos optimates ad eum cl. *ibid.*, intentione decl.

Num 241, *lin* 1, alia vero die p. Rotd episcopo int papam Long r. si vellet ire in Fr. qui respondit : Si tua est voluntas me rel. *lin* 5, vel clero, Georg et H. Quilcharium episc N. Seonem. *lin* 7 *et* 8, Grimulum *lin.* 8, secundicerium. *lin* 9, seu et cæteros 15 die mensis N. a civit Pap.

Num 242, *lin* 1, post ejus abs a. n. s. rex ab hoc itin c. d. sed minime papam latuit, unde et cum cel. *lin* 3, *et* 4, pervenit cl. *lin* 5, ad mon Chr m. *lin* 6, in quo const e. p. se cum Franc r. convenire. *lin* 7, sospes beatiss Pater c. o. qui secum erant. *lin* 8, aliq dieb commor est. Tunc conven in præd monast. Agaunense Florardus abbas, et Rotardus d. d. a Pipino rege. petentes eundem pont ad. s. pr. regem, quem in magno h.

Num 243, *lin* 1, aud vero rex Pipinus adventum pontificis, fest in ejus adv occ una cum con et filiis atque prin pro quo et fere ad centum mil. *lin* 3, suum Carolum in occ ipsius papæ. *lin* 7, eundem papam sus cui et vice statoris (*M*, stratoris). *lin* 9, tunc prædictus papa excelsa voce cum omnibus suis gloriam omnipotenti Deo et laudes referens cum hymnis et canticis spiritualibus usque ad palatium Tonticonem pariter cum jam dicto rege profectus est sexta indict. *lin* 12, Domini sacratissimi sol. Ibi intra oratorium pariter eis consedentibus, mox beatiss P. regem lachr dep est. *lin* 16, qui in præs. *lin ead* jurejur beatiss P. s. om. ejus mand et ammonitionibus totis viribus sese obed. *lin* 18, Ravenn seu cætera loca juri reip modis omnibus reddere. *lin* 19, tempus hiemale tunc eundem papam c. s. o. Parisius. *lin* 20, ad hibernandum p. fecit.

Num 244, *lin* 1, monast cum rege comitante post aliquantos dies Domino annuente, isdem Pippinus rex ab eodem papa cum duobus filiis suis reg s. u. Franc. Postea vero papa præ ni. l. i. et t. in. in tantum infirmatus est, ut omnes tam sui quamque etiam Franci existentes de ejus vita desperarent. Sed Dei nostri in. *lin* 8, cup omnem hominem fieri, dum eum. *lin* 9, sanus est r. *lin* 10, cum admonitionis gratia, et or. ponti abs ad locum, qui dicitur Carisiacus perg. *lin* 13, quod s. *ib.* cum eodem papa d.

Num 245, *lin* 1, interea Aist Karolo Magno fratri P. qui in Mon. B. B. devote p. r. t. s. deg monachus, suadens eum in Franciam (*M*, Franciæ) provinciam ad sibi obediendum, atque ad adu. *lin* 5, et reip R. d. Damque illuc pervenisset, n. *lin* 7, a pr. rege A. fu. dir sed Domino pr. m. v. s. g. Pipini regis Fr. in hoc cor incl. Potius autem comperto A. ingenio tota u. isdem Pip prof. *lin* 11, jam dicto pontifici sp.

Num 246, *lin* 1, tunc pari cons isdem papa cum Francorum rege juxta id. q. *lin* 3, in monachica degere vita. *lin ead* eum Viennæ in Franc. *lin* 5, porro Pipinus et v. b. P. f. atque jam f. pont obtemperans jussis, dir suos nuncios Aist regi Longob p. *lin* 9, juxta s. P. ammonitionem, eundem precatus est. *lin* 11, p. imm noluit A. h. isdem Franc r. c. q. Aist n. v. aliquo modo se emollire cor. *lin* 14, exercitus g. c. rursum isdem papa deprecatus est Pip r. demum Aist. *lin* 17, pot ejus mollire cor et propria propriis restituere salub suad absque humani eff s. *lin* 19, ipse Pipinus suos eid A. regi misit nuntios.

Num 247, *lin* 1, sed et papa ut vere pater. *lin* 3, litteras conjurans eum, atque obt fortiter per o. *lin* 4, diem ut pacifice. *lin* 5, sed ille obsistens, neq ; acq v. *lin* 7, et Pipino regi, vel (*M*, et). *lin* 8 *et* 9, tunc Pipinus rex prof. *lin* 10, aliquos ex suis ad custodiendas prop. *lin* 11, resid suum regem expectantes. Veniens itaque præfatus rex una cum eodem papa Mauriena in ecclesia S. Joannis Baptistæ, ibi devotissime missas celebravit (*M*, celebrarunt) eundemque pontificem sicut et antea fecerat tam ipsi quam omnibus proceribus suis, iterum adiens magnifice honoravit. Munera quoque, quæ Aistulpho per missos suos dare promiserat, Deo offerens, per manus sanctissimi viri dispensanda tribuit, et in ejus orationes seipsum commendans prædictos exercitales subsecutus est. Audiens itaque Aistulphus rex parvum numerum ex illis Francis adfuisse, qui ad custodiendas proprias clusas venerant, fidens in sua fortitudine, subito ap. cl. super eosdem d. c. pl. irruit exercitibus. *lin* 15, sed justus jud. Deus noster victor illis pauc tribuens Francis multit ill L. t. *lin* 17, fuga ereptus, ab eorum evasit manibus, et usque Papiam civitatem fugam arripuit, in qua cum suis habitavit. Ipsi vero Franci. *lin* 21, auter.

Num 248, *lin* 1, Pipinus vero sequipes factus ejus, et antedictus papa usque ad mur civit Papiæ pervenerunt. Quam obsid. *lin* 4, constrinxit. Tunc papa Pipinum deprecatus est, ut jam ampl. *lin* 7, causa finiretur. Ad hæc Pipinus rex audiens eos pacis inhiantes, atque in scripto fœdere partum promittentes, dixit summo pontifici : Fiat secundum præceptum tuum, benignissime Pater. Aistulphus denique rex cum universis suis ind s. t. et f. sac atque in eodem pacto per scripturam affirmavit.

Num 249, *lin* 1, post hæc facta pace. *lin* 2 *et* 3, cum ab invicem es. seg. Aistulphus rex in perjurium incidens q. i. promiserat r. d. Pipinus itaque rex fratrem suum Hieronymum et Fulradum abbatem cum nonnullis suis (*M*, nonnullis aliis suis) misit missis, qui domnum apostolicum ad sedem propriam, id est ad Romanam usque cum omni deducerent prosperitate : qui dum Romam in campum, qui vocatur Neronis, conjungeret cum magno gaudio a sacerdotibus, et clero psallentibus, et cum crucibus occurrentibus susceptus est; qui cum omni multitudine populi Romani utriusque sexus Domino laudes et immensas gratias referebant, una voce clamantes : Deo gratias, venit jam pastor noster, et post Dominum salus nostra. Dum vero papa perve

Digitized by Google

misset Romam, post al. t. f. u. r. Aistulphus, non solum ea quæ prom serat, m. ad. sed et gener fecit motionem, et cum universo r. *lin* 9, contra hanc advenit Rom n. *lin* 10, atque ex omni p. c. qu. f. exp *lin* 12, demol. humiliabat enim ad hoc vehementius, ut hanc Romanam, si potuisset, caperet urbem, multa quoque sanctorum cimiteria effodiens, eorum corpora sacra abstulit. Castrum autem illud Narniense, quod pridem reddiderat Aistulphus missis Francorum, a jure beati Petri abstulit.

Num 250, *lin* 1, Hæc itaque ab Aistulpho gesta quantocitius prædicti regis Francorum insonuerunt auribus. Sed beatissimus pontifex. *lin* 3, in Franciam dirigens missos, una cum viro nomine Unario, qui. *lin* 5, et quæ Aistulphus peregit, subtiliter suis apostolicis rel sæpe dicto Pipino intimavit regi. *lin* 7, firm sub divini judicii die obtestans, ut cuncta, quæ beato Petro pollicitus est adimpleret. Ad hæc vero Pipinus fervore fidei motus iterum generalem faciens motionem. *lin* 11, partes venit, et clusas eorum funditus evertit. Dum vero ad prædictas Longobardorum clusas Pipinus rex app venerunt in hanc urbem imp missi, Georgius scilicet protoasecrata. *lin* 13, directi ad Pipinum prædictum; quibus susceptis, prædictus papa eis de motione pr. Franc r. n. Sed illi in dubio habuerunt credere. Tunc adjungens eis missos apostolicæ sedis in Franc eos ire abs qui perg m. i q. M. pervenerunt. *lin* 20, exhort beat p. *lin* 21, P. obt jur quod cogn. *lin* 22, dolo missos A. S. *lin* 23, properarent r. aff eos valde.

Num 251, *lin* 2, ex ipsis imperialibus, Georgius videlicet protoasecretis p. *lin* 3, missos cel Franc r. est ass. *lin* 5, civ. Itaque nimis eum dep tribuit imp m. plura spondens, ut R. *lin* 7, sed neque val. Pipini Francorum regis inclinare cor, ut. e. c. et l. i. d. trib asserebat quoque isdem rex, quod nulla penitus ratione. *lin* 12, pontificum. *lin* 12 *et* 13, alienaret : affirmabat etiam s. i. quod pro nullius hominis fav. *lin* 14, del suorum. Ass. *lin* 15, quod nulla thesauri copia ei persuadere val. *lin* 16, obtinerat, auf et cum hæc prædicto imper m. reddidisset in r. c. e. a. pr. renicare per al. *lin* 18, pervenit Romam.

Num 252, *lin* 1, Dum vero Pipinus Franc r. Papiam obsidens c. c. Aistulphus rex Longob. *lin* 3, contemps civitates conscriptas reddere in p. f. in pacti fœdere se modis omnibus professus est redditurum. Ita demum confirmato. *lin* 6, restituit Aistulphus ipsas præfatas civitates, add. *lin* 7, Comaclum.

Num 253, *lin* 1, de quibus omn r. c. a. b..Pet atque a s. Rom Eccl vel ab omnibus in p. Pet Apost sed possidendis, misit in scriptis don quæ usque h. in archivo. *lin* 5, ipse rex Franc consil suum Fulradum abbatem. *lin* 6, et cont ipse rex cum suis ex Fr. *lin* 7, Fulr abbas Rav. *lin* 8, cum m. Aistolf r. perveniens, per singulas ingressus civitates. *lin* 10, obs de unaquaque tollens, atque. *lin* 11, civit ducens, Romam pervenit.

Num 254, *lin* 1, Tunc ips el. *lin* 2, subscripta donatione sancta de eis a s. r. missa. *lin* 3, et ejus vic pap. *lin* 4, o. success ejus P. *lin* 5, tradit (*M*, tradidit) *lb.* Pensaurum, Concam, Fanum C. S. Æsis, Forum Populi, F. Livii, cum castro Subsubio (*in ora regii Cod hæc legantur* : Castrum Salsubium nunc dicitur Castrum Carum. Habuit autem primam nominis originem a fonte salsas aquas sub mœnibus scaturiente). *lin* 7, Montem Feltri, Acerram, Agiomontem, Montem Lucati, s. c. sancti Marini, Vobium, Orbinocallis, luceolis Eug et Comiec. *lin* 9, quæ a duce Spoletano per evol anm sp. parti Romanorum fuerat ablata. Dum vero hæc agerentur ipse Aistulphus. *lin* 13, qui ab eod Aist ad Tusciæ partes erat dir a. p. A. ob. *lin* 14, Tusc exercitus mult. *lin* 15, ar. nitebatur f. Hæc despectui habens Ratchisius d. r. p. et m. *lin* 17, optim eund D. sp. multam Transalpinorum, vel cæteri L. mult exercitus agg.

Num 255, *lin* 1, prædictum b. p. *lin* 2, q. ipse r. *lin* 3, oat. pr. P. se ad. *lin* 5, c. se dat m. *lin* 6, cum prædicto F. *lin* 7, cons Pipini misit germ suum Paulum diaconum, et Chr cons suum una cum F. abbate in. *lin* 10, locuti conf conscripta paginæ sub terr jur. *lin* 11, cuncta p. est s. annexa per spons se ad. Hoc vero peracto statim misit nuntium suum Steph ven presb Dominus papa cum Ap. *lin* 15, Ratchiso ibid Longob properavit, et præfatus Fulradus venet abbas cum al. Fr. *lin* 16, occurrere ad ita suffr pr. beatissimi pontif. *lin* 17, prec. Sic omnipotens Deus disp. *lin* 18, præf Des p. i. d. P.

Num 256, *lin* 1, venerabilis pontif et retinuit de i. c. q. prædictus D. redd pr. sibi Faventias cum castro T. seu caballo. *lin* 4, in int. Ita hic venerabilis papa ann Deo rempubl dilatavit. *lin* 6, ponens pro eis, omnes eruit de manibus inimicorum. Hic etiam beatissimus papa omnes suos sacerdotes et clerum in Lateranensi patriarchio sedule aggregans admonebat, divinam totis mentibus sectari Scripturam, et lectioni vacare spiritali, ut efficaces inveniren tur in omni responso, et assertione adversariorum Ecclesiæ Dei : nec cessabat indesinenter admonendo, et confortando populum Dei sobrie pieque agere, atque ab omni pravitate sese custodire. Ipse quoque pro salute provinciæ et omni Christianorum, omni sabbathorum die letaniam, omni postposito negotio, fieri statuit : unam quidem sabbatho ad sanctam Dei Genitricem ad Præsepe : aliam vero ad beatum Petrum apostolum, aliam ad beatum Paulum apostolum. Ipse etiam restauravit basilicam sancti Laurentii prope sanctum Clementem sitam in regione tertia, quæ a diuturnis temporibus dirnta manebat. Restauravit et tegumen cimiterii sancti Soteris, quod ceciderat. Itaque cursum suum confirmans, et omnia utiliter perficiens Dei vocatione vitam finivit, et ad æternam migr requiem; sepultus est in basilica beati Petri apostoli IV Kalend M., indict X : qui fecit ordinationem unam per mensem Martium, presbyt 2, diac 2, episcopos per diversa loca 15, et cessavit episcopatus di. 32.

Ex codice Thuano altero.

Num. 227, *lin.* 1, Stephanus nat. Rom. *lin.* 14, elegerunt.

Num. 228, *lin.* 6, man. et inordinata o. *lin.* 7, intas et for. *lin.* 8, interdictione, *lin* 9, pari modo. *lin.* 10, in plateam.

Num. 229, *lin.* 3, permaneret. *lin.* 5, munivit. Hujus temporibus adveniens Hunaldus dux Aquitaniæ ad limina apostolorum, ibique se perseveraturum promisit, qui postmodum diabolica versutia fraude deceptus, votum frangens, Longobardos exediens, exiens, maligna adhortans, sed sicut meruit, lapidibus digna morte finivit. Inter hæc.

Num. 230, *lin.* 7, qui prælati v. ad eum conjungentes imper. *lin.* 9, pacti fœdus, *lin.* 11, disrupit multas, *lin.* 16, auferre.

Num. 231, *lin.* 2, arcessitis. *lin.* 8, ad præfatum s. P. *lin.* 10, ejusdem.

Num. 232, *lin.* 2, pontifici jussionem. *lin.* 11, prælatus, *ut lin.* 1, *num. seq.*, præl. at.

Num. 233, *lin.* 12, ac reposita. *lin.* 13, misteria eiciens. *lin.* 14, isdem s. P. *lin.* 16, in omnibus cap. pop. cinere commixto nl. p. *lin.* 19, disruperat.

Num. 234, *lin.* 2, sectari. *lin.* 5, et confortando, *lin. end.* omnibus autem prænominatis sacerdotibus dum cœlestia suadebat, terrenis honoribus datione attrahebat, ut cuncti ornati in Ecclesia Dei invenirentur, tunicas, planetas, aut quod casulis nuncupamque distribuens; alii pretii datione, qui crediti a fœneratoribus fuerant, liberarentur, et tota Ecclesia Dei in summo deveniret honore. Hic beatiss. vir pro salute viventium, et o. c. *lin.* 9, apostolum; hic rugas fecit ante altare sanctæ Mariæ semper virginis, quæ appellatur ad Præsepe, quas et argento investivit, quæ pensant lib. 40.

Num 235, *lin* 1, hic restauravit basil. *lin* 3, quod ceciderat; fecit autem et vestem altaris ad S. Dei

Digitized by Google

Genitricem, quæ vocatur ad Martyres, quod et ipse illuc cum lætania pergens suis propriis manibus investivit. Itaque dum iste sanct. *lin.* 6, exarchatu. *lin.* 10, præcessores. *lin.* 14, ita ut modo ipse.

Num. 236, *lin.* 1, at tunc etiam nec cess. d. *lin.* 4, jam fati R. Franc. *lin.* 5, Drod.

Num. 237, *lin.* 2, distinguerentur, *lin.* 3, a regia urbe c. *lin.* 7, esse properaturum. *lin.* 11. Ratgangus ep. et Autharius d. *lin.* 15, ovibus.

Num. 238, *lin.* 4, qui nequaquam. *lin.* 6 *et* 7, Apost. conferens. *lin.* 7 *et* 8, c. defectus. *lin.* 10, et ass. secum ex hujus sanctæ Dei Eccl. q. S.

Num. 239, *lin.* 3, a parte australi. *lin.* 9, præcessores L.

Num. 240. *lin.* 2, tr. dona. *lin.* 3, petiit.

Num. 241, *lin.* 6, id est Vulcarium episcopum cognomento Georgium, o. Leonem, *lin.* 8, Bonifacium Secundicerium.

Num. 242, *lin.* 1, sup. malignus Longob. *lin.* 3, unde cum n. c, *lin.* 8, in quo, et aliquantos dem. dies. *ib.* Ambrosius febre correptus defunctus est, conjunxerunt in p.

Num. 243, *lin.* 2, ad ejus venit occ. *lin.* 3, pro quo et non pauca milia fil. *lin.* 11. par. cum jam dicto reg. pr. *lin.* 13, considentes. *lin.* 17, non obaudire. *lin.* 20, hibernandum p. rogavit.

Num. 244, *lin.* 1, q. p. et in cod. mon. cum jam f. *lin.* 8, cup. omnem Chr. dum cum m. m. i. sp. s. a. d. ad sanitatem reversus est.

Num. 245, *lin.* 3, Franciæ p. *lin.* 8, valuit germ.

Num. 246, *lin.* 4, migravit. Porro. *lin.* 13, monitionem.

Num. 247, *lin.* 1, et vere p. *lin.* 3, per quas et fort. *lin.* 6, acq. maluit. *lin.* 8, lisus. *lin.* 10, et cuncis exercitales v. *lin.* 12, audiens itaque suprafatus benignissimus rex una cum eodem sanctissimo papa Maurienna in ecclesia f. Joannis præcursoris Domini nostri Jesu Christi atque Baptistæ ibi devotissime missas celebrandas, eumdemque pontificem multis muneribus, sicut ante jamdudum fecerat tam ipse quamque omnis proceribus suis iterum ad lens magnifice honoravit: munera vero Aistulpho per missos suos dare promiserat. Deo offerens per manus sanctissimi viri dispensandum, et in ejus orationibus seipsum commendans præ jam dictus exercitales subsecutus est. Audiens itaque pr.

Num. 248, *lin.* 2, beatiss. papa usque ad muros. *lin.* 6, perveniret. *lin.* 7, firmarentur. *lin.* 11, abstulens.

Num. 249, *lin.* 1, et post hoc ab invicem segregati solite in perjurii reatum. *lin.* 4, distulit, dirigensque cum eo suprafatus Christian. atque amabilis rex Francorum missos suos fratrem suum Hieronymum atque alios proceres suos cum non paucis hominibus: qui cum usque dum Romam reverteret in obsequium ejus esset. Dum enim sæpefatus sanctiss. papa conjungeret Romam in campo qui vocatur Neronis, ibi invenit sacerdotes cum crucibus psallentes et immensas Deo gratias agentes, similiter et multitudinem promiscuam populorum turbam tam virorum quam mulierum clamantium, et dicentium: Venit pastor noster, et post Dominum salus nostra. Post aliquanta temporum spatia furore vehementi repletus, etc. *lin.* 7, non solum ea quæ pr. m. ad. sed interea isdem beatiss papa semper quæ Dei sunt meditans officia, quæ multo tempore relaxata fuerant; nocturno tempore nocturnis horis explere fecit, et diurna officia similiter restauravit, ut ab antiquitus fuerat; et tribus monasteriis, quæ a prisco tempore in ecclesia beati Petri apostoli idem officium persolvunt adjungens, quartum ibidem monachos qui adhuc in ipso conjungerentur officio instituit, atque abbatem super eos ordinavit, et multa dona ibi largitus est tam in universo, quam in monasterio necessaria sunt monachis, quamque foris immobilia loca, qui in silentio beat. apost. principis Petri, aut supradictis tribus monasteriis usque in hodiernum diem Deo constituit. Sed isdem malignus sæpefatus Aistulphus rex Longobard. monitione, quam facere jusserat, cum cordis duritia adimplevit, cum universo regni sui Longobard. populo contra hanc Rom. advenit urb. *lin.* 13, potuisset u. *lin.* 14, cimiteria adm. *lin.* 15, abstulit. Castrum itaque illud Narniense, quod pridem reddiderat misso Francorum a jure b. Petri abstulit. Hæc.

Num. 250, *lin.* 3, dirigens. *lin.* 4, Warnario. *lin.* 6. Aistul, *lin.* 9, ad hæc vero. *lin.* 14, Georgius sc. *ut inf. lin.* 16, monitione prælati r. F. denuntiavit, *lin.* 23, Massiliæ.

Num. 251, *lin.* 3, Christianiss. R. *lin.* 9, antelati P. *lin.* 12 *et* 13, alienare, *lin.* 18, conjunxit. Isdem vero temporibus sanctiss. vir. papa fecit in eccles. s. Dei Genitricis in throno sedentem, gestantem super genibus vultum Salvatoris Domini Dei nostri, quem et multis lapidibus pretiosis adornavit, id est jacinthis, smaragdis prasinis, et albis: et inter alias ditas ejusdem Dei Genitricis Mariæ imagines, quæ ab antiquo ibidem ex argento ante altare erant, et in medio statuit, et ipsas inaurare fecit. Dum vero antefatus.

Num. 253, *lin.* 1, de quibus omnibus receptis civitatibus don. in sc. b. Petro, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *lin.* 3, ad usque.

Num. 254, *lin.* 3, eidem b. Petro apost. *lin.* 10. invasa. Eodem tempore isdem beatiss. papa fecit basilicam b. Petri apostoli turrem, quam ex parte inauravit, et ex parte argento investivit, in qua tres posuit campanas, quæ clerum et populum ad officium Dei invitarent. Dum ergo. *lin.* 12, rex Long. *lin.* 15, missus est f. Hujus p. contemptui h.

Num. 255, *lin.* 2, quatinus. *lin.* 3, prælati, *et infra*, prælato F.

Num. 256, *lin.* 2, dedere pr. *lin.* 7, consummans; interea renovavit atrium ante fores beati Petri apost. quod quadriporticus dicitur, columnas marmoreas octo, miræ pulcritudinis, sculptasque desuper quadris composuit, et æreum desuper collocavit tegumen. Fecit autem et juxta basilicam beati Petri apost. et ab alia parte beati Andreæ apost. in loco qui Mosilius appellatur, basilicam in honore beatæ Petronillæ, corpus ibidem collocare, ubi sunt canistra argentea multa, et ornamenta alia plura, quæ dedicavit, et omnia utiliter perficiens, Dei voc. *lin.* 9 *et* 10, n. 15, et dum in Francia esset positus Rodigando sanctissimo viro episcopo pallium tribuit, et archiepiscopum ordinavit; qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli pr. quinto Mail indict. x, et cess. episc. mensem unum, et dies quinque.

Apud Peniam ex codice Carensi.

Num 227, *lin* 5, diaconatus ordine. *lin* 11, congregatus intro. *lin* 14, elegerunt. *lin* 16, venerunt patr.

Num 228, *lin* 6 *et* 7, et in ordinatam omnem militatem in div eorum locis eis disp. *lin* 9, pari modo.

Num 229, *lin* 3, illico foris.

Num. 230, *lin* 1, Langobardorum. *lin* 7 ad eum conjungentes. *lin* 8, apud eum imperantem in q. a. f. pacti. *lin* 15, per unumquemque. *lin* 15 *et* 16, annuæ auferre.

Num 231, *lin* 1, isdem. *lin* 5, suscipiens omn. *lin* 8, ad præfatum sanct.

Num 232, *lin* 2, pontifici juss. *lin* 3, adhort adnexa verba juss. *lin* 7, Aistolfum. *lin* 9, reversique Romam. *lin* 11, misit reg. *lin* 13, sepius exercitandas has Italiæ in partes scripserat mod.

Num 233, *lin* 11, humilit solite. *lin* 19, pactum scilicet ill.

Num 234, *lin* 2, ammonebat.

Num 236, *lin* 1, ad hunc nec cess. *lin* 2. missos suos per. *lin* 5, Trottigandus. *lin* 6, papæ adim.

Num 237, *lin* 7 properaturum.

Digitized by Google

Num 233, *lin* 3 Octubrii ind VII secuti s. *lin* 4 ululantesq neq. *lin* 6 *et* 7, apost conferens. *lin* 8, lab arreptus. *lin* 12, cœptum profectus est.

Num 239, *lin* 4, Antchirius. *lin* 5, Ticino.

Num 240, *lin* 8 *et* 9, c. Franciam. *lin ult.*, declinaret.

Num 241, *lin* 1, alio vero. *lin* 9 region seu et.

Num 242, *lin* 6, Mauricii, in quo.

Num. 243, *lin* 12, die appar. *lin* 20, in Parisio a. v. m. b. d. ad gubernandum pergere rogavit.

Num 244, *lin* 4, Francorum et beatiss. *lin* 5, infirmavit. *lin* 8, cupiens omnes Christianiss.

Num 245, *lin* 1, Carolum mannum. *lin* 3, diab cum.

Num 246, *lin* 3, collocaverint. *lin* 4 migravit. Porro. *lin* 15, prælatum.

Num 247, *lin* 3, per quas. *lin* 5, ecclesiæ, reip rom reddidisset. *lin* 8, fisus. *lin* 10, exercitales. *lin* 14 *et* 15, exercitibus, sed.

Num 248, *lin* 3, obsidentes aliq. *lin* 14, cum diversis; et post hoc ad invicem segregati.

Num 249, *lin* 3, Aistollus. *lin* 9, venit. *lin* 10, atque omni. *lin* 11, omnia extra urb.

Num 250, *lin* 3, dirigens. *lin* 6, subtili refectione. *lin* 7, Pippino. *lin* 8, divina judicii die. *lin* 9, Francorum rex. *lin* 10, motionem Longob. *lin* 14, missi Georgius. *lin* 16, prælati Franc. *lin* 17 *et* 18, cos Franc. *lin* 23, Maxillam.

Num 251, *lin* 2, ex ipsis Georgius. *ib.* proto a secreta. *lin* 9 antelati. *lin* 12, pontifici. *lin* 13, affirmans sub. *lin* 15, valeret quod.

Num 252, *lin* 3, tribueret et quas. *lin* 6, addens.

Num 253, *lin* 2, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *lin* 3, emisit. *lin* 6, presb absolvit. Et con. *lin* 8, Aistolfi. *lin* 11, clavis.

Num 254, *lin* 5, Pinsaurum Confano. C. Sinogalias. Esis F. P. F. Olibii. *lin* 7, Monte Feretri. A. Monte Lucati Serra, C. san Bobio, Orbino, Callis, Luciolis, Egubio, f. Comiaeclo. *lin* 14, universum exercitum. *lin.* 15, nisus.

Num 255, *lin* 2, auxilium quat. *lin* 3, prælati. *lin* 11, adimplere. Hæc v. *lin* 13, Radchiso. *lin* 17, receptis pr.

Num 256, *lin* 4, in integro. *lin* 11, indict x. *Cætera desunt in coa Pen.*

NOTÆ VARIORUM.

BINII ET LABBEI.

Num. 227, linea 1. — *Stephanus.* Duodecimo die post obitum Zachariæ, vigesima septima Martii, anno Domini septingentesimo quinquagesimo secundo, electus est Stephanus secundus.

Num. 244, linea 3. — *Pippinus rex*, etc. Idem præter Anastasium hic asserunt Thesph., lib. XXII; Paul. Diac., lib. VI, cap. 5; Egilwaldus, lib II, cap. 1, et ipse Ludovicus imperator in epistola ad Hilduinum scripta, quæ in Areopagitorum antiqua versione invenitur.

Num. 247, linea 11. — *Francorum clusas.* Clusæ, sive clausæ, sunt angustiæ Alpium quibus, velut ostiis, accessus hostium vetabatur.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Depositio in Vaticana basilica sancto pontifice Zacharia Idibus Martii anno 752, vacavit sedes dies duodecim, ita unanimi consensu Codd. omnibus et catalogis docentibus (præter Colbertinos, quorum sex de interpontificio silent, septimus una die illud auget). Et sane totidem excurrunt usque ad diem 26 prædicti mensis, qua Stephanum successorem esse ordinatum constat, tum ex tempore illius sedis annor V, dier. XXIX, ut habent catalogi Lucensis et tres Colbertini, cum Codd Freheriano primo, Regio, Mazarino, Thuano, et tribus Ambrosianis, uno minus die numerantibus cæteris Codd.; tum ex die depositionis plerumque consignata VI Kalendas Maii, sive 26 Aprilis, ind. 10, quæ annum indicat 757, cum vulgato, tametsi unius dici, et etiam bidui discrimen in aliquot Codd occurrat. Quibus recte procedentibus, ut etiam Pagius affirmat, ad an. 757, num. 1, necesse est ut quæ duo mihi reliqua feci ad hunc pontificem observanda adversus eumdem Pagium ordinationes nempe Romanorum pontificum non posse disjungi a Dominicis diebus, et epochem restitutæ libertatis ordinationum debere constitui anno 684, paulo enucleatius expediam.

Ad primum quod spectat, ipsa interpontificii XII dierum analysis palam facit quod Dominici dies solemnioribus quibusque festis præferebantur, ut dicebam ad Joan. VI. Et ne inutiliter immorer verbis, tertio depositionis die post Zachariam, clerus populusque de more sibi eligunt quemdam Stephanum, ait Anastasius, dieque ipsa electionis, 17 Martii, fer. 6, in Lateranensem patriarchium mittunt, sive inthronizant, quod idem esse jam ostendi in Zacharia. Bidui ibidem moratur, id est eadem fer. 6 et Sabbato. Tertia autem die, nempe Dominica (ordinationi peragendæ haud dubie destinata) cum, vix exsperrectus, *sedens familiares causas suas disponeret, subito dum sederet alienatus obmutuit, et sequenti die* (fer. 2) *defunctus est.* Hunc Anastasius inter pontifices non recensuit, utpote non consecratum, ut patet ex Vita Adriani I, num. 292, ubi vocat secundum, quem nos III appellamus; quia tamen Panvinus et card. Baronius cum numerant, ac secundum appellant, ita cum ad alterius Stephani electionem ventum est, dubium remanet utrum electio de more facta fuerit tertio depositionis die, an statim, ut videtur innuere Anastasius, dum convenisse omnes narrat in sanctæ Mariæ ad Præsepe, et consona voce elegisse Stephanum, quem ex prælectis II, al. III, appello. Utcumque autem fuerit, ne videar Pagio fucum facere, analysim persequor non secus atque tertiam electores diem exspectaverint. Feria igitur IV, seu 22 Martii, Stephanus eligitur pontifex, et inthronizatur in Lateranensi patriarchio. Quid inde? Num facta ejus consecratio est quarta abhinc die Annuntiationi Dominicæ Incarnationis sacra, juxta sæpius laudatum axioma Pagii, contendentis Dominicis aut solemnioribus diebus ordinationes pontificum fieri solitas? Minime id quidem; at sequens dies Dominica, ordinationi pontificis debita, exspectata est, et, quod maxime observari debet, exspectata quo tempore nulla amplius dubitatio est quin ecclesia plena uteretur libertate ordinandi, absque exarchorum confirmatione qui superiori anno exacti erant.

Quid vero argumentis utor ut comprobem quod ordinationes pontificum diebus tantum Dominicis factæ sint, dum ipse Anastasius apertis verbis confirmat quod ego inquiro? De Constantini intrusi post sanctum Paulum, et Stephani III, seu IV, consecrationibus agens, palam facit easdem non fieri nisi Dominicis diebus. Quæ duo, tametsi ad quintum tomum spectant, lubet tamen hic delibare, ut novo hæreant præsidio quæ hucusque de ordinationibus disputavi. Anno 767, die 28 Junii, occubuit mortem sanctus Paulus I, in basilica sancti Pauli, ubi per id temporis morabatur. *Et cessavit*, inquit Anastasius, *episcopatus annum unum, et mensem unum, quo* (ut legitur in Cod. Freher. 2) *Constantinus transgressor apostolicæ sedis invasor exstitit.* Nam die 28 Julii sequentis anni 768, Sergius et Waldipertus presbyteri cum Langobardis ingressi sunt Romam; Totonem Nepesinum ducem, qui fratrem suum Constantinum instruserat, necaverunt, et *post aliquantas horas*, ut prosequitur Anastasius *hujus Romanæ militiæ judices... sub cautela munierunt* Constantinum cum fratre superstite Passivo et Theodoro episcopo, et ita cessavit invasio quam Anastasius

Digitized by Google

interpontificium jure appellat. Neque ei movenda lis est quod valde diligens in consignando invasionis tempore interpontificium brevius decem diebus fecisse videatur, quippe idem reliquos dies singillatim enumerans, nullum de iis dubium relinquit, ut suo loco videbimus. Itaque prædicto anno 767, et die 28 Junii, cum Dominica concurrente, Nepesinus dux Toto, quem libido incesserat creandi pontificem Constantinum fratrem laicum, caterva factiosorum stipatus, ingreditur Romam, fratrem domi suæ eligi curat, cumque eo ad Lateranense patriarchium advolat, factumque clericum per summum nefas inthronizat, superstite adhuc Paulo, qui paulo post, die eadem, occubuit. Sequens dies fer. 2 natali apostolorum sacra erat. Quid vero opportunius conculcatori sacrorum canonum Totoni, et districtis armis intrusum fratrem sustentanti, quo eum præcedenti die inthronizatum die sequenti in basilica sancti Petri consecrari quantocius vellet, ut legitimus pontifex videretur? Quia tamen nulla memoria erat consecrati pontificis extra diem Dominicam, eadem sex dies exspectanda in armis fuit. « Adveniente, ait Anastasius, Dominico die, rursus cum multitudine armatorum exercituum in basilica beati Petri properans pontifex, ab eodem Georgio episcopo Prænestino, et aliis duobus episcopis, Eustatio Albanense, et Citonato Portuense, consecratus est. » Quod sane exemplum pseudo-pontificis intrusi, qui, quemadmodum in cæteris violati erant canones, ita violatione rituum non modo solemniori, sed alia quacunque die ordinatus fuisset, nisi pontificia consecratio cum die Dominica conjuncta esset; mihi magis affirmat quam aliud quodvis adduci possit. Præterea idem Anastasius, ubi agit de Stephani III, al. IV, ordinatione, tametsi contra Pagium non facit, quia electionem inter et diem Dominicam nullum festum occurrit, nihilo tamen minus tam absolute loquitur de ordinatione facta die Dominico, ut non obscure ostendat eorum temporum ritum. « Sabbato, inquit, die diluculo, ante unam diem ordinationis præfati beatissimi papæ Stephani. » Et infra : « sicque alio die Dominico antedictus beatissimus Stephanus consecrationem suscepit pontificatus. » His plura fortasse suppetent, si quis contra hanc opinionem Pagium defensurus insurgat.

Quod alterum mihi restat probandum, est epoche restitutæ libertatis ordinationis Romanorum pontificum. Aiebam (*in notis ad Leonem* II) repeti eam posse ab anno 684, cum Benedicto pontifici Pogonatus, quæ erant ejus liberalitas et erga apostolicam sedem reverentia, per divalem concessit, ut clerus populusque nullam deinceps principis jussionem exspectarent, sed *sine mora* pontificem electum consecrarent. At malui cum viris doctissimis Pagio et Blanchino contra sententiam Mabillonii, eam ad Carolum M. perducentis, hanc epochem annos circiter LXX protrahere, nempe usque ad primordia Pippini Francorum regis, quæ cum Pagio constitui Kalendis Martii, anno 752, Zacharia pontifice adhuc superstite. Verum id firmum ratumque haberi debet, quod Romani post Constantinum Pogonatum, cum missos suos dirigebant Ravennam post factam pontificis electionem, obsequii potius gratia quam petendæ causa confirmationis id faciebant. Eritque exemplo ipsius Zachariæ ordinatio post quatridui interpontificium peracta, antequam Pippinus regnaret, exarcho haud consulto. Hinc est quod Pagius (*Ann.* 731, *num.* 20) eam consuetudinem petendi confirmationem obtinuisse ait usque ad Gregorium III, prædecessorem Zachariæ; at privata id auctoritate comprobat, nullo allato monumento, præter conjecturam ex Occidentalium aversione ab Iconomacho Isauro; quæ profecto, ut sint admodum probabilia, non tamen evincunt quod certa epoche non petitæ amplius confirmationis pontificum stabiliri debeat ævo Gregorii III.

Quamobrem ego doctissimi præsulis Blanchini sententiam sum amplexus, qui Mabillonii, et Pagii opinionum optione sibi proposita, hanc illi prætulit, attamen cum aliquo annorum discrimine est secutus, cum ad Pippini regnum se ait protrahere hanc rem discutiendam, quam Pagius refert ad tempora Caroli Martelli. Factus itaque interpres illius mentis ipso anno emortuali sancti Zachariæ, cum rex inaugurabatur Pippinus, nempe 752, pontificiæ ordinationis libertatem cœpisse affirmo. Nam a mense Julio superioris anni exacti erant exarchi, nec quidquam rei erat imperatoribus Orientis cum Italia; quod minime affirmari potest ex brevitate interpontificii post Gregorium III, tum quia exarchii nondum expulsi fuerant, tum quia ob ingruentia bella ordinatio præceps facta fuerit. Cæterum annis iis octo et sexaginta, qui a divali Pogonati excurrunt, nempe ab anno 684, gratia, inquam, obsequii magis quam petendæ confirmationis causa clerus populusque Romanus legatos suos ad exarchum miserunt, cum nulla id faciendi lege tenerentur; et nisi ulla adfuissent schismata, ut alibi monui, quæ docuerunt firmius stabiliri oportere legitimas electiones, ne obsequii quidem causa itum esset. Semel quippe abjectam eam servitutem quam Ecclesia pro bono pacis subiverat, piissimi Pogonati auspiciis, subiisse iterum nusquam legimus; et qui, ut Augustis morem gerant, secus sentiunt, hariolantur. Venient autem tempora cum ipsos pontifices videbimus imperatoribus Occidentis grati animi ergo fecisse potestatem sese in pontificum electiones admiscendi.

CIACONII.

Num. 227, linea 6. — *Stephanum quemdam.* Hic fuit natione Italus pater Romanus S. R. E. presbyter cardinalis, imperatore Constantino Copronymo, sedit in Petri cathedra dies quatuor, creatus VIII Kal. Aprilis, qui quarta die creationis suæ gravi somnolentia oppressus est; postridie, cum experrectus res familiæ componere aliquando instituisset, subito, mente alienatus, vocem amisit; postridie ejus diei, apoplexia correptus, exspiravit. Ante adeptam consecrationem, v Kal. Aprilis, vacat sedes diem unum. Hunc scriptores historiæ pontificiæ in numerum pontificum non reponunt, vel quia consecratus non fuerit, vel quia brevissime vixerit. Quod haud recte factum est, cum et legitime creatus fuerit, et vir ingentis spiritus et animi existimatus sit : quare a pontificum numero non est subtrahendus, etiamsi horam unam vixisset.

PAGII.

Num. 227, linea 6. — *Stephanum quemdam*, etc. Defuncto Zacharia papa, Stephanus quidam presbyter, natione Romanus, a populo statim creatus est Romanus pontifex, et in Lateranense patriarchium immissus, *ubi biduo manens, tertio die, postquam a suo surgeret sommo*, ac domesticas res disponeret, subito, dum sederet, alienatus obmutuit, *et sequenti die defunctus est*, inquit Anastasius, qui eum inter Romanos pontifices non numerat. Onuphrius, in Chronico ecclesiastico, ac in notis ad Platinam, et post eum Baronius, hunc Stephanum inter pontifices Romanos enumerant; sed hæc opinio omnes antiquos scriptores contrarios habet, omnesque Romanorum pontificum catalogos, in quorum nullo legitur nomen hujus Stephani presbyteri, quia scilicet tantum pontifex electus, nunquam vero ordinatus fuit. Licet enim moris esset electum statim a sua electione induci in possessionem partriarchii, non tamen dicebatur simpliciter, aut erat verus pontifex antequam ordinaretur. Unde Anastasius, et Frodoardus in Fragmento de Romanis pontificibus, a nobis sæpius laudatus, qui anno sexagesimo secundo sæculi decimi obiit, sequentem Stephanum, secundum hujus nominis vocant, et sic deinceps cæteros hujus nominis pontifices, numerorum nota servata; quod certe non fecissent, si tunc iste Stephanus electus inter Romanos pontifices fuisset adnumeratus. Ad confusionem itaque vitandam, Stepha-

Digitized by Google

num post hunc sequentem, dicemus quidem Stephanum secundum, sed cum hoc addito, *aliis tertium*, et sic in aliis usque ad Stephanum decimum.

Num. 232, linea 11. — *Misit in regiam urbem suos missos.* Stephanus II difficillimis temporibus creatus est pontifex, ipso enim pontificatus ejus initio Aistulphus Longobardorum rex, rupto fœdere quod cum Ecclesia Romana pepigerat, ipsam Romam petere decrevit, quo tempore, imperatoris obsequium Romani nondum deseruerant. Pontifices enim Romani, post sua latifundia invasa, et hæresim Leonis imperatoris, ejus ac Constantini Copronymi imperium coluerunt, et reipublicæ curam non deseruerunt, et Romana civitas, licet calamitatibus belli ab Aistulpho rege vexata, ejusdem Constantini imperium agnoscebat, a quo missus Romam Joannes Silentiarius cum litteris a papam, et ad eumdem regem Aistulphum, qui, Ravennam adiens, cum Paulo, Stephani papæ fratre, provinciarum ab eo Romano imperio ablatarum restitutionem obtinere non potuit. Quare Stephanus pontifex ab imperatore per legatos petiit « ut, juxta quod ei sæpius scripserat, eum exercitu ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adveniret et de iniquitatis filii morsibus Romanam hanc urbem vel cunctam Italicam provinciam liberaret, » inquit Anastasius.

Num. 235, linea 8. — *Cernens ab imperiali potentia*, etc. Cum vero nulla spes præsidii ex Oriente superesset, et Aistulphus rex Romam obsideret, ut eam suæ ditioni subderet, ac Romanæ Ecclesiæ civitates invaderet, Stephanus preces publicas pro Urbis salute fudit, unicumque salutis subsidium censuit Gallicanæ pietatis arma implorare : *Clam*, inquit Anastasius, *per quemdam peregrinum suas misit litteras Pippino regi Francorum* directas, quibus ad auxilia mittenda eum sollicitavit. Pippinus, his litteris acceptis, Droctegangum abbatem Romam direxit. Ut vero prædictum peregrinum alii nuntii apostolici, sic et Droctegangum abbatem secuti sunt alii missi regii, Chrodigangus episcopus et Autcharius dux, Droctegango Roma interim Franciam versus digresso cum litteris ad regem proceresque deferendis.

Num. 239, linea 5. — *Cum vero approximasset*, etc. Stephanus papa regiorum missorum, Chrodigangi Metensis episcopi, et Autcharii ducis, adventu recreatus, egressus est ab urbe Romana *decimo quarto die mense Octobris, indictione septima*, juxta Anastasium, ideoque anno septingentesimo quinquagesimo tertio, atque cum illis in Longobardiam, indeque in Franciam, juxta quod petierat, profectus est. Papiam transiens restitutionem eorum quæ ablata fuerant, ab Aistulpho rege nequaquam impetrare potuit. Quare *quinta decima die mensis Novembris prædictæ septimæ indictionis a civitate Papia movens, suum in Franciam profectus est iter*, quod cœptum gradiens, ad Agaunense, seu sancti Mauricii, monasterium pervenit, in quo aliquantis commoratus est diebus. Celeberrimum illud monasterium Agaunense, modo Tornatense, ab oppidulo ibi condito denominatum, situm erat in Burgundiæ regno, non longe ab Octoduro, de quo legendus tomus secundus Criticæ Baronianæ. Ad illud monasterium convenerunt a Pippino rege directi Fulradus presbyter et capellanus, sive archicapellanus, palatii, et Rotardus dux, *petentes eumdem pontificem ad suum progredi regem. Quem in magno honore cum omnibus qui cum eo erant ad eum deduxerunt.*

Num. 243, lin. 1. — *Audiens vero isdem rex*, etc. Post diem Natalis Domini Pippinus rex statim ad villam regiam Pontigonem, in pago Pertensi, non procul a Victoriaco incenso sitam, in occursum papæ perrexit, *una cum conjuge, filiis etiam ac primatibus.* Præmiserat ad millia passuum non pauca Carolum filium natu majorem obviam ei cum suis optimatibus; ipse cum uxore Bertrada et altero filio Carolomanno ad tertium lapidem se obtulit; A atque ad ejus conspectum de equo descendens, seque in terram inclinans, una cum conjuge, filiis ac proceribus suis, ipsum excepit, et aliquo etiam spatio operam stratoris ei navavit, ut testatur Anastasius. Pontifex profectus est ad præfatum palatium *sexta Januarii mensis die, in Apparatione Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi sacratissima solemnitate*, ipsoque anno septingentesimo quinquagesimo quarto; Anastasio enim hæc scribenti, suffragantur quoad annum auctor posterioris appendicis ad Continuationem Fredegarii, et annalista Metensis. Pontifex in dicto Pontigonensi palatio existens, postero die, Pippinum regem deprecatus est ut causam beati Petri et reipublicæ Romanæ defenderet; Pippinus autem rex pontifici promisit sese *exarchatum Ravennæ et reipublicæ jura* restituturum modis omnibus curaturum, ut testantur Annales Metenses.

Lin 19. — *Sed quia tempus imminebat hiemale.* Ex Pontigonensi palatio Stephanus papa ad monasterium B sancti Dionysii prope Parisios perrexit : « Sed quia tempus imminebat hiemale, subdit Anastasius, eumdem sanctissimum papam cum suis omnibus Parisios apud venerabile monasterium beati Dionysii ad hibernandum pergere fecit. » Tunc Pippinus rex « legationem ad Aistulfum regem Longobardorum misit, petens ut propter reverentiam beatissimorum Petri et Pauli in partibus Romæ hostiliter non ambularet, et superstitiosas ac impias et contra legis ordinem causas, quas antea Romæ nunquam fecerat, propter ejus petitionem facere non deberet », inquit anonymus, qui secundam appendicem adjecit ad Continuationem Fredegarii, quique, annum a Kalendis Martii exordiens, subdit, « cum prædictus rex Pippinus, quod per legatos suos petierat non impetrasset, et Aistulfus hoc facere contempsisset, evoluto anno » septingentesimo quinquagesimo tertio, Pippinum, Kalendis Martii, omnes Francos, sicut mos est Francorum, in Brennaco villa regia regni pagique Suessionici, posita ad flumen Vidulam, C quæ vulgo *Braine* appellatur, ad se venire præcepisse.

Num. 244, linea 11. — *In loco, qui Carisiacus.* Pippinus postea ad preces Stephani papæ Carisiacum perrexit, ibique, ut scribit Regino, in Chronico, Pascha celebravit Pippinus, anno 754. Pascha celebratum est die decima quarta mensis Aprilis, quod, ut dixi, Regino scribit Pippinum Carisiaci celebrasse eo anno quo Stephanus II in Francia erat, quem perperam dicit fuisse 751. Est porro Carisiacum vulgo *Quirsi*, aut *Chirsi* Gallice nuncupatum, locus ad Isaram fluvium, tunc villa Palatina, paucis leucis ab urbe Noviomago distans, de qua legenda dissertatio a Mabillonio edita, lib. IV de Re diplomatica, pag. 258. Eodem perductus est Stephanus papa, ibique promissio ipsi a Pippino, filiisque Carolo ac Carolomanno facta est, ut Romano pontifici res a Longobardis ereptæ restituerentur, sicut testatur idem Anastasius in Adriano primo.

D Linea 3. — *Pippinus rex cum duobus filiis suis reges uncti sunt.* Bellum undique contra Aistulphum regem parabatur, sed ob gravem et periculosum morbum Stephani papæ expeditio tantisper retardata fuit. Ægrotabat circa finem mensis Julii Stephanus in monasterio sancti Dionysii, ut constat tam ex Anastasio quam ex ipsomet Stephano, in epistola ejus quæ legitur apud Hilduinum in Areopageticis, post quam sequitur narratio de unctione Pippini cum filiis et uxore facta a Stephano : « Hoc anno, inquit Hilduinus, qui est ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi septingentesimus quinquagesimus quartus, quinto Kalendas Augusti. » Stephanus itaque, insigni miraculo ejusdem sancti Dionysii martyris intercessione sanatus, ut referunt tum Anastasius, tum pontifex ipse in laudata epistola, Pippinum ejusque filios Carolum et Carolomannum, ac uxorem Bertradam, in reges Francorum unxit, die vigesima octava mensis Julii, quæ anno 754 in Domi-

Digitized by Google

nicam incidebat; hujusmodi enim cæremoniæ diebus Dominicis, aut solemnioribus festis, fieri solitæ erant. Bis itaque Pippinus in regem unctus est, primum a sancto Bonifacio apostolicæ sedis legato, ut in Zacharia papa ostensum est; secundo a Stephano papa, ut testantur annalistæ Bertinianus, Loiselianus, Metensis et alii, necnon et Anastasius. Stephanus Pippinum, Carolum et Carolomannum, reges inungens, eos Romanorum patricios dixit, ut deducitur ex litteris ad eos scriptis, quæ exstant in Codice Carolino, num. 9, et quarum hæc est inscriptio: *Domnis excellentissimis filiis Pippino regi, et nostro spirituali compatri, seu Carolo et Carolomanno item regibus, et utrisque patriciis Romanorum, Stephanus papa.* Sed rem extra dubium ponit annalista Metensis, qui ad annum 754 scribit: « Ordinavit (scilicet Stephanus), secundum morem majorum, unctione sacra Pippinum piissimum principem Francis in regem, et patricium Romanorum, et filios ejus duos felici successione Karolum et Karolomannum eodem coronavit honore. » Cum vero in dicta epistola, et non infrequenter in aliarum epistolarum inscriptione ac contexta, Stephanus Pippinum *spiritualem* suum *compatrem* vocet, quin et ipsos Carolum et Carolomannum *spirituales* suos *filios*, eorumque matrem Bertradam, *spiritualem* suam *commatrem*, in epistola ad eumdem Pippinum ordine 8 in Codice Carolino, etiam appellet, hujus rei alia ratio adduci non potest, quam quod Stephanus II Carolum et Carolomannum e sacro fonte levaverit, antequam eos in reges inungeret. Quare falluntur, inquit Cointius, in Annal. Ecclesiast. Francorum, ad annum 754, num. 58, qui Carolum apud Moguntiam a Bonifacio illius civitatis episcopo baptizatum esse volunt.

Num. 245, linea 1. *Interea nefandissimus Aistulfus.* Pippino vero Carisiaci etiam cum Stephano papa existente, Carolomannus ejus frater, tunc monachus Casinensis, illuc quoque venit ex Italia, et *nitebatur omnino et vehementer decertabat sanctæ Dei Ecclesiæ causam subvertere, juxta quod a præfato rege Aistulfus fuerat directus*, inquit Anastasius. Sed verosimilius est quod scribit Eginhardus, in Annalibus, ad annum 753, Carolomannum scilicet, invitum legationem illam obiisse, *qui nec ille abbatis sui jussa contemnere, nec abbas illius præceptis regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat resistere.* Hanc legationem jussione sui abbatis suscepisse Carolomannum, scribit etiam annalista Laureshamensis, et multi alii. Sed Pippinus, sicut jam pontifici sponderat, ejus et Romanæ Ecclesiæ patrocinium suscepit.

Num. 248, linea 13. — *Se illico redditurum civit. Ravennatium.* Cum interea Pippinus legatos ad Aistulphum regem misisset, et ab eo quod petierat non impetrasset, in eum cum exercitu movit, ut narrat auctor citatus secundæ Appendicis ad Continuationem Fredegarii, et Anastasius, qui hanc expeditionem dicit contigisse mense Septembri, octava jam inchoata indictione, ideoque mense Septembri ejus dem anni septingentesimi quinquagesimi quarti. Misit itaque Pippinus rex ante suum occursum aliquot ex suis proceribus, et cum eis partem exercitus ad custodiendas proprias Francorum clausas, seu Alpium angustias: ipseque tandem cum toto exercitu Alpes transgrediens, in ipsis montium faucibus, eumdem Aistulphum Longobardorum regem prælio vicit, fugatumque insequens Papiæ obsedit; cum pontifex novam timens Christiani sanguinis effusionem, cum eo egit, et, accepto a » Aistulpho juramento, obsidibusque pro restituenda Ravenna aliisque civitatibus, ipse in Gallias regrederetur.

Num. 249, linea 1. — *Et post hoc facta pace*, etc. His ita quam felicissime gestis, Pippinus rex victor cum in suis Gallias, Stephanus autem papa Romam redit, ubi summo gaudio e suis exceptus, dignas Deo laudes pro tot tantisque beneficiis publice apud basilicam sancti Petri ex more persolvit. Stephanum Romam comitatus est Hieronymus, frater Pippini regis, ut habet annalista Fuldensis; annalistæ vero Loiselianus, Laureshamensis, Bertinianus et Regino, Fulradum unum ex Pippini missis Hieronymo adjungunt. « Ipse Pippinus, inquit annalista Laureshamensis, in regnum suum regressus est, et Stephanum papam cum Fulrado presbytero capellano, et non minima Francorum manu, Romam remisit. » Stephanus autem Romam pervenit ante finem anni 754, ut ex dicendis constabit. Addit Paulus Æmilius Pippinum domum gloriam retulisse, se, omnium mortalium primum, nullo suo dolore bellum externum adversus gentem rebus gestis nobilissimam pro religione suscepisse, nulloque suo commodo confecisse.

Linea 6. — *Furore vehementi repletus*, etc. Eodem anno in finem vergente, Hieronymus, Pippini regis frater, et Fulradus abbas monasterii sancti Dionysii, Roma in Franciam rediere cum litteris in Codice Carolino, num. 7, recitatis, per quas apud Pippinum, Carolum et Carlomannum, reges Francorum, ac patricios Romanorum, questus est Stephanus papa quod Aistulphus rex promissis minime staret, nihilque cum Ecclesiæ Romanæ tum reipublicæ Romanorum reddidisset. In illis enim litteris ait pontifex de Aistulpho: *Nec unius palmi terræ spatium beato Petro, sanctæque Dei Ecclesiæ, vel reipublicæ Romanorum, reddere passus est*, etsi, illi, nempe Pippinus et filii, *propria voluntate, per donationis paginam, beato Petro sanctæque Dei Ecclesiæ et reipublicæ civitates et loca restituenda* confirmassent. E quibus verbis etiam colligere est, cum ventum est ad pacem inter Stephanum et Aistulphum, legem hanc a Pippino huic fuisse impositam, ut ablata cum Ecclesia Romanæ tum reipublicæ Romanæ restitueret, non vero imperio Romano, ut perperam quidam scribunt. Non solum Aistulphus ablata Ecclesiæ Romanæ non restituit, sed post Fulradi et Hieronymi reditum in Galliam, statim per scameras, sive exploratores, perque deprædationes seu devastationes, Stephano papæ sese molestum exhibuit. Qua re motus Stephanus, litteras quæ num. 9 in Codice Carolino leguntur, per Willharium, seu Wilcarium, Numentanum episcopum, ad prædictos reges mox deferendas curavit, quibus ipsos urgebat ut Aistulphum compellerent ad restituendum Ecclesiæ et reipublicæ Romanæ quod abstulerat, et quod Pippinus Romanæ sedi donare decreverat: « Etenim, inquit, sicut primitus Christianitati vestræ edidimus, iniquus Aistulfus rex, ingresso in ejus perfido corde diabolo, omnia quæ per sacramentum beato Petro per nostros missos restituenda promisit, irrita fecit, et nec unius palmi terræ spatium beato Petro reddere voluit... Non enim quia jam reddere, ut constituit, propria beati Petri noluit, sed etiam scameras atque depræ dationes seu devastationes in civitatibus et locis beati Petri facere sua imperatione non cessavit, nec cessat... Pro quo peto vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, et nimis obsecro, doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia et beati Petri causa, et quod per donationem beato Petro offerendam promisistis, eidem contradere debeatis. »

Linea 9. — *Per trium mensium spatia obsidens.* Anno septingentesimo quinquagesimo quinto ineunte, Aistulphus rex rursum, ingenti comparato exercitu, ipsam urbem Romam obsidione cinxit, omnia circumloca tam sacra quam profana devastans ac conburens, sacras imagines in ignem conjiciens, sacrosanctum corpus Dominicum polluens, monachos plagis lanians, sanctimoniales contaminans, cæteros ecclesiasticos laicosque utriusque sexus jugulans, infantulos a mamillis matrum extractos interimens, nullum denique impietatis et crudelitatis genus non exercens. Stephanus in his rerum angustiis, legatos de servandis pactis ad Aistulphum regem subito misit, sed cum pacati nihil retulisset, *omnem, post Deum, spem in regibus et gente Francorum consti-*

Digitized by Google

tuens, Warnerium abbatem ad se a Pippino directum, et in Urbe defendenda militis officio egregie functum, itinere maritimo, quo totius ac celerius perveniret in Franciam cum legatis suis Georgio episcopo, et Thomerico comite proficisci jussit, ac Pippino hæc universa significare, ipsum per omnia sacra obtestans, ut quæ semel promiserat aliquando impleret. Duas per illos legatos epistolas in Franciam transmisit, unam suo nomine Pippino regi; alteram suo et omnium Romanorum in afflictione positorum nomine ad eumdem Pippinum, ejusque filios, necnon ad episcopos, abbates, presbyteros, monachos, duces, comites, cæterosque Francos. Ex iis porro litteris constat Romam Kalendis Januarii jam fuisse obsessam.

Num. 250, linea 2. — *Per marinum iter*, etc. Sed cum obsidio acrius a Longobardis urgeretur, Stephanus, nôvo miroque exemplo, quod nec a decessoribus antea, nec post a successoribus usurpatum est, ipsius sancti Petri apostoli nomine, ad eosdem reges Pippinum, Carolum et Carolomanum, sive ad omnem generalitatem Francorum scripsit; quibus omnibus enixius verbisque ad excitandam commiserationem quam maxime compositis obtestatus est, ut afflictissimæ succurrerent Ecclesiæ et urbi Romanæ; et quemadmodum *omnes gentes quæ ad Francorum fortissimam gentem refugissent salvæ factæ sunt*, ita sanctam Dei Ecclesiam et ejus populum ab hostium oppressione liberare festinarent. Ex litteris ad Pippinum regem constat Ecclesiam populumque Romanum spem suam omnem in Christianissimo rege, ac Francis, ut in liberatoribus suis, posuisse : « Adjuva nos, *inquit*, et auxiliare nostri sub magna velocitate, Christianissime. . . Peto te, ne pereamus, nequando dicant gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt : Ubi est fiducia Romanorum, quam post Dominum, in regibus Francorum habebant? . . Salva nos antequam pereamus, Christianissime rex. . . Considera, fili, considera, et omnino percogita, per Deum vivum te conjuro, quoniam et nostra, et omnis Romanorum populi animæ, post Deum, et ejus principem apostolorum, in tua a Deo protecta excellentia, et gente Francorum a Deo tibi commissa, pendent. . . Quoniam nulli alio, nisi tantummodo tuæ amatissimæ Excellentiæ, vel dulcissimis filiis, et cunctæ genti Francorum, per Dei præceptionem et beati Petri, sanctam Dei Ecclesiam, et nostrum Romanorum reipublicæ populum commisimus protegendum. »

Num. 252, linea 6. — *Restituit ipsas civitates prælatas*. Pippinus, cognita Aistulphi regis fraude, ita et dolore exarsit, et, novo decreto bello populis novos delectus indixit. Tum cum exercitu in Longobardos movit, Aistulphum ad Alpium angustias fugatum Papiæ obsedit; nec veniam unquam rupti fœderis ei roganti tribuere voluit, quousque Ravennam cum universo exarchatu, Pentapolimque, ac viginti civitates iis provinciis comprehensas, Romano pontifici tradidisset. Aistulphum coegit, inquit Anastasius, ad confirmandum pactum *quod per octavam elapsam indictionem inter partes provenerat*, et factam in inscriptis donationem Romam ad Stephanum papam transmisit, ideoque post mensem Augustum ejusdem anni 755, quo mense Septembri nona indictio initium sumpsit. Pippinus, in Franciam rediens, reliquit in Italia Fulradum abbatem monasterii sancti Dionysii, qui civitates in pacto contentas ab Aistulpho reciperet, receptasque mox in potestatem pontificis Romani transferret, uti narrat Anastasius.

Num. 254, linea 1. — *Et ipsas claves tam Ravennatium urbis quamque diversarum*, etc. Fulradus cum procuratoribus Aistulphi in exarchatum Pentapolimque progressus, omnes urbes, præter Ferrariam, Faventiam et alias quasdam, recepit, et obsidibus de unaquaque sumptis, ac primoribus secum earum ductis, Romam adiit, atque singularum urbium claves una cum tabulis ipsius donationis a Pippino rege factæ in confessione sancti Petri deposuit. Ravennæ etiamnum in antiqua tabula legitur hæc epigraphe, a Papyrio Massono, lib. II, relata : PIPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. VIAM. APERUIT. ET EXARCHATUM. RAVENNÆ. CUM. AMPLISSIMIS..... cætera verba exesa. Sed ea inscriptio longe post Pippini mortem posita, et postquam imitatores habuit, cum *primus* dicatur ecclesiam amplificasse. Quid porro donatio Pippini contineret, et quas civitates complecteretur, inter scriptores non convenit, nam præter civitates quas Anastasius recenset, Leo Ostiensis, in Hist. Casin., lib. I, cap. 7, latioribus eamdem donationem extendit terminis. Sed quidquid sit, illud certum videtur annotatori Baronii, ab hoc tempore plenam in rebus civilibus administrationem pontifices Romanos, tam Romæ quam in exarchatu Ravennatensi exercuisse, nisi rebellionem motibus aliquando impedirentur. Romani enim, inquit, ab eo tempore quo Pippinus exarchatum Ravennæ principi apostolorum ejusque successoribus concessit, Constantini Copronymi imperatoris hæretici, qui eos adversus Longobardos defendere non poterat, dominationem penitus excussere, et rempublicam instituere, cujus caput Romanus pontifex, defensor vero ac protector Pippinus Francorum rex dicti sunt. Hinc quando Stephanus II, in suis litteris, de Aistulpho et de vexatione urbis Romæ sermonem habet, nusquam meminit imperatoris, et Romanos populum suum appellat, ut videre est in ejus epistolis 3, 4, 6, ad Pippinum regem. Iisdem loquendi formulis utuntur Paulus papa, Stephani successor, et Adrianus I, ille in epistolis ordine 2 et 7, ad Pippinum; hic in epistola 4 ad Carolum Magnum anno 775 data. Hic refert quod pontifices in subscriptionibus dictarum epistolarum memorent annos Constantini imperatoris : dicuntur enim datæ *imperante Domino piissimo Augusto Constantino, a Deo coronato, magno imperatore*, anno 32, vel aliquo alio ejusdem imperatoris; nam et concilium Romanum, anno 743 dicitur habitum, *anno secundo Artabasdi imperatoris, Luitprandi regis anno trigesimo secundo;* inde tamen non sequitur Romam Luitprando Longobardorum regi fuisse subditam. Præfati itaque pontifices Romani iis formulis tunc usi sunt tanquam notis temporariis, quæ subjectionem nullam inferebat.

Num. 255, linea 1. — *Ad hæc præfatus Desiderius*, etc. Aistulpho Longobardorum rege, anno septingentesimo quinquagesimo sexto, mortuo, Stephanus papa, inter Longobardos pro successione excitatos tumultus compressit, et Desiderium Tusciæ ducem ad obtinendum regnum juvit, sancito cum ipso fœdere, ipsique auxilium Francorum impetravit, iis conditionibus, ut civitates quas Aistulphus ad mortem usque contra pactum retinuerat, et quas Pippini donatio complectebatur, Ecclesiæ Romanæ restitueret, ut testatur Anastasius Bibliothecarius. Hæ civitates erant Faventia, Imola et Ferraria, cum earum finibus, Auximum, Ancona et Humana, cum earum territoriis, et Bononia, ut constat ex litteris Stephani ad Pippinum regem ea de re datis, et per Fulradum abbatem, Georgium episcopum, et Joannem sacellarium, transmissis, quibus eum rogavit ut cum Desiderio, ubi promissa implevisset, amicitiam fœdusque pacisceretur. Solum tamen Ferrariæ ducatum Stephanus recepit, Desiderio rege cæteras civitates contra promissa retinente.

ALTASERRA.

Num. 233, linea 10. — *In una vero dierum cum multa humilitate sollicite procedens, in litania cum sacratissima imagine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ Anteropsita nuncupatur.* In litaniis imago Christi Salvatoris circumferri solita cum cruce dicta est anteropsita, voce forte composita a Latino

Digitized by Google

ante, et Græco ὄψις, visus, spectaculum, quia ante litaniam lata videbatur. Beda, Hist., libr I, cap. 26, de Augustino, primo episcopo Anglorum, et sociis ejus : « At illi, non dæmonica, sed divina virtute, præditi, veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, litaniasque canentes pro sua simul et eorum propter quos et ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant. » Et infra : « Fertur autem quod appropinquantes civitati more suo cum cruce sancta et imagine magni regis Domini nostri Jesu Christi, hanc litaniam consona voce modularentur. » Imago Salvatoris maximo cultui fuit apud fideles. Novembris 9 celebratur commemoratio imaginis Salvatoris, quæ a Judæis crucifixa ubertim sanguinem fudit, de quo Martyrol. R. Hinc quamplures Ecclesiæ in orbe terrarum dicatæ Salvatori, ut Romæ et passim alibi. Augustin, lib I contra Julianum : « Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum, non ad Christum tantum, id est ad puerum, sed ad Christum ipsum, id est etiam Salvatoris, cum parvulis currunt. »

Linea 13. — *Simulque et cum ea alia diversa sacra mysteria recipiens, proprioque humero ipsam sanctam imaginem cum reliquis sacerdotibus, idem sanctissimus papa gestans, nudisque pedibus tam ipse quam universa plebs incedentes, in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præsepe nuncupatur, posito in omnium capitibus populorum cinere, cum maximo ululatu pergentes.* In litania pontifex cum clero et plebe processit nudis pedibus, et ipse et presbyteri humeris gestarunt imaginem Christi, et reliquias diversas sanctorum. Officium diaconorum fuit in diebus festis martyrum humeris gestare reliquias sanctorum. Conc. Brachar. III, can. 5.

Num. 237, linea 3. — *Illico a regia urbe venit Joannes imperialis silentiarius.* In palatio fuit schola silentiariorum, qui in aula excubarent. E schola silentiariorum ad imperium evectus memoratur Anastasius. Evagr., libr. III, cap. 31. Ambros., in orat. funebr. Valentiniani : *Vespere profectus est silentiarius.*

Num. 242, linea 3. — *Unde et cum nimia celeritate, Deo prævio, ad Francorum pervenit clusas.* Clusæ sunt fauces Alpium, per quas patet transitus. Annal. Franc. : *Ad ipsas montium angustias, quas clusas vocant.* Anastas. infr. cod. : *Ad custodiendum proprias Francorum clusas.* Et infra : *Et clusas funditus eorumdem evertit Longobardorum.* Longobardorum clusæ dicuntur solo eversæ, quia clusæ, ut tutiores essent, erant munitæ propugnaculis. Idem infr. in Adr. : « Jam dictus vero Desiderius, et universa Longobardorum exercitus multitudo, ad resistendum fortiter, in ipsis clusis assistebant, quas fabricis et diversis maceriis curiose munire nisi sunt. » Luitprand. Hist. lib. I, cap. 2 : « Quibusdam namque difficillimis separata a nobis erat interpositionibus, quas clusas vocant. » Idem. libr. V, cap. 18. Clausuras vocat Regino, I Chronic : « Thermopylas, id est, clausuras Longobardorum petiit. » Radevic., de Gestis Frideric., lib. I, cap. 5 : « Clausuras illorum, quas in angustis locis præcisa densitate silvarum fecerant, penetravit. » Clusuras Cassiodor. II. Var. 19 : « Universis Gothis et Romanis, et his qui portubus et clausuris præsunt, præcipimus sexaginta militibus in Augustanis clusuris jugiter constitutis annonas, sicut aliis quoque decretæ sunt, sine aliqua dubitatione præstare. » Cujac. III, obs. 24.

Linea 5. — *Et cœptum gradiens iter, ad venerabile monasterium sancti Christi martyris Mauricii pervenit.* Circa ann. Christi 600, Sigismundus rex Burgundiæ monasterium beato Mauricio sacrum condidit apud Agaunum in Allobrogibus. Aimoin. libr. II, cap. 4 : *Saint-Maurice en Chablais sur le Rhône.*

Num. 243, linea 5. — *Ipseque in palatio suo, in loco qui vocatur Pontigone.* Pipinus Stephanum III papam venientem in Galliam, adversus Longobardos præsidii expetendi causa, cum suscepit in palatio suo, cui nomen erat Ponticone, vel Pontigone. Ponticone vel Pontigone, villa regia, in pago Catalaunensi, clara synodo Pontigonensi, cujus meminit Aimoin., libr. V, cap. 33, et quæ refertur inter Capitula Caroli Calvi, edita a Jacobo Sirmondo, Ponticonem appellat Gregor. Tur., libr. IV, cap. 23. et libr. VI, cap. 37. Idem de Miracul. D. Mart. I. IV, c. 40. Pontigonem Fiscum, id est, villam fiscalem, Frodoard., in Chronic., ad ann. 952.

Lin. 8. — *Cui et vice stratoris, usque in aliquantum locum, juxta ejus sellarem properavit.* Pippinus pontifici functus est officio stratoris juxta ejus sellarem equitans. Strator dicitur qui domino equum ephippio instruit, et ascendentem in equum sublevat. In aula imperatoris stratores fuere inter officia palatina. Spartian., in Antonino Caracalla : *Cum illum in equum strator ejus levaret, pugione latus confodit.* Pontius Diaconus, in Vit. Cypriani, apud Surium, Sept. 14 : *Venerunt ad eum Principes duo, unus strator officii Galerii Maximi procoss. et alius equistrator e custodiis ejusdem officii.* Stratorum officium erat probare equos militares qui a provincialibus conferebantur. L. unic. C. *De Strator.* Ammian. lib. XXIX : *Constantinus strator paucos militares equos ex hic ausus mutare, ad quos probandos missus erat in Sardiniam.* Ludovicus etiam junior, freno equi Nicolai I prehenso, pedes equitem deduxit more stratoris.

Num. 244, linea 11. — *In loco qui Carisiacus appellatur.* Carisiacus villa regia, clara synodo Carisiacense, quæ exstat in Capitula Caroli Calvi, et morte Caroli Martelli. Fredegarius, in Chronic., cap. 110 : « Veniensque Carisiacum (*Crécy-sur-Oise*) villam palatii, super Isaram fluvium, valida febre correptus obiit in pace. »

Num. 250, linea 15. — *Quos suscipiens beatissimus papa, eisdem motionem præfati Francorum regis nuntiavit.* Quandoque iter seu motio exercitus edicebatur per tesseram. Ammian, lib. XXI : « Per tesseram edicto itinere in Pannonias. » Idem, lib. XXIII : « Missa per militares numeros expeditionali tessera. » Sæpius signum itineris dabatur buccina. Curtius, lib. III : « Patrio more Persarum traditum est orto sole demum procedere, die jam illustri. » Signum e tabernaculo regis buccina dabatur. Idem, l.b. V : « Tuba, cum castra movere vellet, signum dabat. » Et infra : « Ipse tertia vigilia silenti agmine, ac ne tuba quidem da o signo, pergit ad demonstratum iter callium. »

Num. 254, linea 1. — *Et ipsas claves tam Ravennatium urbis, quamque diversarum civitatum ipsius Ravennatium exarchatus, una cum donatione de eis a suo rege emissa, in confessione beati Petri ponens, eidem apostolo, et ejus vicario sanctissimo papæ, atque omnibus ejus successoribus pontificibus perenniter possidendas atque disponendas tradidit.* Pippinus rex Francorum per Fulradum abbatem exarchatum Ravennatem, ab Aistulpho rege Longobardorum armis ablatum, concessit Petro et ejus successoribus, in signum donationis, depositis clavibus super confessione, id est, sepulcro beati Petri. Traditio clavium est symbolum deditionis, vel donationis. Annales Franc., ad ann. 800 : « Aran Saracenus præfectus Oscæ, claves urbis cum aliis donis regi misit, promittens eam se traditurum. » Traditione aurearum clavium Basilio imperatori Capua concessa a principe urbis. Leo Ostiens., Chronic. Cassinens. lib. I, cap. 39 : « Cum ergo Capuanus princeps Constantinopolitano imperatori Basilio clam favens, claves aureas ad illum misit, se et urbem Capuam, imo totum principatum ejus, per hæc imperio tradens. » Claves sepulcri Hierosolymitani a patriarcha benedictionis causa accepti Carolus M., Annal. Franc., ad ann. 801 : « Eodem die Zacharias presbyter, quem rex Hierosolymas miserat, cum duobus monachis, quos patriarcha cum eo ad regem

Digitized by Google

misit, Romam venit : ii benedictionis gratia claves sepulcri Dominici ac loci Calvariæ cum vexillo detulerunt. »

Linea 8. — *Eugubium seu Comiaclum.* Eugubium, hodie Comiachum, civitas episcopalis Umbriæ, quæ pervenit ad sedem apostolicam, ex donatione Pippini cum exarchatu Ravennate. Anastas. in Adriano : *Seu Comaclium de exarchatu Ravennate.*

BENCINI.

Num. 235, linea 10. — *Domnus Gregorius.* Ex Anastasio itaque uterque Gregorius, II et III, necnon Zacharias, cum Francorum regibus fœdera pepigerunt. De Gregorio quidem II historica monumenta non suppetunt, multis injuria temporum documentis obliteratis; sed de Gregorio III Fredegarii continuator, fere synchronus scriptor, hæc prodidit, cap. 110 : « Eo tempore bis a Roma beatus papa Gregorius claves venerandi sepulcri, cum vinculis sancti Petri et muneribus magnis et infinitis, legationem quam antea nullis auditis aut visis temporibus (Carolo Martello) destinavit, et pacto patrato ut ad partes imperatoris recederet, et Romanum consulatum præfato principi Caroló sanciret. » De suscepta legatione atque actis per eamdem subjungit : « Ipse mirifico ac magnifico honore ipsam legationem recepit, munera pretiosa contulit, atque cum magnis præmiis cum suis sodalibus missis Grimonem abbatem Corbeiensis monasterii, et Sygobertum reclusum basilicæ sancti Dionysii martyris Romam ad limina sanctorum Petri et Pauli destinavit. » Eadem habet annalista Metensis : « Anno 741 Carolus princeps, domitis circumquaque positis gentibus, dum ea quæ pacis erant infra sui regiminis terminos disponeret, bis eodem anno legationem beatissimi Gregorii p æ ab apostolica sede directam suscepit. Qui sibi claves venerandi sepulcri principis apostolorum Petri, ejusdemque pretiosa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt, quod antea nulli Francorum principi a quolibet præsule Romanæ urbis directum fuit. Epistolam quoque decreto Romanorum principum sibi prædictus præsul Gregorius miserat, quod sese populus Romanus, relicta imperatoris dominatione, ad suam defensionem et invictam clementiam convertere voluisset. » Arbitror nihil fuisse aliud *decretum principum Romanorum* quam quod elegerant in consulem Carolum Martellum. Hæc enim decreta electionum cum subscriptionibus usurpari hoc ævo consuevisse, supra vidimus.

Linea 15. — *Clam per quemdam peregrinum.* Aistulphus enim rex Langobardorum pontificiam ditionem invasionibus tunc et oppressionibus adeo vexabat, astringebatque, ut recursum omnem a Francie reges præpediret. Ideireo Pippinus direxit in Italiam Rodiangucm episcopum, et Autcharium ducem, ut Stephanum pont. in Franciam profecturum comitarentur.

Num. 239, linea 8. — *Petendi Ravennatium civitatem.* Ravennam tenebat Aistulphus. Hinc cum Stephanus iter Papiam versus prosequeretur, præcepit rex ne Ravennam aut per exarchatum transiret. Quapropter calumniosum Agnelli mendacium in Vita Sergii Ravenn. excutitur, ubi aniles quasdam nugas enarrat de Stephano ingrediente Ravennam ad sacrum illius Ecclesiæ ærarium e pilandum. De quo ille in Vita Sergii, cap. 4, pag. 172, et Bacchinius in observationibus ad eamdem.

Num. 241, linea 4. — *Reges uncti sunt.* Ad regiam epocham Carolovingorum statuendam, quam anno 752 alligant veteres recentesque chronologi, describere juvat annotationem quam habet vetus Codex ms Hariulfi de Gloria martyrum sancti Gregorii Turonensis, apud Mabillonium, lib. v, de Re diplomat., pag. 354, tab. 22 : « Si nosse vis, lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus, et ad sacrorum martyrum pretiosam cdâtus laudem, invenies annum ab Incarnatione Domini 767, temporibus felicissimi atque tranquillissimi et catholici Pippini regis Francorum, et patricii Romanorum, filii beatæ memoriæ quondam Caroli principis, anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto decimo, indictione 5, et filiorum ejus eorumdem regum Francorum Caroli et Carolomanni (qui per manus sanctæ recordationis viri beatissimi Domini Stephani papæ una cum prædicto Patre et domno viro gloriosissimo Pippino rege sacro chrismate, divina providentia, et sanctorum Petri et Pauli intercessionibus, consecrati sunt) anno tertio decimo. Nam ipse prædictus domnus florentissimus Pippinus rex pius, per auctoritatem, et imperium sanctæ recordationis domni Zachariæ papæ, et unctionem sancti chrismatis, per manus sacerdotum Galliarum, et electionem omnium Francorum, tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea per manus ejusdem Stephani pontificis, die uno, in beatorum prædictorum martyrum Dionysii, Rustici, Eleutherii ecclesia (ubi et venerabilis vir Folradus archipresbyter et abbas esse cognoscitur) in regem et patricium, una cum prædictis filiis Carolo et Carolomanno, in nomine sanctæ Trinitatis unctus et benedictus est. In ipsa namque beatorum martyrum ecclesia uno eodemque die nobilissimam, atque devotissimam, et sanctis martyribus devotissime adhærentem, Bertradam, jam dicti florentissimi regis conjugem, prædictus venerabilis pontifex regalibus indutum cycladibus, gratia septiformis Spiritus benedixit : simulque Francorum principes benedictione et Spiritus sancti gratia confirmavit, et tali omnes interdictu et excommunicationis lege constrinxit, ut nunquam de alterius lumbis regem in ævo præsumant eligere, sed ex ipsorum quos et divina pietas exaltare dignata est, et sanctorum apostolorum intercessionibus per manus vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare et consecrare disposuit. Hæc ideo charitati vestræ breviter in novissima paginula libelli inseruimus hujus, ut per succedentium temporum et vulgi relationes propago in ævo valeat cognoscere posterorum. » Annales quoque Bertiniani ad ann. 753 : « Stephanus papa venit in Franciam, adjutorium et solatium quærendo pro justitiis sancti Petri. Similiter et Carolomannus monachus, et Germanus supradicti Pippini regis, per jussionem abbatis sui, in Franciam venit, quasi ad conturbandam petitionem apostolicam. » Et ad ann. 754 : « Stephanus confirmavit Pippinum unctione sancta in regem, et cum eo inunxit duos filios ejus, domnum Carolum et Carolomannum in regibus anno Domini 754, vi. Kalend. Augusti. »

Num. 247, linea 11. — *Francorum clusas.* De his Bertiniani Annales : « Pippinus rex per apostolicam invitationem in Italia iter peragens, justitiam beati Petri apostoli quærendo. Aistulphus Langobardorum rex supradictam justitiam vetando clusas Langobardorum petiit, obviam Pippino regi et Francis venit. Et inierunt bellum, et, Domino auxiliante, beatoque Petro apostolo intercedente, Pippinus rex cum Francis victor exstitit. Eodemque anno (755) Stephanus papa ductus est ad sanctam sedem per missos domini Pippini regis, et Fulradus, et reliqui qui cum eis erant. » Cætera, quæ laudatus annalista prosequitur, iis plane respondent quæ habent gesta pontificalia.

MAFFEI.

Num. 236, linea 4. — *Missus jam fati regis a Francorum nomine Rodigangus abbas.* Rodigangus abbas, quem Pippinus Romam ad Stephanum legavit, ut litteris responderet quas ad eum pontifex dederat per hominem peregrinum, quo tutius transiret per Longobardorum ditionem Romano pontifici infensam; in quibus epistolis quæ exstant in Codice Carolino Droctegangus nominatur. Epistola decima hæc habentur : *Præsens Droctegangus abbas sacris limi-bus protectoris tui beati apostolorum principis Petri, et nostris obtutibus præsentatus.* Et epistola undecima : *Sicut per præsentes Droctegangum religiosum*

Digitized by Google

abbatem ejusque comites direximus. Cujus autem monasterii Drocteganguș abbas fuerit, mihi penitus incertum est. In vita sancti Joannis Gorziensis abbatis, apud Bollandum, ad diem 27 Februarii, innuitur Drocteganguș rexisse Gorziensem abbatiam sitam in episcopatu Metensi.

At multo clariorem reddiderunt illustria facta et vitæ sanctitas Rodigangum, seu Crodegangum episcopum Metensem, quem idem Pippinus postea ad Stephanum misit, ut legitur in Anastasio sequenti sectione. De hoc Chrodegango episcopo narrat Paulus Diaconus in libro de Episcopis Metensis civitatis illum in pago Hasbeniensi natum fuisse, patre Sigrammo, matre Landrada, ex prima nobilitate Francorum (Rodigango enim Pippinus rex erat avunculus, ut legitur in charta donationis quam profert cl. Pater Calmet, tomo primo Hist. Lotharing. Gallice scriptæ, pag. 281, in probat.), atque in palatio Majoris Caroli enutritum, ejusdem, referendarium exstitisse, hoc est annuli regii custodem; ac demum Pippini temporibus pontificale Metensis civitatis decus promeruisse. Imo honore Pallii a Stephano ornatus asscritur in Anastasii mss. Codice, tum Thuano altero, tum Ambrosiano, hisce verbis in hoc Codice parenthesi clausis (*et dum in Francia esset positus, Rodigango sanctissimo episcopo pallium tribuit, et archiepiscopum ordinavit*), ut testatur Lambecius Bibliothecæ Cæsareæ, lib. II, cap. 8.

Quod vero attinet ad ejus legationem ad Stephanum III, quam refert Anastasius hoc loco, de ea laudatus Warnefridus habet sequentia: *Cumque esset in omnibus locuples, a Pippino rege omnique Francorum cœtu singulariter electus, Romam directus est, Stephanumque venerabilem papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit.* In Chronico autem Laureshamensi non solum legationis Rodigangi fit mentio, sed insuper ejus studium laudatur, quo impetravit a Pippino ut exarchatus Ravennæ, aliaque patrimonia, quæ per vim Langobardi occupaverant, beato Petro restituerentur. « Inter cætera valde memorabilia (ita in Chronico) Stephanum papam ad Galliam evocans, et Pippinum cum totis Francorum viribus contra Langobardorum tyrannidem accingens, exarchatum Ravennatem, pleraque beati Petri patrimonia, Romanæ sedi restitui, juge studium et operam impendit. »

Num. 245, linea 1. — *Interea nefandissimus Aistulfus Carolomannum.* Hanc legationem in Gallias eo consilio ab Aistulfo decretam, ut Romanæ Ecclesiæ causam subverteret, Carolomannus Pippini frater, qui tunc temporis in Cassinati cœnobio monachum agebat, ægre suscepit quandoquidem ad eam obeundam virtute obedientiæ compulsus fuit ab abbate ejus Gratiano, timente ne, quod alias factum erat, monasterium tanto labore restitutum iterum per Langobardos exciderctur, ut Eginhardus Aimoinus, Leo Ostiensis, aliique veteres scriptores, testantur. Hujus rei unum vel alterum testimonium non inutile erit proferre. Eginhardus, in Annalibus, ad annum 753, itineris a Carolomanno suscepti hanc reddit rationem: « Quia nec ille abbatis sui jussa, nec abbas illius præcepta regis Langobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat resistere. » A Leone etiam Ostiensi Cassinatum res prosequente idem habetur libro primo, capite septimo. « Postmodum vero, inquit, cum ab Aistulfo Langobardorum rege rogaretur, ut pro quibusdam regni sui negotiis ad Pippinum fratrem suum Francorum regem pergeret, abbate quoque id fieri postulante, ægre consentiens, profectus tandem est. Ubi cum aliquandiu remoratus esset, causa pro qua venerat impediente, defunctus est. Cujus postea corpus idem Pippinus frater ejus locello aureo conditum, cum aliis plerisque muneribus huc illud, ad suum scilicet remisit monasterium. » Quorum auctoritates ideo huic loco mihi placuit attexere, quia contra veterum fidem impudentes homines nostra tempestate ausi sunt scribere, Carolomannum in Gallias iter pro Aistulpho suscepisse quod pontificis causam, ambitionem et dominandi cupiditatem, ipse improbaret. Cum nulla profecto in Stephano sanctissimo pontifice ambitio, nulla dominandi cupiditas fuerit, sed unice curabat a Pippino defendi causam justitiæ beati Petri, quam perjurus Aistulfus per vim et nefas pessumdabat. Certe de Carolomanno in Galliis morante auctor noster refert sequentia: « Dumque illuc conjunxisset, nitebatur omnino, et vehementius decertabat sanctæ Dei Ecclesiæ causas subvertere, juxta quod a præfato nec dicendo Aistulfo tyranno fuerat directus. Sed, propitiante Domino, minime valuit sui germani Christianissimi Pippini regis Francorum in hoc firmissimum cor inclinare. » At si veteres testantes habemus legationem pro Aistulfo ægre a Carolomanno susceptam fuisse, qui igitur convenit illum probavisse causam Aistulfi, et improbavisse pontificis? Quod si partes Aistulfi coram Pippino fratre strenue defendit, hoc ideo fecisse potius putandum est, ne feritati Langobardorum Cassinense monasterium, cui se addixerat, rursus objicerat, quod factum iri quis non videt, si Carolomannus legatus perfunctorie eorum negotia egisset cum Pippino?

Num. 242, linea 9. — *Folradus abbas*, etc. Somm. Hist. dogm. lib. VIII, cap. 34. Stephanus in itinere Franciam versus variis de disciplina quæstionibus responsum dedit. Ad matrimonium quod spectat, declaravit, quod rejecta concubina, ut legitima uxor duceretur, minime erat matrimonium duplex. Quod matrimonium dirimi non poterat, impotentia post celebrationem enata, vel infirmitate alia accedente, præter lepram, aut dæmonis obsessionem. Quod vir cœlum mutans æque uxorem mutare non poterat, ea superstite cui legitime nupserit. Quod tam baptismi quam confirmationis patrinam ducere uxorem non licebat. Quod qui unam repudiarit, cum uxore altera non poterat jungi. Quod pœnitentiam iis oportet injungi, qui, voventes virginitatem citra ingressum in monasterium, matrimonio junguntur. Quod a communione separari debent religiosi ac religiosæ nubentes. Quod nubens vidua, postquam religionem professa erit, detrudi in monasterium debet reliquum vitæ tempus. Quod conjuges separari oportet, alterutro laborante lepra, ne leprosam prolem generent. Homo, qui dubitans num presbyter ordinatus sit, missæ sacrificium celebraverit, ac baptismum administraverit, at deinde, ministerio renuntians, uxorem duxerit, in monasterium debet conjici, ut pœnitentiam agat quoad vixerit; et cum muliere cui nupserit pari modo agendum, modo non ignoraverit cum hominem presbyterii officio functum esse. Quod denique mulier, quæ virum absentem putans esse mortuum, alii nupsit, ad primum, si superest, excommunicationis pœna redire debet.

II. De baptismate autem sanxit: fore excommunicatum qui, habens aquam, vino baptizat; at si aquam non habuerit, periclitante parvulo, futurum pœna immunem. Baptismum per immersionem esse validum. Sacerdotem qui, dubitans num valide ordinatus fuerit, interim baptisma administrat, pœnitentia usque ad finem vitæ multandum esse.

III. Statuit demum pro clero: ut episcopus ob certa delicta unanimi comprovincialium episcoporum consensu damnatus non possit ab aliis iterum judicari. Ut in causis clericorum episcopus diœcesis sibi asciscat sex collegas e finitimis ab accusato eligendos, si erit sacerdos, tresve, si erit diaconus, cæterorum vero clericorum causas episcopus per se ipse cognoscat ac definiat. Ut presbytero convicto, et ore proprio confesso, quod incontinentiæ crimen ante ordinationem perpetraverit, interdicatur sacro missæ, non aliis sacerdotii muneribus. Ut clerici et monachi promisso capillo non utantur.

Idem pontifex Fulrado abbati potestatem fecit monasteria ædificandi ubicunque posset in Francia. Cujusmodi privilegium sic se habet: « Per hanc

Digitized by Google

apostolicam auctoritatem tibi, dilecto filio nostro Fulrado, vel cæteris tuis successoribus abbatibus, licentiam et potestatem largientes concedimus ædificandi monasteria, ubicunque in Franciæ provincia volueritis. Et omnem cujuslibet Ecclesiæ episcopum aut alium quempiam sacerdotem in præfatis monasteriis ditionem quamlibet habere præter sedem apostolicam hac auctoritate prohibemus. » (*Privil. Steph. II Fulr. abb. indultum.*)

Num. **244**, linea **3**. — *Pippinus rex ab eodem sanctissimo*, etc. Dum utrinque arma parabantur, idemque fiebat in Francia, pontifex regem, filios et uxorem, inunxit, quam rem luculenter Hilduinus, in Areopageticis, narrat : « Anno, inquiens, qui est ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 754, v Kal. Aug., beatus Stephanus papa unxit in reges Francorum florentissimum regem Pippinum, et duos filios ejus Carolum et Carolomannum, sed et Bertradam inclyti regis Pippini conjugem, indutam cycladibus regiis, gratia septiformis Spiritus sancti, in Dei nomine, consecravit, atque Francorum proceres apostolica benedictione sanctificans, auctoritate beati Petri sibi a Domino Jesu Christo vero Deo tradita obligavit, et obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula ipsi, vel quique ex eorum progenie orti, regem super se præsumant aliquo modo constituere, nisi de eorum propagine quos et divina Providentia ad sanctissimam apostolicam sedem tuendam eligere, et per eum videlicet vicarium sancti Petri, imo Domini nostri Jesu Christi in potestatem regiam dignata est sublimare, et unctione sacratissima consecrare. »

Nec solum *ordinavit*, ut ait annalista Metensis, *secundum morem majorum unctione sacra Pippinum piissimum principem Francis in regem*, verum, ut eisdem apostolicæ sedis patrocinium magis magisque commendaret, *et patricium Romanorum* declaravit, *et filios ejus duos felici successione Carolum et Carolomannum eodem coronavit honore.*

Num. **254**, linea **4**. — *Perenniter possidendas atque disponendas.* Antequam Stephanus a rege Pippino discessit, testatus eidem est, nec verbis, nec scriptis Longobardorum regis ejusque gentis fidem habendam esse, quippe qui haud stetissent promissis, si Francorum exercitus trans Alpes regressus foret, nisi exsecutioni mandatus esset tractatus pacis qui fieret : « Aistulphus rex, Roma scribens, ait : Cum suis judicibus per blandos sermones, et suasiones, atque sacramenta, illuserunt prudentiam vestram, et plus illis falsa dicentibus quam nobis veritatem asserentibus credidistis. » (Steph. II, *epist.* 3, *ad Pip. et fil.*) Et sane ut pontifex prædixerat factum est; nam Aistulphus, solutus metu periculoque suam ditionem amittendi, commissariis a Pippino relictis in Italia ut eum prohiberent ne aliena raperet illusit, et, ut ibidem prosequitur Stephanus, *omnia quæ per sacramentum beato Petro per vestros missos restituenda promisit, irrita fecit, et nec unius palmi terræ spatium beato Petro reddere voluit.*

Quod autem magis, Aistulphus valida educta acie obsedit Romam, nilque crudele, nil impium prætermisit quod in locis finitimis perpetrari non jusserit. Quare pontifex in tantis rerum angustiis, expers consilii, ad Pippinum iterum et Francorum gentem se vertit, eflagitatque ut expleant quod promiserant : *Quod per donationem beato Petro offerendum promisistis, ei possidendam contrahere debeatis* (*Id.*, *epp.* 3, 4). Quin etiam, ut eorum animos penetraret altius præsidiumque quantocius impetraret, dedit ad Francos epistolam divi Petri nomine scriptam his verbis : *Per susceptum evangelicæ prædicationis verbum profecto in hac apostolica Dei Romana Ecclesia nobis commissa, vestra futuræ retributionis spes tenetur annexa. Ideoque ego apostolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios, ad defendendum de manibus adversariorum hanc Romanam civitatem, et populum mihi a Deo commissum, seu et domum, ubi secundum carnem requiesco, de contaminatione gentium eruendam, vestram omnium provocans dilectionem adhortor, et ad liberandam Ecclesiam Dei, mihi a divina potentia commendatam, omnino protestans admoneo, pro eo quod maximas afflictiones, et oppressiones a pessima Longobardorum gente patiuntur* (*Ejusd. epist.* 5, *ad Francos*). Hæc audiens Pippinus pernicissime Alpes transit, Ticinumque secundo obsidet, ut Aistulphum revocet ab obsidione urbis, sedem regiam defensurum. Nec in Franciam redit priusquam omne abunde expletum videat. Cætera satis perspicue Anastasius.

BALDINI.

Num. **244**, linea **2**. — *Idem Christianissimus Pippinus rex ab eodem sanctissimo papa, Christi gratia cum duobus filiis suis reges uncti sunt Francorum.* Eodem anno, videlicet septingentesimo quarto, imo eadem die vigesima octava Julii, qua Stephanus papa unxit in reges Pippinum, ejusque filios Carolum et Carlomannum, declaravit eosdem patricios Romanorum : una eademque celebritas fuit confirmandi regnum atque conferendi patriciatum. Id primum colligo ex epistolis Stephani papæ; quæ enim prima ad Pippinum scripta est, antequam in Galliam pergeret, præfert hunc titulum : *Domino excellentissimo filio Pippino regi Stephanus papa.* Fuerat enim Pippinus a Zacharia prædecessore declaratus rex, et a Bonifacio archiepiscopo Moguntino consecratus, sed nondum creatus patricius; quæ vero ab eodem Stephano tertia num. scripta est, post ejus reditum ex Gallia, hoc alio titulo insignitur : *Dominis excellentissimis filiis Pippino regi, et nostro spirituali compatri, seu Carolo et Carlomanno item regibus, et utrisque patriciis Romanorum, Stephanus papa.* Sed hoc idem anonymus ex Mabillonio a me recitatus in notis Zachariæ apertissime declarat : « Postea per manus ejusdem Stephani pontificis die uno in beatorum prædictorum martyrum Dionysii, Rustici, et Eleutherii ecclesia (Pippinus) in regem et patricium una cum prædictis filiis Carolo et Carolomanno in nomine sanctæ Trinitatis unctus, et benedictus est. »

Quid Stephanus contulerit Pippino conferendo ei patriciatum, quantum obscuritas rei patitur, quam obscuriorem etiam fecerunt præoccupationes et studia partium, paucis explicare conabor. Dignitas patriciatus, turbata Romana republica, pessumque datis quibus regebatur majorum institutis, atque penes imperatores Constantinopolitanos constituto imperio, iis tribuebatur quos principis favor ad præcipua imperii munera evehebat. Observat eminentiss. Norisius, in dissertat. 4, in cenotaphia Pisana, iis præsertim patuisse aditum ad dignitatem patriciatus, qui magistri militum in bellis operam suam bene navavissent. Idacius, in Chronico ad initium imperii Valentiniani III, ait : *Felix patricius ordinatur ex magistro militum*; et ad annum nonum ejusdem principis : *Ætius dux utriusque militiæ patricius ordinatur.* In rescriptis imperatorum ad viros illustres missis titulo patriciorum notantur qui et magistri militum sunt vocati. Novella **24** Theodosii mittitur *Ætio comiti et magistro utriusque militiæ, et patricio*; novella **2** Majoriani *Ricimero viro illustri, comiti et magistro utriusque militiæ, et patricio.* In magna collectione inscriptionum Gruteri, pag. 1076, hæc legitur :

FL. FELIX. V. C. MAGISTER. UTRIUSQ. MILITIÆ. PATRICIUS. ET. EXCONS. OR. ET. PANDUSA. EJUS. INL. FEMINA. VOTI. COMPOTES. DE. PROPRIO. FECERUNT.

Sed Asterius ille, qui consulari manu emendavit codicem Virgilii qui in Medicea bibliotheca servatur, inter honestiores titulos patriciatum recenset, qui tamen magister militum non fuerat. In fine Bucolicorum hæc leguntur :

Digitized by Google

TURCIUS RUFIUS APRONIANUS ASTERIUS V. C. ET INL. EX COMITE DOMEST. PROTECT. EX. COM. PRIV. LARGIT. EX PRÆF. URBI PATRICIUS ET CONSUL ORDIN. LEGI ET DISTINXSI CODICEM FRATRIS MACARII V. C.

Consulatus Asterii incidit in annum Christi 494, ex quo licet arguere vetustatem et pretium singularis illius Codicis, qui eo quidem anno ab Asterio emendatus, sed longe antea conscriptus, antevertere videtur Tiburtinam illam *chartam Cornutianam* signatam Leone Aug. IV et Probiano v. c. coss., anno scilicet Christi 471, habitam pro antiquissima omnium a summis viris Suaresio, Mabillonio et Blanchino. Anastasius nuncupat patricium Belisarium, atque patricios plerosque Ravennæ exarchos Joannem, Eleutherium, Isacium, Paulum, Romanum, Theodorum, Eutychium.

Honor patriciatus uno consulatus honore minor erat. Hoc disco ex Cassiodoro, qui, lib. VI, c. 2, recitans formulam patriciatus, habet: « Prælectorios et aliarum dignitatum viros præcedit, uni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam a nobis constat assumi; » de consulatu intelligit. Dignitati patriciatus nexuisse deinde imperatores onus protegendi et defendendi Ecclesias, et pauperes adversus vim potentiorum, docemur a formula qua imperator patricium creabat, a Paulo Diacono, in Hist. Longobard., in Ms. Vaticano relata, quam Pagius exscripsit in Vita Gregorii III: « Hunc honorem tibi concedimus, ut Ecclesiis Dei et pauperibus legem facias, et inde apud altissimum judicem rationem reddas. Tunc induat eum imperator mantum, et ponat ei in dextro indice annulum, et det ei bombacinum propria manu scriptum. Esto patricius misericors et justus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum, et dimittat. » Inde Petrus de Marca, lib. I de Concordia, cap. 12, infert patricios jure quodam extraordinario gavisos fuisse gerendi curam et defensionem Ecclesiarum sibi non subditarum. Cum enim principis sit jure ordinario tueri Ecclesias in sua ditione constitutas adversus vim potentiorum, per patriciatus collationem jus extraordinarium protectionis primoribus inter cives tribuebat, qui propterea defensores et advocati dicebantur, vi cujus defensionem et tutelam Ecclesiis particularibus præstarent. Id quidem omitto, sed nego, quod subjungit, Romanorum patriciatum duo complexum fuisse, et jurisdictionem, qua reges in urbem ex consensu pontificis et populi Romani potiebantur, et protectionem, seu defensionem, quam Romanæ Ecclesiæ polliciti sunt. Atque adeo male concludit: « Patriciatus itaque Romanorum præter imperium in Urbem, et ducatum Romanum, defensionem illam complectebatur quæ pactis cum Romanis pontificibus initis erat constituta. »

Utique pacta inita sunt et solemni juramento firmata inter Stephanum papam et Pippinum regem circa defensionem et tutelam Romanæ Ecclesiæ; sed concessam fuisse a Stephano jurisdictionem Pippino in urbem Romam et ducatum Romanum, hoc constanter nego, et De Marca, quem Pagius temere secutus est, id sibi suo ingenio finxit, et citra ullum fundamentum. Neque enim ipse vidit chartam pactionum in qua eam concessionem legere potuerit, neque de illa ullum vestigium exstat, aut in epistolis a Stephano ad Pippinum datis, aut in Vita Stephani ab Anastasio scripta, qui chartam vidit quæ sua ætate in archivio sanctæ Romanæ Ecclesiæ recondita tenebatur. Duo conventa sunt inter Stephanum et Pippinum: alterum, quod Stephanus conferret Pippino singularem, insignem et nemini antea collatum, honorem patriciatus Romanorum, vi cujus Pippinus susciperet tutelam, defensionem et advocationem, Romanæ Ecclesiæ, patrimoniorum beati

A Petri omniumque jurium et plenariarum justitiarum apostolicæ sedis; et alterum, quod Pippinus in vim talis protectionis omnibus viribus niteretur, ut sua jura redderentur Ecclesiæ, et exarchatus Ravennæ a manibus Longobardorum eriperetur, et Romano pontifici traderetur. Primum clare ostenditur ex epistolis Stephani ad Pippinum. In epistola 3: « Quod nullus de vestris parentibus meruit suscipere, vos suscepistis, et princeps apostolorum præ cæteris regibus et gentibus vos suos peculiares faciens, omnes suas causas vobis commisit, et vos redditis rationem Deo, quomodo pro justitia ipsius janitoris regni cœlorum decertaveritis. » Et paulo ante dixerat: « Quia ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante beato Petro, unxit in reges, ut per vos sancta sua exaltetur Ecclesia, et princeps apostolorum suam justitiam » accipiat. Et epist. 4: « Quoniam, ut prælatum est, nulli alio (*sic*) nisi tantummodo tuæ amantissimæ excellen-
B tiæ, vel dulcissimis filiis, et cunctæ genti Francorum, per Dei præceptionem, ut beati Petri sanctam Dei Ecclesiam, et nostrum reipublicæ Romanæ populum commisimus protegendum. » Et alterum similiter ex iisdem litteris constat; epist. 3: « Etenim dum vestris mellifluis obtutibus præsentati sumus, omnes causas principis apostolorum in vestris manibus commendavimus, quoniam quidem inspirati a Deo aurem petitionibus nostris accommodare dignati estis, et vos beato Petro polliciti estis ejus justitiam exigere, et defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ procurare. » Et paulo post: « Pro quo peto vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, et nimis obsecro, doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, et beati Petri causa, et quod per donationem beato Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. » Et infra: « Velociter et sine impedimento quod beato Petro promisistis per donationem vestram, civitates, et loca, atque omnes obsides et captivos beato Petro reddite, vel omnia
C quæ ipsa donatio continet. » Et epist. 6: « Plenariam justitiam eidem Dei Ecclesiæ tribuere digneris... ut civitates reliquas, quæ sub unius dominii ditione erant connexæ, atque constitutos fines, territoria etiam loca, et saltora, in integro matri tuæ spirituali sanctæ Ecclesiæ restituere præcipiatis. Peto te, fili, peto te, coram Deo vivo... ut omnia, quæ beato Petro, sub jurejurando promisisti, adimplere jubeas, et, sicut cœpisti, plenariam justitiam illi impertire. »

Hæc sola fuere pacta inter Stephanum et Pippinum constituta, et non alia, neque ullum uspiam verbum reperire est in iis epistolis de concesso imperio in Urbem aut ducatum Pippino, de qua tamen re frequens occasio loquendi se obtulerat in iis præsertim angustiis in quibus Roma reperiebatur, a Longobardis obsessa, implorandi Pippini auxilium pro ea urbe, in cujus dominii partem regem pontifex vocavisset. Sed et Anastasius bene quidem recitat
D jusjurandum et promissionem factam Stephano a Pippino decertandi pro Ecclesia Dei, et reddendi, sive donandi exarchatum Ravennæ Romanæ Ecclesiæ, sed nullum verbum facit de somniata illa jurisdictionis concessione. « Qui (Pippinus) inquit Anastasius in Vita Stephani III, num 243, de præsenti jurejurando eidem beatissimo papæ satisfecit omnibus mandatis ejus et admonitionibus sese totis viribus obedire, et, ut illi placitum fuerit, exarchatum Ravennæ, et reipublicæ jura seu loca reddere modis omnibus. » Et num. 245: « Tota se virtute idem excellentissimus Pipinus Francorum rex professus est decertare pro causa sanctæ Dei Ecclesiæ, sicut pridem jam fato beatissimo spoponderat pontifici. » Et num. 253: « De quibus omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis a beato Petro, atque a sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum pontificibus apostolicæ sedis, misi possidendam, quæ et usque hactenus in archivio sanctæ

Digitized by Google

nostræ Ecclesiæ recondita tenetur... Prænominatus autem Fulradus venerabilis abbas, et presbyter Ravennatium, partes cum missis jam fati Aistulfi regis conjungens, et per singulas ingrediens civitates tam Pentapoleos quam et Æmiliæ, easque recipiens, et obsides per unamquamque auferens, atque primates secum una cum clavibus portarum civitatum deferens, Romam conjunxit. Et ipsas claves (*num.* 254), tam Ravennatium urbis, quamque diversarum civitatum ipsius Ravennatium exarchatus una cum suprascripta donatione de eis a suo rege emissa in confessione beati Petri ponens, eidem apostolo, et ejus vicario sanctissimo papæ, atque omnibus ejus successoribus pontificibus, perenniter possidendas atque disponendas tradidit. » Recenset deinde singulatim urbes quas nomine regis perpetuum possidendas atque disponendas Romanis pontificibus abbas Fulradus regis missus Stephano papæ, earum claves consignando, tradidit, nullum super iis reservans dominium, aut speciem dominii, sive 'uris cujuspiam, regi, sed omnia jura atque justitias donans, seu verius restituens, Petro et successoribus Petri.

Quid plura? Si Stephanus conferendo patriciatum Pippino aliquod illi jus contulisset in urbem Romam, in litteris ad eumdem Pippinum datis potuissetne amplius ut iis vocibus, et terminis, quibus testatum faceret suum plenum dominium super Urbe superque civibus Romanis? Et tamen loquitur de republica Romanorum sua, de populo suo, de Romana civitate sua. In epist. 3 : « Cunctus namque *noster* populus reipublicæ Romanorum magno dolore et amarissimis lacrymis una nobiscum tribulantur. » In epist. 4 : « Sanctam Dei Ecclesiam et *nostrum* Romanorum reipublicæ populum commisimus protegendum. » In epistola 5 : « Præstate ergo populo *meo* Romano mihi a Deo commisso... dummodo *meum* peculiarem populum, et Romanam *meam* civitatem... » Qui loquendi modus evidens argumentum est non alienatæ, aut divisæ jurisdictionis, sed integre a papa retentæ semper et conservatæ. Sed et ipsi primi Francici imperatores de tutela quidem et defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ in actis suis locuti sunt, nunquam vero de sibi a papis concessa jurisdictione in Urbem, aut ducatum Romanum. Carolus Magnus, in divisione sui regni facta inter filios suos anno 806, ait : « Super omnia autem jubemus ut ipsi tres fratres curam et defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, et beatæ memoriæ Pippino rege, et a nobis postea, suscepta est; et ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, et justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, et ratio postulaverit, habere faciant. » Et Ludovicus Pius, in divisione pariter sui regni, quam Baluzius refert tom I. Cap., anno 837, inquit : « Super omnia jubemus, atque præcipimus, ut ipsi tres fratres curam et defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam a proavo nostro Carolo, et avo nostro Pippino, et beatæ memoriæ Carolo genitore nostro imperatore, et a nobis postea suscepta est. » Hæc de Romanorum patriciatu putavi a me breviter in notis ad Vitam Stephani disserenda. Qui uberiorem notitiam cupiat, adeat egregium tractatum *Defensio Ecclesiæ jurium supra Comaclum* inscriptum, ubi doctissimus auctor, et non tantum de Romana Ecclesia quam de universa re litteraria optime meritus, hoc idem argumentum jam pridem pro dignitate illustravit

XCV. SANCTUS PAULUS.

ANNO CHRISTI 757, CONSTANTINI COPRONYMI 17.

257 Paulus, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos decem, mensem unum. Hic ab ineunte ætate in Lateranensi patriarchio cum proprio seniore germano Stephano, prædecessore ejus pontifice, pro eruditione ecclesiasticæ disciplinæ traditus est temporibus domni Gregorii secundi junioris pontificis; et postmodum a domno Zacharia beatissimo papa in diaconii ordine pariter cum antefato suo germano consecratus est. Nam dum isdem ejus germanus et antecessor pontifex ad extremum pertingeret vitæ, illico et populus cum eo hujus Romanæ urbis divisus est, et alii cum Theophylacto archidiacono tenentes, in ejus domo congregati residebant. Alii vero eidem beatissimo concordabant Paulo Diacono, plurima pars judicum et populi cum eo tenentes, quam cum prædicto Theophylacto archidiacono. Ipse vero sanctissimus vir nequaquam a Lateranensi patriarchio recessit, sed cum cæteris fidelibus suo ægrotanti germano et prædecessori pontifici perseveranter famulabatur. Dum vero de hac vita prædictus ejus germanus et prædecessor pontifex migrasset, eoque cum ingenti honore in basilica beati Petri sepulto, continuo eadem populi congregatio, quæ cum sæpefato beatissimo Paulo tunc diacono tenebat, quoniam validior et fortior erat, eum in pontificatus culmen elegerunt. Post hæc hi qui cum præfato archidiacono aggregati erant, dispersi sunt. Et ita Deo annuente isdem sanctissimus vir in apostolicam beati Petri sacratissimam sedem consecratus pontifex est.

258 Fuit autem temporibus Constantini et Leonis imperatorum. Erat enim mitis atque valde misericors, nulli unquam malum pro malo reddens. Et si

Digitized by Google

pro modico quemquam per iniquos satellites tribulabat in proximo [a], tamen pietate motus, consolationis ille inferebat misericordiam. Hic, ut multi testati sunt, nocte per semetipsum cellas pauperum infirmorum perjacentium, qui ex suis nequaquam assurgere valebant lectulis, necnon et aliorum inopum cum suis familiaribus noctis circuibat silentio, amplissime illis ministrans alimoniam atque subsidii inferens opem. Sed et carceres atque alia claustra per eadem noctium secreta visitabat, et si quos ibidem conveniebat retrusos, a mortis emens periculo, liberos ire relaxabat. Sed et plures qui, debitis obligati atque afflicti, a suis feneratoribus opprimebantur, reddito ipso debito, a jugo redimebat servitii : viduis et pupillis omnibusque egentibus opem ferens; fortissimus enim erat orthodoxæ fidei defensor. Unde sæpius suos missos cum apostolicis obsecratoriis atque admonitoriis litteris præfatis Constantino et Leoni Augustis direxit pro restituendis confirmandisque in pristinum venerationis statum sacratissimis imaginibus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi sanctæque ejus Genitricis atque beatorum apostolorum omniumque sanctorum prophetarum, martyrum et confessorum.

259 Hic enim beatissimus pontifex cum omnibus spiritualibus suis studiis magnam sollicitudinis curam erga sancta cœmeteria indesinenter gerebat. Unde cernens plurima eorumdem sanctorum cœmeteriorum loca neglecta, ac desideria antiquitatis maxima demolitione, atque jam vicina ruinæ posita, protinus eadem sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis. Quæ cum hymnis et canticis spiritalibus infra hanc civitatem Romanam introducens, alia eorum per titulos ac diaconias seu monasteria et reliquas ecclesias cum condecenti studuit recondi honore.

260 Hic sanctissimus præsul in sua propria domo monasterium a fundamentis in honore sancti Stephani, scilicet martyris atque pontificis, necnon et beati Silvestri, item pontificis et confessoris Christi, construxit, ubi et oraculum in superioribus ejusdem monasterii mœniis ædificans, eorum corpora magna cum veneratione condidit. Infra claustra vero ipsius monasterii ecclesiam miræ pulchritudinis a fundamentis noviter construxit. Quam musivo et marmoribus decorans, et omnem illis ornatum in auro argentoque et diversis speciebus largiens, sed et ciborium ibidem ex argento librarum fecit, illicque innumerabilium sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit cœmeteriis, maximo venerationis condidit affectu. In eodem quippe monasterio plurima contulit prædia et possessiones ac loca urbana vel rustica, superflue atque abundanter ditans auro et argento aliisque rerum speciebus et omnibus utilitatibus, ubi et monachorum congregationem construens, Græcæ modulationis psalmodiæ cœnobium esse decrevit, atque Deo nostro omnipotenti et omnibus ibidem requiescentibus sanctis magnis sub interdictionibus sedule ac indesinenter laudes statuit persolvendas.

261 Hic fecit noviter ecclesiam infra hanc civitatem Romanam in via sacra, juxta templum Romuli, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ubi ipsi beatissimi principes apostolorum, tempore quo pro Christi nomine martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces, propria genua flectere visi sunt. In quo loco usque hactenus eorum genua pro testimonio omnis in postremo venturæ generationis in quodam fortissimo silice licet esse noscuntur designata. Nam et infra ecclesiam beati Petri apostoli foris muros hujus civitatis Romanæ noviter oraculum [b] in honore sanctæ Dei Genitricis construxit, juxta oratorium sancti Leonis papæ, secus fores introitus sanctæ Petronillæ atque beati Andreæ apostoli musivo et diversis metallis eum adornans. Ubi et effigiem sanctæ Dei Genitricis in statua ex argento deaurato, quæ pen-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B. tribulatos audiebat. [b] oraculum, *id est* oratorium.

Digitized by Google

sat libras centum, constituit; in quo oraculo et sepulturam sibi construxit. Hic dum in ecclesia beati Pauli apostoli æstivo tempore pro valido caloris fervore demoraretur, corporali præoccupatus ægritudine illic vitam finivit, ubi et sepultus est. Illicque fere trium mensium spatio ejus inhumatum [a] permansit funus. Postmodum vero congregati omnes Romani cives et aliæ nationes ejus corpus per flumen Tiberis navicula transfretantes, ad beatum Petrum cum psalmodiæ honore deportaverunt, et in præfato ab eo constructo oraculo eum sepelierunt. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris : presbyteros duodecim, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero tres. Et cessavit episcopatus annum unum et mensem unum.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] humatum.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Farnesiano XCVI.

um. 257, *lin.* 6, cum antelato germano suo. Nam dum hisdem. *lin.* 8, Theophylactum archidiaconum tenentes. *lin.* 9 eodem beatissimo concordabant Paulo Diacono; plurima pars judicum et populi, cum eo tenentes, quam cum predicto Thofilacto archidiacono. *lin.* 12. Lateranense. *lin.* 14, de ha vita. *lin.* 15, continuo eodem populi congregatio, que cum sepefato beatiss. Paulo tunc diacono existenti tenebat. *lin.* 18, cum prelato archidiacono. *lin.* 19. b. P. S. s. ordinatus consecratusque est pontifex.

Num. 258, *linea* 4, illi inferebat misericordiam. *lin.* 7, a. i. m. alimonia. *lin.* 11, reddito ipso devito a jugo redimebat servitii. *lin.* 14, Constantini et Leoni augusto direxit pro restituendis in pristino venerationis statu sacratissimis imaginibus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi scæque ejus genetricis adque beatorum apostolorum omniumque sanctorum prophetarum martyrum et confessorum, etc.

Num. 260, *lin* 13, congregationem constituens.

Num. 261, *lin* 2, juxta templum Rome.

Ex codice Vallicellano.

Num. 257, *lin.* 3, *cod. Vallicel.*, prædecessore ejus, *omisso* pontifice. *lin.* 4, *concordat cum Reg., Maz. et Thu. et ita lin.* 6, *exceptis tamen his :* et Leonis imperatorum... infra hanc civitatem Romanam... sanctorum apostolorum Petri et Pauli... pro Christi nomine martyrio. *In reliquis vero, usque ad* hic dum, *adamussim respondet laudatis codd., quibuscum etiam omittit numeros qui sequuntur, videlicet* 258, 259, 260 *et* 261 *ex parte, nempe usque ad lin.* 12.

Num 261, *lin* 12, *cod Vallicel cum Reg., Maz et Thu. incipit ab his verbis,* Hicdum, etc., *omissis reliquis hujus numeri, ut diximus supra num* 257, *linea* 6. *lin* 13 *et* 17, *ut laudd codd Reg, Maz et Thu. lin* 15, illicque fere per trium mensium spatium. *lin* 18, deportaverunt. Hic fecit ordinationem unam mense Decembr. *lin* 21, anno 1 et mense 1.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 257, *lin* 10, *B*, uno multo plures. *lin* 20, ordinatus, consecratusque *AB*.

Num 258, *lin* 4, consolati oves misericordiæ *B*.

Num 259, *lin* 1, hic namque beatissimus pontif. præfati sui senioris germani, et prædecessoris pontificis sanctiss. Stephani papæ salutifera adimplens præcepta, continuo post ejus decessum aggregans sacerdotes et universum clerum, atque cunctum populum istius Romanæ urbis operabatur in cœmeterio, ubi prius beata Petronilla sita quiescebat, foris porta Appia, milliario ab urbe Roma secundo, et exinde ejus venerabile ac sanctum corpus cum sarcophago marmoreo, in quo reconditum inerat, abstulit sculptum litteris ita : Aureæ Petronillæ filiæ dulcissimæ.

A Unde non dubium est quin sculptura illa litterarum propria beati Petri apostoli manu designata dignoscitur ob amorem suæ dulcissimæ natæ, ipsumque sanctum corpus cum præfato sarcophago posito supra plaustrum novum in ecclesiam beati Petri apostoli tam hymnis et canticis spiritualibus ejus beatitudo deportavit, et in mausoleo, juxta ecclesiam beati Andreæ apostoli, quod præfatus beatissimus Stephanus papa, ejus germanus, dum adhuc superstes erat ecclesiam in honorem ipsius sanctæ Christi martyris Petronillæ picturæ miro decore illustravit. Fecit autem et rugas in ecclesia beati Petri apostoli, in presbyterio ingredientes, quas utraque parte dextra lævaque investivit argento purissimo, quæ pensant libras 30.

Num. 260, *lin* 8, fecit, quod pensat libras 720; fecit et ibidem altare apud confessionem, quod investivit argento purissimo, pens. lib. 300.

Num. 261, *lin* 7, *B*, designata. Hic renovavit infra
B ipsam civitatem ecclesiam sanctorum apostolorum prope viam Latam, quæ in magna erat ruina posita. *lin* 12, lib 150. *lin ead B*, construxit. Fecit autem in atrio ante turrem sanctæ Mariæ ad Gradus, quod vocatur Paradisus, oraculum ante Salvatorem in honorem sanctæ Dei Genetricis Mariæ miro opere, et decoravit magnifice. Hic dum, etc. *lin* 20, num. 2. *lin* 21, mensem unum, quo Constantinus transgressor apostolicæ sedis invasor extitit, *B*.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 257, *lin* 4, junioris papæ. Postmodum. *lin* 6, par. cum suo germ. ordinatus est. Fuit autem temporibus Constantini et Leonis imperatoris. Erat vero mitissimus et misericors, nulli unquam malum pro malo reddens, viduis, orphanis atque pupillis, omnibusque egentibus opem ferens. Fortissimus quoque erat orthodoxæ fidei defensor. Hic fecit noviter ecclesiam infra hanc civitatem via Sacra, juxta templum Romuli, in honore sanctorum Petri et Pauli,
C ubi ipsi beatissimi principes apostolorum tempore quo pro Christi martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces propria genua flectere visi sunt. In quo loco usque hactenus eorum genua pro testimonio in postremo venturæ generationis in fortissimo silice esse noscuntur designata. Hic dum.

Num 261, *lin* 13, pro valido calore d. *lin* 15, illicque per trium mensium spatium. *lin* 17, per *fluvium* Tyber. *lin* 18, deportan. Hic fecit ordinat. u. per mense Decembris. *lin* 21, anno 1, mens. 1.

Ex codice Thuano altero.

Num 257, *lin* 6, antelato. *lin* 7, illico pop. *lin.* 18, prælato. *lin* 19 *et* 20, sedem ordinatus, consecratusque est P.

Num 258, *lin* 4, illi inf. *lin.* 7, alimonia. *lin* 9, inveniebat r. a m. eruens p.

Num 260, *lin* 8, ciburium. *lin* 13, constituens, f.

Digitized by Google

Num 261, *lin* 6, silice esse n. *lin* 16, humatum. *in* 18, prælato.

Apud Pœnam ex codice Cavensi.

Num 257, *lin* 6, ante lato. *lin* 18, prælato. *lin ult.*, consecratusque.

Num. 258, *lin* 7, alimonia. *lin* 9, eruens per. *lin* 15, in pristino ven. statu.

Num 260, *lin* 7, omn. illic orn.

Num 261, *lin* 2, templ. Romæ. *lin* 16, humatum. *lin* 20, numero. Et cessav.

NOTÆ VARIORUM.

BINII ET LABBEI.

Num. 257, lin. 1. — *Paulus.* Anno 757, die 28 Maii aulus frater Stephani prædecessoris sui contra Theophylactum potioribus votis pontificatum adeptus est.

Num. 258, lin. 14. — *Admonitoriis litteris.* Hæ et præcedentes litteræ Pauli ad Constantinum imperatorem et Pipinum regem desiderantur. Priorum mentio habetur in epistola Hadriani papæ ad Constantinum et Irenem Augustos.

Num. 260, linea 15. — *Græcæ modulationis.* Cum impius imperator Copronymus edicto promulgato monachos in Oriente esse prohibuisset, ingens Græcorum monachorum multitudo sese Romam contulerat. Quorum cum Græca lingua peculiaris esset, eodem in monasterio collocatos voluit ea præstare quæ in suis Orientalibus monasteriis præstare consuevissent; nimirum ut psalmorum cantum aliaque officia ecclesiastica sua ipsorum lingua persolverent.

CENNI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Exactis jam exarchis, regibusque Longobardorum non modo in eorum jura, si qua erant, non venientibus, sed a Pippino Francorum rege obsequii ac reverentiæ pleno erga summos pontifices mirum in modum exagitatis, non erat cur apostolica sedes iterum paulo diutius vacaret, nec statim post electionem consecratum novum pontificem acciperet. At intestina discordia quam ipso ex Anastasio discimus, diuturnioris interpontificii causa fuit. Quam lubet iisdem hic verbis proferre, tum ut confirmem quod alibi docui de enthronismo consecrationem præeunte; tum ut liqueat, in more horum temporum fuisse positum, non nisi post depositionem apud sanctum Petrum de successore eligendo cogitatum esse, quod non satis animadvertit Pagius, ubi consecrationes collocandi extra diem Dominicam occasionem est nactus. Loquens igitur Anastasius de electione et consecratione sancti Pauli, qui erat germanus frater nuper mortui pontificis, narrat causas interpontificii, nempe electorum dissidia, dum eorum pars major adhærebat Paulo, qui nunquam ex patriarchio Lateranensi discesserat; pars autem Theophylacto archidiacono domi suæ. « Eoque, ait, cum ingenti honore in basilica beati Petri sepulto, continuo eadem populi congregatio, quæ cum sæpefato beatissimo Paulo tunc diacono tenebat, quoniam validior et fortior erat, eum in pontificatus culmen elegerunt. Post hæc hi qui cum præfato archidiacono aggregati erant, dispersi sunt. Et ita Deo annuente isdem sanctissimus vir in apostolicam beati Petri sacratissimam sedem consecratus pontifex est. »

Omnia hæc autem facta sunt post mortem Stephani, an. 757. Interpontificii tempore, quo de in codd. et Catalogis duplex opinio est. Plerique enim tradunt vacasse sedem mensem I, dies V aut XXV dies, ut Catalogi Lucensis, Farfensis, et sex Colbertini (Colb. quintus, mendose, habet dies XXII), necnon Codd. duo Freheriani, et Thuanus alter, cum duobus Ambrosianis, primo antiquissimo, qui hic explicit, et quarto. Alii vero numerant interpontificium dier. XXXII, ut vulgatus, Regius, Mazarinus, Thuanus primus, secundus et tertius Ambrosiani, et Farnesianus, nullo tamen catalogorum iis astipulante. Cæterum utraque harum opinionum ducimur ad diem ordinationis sancti Pauli, 29 Maii, quæ anno 757 in Dominicam incidebat. Id tantum discriminis inter utramque occurrit, quod prima, dierum, nempe, XXXV quam AA. apud Pagium sequntur, desumit interpontificium ab emortuali die Stephani II, al. III, quam duratio sedis ejus ostendit fuisse 24 Aprilis, eamque in summam confert; altera vero, dier. XXXII, interpontificium de more a die depositionis repetit, quam excludit e dierum summa. Ita conciliandam duxi hanc duplicem de interpontificio sententiam eruditorum causa, quibus arridet prima, ut hiatum bidui inter Stephani obitum et depositionem impleant.

Itaque sanctus Paulus Diaconus, prædecessoris frater, quovis populi quiescente dissidio, 29 die mensis Maii an. 757, consecratus sedit, ex unanimi omnium Codd. et catalogorum consensu, annos X, mensem I, hoc est usque ad diem 28 Junii 767. Hujus pontificis depositionem Vitæ scriptor, quicunque is fuerit, non commemorat, sed omnia diligenter enarrat quæ spectant ejus pietatem quovis temporum charactere vacua. Aliunde tamen est certus emortualis ejus annus; nam Annales Bertiniani (*Script. Italic. t.* II) ad annum 767, loquentes de Pippino ab Aquitanica expeditione reduce: *Et reversus est*, inquiunt, *Bituricam, ibique nuntiatum est de obitu Pauli papæ.* Quin etiam dies ipsa emortualis ab Anastasio traditur in Vita Stephani III, al. IV, successoris consecrati, a depositione invasoris Constantini arguenda, de quo satis superque sum locutus in superiori adnotatione, ubi etiam delibavi aliqua de iis diebus qui ab invasore dejecto ad ordinationem Stephani excurrunt, ab Anastasio neglectis. Verba Anastasii sunt: *Vigesima octava die Julii mensis* (in fer. 5 incidebat), *indictione* 6 (an. 768), *vespere, in ipso crepusculo noctis, vigilia beatorum martyrum Abdon et Sennen, occupantes pontem Salarium* (Longobardi, etc.) *Alia vero die* (fer. 6), *transientes per pontem Milvium*, venerunt Romam et fecerunt quæ supra aiebam, Constantinum invasorem transfugam dejicientes e Lateranensi patriarchio, eumque in carcerem conjicientes. Quibus mirum in modum concinit, nequicquam reclamante Pagio, Marianus Scotus in Chronico: *Constantinus, 6 feria, mense Julio depositus est;* non quidem ex ordine pontificatus, quod postea factum, sed ex fastigio, quod invaserat.

Quamobrem si animadvertantur quæ Anastasius habet de interpontificio post sanctum Paulum: *Et cessavit episcopatus annum, unum mensem unum*, quibus Freherianus Cod. secundus opportune addit: *Quo Constantinus transgressor apostolicæ sedis invasor exstitit*, pariterque ea quæ in Vita Stephani III, aut IV, habet idem Anastasius de Constantino: *Et per anni spatium et mensem unum sedem apostolicam invasam detinuit;* si hæc, inquam, animadvertantur, nulla prorsus dubitatio erit quin die 28 Junii an. 767 occubuerit mortem sanctus Paulus; inde enim ad diem 29 Julii sequentis anni 768 annus unus unusque mensis numerantur, non secus atque anni decem ac mensis, quibus sanctus pontifex est moderatus Ecclesiam, a die 29 Maii an. 757, ad prædictam emortualem diem, excurrunt.

Hæc ad chronologiam sancti Pauli I, qui hunc quartum tomum claudit, per me adnotata nondum prælo committebantur, cum sæpe laudatus P. Joseph Blanchinus ad pontificiam historiam illustrandam semper vigilans, dono mihi dedit præstantissimum monumentum ex celeberrimæ bibliothecæ capitularis Veronensis Codice excerptum, quod mortem ejusdem sancti Pauli, pseudo-papæ Constantini depositionem creationemque Stephani III, al. IV, egregie confirmat. Et quoniam propria quemquam laude fraudari non patitur, acceptum se id referre testatus mihi es

Digitized by Google

eruditissimo archipresbytero et cancellario amplissimi Veronensis capituli Bartholomæo Campagnolæ, cujus peritiam valde spectabilem in legendis publicamque ad utilitatem discutiendis veteribus Codd. et diplomatibus V. C. Ludovicus Muratorius (*Script. Ital.* t. II, p. II, pag. 685) et præsul Blanchinus (*Anast. in Prolegom.*) optimi judices admirantur. Hunceque ait, flagitante ill. et juxta doctissimo comite Otholino Otholinio, summa cum fide id monumentum exscripsisse, et ad se dedisse die 28 Maii labentis hujus anni 1735.

Præfatum vero monumentum est actio prima fere integra concilii Romani sub Stephano III, al. IV, ex cujus actionibus 3 et 4 venerabile aliquod fragmentum eduxit Lucas Holstenius (*Collect. Rom.* pag. 259) aliudque in Spicilegio Acherii legitur, unde posteriores in conciliorum collectiones translata eadem legimus cum antea nudam hujus concilii memoriam ab Anastasio omnes peterent. Ex nuperrimo hoc monumento demum aliquando emergunt duodecim ii Francorum episcopi, quos non integre decerpsit Sirmondus e schedis Panvinianis, ac proinde, Sammarthanos, Aptonium Pagium, scriptoresque alios vel oculatissimos decepit; sunt præterea episcopi illi omnes quos Anastasius congregatos testatur ex Campania, Thuscia, et Italia provincia, numero quadraginta, quorum vix tres aut quatuor alibi nominatos ab Anastasio Ughellus, et quicunque ante hunc diem scripsere, agnoverunt. Integrum hic darem, nisi opportunius ad Stephani III, al. IV, Vitam illustrandam editurus illud essem in sequenti volumine. Interim, ne eruditi id ægre ferant, et ut selectissimarum Europæ bibliothecarum præfecti et nomine et scriptis celebres ad simile aliquid educendum inflammentur, pro maximo Ecclesiasticæ Historiæ bono, præstantissimum documentum seorsim ab Anastasio cum aliquot notis in lucem edam.

CIACONII.

Num. 257, linea 1. — *Paulus*, Constantini filius, Romanus, Stephani Junioris papæ frater germanus, S. R. E. cardinalis a Zacharia papa factus, imperatoribus Constantino et Leone Augustis, creatus et consecratus IV Kal. Junii, anno 757, in patriarchatu Lateranensi, mores et ecclesiasticam doctrinam perdidicit sub Gregorio tertio et Zacharia pontificibus a quo in diaconatus ordinem cum fratre ascitus est. Verum, mortuo fratre, Paulum ob integritatem vitæ et doctrinam in demortui fratris locum subrogarunt, cum exemplo careret in summo sacerdotio duorum fratrum successio, quæ nec in posterum unquam visa est.

PAGII.

Num. 257, linea 17. — *Eum in pontificatus culmen elegerunt.* Ubi Paulus creatus est pontifex, ad Pippinum Francorum regem litteras dedit, quibus Stephani fratris obitum et suam electionem significat, indicatque se in amicitia ab eodem Stephano inita cum Francis perseveraturum, petens ab eo ut idem præstaret. Hæ litteræ fuerunt primæ ab ipso datæ, utpote ante suam ordinationem scriptæ, earum enim hæc est inscriptio: *Domno excellentissimo filio Pippino Francorum, et patricio Romanorum, Paulus Diaconus, et in Dei nomine electus sanctæ sedis apostolicæ.* Hæc epistola in collectione concil. Labbei prima ordine recte ponitur; in Codice vero Carolino est 13.

Hic porro locus se offert de auctore Codicis Carolini lectorem monere. Jacobus Gretzerus, anno 1613, Ingolstadii, publicavit epistolas quas Romani pontifices Gregorius III, Zacharias, Stephanus II, Paulus, Stephanus III, Adrianus et pseudo-papa Constantinus ad Carolum Martellum majorem domus, ad Pippinum, ad Carolum Magnum, et ad Carolomannum ejus fratrem miserunt. Hæ epistolæ collectæ olim in unum volumen fuerant studio et cura ipsius Caroli Magni, et sunt omnino nonaginta novem. Eas idem Carolus Magnus, anno 791 iterum rescribendas curavit, eo quod nimia vetustate jam ex parte deletæ essent, ut liquet ex antiqua inscriptione majusculis litteris exarata, quæ ab illo ipso qui ejus jussu eas in unum corpus redigendas descripsit collectioni earum præfixa est. Et hæc collectio vocatur Codex Carolinus ab ejus auctore Carolo M. Lambecius porro, lib. II Bibliothecæ Cæsareæ, cap. 5, testatur eam extractam esse ex antiquo Ms. ejusdem bibliothecæ, sed eum qui Codicem descripsit, et ad Gretzerum misit, nimiam nonnullis in locis corrigendis et mutandis sibi arrogasse licentiam, ideoque operæ pretium fore, si prima illa editio de integro conferatur cum laudato exemplari authentico. Denique omnes illæ epistolæ anno 791 anteriores sunt, cum earum collectio eo anno facta fuerit. Exstant etiam apud Duchesnium, tom. III.

Num. 261, linea 12.—*Hic dum in ecclesia B. Pauli.* Eodem anno septingentesimo sexagesimo septimo, Paulus papa, dum in ecclesia beati Pauli apostoli æstivo tempore ob fervorem caloris demoraretur, ægritudine corporis correptus, illic laborum mercedem a Deo recepturus evocatus est in cœlum, die vigesima octava mensis Junii, postquam *annos decem, mensem unum*, sedisset, ut scribit Anastasius, et cum eo Martinus Polonus, et Luitprandus, et ob honorem quem apostolo Paulo jugiter ac impense detulerat, primus in eadem sancti Pauli basilica sepeliri se voluit; verum, aliquibus mensibus elapsis, in Vaticanum translatus est, et in oratorio quod ipse prope altare majus erexerat conditus fuit. Ejus nomen inscriptum est a Baronio in Martyrologio Romano ad diem XXVIII Junii, quo mortalitatem explevit; antea enim nomen ejus memoratum fuerat ad diem XXVII Januarii a Petro de Natalibus, lib. III, cap. 30, a Carthusianis. Colon., in Additionibus ad Usuardum a Canisio, Maurolyco, Felicio et Galesinio.

ALTASERRA.

Num. 258, linea 5. — *Cellas pauperum infirmorum.* Cella est habitaculum seu domuncula tenuiorum. Martial. lib. III, epigr. 30:

Unde tibi togula est et fuscæ pensio cellæ.

Cella meretricis, pro fornice ubi prostat. Petron. in Satyrico:

Jam pro cella meretrix assem exegerat.

Cellæ servorum. Columell. de Re rustic., lib. I, cap. 6: « Optime salutis servis cellæ meridiem æquinoctialem spectantes fient. »

BALDINI.

Num. 258, linea 13. — *Unde sæpius suos missos cum apostolicis obsecratoriis atque admonitoriis litteris præfatis Constantino et Leoni Augustis direxit.* Sanctissimus pontifex Paulus super gravissimo negotio cultus sacrarum imaginum, quibus nefarium bellum indixerant imperatores Constantinopolitani Constantinus Copronymus et Leo ejusdem filius, plurimum allaboravit; et ut a prava sententia impios imperatores revocaret, sæpe missos ad eosdem direxit, et plures epistolas iisdem obsecrationum simul et admonitionum plenas conscripsit, quarum exemplaria cum injuria temporum, tum hominum ignavia, et negligentia nobis invidit. Harum præter Anastasium mentionem facit Adrianus papa in actione 2 synodi Nicænæ II. Illarum vero epistolarum, quas Paulus in Galliam regi Pipino misit, nullum verbum facit noster Bibliothecarius, quas nisi recitare, indicare saltem debuisse videtur ad texendam historiam hujusce pontificis, cui non minus cordi fuit ecclesiastica dogmata adversus Iconoclastarum hæresim tueri, quam sedis apostolicæ cum patrimonia, tum provincias, Pentapolim scilicet, et Exarchatum Ravennæ, quæ recenti regis Pippini donatione ejusdem sedis

Digitized by Google

juribus accesserant, a Desiderii Longobardorum regis injuriis et insidiis, atque ab eorumdem Constantini et Leonis aggressionibus, quas minitabantur, vindicare et custodire. Exstant hæ epistolæ in Codice Carolino numero triginta et una.

Si quis Anastasii silentio fultus has litteras Paulo abjudicaret, ne ille turpiter erraret ejusque ignorantiam aperte proderet, earumdem litterarum, præfixo singulis nomine Pauli, indubia existentia in authenticis Codicibus et in bibliotheca Cæsarea, ex qua excripsit Gretserus, et in Vaticana, ex qua Onuphrius Panvinius argumenta singularum deprompsit, quæ Baronius ad annum Christi 767 ex ordine recitat, qui ordo justa annorum seriem accommodatus ab eo diversus est quem in Codice Carolino obtinent. Quam male itaque ex simili silentio Anastasii in Vita Zachariæ papæ Natalis Alexander falsitatis arguit Childerici exauctorationem, et exaltationem Pippini ad Francorum regnum ejusdem Zachariæ auctoritate factas, cum ex eodem silentio Anastasii incredibiles et nulla fide dignas cæteroquin innegabiles epistolas Pauli ad Pippinum potuisset pari ratione affirmare. Æstimet hinc prudens lector Natalis ingenium, et studium erga sanctam sedem, et simul vim in hujusmodi casibus argumenti negativi.

SOMMIER.

Num. 158, linea 13.—*Sæpius suos missos cum apostolicis obsecratoriis atque admonitoriis litteris*, etc. Quas S. pontifex litteras hac de re scripsit imperatori, ab Adriano papa I diserte memoratas in epistola ad Constantinum et Irenem ejus parentem Augustos, ex profecto non supersunt. Illæ pari modo desiderantur, quas eadem dedit occasione ad Pipinum regem, quibus eum rogabat, ut, quæ ejus auctoritas erat, apud iconomachum imperatorem intercederet, avertendi eum causa ab Ecclesiæ persecutione. Id dumtaxat constat ex septima Pauli epistola ad Pipinum, probe eum nosse, quod Græci imperatoris persecutio, ejusque iniqua consilia contra apostolicam sedem ex eo proveniebant, quod pontifex orthodoxam fidem ac venerabilis antiquitatis traditionem defendebat, quas ille impius evertere moliebatur: « Quia, ut plenissime satisfacta est vestra Excellentia non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Græci, nisi propter sanctam et orthodoxam fidem, et venerandam Patrum piam traditionem, quam cupiunt destruere atque conculcare. » (Paul. *ep.* 7 *ad. Pip. reg., Cod. Carol.* 34.)

Id consilii Constantinus ceperat adversus apostolicam sedem, ut in possessionem rediret Exarchatus Ravennæ, quem Pipinus, devictis Longobardis, legitime in suam potestatem redegerat, ac Romano pontifici cum summa potestate, utilique dominio possidendum concesserat. Probe autem intelligens imperator fieri nunquam posse ut optatum finem assequeretur, quoad pontifici Francorum opes auxilium ferrent; ac nisi Longobardorum regem ad suas partes traheret, spe utilitatis illectum; ut utrumque evinceret, nil intentatum reliquit. Ea propter legatos in Franciam misit, qui nullum non moventes lapidem, ut famam pontificis læderent, ab inito cum eodem fœdere Pipinum regem retraherent. Eodem tempore suos Ravennæ, totoque in exarchatu emissarios habebat, qui populos ad defectionem contra pontificem excitabant. Nuptias etiam Leonis filii, quem in consortium imperii sibi adsciverat, cum filia Pipini Giselide proponi jussit. Et ne disparitas religionis, quam obtendebat pontifex, ut ille aiebat, deficiendi causa, impedimento esset, congressum de religione in Francia haberi petiit, in quo rationem orthodoxiæ, quam toto in imperio servari is volebat, reddidissent sui legati quos eam ob causam missurus erat. Cæterum nec congressus propter Parisios habitus, nec machinamenta omnia quæ Copronymo venerunt in mentem apud Pipinum adhibenda, promoverunt quidquam, ut a catholica fide sanctæque sedis defensione optimus princeps avelleretur. (*Ep.* 20 *et all. Paul. ad Pip. in Cod. Car.*; Adon. *in Chron.* Eginh. *ad. an.* 767.)

Quamobrem Constantinus, alio se convertens, Longobardorum regi accommodavit aures, qui fœdere cum illo jungi adversus papam promittebat. Pacta his conditionibus stipulata: Ambo junctis viribus pugnaturos, ut Ravennam et Hydruntum suam in ipsorum ditionem redigerent: harum primam possessuros Longobardos, alteram cum finitima regione Græcos; imperatorem continuo expediturum validissimam classem in Italiam ad prædictum finem. Quæ tamen Copronymus non fecit, sibi persuadens fore ut copiis, quas in Sicilia finitimisque locis habebat, satis essent ad Ravennam recipiendam absque Longobardorum auxiliis, quo tempore haud poterat rex Pipinus pontifici opem ferre, quippe qui bello cum ducibus sibi subditis Bajoariæ et Aquitaniæ detinebatur. At pontifex, consiliis ejus opportune detectis, Pipino ea regi statim aperuit; ut Longobardorum rege ipsum ducesque Spoletinum, et Beneventanum cum aliis finitimis tueri sanctam sedem compellerent, si forte adversus eam Græci arma movissent: « Confestim vestrum dignemini dirigere Desiderio Longobardorum regi missum, ut si necessitas fuerit significata, auxilium nobis pro incursione eorumdem inimicorum impertire debeat. Præcipiens Beneventanis atque Spoletinis, seu Tuscanis nobis a vicino consistentibus, ut ipsi nostro occurrant solatio. » (Paul. *ep.* 7 *ad Pip. R. Cod. Car.* 34.)

Hæc ut imperator percepit, nihil eorum quæ decreverat, molitus est. Contra vero Longobardorum rex Paulo molestiam toto pontificatus tempore ingessit. Primo siquidem sanctæ sedi noluit reddere civitates Bononiam, Imolam, Anconam, aliasque, quas redditurum se erat pollicitus, ut præsidio ejus uteretur adversus Ratchim, pro regno Longobardorum secum decertantem, deinde arma in Pentapolim intulit, depopulatusque eam est: ac postremo ejecit duces Spoleto et Benevento, qui a sancta sede pendebant, aliosque intrusit, qui sibi essent subditi. Hæc querentem jure pontificem produxit verbis, plene Papiensem tractatum se expleturum pollicitus inter Stephanum et Aistulphum stipulatum, si obsides sibi reddi curasset, quos Pipinus in Franciam duxerat. At Paulus, cui credebat illudere, ipsum delusit, obtentu enim mittendi legatos petitum obsides iisdem jussit, ut perfidiam Longobardorum aperiret regi, ejusque præsidium implorarent, utpote qui inter principes omnes unus poterat fœdifragum Longobardum revocare ad officium, atque Ecclesiæ subditos sustinere: « Perspicuum est, vos præ omnibus regibus et potentibus piis pollere operationibus... Et ideo ut ipsum piæ operationis vestræ certamen effectu mancipetur, crebro nos congruit sicut liberatori ipsius S. Dei Ecclesiæ, et ejus peculiaris populi apostolicos dirigere apices. » (Ejusd. *ep.* 2 *ad Pip. Cod. Car.* 15.)

Quare Pipinus eo semper magis sanctæ sedis amantior, duos e præcipuis aulæ ducibus ad Desiderium misit, qui ei significarunt, venturum ipsum regem cum potenti exercitu in Italiam, nisi is pontifici satisfaceret. Inexspectata re territus Longobardus partem eorum quæ Pontificii juris retinebat, Paulo reddidit, promisitque se omne quidquid reliquum sibi fecerat, restituturum: « Dum ad nos conjunxissent Remedius Germanus vester, atque Autcharius gloriosissimus dux, constituit inter eos et Desiderium Longobardorum regem, ut per totum instantem Aprilem mensem omnes justitias fautoris vestri Petri apostolorum principis, omnia videlicet patrimonia, jura etiam et loca, atque fines, et territoria diversarum civitatum nostrarum, reipublicæ Romanorum nobis plenissime restituisset. Unde ex parte quidem easdem justitias nobis idem Longobardorum rex fecisse dignoscitur; et reliquas omnes justitias se profitetur, atque omnino spondet nobis esse facturum. » (Id., *ep.* 3 *ad Pip. Cod. Car.* 17 *et* 19 *ejusd. Cod.*)

Digitized by Google

At Desiderius promissis non stetit; clam quippe, ut diximus, cum imperatore egit, ut juncto secum fœdere arma in pontificis jura inferret. Isque nequicquam machinatus, pro eo ut civitates et territoria nullo jure erepta, D. Petro, et ejus successori redderet, ut Pippino regi, quoties id fieri urgebat, pollicitus fuerat, novas invasiones meditabatur. Quamobrem sancto pontifici, quoad vixit, molestus fuit ut novissima ejus epistola palam facit : « Pro certo agnoscat excellentissima Christianitas vestra, quia si nobis præfati civitatum nostrarum ab eisdem Longobardis invasi fines, atque patrimonia reddita non fuerint, etiam ea, quæ primitus reddiderunt, invadere insidiabuntur. » (Id., *ep.* 17 *et* 19 *Cod. Car.*)

BENCINI.

Num. 260, linea 13.— *Græcæ modulationis.* Exceperat Paulus pontifex profugos monachos, qui persecutione Constantini Copronymi excesserant tota Græcia, eisdemque Romæ monasterium S. Stephani ædificavit pro domicilio. De ea persecutione a Copronymo potissimum adversus monachos excitata loquitur ad hunc modum Theophanes, pag. 373 : « Monasteria quoque, ædes illas sacras in Dei gloriam, et salvandorum refugia constructas, militum sententiæ suæ pravitate infectorum communes et profanas domus fieri declaravit. Ac monasterium quidem Dalmatarum, cœnobium omnium Byzantii celeberrimum, militibus diversorium assignavit : alia quoque sacra ædificia, qualia Calistrati, Dii, et Maximini, nominibus insignita laudantur, et alias monachorum religiosas ædes, et virginum sedes a fundamentis evertit. Quos autem vel arte militari præstantes, vel dignitate conspicuos, maxime sibi prius necessarios et libidinum ejus secretarumque turpitudinum conscios et mystas, monasticæ vitæ studiosos eam persequi comperisset, certa morte damnabat, tanquam ex eorum confessionibus sibi pudorem incussum iri conjectans. » S. Stephanus Junior monachus hisce fuit auctor ut in Occidentem commigrarent, ut legimus in ejus Vita, tom. I Analect. Græc. Loppini, pag. 456. « Quandoquidem tres apud nos (aiebat vir sanctus ad monachos) supersunt partes eorum qui cum nefaria hac hæresi communionem non habent, vobis auctor sum, ut in illas accurratis. Nullus enim alius locus est, Draconi subjectus, qui ejus vaniloquentiæ morem non gerat : » monachos autem inter alia loca advenisse pariter Romam prodiit idem Stephanus diaconus in Vita citata : « Tunc cernere erat monastico ordine et Nazarico habitu, quasi in captivitatem abducto, orbatum Byzantium. Ille Pontum Euxinum, hic Cyprum petebat : alius Romam discedere meditabatur. » Cætera, si lubet, videsis apud Theophanem.

MAFEI.

Num. 260, linea 1. — *Hic sanctissimus præsul in sua propria domo monasterium.* De ecclesia et monasterio a Paulo I fundatis exstat apud cardinalem Baronium ad annum Christi 761 constitutum sive privilegium in Romana synodo ab eodem pontifice editum, quod luculenter confirmat quæ ab Anastasio narrantur hoc loco. Postquam enim in eo Constituto Paulus verba fecit de nonnullis sanctorum martyrum cœmeteriis, partim vetustate collapsis, partim a sacrilega Longobardorum feritate dirutis, subdit sequentia : « Unde conspecta eorumdem sanctorum locorum desidiosa incuria, et ex hoc valde ingemiscens, atque plurima doloris attritus mœstitia; aptum prospexi, Deo annuente, eosdem sanctos martyres, et confessores Christi, et virgines, ex iisdem dirutis auferre locis. Quos et cum hymnis et canticis spiritualibus in hanc Romanam introduximus urbem, et in Ecclesiam, quam noviter a fundamentis in eorum honorem construxi (intra mœnia, scilicet in domo quæ mihi parentali successione obvenit, in qua me natum constat atque enutritum) eorum sanctissima collocans condidi corpora. Ubi congregationem constitui monachorum speciali censura in honorem et nomine beatorum Stephani papæ et martyris, atque Silvestri papæ et confessoris Christi; in quo veneranda eorum quiescunt corpora. Monasterium vero virorum monachorum esse censui; scilicet ad modulationis exercendam psalmodiam in perpetuum esse decrevi. »

Quam perpetuam psalmodiam cum Græcæ modulationis fuisse Anastasius affirmet, hinc facile conjicitur monasterium hoc a Paulo traditum fuisse monachis Græcis, qui, Iconoclastarum in Orientis imperio persecutione sæviente, ex eorum sedibus pulsi in Urbem sese contulerunt. Impius enim imperator Copronymus maximo odio in monachos flagrans, quos ejus hæresi strenuos adversarios, validosque sacrarum imaginum defensores sentiebat, edictum circa hæc tempora promulgavit, quo vetuit, omne genus suppliciorum intentans, quominus in ejus ditione monachi degerent. Ergo aliis alio migrantibus, quicunque Romam venere benigne a Paulo pontifice excepti instructissimo hoc monasterio fuerunt donati, ubi eorum ritu ecclesiastica officia persolverent, colerentque debito honore quiescentes ibi Christi martyrum et confessorum exuvias. Sed quanta fuerit magnificentia fundationis hujus monasterii, præter ea quæ a scriptore nostro de illo referuntur, ex verbis etiam ipsius constituti a Paulo promulgati, sacerdotali præsente, ut supra dixi, et confirmante concilio, potest intelligi : « Et ecce, inquit Paulus, propitiante Domino, idem a nobis in eorum honorem fundatum monasterium, diversis prædiis atque rebus, possessionibus urbanis vel rusticis, et cunctis necessariis utensilibus optime ditantes, omnia quæ ad concinnationem luminarium, et sedulam sacrificiorum oblationem, vel ea quæ ad usus illic consistentium monachorum sufficiunt, concessimus, id est massas, fundos, casales, colonias, vineas etiam atque hortos, et oliveta, sive domos, et hospitia, salinas et aquimolas, vel piscarias, et reliqua possessionum prædia in diversis locis et civitatibus sita, simulque et servorum famulantium secum peculium. Addentes etiam et sub jure et ditione ipsius nostri monasterii confirmantes aliqua monasteria, et venerabilia loca cum universis possessionibus, et omnibus ejus generaliter, et in integro pertinentibus. »

Neque vero in falsitatis suspicionem constitutum Pauli idcirco potest traduci quod notæ chronicæ non apte conveniunt in apographo ad annum laudatum a Baronio vulgato, in cujus calce hæc habetur subscriptio : « Datum quarto Nonas Junii, imperante domino Constantino Augusto a Deo coronato magno imperatore, anno quadragesimo primo, ex quo cum patre regnare cœpit, et post consulatum ejus anno vigesimo primo, indictione decima quarta. » Cum enim Constantinus Copronymus ultima die mensis Martii anni 720 consors imperii paterni dictus fuerit, dieque decima octava Junii anni 741, de more, consulatum capessens, Leoni patri ejusque impietati successerit; annus quadragesimus primus ejus imperii cum anno vigesimo ejus consulatus simul non potest concurrere : nam unius anni spatio consulatus excedit imperium. Sed Pauli Constitutum, *dignum sancti pontificis monumentum* a Baronio appellatum, non ideo suppositionis nomine est reprehendendum; 1. quia temporariæ notæ in Baroniano apographo male consignatæ, bene fortasse cohærent in autographo asservato Romæ a monialibus sancti Sylvestri, ob temporum vices in monachorum locum subrogatis, a quibus mihi concessum non fuit ut illud viderem; præsertim cum levi errore facilique ad excidendum e rescribentium manibus diploma Pauli typis excusum laboret. 2. Quia constituti series tum historico nostro probe consonat, tum relationi litteris adjunctæ, quas Stephanus III *de restituta* ei divinitus per beatum Dionysium martyrem valetudine scripsit, ubi monasterium hoc appellatum ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum, nobiliter a

Digitized by Google

Paulo, germano ejus, exstructum dicitur : exstatque id Areopagiticis Hilduini apud Surium tomo V. 3. Tandem quia pleraque vetera diplomata, quæ apud omnes constanti fide recipiuntur, essent rejicienda, cum in describendis chronicis notis, librarii sæpe sæpius, ut constat apud eruditos, peccaverint.

(*Hic in editione Romano-Vaticana desinunt notæ variorum.*)

XCVI. STEPHANUS III.

ANNO CHRISTI 768, CONSTANTINI COPRONYMI 28

262 Stephanus tertius, natione Siculus, ex patre Olivo, sedit annos tres, menses quinque, dies viginti octo. Vir strenuus et divinis Scripturis eruditus, atque ecclesiasticis traditionibus imbutus, et in earum obsecrationibus constantissimus perseverator. Hic dum a Siciliensi insula in hanc advenisset Romanam urbem, tradidit eum domnus Gregorius, sanctæ recordationis tertius papa, in monasterio sancti Chrysogoni, quod tunc noviter fundabat, illicque clericus atque monachus est effectus. Quem postmodum domnus Zacharias papa ex ipso abstollens [a] monasterio, in Lateranensis patriarchii cubiculo esse præcepit. Eumque postmodum presbyterum in titulo sanctæ ecclesiæ consecravit. Quem tamen pro ejus castitatis modestia in suo officio Lateranensis detinuit. Sed et reliqui, scilicet domnus Stephanus et Paulus beatissimi pontifices, eumdem sanctissimum Stephanum pro ejus piis conversationibus in suo servitio similiter detinuerunt.

263 Dum vero prædecessor ejus domnus Paulus papa pro auctoritate fervoris æstivo tempore in ecclesia beati Pauli demoraretur, et valida ibidem ægritudine præoccuparetur, de qua et vitam finivit, die noctuque isdem beatissimus Stephanus in ejusdem sui prædecessoris pontificis perseverans servitio, nullo modo ab ejus lectulo, donec spiritum emitteret, recessit. At vero Paulus papa in ægritudine positus cum nondum adhuc spiritum exhalaret, illico Toto quidam dux, Nepesinæ civitatis dudum habitator, cum suis germanis Constantino, Passivo et Paschale, aggregantes tam ex eadem Nepesina quamque ex aliis Tusciæ civitatibus multitudinem exercitus atque catervam rusticorum, ingredientesque per portam beati Pancratii in hanc Romanam urbem, atque in domo antedicti Totonis armati assistentes, elegerunt ibidem subito Constantinum fratrem ejusdem Totopis laicum existentem, quem cum armis plurimi eorum loricis induti latrocinantes in Lateranense patriarchium introduxerunt.

264 Et ascendentes cum eo in vicedominio, continuo accersito Georgio [b] episcopo, compulerunt eum ut orationem clericatus eidem Constantino tribueret. Ipse vero omnino hoc renuebat facere, corruensque in terram prostravit se pedibus ipsius Constantini, adjurans eum fortiter per omnia divina mysteria ut locum daret, et ab ejusdem impiæ præsumptionis proposito recederet, ne per eum talis inaudita novitas in Ecclesia Dei fieret. Et dum hujusmodi adjurationis proferret verba, concitati plurimi ex ipsis malignis qui eamdem impiam electionem fecerant, insurgentes super eum, atque fortiter comminantes ei, timore correptus orationem illi clericatus tribuit, et ita clericus effectus, eumdem sanctissimum Lateranense invasit patriarchium. Alio vero die illucescente, secunda feria, subdiaconus atque diaconus ab eodem episcopo in oratorio sancti Laurentii intra eumdem patriarchium, contra sanctorum canonum instituta, consecratus est.

265 Sicque universum populum sibi sacramentum præbere fecit, et adveniente Dominico die rursum cum multitudine armatorum exercituum in basilica beati Petri properans pontifex ab eodem Georgio episcopo Prænestino et aliis duobus episcopis, Eustratio Albanense et Citonato [c] Portuense, consecratus est, et per anni spatium et mensem unum sedem apostolicam invasam detinuit [d]. Hoc vero cernens Christophorus, primicerius et consiliarius, zelo fidei una cum suo filio Sergio, tunc sacellario existente, maluerunt magis mori quam talem impiam novitatem et iniquam præsumptionem in sedem apostolicam perpetratam conspicere, et quotidie in fletu et lacrymis perdurantes, simulaverunt se monachos fieri, seseque absolvi ab eodem Constantino petierunt, in monasterio Salvatoris Domini nostri Jesu Christi proficisci, asserentes illic monachicum fore suscepturos habitum : susceptoque ab eodem Christophoro Primicerio sacramento, ita illis credens eos absolvit [e].

266 Quibus properantibus atque in fines Longobardorum conjungentibus, velletque abbas jam fati monasterii eos in eodem monasterio adduci, declinaverunt ab itinere isdem Christophorus primicerius et ejus filius Sergius dudum quidem sacellarius, postmodum secundicerius, adjurantes firmiter Theo-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, auferens. *B*, suo præferens. [b] *B*, Gregorio. [c] ' Citomalo. [d] *Baron. ann.* 768. [e] absolvit *ig est*, dimisit.

Digitized by Google

dicium ducem Spoletinum, ut eos trans Padum ad Desiderium suum genuxisset regem Longobardorum, nitentes ob hoc redemptionem sanctæ Dei Ecclesiæ perficere. Eosque isdem Spoletinus dux ad suum deportavit regem. Et dum ejus obtutibus præsentati fuissent, obnixe eumdem regem deprecati sunt ejus auxilium tribui ut talis novitatis error ab Ecclesia Dei amputaretur. Dum vero prænominatus Christophorus primicerius et Sergius ejus filius apud præfatum demorarentur regem, fecit prædictus Constantinus, apostolicæ sedis invasor, ordinationem presbyterorum seu diaconorum, presbyteros octo, diaconos quatuor, sed et episcopos in ipsius anni circulo et unius mensis fecit per diversa loca numero octo.

267 [a] Antedictus vero Georgius Prænestinus, qui eum diaconem et pontificem consecravit, non post multos dies consecrationis ipsius Constantini, valida ac pessima ægritudine præoccupatus, immobilis factus est, et postmodum missarum solemnia nequaquam celebravit. Ejus enim dextra manus aruit atque contracta est. Qui etiam nec ad os suum afferre valuit, sicque tremens et languens vitam finivit. Dum vero hæc agerentur, conjunxerunt antefatus Christophorus et Sergius in civitatem Reatinam absoluti a Longobardorum rege. Et præcedentes Sergius et Waldipertus presbyter cum Reatinis et Forconinis atque aliis Longobardis ducatus Spoletini, conjunxerunt subito, ac repente in hanc Romanam urbem vicesima octava die Julii mensis, indict. sexta, vespere in ipso crepusculo noctis, vigilia beatorum martyrum Abdon et Sennen, occupantes pontem Salarium.

268 Alia vero die transientes per pontem Milvium venerunt ad portam beati Petri, et deinde pergentes appropinquaverunt ad portam beati Pancratii. Quidam vero propinqui jam fati Christophori ac Sergii ipsam portam observantes ac custodientes, cernentes ipsum Sergium ad eamdem portam appropinquasse, annuerunt ei et protinus ipsam aperuerunt portam. Sicque jam dictus Sergius et Waldipertus cum Longobardis Romanam urbem ingressi sunt, et per muros civitatis cum flammula ascendebant, metuentes Romanum populum, et nequaquam de genuculo ipsi Longobardi ausi sunt descendere, sed cum nimio tremore ibidem assistebant.

269 Hoc vero audiens Toto et Passivus germani fratres, ignorantes ingenium et dolum quod ei proditores inierunt, cucurrerunt cum aliquantis ad prædictam portam, cum quibus et Demetrius secundicerius seu Gratiosus tunc chartularius, postmodum dux, properaverunt, qui et ipsi in consilio erant cum præfatis nefandissimis proditoribus. Et appropinquantes ad eosdem Longobardos, obviavit Totoni duci ex eisdem Longobardis, qui bellator præ omnibus apparebat, Racipertus nomine, et impetum fecit super eumdem Totonem, super quem isdem Toto irruens, atque fortiter percutiens, eum interfecit. Quod aspicientes Longobardi, in fugam conversi nitebantur evadere, sed Demetrius secundicerius et Gratiosus post tergum supradicti Totonis assistentes eum in dorsum lanceis percutientes, sic adversus eum prævaluerunt atque interfecerunt. Passivus vero in Lateranense fugit patriarchium, annuntians suo germano Constantino quæ gesta fuerant.

270 Hoc vero audito aufugit isdem Constantinus cum suprascripto Passivo et Theodoro episcopo et vicedomino suo in basilicam Salvatoris, et descendentes ad fontem in ecclesiam sancti Venantii, aliquantulum ibidem resederunt, et considerantes melius se posse salvari, in vestiarium ascenderunt. Huc intus oratorium sancti Cæsarii ingredientes, clausisque super se januis ibidem residebant. Et venientes post aliquantas horas hujus Romanæ militiæ judices, eos ex ipso oratorio ejicientes, sub cautela munierunt. Alio vero die Dominico, congregans Waldipertus presbyter, ignorante autem prædicto Sergio, aliquantos Romanos, pergentesque in monasterium sancti Viti, abstulerunt exinde Philippum presbyterum, quem eligentes et cum gaudio vocibus acclamantes : Philippum papam, sanctus Petrus elegit eum: in basilicam Salvatoris more solito deduxerunt. Hlicque oratione ab episcopo data juxta antiquitatis morem tribuentemque pacem omnibus in Lateranense introduxerunt patriarchium. Et ibidem similiter in sella pontificali sedens, tribuensque denuo, ut mos est, pacem, ascendit sursum et mensam, ut assolent pontifices, tenuit, sedentes cum eo aliquanti ex primatibus Ecclesiæ et optimatibus militiæ.

271 Post paululum vero conjungens eodem die sæpefatus Christophorus primicerius, cognitaque causa electionis ipsius Philippi, illico in magna ascendens [b] ira, jurejurando coram omnibus Romanis affirmabat, dicens se Romam minime ingressurum quousque Philippus presbyter de Lateranensi expulsus non fuisset patriarchio. Tunc properans antedictus Gratiosus cum aliquantis Romanis expulerunt jam dictum Philippum presbyterum de eodem patriarchio, qui et per scalam quæ ducit ad balneum descendens, cum magna reverentia ad suum reversus est monasterium. Sicque præfatus

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Baron. ann.* 767. [b] succensus, *del.* in.

Digitized by Google

Christophorus primicerius alia die aggregans in tribus fatis sacerdotes, ac primates cleri, et optimates militiæ, atque universum exercitum, et cives honestos, omnisque populi Romani cœtum a magno usque ad parvum pertractantes pariter concordaverunt omnes una mente unoque consensu in persona præfati beatissimi Stephani; pergentesque in titulo beatæ Cæciliæ, in quo presbyter existens, eum pontificem elegerunt, quem et cum vocibus acclamationum et laudibus in Lateranense deportaverunt patriarchium, et post omnia rite in ejus electione peracta, Deo auctore, pontificatus assumpsit culmen.

272 Dum vero adhuc electus exstitisset isdem sanctissimus vir, congregati aliquanti perversi Deum præ oculis non habentes, nec metuentes terribile futurum judicium, submissi a quibusdam pestiferis malorum auctoribus, quibus et digna factis retribuit Dominus, comprehendentes Theodorum episcopum, et vicedominum ejus, quod[a] et dici impium est, eruerunt oculos et linguam illi crudeliter amputaverunt; sed et Passivi similiter oculos eruere nisi sunt, et tantam impietatem in eisdem monstraverunt, qui etiam nec in propriis domibus eos deportari permiserunt, ut illis cura a suis hominibus exhiberi deberet, sed abstultis[b] omnibus eorum rebus et familiis ac possessionibus, unum ex eis, Theodorum scilicet episcopum, in monasterio Clivi Scauri retrudi fecerunt, ubi fame et siti cremans, clamansque aquam, ita exhalavit spiritum. Passivum vero in monasterium sancti Silvestri direxerunt. Nam Constantinus invasor apostolicæ sedis, dum deductus ad medium esset, et magna pondera in ejus adhibentes pedibus, in sella muliebri sedere super equum fecerunt, et in monasterium Cellanovas coram omnibus deportatus est. Sabbato vero die diluculo, ante unam diem ordinationis præfati beatissimi papæ Stephani, aggregati aliquanti episcoporum seu presbyterorum et clerici in basilica Salvatoris, iterum præfatus Constantinus ad medium allatus est, lectisque sacratissimis canonibus ita depositus est; accedens enim Maurianus subdiaconus orarium de ejus collo abstulit, et ante pedes ejus projecit, et compages ipsius abscidit. Sicque alio die Dominico antedictus beatissimus Stephanus consecrationem suscepit pontificatus. Factaque ab universo populo Romano pœnitentiæ confessionisque deprecatione apud divinam clementiam, per quam se omnes peccasse in prædicti Constantini invasoris apostolicæ sedis impia ordinatione confitentes, pro eo quod non ei restiterunt, ita excelsa voce in ambone beati Petri basilicæ a Leontio scriniario eadem relecta est confessio.

273 Post hæc vero aggregati universi exercitus Romanæ civitatis, et Tusciæ, et Campaniæ, ubi erat Gracilis tribunus, consentaneus jam dicti Constantini apostolicæ sedis invasoris, per quem plura mala in Campaniæ parte perpetrata sunt, constringentesque fortiter eamdem civitatem, ipsum exinde abstulerunt Gracilem, et huc Romam attulerunt, quem arcta custodia retrudentes aliquantis diebus ibidem mancipatus exstitit. Postmodum vero quidam iniqui Campani, qui huc Romam advenerant, adhortati ab aliis nequioribus se et impiissimis, eumdem Gracilem ex ipsa custodia abstollentes[c], et quasi eum in monasterium deportantes, dum ad Colloseum advenissent, illic ejus oculos eruerunt et linguam abstulerunt. Porro aliquantis post hæc præteritis diebus, dum Tuscani et Campani hic Romæ aggregati fuissent, inito consilio cum præfato Gratioso et fortioribus ejus, per quorum auctoritatem tanta mala operabantur, Deum non metuentibus, perrexit[d] cum cuneo militum Tusciæ ac Campaniæ primo diluculo in monasterium Cellanovas, ubi Constantinus antedictus apostolicæ sedis invasor retrusus erat, eumque ex ipso ejicientes monasterio, ejus eruerunt oculos, et cæcum in platea jacentem reliquerunt

274 His itaque gestis peractisque, insurrexerunt quidam dicentes quod antedictus Waldipertus presbyter, Longobardorum genere ortus, concilium cum Theodocio duce Spoletino et aliquibus Romanis iniisset ad interficiendum præfatum Christophorum primicerium et alios Romanos primates, et civitatem Romanam Longobardorum genti tradendam. Unde directus est quidam Christophorus vicedominus cum multitudine populi ad eum comprehendendum. Ipse vero, hoc agnito, fugit in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Martyres, quem exinde iisdem vicedominus abstraxit, portante eodem Waldiperto imaginem ipsius Dei Genitricis, eumque in teterrimam retrudi fecerunt custodiam, quæ vocatur Ferrata, in cellario majore. Et post modicos dies ipsum de eadem custodia ejicientes Waldipertum presbyterum, eumque projicientes in terra juxta transendam campi Lateranensis, ejus effoderunt oculos, et linguam ipsius crudeliter ac impie absciderunt, dirigentesque illum in xenodochium Valerii, ibidem postmodum ex eadem oculorum effossione vitam finivit.

275 Itaque in exordio ordinationis suæ, quo isdem sanctissimus præsul pontificatus apicem assumpsit, direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pippinum, Carolum et Carolomannum

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *B*, Constantini, quod. [b] ablatis. [c] *B*, auferentes. [d] *B*, perrexerunt.

Digitized by Google

reges Francorum et patritios Romanorum, Sergium antedictum secundicerium, et nomenclatorem illo in tempore existentem, deprecans atque adhortans eorum excellentiam per suas apostolicas litteras ut aliquantos episcopos gnaros et in omnibus divinis Scripturis atque sanctorum canonum institutionibus eruditos ac peritissimos dirigerent, ad faciendum in hac Romana urbe concilium pro eadem impia novi erroris ac temeritatis præscriptione [a], quam antefatus Constantinus, apostolicæ sedis pervasor [b] ausus est perpetrare

276 Et properante antedicto Sergio ad Francorum regiones jam invenit de hac luce migrasse Christianissimum Pippinum regem, et cœptum gradiens iter pervenit ad ejus filios Carolum et Carolomannum germanos fratres, reges Francorum et patricios Romanorum. Quibus apostolicas tribuens litteras, benigne ab eis susceptus est, et dignam illi impendentes humanitatem, cuncta nihilominus, pro quibus missus est, ab eorum excellentia impetravit, [c] dirigentes ipsi Christianissimi reges duodecim episcopos ex eisdem Francorum regionibus nimis divinis Scripturis et sanctorum canonum cæremoniis doctos, et probatissimos viros scilicet. Eisque in hanc Romanam urbem conjungentibus mense Aprilis, indictione septima, protinus ante dictus Stephanus sanctissimus papa aggregans [d] diversos episcopos Tusciæ atque Campaniæ, et aliquantos istius Italiæ provinciæ.

277 Quibus omnibus congregatis, concilium peractum est in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi juxta Lateranense palatium. Et præsidente eodem beatissimo papa, considentibus etiam pariter cum eisdem omnibus episcopis, deductus est ad medium Constantinus apostolicæ sedis invasor, jam excæcatus oculos. Et subtilius exquisitus cur præsumpsisset apostolicam sedem laicus existens invadere, et talem iniquæ novitatis errorem in Ecclesia Dei perpetrare, ita coram omnibus professus est vim se a populo pertulisse, et per brachium populi fuisse electum, atque coactum in Lateranense patriarchium deductum propter gravamina ac præjudicia illa quæ Romano populo ingesserat domnus Paulus papa, et corruens in terram manibus extensis in pavimento se reum ac super numerum arenæ maris peccasse deflebat, petens misericordiæ veniam ab eodem sacerdotali consequi concilio. Quem a terra elevare facientes, ipso die nullam de eo protulerunt sententiam. Alia vero die denuo afferentes eum, atque interrogantes de eadem impia novitate, respondit nihil novi se fecisse dicens : quia et Sergius archiepiscopus Ravennatium, laicus existens archiepiscopus factus est : et Stephanus Neapolitanæ civitatis, et ipse laicus repente episcopus consecratus est. Dum vero talia iisdem Constantinus persequeretur, illico irati zelo ecclesiasticæ traditionis universi sacerdotes alapis ejus cervicem cædere facientes, eum extra eamdem ecclesiam ejecerunt.

278 Tunc detectis [e] omnibus ejus rationum gestis, simul et concilio illo quod in scriptis de ejus quasi confirmatione editum fuerat, igne combusserunt in medio presbyterii ipsius ecclesiæ. Et hoc facto projiciens se in terram sanctissimus Stephanus papa cum universis sacerdotibus, et populo Romano, clamantesque *Kyrie eleison*, cum ingenti fletu peccasse se omnes professi sunt pro eo quod de manibus ipsius Constantini communionem suscepissent : sicque ex hoc omnibus indicta est pœnitentia. Tunc allatis sacratissimis canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem sacerdotali concilio sub anathematis interdicto, ne ullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, diaconus aut presbyter cardinalis factus fuerit, ad sacrum pontificatus honorem possit promoveri.

279 Et alia plura quæ de eo canonica indigebant correptione [f] in eodem concilio statuerunt emendanda. De episcopis vero atque presbyteris et diaconibus quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem concilio promulgatum est, ut episcopi illi, si aliquis eorum presbyter aut diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverteretur. Et si placabiles fuissent coram populo civitatis suæ, denuo facto decreto electionis more solito cum clero et plebe ad apostolicam advenissent sedem, et ab eodem sanctissimo Stephano papa benedictionis suscepissent [g] consecrationem. Presbyteri vero illi ac diaconi ab eodem Constantino consecrati simili modo in eo quo prius existebant habitu reverterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles exstitissent, antefatus beatissimus pontifex presbyteros eos aut diaconos consecrasset [h]. Statuens ut hi qui ex eis consecraturi [i] erant, nequaquam ad fortiorem [j] honorem ascenderent, nec ad pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in Ecclesia Dei pullularet.

280 Ipse vero antefatus beatissimus Stephanus papa coram omni sacerdotali collegio clara voce clamavit, dicens : Nullo modo se immitti aut penitus declinare in eorumdem presbyterorum aut diaco-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] præsumptione. [b] invasor. [c] *Baron. ann.* 769. [d] congregavit. [e] *B*, combustis. [f] correctione. [g] susciperent. [h] *B*, consecraret, *al.*, conciliaret. [i] *B*, consecrandi. [j] *B*, potiorem.

Digitized by Google

norum consecrationem. De laicis vero qui ab eodem Constantino presbyteri aut diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, ut in religioso habitu cunctis diebus eorum vitæ, sive in propriis domibus, vel ubi fuissent, permanere deberent. Hujusmodi vero promulgatis sententiis, illico episcopi illi qui ab eodem Constantino ordinati sunt, revertentes, juxta ejusdem concilii sententiam, in pristino honoris gradu, electi denuo a clero et plebe, factoque solito decreto ad sedem apostolicam properantes ab eodem sanctissimo papa consecrati sunt. Nam presbyteri et diaconi illi usque ad mortem ipsius pontificis sic remanentes, nequaquam sunt ab eo consecrati. [a] Ita enim in eodem concilio statutum est ut omnia quæ isdem Constantinus in ecclesiasticis sacramentis ac divino cultu egit, iterata fuissent [b], præter sacrum baptisma atque sanctum chrisma.

281 Hæc vero omnia promulgata, continuo et diversa sanctorum Patrum testimonia de sacris imaginibus Domini nostri Jesu Christi sanctæque et gloriosæ ejus Genitricis semper virginis Mariæ dominæ nostræ, et beatorum apostolorum omniumque sanctorum ac prophetarum et martyrum seu confessorum, in eodem allata sunt concilio, et subtilius multa perindagantes, statuerunt magno honoris affectu ab omnibus Christianis ipsas sacras venerari imagines, sicuti ab omnibus prædecessoribus hujus apostolicæ sedis pontificibus et cunctis venerabilibus Patribus usque hactenus de earum honore observatum effectum, et cunctis ad memoriam piæ compunctionis est traditum, confundentes atque anathematizantes exsecrabilem illam synodum quæ in Græciæ partibus nuper facta est, pro disperdendis [c] ipsis sacris imaginibus. Expletis vero omnibus quæ in eodem concilio promulgata erant, tunc iisdem beatissimus pontifex, aggregans universos sacerdotes atque clerum et cunctum populum, profecti sunt ad beatum Petrum principem apostolorum, cum hymnis et canticis spiritalibus nudis pedibus incedentes illicque in ambonem ascendens Leontius scriniarius cuncta quæ in eodem peracta sunt concilio extensa voce legit populo. Sed et tres episcopi, id est Gregorius Silvæ Candidæ, Eustratius Albanus et Theodosius Tyburtinus, in eodem præfatæ ecclesiæ ambone ascendentes, anathematis obligationem protulerunt si quisquam præsumat quoquo tempore transgredi quidpiam de omnibus quæ in eodem concilio statuta sunt.

282 His vero peractis, contigit post aliquantum temporis de hac vita migrasse Sergium archiepiscopum civitatis Ravennatium. Et continuo surgens Michaelius [d] scriniarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo sacerdotali fungebatur honore, profectus Arimino ad Mauricium ducem Ariminensem, et congregans isdem [e] nefandissimus Mauricius exercitum una cum concilio Desiderii Longobardorum regis, properavit atque ingressus est Ravennam, et brachio forti elegit prædictum Michaelium, et in episcopum Ravennatis Ecclesiæ introduxit. Et Leonem archidiaconum, qui electus erat in archiepiscopatus ordinem, Ariminum deportantes, ibidem arcta custodia mancipatum isdem Mauricius detinere fecit. Tunc direxit quantocius prædictus Michaelius, atque Mauricius, et judices Ravennatium ad præfatum beatissimum pontificem, promittentes ei copiosa munera, ut ipsum Michaelium archiepiscopum consecrare deberet. Ipse vero beatissimus præsul per nullius dationis promissionem inclinatus est eumdem Michaelium consecrare, asserens nulla ratione hoc fieri posse, dum sacerdotii honore minime ipse prædictus existeret Michaelius.

283 Cui et vicibus obtestationis ac prædicationis litteras atque missos direxit, ut ab eodem injusto proposito recederet. Sed nullo modo apostolicis admonitionibus acquiescere voluit. Dansque plurima munera Desiderio Longobardorum regi, et cymilia, et ornatus ipsius ecclesiæ, cum aliis diversis speciebus brachio forti per unius anni circulum et eo amplius ipsius episcopium pervasum [f] detinuit, denudans atque in magnam paupertatem eum redigens. Sed dum nullo modo firmissimam mentis constantiam ipsius sanctissimi pontificis flectere potuerunt nequissimi consentanei ipsius Michaelii, tunc dum missi excellentissimi Caroli regis Francorum et patricii Romanorum præsentialiter adessent, dirigens ipse beatissimus præsul suos missos denuo tam [g] prædictos Francorum missos quamque omnes Ravennianos admonendo, statim insurrexerunt super ipsum Michaelium, et eum cum opprobrio de ipso episcopio projecerunt : quem vinctum huc Romam dirigentes, elegerunt sæpe fatum Leonem archidiaconum ipsius Ecclesiæ, qui ad hanc apostolicam sedem properans cum sacerdotibus et clero ipsius Ravennatis Ecclesiæ in archiepiscopatus honorem ab eodem sanctissimo papa Stephano ordinatus consecratusque est.

284 Erat enim isdem prædictus beatissimus præsul ecclesiasticæ traditionis observator, unde et pristinum Ecclesiæ in diversis clericatus honoribus renovavit ritum. Hic statuit ut omni Dominico die a septem episcopis, cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant missarum solem-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Vide Baron. an.* 769. [b] *B*, iterari debuissent. [c] ' deponendis. [d] *B*, Michael. [e] inde. [f] *B*, invasum. [g] *B*, suos, quam.

Digitized by Google

ma, super altare beati Petri celebraretur, et *Gloria in excelsis Deo* diceretur. Fecit enim et tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines in frontispicio constitutæ sunt. Unum quidem in basilica beati Petri apostoli, et alium in basilica beati Pauli, et alium ad beatum Andream apostolum. Nam sedule isdem beatissimus pontifex suos missos atque litteras admonitorias dirigere studebat antedicto excellentissimo Carolo regi Francorum, et ejus germano Carolomanno item regi, imminentibus atque decertantibus in hoc sæpius nominatis Christophoro primicerio et Sergio Secundicerio pro exigendis a Desiderio rege Longobardorum justitiis [a] beati Petri, quos obdurato corde reddere sanctæ Dei Ecclesiæ nolebat. Unde nimia furoris indignatione contra prænominatos Christophorum et Sergium exardescens ipse Desiderius, nitebatur eos exstinguere ac delere.

285 Pro quo suo ingenio maligno simulavit se quasi orationis causa ad beatum Petrum huc Romam properaturum, ut eos capere potuisset. Dirigens ergo clam munera Paulo cubiculario, cognomento Afiarta, et aliis ejus impiis sequacibus suasit eis ut in apostolicam indignationem eos deberent inducere. Eique isdem Paulus consentiens, de eorum perditione absconse decertabat. Dumque hoc agnovissent prænominati Christophorus et Sergius, et eumdem protervum Desiderium regem Romam properaturum agnovissent, illico aggregantes multitudinem populi Tusciæ et Campaniæ, seu ducatus Perusini, viriliter cum eadem populi congregatione eidem Desiderio regi paraverunt se ad resistendum. Quin etiam portas hujus Romanæ urbis claudentes, aliam ex eis fabricaverunt, et ita armati omnes existebant ad defensionem propriæ civitatis.

286 Et dum hæc agerentur, subito conjunxi [b] ad beatum Petrum antedictus Desiderius rex cum suo Longobardorum exercitu, et continuo direxit suos missos præfato pontifici, deprecans ut ad eum egredi deberet; quod et factum est. Dum vero cum eo præsentatus fuisset, pariterque pro justitiis beati Petri loquerentur, rursum ipse beatissimus pontifex reversus ingressus est in civitatem. Præfatus siquidem Paulus et ejus nefandissimi sequaces, inito cum prædicto Longobardorum rege consilio, nitebantur populum Romanum contra eos seducere ad insurgendum contra prædictos Christophorum et Sergium, ut eos interficerent. Et dum hoc eis nuntiatum fuisset, aggregantes populum, ascenderunt armati in Lateranis ad capiendum suos insidiatores

287 Nuntiatique more solito [c], impetum faciens universa multitudo populi qui cum eis advenerat, ingressi sunt cum armis in basilicam domni Theodori papæ, ubi ipse prænominatus sedebat pontifex. Quos et fortiter increpavit cur præsumpsisseut armati in idem sanctum patriarchium ingredi, pariterque loquentes, recedere eos jussit. Alia die denuo egressus est sæpedictus pontifex ad beatum Petrum cum eodem rege loquendum, et dum simul præsentati fuissent, prætermittens ipse Desiderius causas de justitiis beati Petri, tantummodo pro deceptione prædictorum Christophori et Sergii insistebat. Unde claudens universas januas beati Petri, neminem Romanorum qui cum ipso sanctissimo pontifice exierant, ex eadem ecclesia egredi permisit. Tunc direxit ipse almificus pontifex Andream episcopum Prænestinum et Jordanem episcopum Signiensem ad portam civitatis quæ egreditur ad beatum Petrum, ubi prænominati viri Christophorus et Sergius cum multitudine populi residebant, protestando eos ut aut in monasterio ingrederentur ad salvandum suas animas, aut ad beatum Petrum ad eum studerent properandum. Ipsi vero metuentes prædicti regis Longobardorum malignam sævitiam, ad eum egredi minime ausi sunt, asserentes se prius in manibus Romanorum suorum fratrum et concivium esse tradituros quam exteræ gentis. Dum ergo populus qui cum eis erant audirent eadem a prædicto pontifice directa ex ore prædictorum episcoporum, illico conturbati illorum confracta sunt corda, et cœpit unusquisque ab eis recedere.

288 Nam Gratiosus quidam dux, cognatus jam fati Sergii, simulans se ad propriam pergere domum, congregans aliquantos Romanorum, profecti sunt pariter ad portam Portuensem, quam clausam reperientes, a cardine ipsam portam auferre ausi sunt, et ita per noctem ad prænominatum egressi sunt pontificem. Christophorus et Sergius, conspicientes se in magno deceptu esse positos, prius quidem Sergius eadem nocte, qua hora campana insonuit, descendit per murum et properavit ad beatum Petrum. Quem ad gradus ecclesiæ beati Petri comprehendentes custodes Longobardorum, ad suum deduxerunt regem. Eumque subsecutus Christophorus pater ejus prænominati pontificis obtutibus sunt præsentati, quos salvos conservare cupiens [d], monachos facere præcipit. Post hæc faciens missam [e], prænominato regi, ingressus est isdem beatissimus pontifex Romæ, relictis præfatis Christophoro et Sergio in ecclesia beati Petri apostoli, cupiens eos noctis silentio propter insidias inimicorum salvos

NOTULÆ FABROTTI MARGINALES.

[a] Justitiis, *id est*, juribus. [b] Conjunxit, *id est*, pervenit. [c] *B*, nuntiantesque mox salvati. [d] ' almus conser. [e] missionem *B*.

Digitized by Google

introduci Romam. Dum vero sol ad occasum declinare videretur, continuo congregans prænominatus Paulus cubicularius et alii ejus nefandissimi consentanei multitudinem populi, et properantes ad Desiderium Longobardorum regem, inientesque cum eo impium consilium, abstulerunt eosdem Christophorum et Sergium ab ecclesia beati Petri apostoli, et properantes cum pluribus Longobardis usque ad portam civitatis, ibidem eorum oculos eruerunt. Sicque prædictus Christophorus in monasterium sanctæ Agathæ deductus, ibidem post triduum ob dolorem ex oculorum effalitione [a] vitam finivit. Sergius vero in monasterium Clivi Scauri deportatus, et postmodum in cellarium Lateranense deductus, illicque usque ad transitum prænominati pontificis exstitit [b].

289 Hæc vero omnia mala per iniquas immissiones Longobardorum Desiderii regis provenerunt. Fecit enim ipse sanctissimus pontifex ordinationem unam per mensem Decembris : presbyteros quinque, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero... Qui et sepultus est ad beatum Petrum apostolum, et cessavit episcopatus dies octo.

NOTULÆ FABROTTI MARGINALES.

[a] *B*, effossione. [b] *Vide Baron. an.* 770.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 262, *lin.* 1, *B*, patre Olibio. *lin* 1, 2, *A*, 27. *lin* 3, *AB*, observationibus. *lin* 6, B. auferens. *lin* 7, presbyterum in titulo B. Ceciliæ *AB*. *lin* 8, *AB*, Lateranis detinuit.

Num. 263, *lin* 1, *AB*, austeritate. *lin* 10, *AB*, latrocinantur.

Num 264, *lin* 1, *B*, vicedominium. *lin* 9, intra idem, *B*.

Num 265, *lin* 5, *AB*, consiliarius.

Num 266, *lin* 1, Longobardorum intrantibus, *B*. *lin* 4, *B*, deduxit regem.

Num 267, *lin* 4, *B*, offerre. *AB*, cremans et languens.

Num 268, *lin* 5, *A*, flammulis. *lin* 6, inunculo.

Num 269, *lin* 1, *B*, dolum quem. *lin* 5 *B*, Rapitertus, *A*, Tononem, *B*, Dodonem.

Num 270, *lin* 12, *B*, ascendit rursum.

Num 271, *lin* 2, *B*, magna accensus ira. *lin* 6, *B*, magna verecundia *B*. *lin* 10, ad titulum. *lin ead* existens spiritualem ducebat vitam, *B*, degebat *A*.

Num. 272, *lin* 7, *B*, abbatis. *lin* 8, *B*, siti deficiens spiritum exhalavit. *lin* 10, *B*, æris magnum pondus. *lin* 14, deductus. *lin* 16, *B*, campagos, *A*, campacos.

Num 273, *lin* 2, *B*, Gracilis presbyter consentaneus. *lin* 6, *B*, trahentes.

Num 274, *lin* 8, *B*, ex eadem.

Num 275, *lin* 7, *AB*, præsumptione, quam. *Hic minor codex finem habuit. Quæ sequuntur variæ lectiones sunt tantum ex codice majore, quem littera* A *significavimus.*

Num 277, *lin* 3, cum eo iisdem.

Num 278, *lin* 7, ne ullus unquam præsumat eorum, neque ex alto ordine, etc., ad sac. pontificatus honorem promoveri.

Num 279, *lin* 1, de eo *deest.*

Num 280, *lin* 10, irrita fuissent.

Num 281, *lin* 6, de carum honoris affectu observatum. *lin* 8, pro deponendis. *lin* 15, ne quisquam præsumeret.

Num 283, *lin* 11, ecclesiæ, et judicibus, et plebe ejusdem urbis in archiepiscopatus honorem.

Num 285, *lin* 8, alias.

Num 286, *lin* 1, venit ad beatum Petrum. *lin* 6, contra eos, *deest.*

Num 287, *lin* 13, in manus Romanorum.

Num 288, *lin* 4, sæpefati vero Christophorus, *etc.*

Num 289, *lin* 4, dies novem.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 262, *lin* 1, Stephanus nat. Sicul. *ib.*, di. 27. *lin* 3, pers. Dum vero decessor ejus, *ut lin* 1, *num seq.* pro austeritate.

Num 265, *lin* 2, valida ægrit. *lin* 3, beatiss. nunquam a suo discessit servitium, donec emitteret spiritum. At vero cum nondum spiritum exhalasset, illico Toto. *lin* 7, catervas. *lin* 8, in domum. *lin* 9, arm. existentes *ibid.* Constant. germanum supradicti Totonis. *lin.* 10, introdux. Continuo accersito Georgio episcopo comp.

Num 264, *lin* 2, C. daret. Ipse vero omnino renuebat, sed compulsus a militibus ordinavit eum. Alia vero die. *lin* 9, diaconus contra sanctorum Patrum statuta est consec.

Num 265, *lin* 1, die Domin. cum mult. *lin* 2, ab eodem episc. Georgio Preneste. *lin* 3, d. episc. et Eustratio consecratus in sedem apostolicam invasam detinuit. Alia vero die Dominica congregans Waldipertus.

Num 270, *lin* 6, presbyteros ignorantes ante (*pro* ignorante autem). *lin* 7, in monasterio beati Viti. *lin* 9, P. sanctus Petrus elegit, illicque oratione ab episcopo data. *lin* 11, tribuensque pacem in Later. introd. patr. et missam, ut pontifices assolent, tenuit. Post paululum vero Christophorus primicerius cognita causa el.

Num 271, *lin* 2, P. illico magna succensus ira. *lin* 3, affirmavit. *lin* 4, exp. patr. fuisset. Tunc Gratianus properans cum aliq. Rom. exp. Phil. *lin* 6, qui descendens cum rev. *lin* 7, alio die aggregavit in tribus sacerd. (*in M est lacuna*). *ib.*, cl. opt. m. atque universi exercitus, et hon. civ. Romanos, omnemque populum a magn. u. a. p. et pertractantes p. *lin* 9, in p. beatiss. p. S. *lin* 10, exist. spiritualem degebat vitam eum pont. ei. Quem cum vocibus acclamantium laudes in Lateranensi palatio deportaverunt, et rite in ejus el. omnibus peractis D. *lin* 13, culmen. Sicque alio die Dominico (*ut lin* 16, *num seq.*) præfatus Stephanus c. p. s. Constantinus vero invasor (*ut lin* 10) apost. sed. ded. ad medium coram omnibus in monasterium Cellanovas. Itaque in exordio (*ut num* 275, *lin* 1).

Num 275, *lin* 2, partibus ad excellentissimos. *ib.* Carolomagnum. *lin.* 3, Serg. secundic. et nomenculatorem illo tempore ex. *lin* 5, scr. eruditos. *ib.* inst. peritiss. *lin* 7, præsumptione. *lin* 8, invasor.

Num 276, *lin* 2, filios antedictos C. et Carolomannum. *lin* 5, dirigentes scilicet ipsi C. r. XII. ex eisd. *lin* 7, ac pr. viros. Quibus conjungentibus m. A. *lin* 8, protinus Steph. sanct. papa congregavit. *lin* 9, et aliquos M aliquos (aliquantos).

Num 277, *lin* 2, juxta Lateranum, in quo damnatus est Constantinus invasor apostolicæ sedis, et omnis populus accepit pœnitentiam, pro eo quod de manibus ipsius Constantini communionem suscepit. Tunc allatis sacr. c. *ut num. seq. lin.* 6.

Num 278, *lin* 7, sub anathemate interdicentes, ut n. unq. *lin* 9, hon. promoveri.

Digitized by Google

Num 279, *lin* 1, quæ can. ind. correctione. *lin* 2 et diaconis (*M* diaconibus). , *ib.*, cons. in eod. c. pr. est, ut ipsi illi si qui presbyteri, aut diaconi fuerunt, in pristinos honoris sui gradus reverterentur ; et si placabiles f. *lin* 5, ad apost. f. d. adven. *lin* 6, P. vero, ac diaconi. *lin* 7, consistebant h. *lin* 8, placabiles ext. antefato beatissimo pontifici pr. *lin* 9, statuentes, ut qui consecrandi erant, il nequaquam.

Num 280, *lin* 1, iste vero beatissimus papa coram omni s. c. *lin* 4, vitæ eorum. *ib.*, vel ubi voluissent p. d. *lin* 6, Constant. consecrati sunt r. juxta conc. *ib.*, honoris sui gradu. *lin* 7, ad fidem apostol. *lin* 8, diac. illius. *ib.*, hic rem. neque ab eo sunt consecr. *lin* 10, iteranda essent. De imaginibus vero in eodem concilio statutum est per omnia, sicut et sui antecessores statuerunt ; expleto itaque concilio omnes nudis pedibus ad ecclesiam beati Petri processerunt : in ambone ascendentes, omnia quæ in concilio statuta sunt, coram omni populo legerunt, atque confirmaverunt. Hæc vero, *ut num* 289, *lin* 1.

Num 289, *lin* 1 ; hæc vero omnia mala immissione jam dicti Desiderii Longobardorum regis provenerunt. Fecit vero ipse sanctiss. pontifex ordinationem unam per mensem Decembris : presbyteros v, diac. iv, episcopos per diversa loca num .... Qui etiam et sepultus est ad beatum Petrum apostolum, et cess. episcop. dies ix.

Ex codice Thuano altero.

Num 262, *lin* 1, Steph. nat. Sic. *lin* 1, 2, 27. *lin* 3, earum observationibus. *ib.*, ins. parvulus. *lin* 7 tit. beatæ Cæciliæ c. *lin* 8, Lateranis det.

Num 263, *lin* 1, pro austeritate f.

Num 264, *lin* 5, hujuscemodi ad.

Num 266, *lin* 2, deduci. *lin* 7, eis auxil. *lin* 11, n. 7.

Num 267, *lin* 3, dextera.

Num 268, *lin* 4, innuerunt. *lin* 5, Valdib.

Num 269, *lin* 5, duci unus ex eisdem Longobard. *lin* 7, converti n. sed D.

Num 270, *lin* 1, fugit. *lin* 3, posse salvare, *lin.* 5, Romanæ urbis m. i.

Num 271, *lin* 1, post paulum. *lin* 4, expuls. fuisset. *lin* 9, omnes sacerd. *lin* 10, Cæciliæ, in quo p. e. spiritalem degebat vitam, eum P.

Num 272, *lin* 1, perversi quidam D. *lin* 10, esset magna p. *lin* 14, adfertus est. *lin* 16, et campagos ips.

Num 273, *lin* 1, un. ex Rom. urbis, sev. T. et C. pergentes, ubi. *lin* 10, perrexerunt.

Num 274, *lin* 1, his ita gestis. *lin* 6, semperque virg. Mar. *lin* 9, tras. *lin* 11, effoditione.

Num 275, *lin.* 2, apicem suscepit. *lin* 3, nomenculatorem. *lin* 4, præcellentiam. *lin* 8, præsumptione q. *lin* 9, invasor.

Num 277, *lin* 15, cædi fac.

Num 278, *lin* 1, defertis om. e. actionum g. *lin.* 5, susceperunt. *lin* 7, interdictu.

Num 279, *lin* 3, si quis eorum p. aut d. fuerat. *lin* 4, placabiles, *ut infra num. seq. lin* 2, se mitti, aut p. declinari.

Num 280, *lin* 3, ordinati sunt. *lin* 6, consecrati sunt. *lin* 8, diaconos.

Num 281, *lin* 2, Domini Dei et Salvatoris nostri J. *ib.*, semperque. *lin* 4, in eod. conc. all. sunt, et subtil. cuncta p. *lin* 6, de earum honoris affectu obs. et c. *lin* 8, deponendis. *lin* 15, ne quisquam.

Num 282, *lin* 1, tempus. *lin* 5, et in episcopio R. *lin* 7, detineri fec. *lin* 8, R. civitatis ad.

Num 283, *lin* 1, cui, et civibus. *lin* 7, præsentialiter ad dir. isdem b. *lin* 11, eccl. et judicibus, et plebe ejus urbis in ar.

Num 284, *lin* 1, isdem præfatus. *lin* 2, hic constituit ut. *lin* 3, observabant. *lin* 4, ei dic.

Num 285, *lin* 8, alias ex e.

Num 287, *lin* 14, exteræ genti. *ib.*, a prænominato P. *lin* 15, illorum corda c. s.

Num 288, *lin* 4, sæpefati vero Ch. et Se. se in magna deceptione.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 262, *lin* 7, in titulo beatæ Ceciliæ consecravit.

Num 263, *lin* 1, pro austeritate. *lin* 4, spir. amitteret.

Num 264, *lin* 2, cum orationem cl. eidem. C. tribui. *lin* 5, hujuscemodi.

Num 265, *lin* 3, episcopo penestre.

Num 267, *lin* 1, episc. penestre. *lin* 4, sicque cremans.

Num 268, *lin* 1, p. Molvium.

Num 269, *lin* 7, nitebantur, sed.

Num 270, *lin* 1, aud. fugit. *lin* 9, in basilica.

Num 271, *lin* 4, expulsus fuisset. *lin* 7, clerici. *lin.* 10, existens spiritualem degebat vitam eum pontif.

Num 272, *lin* 1, perversi quidam D. *lin* 5, visi sunt. *lin* 7, atq. poss. *lin* 8, clibus cauris. *lin* 14, adfertus. *lin* 20, ammone.

Num 273, *lin* 1, Campanini. *lin* 7, dum Collosio. *lin* 17, Tusciani et Campanini.

Num 274, *lin* 3, inisset interf. *lin* 5, vero agnito. *lin* 11, effoditione.

Num 275, *lin* 7, præsumptione.

Num 276, *lin* 2, filios antedictos Karolum et Carolum Magnum.

Num 277 *lin* 4, extra oculos. *lin* 13, effectus.

Num 278, *lin* 1, defectis.

Num 281, *lin* 8, disponendis. *lin* 13, Silva Candida E. Albano, et Th. Tyburtino.

Num 283, *lin* 11, Ravinianos.

Num 284, *lin* 1, præfatus.

Num 285, *lin* 2, dirigens clam. *lin* 3, suadens. *lin* 7, se resist.

Num 287, *lin* 3, quibus et fort. *lin* 9, penestre et e signias. *lin* 11, ingr. suas salvari dum animas. *lin* 14, ead. a prænominato.

Num 288, *lin* 18, clibus cauris.

XCVII. SANCTUS ADRIANUS.

ANNO CHRISTI 772, CONSTANTINI COPRONYMI 32.

290 Adrianus, natione Romanus, ex patre Theodoro, oc regione via Lata, sedit annos viginti tres, menses decem, dies septemdecim. Vir valde præclarus et nobilissimi generis prosapia ortus, atque potentissimis Romanis parentibus editus, elegans et nimis persona decorabilis, constans etiam, atque fortissimus orthodoxæ fidei, ac patriæ suæ, et plebi sibi commissæ defensor. Viriliter cum Dei virtute

Digitized by Google

inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ ac reipublicæ impugnatoribus resistens, pauperum etiam omniumque indigentium misericordissimus ac copiosus consolator; ecclesiasticæ quoque traditionis et sanctorum Patrum institutionum observator.

291 Hic namque beatissimus vir, defuncto ejus genitore, atque parvulus nobilissimæ suæ genitrici relictus, studiose a patre Theodato [a], dudum consule et duce, postmodum vero primicerio sanctæ nostræ Ecclesiæ, post tantæ [b] dictæ suæ genitricis obitum nutritus atque educatus est. Nam a primæ ætatis suæ pueritia, dum adhuc laicus existeret, spiritualibus studiis charitatis modestiæque vehementius insistebat, sedule perseverans in ecclesia sancti Marci, quæ vicina domui suæ esse videtur. Illic crebras Deo nostro referebat die noctuque laudes, indutusque cilicio jejuniis corpus suum macerabat, et eleemosynam enucleanter egenis et inopibus juxta possibilitatis suæ vires libenter tribuebat. Ejusque bonæ actionis merita in omnium Romanorum aures frequenter resonabant, ita ut ex hoc nobilitatis ac pudicitiæ ipsius fama longe lateque divulgaretur. Cujus piæ conversationis vitam spiritualem operationem ac præcipuos mores conspiciens sanctæ recordationis domnus Paulus papa, eum clericari jussit quem notarium regionarium in Ecclesia constituens, postmodum eum subdiaconum fecit.

292 Dum vero post decessum domni Pauli papæ ad pontificatus culmen provectus fuisset domnus Stephanus secundus [c] junior papa, et ipse cernens ejusdem beatissimi Adriani spiritualium conversationum merita, in diaconii ordinem eum provexit. Et ex tunc multipliciter spiritualibus pollens studiis maximam tam ad evangelizandum populo solerter ac clare divina atque evangelica verba quamque ad exercendam ecclesiasticam traditionem gessit curam. Et ita Spiritus sancti gratia in ejus corde refulsit, ut in omnibus efficax idoneusque comprobaretur. Sicque factum est ut dum de hac vita migraret antefatus domnus Stephanus papa, illico (dum ferventissimo affectu a populo Romano diligeretur) isdem præcipuus ac sanctissimus vir et Dei cultor Adrianus ad sacrum pontificatus electus [d] est culmen. Hic namque in ipsa electionis suæ die, confestim eadem hora qua electus est, reverti fecit judices illos hujus Romanæ urbis tam de clero quam de militia, qui in exsilium ad transitum [e] domni Stephani papæ missi fuerant a Paulo cubiculario, cognomento Afiarta, et aliis consentaneis impiis satellitibus. Sed et relictos, qui in arcta custodia mancipati ac retrusi erant, absolvi fecit, et ita omnibus pariter cum eo exsultantibus pontificalem Deo auspice suscepit consecrationem.

293 Itaque in ipso exordio consecrationis ejus direxit ad ejus beatitudinem suos missos Desiderius Longobardorum rex, id est Theodicium [f] ducem Spoletinum, Tumnonem [g] ducem Eburæ regiæ, et Prandulum vestiarium suum, suasionis per eos mittens verba sese quasi cum eo in vinculo charitatis velle colligandum [h]. Quibus ita ipse beatissimus pontifex respondit, dicens: Ego quidem cum omnibus Christianis pacem cupio habere, etiam et cum eodem Desiderio rege vestro, in ea fœderis pace quæ inter Romanos, Francos et Longobardos confirmata est, studebo permanere. Sed quomodo possum credere eidem regi vestro in eo quod subtilius mihi sanctæ recordationis prædecessor meus domnus Stephanus papa de fraudulenta ejus fide retulit, inquiens quod omnia illi mentitus fuisset quæ ei in corpus beati Petri jurejurando promisit pro justitiis sanctæ Dei Ecclesiæ faciendis, et tantummodo per suum inimicum [i] argumentum erui fecit oculos Christophori primicerii et Sergii secundicerii filii ejus, suamque voluntatem de ipsis duobus proceribus Ecclesiæ explevit, unde damnum magis et detrimentum nobis detulit [j]? Nam nullum profectum in causis apostolicis impertivit, sed et hoc isdem meus prædecessor pro dilectione quam erga me suum pusillum habuit, mihi retulit quia dum ad eum postmodum suos missos direxisset, videlicet Anastasium primum defensorem et Gemmulum subdiaconum, adhortans eum ut ea quæ præsentialiter beato Petro pollicitus est, adimpleret, taliter ei per eosdem missos direxit in responsis: Sufficit apostolico Stephano quia tuli Christophorum et Sergium de medio, qui illi dominabantur, et non illi sit necesse justitias requirendas [k]. Nam certe, si ego ipsum apostolicum non adjuvero, magna perditio super eum eveniet, quoniam Carolomannus rex Francorum, amicus existens prædictorum Christophori et Sergii, paratus est cum suis exercitibus ad vindicandum eorum mortem Romam properandum [l] ipsumque capiendum pontificem. Ecce qualis est fides Desiderii regis vestri, et cum qua fiducia illi fœderari possimus.

294 Hæc vero eadem beatissimo Adriano præsule prosequente eisdem missis Desiderii regis, illi magis confirmabant sub vinculo sacramenti quod eorum rex omnes justitias quas antefato domno Stephano papæ non fecerat, eidem præcipuo pontifici et summo pastori perficeret, et in vinculo charitatis insolubili connexione cum eo fore permansurum. Quorum juramentis credens ejus beatitudo

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

B, Theodulo. [b] * sanctæ. [c] *B*, tertius. [d] *B*, erectus. [e] A transitu. [f] *B*, Theodoricum. [g] *B*, Tumorum. [h] * colligari. [i] * iniquum. [j] * intulit. [k] * requirendi. [l] * properare.

Digitized by Google

direxit ad eumdem Desiderium regem missos suos pro his omnibus perficiendis, scilicet Stephanum notarium regionarium et sacellarium, atque Paulum cubicularium, et cætera super ista. Quibus egredientibus ab hac Romana urbe, et Perusiam conjungentibus, conjunxit mandatum [a], quod jam fatus Desiderius abstulisset civitatem Faventiam et ducatum Ferrariæ seu Comaclium de exarchatu Ravennate, quas sanctæ memoriæ Pippinus rex et ejus filii Carolus et Carolomannus excellentissimi reges Francorum et patricii Romanorum beato Petro concedentes obtulerunt. Nec enim duo menses præterierunt quod ipse sanctissimus vir pontificatus culmen adeptus est, ita isdem atrocissimus Desiderius easdem abstulit civitates, constringens ex omni parte civitatem Ravennatium et Casales, ac omnia præsidia [b] Ravennatia occupans, cunctaque victualia, familias etiam, seu peculia ipsorum, vel quæque in ipsis præsidiis habere videbantur, abstulit.

295 Et dum nulla remansisset spes vivendi neque Leoni archiepiscopo, neque præfatis Ravennatibus, in magna angustia et famis inopia positis, direxerunt huc Romam suos missos, scilicet Julianum, Petrum et Vitalianum tribunos [c], deprecantes cum magno fletu eumdem sanctissimum pontificem ut qualiter potuisset, eis subveniret, ipsasque decertaret ad recolligendas [d] civitates, assereutes quia si ipsæ civitates non fuerint restitutæ, vivere nullo modo potuissent [e]. Tunc ipse almificus pontifex, dum adhuc prænominati ejus missi essent Romæ, per Stephanum sacellarium et Paulum cubicularium super ista, ut ad prænominatum pergerent regem, direxit eidem regi suas deprecatorias litteras, ut easdem redderet civitates, increpans eum fortiter per sua scripta cur de promissione illa quam per suos missos pollicendo direxerat, mutatus fuisset; etiam quia justitias beati Petri, juxta quod repromiserat, non reddidit. Insuper et civitates illas quas antecessores ejus beatissimi pontifices domnus Stephanus, Paulus et isdem Stephanus detinuerunt, abstulisset.

296 Dum vero talia eidem protervo Desiderio antefatus sanctissimus pontifex deprecando, admonendo et conjurando direxisset, ita illi remisit in responsis quod nisi prius secum eo ipse almificus præsul conjungeret ad pariter loquendum, minime easdem redderet civitates. In ipsis vero diebus contigit uxorem et filios quondam Carolomanni regis Francorum ad eumdem regem Longobardorum fugam arripuisse cum Autcario; et nitebatur ipse Desiderius atque inhianter decertabat quatenus ipsi filii ejusdem Carolomanni regnum Francorum assumpsissent [f]. Et ob hoc sanctissimum præsulem ad se properandum seducere conabatur, ut ipsos antefati Carolomanni filios reges ungeret, cupiens divisionem in regno Francorum immittere, ipsumque beatissimum pontificem a charitate et dilectione excellentissimi Caroli regis Francorum et patricii Romanorum separare, et Romanam urbem cunctamque Italiam sui regni Longobardorum potestate subjugare. Sed favente Deo hoc nullo modo potuit impetrare, quoniam sicut lapis adamas, ita firmus Adrianus exstitit pontifex prænominatus: si quidem Paulus super ista adhuc apud eumdem Desiderium existens, firmiter ei promittebat se ipsum beatissimum papam ad eum deducere, dicens quod si etiam in ejus pedibus funem me adhibere convenerit, eum qualiter potuero, ad tuam deducam præsentiam. Sicque factum est ut, eodem Paulo in eodem itinere existente, palam omnibus fieret qualiter necare fecisset Sergium secundicerium, qui cæcus in cellario erat. Et metuens idem sanctissimus præsul ne ejusmodi nuntium ad aures ipsius personuisset Pauli, et aut ad eumdem regem reverteretur, aut etiam in fines Longobardorum ab ipso itinere declinaret, et aliquam malitiam amplius cum eodem Desiderio in finibus Romanorum atque exarchatu Ravennatium perpetraret (dum nimis dilectus illi ac fidelis existebat), ob hoc direxit antefatus sanctissimus papa clam nimisque secrete Leoni archiepiscopo Ravennatium civitatis per Julianum tribunum, ut dum reverteretur ipse Paulus a Desiderio, eum sive in Ravenna sive in Arimino detinuisset [g], quod et factum est: Revertente enim eo ex eodem itinere in Arimino comprehensus atque in custodia est detentus.

297 Tunc isdem beatissimus pontifex cœpit curiose antefati Sergii secundicerii mortem inquirere, convocansque cunctos cellarios, subtilius eos perscrutatur quomodo ipse Sergius ab eodem cellario abstractus fuisset. Qui respondentes dixerunt: Quia prima noctis hora veniens Calventinus cubicularius cum Tunissone presbytero et Leonatio tribuno, habitatoribus civitatis Anagninæ, ipse eumdem Sergium abstulit, vivente domno Stephano papa, ante octo dies quam de hac luce migrasset, et præfatis Campanis illum tradidit. Confestimque deductus est ad medium isdem cubicularius, et inquisitus quis illi præcepisset eumdem Sergium a præfato abstrahi cellario, et prænominatis Campanis tradendum, respondit a Paulo cubicularius, cognomento Afiarta, et Gregorio defensore regionario, et Joanne duce, ger-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] mandatum, *id est*, nuntium. [b] prædia. [c] tribunum. [d] recolligere. [e] possent. [f] *B*, assumerent. [g] *B*, detineret.

Digitized by Google

mano domni Stephani papæ, atque a Calvulo [a] cubiculario sibi hoc fuisse præceptum, tradi eisdem Campanis.

298 Dirigensque idem sanctissimus præsul suos missos in Campaniam in civitatem Anagninam, adduci fecit prædictos Tunissonem [b] et Leonatium. Qui præsentati apostolicis obtutibus, fortiterque constricti, confessi sunt, dicentes quod a prænominato Paulo cubiculario et Gregorio defensore regionario seu Joanne germano præfati domni Stephani papæ, et Calvulo item cubiculario, et Maligno consentaneo, et sæpefati Pauli illius præceptum fuisset prænominatum Sergium abstollendum ac interficiendum. Protinus direxit ipse sanctissimus pontifex cum prænominatis Campanis suos fidelissimos ministros, ut demonstrarent locum ubi ipsum Sergium interfecerunt atque sepelierunt; et properantes venerunt usque in Merolanam ad arcum depictum, secus viam quæ ducit ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, ibique juxta eumdem arcum aperientes unam sepulturam, demonstraverunt corpus illius Sergii repositum, funeque ejus guttur constrictum, atque ictibus totum corpus ejus vulneratum. Unde non dubie est suffocatum ac semivivum fuisse terra obrutum. Quod cernentes universi primates Ecclesiæ, ac judices militiæ, ascendentes unanimiter cum universo populo in Lateranense patriarchium, prostrati apostolicis vestigiis, obnixe eumdem almificum pontificem deprecati sunt ut vindictam atque emendationem fieri præcepisset de tanto inaudito piaculo, in eo quod præsumpsissent secum hominem sæpius tormentis concrematum crudeliter interficere, quod factum nunquam legitur; asserentes quia si talis flagitii reatus non expiaretur, nimis ipsa impia temeritatis præsumptio in hac Romana urbe pullularet, assumentes ex hoc audaciam perversi homines ut tentarent pejora perpetrare. Tunc præfatus sanctissimus præsul precibus judicum universique populi Romani jussit contradere antefatum Calvulum cubicularium, et prænominatos Campanos præfecto Urbis, ut more homicidarum eos coram universo populo examinaret. Deductique e Elephanto [c] in carcerem publicum, illic coram universo populo examinati sunt.

299 Sicque ipsi Campani, sicut prius, ita et in eadem examinatione confessi sunt. Calvulus vero, obdurans cor suum, vix confessus est ita omnia esse; qui tamen in eodem carcere crudeli morte amisit [d] spiritum. Pro vero amputandis tam intolerabilibus flagitii reatibus missi sunt ipsi Campani Constantinopolim in exsilium.

300 Post hæc jussit antefatus beatissimus papa abstolli corpora Christophori et prænominati Sergii ejus filii, eaque cum honore in ecclesia beati Petri fecit sepeliri. Gesta vero examinationis qualiter proprii reatus noxam confessi sunt jam dictus Calvulus cubicularius et prænominati Campani, direxit antefatus almificus pontifex Ravennam, ut eidem Paulo omnia per ordinem relegerentur. Suscipiens vero Leo archiepiscopus Ravennatium eadem gesta, confestim sine auctoritate apostolica, tradidit eumdem Paulum consulari Ravennatium urbis. Examinatusque coram omnibus Ravennatibus, eadem acta illi relecta sunt, sicque se reum manifestans tanti piaculi, confessus est se perpetrasse noxam. Ita vero isdem Paulus examinatus est, quin etiam nec scientia exinde data est præfato sanctissimo pontifici, neque ab archiepiscopo, neque a quibusdam Ravinianis, sed per alios hoc ejus sanctitas agnovit. Dum vero hoc ageretur, cupiens ipse præcipuus pastor et egregius pontifex salvare animam jam dicti Pauli, ne in æternum periret, ascribi fecit suggestionem suam Constantino et Leoni Augustis magnisque imperatoribus, significans ne ipsius Sergii cæci impia morte, atque deprecans eorum imperialem clementiam ut ad emendationem tanti reatus ipsum Paulum suscipi et in ipsis Græciæ partibus in exsilio mancipatum retineri, præcepissent [e].

301 Direxitque eamdem suggestionem ejus ter beatitudo Leoni archiepiscopo, ut ipsum Paulum Constantinopolim in exsilio sive per Venetias, sive aliunde qualiter potuisset, dirigeret, cum præfata apostolica suggestione. Ipse vero archiepiscopus, insidians vehementer eidem Paulo, adhibuit impiam occasionem, dirigens eidem præcipuo pontifici in responsis: Expedibile non esse eumdem Paulum illuc dirigere, in eo quod Desiderius Longobardorum rex filium Mauricii ducis Venetiarum apud se captum detineret, ne ipse Mauricius, filium suum cupiens ab eodem rege recipere, eumdem Paulum illi vicarium traderet. Ecce qualem occasionem ipse archiepiscopus Ecclesiæ Ravennatium callide adhibuit ut ipsum Paulum exstinguere valeret; sicque remisit ad apostolicam sedem suggestionem illam.

302 Post hæc vero cum ipse sanctissimus præsul direxisset Gregorium sacellarium suum ad Desiderium Longobardorum regem deprecationis atque hortationis causa pro restituendis præfatis ab eo ablatis civitatibus, præcepit ei ut firmiter contestaretur Leonem archiepiscopum quatenus eum conservare studeret Paulum, et cum reverteretur a Ticino, secum eum huc Romam reduceret. Dumque

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * Calventio. [b] * Lavissonem. [c] *B*, e patriarchio præfato in carc. [d] emisit. [e] *B*, præciperent.

Digitized by Google

præfatus Gregorius sacellarius in Ravennatium properasset urbem, constanter ac firmiter protestatus est antefatum archiepiscopum et judices Ravinianos ex præceptione apostolica, in præsentia Anualdi chartularii tunc ibi existentis, civis Romani, qui ibidem missus erat ab apostolica sede, salvum atque incolumem ipsum Paulum reservandum, donec a Ticino reverteretur, asserens sibi fuisse præceptum ab apostolica potestate eum secum Romam deportandum et apostolicis salvum præsentandum obtutibus. Hæc vero ipsum protestans archiepiscopum, cœptum Ticinum profectus est iter; et continuo prænominatus archiepiscopus, accersito consulare Ravennatium civitatis, præcepit ei ipsum interficiendum Paulum. Et dum reversus fuisset sæpefatus sacellarius Ravennamque conjungeret, invenit prænominatum Paulum jam interfectum, pro quo nimis increpavit archiepiscopum eumdem cur præsumpsisset contra apostolicum præceptum taliter de eodem Paulo agere? Post aliquantos itaque dies propria conscientia isdem archiepiscopus tertius direxit prænominato sanctissimo papæ per Julianum tribunum suum missum deprecans apostolicas sibi dirigi litteras ac consolationis monita, quasi nulla illius putaretur culpa de ejusdem Pauli morte, in eo quod sanguis innocentis ultus fuisset. Sed nullo modo potuit ipsum sanctissimum papam pontificem declinare [a]; ita illi dirigens in responsis, Quod ipse videat quid in eodem Paulo operatus est.

303 Nam certe ego animam ejus salvare cupiens, pœnitentiæ eum submitti decreveram. Ideo meum sacellarium direxi huc Romam eum deferendum. Siquidem nominatus Desiderius Longobardorum rex, superbiæ et jactantiæ fastu levatus, qua hora præfatas civitates exarchatus Ravennatium abstulit, confestim direxit multitudinem exercitus, et occupare fecit fines civitatum, id est Senogalliensis, Montefereti, Urbini, Eugubii, et cæterarum civitatum Romanorum, plura homicidia et depræ-dationes atque incendia in ipsis finibus perpetrantes. Nam in civitatem Bleranam dirigens generalem exercitum partium Tusciæ, dum ipsi Blerani in fiducia pacis ad recolligendas proprias segetes generaliter cum mulieribus et filiis atque famulis egrederentur, irruerunt repente super eos ipsi Longobardi, et cunctos primates quanti utiliter [b] in eadem civitate erant, interfecerunt, et prædam multam tam de hominibus quam de peculiis abstulerunt, ferro et igne cuncta in circuitu devastantes. Sed et in finibus Romanæ urbis, ceu et cæterarum civitatum multa mala ac deprædationes isdem Desiderius perpetrare jussit, etiam et castrum Utriculum occupare fecit.

304 Unde sæpius atque sæpius ipse beatissimus præsul tam per obsecrationis [c] litteras, quamque per missos eidem Desiderio direxit, deprecans eum ut a tantis malis resipisceret, et eas quas abstulerat civitates redderet. Ille vero non solum easdem quas occupaverat civitates minime reddere est inclinatus, sed nec ab eadem malitia recedere voluit, non cessans crudeliter multa atque intolerabilia mala finibus Romanorum, ut dictum est, ingerere.

305 Tunc præfatus sanctissimus pontifex, accersiri faciens præfatum religiosum abbatem monasterii sanctæ Dei Genitricis, siti in territorio Sabinensi, cum viginti senioribus Dei servis monachis, direxit eos ad eumdem Desiderium deprecationis causa. Quibus ad eum properantibus, ut ipsi Dei famuli retulerunt, ejus pedibus provoluti coram judicibus Longobardorum cum lacrymis, ex persona antefati vicarii beati Petri eum deprecati sunt ut a tantis malis resipisceret, et præfatas quas abstulit civitates beato Petro redderet. Sed nequaquam ejus lapideum cor deflectere valuerunt. Sicque infructuosi ipsi Dei famuli reversi sunt. Dirigens suos missos Desiderius isdem ad antefatum beatissimum pontificem, id est, Andream referendarium et Stabilem ducem, ut cum eo pariter ad loquendum deberet conjungi; quos suscipiens isdem almificus pastor ita eis respondit, inquiens: Sic regi vestro ex mea persona satisfacite, me vobis firmiter coram Deo omnipotente promittente, quia si prædictas civitates beati Petri quas tempore meo abstulit, mihi reddiderit, continuo sive Ticini, sive Ravennæ, sive Perusiæ, sive hic Romæ, vel etiam ubi illi placitum fuerit ad ejus properabo præsentiam, et cum eo pariter me conjungendum atque colloquendum, quæ ad salutem populi Dei utrarumque partium respiciunt, et si forsitan de hoc dubitationem habet, me cum eo minime debere conjungi. Postquam ipsas civitates reddiderit, si me cum ipso non conjunxero loquendum, licentiam habeat eas denuo occupandi. Nam si prius ipsas civitates non reddiderit, et justitiam nobis minime fecerit, sciat pro certo, meam nequaquam videbit faciem. Unde ecce sequipedes vestros dirigere studebo meos missos ad eumdem vestrum regem, qui easdem recipiant, si reddere voluerit, civitates, et de præsenti qua hora mei missi receptis eisdem civitatibus ad me hoc ipsum nuntiantes reversi fuerint, continuo ad ejus ubi voluerit, ut dictum est, properabo præsentiam ad simul cum eo loquendum.

306 Ipsisque Longobardorum missis properantibus atque ad suum revertentibus regem, di-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] β, inclinare. [b] qui utiles. [c] obsecratorias.

Digitized by Google

rexit ejus ter beatitudo continuo ad eumdem Desiderium regem suos missos ad easdem recipiendas civitates, scilicet Pardum, religiosum egumenum præfectum monasterio beati Sabæ, et Anastasium primum defensorem; præsentatique ejus obtutibus, et ipsi pedibus ejus corruentes, lacrymis profusis eum deprecantes ut antedictas redderet civitates, promittentes ei per apostolicam auctoritatem sub jurejurando quia si eas reddidisset, statim prænominatus almificus pontifex ad eum properaret proficiscendum, ad colloquendum pariter. Sed per nullam rationem ejus ferreum pectus et durissimam mentem mollire [a] potuerunt; nihilque recipientes sine effectu reversi sunt. Tamen non desistebat antedictus pontifex suos missos ad eum per hoc ipsum dirigendum tam [b] de sacerdotibus quamque de singulis religiosi habitus ordinibus; sed nihil apud eum impetrare valuerunt: potius permanens in sua iniquitate multis civitatibus ac finibus Romanorum inferre faciebat ex omni parte mala et magnas comminationes, dirigens eidem præcipuo pontifici se cum universis Longobardorum exercitibus properaturum ad Romanam civitatem constringendam. Pro quo nimio fletu ipse sanctissimus pontifex cum suo populo positus, portas civitatis Romanæ claudi jussit et alias ex eis fabricari fecit [c].

307 Et dum in magna angustia ac tribulatione consisteret, necessitate compulsus, direxit suos missos marino itinere cum apostolicis litteris ad excellentissimum Carolum a Deo protectum regem Francorum et patricium Romanorum, deprecans ejus excellentiam ut sicut suus pater sanctæ mem. Pippinus, et ipse succurreret atque subveniret sanctæ Dei Ecclesiæ, et afflictæ Romanorum seu exarchatus Ravennatium provinciæ, atque plenarias beati Petri justitias et abstultas [d] civitates ab eodem Desiderio rege exigeret. [e] At vero dum per nullam occasionis versutiam potuisset isdem malignus Desiderius persuadere antefatum sanctissimum pontificem ad se eum deducendum, ut antefati Caroli Magni filios reges unxisset, et ipsum almificum pontificem a charitate et dilectione suæ prefati Christianissimi Caroli Magni regis separare voluisset. Tunc pertinacia et audacia egressus a suo palatio cum Adalgiso proprio filio et exercitu Longobardorum, deferens secum et uxorem et filios sæpedicti quondam Carolomanni, necnon et Autcharium, qui ad eum, ut dictum est, fugam arripuerant: hic vero Romam properare nitebatur, sine scientia antedicti pontificis dirigens suos missos, scilicet prænominatum Andream referendarium, et alios duos ex suis judicibus, ejus adventum denuntiantes. Quibus Romam conjungentibus, præsentatisque apostolicis obtutibus, tale eis reddidit responsum: quod nisi ut jam illi promisit, reddiderit beato Petro civitates illas quas sub meo tempore abstulit, et plenariam parti nostræ fecerit justitiam, nullo modo sit illi necesse fatigationem sumendi, quia minime fieri potest me prius cum illo præsentari.

308 Suscipiens vero isdem Desiderius hoc responsum, nequaquam exinde repedavit, sed cœptum Romam carpebat iter. Cujus jam adventum appropinquantem [f] cognoscens sanctissimus ipse præcipuus pastor, aggregans universum populum Tusciæ, Campaniæ et ducatus Perusini, et aliquantos de civitatibus Pantapoleos, munivit hanc civitatem Romanam, omnesque armati parati erant: ut si ipse rex adveniret, ei fortiter cum Dei auxilio et beati Petri, fulti orationibus prædicti sanctissimi præsulis, illi resisterent. Nam ecclesias beati Petri et Pauli exornare [g] fecit ejus sanctitas, et cuncta eorum cimilia et ornatus in hanc civitatem Romanam introduxit, claudi faciens omnes januas ecclesiæ beati Petri, et deintus ferris supponi ac muniri jussit: ut si ipse protervus rex sine licentia et permisso pontificis advenisset, minime aditum in eamdem ecclesiam introeundi haberet, nisi brachio forti ad suæ animæ interitum ipsas confringeret januas. Dumque hæc omnia disposuisset exemplo facto in scriptis anathematis verbo direxit eidem Desiderio regi tres episcopos, id est, Eustratium Albanensem, Andream Prænestinum et Theodosium Tiburtinæ civitatis, protestans eum in eodem obligationis exhortationisque verbo, et adjurans per omnia divina mysteria, ut nullo modo in finibus [h] Romanorum sine ejus absolutione ingredi aut concalcari præsumpsisset [i], neque ipse, neque quispiam Longobardorum, sed nec Autcharius Francus. Susceptoque eodem obligationis verbo per antefatos episcopos, ipse Longobardorum rex illico cum magna reverentia a civitate Viterbiense confusus ad propria reversus est. Post hæc conjunxerunt ad sedem apostolicam missi sæpius dicti Caroli excellentissimi regis Francorum et patricii Romanorum; id est, Georgius sanctissimus episcopus, Gulfardus religiosus abbas et consiliarius, seu Albinus deliciosus ipsius regis, inquirentes si præfatus Longobardorum rex abstultas [j] civitates et omnes justitias beati Petri reddidisset, sicut false in Franciam dirigebat, asserens se omnia reddidisse.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] flectere. [b] pro hoc ipso ad eum dirigere tam. [c] *muro scilicet clauat.* [d] ablatas. [e] *Vide Baron ad ann* 773. [f] appropinquasse. [g] exornare, *id est*, nudare ornatu. [h] fines. [i] *B*, præsumeret. [j] ablatas.

Digitized by Google

309 Et satisfacti sunt præsentialiter, nihil ab eo redditum fuisse. Quibus reverens isdem præcipuus pontifex cuncta quæ gesta erant; eos in Franciam absolvit remeandos, dirigens cum eis suos missos ad præfatum excellentissimum Francorum regem, cum apostolicis admonitionum syllabis, adjurans eum fortiter ut ea quæ beato Petro cum suo genitore sanctæ memoriæ Pippino rege pollicitus est, adimpleret, et redemptionem sanctæ Dei Ecclesiæ perficeret, seu universa quæ ablata [a] sunt a perfido Longobardorum rege, tam civitates quam reliquas justitias, sine certamine [b] reddere beato Petro principi apostolorum fecisset [c]. Ipsi itaque Francorum missi properantes cum apostolicæ sedis missis declinaverunt ad prænominatum Desiderium. Qui et constanter eum deprecantes adhortati sunt, sicut illis a suo rege præceptum exstitit, ut antefatas, quas abstulerat, civitates pacifice beato Petro redderet, et justitias parti Romanorum fecisset [d]. Sed minime quidquam horum apud eum obtinere valuerunt, asserens se minime quidquam redditurum. Accepto itaque responso hoc, reversi sunt ipsi antefati missi Francorum in regionem suam.

310 Properantes simul et apostolicæ sedis missi, qui subtilius cuncta referentes et de maligno proposito prænominati Desiderii annuntiantes antefato excellentissimo et a Deo protecto Carolo Magno regi, confestim isdem mitissimus et re vera Christianissimus Carolus Francorum rex direxit eidem Desiderio suos missos, id est deprecans ut easdem, quas abstulerat, pacifice redderet civitates, et plenarias parti Romanorum faceret justitias: promittens insuper ei tribui quatuordecim millia auri solidorum, quantitatem in auro et argento. Sed neque deprecationibus neque muneribus ejus ferocissimum cor flectere valuit. Nihil enim obtinentes ipsi missi Francorum ad præfatum suum Christianissimum regressi sunt regem. Tunc aggregans ipse a Deo protectus Carolus Magnus rex universam regni sui Francorum exercituum [e] multitudinem, atque ad occupandas clusas ex eodem suo exercitu dirigens, ipse quoque cum pluribus fortissimis bellatoribus Francis per montem Cinisium ad easdem appropinquavit clusas, et remotus in finibus Francorum cum suis exercitibus resedit. Jam dictus vero Desiderius, et universa Longobardorum exercituum [f] multitudo ad resistendum fortiter in ipsis clusis assistebant, quas fabricis et diversis maceriis curiose munire nisi sunt. At vero qua hora prænominatus Christianissimus Francorum rex ad easdem appropinquavit clusas, illico denuo suos missos ad præfatum direxit Desiderium, deprecans, sicut pridem, ut quantitatem prædictorum solidorum susciperet rex, et easdem pacifice redderet civitates. Sed nequaquam penitus acquiescere maluit, et dum in tanta duritia protervus ipse permaneret rex Desiderius, cupiens antedictus Christianissimus Francorum rex pacifice justitias beati Petri recipere [g], direxit eidem Longobardorum regi, ut solummodo tres obsides Longobardorum judicum filios illi tradidisset pro illis restituendis civitatibus, et continuo sine ulla inferta malitia [h], aut commisso prælio ad propria cum suis Francorum exercitibus reverteretur. Sed neque sic valuit ejus malignam mentem flectere. Unde omnipotens Deus, conspiciens ipsius maligni Desiderii iniquam perfidiam atque intolerabilem proterviam dum vellent Franci alio die ad propria reverti, misit terrorem et validam trepidationem in cor ejus vel filii ipsius, Adalgisi scilicet, et universorum Longobardorum, et eadem nocte, dimissis propriis tentoriis atque omni supellectile, fugam omnes generaliter nemine eos persequente arripuerunt. Quod cernentes exercitus Francorum persecuti sunt eos et plures ex eis interfecerunt. Ipse vero Desiderius quantocius cum suis judicibus velociori cursu fugiens, atque Papiam conjungens, ibidem se cum suis judicibus et multitudine populi Longobardi recludi studuit. Et muniens muros ipsius civitatis ad resistendum Francorum exercitibus, et propriam defendendam civitatem cum suis Longobardis se præparavit. Adalgisus [i] vero ejus filius, assumens secum Autcharium Francum et uxorem atque filios sæpedicti Carolomanni, in civitate quæ Verona nuncupatur, pro eo quod fortissima præ omnibus civitatibus Longobardorum esse videretur, ingressus est.

311 Porro Longobardi reliqui dispersi in proprias reversi sunt civitates: nam Spoletini et Reatini aliquanti eorum utiles personæ antequam Desiderius, seu Longobardorum ejus exercitus ad clusas pergerent, illi ad beatum Petrum confugium facientes, prædicto sanctissimo Adriano papæ se tradiderunt, et in fide ipsius principis apostolorum, atque prædicti sanctissimi pontificis jurantes more Romanorum, tonsurati sunt [j]. Etiam et reliqui omnes ex eodem ducatu Spoletino inhianter desiderabant se tradendum [k] in servitio beati Petri sanctæque Romanæ Ecclesiæ. Sed metuentes suum regem nequaquam ausi sunt perpetrare, unde dum a clusis fugam arripuissent, omnesque exinde de diversis civitatibus ducatus Spoletini reversi essent, confestim generaliter ad præ-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] ablata. [b] suo cert. [c] faceret. [d] * faceret. [e] * exercitus. [f] * exercitus. [g] restituere. [h] *B* inserta militia. [i] *B*, Aldegisus. [j] *Tonsurati*, quod Longobardi solutos crines habebant. [k] tradere.

Digitized by Google

fatum almificum Pontificem confluentes advenerunt, ejusque provoluti pedibus obnixe sanctam ipsius ter beatitudinem deprecati sunt ut eos in servitio beati Petri sanctæque ejus Romanæ Ecclesiæ susciperet et more Romanorum tonsurari faceret.

312 Quos suscipiens profectus est cum eis in ecclesiam beati Petri, et omnes unanimiter a magno usque ad parvum sub indiculo [a] sacramenti jurejurando promiserunt eidem Dei apostolo in servitio ejus, atque antedicti vicarii ipsius sanctissimi Adriani papæ, atque omnibus successorum ejus pontificum fideliter permansuros cum filiis et cuncta eorum generatione. Tunc post præstitum sacramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt. Et confestim ipse ter beatissimus bonus pastor et pater cum omnibus exsultans constituit eis ducem quem ipsi propria voluntate sibi elegerunt, scilicet Hildeprandum nobilissimum, qui prius cum reliquis ad apostolicam sedem refugium fecerat.

313 Et ita Deo annuente prædictum ducatum Spoletinum generaliter suo certamine isdem præclpuus pontifex sub jure et potestate beati Petri subjugavit. Sed et omnes habitatores tam ducatus Firmani, Auximani et Anconitani, simulque et de castello Felicitatis [b], et ipsi dum a clusis Longobardorum fugientes reversi sunt ad præfatum sanctissimum pontificem concurrentes ejus se ter beatitudini tradiderunt, præstitoque sacramento in fide et servitio beati Petri atque ejus vicarii antefati almifici Adriani papæ successorumque ejus pontificum fideliter permansuros, more Romanorum tonsurati sunt.

314 At vero sæpefatus Christianissimus Carolus Francorum rex movens cum suis generalibus exercitibus, atque Papiam conjungens civitatem, eam ex omni parte circumdans vallavit, dirigensque continuo [c] in Franciam ibidem apud se Papiam adduci fecit suam conjugem excellentissimam Hildegardam reginam et nobilissimos filios. Et dum agnovisset fugam arripuisse in Veronam prænominatum Adalgisum, relinquens plurimam partem ex suis exercitibus Papiæ, ipse quoque cum aliquantis fortissimis Francis in eamdem Veronam properavit civitatem. Et dum illuc conjunxisset, protinus Autcharius et uxor atque filii sæpius nominati Carolomanni propria voluntate eidem benignissimo Carolo regi se tradiderunt· eosque recipiens ejus excellentia denuo repedavit Papiam. Qui confestim dirigens cuneos exercituum bellatorum comprehendit diversas civitates Longobardorum ultra Padum constitutas suæque redegit potestati. Et dum per sex mensium spatium ipse Francorum rex Papiæ demoraretur in obsessione ipsius civitatis, magnum desiderium habens ad limina apostolorum properandi, considerans quod et sacratissima paschalis festivitas appropinquasset, tunc abstollens secum diversos episcopos et abbates, etiam et judices, duces nempe et graphiones, cum plurimis exercitibus hic Romam per Tusciæ partes properavit, ita festinanter adveniens, ut in ipso Sabbato sancto se liminibus præsentaret apostolicis. Cujus adventum audiens antedictus beatissimus Adrianus papa, quod sic repente ipse Francorum advenisset rex in magno stupore et exstasi deductus, direxit in ejus occursum universos judices ad fere triginta millia ab hac Romana urbe, in locum qui vocatur Novas, ubi eum cum bandora susceperunt [d].

315 Et dum appropinquasset fere uno milliario a Romana urbe, direxit universas scholas militiæ una cum patronis simulque et pueris qui ad discendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque olivarum, laudesque omnes canentes, cum acclamationum earumdem laudum vocibus ipsum Francorum susceperunt regem. Obviam illi ejus sanctitas dirigens venerandas cruces, id est signa, sicut mos est ad exarchum aut patricium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero a Deo institutus benignissimus Carolus Magnus Francorum rex et patricius Romanorum qua hora easdem sacratissimas cruces ac signa sibi obviam advenisse conspexit, descendens de equo quo sedebat, ita cum suis judicibus ad beatum Petrum pedestris properare studuit. Quod quidem almificus antedictus pontifex diluculo surgens in eodem Sabbato sancto cum universo clero et populo Romano ad beatum Petrum properavit ad suscipiendum eumdem Francorum regem, et in gradibus ipsius apostolicæ aulæ eum cum clero suo præstolatus est

316 Conjungente vero eodem excellentissimo ac benignissimo Carolo rege, omnes gradus sigillatim ejusdem sacratissimæ beati Petri ecclesiæ deosculatus est, et ita usque ad prænominatum pervenit pontificem, ubi in atrio super gradus juxta fores ecclesiæ assistebat. Eoque suscepto mutuo se amplectentes, tenuit isdem Christianissimus Carolus rex dexteram manum antedicti pontificis. Et ita in eamdem venerandam aulam beati Petri principis apostolorum ingressi sunt, laudem Deo et ejus excellentiæ decantantes, universus clerus et cuncti religiosi Dei famuli extensa voce acclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, etc. Sicque cum eodem pontifice ipse Francorum rex simulque et omnes episcopi, abbates et judices, et universi Franci qui cum eo advenerant, ad confessionem

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] vinculo. [b] Fulcinatis. [c] concite. [d] bandora, *militare signum*.

Digitized by Google

beati Petri appropinquantes, seseque proni ibidem prosternentes, Deo nostro omnipotenti et eidem apostolorum principi propria reddiderunt vota, glorificantes divinam potentiam in eo quod talem per interventionum suffragia ejusdem principis apostolorum concedere jussit victoriam. Expleta vero eadem oratione, obnixe deprecatus est isdem Francorum rex antedictum almificum pontificem illi licentiam tribui Romam ingrediendi ad sua orationum vota per diversas Dei ecclesias persolvenda. Et descendentes pariter ad corpus beati Petri tam ipse sanctissimus papa quamque antefatus excellentissimus Francorum rex cum judicibus Romanorum et Francorum, seseque mutuo per sacramentum [a] munientes, ingressus est Romam continuo cum eodem pontifice ipse Francorum rex cum suis judicibus et populo in eodem Sabbato sancto.

317 Et in basilica Salvatoris juxta Lateranis [b] pariter ingressi ibidem ipse excellentissimus rex cum omnibus suis quousque sancti baptismatis sacramentum antedictus ter beatissimus pontifex celebravit. Et ita postmodum ad beatum Petrum ipse beatissimus repedavit rex.

318 Alio vero die illucescente Dominico sancto, in ipsa sacratissima paschali festivitate direxit diluculo ipse sanctissimus præsul cunctos judices et universa obsequia militiæ ad eumdem regem, et cum magno honore eum suscipientes in ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe properavit cum omnibus qui cum eo advenerant Francis. Et post missarum solemnia celebrata perrexit cum prænominato pontifice in Lateranense patriarchium, illicque ad mensam apostolicam pariter epulati sunt. Alio vero die secunda feria simili modo in ecclesia beati Petri more solito ipse conspicuus Pater et egregius pontifex missarum solemnia celebrans, Deo omnipotenti et præfato Carolo excellentissimo regi Francorum et patricio Romanorum laudes reddere fecit. Tertia vero die, juxta ut mos est, in ecclesia beati Pauli apostoli missas eidem regi fecit. At vero quarta feria egressus prænominatus pontifex cum suis judicibus tam cleri quamque militiæ in ecclesia beati Petri apostoli, pariterque cum eodem rege se ad loquendum conjungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit, et paterno affectu adhortari studuit, ut promissionem illam quam ejus sanctæ memoriæ genitor Pippinus rex, et ipse præcellentissimus Carolus cum suo germano Carolomanno atque omnibus judicibus Francis fecerant beato Petro et ejus vicario sanctæ memoriæ domno Stephano juniori papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiæ provinciæ, et contradendis beato Petro ejusque omnibus vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus; cumque ipsam promissionem quæ in Francia in loco qui vocatur Carisiacus facta est, sibi relegi fecisset, complacuerunt illi et ejus judicibus omnia quæ ibidem erant adnexa, et propria voluntate, bono ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus præcellentissimus et re vera Christianissimus Carolus Francorum rex ascribi jussit per Etherium religiosum ac prudentissimum capellanum et notarium suum, ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro, easque præfato pontifici contradi spopondit, per designationem confinium, sicut in eadem donatione continere monstratur, id est a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in [c] Verceto, deinde in Parma, deinde in Rhegio, et exinde in Mantua, atque monte [d] Silicis, simulque et universum exarchatum Ravennatium sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istriam, necnon et cunctum ducatum Spoletinum et Beneventanum.

319 Factaque eadem donatione, et propria sua manu ipse Christianissimus Francorum rex eam corroborans, universos episcopos, abbates, duces, etiam et Graphones in ea ascribi [e] fecit. Quam prius super altare beati Petri, et postmodum intus in sancta ejus confessione ponentes tam ipse Francorum rex tamque ejus judices, beato Petro et ejus vicario sanctissimo Adriano papæ, sub terribili sacramento sese omnia conservaturos quæ in eadem donatione continentur, promittentes tradiderunt. [f] Apparem ipsius donationis per eumdem Etherium ascribi faciens ipse Christianissimus rex Francorum, intus super corpus beati Petri subtus Evangelia, quæ ibidem osculantur pro firmissima cautela et æterna nominis sui ac regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit. Aliaque ejusdem donationis exempla per scriniarium hujus sanctæ nostræ Ecclesiæ descripta, ejus excellentia secum deportavit. Reversusque cum suis exercitibus Ticinum, ipse excellentissimus Francorum rex fortiterque debellans, atque obsidens civitatem Papiam, dum ira Dei super omnes Longobardos qui in eadem civitate erant, grassaretur atque sæviret, et plures de languoribus seu mortalitatis clade defecissent, ita Dei nutu eamdem civitatem, simulque et Desiderium Longobardorum regem, atque cunctos qui cum eo erant ipse excellentissimus Francorum rex comprehendit, et suæ potestati cunctum regnum Longobardorum

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Sacramenta. [b] Lateranum. [c] *B*, inde in. [d] *B*, ponte. [e] B. eam subscribere. [f] Apparem, *id est* exempla.

Digitized by Google

subjugavit. Præfatum vero Desiderium Longobardorum regem et ejus conjugem secum in Franciam deportavit. Erat enim sæpefatus beatissimus pontifex amator ecclesiarum.

320 Hic enim coangelicus vir fecit in ecclesia beati Petri apostoli vestem miræ pulchritudinis ex auro et gemmis, habentem præfiguratam historiam qualiter beatus Petrus a vinculis per angelum ereptus est. Item in eadem basilica ab introitu de rugas usque ad confessionem pavimentum vestivit de argento purissimo, quod pens. libras centum quinquaginta. Fecit etiam in eadem ipsa basilica beati Petri juxta januas majores argenteas cortinas miræ magnitudinis de palliis stauracin seu quadrapolis. Nam et per universos arcus ejusdem apostolorum principis basilicæ de palliis tyriis atque fundatis fecit vela numero sexaginta quinque. Denique ejus beatitudo fecit et pharum majorem in eadem B. Petri ecclesia in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas et septuaginta. Et constituit ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accendatur, id est in Nativitate Domini, in Pascha, in natali apostolorum, et in natali pontificis.

321 Itemque præfatus sanctissimus præsul fecit in ea basilica calicem fundatum argenteum, pens libras quinque, quem et posuit in presbyterio pro eo qui perierat temporibus domni Pauli papæ. Nam et in ecclesia beati Andreæ apostoli, sita juxta eamdem beati Petri apostoli ecclesiam cyburiam noviter ex argento mundissimo ipse ter beatissimus pontifex fecit, qui pens. libras centum triginta quinque. Itaque et in ecclesia beati Pauli apostoli investivit corpus ejusdem doctoris mundi ex laminis argenteis, pens libras triginta.

322 Quas addidit isdem sanctissimus præsul, quoniam argentum illud, quod primitus erat, nimis confractum existebat. Item fecit in eadem basilica beati Pauli apostoli cortinam majorem juxta januas principales ex palliis quadrapolis ad instar cortinæ, quam in Ecclesia beati Petri fecit. Sed et aliam cortinam majorem fecit et palliis quadrapolis, quæ pendet sub arcu majore juxta altare; etiam et per diversos arcus ipsius ecclesiæ ex palliis quadrapolis fecit vela numero septuaginta. Atrium vero ipsius beati Pauli ecclesiæ, quod ante desolatum existebat, ubi boves atque caballi ingrediebantur ad pabulandum propter herbam quæ ibidem nascebatur, inspiratus a Deo isdem sanctissimus pontifex ex marmoribus pulchris sternere fecit. In ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe fecit vestes duas super altare majore, unam ex auro purissimo atque gemmis, habentem assumptionem sanctæ Dei Genitricis, et aliam de stauracin [a] ornatam in circuitu blattin [b]. Fecit in ea ecclesia et cortinas majores ex palliis quadrapolis [c] ad similitudinem quam in ecclesia sancti Petri fecit.

323 Sed et per diversos arcus ejusdem basilicæ sanctæ Dei Genitricis simili modo ex palliis quadrapolis fecit vela numero quadraginta duo. In basilica vero Salvatoris Domini nostri Jesu Christi juxta Lateranis similiter fecit vestem de stauracin seu cortinam majorem ex palliis quadrapolis, sed et per diversos arcus vela Syrica numero quinquaginta septem, omnia ex palliis quadrapolis seu stauracin. Fecit in ecclesia beati Laurentii martyris foris muros, scilicet ubi sanctum ejus corpus requiescit, vestem de stauracin, et in ecclesia Majore aliam similiter fecit vestem. Nam et tectum ejusdem beati Laurentii basilicæ martyris, quod jam distectum erat, et trabes ejus confractæ, noviter fecit. In basilica autem beati Valentini simili modo fecit vestem de stauracin. In basilica beati Pancratii aliam simili modo de stauracin fecit vestem. In ecclesia vero beati Marci, cujus tectum jam vetustate positum vicinum ruinæ existebat, depositis vetustissimis trabibus, et aliis impositis, noviter ipsum tectum atque porticus in circuitu fecit, eamdemque ecclesiam restauravit. Arcus vero tres, qui vetustissimi erant, addens isdem beatissimus pontifex argenti libr. duodecim, noviter fecit. Fecit etiam in eadem ecclesia super altari majore vestem de stauracin, sed et per diversos arcus ejusdem ecclesiæ ex palliis quadrapolis fecit numero vela viginti septem, simulque et coronam ex eisdem palliis quadrapolis, quæ pendet sub trabe, fecit.

324 Tectum vero basilicæ beati Laurentii. . . . . ad Taurellum, dum nimis vetustissimum inerat, omnes ejus trabes novas ibidem posuit illudque restauravit. Simulque et vestem de quadruplo super altare ejusdem ecclesiæ fecit atque obtulit. Basilica vero beati Felicis posita in Pincis, quæ in ruina erat, et tectum ejus distectum existebat, facto eodem tecto noviter ipsam ecclesiam renovavit, et vestem super altare ejusdem ecclesiæ de quadrapolis faciens obtulit. Renovavit etiam et tectum basilicæ sancti Laurentii, quam Damasi vocant, ubi et vestem super ejus altare de stauracin, simulque et aliam vestem de post altare fecit, ubi requiescit corpus sancti Damasi. Basilicæ itaque apostolorum in via Lata porticus in circuitu renovavit, quas antea initiaverat ejus prædecessor domnus Paulus papa, et non expleverat, omnia Deo propitio præfatus beatissimus pontifex reparavit, simulque et tectum majus restauravit. Nam absidam ipsius ecclesiæ cernens isdem beatissimus pontifex

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * stauracio. [b] * blattis. [c] * quadraplis, vel quadruplis.

Digitized by Google

jam ruinæ vicinam existentem, cancalis ferreis eamdem absidam confirmari fecit, et ita eam renovavit. Fecit vestem in eadem ecclesia super altari majori de stauracin.

325 Cœmeterium item beatorum Petri et Marcellini via Lavicana, juxta basilicam beatæ Helenæ, renovavit, et tectum ejus, id est sancti Tiburtii et eorumdem sanctorum Petri et Marcellini, noviter fecit, et gradus ejus qui descendunt ad eorum sacratissima corpora, noviter fecit, quoniam nullus erat jam descensus ad ipsa sancta corpora. Fecit in basilica beati Adriani cerostata argentea, pens. libr. duodecim, simulque et laudunas [a] duas ex argento, pens. libras octo, quas posuit super rugas de presbyterio, ubi arcus de argento existit. Fecit etiam et vestes duas de stauracin, unam super altare beati Adriani, et aliam super altare sanctæ Martinæ, sed et vela de palliis quadrapolis numero quindecim in eadem ecclesia fecit. Tectum denique tituli beatæ Priscæ, quod jam casurum erat et in ruinis positum, noviter fecit, ubi et vestem de stauracin fecit. In ecclesia vero beatorum Cosmæ et Damiani in Tribus Fatis vestem de stauracin fecit, simulque et cortinam ante absidam ex palliis quadrapolis fecit, necnon et vela ex eisdem quadrapolis fecit numero viginti, et linea viginti. Nam et per diversos titulos seu alias ecclesias atque cunctas diaconias, et quantascunque infra murum hujus Romanæ urbis existunt, divina inspiratione ignitus ipse sanctissimus pontifex ex palliis, id est stauracin seu tyriis, vestes fecit atque obtulit.

326 Et sicut bonus pastor omnes Dei ecclesias tam extra muros hujus Romanæ urbis quamque infra muros ad laudem Dei restauravit atque decoravit; verum etiam et muros atque turres hujus Romanæ urbis, quæ dirutæ erant et usque ad fundamenta destructæ, renovavit, atque utiliter omnia in circuitu restauravit: ubi et multa stipendia tribuit tam in mercedes eorum qui ipsum murum fabricaverunt, quamque in ipsorum alimentis, simulque et in calce atque diversis utilitatibus usque ad centum auri libras expendit. Hic beatissimus præsul, divina inspiratione ignitus, constituit in monasterio sancti Stephani quod barbara patricia, sito ad beatum Petrum apostolum, congregationem monachorum, ibi et abbatem idoneam personam ordinans. Statuit ut sedulas laudes in ecclesia beati Petri persolvant, sicut et cætera tria monasteria, ut duo monachi pro latere ipsius ecclesiæ Deo nostro canant laudes, quoniam ipsum monasterium in magna desidia et neglectu incuriaque positum erat, et nullum divinum officium cultu ibidem exhibebatur.

327 Hic beatissimus præsul fecit atque constituit noviter domos cultas quatuor. Unam quidem, quæ vocatur Capreorum [b], positam in territorio Vigentano, milliario ab urbe Roma plus minus quinto decimo, ex qua primitus fundum ipsum Capracorum cum aliis pluribus fundis ei cohærentibus ex hæreditaria parentum suorum successione tenere videbatur. Ejus proprii olim existentes, ubi et alios plures fundos seu casales et massas, data juxta recompensationem ad vicem, a diversis personis emere et eidem domui cultæ addere visus est. Quam videlicet domocultam Capracorum cum massis, fundis, casalibus, vineis, olivetis, aquæmolis [c], et omnibus ei pertinentibus statuit per apostolicum privilegium sub magnis anathematis obligationibus, ut in usum fratrum nostrorum Christi pauperum perenniter permaneat, et triticum et hordeum quod annue in locis ejusdem domocultæ natum fuerit, diligenter in horreo sanctæ nostræ ecclesiæ deferatur et sequestratim reponatur. Vinum vero seu diversa legumina quæ in prædiis ac locis ipsius antefatæ domocultæ annue nata fuerunt, simili modo curiose in paracellario prænominatæ sanctæ nostræ ecclesiæ deducantur et separatim reponantur.

328 Sed et porcos qui annue in casalibus sæpius dictæ domocultæ inglandati fuerint, capita centum exinde occidantur, et in eodem paracellario reponantur. Decernens ejus ter beatitudo atque promulgans sub validissimis obligationibus, interdictionibus, ut omni die centum fratres nostri Christi pauperum, etiamsi plures fuerint, aggregentur in Lateranensi patriarchio; et constituantur in porticu quæ est juxta scalam quæ ascendit in patriarchio, ubi et ipsi pauperes depicti sunt, et quinquaginta panes pens. per unumquemque panem libras duas, simulque et decimatas vini duas, pensantes per unamquamque decimatam libras sexaginta, et caldaria plena de pulmento erogentur omni die per manus unius fidelissimi paracellarii eisdem pauperibus, accipiens unusquisque eorum portionem panis atque portionem vini, id est, cuppam capientem calices duos, necnon et carnem de pulmento: ita videlicet statuens ejus almifica beatitudo promulgavit una cum sacerdotali collegio, ut in nullis aliis utilitatibus ex frugum redditibus vel diversis peculiis antefatæ domocultæ erogetur aut expendatur, nisi tantummodo in propriis subsidiis et quotidianis alimentis prædictorum fratrum nostrorum Christi pauperum cuncta proficiant atque perenniter erogentur. Alias vero tres domocultas, videlicet, Galeria posita via Aurelia, milliario ab urbe Roma plus minus decimo, ad sanctam Rufinam, cum fundis et casalibus, vineis, olivetis aquimolis, vel omnibus ei pertinentibus. Reliquas vero duas, id est, aliam

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *al.*, laudanas. [b] B. Capracorum. [c] aquimolis.

Digitized by Google

Galeriam positam via Portuensi, milliario ab urbe Roma plus minus duodecimo, cum fundis et casalibus, vineis, aquimolis, seu monasterium beati Laurentii, positum in insula portus Romani, cum vineis ei pertinentibus, simulque et lecticariam, quæ vocatur Asprula. Verum etiam et aliam domum cultam, quæ vocatur Calvisianum, cum fundis et casalibus, vineis, olivetis, aquimolis et omnibus ei pertinentibus, posita via Ardeatina, milliario ab urbe Roma plus minus quinto decimo. Quas videlicet tres domos cultas, scilicet Galeriam, Calvisianum et aliam Galeriam, statuit ejus ter beatitudo per apostolicum privilegium, sub validis anathematis obligationibus, ut in usu et propria utilitate sanctæ nostræ Ecclesiæ perenniter permaneant.

329 At vero cum omnibus spiritualibus studiis quæ isdem ter beatissimus atque almificus pontifex tam pro augmento et utilitate et profectibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ perficiendis, quamque pro restaurationibus ecclesiarum Dei et divini cultus melioratione gerere videbatur, magnam etiam sollicitudinis curam et amoris affectum in sanctam ac venerandam patriarchii domum certum est habuisse. Unde ex nimia fervoris dilectione pro honore beati Petri apostolorum principis et ornatu ipsius sancti patriarchii, construxit atque ædificavit ibidem noviter turrem miræ pulchritudinis, decoratam cohærenti porticu, quæ descendit ad balneum. Ubi et deambulatorium, scilicet solarium suum cum cancellis æreis nimis pulcherrime construi fecit; sed et porticum ipsam, quæ vetustate diruta inerat, nimis utiliter renovavit. Et picturis atque marmoribus eamdem turrem et cuncta ædificia ab eo noviter constructa decoravit.

330 Itaque isdem ter beatissimus et revera præcipuus Pater atque bonus pastor egregiusque præsul, tanto amoris affectu fervens erga nutritorem suum beatum Petrum principem apostolorum, dum cunctum ornatum ejusdem apostolicæ aulæ tam in præclaris ex auro et gemmis vestibus, seu diversis palliis et aliis ornamentis ex auro et argento in eadem apostolica aula fecit atque obtulit. Etiam et omnes ejus gradus majores, qui ascendunt in atrium, simulque et ex duabus porticibus, quæ ascendunt in eamdem ecclesiam, ex utriusque lateribus renovavit; sed et cunctum pavimentum ipsius ecclesiæ, ubi marmora confracta erant, adhibitis aliis pulcherrimis melioribus marmoribus, renovavit. Porticus vero ex utriusque lateribus suprascriptæ ecclesiæ, in quibus confractæ trabes inerant, et tectum ruinæ vicinum positum erat, positis novis trabibus ipsum tectum noviter faciens restauravit. Fecit etiam ter beatitudo ejus imagines sex ex laminis argenteis investitas, ex quibus tres posuit super rugas quæ sunt in introitu ecclesiæ presbyterii, ubi et regularem ex argento investito fecit, et posuit super eumdem regularem præfatas tres imagines, in medio quidem unam existentem habentem depictum vultum Salvatoris, et ex utriusque lateribus imagines habentes depictas effigies, unam beati Michaelis, et aliam beati Gabrielis Angelorum. In superiori vero ruga, id est in medio presbyterii, faciens aliam regularem ex argento investito, constituit super eum reliquas tres imagines in medio quidem habentem præfiguratum vultum sanctæ Dei Genitricis, et ex duobus lateribus unam, habentem vultum depictum sancti Andreæ apostoli et aliam sancti Joannis evangelistæ; utrasque vero sex imagines, ut dictum est, de laminis argenteis nimis pulcherrime factas deauravit, in quibus imaginibus posuit argenti libras centum.

331 At vero jam per evolutis viginti annorum spatia forma quæ vocatur Sabbatina nimis confracta existens, per quam decurrebat aqua per centenarium in atrio ecclesiæ beati Petri apostoli, simulque et in balneo juxta eamdem ecclesiam sito, ubi et fratres nostri Christi pauperes, qui ad accipiendam eleemosynam in Paschalem festivitatem annue occurrere et lavari solebant, et ex qua diversæ molæ in genuculo machinabantur [a] aqua ex eadem forma, neque in atrium beati Petri, neque infra civitatem decurrebant, dum ipsa forma, ut dictum est, diruta exstitit, ob centum arcus ipsius formæ magnæ altitudinis constructos, et a fundamentis demolitos atque destructos, ut jam nulla spes videretur esse eosdem arcus vel fractam formam reædificandi atque restaurandi : ipse beatissimus ac sanctissimus præsul, aggregans multitudinem populi, per semetipsum ad fabricandum atque restaurandum eamdem formam præparavit, et tantam curam ac sollicitudinem in ejusdem formæ fabrica exhibuit, quod etiam noviter a fundamento eam renovavit atque restauravit, et confestim centenarium illud quod ex eadem forma in atrio ecclesiæ beati Petri decurrebat, dum per nimiam neglectus incuriam plumbum ipsius centenarii furtim jam plurima ex parte exinde ablatum fuisset, reliquum plumbum conquassatum protinus isdem præcipuus pastor addita multitudine plumbi ipsum centenarium noviter fecit, et Deo auspice aqua in atrio beati Petri, simulque et in præfato balneo, verum etiam et intus civitatem, id est in genuculo, ubi molæ machinabantur, sicut antiquitus abundanter decurrere fecit. Simulque isdem beatissimus pontifex fecit in basilica beati Pauli apostoli ex laminis argenteis imagines tres,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] macinabant.

Digitized by Google

quæ ponuntur super rugas in introitu presbyterii. Unam quidem habentem vultum depictum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi; et ex utrisque lateribus imagines depictas habentes effigies angelorum, qui pens. libr. viginti quatuor. Fecit et in basilica apostolorum, in via Lata, vela de palliis syricis numero viginti, et linea viginti. In ecclesia vero beati Laurentii martyris atque levitæ foris muros hujus civitatis Romanæ fecit vela ex palliis syricis num. 20 et linea 20. Nam et in ecclesia beatæ Dei Genitricis ad Martyres simili modo vela de palliis syricis numero viginti, et linea viginti. Item isdem sanctissimus pontifex fecit per diversos titulos vela de stauracin seu tyria per unumquemque titulum numero viginti, et linea viginti, quæ fiunt simul vela syrica numero quatuor centum et quadraginta.

332 Ipse vero præcipuus pontifex fecit imagines ex laminis argenteis deauratis habentes effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ posita est super introitu basilicæ beati Petri apostoli, ubi portæ argenteæ existunt, quæ pens. libras quinquaginta. Nam et per diversas diaconias fecit simili modo vela stauracia seu tyria pro unaquaque diaconia numero sex, quæ fiunt simul vela numero nonaginta sex. Item isdem sanctissimus præsul formam quæ Jobia [a] vocatur, quæ per evoluta viginti annorum spatia nimis confracta jacebat a fundamentis restaurare fecit. Simili modo fecit et in basilica beati Pancratii martyris, quæ est foris muros hujus civitatis Romanæ, vela de stauraci seu tyria numero triginta octo, et linea triginta octo; et in basilica beati Stephani protomartyris in Cœlio monte fecit vela de stauracin, seu tyria numero viginti, et linea viginti. Sed et in basilica beati Apollinaris simili modo vela de octaplo numero decem, et linea decem. Item in basilica beati Valentini martyris, quæ sita est foris muros hujus civitatis Romanæ, similiter fecit vela de stauracin, seu octapli numero viginti duo, et linea viginti duo.

333 Dum vero forma quæ Claudia vocatur per annorum spatia demolita esse videbatur, unde et in balneis Lateranensibus de ipsa aqua lavari solebat, et in baptisterio ecclesiæ Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et in plures ecclesias in die sancto Paschæ decurrere solebat: et dum modica aqua de prænominata forma intus civitatem decurrebat, prospiciens præcipuus et coangelicus præsul, aggregans multitudinem populi ex partibus Campaniæ, per semetipsum ad fabricandum atque restaurandum eamdem formam totis viribus properavit, ut tantam curam ac sollicitudinem in ejusdem formæ fabrica exhibuit, qui etiam noviter eam renovavit atque restauravit, et confestim ex eadem forma aquæ in præfata balnea etiam et intus civitatem, sicut antiquitus, abundanter decurrere fecit. Hujus temporibus defunctus Leoninus consul et dux, postmodum vero monachus ob veniam suorum delictorum, tres uncias massæ Aratianæ [b], qua ex hæreditate parentum suorum fruebatur, sitas ab hac Romana urbe milliario sexto decimo, via Ardeatina, in quo et ecclesiam beati Edisti esse dignoscitur, quam ipse beatissimus papa magnæ constructionis fabricis decoravit, ampliavitque in easdem tres uncias suprascriptæ massæ Aratianæ alias sex uncias a Petro comite, atque Agnete relicta Agathonis Scriniarii, Theodatæ relictæ quondam Dominici Perfecturii [c]. Fines etiam ex omni parte conquisivit. Data enim digna compensatione nemini vim inferens, sed magis, ut condecet patri, cuncta secus eumdem locum amica pactione emit prædia. Et domum cultam beato Petro eumdem locum jure perpetuo statuit permanendum. Quem et domum cultam sancti Edistii vocant usque in hodiernum diem.

334 Pariter etiam et massa quæ vocatur Acatiana, quæ juxta eamdem domum cultam esse videtur, ab eodem Leonino beato Petro concessa est. Item ipse ter beatissimus præsul in basilica majori, quæ appellatur sanctæ Dei Genitricis, qui aderat juxta basilicam beati Laurentii martyris atque levitæ, ubi ejus sanctum corpus requiescit foris muros hujus civitatis Romæ, obtulit vela de stauracin seu quadrapolis numero quindecim, et linea quindecim.

335 Tectum vero tituli beati Clementis, quod etiam casurum erat et in ruinis positum regionis tertiæ, noviter restauravit, necnon et basilicam beati Silvestri confessoris atque pontificis, sitam in Orphea, quæ jam in ruinis posita erat, et tectum ejus dirutum existebat, facto eodem tecto, noviter ipsam ecclesiam renovavit. Simili modo et in famosissima totoque orbe terrarum præclara veneranda basilica beati Petri apostolorum principis, dum per olitana tempora vetustissimas trabes quæ ibidem existebant, cerneret isdem præcipuus pontifex, mittens Januarium vestiarium suum, cognoscens eum idoneam personam, cum multitudine populi mutavit ibidem trabes numero quatuordecim, atque totum ejusdem basilicæ tectum et porticus noviter restauravit.

336 Hic idem almificus præsul, divina inspiratione repletus atque misericordia motus, formæ quæ Virginis appellatur, dum per annorum spatia demolita, atque a ruinis plena existebat, vix modica aqua

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Jovia. [b] * Aricinæ. [c] *B*, præfectori.

Digitized by Google

in urbem Romam ingrediente, prospiciens, sicut benignissimus et pius pastor, noviter eam restauravit, et tantam abundantiam aquæ effudit, ut pene totam civitatem satiavit. Tectum denique basilicæ beati Januarii martyris, sitæ ad portam beati Laurentii martyris atque levitæ, noviter restauravit. Item in cœmeterio beatorum martyrum Abdon et Sennen, foris portam Portuensem, vestem de stauracin fecit atque obtulit.

337 Hic enim coangelicus vir, divina inspiratione ignitus, constituit diaconias tres foris portam beatorum apostolorum principis, id est, unam quidem sanctæ et gloriosæ semper virginis Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ, quæ sita est in Atriano [a]; aliam vero suprascriptæ et intemeratæ dominæ nostræ, quæ sita est foris portam beati Petri apostoli in caput porticus; necnon et aliam diaconiam, quæ appellatur sancti Silvestri, juxta hospitale sancti Gregorii. Quas suprascriptas diaconias hic almificus vir in abditis sine misericordiæ fructu reperiens, noviter restauravit. Ubi et dona plurima mobilia atque immobilia pro remedio animæ suæ obtulit, et constituit ut per unamquamque hebdomadam, quintæ feriæ die, cum psallentio [b] a diaconia usque ad balneum pergerent, et ibidem dispensatione per ordinem pauperibus consolari atque eleemosynam fieri. Imo hic ipse sæpius nominatus sanctissimus præsul in basilicæ vasis electionis beati Pauli apostoli cernens existentes trabes per prisca tempora vetustas ad modicumque ruituras, fecit sicut superius in basilica beati Petri principis apostolorum, cuncta disponens per Januarium fidelissimum vestiarium suum cum multitudine populi. Sed et ipse ter beatissimus pastor per semetipsum frequentans totam noviter restauravit, et mutavit trabes majores numero triginta quinque, et per circuitum ejusdem ecclesiæ noviter restauravit.

338 Hic autem ter beatissimus et apostolicus vir dum diligentissima exquisitione sua reperisset monasterium Honorii papæ in nimiam desolationem per quamdam negligentiam venire, divina inspiratione motus, noviter ædificavit atque ditavit, et abbatem cum cæteris monachis regulariter ibidem vitam degentes ordinavit, et constituit eos ut in basilica Salvatoris, quæ et Constantiniana dicta est, juxta Lateranense patriarchium posita, officia celebrarent, hoc est matutinam horam, primam, tertiam, sed et nonam etiam et vespertinam, ab uno choro quidem, qui dudum singulariter in utroque psallebant monachi ex monasterio sancti Pancratii ibidem positi, et ab altero choro monachi jam fati monasterii sancti Andreæ, et Bartholomæi, Honorii papæ, quatenus piis laudibus pariter psallentes, hymniferis choris læti resonent cantus, reddentes Domino gloriosos melos, persæpius memorantes venerandi pontificis nomen, scilicet in sæcula memoriale ejus pangentes carminibus.

339 Hic idem sanctissimus præsul in domoculta, quam Capracorum vocant, quam ex jure proprio suo obtulit pro alimoniis pauperum beato Petro apostolorum principi nutritori suo, a solo fundavit, atque ædificavit ecclesiam, simulque speciose ornavit, et in nomine ejusdem Deo factori suo dedicavit, recondens in ea reliquias ex vestimentis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et ejusdem Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, atque duodecim apostolorum, et aliorum venerabilium martyrum, in cuam sacratissimam ecclesiam cum cuncto suo senatuque Romano pergens cum nimia gloria seu exsultatione pariter ovantes, et in pauperes Christi ibidem magnam consuetam eleemosynam faciens translatavit atque introduxit in eam corpora sanctorum martyrum simulque pontificum, videlicet corpus sancti Cornelii martyris et pontificis, successorisque ejus sancti Lucii martyris atque pontificis, et corpus sancti Felicis simili modo martyris seu pontificis, pariterque corpus sancti Innocentii confessoris atque pontificis. Quos ut patronos in Domino almus sacer pontifex ob amorem sanctæ sedis apostolicæ, in qua et præsederunt, sicut decuit, honoravit. Necnon et tectum tituli beatæ Susannæ martyris, inter duas domos situm juxta sanctum Quiriacum, quod jam casurum erat et in ruinis positum, noviter restauravit. Simili modo et titulum beati Cyriaci martyris, ecclesiam sancti Laurentii ad Formosam pariter a novo restauravit.

340 Imo et basilicam Salvatoris, quæ et Constantiniana vocatur, juxta Lateranense patriarchium in ruinis positam, una cum quadriportis suis atriisque, et fontes noviter, sicut ecclesias beatorum principum Petri et Pauli, renovavit, in qua et mutavit trabes majores numero quindecim. Item hic idem almificus præsul monasterium sancti Laurentii, quod in Palatinis in desertis reperit, noviter restaurans, atque in omnibus ditans, conjunxit cum alio monasterio juxta ipsum posito, scilicet sancti Stephani, quod cognominatur Baganda, et ordinavit monachos, et constituit ut in titulo beati Marci pontificis atque confessoris officio fungerentur, id est matutina hora, prima, tertia, et sexta, atque nona, seu vespertina, psallerent pro requie animæ suæ : sed et in prædicta basilica beati Marci fecit alios arcus argenteos numero sex, pens. simul libr. quinquaginta quinque, pariterque et calices ministeriales a catholica procedentes ex auro purissimo reparavit, pensantes libras novem et semis.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, attio. [b] Psallentio, *id est*, cantu psalmorum.

Digitized by Google

341 Hic quippe præsagus vir, considerans plurimi populi salutem, super ripam fluminis porticum quæ ducit ad beatum Petrum apostolum, arctam et angustam existentem, per quam viam transeuntes ad eumdem beatum apostolorum principem Petrum perveniebant, plus quam duodecim millia tufos in littore alvei fluminis in fundamentis ponens, a solo usque ad summum tectum miræ magnitudinis porticum reparavit et usque ad gradus beati Petri restauravit. Diaconiam vero sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ Scholæ Græcæ, quæ appellatur Cosmedin, dudum brevem in ædificiis existentem sub ruinis positam restauravit; nam maximum monumentum de Tiburtino tufo super eam dependens, per anni circulum plurimam multitudinem populi congregans, multorumque lignorum struem incendens, demolitus est, simulque collectionem ruderum mundans a fundamentis ædificans, prædictamque basilicam ultro citroque spatiose largans, tresque absidas in ea constituens, præcipuus antistes, veram Cosmedin amplissimam a novo reparavit. Pariterque et titulum beati Laurentii martyris, quam Lucinæ dicunt, seu ecclesiam beati Martini, sitam juxta titulum sancti Silvestri; simulque et basilicam beati Agapiti martyris, foris muros juxta sanctum Laurentium positam, reparavit: quæ præfatæ ecclesiæ a priscis temporibus marcescentes, in ruinis mole defecerant; quas præcipuus antistes, fervens in amore Spiritus sancti in omnibus, una cum porticibus earum a novo nimio decore renovavit. Verumetiam tituli sancti Sixti, sed et basilicæ sancti Adriani a novo simili modo renovavit ædes. Et basilicam beati Pancratii martyris, nimia vetustate dirutam atque ruinis præventam, isdem almificus in integrum a novo nimio decore una cum monasterio sancti Victoris ibidem situm restauravit. Item præcipuus præsul basilicam sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, quæ a priscis temporibus tota marcuerat, ultro citroque restauravit, et in sarta tecta ejusdem ecclesiæ posuit trabes majores viginti.

342 Simili modo et basilicam sancti Eusebii undique renovavit. Cameram vero beati Petri apostolorum principis, in omnibus destructam atque dirutam, exemplo olitano exculpens, diversis coloribus a novo fecit. Porticum vero quæ ducit ad beatum Paulum apostolum a porta una cum ecclesia sancti Eupli usque ad prædictam basilicam sancti Pauli a novo restauravit. Imo et porticum quæ ducit ad sanctum Laurentium foris murum a porta usque in eamdem basilicam a novo construxit. Hic idem almificus Pater eamdem basilicam sancti Laurentii martyris, ubi sanctum corpus ejus requiescit, annexam basilicæ majori, quam dudum isdem præsul construxerat, ultro citroque a novo restauravit. Imo et ecclesiam sancti Stephani juxta eas sitam, ubi corpus sancti Leonis episcopi et martyris quiescit, similiter et undique renovavit, una cum cœmeterio beatæ Cyriacæ, seu ascensum ejus. Verum etiam et basilicam Hierusalem, quæ in Sessoriano sita est, et olitanas ejus, quæ marcuerant, trabes, mirifice, ipsas mutans, in omni restauravit parte. Pariter et templum apostolorum, quod appellatur Eudoxiæ ad Vincula, totam ejus a novo restauravit ecclesiam. Imo et basilicam sanctæ Rufinæ et Secundæ, quæ ponitur in episcopio Silvæ Candidæ, quæ olitana vetustate marcuerat, una cum baptisterio summo studio renovavit: videlicet et basilicam beati Petri apostoli, sitam via Appia in Silice ultra sanctum Thomam apostolum, non procul a tricesimo, desolatione ruinisque præventam a novo una cum baptisterio restaurans, mole magnitudinis decoravit.

343 Pariter et basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani, sitam in Tribus Fatis, quia nimia vetustate similiter trabes ejus marcescentes defecerant, a novo totam restauravit. Et ecclesiam beati Joannis Baptistæ, sitam juxta portam Latinam, ruinis præventam in omnibus a novo renovavit. Verumetiam et ecclesiam apostolorum foris portam Appiam milliario tertio, in loco qui appellatur Catacumbas, ubi corpus beati Sebastiani martyris cum aliis quiescit, in ruinis præventam a novo restauravit. Imo et titulum Pudentis, id est ecclesiam sanctæ Potentianæ in ruinis positam noviter reparavit; sed et basilicam sancti Theodori, sitam intra Velum, juxta domum cultam Sulpitianam; necnon et basilicam sancti Petri positam in massa Merulana, per olitana dirutas tempora, a solo renovavit.

344 Hujus denique temporibus defunctus Mastalus primicerius reliquit pro anima sua in potestate prædicti pontificis pauperibus Christi de sua propria hæreditate erogari; quare uno consensu hæredes prædicti Mastalis dederunt atque venundarunt eidem magno præsuli cum fundis atque casalibus ecclesiæ sancti Leucii portionem eis competentem, positam via Flaminia milliario ab urbe Roma plus minus quinque, et in auro solidos mancusos numero ducentos. Quorum et provinciam jam fati Mastali hæredes Christo dederunt. Portio vero Gregorii secundicerii, quam in suprascriptis casalibus sancti Leucii habere dignoscebatur, pro secundicerii honore eidem almo præsuli ab eodem Gregorio concessa est, et dum ipsa sancti Leucii ecclesia in ruinis eximiis atque vepribus circumvallata perisset, a novo eam restaurans, miræ magnitudinis domocultam ibidem beato Petro nutritori suo ædificavit, et in perpetuum concessit, et ea in fines ampliavit tam ex hæreditate Paschalis quamque ex commutatione hæredibus quondam Luciæ, seu Joannis primicerii, vel diversorum locorum facta. Hic fecit in basilica

Digitized by Google

beatæ Petronillæ ad beatum Petrum apostolum arcus argenteos sex, pensantes libras quinquaginta. Titulum vero sanctæ Praxedis ex parte ruentem in integrum renovavit. Imo et basilicam sanctæ Eugeniæ tam intus quamque foris a novo restauravit.

345 Simili modo et basilicam sancti Gordiani atque Epimachi, seu cœmeterium ejusdem ecclesiæ Simplicii atque Semiliani, atque Quarti et Quinti martyrum, et beatæ Sophiæ una cum cœmeterio sancti Tertulliani foris portam Latinam a novo renovavit, necnon et ecclesiam beati Tiburtii et Valeriani, atque Maximi, seu basilicam sancti Zenonis una cum cœmeterio sanctorum Urbani pontificis, Felicissimi et Agapiti, atque Januarii et Cyrini martyrum foris portam Appiam uno cohærentes loco, quæ ex priscis marcuerant temporibus, a novo restauravit. Itemque titulum sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, quæ vocatur Calixti trans Tiberim, a novo in integrum ex omni restauravit parte; simili modo et titulum sancti Marcelli, via Lata situm, a novo restauravit. Et basilicam cœmeterii sanctorum martyrum Hermetis, Prothi et Hyacinthi, atque basilicam miræ magnitudinis innovavit. Cœmeterium vero sanctæ Felicitatis via Salaria, una cum ecclesiis sancti Silvani martyris, et sancti Bonifacii confessoris atque pontificis, uno cohærentes solo, miræ restauravit magnitudinis. Sed et basilicam sancti Saturnini, in prædicta via Salaria positam, una cum cœmeterio sanctorum Chrysanti et Dariæ renovavit, atque cœmeterium sanctæ Hilariæ innovavit, imo et cœmeterium Jordanorum, videlicet sanctorum Alexandri et Vitalis, et Martialis martyrum, seu sanctarum septem Virginum a novo restauravit. Pariter in eadem via Salaria cœmeterium sancti Silvestri confessoris atque Pontificis, aliorumque sanctorum multorum, in ruinis positum renovavit; necnon et ecclesiam sancti Felicis, positam foris portam Portuensem, a novo restauravit. Simulque et basilicam sanctorum Abdon et Sennen, atque beatæ Candidæ, una cum cæteris sanctorum cœmeteriis in idipsum pariter renovavit. Idem egregius præsul præfatus basilicam scilicet beati Adriani martyris, et sanctorum Cosmæ et Damiani, a novo restauravit. Diaconias constituit, in quibus et multa bona fecit per suam sempiternam memoriam, concedens eis agros, vineas, oliveta, servos, ancillas et peculia diversa, atque res mobiles, ut de reditu eorum crebris exactionibus diaconiæ proficientes pauperes Christi reficerentur.

346 In præfata vero diaconia sancti Adriani obtulit in argento canistra duodecim, amam unam, scyphum unum, patenam unam, calicem unum, amulam offertoriam unam, pens. libr. sexaginta et septem. Item per nimis solertem curam atque industriam aquæductus Sabbatinæ a novo formatæ a fundamento ædificans fautori suo beato Petro apostolo fluentem aquam perduxit, tam in fontem basilicæ, qui per vehicula implebatur, quam in atrium ejusdem basilicæ et simul balneum in utilitatem peregrinorum ibidem servientium procurans. Imo et basilicam sancti Secundini, positam in urbe Prænestina, ubi corpus ejus quiescit, in ruinis positam a novo restauravit.

347 Pariter etiam et in basilica beati primi martyris Stephani, sita in Cælio monte, quæ per olitana tempora marcuerant, maximas in ea trabes vasta mole, quin etiam porticus mirifice intrinsecus et extrinsecus a novo renovavit. Porro et in basilica beatæ Eugeniæ, quam jam dudum ejus renovaverat almitas, solertem in ea gerens curam, monasterium puellarum noviter ibidem a fundamentis ædificans, constituit ut jugiter illic Deo canerent laudes, videlicet hora prima, tertia, sexta, nona, vespera, matutina. In qua et plura obtulit dona, id est, agros, vineas, domos, servos et ancillas, diversisque peculiis et cæteris mobilibus rebus dotavit. Sed et in titulo Pammachii sanctorum Joannis et Pauli, quæ per elapsos marcuerant annos, omnia sarta tecta ejusdem tituli renovavit.

348 Hic vero egregius sacerdos ob nimium amorem confessionem beati Petri totam intus ex auro purissimo in laminis diversisque historiis compte ornavit, pondera trecentarum librarum ponens, et in postem superius ejusdem sacræ confessionis auri mundissimi libras tredecim, pari modo et in ipsius apostoli confessionis liminari inferiori libras viginti quinque. Aspectum vero altaris super eamdem confessionem, atque dextra, lævaque parte juxta gradus jam dictæ confessionis addens in ea argenti libras centum triginta sex curiose [a] renovavit ejusque historias ex auro purissimo libras decem et octo nitidissime decoravit. Simulque et cantharas in eadem Dei ecclesia Apostoli numero decem renovavit, addens in eis argenti libras centum. Ante januas vero argenteas fecit canistros argenteos duodecim, pensan. libras triginta sex. Simili modo et in turre canistros argenteos duodecim, pens. inibi libr. quadraginta quinque, in eadem quippe beati Petri ecclesia per diversas coronas fecit delphinos ex argento libras centum.

349 Et in ecclesia beati Pauli apostoli instar eorum quos posuerat in ecclesia sancti Petri, del-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, cariosum.

Digitized by Google

phinos posuit argenteos librarum centum octuaginta; pariter et in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, fecit delphinos argenteos librarum triginta. Fecit et in ecclesia beati Petri per diversa oratoria canistra argentea numero duodecim, pensan. simul libras quadraginta. Et rugas in presbyterio a parte virorum et mulierum ex argento purissimo, pensan. libras centum triginta, necnon et alias rugas in caput presbyterii ante confessionem ex argento, pensan. simul centum et quatuor. Et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ trans Tiberim fecit canistra argentea quinque, pens. simul libras quindecim. Enimvero in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ est ad Præsepe, in altari ipsius præsepii fecit laminas ex auro purissimo historiis depictis, pensan. simul libras centum quinque, ex argento intus suprascriptæ confessionis tabulas duas, pensan. simul libras quindecim.

350 Ecclesiam vero beatæ Agnetis martyris, seu basilicam beatæ Emerentianæ, pariter etiam et ecclesiam beati Nicomedis, sitam foris portam Numentanam, simul et cœmeterium beati Hippolyti martyris juxta sanctum Laurentium, quæ a priscis marcuerant temporibus, a novo renovavit. Pari modo et ecclesiam beati Christi martyris Stephani, sitam juxta prædictum cœmeterium sancti Hippolyti, similiter restauravit. Fecit vero et in confessione beati Pauli apostoli ex auro purissimo imaginem in modum Evangeliorum intus super ejusdem sacratissimum corpus, pensan. libras viginti.

351 Idem vero omnium bonorum præcipuus præsul a novo dedicavit atque constituit monasterium sanctorum Adriani atque Laurentii, quod in ruinis marcescebat a priscis temporibus, et tanquam crypta a sæcularibus inhabitabatur. Ipse vero egregius antistes a novo id restauravit in prædictorum sanctorum, videlicet Adriani et Laurentii, nomine, in quo et multa donavit tam in auro quamque et in argento, seu in agris atque in familiis diversisque peculiis simulque et ex mobilibus. Et constituit in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ ad Præsepe, et in cæteris monasteriis ibidem constitutis, Deo die noctuque canentes solitas dicere laudes. Fecit ibidem præsagus antistes in confessione beati Laurentii martyris foris murum imaginem ex auro purissimo in modum Evangeliorum, ejusdem beati Laurentii effigies continentem, quæ pensan. libras quindecim.

352 In ecclesia vero Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, fecit ante vestibulum altaris aureas tres gabatas, pensan. libras decem. Sed et in basilica beatæ Dei Genitricis ad Præsepe fecit delphinos argenteos per diversas coronas, pens. libras viginti quatuor. Præstantissimus idem eximius antistes fecit in ecclesia beati Petri apostoli ad corpus imaginem, quæ dudum ex argento inerat, Salvatoris, sanctæ Dei Genitricis, sanctorum apostolorum Petri ac Pauli atque Andreæ, de auro purissimo miræ magnitudinis, pensan. libras ducentas.

353 Hic elegantissimus præsul atque fortissimus rectæ fidei prædicator direxit missos suos, videlicet presbyterum Petrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Petrum religiosum abbatem venerabilem monasterii sancti Sabæ, quod appellatur Cella Nova, ad imperatorem Constantinum et matrem ejus Irenam, adhortans eos atque fideliter prædicans per suas apostolicas litteras pro sacris imaginibus erectionem, qualiter per testimonia Scripturarum seu traditionem probabilium Patrum a priscis temporibus usque hactenus orthodoxe venerantur in sancta catholica et apostolica Romana Ecclesia; quod præfati imperatores, eamdem venerantes atque amplectentes apostolicam epistolam, concilium in Nicæa congregari fecerunt trecentorum quinquaginta episcoporum, qui secundum doctrinam prædicationis apostolicæ epistolæ nimirum crediderunt. Hi promulgantes censuerunt et per synodum universalem definierunt unanimi assertione pro honorandis imaginibus erectionem. Quam synodum jam dicti missi in Græco sermone secum detulere una cum imperialibus sacris manibus propriis subscriptam, eamque prædictus egregius antistes in Latinam linguam translatari jussit, et in sacra bibliotheca pariter recondi, dignam ibi orthodoxæ fidei memoriam æternam faciens. Hic idem eximius papa altare beati Pauli apostoli una cum ejusdem confessoris foribus auro mundo sacris decorans historiis mirifice ornavit, pens. libr. centum triginta; sed et sarta tecta tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, quæ in ruinis existebant, trabes ibidem plures imponens, omnia a novo restauravit. Item fecit patenam et calicem in basilica beati Petri apostoli pro quotidianis ministeriis ex auro purissimo, pens. simul libr. viginti quatuor. Item beatissimus vir fecit in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe patenam et calicem sanctum ex auro obryzo, pens. libras viginti. Item in titulo Eudoxiæ, videlicet beati Petri apostoli ad Vincula, fecit canistra duodecim, pens. libras triginta sex, et delphinos per diversas coronas triginta quinque, pens. libras octo; pariterque et ecclesiam beatæ Sabinæ, sitam in territorio Ferentinello, a novo reparavit. Hic ipse almificus præsul fecit in basilica beati Pauli apostoli patenam ex auro obryzo, cum calice sancto, pensan. simul libras viginti.

354 Similiter et in ecclesia beati Laurentii martyris foris murum fecit ex auro purissimo patenam cum calice sancto, pensan. simul libras quindecim. Item diaconiam sanctorum Sergii et Bacchi ejusdem diaconiæ dispensator, propter metum templi, quod situm super eas videbatur, evertens super eamdem ecclesiam a fundamentis ipsam basilicam exterminavit. Quam restaurare minime valens,

Digitized by Google

misericordia motus ab eorum martyrum amore præsagus antistes, a fundamentis in ampliorem restauravit, decore nimium statum. Basilicam vero monasterii beati Anastasii Christi martyris, una cum baptisterio et egumenarchio cæterisque ædificiis per incuriam monachorum nocturno silentio exustam a fundamentis usque ad summum tectum cum audivit misericordissimus præsul, valde diluculo velociter currens, reperit eam adhuc ardentem et solummodo arcam ejusdem martyris erutam in media curte jacentem; cætera vero sanctuaria seu ministeria tam in ecclesia quam in vestiario ab ipso igne conflagrata sunt. Qui nimio mœrore cum suis ministerialibus certatim exstinguens ignem, confestim viribus totis a flammiferis ruinis erutam a novo in meliorem statum prædictam ecclesiam cum vestiario et egumenarchio cæteraque ædificia renovavit. Et amplius in ea sanctuaria atque ministeria et ornamenta majora quam quæ ibidem combusta sunt, contulit.

355 Ipse vero Deo, ut dicitur, protectus præsul, conspiciens muros hujus civitatis Romanæ per olitana tempora in ruinis positos, et per loca plures turres usque ad terram eversas, per suum solertissimum studium totas civitates tam Tusciæ quamque Campaniæ congregans, una cum populo Romano ejusque suburbanis, necnon et toto ecclesiastico patrimonio, omnibus prædicans et dividens ex sumptibus dapibusque apostolicis, totam Urbem in circuitu restaurans, universa renovavit atque decoravit; præsertim et in altari majori ecclesiæ beati Petri apostoli fecit ex auro purissimo diversas historias, pens. libras quingentas nonaginta septem; et intus in confessione imaginem in modum Evangeliorum ex auro obryzo, pensan. libras viginti simul; et cancellos ante eamdem confessionem ex auro purissimo, pensan. libras quinquaginta sex: qui fecit simul in altari intus in sacra ultro citroque confessione imaginem in modum et Evangeliorum necnon et in postibus inferioribus et superioribus atque cancellis, simul etiam et circa corpus ex auro obryzo libras mille trecentas viginti octo.

356 In vicesimo enim præfati eximiii pontificis anno, mense Decembris, indictione 15, fluvius Tiberis a suo egressus alveo intumescens sese per campestria dedit; qui etiam præ nimia inundatione portam quæ dicitur Flaminia ingressus, ipsam a fundamentis evellens portam, usque ad arcum qui vocatur Tres Faccicelas eam deduxit, interea et muros in aliquibus transcendit locis, atque ultra basilicam sancti Marci evertens porticum quæ vocatur Palatina, et per plateas se extendens usque ad pontem Antonini, ipsumque evertens murum, egressus in suo se iterum univit alveo, ita ut in via Lata amplius quam duas staturas ejusdem fluminis aqua excrevisset, atque ad portam beati Petri usque ad pontem Milvium aquæ descenderant, juxta remissam vim ipsius fluminis reddidit. Domos itaque evertit, agros desertavit, evellens et eradicans arbusta et segetes. Nam nec serere pars maxima Romanorum valuit ipso tempore, et per hoc imminebat tribulatio magna. Quo audito ipse præcipuus præsul hoc quoniam per triduum ipsum flumen quasi per alveum per civitatem currebat, se nimis in lamentationibus dedit, et humi in orationem prostratus persistens, misertus Dominus ejus orationibus post triduum cessavit. Sed per plures dies aqua Romam detinuit invasam; qui ipse præcipuus antistes, divina permotus inspiratione, per naviculas morantibus via Lata cibos advexit, ut non fame necarentur, eo quod minime suis domiciliis exire nequibant præ nimia altitudine aquarum. Postmodum vero arefacta aqua omnes ex ipsa regione via Lata in domo consolatus est. Idem vero sacratissimus præsul portas æreas majores miræ magnitudinis decoratas studiose a civitate Perusina deducens in basilicam beati Petri apostoli ad turrem compte erexit. Sed et in titulo beati Marci nutritori suo fecit patenam et calicem sanctum de auro purissimo, pensan. libras undecim; imo et calices argenteos quatuor, pensan. libras duodecim.

357 Præterea in basilica beatorum Cosmæ et Damiani similiter patenam et calicem ex auro obryzo, pensan. libras pariter undecim, obtulit. Verum etiam et in diaconia sancti Adriani patenam et calicem ex auro mundo contulit, pensan. simul libras undecim. Fecit autem et in diaconia sancti Adriani martyris arcus de argento duos, pensan. libras viginti. Et in basilica sanctæ Martinæ arcus de argento tres, pensan. libras triginta. Imo et in ecclesia semper virginis Mariæ, quod ad Martyres vocatur, renovavit cyburium de argento, quod ex vetustate consumptum erat, et addidit in eo argenti libras sexaginta, et in pristinum eum erexit noviter locum. Sed et arcum in eadem venerabili ecclesia fecit de argento, pensan. libras duodecim. Hic beatissimus pontifex omnia utiliter noviterque fecit tam in eleemosynis pauperum quamque in ornamentis sanctarum ecclesiarum proficiens. Verum etiam cursum consummans atque fidem orthodoxam solertissime servans, Dei vocatione vitam finiens ad æternam migravit requiem. Qui fecit ordinationes duas per mensem Martium; presbyteros viginti quatuor, diaconos septem, episcopos per diversa loca numero centum octuaginta quinque; et sepultus est in basilica beati Petri apostoli vii Kal. Januarii, indict 4. Fuit autem temporibus Caroli Magni regis

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 291, *lin.* 2, a propinquo suo Theodoro. *lin.* 3, post antedictæ. *ibid.*, nam a primævæ ætatis. *lin.* 4, castitate et modestia. *lin.* 7, instanter egenis. *lin.* 9, et spiritalem operationem.

Num. 293, *lin.* 2, Eburegias. *lin* 9, tantummodo in suæ inimicitiæ argumentum. *lin.* 12, nobis intulit. *lin.* 13, pro dilectione quam. *lin.* 17, non est illi necesse justitias requirere. *lin.* 21, credere possumus.

Num 294, *lin* 6, cubicularium, et tunc super istam. *lin* 8, Comiacclum. *lin* 11, postquam ipse. *lin* 13, prædia Ravinianorum.

Num 295, *lin* 4, recolligere civitates. *lin* 6, missi Stephanus sacellarius, et Paulus super ista ad prænominatum pergerent regem. *lin* 11, et isdem Stephanus *abest.*

Num 296, *lin* 4, filios quosdem. *lin* 5, tunc nitebatur. *lin* 10, suo regno et Longobardorum potestate.

Num 297, *lin* 6, Campaninis eum tradidit. *lin* 7, abstrahere, *etc.* tradere.

Num 298, *lin* 8, qui est secus. *lin* 11, dubium non est. *lin* 14, de tam inaudito.

Num 300, *lin* 9, examinatoque, *etc.* acta illi relata. *ibid.*, quæ etiam scientia.

Num 301, *lin* 1, ejus beatitudo. *lin* 7, Vicaneum.

Num 302, *lin* 3 *et* 4, salvum eum conservare. *lin* 5, 6, prætextavit antefato. *lin* 8, conservaret, *etc.* deportare, *etc.* præsentare, *et infra* interficere. *lin* 15, territus derexit. *lin* 16, litteras consolationis modo. *lin* 19, operatus sit.

Num 303, *lin* 1, summittere. *lin* 9, quanti vitales. *lin* 12, perpetrari, occupari.

Num 304, *lin* 1, obsecratorias.

Num 305, *lin* 7, direxit sæpius suos. *lin* 10, promisisse. *lin* 19, in præsenti hora, in qua.

Num 306, *lin* 2, ejus beatitudo. *lin* 3. Sabinæ. *lin* 6 *et* 7, festinaret, proficiscere ob conloquendum pariter. *lin* 9, pro hoc ipso ad eum dirigere. *lin* 11, sed potius permanens. *lin* 13 *et* 14, de quo nimio fletu.

Num 307, *lin* 5, ablatas civitates. *lin* 7, antefato, *etc.* ad se eum deducere, ut antefati Carolomanni filios. *lin* 9, tunc pertinaci audacia. *lin* 17, fastigium sumendi.

Num 308, *lin* 6, resisterent. *lin* 14, concalcari. *lin* 20, alicujus. *ibid.*, ablatas.

Num 309, *lin* 1, satisfaciebant præsentaliter. *lin* 2, Franciam permisit remeare dirigens cum eis. *lin* 6, ablata, et alibi quoties abstulta. *lin* 6, 7, suo certamine.

Num 310, *lin* 9, cunctas clusas. *lin* 20, ulla inlata malitia. *lin* 24 *et* 25, eadem nocte omni supellectile.

Num 311, *lin* 5, tonsi sunt, *etc.* tradere.

Num 312, *lin* 2, sub indicio. *lin* 3, omnium. *lin* 5, tonsi.

Num 313, *lin* 3, ipsi dum. *lin* 6 *et* 7, tonsi.

Num 314, *lin* 3, aoud Papiam. *lin* 16 manum stuporem et extasim

Num 315, *lin* 7, et obviam, *etc.* cruces, et signa. *lin* 8, tunc quidem antedictus almificus.

Num 317, *lin* 2, omnibus suis permansit.

Num 318, *lin* 22, contineri.

Num 319, *lin* 2, graphiones.

Num 320, *lin* 5, quadrapolis, et per universos. *lin* 8 *et* 9, 1365.

Num 321, *lin* 3, cyborium.

Num 322, *lin* 10, destauravit.

Num 323, *lin* 14, cortinam ex iisdem.

Num 324, *lin* 1, ad Tancrellum. *lin eadem*, nimis vetustum erat. *lin* 3, basilicam, *etc.* positam in Pincis, quæ in ruinis erat, et cujus tectum disjectum. *lin* 12, super altare majus.

Num 325, *lin* 5, laudimas duas. *lin* 11, lineas.

Num 326, *lin* 8, ubi et abbatis, *etc.* statuit. *lin.* 9, ita ut duo monachi per latera.

Num 327, *lin* 1, domo cultas. *lin* 4, existentem. *lin* 5, recompensationes.

Num 328, *lin* 16, Galeriam positam. *lin* 18, lecticaria.

Num 331, *lin* 5, quæ. *lin* 6, tum ipsa forma, *etc.* quoniam et centum aras, etc. *lin* 10, properavit.

Num 332, *lin* 1, imaginem.

Num 333, *lin* 2, balneum Lateranense. *lin* 6, et tantam curam exhibuit, quod etiam. *lin* 8, aquæ. *lin* 10, Areatinæ. *lin* 11, in qua. *lin* 14, et Th. *etc.* Præfecturii *etc. deest* fines.

Num 334, *lin* 1, Acutiana. *lin* 3, quæ erat.

Num 335, *lin* 5, per multa tempora. *lin* 6, vestatarium.

Num 336, *lin* 4, satiaret.

Num 337, *lin* 4, in capite. *lin* 12, vestatarium. *lin* 15, porticus omnes renovavit.

Num 338, *lin* 4, constituit eis. *lin* 9, glorificum melos.

Num 339, *lin* 3, ejusdem apostoli fautoris sui.

Num 340, *lin* 9 *et* 10, in catholica.

Num 341, *lin* 5, ut usque g. B. P. pertingeret.

Num 343, *lin* 7, sitam in sabello. *lin* 8, missam marolii.

Num 344, *lin* 1, massalus. *lin* 2, quatenus uno consensu. *lin* 4, competentibus. *lin* 5, in auri solidos mancosos numero ducentos, quos et pro anima jamfati. *lin* 8, in ruinis ex dumis, atque vepribus circumvallatum reperisset.

Num 345, *lin* 2, Servilianum. *lin* 4, basilicas et cimiteria. *lin* 20 *et* 21, pro sua sempiterna memoria.

Num 347, *lin* 7, mobilibus et immobilibus.

Num 348, *lin* 9, quadraginta quinque. *lin* 9, 10, l. 36.

Num 349, *lin* 2, lib 88. *lin* 4, lib 80.

Num 352, *lin* 4, beati Petri.

Num 353, *lin* 2, quartum archipresbyterum. *lin* 4, Helenam. apostolicas syllabas. *lin* 7, qui præfati. *lin* 14 *et* 15, designans storeis.

Num 354, *lin* 6, nimio statu. *lin* 7, cum vestiario, seu ygumenarchio.

Num 355, *lin* 3, totas civium turmas. *lin* 7, lib 592.

Num 356, *lin* 7, a porta. *lin* 15, donis.

Num 357, *lin* 6, ciborium. *lin* 7, illud erexit. *lin* 9, perficiens. *lin* 13, fuit autem tempore Caroli, regis *deest.*

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 290, *lin* 1, Theod sedit ann. *lin* 3, dec pers. *lin* 4, plebis s. c. defensor : vir cum D. v. et sanctæ Dei Ecclesiæ inimicis. *lin* 7, observator. Ilic in ipsa el. s. die, *ut num* 292. *lin* 9.

Num 292, *lin* 10, a transitu. *lin* 11, m. erant. *lin* 12, sed et aliquos. *lin* 13, Deo opitulante sus.

Num 293, *lin* 2, id est Spoletinum ducem Theodocium, Tunnonem ducem eburgias *in ora R. cod.* eporegien, et Brandulum vestararium s. *lin* 3, sese cum eo q. in. u. *lin* 4, colligari; quibus ipse B. P. ita u. d. *lin* 6, confirm. est; sed quomodo possum. *lin* 7, decessor meus. *lin* 8, q. o. mensibus illi fuisset, quæ ei ante corpus. *lin* 10, iniquum argumentum. *lin* 12, intulit ibid, impartivit (*M*, impetravit) sed et hoc meus idem pr. *lin* 13, quam erga me habuit suum pus. m. r. *lin* 14, direxit. An. videlicet. *lin* 14 *et* 15, G. diacon. *lin* 15, quæ B. P. poll. *lin* 17, et non illi necesse sit justitias requirendi. *lin* 20, mortem eorum Romam properare. *lin* 20, illi magis ac magis confirmabant, *ut lin* 2, *num* 294.

Digitized by Google

Num 294, *lin* 3, past faceret. *lin* 4, sua beatit eum deprecati sunt et adhortati sicut. *lin* 10, faceret. *lin* 12, accepto hoc responso.

lin 5 suos m. *lin* 6, cub et tunc super istam. *lin* 7 *et* 8, quod præfatus Desiderius. *lin* 8 *et* 9, seu Comaclum ab exarchatu Ravennæ, quem. *lin* 10, duo adhuc m. pr. *lin* 11 *et* 12, atr rex Desid e. a. c. constringens. *lin* 13, prædia Ravennatium. *ibid.*, vel quæcumque in ipsis prædiis.

Num 295, *lin* 1 *et* 2, Ravennatis. *lin* 4, dec recolligere . *lin* 6, missi Stephanus sacellarius et Paulus super ista ad pr. *lin* 10, redd. Isdem itaque rex remisit illi in responsis, quoniam nisi prius se cum eo ipse al. p. c. ad. l. p. m. e. r. c. Eodem itaque tempore contigit, ut Carolomannus rex Franc ad eumdem regem Longobardorum fugam arripuisset cum Autcario, et ob hoc conabatur deducere præsulem ad se, ut eum inungeret regem (*M*, ut eum in regem inungeret) cupiens divisionem mittere in regno Francorum, ipsumque b.

Num 296, *lin* 9, seperare. *lin ead*, atque cunctam Italiam sui regni, et Longobard. *lin* 10, sed et f. D. n. m. p. i. Siquidem prænominatus Desiderius Longobard rex superbiæ et jactantiæ fastu, *ut num* 303, *lin* 3.

Num 303, *lin* 4, multit. militum exercituum *ib.* Sinogalicusis, Esis, Montis Feretri, Urbini, Eugubii. *lin* 6, Bledanam. *lin* 7, Bledani. *lin* 9, qui utiles in ead civit. *lin* 10, sed et in fin R. urb seu cæterarum c. *lin* 12, perpetrari j.

Num 304, *lin* 1, per obsecratorias. *lin* 3, abstulit. *lin* 5, ingerendo.

Num 305, *lin* 1, venerabilis mon. *lin* 2, sen servis D. *lin* 3, 4, i. famuli Dei r. *lin* 5, qu. abstulerat c. *lin* 6, flectere val S. i. Dei fam. *lin* 7, direxit etiam sæpius suos missos isdem Desid. *lin* 8, ut se cum eo p. ad loq deb conjungere q. S. idem alm. *lin* 10, me vobis cor D. *lin* 11, continuo sive hic Romæ, vel etiam ubi illi placabile fuerit, ad ç. *lin* 13, præs atq, ad colloquendum q. *lin* 16, lic habebit. *ibid*, justitias min f. *lin* 17, sc. quod pro c. m. n. fac vid. Direxit itaque ejus beatitudo, *ut lin* 2, *num seq.*

Num 306, *lin* 2, ad eund. Desiderium. *lin* 3, Pard rel egum monachum b. Sabbæ. *lin* 4, obt ipsi pedibus ejus convoluti lachr. p. eum deprecati sunt, ut ant. *lin* 5, prom ei apostol auctor. *lin* 6 *et* 7, ad eum festinaret venire cito ad colloq par. *lin* 8, flectere pot. *lin* 9, miss ad hoc ipsum dirigere tam de sacerd. *lin* 12, mala mag comm. *lin* 13, constringendum, pro quo in nimio. *lin* 14, clausit, et alias ex eis fabricare cœpit, et.

Num 307, *lin* 1, et tribul. *lin* 2, mar in itin. *lin* 4, ante fecerant succ. *lin* 5 *et* 6, Petri provincias, et just et ablatas civit ab e. D. exig. *lin* 7, præfatum s. P. ad se ded. *lin* 8, Karolomanni fil regem unx. *lin* 9, Karolomanni reg seperare val (*M*, separare). Tunc pertinaci audacia egr est a suo p. *lin* 10, filio suo. *lin* 11, ac fil sep Karol necnon A. *lin* 15, ut jam præmissi illi, r. *lin* 17, fastigium sumendi q. m. f. p. me cum illo prius pr.

Num 308, *lin* 1 *et* 2, ex reputavit, sed co. it. R. carp. Cujus jam adventum appropinquasse c. ipse p. p. *lin* 4, omnesque erant armati. *lin* 5, adv fort. *lin* 6, ac P. id est ornam abstulit, exornare f. *lin* 8, serris supp. ac m. jussit, ut si i. pr. sine comitatu [leg commeatu] et permissu. *lin* 10 *et* 11, omnia dissolvissent. *lin* 12, Prænestinæ. *lin* 14, modo fines R. *ib.* conculcare p. *lin* 17, c. Interamnense. *lin* 18, Carolimanni. *lin* 19, Albuinus del. *lin* 20, ablatas civit. *lin* 21, in falso in Franc.

Num 309, *lin* 1, et satisfactum eis præsentialiter redd aut ab eo nihil redditum fuisse Q. *lin* 2 *et* 3, cum eis suos m. ad pr. Franc r. excellentissimum c. apost amnion sigillis. *lin* 5, est Dei Ecclesiæ perficeret, et redemptionem adimpleret, seu un. quæ ablata. *lin* 6 *et* 7, suo certamine redderet b. Petri. *lin* 7, apost ipsi itaque Franc nuntii p. cum A. S. legatis. *lin* 9,

Num 310, *lin* 1, sedis nuntii subtil cuncta ref. *lin* 2 *et* 3, exc a Deoque P. Karolomanno R. *lin* 4 suos nuntios deprec ut eas qu. abst civil pac red. *lin* 6, millia solid. *lin* 8, Karolomannus. *lin* 9, Franc exerc. *lin* 10 *et* 11, fortiss Franc per montem cinissem (*M*, senisium) ad eas app cl. illico suos denuo nuncios. *lin* 15, sicut pridem, quantitatem. *lin* 17, acq voluit. *ibid.* protervus perm. Desiderius rex. *lin* 20, restit. *ibid*, inserta mal. *lin* 23 dum v. alio die ad. p. r. misit Deus terrorem. *lin* 24, vel in filii ejus, Adalg. *ib.* et ead n. *lin* 27 quantocius cum s. jud et mult pop. *lin* 29, defendendum c. *lin.* 30, se præperavit (*M*, præpar). *lin* 31, et filios. *ib*, in civitatem. *lin* 32, esse videbatur.

Num 311, *lin* 1, in propriis rev s. civitatibus. *lin* 2, Longob exercitus. *lin* 5, tonsorati s. *lin* 6, se tradere. *lin* 7, R. hoc nequaquam. *ibid*, dum ad clusas f. ar. omnes qui exinde de d. *lin* 10, ipsius beat ter deprecati s. ut eos in servitium b. Petri. sanctæque Rom. *lin* 11, tonsorari.

Num 312, *lin* 2, sub vinculo. *lin* 3, omnium succ. *lin* 5, tonsorati.

Num 313, *lin* 4, ad præf pontif. *lin* 5, in servitio, et fide. *lin* 6, tonsorati sunt.

Num 314, *lin* 1, Christ Franc R. m. cum suis exercitibus. *lin* 3, concite in F. *ib.* apud se add. f. *lin* 4, et dum cognovisset. *lin* 5, partem exercitus, ipse cum aliq. *lin* 7. eidem Karolo regi. *lin* 9, bell exerc. *lin* 11, in obsidione (*M*, obsessione). *lin* 12, tunc deducens secum. *lin* 16, in m. stupore ded. *lin* 17, milliaria ab hac Rom urbe, in loco qui dicitur N. et ibi cum.

Num 315, *lin* 1, et cum appr. fere unius milliarii spatio ab urbe Roma dir universæ scholæ militiam una. *lin* 3, laudesque illi omn. *lin* 4, cruces, sicut m. est. *lin* 6, Karolomannus. *lin* 7, ab venire consp. *lin.* 8, sedeb et eum beatiss. stratoribus tribuens ita. *ib.*, stud et quidem antedictus alm P. *lin* 11, cum suo clero præstolabatur.

Num 316, *lin* 1, et benign. *ibid.* gradus ejusd sacr beati Petri ecclesiæ sigillatim deosc. *lin* 3, eccles assistebat. *lin* 4 ten Christ isdem Karol. *lin* 5, in eamdem venerabilem. *lin* 6, relig famuli Dei. *lin* 8, cum eo venerant. *lin* 10, glorific. Deum in eo, q. *lin ead*, quod talem eis per interventionem, et suffragia. *lin* 12, orat Francorum rex obnixe deprecatus est ant alm. *lin* 15, per sacramenta m. ingressus est continuo Roma cum eodem pontif.

Num 317, *lin* 1, juxta Lateranum p. i. i. ipse stetit excellent rex cum omnibus suis quousque sacrosancti bapt. *lin* 3, ipse benignissimus rex repedavit.

Num 318, *lin* 3, in ecclesiam. *lin* 8 tertia vero feria sexta, ut mos est in eccl. *lin* 11, ammonuit. *lin* 12, Pippinus quidem rex, et i. *lin* 13, Francorum. *lin* 16, possidenda. *lin ead*, cumque illam. *lin* 17, complacuit. *lin* 18 ac omnia, quæ i. e. adnexa pr. vol b. et lib (*M*, pr. vol proprio, ac libenti animo) et aliam. *lin* 22, per designatum confinium. *ib.* contineri m. *lin* 23, inde in Berceto. *lin* 25, sicut et antiq. *lin* 26, seu Benevent.

Num 319, *lin* 1 *et* 2, don pr. suam eam i. Chr Franc r. corrob univ episc abb duc etiam grafiones. *lin* 4, ejusque vicario. *lin* 5, ad partem (*pro* apparem) vero ipsius donationis eumdem Etherium ascribere faciens ipse Chr Franc r. *lin* 7, ibidem continentur, et oscul. *lin* 9, hujus nostræ sanctæ Rom. Eccles ascripta. *lin* 12, atque sæviretur *ib.* et plus de lang seu mortalitate defec. *lin* 13, simulque Desider. *lin* 16, erat sæpef. *ib.*, Eccl. Dei magnam indesinentes gerens curam pro ornatu, et restauratione earumdem omnium ecclesiarum.

Num 320, *lin* 1, hic vero coang vir fecit in eccl beati Petri vestem. *lin* 3, est, et alia quamplura, et innumerabilia ibidem contulit dona. Idem ipse bea-

Digitized by Google

tiss pontif corpus beati Pauli apost. doctoris gentium investivit laminis argenteis, quoniam argentum, quod ibi primitus erat, confractum existebat, et alia quamplura ibi contulit in auro, et argento, palliisque dona. Atrium vero ipsius beati Pauli apostoli ecclesiæ. *Vide num* 322, *lin* 6.

Num 322, *lin* 6, quod antea nimis dissolutum existebat, ubi. *lin* 8, in eccl vero sanctæ Dei Genitr ad Præs fecit duas vestes super altare majus un. *lin* 10, blat contulit etiam in eadem ecclesia in auro, et argento, palliisque dona quamplurima. In basilica vero Salvatoris Domini nostri Jesu Christi i. Lateranum, *ut num seq lin* 2, 3.

Num 323, *lin* 3 *et* 4, de staur., et alia multa ibidem obtulit dona; atque in basilica beati Laurentii foras muros similiter contulit multa dona. Fecit in basilica beati Adriani, *ut num* 325, *lin* 4.

Num 325, *lin* 4, cerostrata arg. *lin* 5, landunas (*M*, laud). *lin* 6, fecit et vestes. *lin* 7, 8, quindecim; decerneus ejus beatitudo, *ut num* 328, *lin* 2.

Num 328, *lin* 3, obligat interdictionibus, ut omni die centum pauperes, et si plus fuerint, agg. *lin* 6, pens libras per un. duas, simulque et vini decimata duo, pensantia per unamquamque libr 60 et caldaria plena pulm erog a. *lin* 8, 9, p. atque vini (*M*, atque portionem v). At vero jam per evoluta, *ut num* 331, *lin* 1.

Num 331, *lin* 1, atque vero per jam revol ann (*M*, at vero jam per evoluta 20) 20 sp. *lin* 2, simulque in baln. *lin* 3, pauper Chr. *lin* 4, in Paschali festivitate ann occ lavari solebant. *lin* 5, macinabant, *lin ead.*, neque in atrio. *lin* 6, decurrebat dum i. f. ut d. e. exstitit, quoniam et centum arcus. *lin* 7, constr a fundam d. atque dest jam nulla spes vid esse e. arcus, vel præfatam formam, r. *lin* 10, atque soll. *lin ead.*, quod etiam a fundamentis e. r. a. r. et aquam in atrio beati Petri, ut mos erat, deduxit. Formam similiter, quæ Jobia vocabatur, *etc. ut num* 332, *lin* 5.

Num 332, *lin* 5, vocabatur a fundamentis refecit, atque formam, quæ Claudia vocatur, unde aqua in balneum atque baptisterium ecclesiæ Salvatoris decurrere solebat a fundamentis refecit. Similiter et formam, quæ Virginis nuncupatur, renovavit, isdem egregius præsul præfatus *ut num* 345, *lin* 19.

Num 345, *lin* 19, basilicas sc. b. Adriani m. seu sanct Cosm et Dam quas noviter restauravit. *lin* 20, 21, pro sua sempiterna memoria c. *lin* 21, et anc. *lin* 22, earum crebro eleemosinæ fiant, et pauperes Christi refocillentur.

Num 346, *lin* 1, cumamam unam (*M*, cuniamam u.) *lin* 3, item formam Sabbatinam a novo refecit. Item diaconiam sanctorum, *ut num* 354, *lin* 2.

Num 354, *lin* 3, evert. per eand eccl. *lin* 5, ob eorum martyrum amorem in 20 prælati pontificis eximii anno, *ut num* 356, *lin* 1.

Num 356, *lin* 1, mense Decembrio, *lin* 2, dedit, qui per nimiam inundationem per port. *lin* 4, tres saccidas. *lin* 5, Marci regirans per porticum Pallatinis, per pl. se. ext. *lin* 6, ipsum evert m. *lin ead.*, munivit, alv. *lin* 7, atque a porta beati Petri. *lin* 8, fl dedit, domosque evertit, agrosque desertavit. *lin* 10, illo tempore. *lin* 11, pr. eo quod per tr. ipse fluvius quasi per alveum proprium p. c. *lin* 12, in lamentum dedit, *ibid* et humo in oratione prostr. *lin* 13, sed plures dies. *lin ead.*, quod ipse. *lin* 14, insp per sandala m. u. l. cibos mittebat. *lin* 15, a suis dom ex. quibant præ nimia multitudine aq. *lin* 16, in donis cons. *lin* 18, in basilica. *lin ead.*, a turre, præsertim et in basilica beatorum C.

Num 357, lin 2, libr 11, obtulit. *lin* 2, Adriani martyris instar hujus pat etc e. a. m. c. p. libr 11. *lin* 4, Adr arcora de a. duo, pens libr 30. Renovavit etiam ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ ad Martyres nuncupatur, et ibi quamplura obtulit dona in auro et argento. Nam ipse solertissimus præsul per diversos titulos, seu alias ecclesias, atque cunctas A diaconias, et monasteria quantacumque infra murum hujus Romanæ urbis, quamque intra muros ad laudem Dei restauravit, atque decoravit. Verum et muros, atque turres hujus Romanæ urbis, quæ dirutæ erant, et usque ad fundamenta destructæ renovavit, ubi et multa impendia tribuit, tam in mercedes eorum, qui ipsum murum fabricaverunt, quamque in ipsorum alimentis, simulque et in calce, atque diversis utilitatibus, usque ad centum auri libras expendit. Hæc beatissimus, et præclarus pontifex omnia utiliter noviterque, tam in eleem. *lin* 9, perficiens, et verum consummans cursum. *lin* 10, sol servavit, in Dei dilectione vitam finiens ad æternam migravit requiem. *lin* 12, loca 185. *lin* 13 indict 4. *Cætera desunt.*

Ex codice Thuan. altero.

Num 290, *lin* 2, dies 8.

Num 291, *lin* 2, Theodoro. *lin* 3, post ante dictæ. B *lin.* 3, a primæva et. *lin* 6, et alimonia en. *lin.* 9 et spiritalem o.

Num 292, *lin* 1, recessum. *lin* 2, spiritalium sic. *lin* 10, a transitu. *lin* 12, sed et reliquos.

Num 293, *lin* 6, permanendum *lin* 8, referuit, loquens. *lin* 10, iniquum. *lin* 11, damnum, et det n intulit. *lin* 17, illis d. *lin ead.*, requirendum. *lin* 18, adjuvavero. *lin* 21, illi credere possim.

Num 294, *lin* 2, magis, ac magis c. *lin* 8, Faventinam. *lin* 10, offeruerunt. *lin* 13, prædia Ravennantium. *lin* 14, prædiis.

Num 295, *lin* 4, dec recolligenoum c. *lin* 5, ferent r. *lin* 9, juxta ut r.

Num 296, *lin* 5, certabat, quatinus. *lin* 11, ita firmus atque fortissimus in suo corde antefatus beatissimus Hadr. *lin* 13, quia si et. *lin.* 20, isdem S.

Num 297, *lin* 2, perscrutavit. *lin* 3, Calventiolus c. *lin* 9, p. coram eisdem C.

Num 298, *lin* 5, illis p. f. *lin* 6, et protinus. *lin* C 8, usque ad Merul. ad. a. d. qui est secus viam. *lin* 11, unde dubium non est s. *lin* 12, primati Eccles. *atque ita sæpe occurrit in ms. lin* 18, tunc pr. a. p. inclinatus precibus. *lin* 19, homicidantium. c. c. u. p. Romano ex.

Num 299, *lin* 1, ut prius. *lin.* 2, ita se omnia.

Num 300, *lin* 2, sepelire. *lin* 4, redigerentur. *lin* 11, dum vero hæc agerentur. *lin* 13, de ipsius. *lin* 14, ut pro emendatione t. r.

Num 301, *lin* 2, per aliunde. *lin* 4, expedibile minime esse e. P. i. dirigi. *lin* 6, teneret. *lin* 7, vicaneum t.

Num 302, *lin* 2, adhortationis. *lin* 3, abstultis c. *lin ead.*, protestaret. L. A. q. salvum eumdem c. *lin* 5, protestavit, ant. A. et cunctos i. *lin* 7, tunc existentis civitati Romanæ, q. *lin* 8, conservandum. *lin* 10, Ticino. *lin* 12, Sacell. a Ticino R. *lin* 13, increpavit eidem archiep. cur. *lin* 15, territus. *lin* 16, lit. consolationis modo, quasi nulla reputaretur illi D c. *lin* 18, ipsum s. pont.

Num 303, *lin* 2, prænom. *lin* 4, exercituum. *lin* 8, familiis. *lin* 9, primatos quanti utiles in ead. civitate. *lin* 10, quamque. *lin* 11, prædationes.

Num 304, *lin* 1, obsecratorias.

Num 305, *lin* 4, referuerunt. *lin* 6, flectere. *lin* 8, D. secum eum p. l. *lin* 9, 10, sic regem vestrum e m. p. satisfacite. *lin* 11, Ticino voluerit, sive Ravenna, sive Perusia, sive heic Roma, vel etiam ubi illi placabile f. *lin* 14, ut. part. conveniunt, et si f. *lin* 16, justitias n. *lin* 19, ipsi mei, m. *lin* 20, præs. cum eo sim. loq.

Num 306, *lin* 2, ob. casd. r. c. ibid scil. P. rel. H. beati S. *lin* 4, defensorum. *lin* 5, eum deprecati sunt, *ut lin* 6, sub jusjurandum. *lin* 7, ol collo. p. *lin* 9, pro hoc ipso d. *lin* 11, multa. *lin* 13, prop. R. c. constringendum. *ib.*, in nimio f. *lin* 15, fabricare.

Num 307, *lin* 3, suus frater. *lin* 11, quidem Car.

Digitized by Google

lin 12, hic Rom. *lin* 14, quib. Roma c. *lin* 17, fatigium f.

Num 308, *lin* 1, exinde reputavit. *lin* 2, adpropinquasse. *lin* 8, serris. *lin ead.*, sine comiatu, et p. *lin* 14, concalcari.

Num 309, *lin* 5, adimplere. *ib.*, perficere. *lin* 6, 7, suo cert.

Num 310 *lin* 4, missos, id est, heic est lacuna. *lin* 10, cinisem. *lin* 24, Longob. et eadem nocte. *lin* 35, reclaudi stud. *lin* 30, Adilgis.

Num. 311, *lin.* 6, se tradendos. *lin* 7, hoc neque.

Num 312, *lin* 6, Hildebrandum.

Num 314, *lin* 2, dir. c. Franciam. *lin* 5, Adilgis. *lin* 12, Pasch. solemnitas adp.

Num 315, *lin* 2, didicendas. *lin* 3, laud illi can. *lin* 11 præstolavit.

Num 316, *lin* 10, talem eis per. *lin* 13, ingredi.

Num 317, *lin* 2, antedictus beatiss. *lin* 3, benignissimus.

Num 318, *lin* 13, Francorum. *lin* 14, 15, qu. Franc. perr. *lin* 22, per designatum conf. *lin* 24, atque in monte.

Num 319, *lin* 2, scribe, *graphiones*. *lin* 5, apparem vero ips. donat. *in ora script.* exemplum. *lin.* 9, nostræ Rom. Eccl *lin* 15, secum Franc. deport. *lin* 16, ecclesiarum Dei, magnam indesinenter gerens curam pro ornatu, et restauratione procuranda omnium earundem Dei ecclesiarum.

Num 320, *lin* 8 *et* 9. 365. *lin* 10, n natali Domini.

Num 321, *lin* 1, in eadem basil. *lin* 3, ciburium.

Num 322, *lin* 1, quod ibidem prim 22 arcos. *Sic fere semper legitur in ms. et lin præced.*, in arco. *lin* 6, quod antea nimis dissolatum. *lin* 8, in eccl vero s. *lin* 10, ea ipsa ec. et cortinam majorem juxta januas majores ex p.

Num 323, *lin* 1, arcos, *ut sup. lin* 7. Laur basilicæ majoris. *lin* 10, et aliis fortissimis imp. *lin* 11, arcora vero tria, quæ vetustissima er. *lin* 14, fecit vela num 27, simulque et cortinam.

Num 324, *lin* 1, Laurentii q. p. ad T. sic in m. s. *lin* 3, basilicam vero b. F. positam in Pincis, quæ in ruinis erat. *lin* 5, de quadrapolo. *lin* 6, quæ appellatur Dam ubi. *lin ead.*, de staur obtulit. *lin* 8, ob. portica *sic interdum legitur. lin ead*, quæ antea in. *lin* 11, confirmare. *ibid.*, fecit enim et v.

Num 325, *lin* 4, cereostrata. *lin* 5, et laudimas. *lin* 6, ubi arcum de arg ex. *lin* 10, palleis. *Sic fere semper. lin* 12, diacon et monasteria quant. *lin* 14, atque offerunt.

Num 326, *lin* 11, et nullam officium divino cultu.

Num 327, *lin* 2. Capracorum positam in territorio. *lin* 4, ten. vid ei prop. *lin* 5, recompensatione ad vicem. *lin* 7, aquimolis. *lin* 11, fuerint.

Num 328, *lin* 3, obligationum interd. *lin* 4, pauper etiam etsi plus fuerint aggregarentur. *lin ead.*, in portico. *lin* 9, cuppam unam c. *lin* 13, domocultas, *et lin* 18, domucultam. *lin* 21, domocultas. *lin* 22 nostræ Romanæ Eccles.

Num 329, *lin* 1, spiritalibus. *lin* 4, in sancta ac veneranda P. domo. *lin* 7, portico, qui d. *liu ead.*, scilicet solarium cum. *lin* 8, porticum ipsum q. ver dirutum i.

Num 330, *lin* 4, palleis. *lin ead.*, atque offerunt. *lin* 5, duob p. qui asc. *lin* 8, portica vero. *lin* 14, in secundas vero rugas. id est in m. p. f. alium r.

Num 331, *lin* 6, decurrebat. *lin* 8, vel præfatam f. *lin* 13, centenariom illum, qui ex. *lin* 16, in geniculum. *lin ead.*, decurrit f. *lin* 23, modo fecit vela.

Num 332, *lin* 1, imaginem, et mox habentem. *lin* 6, relucebat a fundam. *lin* 8, martyris atque levitæ. *lin* 9, stauracin. *lin* 10, octapolo obtulit num decem. *lin* 12, octapoli.

Num 333, *lin* 1, unde et balneus Lateran. *lin* 3, decurri. *lin* 6, et tant c. *lin* 8, in præfato balneo. *ib.*, decurri. *lin* 13, 14, comite Sev Ag. rel quod Agathoni Scriniarii, et Theodotæ relicta. *lin* 15, recompens. *lin* 16, prædia et domocultam. *lin* 17, quæ et domoc. s. Edisti vocat.

Num 334, *lin* 2, item ter beat. *lin* 5, quadrapulos 115 et l. 115.

Num 335, *lin* 6, vestiarium suum. *lin* 8, portica.

Num 336, *lin* 5, sitæ foris port. *lin ead.*, a noviter restauravit. *Sic etiam legitur sup num anteced. lin ult et inf num* 337, *lin* 6.

Num 337, *lin* 1, 2. portam beati Petri apost. *lin* 3, in Adrianum. *lin* 9, 10, nominandus almissimus P. pariterque et basilicam vas electionis beati Pauli apostoli cernens ibidem existentes trabes per prisca tempora. *lin* 14, ej. eccl. a noviter portica omnia renovavit.

Num 338, *lin* 1, hic autem ter beat pontifex, et A. vir dum per almificas exquisitiones reper. *lin* 5, off celebrari, hoc est matutino hora 1 et 3, 6 seu 9, etiam et vespertina. *lin* 7, monachi monast s. Pancr. *lin* 8, noviterque psallentes hymn ch. lætis r. cantibus.

Num 339, *lin* 2, offeruit pro. *lin* 3, ejusdem Dei apostoli f. *lin* 4, rel s. D. *lin* 5, 6, in qua s. ecclesia cum cuncto clero suo. *lin* 11, sacer fruens ob am. forte sacerdos ob. *lin* 12, 13, martyr quæ appellatur duas domos. *lin* 13, Ciriacum. *lin* 14, Laur quæ appellatur ad Formosum, pariter eas a noviter restaur.

Num 340, *lin* 2, quadriporticis s. *lin* 6, Vagauda *lin* 7, officium funger id est, matutino, hora 1, 3 et 6, a. non. seu vespera psall pro remedio an. suæ.

Num 341, *lin* 9, demolivit, s. *lin* 10, construens *lin* 11, amp noviter r. *lin* 15, cum porticis e. noviter n. d. *lin* 16, a noviter s. m. r. ædes videlicet et bas. *lin* 18, almis præsul omnia in integro a noviter.

Num 342. *lin* 1, renovans restauravit c. *lin* 2, sculpens d. c. noviter s. *lin* 4, noviter r. *lin* 5, muros. *lin ead.*, noviter c. *ut lin* 7. *lin* 10, suxorio. *lin* 11, ex omni *lin* 12, 13, et Secundæ. *lin* 13, quæ ab olitana u. m. *lin* 14, basil beati Andreæ apost.

Num 343, *lin* 3, renovavit, scilicet et eccl. *lin* 6, Pudentianæ in ruinis præventam n. restauravit *lin* 7, domocultam.

Num 344, *lin* 2, præd. almi p. *ibid.*, erogare quatenus ex uno c. *lin* 4, positam. *lin* 5, mancos ducentos: quos et pro anima jam fati Mastali hæredes ejus Christo dederunt, *lin* 8, reperuisset, noviter e. r. *lin* 10, et in ea T. a. t. e. h. quondam P. q. e. c. hæredum q. l.

Num 345, *lin* 2, Simp et Serviliani. *lin* 3, l. noviter rea. *lin* 7, ex omni p. r. *lin* 20, 21, pro sua sempiterna memoria *lin* 23, 24, refocillentur.

Num 346, *lin* 3, præ nimia ejus solerti cura, atque industria. *lin* 4, fluentia aquæ p. tam in fontes b. q. p. v. implebantur, quam in atriis ei b. simul balneo.

Num 347, *lin* 1, Pariter etiam et basilicam b. p. m. s. sitam in c. m. q. p. o. t. marcuerat, maximas in ea deferens trabes tam mole basilicæ, quamque portica m. *lin* 6, et mat. *lin* 7, dot videlicet et titulum P. S. I et P. qui per el. marcuerat.

Num 348, *lin* 1, b. Petri apostoli. *lin.* 4, confessione liminara. *lin ead.*, eandem almam conf. *lin* 5, gradus, qui cohærent jam dictæ confessioni *lin.* 7, nitissime d. *lin ead.*, cantaros in ead Dei apost eccl. *lin* 8, arg num 9, pens lib 45. *lin* 10, 56.

Num 349, *lin* 2, lib 80. *lin.* 8, quæ appell ad Pr. *lin* 10, quinque eccl v. b. Agnet ut n. seq *lin* 4

Num 350, *lin* 3, noviter restauravit.

Num 351, *lin* 2, marcescens a p. t. tanquam in. c. a. s. habitabatur. 1. v. eg. a noviter id restaurans in p. *lin* 4, multa dona don t. i. aur quam in arg seu in ag. atque fam d. p. sim et mobilibus rebus. *lin* 7, sollicite gerere laudes. Fecit autem p.

Num 353, *lin* 2 videlicet Petrum venerabilem archiepiscopum R. *lin.* 2, 3, ven monachum sancti Sabæ. *lin* 3, mat ejus Helenam. *lin* 4, syllabas pro sacr imaginibus erectionem q. p. t. sc. seu traditionum p. *lin* 7, qui pr. *lin* 8, juxta trec. *lin* 8, 9, prælatæ apost

Digitized by Google

lin 9, Hoc prom. *lin* 11, secum deferentes. *lin* 12 in Latino tr. *lin* 13, dignam sibi. *lin* 14, confessionis fores ex auro m. in sacris designans h. 22 A. in diebus quot. *lin* 19 et 20, item in cimiterio E.

Num 354, *lin* 2, lib 16. *lin* 3, super eam. *lin* 4 *et* 5, non valens mis motus ob eorum mart honorem hic. *lin* 6, nimio st. basilicam vero m. b. A. C. m. una cum vestiario, seu igumenarchio. *lin.* 8, tectum combustam. Quo audito mis p. *lin* 9, reperuit. *lin* 9 *et* 10, mart lipsani er. in media corte i. *lin* 13 nisibus t. *lin* 14, renov ac restauravit.

Num 355, *lin* 1, ipse vero D. p. *lin* 4, et tota ecclesiastica patrimonia omnibus per pedicas dividens, consumptis d. *lin* 5, restaur renov ac dec. *lin* 9, 92. *lin* 11, qui fiunt simul tam in altare, quam intus in sa.

Num 356, *lin* 1, 29, in vicesimo. *lin* 2, qui etiam. *lin* 5, sancti M. regumans per port. *lin* 7, atque a porta beati Petri usque ad p. olbium aquæ se descenderent. *lin* 8, se dedit. *lin* 11, præsul eo quod p. t. i. f. q. p. alveum proprium per c. sese nimis in lamentum d. et humo in oratione pr. *lin* 13, sed plures dies. *lin* 14, per sandalam m. v. l. c. alebat, ut n. f. n. eo quod m. a suis do. exire quibant præ n. multitudine aq. *lin* 16, lata in donis consolavit.

Num 357, *lin* 1, ptæsertim in basil sanct Cosmæ et Dam. *lin* 3, diaconio sancti Adr martyris. *lin* 4, arcora de arg tria, pens inibi lib 30, imo et in eccl sanctæ semperque virg Mariæ, quæ appellatur ad Mart r. c. de a. q. ex v. consumptum inerat, et ad. *lin* 8, hic beatissimus et præclarus pont. *lin* 9, perficiens. *lin* 11 *et* 12, presbyt 14. *lin* 13, apostoli VII. Id. Jun, indict 4. *Cætera desiderantur.*

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 292, *lin* 4 *et* 5, quamque exercendam. *lin* 11, Asiarta.

Num 293, *lin* 6, Francos, Langob. *lin* 18, adjuvavero. *lin* 21, federare.

Num 294, *lin* 2, confirmabant se vinc. *lin* 7, Perusia.

Num 295, *lin* 4, decertaret recollig. *lin* 5, fierent rest. *lin* 6, missi per Steph et Paulum super. *lin* 9, juxta ut.

Num 296, *lin* 3, conjung pariter. *lin* 6, Karuli Magni. *lin* 11, lapis dampnans. *lin* 14, deduci d. q. si e. funem i. e. pedib.

Num 297, *lin* 6, Campaninis. *lin* 8, afiarta, seu Greg. *lin* 9, campaninis, *sæpe ita.*

Num 298, *lin* 1, missos Camp. *lin* 17, homines, ac ten. *lin* 19, homicidantium.

Num 299, *lin* 3, amp tantis intoler.

Num 300, *lin* 2, sepelire. *lin* 4, redigerentur. *lin* 6, Ravenn urbe. *lin* 13, de ipsius.

Num 301, *lin* 4, resp. Expedibilem omine esse. *lin* 6, nec ipse.

Num 302, *lin* 1, vero ipse. *lin* 3, prætextaretur. *lin* 5, firm protestavit. *lin* 7, tunc existens civium Romane. *lin* 16, dirigi sibi lit.

Num 303. *lin* 3, jactantiæ levatus. *lin* 11, seu et cæt.

Num 304, *lin* 2, se respiceret. *lin* 3, solum quia easdem.

Num 305, *lin* 4, referuerunt. *lin* 5, eum deprecantes. *lin* 8, ut secum eo. *lin* 11, Ticino volnerit sive.

Num 306, *lin* 3, egumenum mon. *lin* 5 promittens. *lin* 6, jusjurandum.

Num 307, *lin* 10, Adilgiso. *lin* 16 *et* 17, necesse fatigium.

Num 308, *lin* 19, Albunus.

Num 310, *lin* 10 *et* 11, cinisem. *lin* 24, eadem nocte. *lin* 30, Adilgis. *lin* 31, Caruli Magni.

Num 314, *lin* 3 *et* 4, Hilgigardam. *lin* 17, ibi eum.

Num 315, *lin* 10, præstolavit.

Num 316, *lin* 10 *et* 11, talem eis p. *lin* 13, ingrediendi sua.

Num 318, *lin* 4, Francis. Eique miss. *lin* 17, carisiaco. *lin* 22, designatum.

Num 319, *lin* 2, grafiones. *lin* 9, per scrinium h. s. nostræ memoriæ ecclesiæ. *lin* 12, et plus de languoribus. *lin* 16, amator ecclesiarum Dei magnam indesinenter gerens curam pro ornatu et restauratione procuranda omnium earumdem ecclesiarum.

Num 322, *lin* 6, antea nimis desol.

Num 323, *lin* 11, arcora v. tria.

Num 324, *lin* 3, in Pincis. *lin* 6, de stauracin optulit. *lin* 11, confirmare.

Num 325, *lin* 3, et gradas c. quæ. *lin* 11 *et* 12, per diversa titula. *lin* 12, diaconias et monasteria, q.

Num 326, *lin* 1, muros rom.

Num 327, *lin* 5, recompensiones. *lin* 7, aquimolis.

Num 328, *lin* 9, id est coppui. *ibid.* necnon et cazia. *lin* 10, almifica ter beat.

Num 329, *lin* 9, porticum ipsum, q. vetust. dirutum inerat.

Num 330, *lin* 4, atque offeruit. *lin* 14, in secum v. rugas.

Num 331, *lin* 7, destructos. Jam. *lin* 23, simili modo fecit vela.

Num 332, *lin* 4, tyrea. *lin* 6, rejacebat. *lin* 10, Apollenaris. *lin ead.* vela de octa-polum. *lin* 12, octapoli.

Num 333, *lin* 6, formam vicibus prop. *lin* 8, præfato balneo. *lin* 17, sancti Æristi.

Num 336, *lin* 4, aquam perfulsit, qui pene.

Num 337, *lin* 4, capud portici. *lin* 10, almissimus præsul pariterque et basilica vas elect. beati Pauli apost. Cernens ibidem exist. *lin* 11 *et* 12, apostol.; disponens. *lin* 15, restauravit in qua et mut.

Num 338, *lin* 1, dum per almissima.

Num 339, *lin* 8, infraduxit.

Num 340, *lin* 4, repperiens. *lin* 6, vaganda. *lin* 9 *et* 10, in cath.

Num 341, *lin* 7, posita maximum. *lin* 11, Lucinæ sev. *lin* 12, positam quæ. *lin* 13, mole devenerunt. *lin* 19, et inserta.

Num 342, *lin* 10, suxorio s. est. et olitanas ejus marc. *lin* 13, quæ ab olit.

Num 343, *lin* 1, fatis quæ a. *lin* 6, reparavit seu et. *lin* 7, in vellum. *lin* 8, massam marulis.

Num 344, *lin* 2, erogari. quatenus ex uno. *lin* 5, minus v. in auro. *lin ead.*, quorum et pro nimia i. f. m. heredes ejus Christo. *lin* 10, hereditate quod Pasc. *lin* 11, locorum. Hic. *lin* 13, ruens.

Num 345, *lin* 3, Tertuliani. *lin* 10, Silani.

Num 347, *lin* 2, maximas in ea differens trabes tam vasta mole basilicæ, quamque portica mirifice intrinsecus. *lin* 7, rebus videl.

Num 348, *lin* 1, Petri apostoli totam. *lin* 4, limitari.

Num 349, *lin* 1, instar indelfinos posuit arg.

Num 351, *lin* 4, nomine ædificavit. In quo. *lin* 5, ex monilibus.

Num 353, *lin* 4, apostolicas syllabas. *lin* 8, fecerunt juxta CCC. L. ep. *lin* 13, dig sibi. *lin* 14, ejusdem confessionis f. a. m. in sacris designans hist. *lin* 17, apost in diebus cotid.

Num 354, *lin* 8, quo audito misericord. *lin* 11, igne conflata. *lin* 14, renovavit atque restauravit.

Num 355, *lin* 11, etiam et in corpus.

Num 356, *lin* 14, per sandala morantibus.

Digitized by Google

XCVIII. LEO III.

ANNO CHRISTI 795, CONSTANTINI SOLIUS 6.

358 Leo tertius, natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos viginti, menses quinque, dies decem et septem. Qui a parva ætate in vestiario patriarchii enutritus et educatus, omnemque ecclesiasticam disciplinam spiritualiter eruditus, tam in psalterio quamque in sacris divinis Scripturis pollens, subdiaconus factus in presbyterii honorem provectus est. Erat enim vir castus, loquela facundus et animo constans. Ubi vero inveniebat aliquem præcipuum monachum vel servum Dei in colloquiis divinis et oratione, cum eo penitus vacare non cessabat. Et valde nimisque hilaris in eleemosynis existebat, verum etiam et infirmorum prorsus maximus visitator, prædicans illis scripturaliter [a], ut eorum animas [b] in eleemosynis redimerent.

359 Qui plures ejus prædicationibus annuentes, quidquid ille pro Christo commendabat, occulte die noctuque pauperibus erogabant; fructum animarum crebro offerens [c] salubriter Deo. Et dum taliter in ipso vestiario præcipue degens splenderet, et ejus solertissimam curam ipse vestiarius dirigeret, ab omnibus amantissime diligebatur. Quapropter divina inspiratione una concordia, eademque voluntate a cunctis sacerdotibus seu proceribus et omni clero, necnon et optimatibus vel cuncto populo Romano, Dei nutu in natali [d] beati primi martyris Stephani electus est, et sequenti die in natali [e], sancti Joannis apostoli et evangelistæ ad laudem et gloriam omnipotentis Dei pontifex in sede apostolica ordinatus est. Erat enim ecclesiasticarum rerum defensor, et contrariorum fortissimus expugnator, et nimis mitissimus, et eidem Ecclesiæ benevolus præclarus amator, tardus ad irascendum, et velox ad miserandum; nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens, sed pius ac misericors a tempore ordinationis suæ omnibus studuit [f] justitias facere. [g] Hic vero rogam [h] clero suo in presbyterio maxime ampliavit. Fecit enim in basilica beati Petri principis apostolorum nutritori suo thuribulum aureum ante vestibulum altaris, pens. libras decem et septem. Imo et in confessione ejusdem apostoli rugas ex auro purissimo cum gemmis diversis, pensan. libras quadraginta et novem. Item coronas majores argenteas tres, pensan. libras trecentas et septem. Verum etiam et cortinas albas holosericas rosatas habentes in medio crucem de chrysoclabo [i], et periclysin de fundato unam.

360 Sarta vero tecta basilicæ beati Petri apostoli, id est navem majorem, sed et aliam navem super altare cum quadriporticu simul et fontem, atque ante fores argenteas. Verum etiam et turrem cum cameris suis ab imo usque ad summum, omnia in omnibus noviter restauravit. Præsertim imaginem Salvatoris cum reliquis miræ pulchritudinis depictam ad decorem suprascriptæ Ecclesiæ in fastigio sub arcu majori posuit. Pari modo et in basilica beati Pauli apostoli, atque in basilica Salvatoris instar [j] imagines fecit et constituit. Sarta tecta vero tituli beatæ Anastasiæ, quæ a priscis temporibus per incuriam marcuerant, et pene casura erant, suo alino studio noviter restauravit.

361 Similiter et titulum sanctæ Sabinæ studiose renovavit. In quo vero templo isdem egregius præsul fecit ex argento coronas quinque, pensan. libras quatuordecim; canistra duo, pensan. libras tres et semis; gabathas interrasiles [k] novem, pensan. libras undecim. Fecit autem et in basilica beatæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, cyburium ex argento purissimo, quod pensat libras sexcentas et undecim; simul et rugas argenteas in ingressu presbyterii, pensan. libras octuaginta, atque cortinam majorem sericam albam, habentem periclysin, et crucem de fundato. Imo et in sacratissimo altari majori fecit vestem de chrysoclabo, habentem historiam nativitatis, et sancti Simeonis, et in medio cheritismon. Simul etiam et in camera ejusdem Ecclesiæ, et in quadriporticu, necnon et coronas argenteas tres, pens. inibi libras centum quadraginta quinque [l] et uncias novem. Interea et in basilica beati Christi martyris Laurentii, sita foris muros, fecit imagines argenteas tres : Salvatoris, beati Petri apostoli, et sancti Laurentii, pensan. simul libras quinquaginta quatuor et semis : et in sacro altari vestem sericam chrysoclabam, habentem historiam Dominicæ passionis et resurrectionis. Itemque renovavit sarta tecta beati Felicis et Audacti martyrum, juxta sanctum Paulum apostolum, sed et in basilicam sancti Mennæ, atque tituli beati Vitalis Christi martyris, necnon et cœmeterium beati Sixti, atque Cornelii via Appia. Simulque et cœmeterium sancti Zotici, via Lavicana.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Scripturas. [b] ut pro cura pauperum animas suas. [c] *Al.*, offerentes. [d] natalitio. [e] natalitio. [f] visus est. [g] *Baron. ann.* 796. [h] roga, *id est*, stipendium. [i] chrysoclavo. [j] instar, *id est* similes imagines. [k] intersatiles. [l] quinquaginta quinque.

Digitized by Google

362 Pariter et ecclesiam sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, sitam in Fonticana, quæ per olitana marcuerat. Fecit autem isdem præsul in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli confessionem, simul et rugas ex auro obryzo, habente gemmas pretiosas instar beati Petri apostoli, pensan. libras centum quinquaginta et sex; et super ipsum sacrum altare imaginem auream habentem Salvatorem et duodecim apostolos, pensan. libras septuaginta quinque; sed et cameram ejusdem basilicæ in modum beati Petri apostoli noviter fecit, præsertim et coronas argenteas tres, pensan. in una libras ducentas et viginti; et vela holoserica majora sigillata, habentia periclysin, et crucem de batthin, seu fundato numero quindecim; vela promiscua majora de quadraplo investita, quæ pendent in arcubus quadraginta tres; vela modica sigillata, quæ pendent in arcubus minoribus ornata quadraplo viginti: item vela modica de stauracin, quæ pendent in arcubus decem, et alia decem, ex quibus tria habent periclysin de chrysoclavo; item vela quatuor filo pari Alexandrina; item velum alithino rotatu, habens periclysin rotas cum cancellis, et in medio crucem cum gemmis, et quatuor rotas de tyrio filo pares.

363 Fecit autem et in basilica beati Andreæ ad beatum Petrum apostolum rugas argenteas, pensan. libras octuaginta. Verum etiam et in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, cameram miræ magnitudinis. Hic almificus præsul fecit in altari majori beati Petri apostolorum principis vestem chrysoclabam pretiosis gemmis ornatam, habentem historias tam Salvatoris, beato Petro apostolo ligandi solvendique potestatem tribuentis, quamque principum apostolorum Petri ac Pauli passionem figurantes miræ magnitudinis in natale apostolorum resplendentem.

364 Item fecit vestem in titulo Eudoxiæ super altare tyriam habentem grypas majores, et duas rotas chrysoclabas cum cruce, et periclysin, blatthin, et crysoclavum. Hic autem præcipuus præsul fecit in basilica beati Petri apostoli tarum argenteum ante presbyterium cum gabathis argenteis triginta, et canistrum octogoni in medio, pensan. libras sexaginta et tres; et in cantharis argenteis, tam in circuitu altaris, quam in presbyterio posuit cerostata argentea, pens. inibi libras ducentas et duodecim. Et in altare beatæ Petronillæ posuit vestem de stauracin unam, habentem periclysin de blattis, seu chrysoclabo. Fecit autem et in basilica Salvatoris, quæ et Constantiniana, vestem habentem historiam Crucifixi, et de Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, habentem periclysin de chrysoclabo. Sed et in basilica beati Clementis vestem de stauracin unam, habentem periclysin de chrysoclabo. Fecit etiam et in arcubus argenteis ecclesiæ Dei apostoli vela de stauracin valde pulcherrima.

365 Ipse vero præcipuus pontifex in titulo beatæ Susannæ, ubi et presbyter ordinatus fuerat, dum breviter destructus fuisset, et jam per longitana tempora ipsæ parietinæ marcuissent, ob nimium amorem ampliavit ædificium, et noviter in altum fodiens firmissimum posuit fundamentum, et eruta planitie mirifice excelsa super ipsa fundamenta ædificavit ecclesiam cum absida amplissima, et cacumina mirifica de musivo, atque cameram decoratam seu presbyterium, et pavimentum marmoribus pulchris ornavit. Verum etiam dextra lævaque, et porticus ejus cum columnis marmoreis construxit. Sed et baptisterium ibi constituit, ubi et dona obtulit, videlicet, gabathas aureas fundatas tres, pensantes libras quatuor et semis; cruces aureas duas cum gemmis, pensan. libr. unam; tum virgas argenteas, pensan. libras tres et uncias septem; lucernam argenteam unam, pensan. libras quinque; imagines argenteas tres, pensan. libras triginta quinque.

366 Fecit et confessionem ejusdem altaris ex argento purissimo, pensan. libras centum tres et uncias duas; columnas argenteas octo, et gammadia duo, et arcus duos, cum crucibus argenteis quinque, et gabathas quindecim, pensan. simul libr. centum quinquaginta; crucem diacopton, pens. libr. quatuordecim. Canistrum ex cede cafotii, pens. libras duodecim et semis; coronam majorem de argento una cum delphinis triginta duobus, pensan. libras triginta duas; necnon et canistrum argenteum unum, pensan. libras decem et octo, sed et aliud canistrum argenteum, pensan. libras decem et octo; vasa colatoria argentea deaurata, pensan. libras quatuor et uncias tres; gabathas argenteas, habentes gryphos deauratos, pensan. libras duas; coronas argenteas duas cum delphinis decem et octo, pensan. libras decem et novem. Enimvero isdem præcipuus antistes fecit in eadem ecclesia vestem chrysoclabam cum periclysi, cum chrysoclabo unam; sed et aliam vestem de blatthin, habentem in medio crucem de chrysoclabo; et tabulas chrysoclabas quatuor, cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quatuor, cum periclysi de chrysoclabo.

367 Fecit autem et in patriarchio Lateranensi triclinium majus super omnia triclinia nomini suæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmissima, et in circuitu luminis marmoreis ornavit

Digitized by Google

atque marmoribus in exemplis stravit. Et diversis columnis, tam porphyreticis quamque albis et sculptis cum vasibus et liliis simul postibus decoravit cameram cum absida de musivo, et alias duas absidas diversas historias pingens super marmorum incrustatione pariter in circuitu decoravit. Et in basilica beatæ Priscæ fecit isdem antistes calicem fundatum superauratum unum et coronas tres, ex quibus unam habentem delphinos decem, et alias duas numero novem; sed et gabathas octo, pensan. simul libras viginti novem: vestem albam holosericam ornatam in circuitu blatti Byzanteo, et in fronte crucem de chrysoclabo.

368 Hic autem venerabilis et sanctissimus præsul dum in sancta catholica et apostolica Romana Ecclesia per ordinem ecclesiasticum degeret, et ritum orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diversas ecclesias quamque in patriarchio in amplis ædificiis construens compte ornaret [a], cum die quadam more solito in letaniis, quæ ab omnibus Majores appellantur, procederet, ubi sib populus obviam sacra religione occurrere deberet, et secundum annuam consuetudinem letanias et missarum solemnia cum sacerdotibus celebraret, et omnipotenti Domino pro salute Christianorum [b] populi preces funderet, et secundum olitanam traditionem a notario sanctæ Romanæ Ecclesiæ in ecclesia beati Georgii Christi martyris in ejus natali ipsa letania prædicata fuisset, omnes tam viri quamque feminæ devota mente catervatim in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, quæ Lucinæ nuncupatur, ubi et collecta prædicta inerat, occurrerunt.

369 Ubi dum prædictus venerabilis pontifex a patriarchio egressus fuisset, obviam illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis primicerius occurrit, et in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens: Quia infirmus sum, et ideo sine planeta veni; tunc sanctissimus præsul veniam illi dedit; similiter et Campulus sacellarius: in ipsorum dolositate pariter in pontificali obsequio pergentes, et dulcia verba quæ non habebant in pectore, cum eo loquentes: maligni etiam et iniqui, ac perversi, falsique Christiani, prorsus pagani, filii diaboli, in unum se satanice colligentes, pleni iniqua cogitatione in ipso itinere ante monasterium sanctorum Stephani et Silvestri, quod dominus Paulus papa fundaverat, clam armati astitere, atque repente de loco insidiarum exsilientes, ad ipsum (quod dictu nefas est) impie trucidandum absque ulla reverentia confluxerunt, Paschale ad caput stante, et Campulo ad pedes secundum iniquum eorum consilium. Quo facto, omnis, qui circa eum erat, populus, videlicet inermis et in Dei officio præparatus, timore armorum perterritus, in fugam conversus est. Ipsi vero insidiatores atque operatores malorum Judaico more, sine ullo divino vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram eum projecerunt, et absque ulla misericordia scindendo exspoliantes eum, crudeliter oculos ei evellere, et ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam lingua ejus præcisa est, et ut ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum et mutum in media platea dimierunt.

370 Verum ipsi maligni Paschalis et Campulus, sicut veri pagani et impii, ad ipsius monasterii ecclesiam ante confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare iterum oculos et linguam amplius crudeliter eruerunt, et plagis eum diversis et fustibus cædentes, laniaverunt et semivivum in sanguine revolutum ante ipsum altare dimiserunt; postmodum vero sub custodia in ipso monasterio dimiserunt. Timore autem perterriti ne a Christianis hominibus furatus inde fuisset, tunc malignum consilium adepti, sicut ipse hegumenus monasterii sancti Erasmi [c] professus est, fecerunt eum ad se venire clam per noctem, tam Paschalis malignus, qui tunc primicerius erat, quam Campulus sacellarius, et Maurus Nepesinus, et miserunt eum in prædictum monasterium sancti Silvestri cum pluribus iniquis consentaneis ipsorum malefactoribus. Et sic per noctem cum exinde abstollentes [d] deduxerunt in monasterium sancti Erasmi, et in arcta et angusta custodia eum recluserunt. Sed Deus omnipotens, qui eorum malitiam præsciendo diu patienter sustinuit, ipse eorum iniquos conatus mirabiliter dextruxit. Contigit enim, cooperante Deo et beato Petro apostolo suffragante, quod antedictus papa cum ab ipsis carnificibus in monasterium sancti Erasmi in custodiam mitteretur, Domino annuente atque beato clavigero Petro regni cœlorum suffragante, ut visum receperit et linguam ad loquendum illi restituta sit.

371 Et ut ostenderet omnipotens Deus super suum famulum solitam misericordiam et magnum miraculum, divino nutu ejus a fidelibus Christianis viris, videlicet per Albinum cubicularium cum aliis fidelibus Deum metuentibus, ex ipso eum claustro occulte abstollentes, in basilica beati Petri apostolorum principis, ubi et ejus sacratissimum corpus quiescit, deduxerunt. Qui omnes audientes et videntes mirabilia Dei, qui innocentem et justum pontificem de manibus inimicorum eruit, glorificaverunt Dominum Deum, dicentes: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, et non deseruit sperantes in se* [e]. Sed in eo adimplevit misericordiam suam, ut manifestaretur gloria Dei,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Baron. ann.* 799. [b] Christiani. [c] Gerasimi. [d] abstrahentes. [e] *Psal.* xxxv.

Digitized by Google

et mirabilia in illo, quemadmodum promisit sperantibus in se, Psalmista dicente : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo* [a]? Et iterum : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* [b]. Et vere a tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, et linguam ad loquendum restituit, et totis ejus [c] solidavit membris, et in omnibus operibus mirabiliter deducens confortavit. Et quantum gaudium habuerunt Christiani homines et fideles, tantum mœrore et tristitia angustiati illi, nesciebant quid agerent, et in periculo se esse existimantes, quærebant semetipsos interficere. Et dum non invenirent quid aliud agerent, domum Albini, fidelis beati Petri apostoli et ejusdem pontificis, deprædantes destruxerunt, et in ipsam beati Petri apostoli aulam conjungente præfato pontifice, confestim Winichis gloriosus dux Spoletanus cum suo exercitu obviavit ei, et cum summum pontificem videntem et loquentem conspexisset, venerabiliter eum recipiens Spoletum deduxit, glorificans et laudans Deum, qui per talia mirabilia eum clarificavit. Quo audito per diversas civitates Romanorum fideles ad eum occurrerunt, et pariter cum aliquibus ex ipsis civitatibus episcopis, presbyteris seu clericis Romanis et primatibus civitatum ad excellentissimum domnum Carolum regem Francorum et Longobardorum atque patricium Romanorum profectus est. Ipse vero Christianissimus et orthodoxus atque præcipuus clementissimusque rex illico ut audivit, misit in obviam ejus Hildivaldum archiepiscopum et capellanum et Ascharium comitem. Et postmodum proprium filium suum Pippinum excellentissimum regem, cum aliis comitibus obviam ejus iterum, et usque ubi ipse magnus rex obviavit, et sicut vicarium beati Petri apostoli venerabiliter et honorifice cum hymnis et canticis spiritalibus eum suscepit, et pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt. Et prædicto pontifice *Gloria in excelsis Deo* inchoante, et cuncto clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est. Tunc benignissimus domnus Carolus magnus rex ante dictum pontificem conspiciens gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum per suffragia principum apostolorum Petri ac Pauli operatus est, et ad nihilum prædictos iniquos viros deduxit.

372 Qui dum in magno honore apud se per aliquantum temporis eum ipse serenissimus rex habuisset, hæc præfati iniqui et filii diaboli audientes, post dira et iniqua incendia quæ in possessionibus seu rebus beati Petri apostoli gesserunt, moliti sunt, Deo illis contrario, falsa adversus sanctissimum pontificem imponere crimina, et post eum ad prædictum mittere regem, quod probare nequaquam potuissent [d], quia per insidias et iniquitates eorum talia nec dicenda, sanctam Ecclesiam humiliare volentes, proferebant. Sed dum ad prædictum clementissimum magnum regem præfatus pontifex in magno et condecenti honore degeret, ex omni parte tam archiepiscopis quamque episcopis et cæteris sacerdotibus venientibus una cum consilio [e] ejusdem piissimi magni regis, omnibusque eximiis Francis, Deo prævio, Romam illum remeare [f] in suam apostolicam sedem honorifice cum nimio, ut decuit, emiserunt [g] honore. Qui per unamquamque civitatem tanquam ipsum suscipientes apostolum usque Romam deduxerunt. Tunc Romani præ nimio gaudio suum recipientes pastorem, omnes generaliter in vigilia beati Andreæ apostoli, tam proceres clericorum cum omnibus clericis quamque optimates et senatus cunctaque militia, et universus populus Romanus cum sanctimonialibus et diaconissis ac nobilissimis matronis, seu universis feminis, simul etiam et cunctæ scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum atque Longobardorum, simul omnes connexi ad pontem Milvium, cum signis, et bandis, et canticis spiritalibus susceperunt, et in ecclesiam beati Petri apostoli eum deduxerunt, ubi et missarum solemnia celebravit. Et omnes communiter corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi fideliter participati sunt.

373 Et alia die secundum olitanam consuetudinem natale beati Andreæ apostoli celebrantes, Romam intrans cum multo gaudio et lætitia, in patriarchium Lateranense introivit. Et post aliquantos dies fidelissimis missis, qui cum eo venerunt in pontificale obsequium, videlicet Hildivaldo et Arno reverendissimis archiepiscopis, et Cuniberto, Bernhardo [h], Hatthone et Tesse reverendissimis et sanctissimis episcopis, necnon et Flacco electo episcopo, verum etiam Helmgoth, Rothegario et Germano gloriosis comitibus, residentibus in triclinio ipsius domni Leonis papæ, et per unam et amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam ab ipso ipsorum pontifice [i] habuissent, tam Paschalis quamque Campulus cum sequacibus eorum, nihil habuerunt adversus eum quod dicerent.

374 Tunc illos comprehendentes prædicti missi magni regis, emiserunt eos in Franciam Qui post modicum tempus ipse magnus rex dum in basilica beati Petri apostoli conjunxisset,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Psal.* XXVI. [b] *Psal.* CXVIII. [c] eum. [d] potuerunt. [e] filio. [f] remeantem. [g] dimiserunt. [h] Reinhardo. [i] ad ipsum pontificem.

Digitized by Google

et cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eamdem ecclesiam congregari archiepiscopos seu episcopos, abbates et omnem nobilitatem Francorum atque Romanorum, et sedentes pariter tam magnus rex quam beatissimus pontifex, fecerunt residere et sanctissimos archiepiscopos et abbates, stantibus reliquis sacerdotibus et optimatibus Francorum, et Romanorum, ut crimina quæ adversus almum pontificem dicta fuerant, declinarent [a]. Qui universi archiepiscopi, et episcopi, et abbates unanimiter audientes, dixerunt : Nos sedem apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus; nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit : sed sicut ipse summus pontifex censuerit, canonice obediemus. Venerabilis vero præsul inquit : Prædecessorum meorum pontificum vestigia sequor, et de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.

375 Alia vero die in eadem ecclesia beati Petri apostoli, cum omnes adessent generaliter archiepiscopi seu episcopi et abbates, et omnes Franci qui in servitio ejusdem magni regis fuerunt, et cuncti Romani, in eadem ecclesia beati Petri apostoli, in eorum præsentia, amplectens præfatus venerabilis pontifex sancta Christi quatuor Evangelia coram omnibus ascendit in ambonem, et sub jurejurando clara voce dixit : Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto omnes archiepiscopi, episcopi et abbates, et cuncti clerici letania facta, laudes dederunt Deo atque Dei Genitrici semperque virgini Mariæ, dominæ nostræ, et beato Petro apostolorum principi omnibusque sanctis Dei.

376 Post hæc adveniente die natali Domini nostri Jesu Christi, in jam dicta basilica beati Petri apostoli omnes iterum congregati sunt, et tunc venerabilis almificus pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum [b]. Tunc universi fideles Romani, videntes tantam defensionem et dilectionem quam erga sanctam Romanam Ecclesiam et ejus vicarium habuit, unanimiter altisona voce Dei nutu atque beati Petri clavigeri regni cœlorum exclamaverunt : *Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico imperatori, vita et victoria.* [c] Ante sacram confessionem beati Petri apostoli plures sanctos invocantes, ter dictum est, et ab omnibus constitutus est imperator Romanorum. Illico sanctissimus antistes et pontifex unxit oleo sancto Carolum, et excellentissimum filium ejus regem, in ipso die Natalis Domini nostri Jesu Christi, et missa peracta post celebrationem missarum obtulit ipse serenissimus domnus imperator mensam argenteam cum pedibus suis, pensan. libr....

377 Sed et in confessione ejusdem Dei apostoli obtulit una cum præcellentissimo filio suo rege et filiabus diversa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensæ, pensan. libr..... sed et coronam auream cum gemmis majoribus quæ pendet super altare, pensan. libras quinquaginta quinque; et patenam auream majorem cum gemmis diversis, pensan. libras triginta; et calicem majorem cum gemmis et ansis duabus, pensan. libras quinquaginta octo; item calicem majorem fundatum cum scyphone, pensan. libras triginta et septem; imo et alium calicem majorem fundatum, pensan. libras triginta et sex. Obtulit et super sacratissimum altare beati Petri apostoli, imo et in basilica beati Pauli apostoli, mensam argenteam minorem cum pedibus suis, pensan. libras quinquaginta quinque, cum diversis vasis argenteis miræ magnitudinis quæ ad usum ipsius mensæ pertinent.

378 Item in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quam Constantinianam vocant, obtulit crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus pontifex in letania præcedere constituit, secundum petitionem ipsius piissimi imperatoris; imo et altare cum columnis argenteis, et cyborio. Verum etiam et Evangelium ex auro mundissimo, cum gemmis ornatum, pensan. libr..... Item et in basilica beatæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe obtulit sicla argentea majora, pensan. libr..... Postmodum vero dum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, videlicet Paschalis cum Campulo et sequaces eorum, in præsentia piissimi domni imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis et Romanis, et omnibus exprobrantibus de malis ipsorum consiliis et operationibus increpabat Campulus Paschalem, dicendo : Mala hora faciem tuam vidi, eo quod tunc me misisti in istud periculum; et cæteri similiter, unus alterum condemnans, manifestabant suis ipsorum reatus. Qui dum tam crudeles et iniquos piissimus imperator cognovisset, in exsilium in partibus Franciæ misit. Præfatus vero sanctissimus pontifex juxta ecclesiam beati Petri apostoli fecit in triclineo majori miræ pulchritudinis decoratam absidam de musivo ornatam, et absidas duas dextra lævaque super marmore et pictura splendentes; et in pavimento marmoreis exemplis stratis, cum cæteris amplis ædificiis, tam in ascensu scalæ,

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, examinarent. [b] Carolum Magnum. [c] *Vide Baron. ad ann.* 800

Digitized by Google

quamque post ipsum triclineum compte fecit. Itemque fecit in basilica beati Petri apostoli vestem chrysoclabam, cum pretiosis gemmis ornatam, habentem historiam Dominicæ resurrectionis. Sed et inter arcus argenteos vela serica alba et vela de staurace pulcherrima. Post reversionem suam et ob nimium amorem fecit eidem nutritori suo prestyterium noviter totum marmoreum magnæ pulchritudinis, sculptum compteque erectum. Sed et super altare majus fecit tetra vela holoserica alithina quatuor, cum astillis et rosis chrysoclabis.

379 Et in eodem altare fecit cum historiis crucifixi Domini vestem Tyriam, et in ecclesia doctoris mundi beati Pauli apostoli tetra vela holoserica alithyna quatuor, et vestem super altare albam chrysoclabam, habentem historiam sanctæ Resurrectionis, et aliam vestem chrysoclabam, habentem historiam nativitatis Domini et sanctorum Innocentium. Imo et aliam vestem Tyriam, habentem historiam cæci illuminati, et Resurrectionem. Idem autem sanctissimus præsul fecit in basilica beatæ Mariæ ad Præsepe vestem albam chrysoclabam, habentem historiam sanctæ Resurrectionis; sed et aliam vestem in orbiculis chrysoclabis, habentem historias Annuntiationis, et sanctorum Joachim et Annæ. Fecit in ecclesia beati Laurentii foris muros idem præsul vestem albam rosatam cum chrysoclabo; sed et aliam vestem super sanctum corpus ejus albam de stauraci chrysoclabam, cum margaritis; et in titulo Calixti vestem chrysoclabam ex blattin Byzanteo, habentem historiam nativitatis Domini, et sancti Simeonis. Item in ecclesia sancti Pancratii vestem Tyriam, habentem historiam Ascensionis Domini, seu et in sancta Maria ad Martyres fecit vestem Tyriam ut supra; et in titulo sanctæ Sabinæ ut supra; et in diaconia sancti Bonifacii ut supra; et in diaconia sanctæ Mariæ, quæ vocatur Cosmidin, ut supra; et in basilica sanctorum Cosmæ et Damiani fecit vestem de blatti Byzanteo, cum periclysin de chrysoclabo et margaritis.

380 Item in ecclesia sancti Valentini fecit vestem chrysoclabam et aliam vestem fecit de fundato pulcherrimam. Et in diaconia sanctorum Nerei et Achillæi fecit vestem de stauraci; et in diaconia sancti Dei Genetricis, quæ vocatur Dominica, fecit vestem de stauraci. Ipse vero almificus pontifex in venerabili monasterio sancti Sabæ fecit butronem argenteum cum canistro suo, pensan. libras duodecim; et vestem de stauraci cum chrysoclavo et margaritis. Item et in monasterio sancti Erasmi fecit vestem de stauraci cum cruce et gamadiis, simul et paratrapetis suis, cum periclysi de chrysoclavo. Necnon et in monasterio Clivi Scauri fecit vestem de stauraci cum periclysi de chrysoclavo. Verum etiam et in titulo Pammachii fecit vestes duas, ex quibus unam de stauraci cum periclysi de chrysoclavo; et aliam vestem de imizino. Sæpedictus vero antistes sanctissimus ecclesiæ beati Andreæ apostoli, sitæ in tricesimo via Appia in Silice, sarta tecta noviter renovavit, una cum baptisterio, et porticus. In qua Ecclesia presbyterum constituit, ubi et dona obtulit tam in argento quamque in vestibus et libris. Nona vero indictione, peccatis nostris imminentibus, subito terræmotus factus pridie Kalendas Maii, et ecclesia beati Pauli apostoli ab ipso terræmotu concussa, omnia sarta tecta ruerunt. Quod conspiciens magnus et præclarus pontifex in magnam veniens tribulationem, lamentari cœpit tam pro argen. quamque pro cæteris speciebus quæ ibidem demolitæ et confractæ sunt. Sed Domino annuente, et beato principe apostolorum protegente, præfatus pontifex et totis nisibus suis certamen ponens instar sicut antiquitus existebat ampla, et maxima fortitudine ponens in meliorem deduxit statum; et in meliori specie eam marmoribus decoravit, tamque presbyterium quamque totam ecclesiam marmoravit, et ejus porticus renovavit.

381 Simulque et in nave quæ est super altare sarta tecta omnia noviter restauravit, et tres imagines aureas ibidem obtulit, scilicet Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli. Sed et aliam imaginem argenteam Salvatoris deauratam super postes in introitu posuit, pens. libras sexaginta. Sed et omne argenteum ibidem, quod conquassatum fuerat, noviter restauravit. Necnon et fenestras ipsius ecclesiæ miræ pulchritudinis ex metallo cypsino decoravit. Ipse vero præfatus pontifex fecit in basilica Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, super altare vestes duas, ex quibus unam cum chrysoclavo et gemmis, habentem historiam Salvatoris introeuntis in sanctam civitatem, et aliam chrysoclavam cum gemmis pretiosissimis, habentem historiam Resurrectionis Dominicæ. Et in circuitu altaris vela rubea serica quatuor, et alba quatuor, cum chrysoclavo; et tres ante imagines, cum lista, et alias albas sericas numero septem et triginta. Et in altare beati Venantii fecit vestem de fundato cum velis duobus; et in oratoriis sanctorum Joannis Baptistæ et Joannis evangelistæ fecit vestes duas de stauraci cum chrysoclavo, et vela duo.

382 Isdem vero prælatus pontifex super altare beati Petri apostoli fecit vestem cum vite ex auro purissimo, cum gemmis pretiosissimis et margaritis, habentem in medio vultum Salvatoris et sanctæ Dei Genitricis Mariæ et duodecim apostolorum, ubi et misit auri libras viginti quinque. Et aliam vestem chrysoclavam, habentem historiam letaniæ majoris. Sed et aliam vestem, habentem tabulas chrysoclavas tres, et historiam Dominicæ passionis, legentem: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tra*

Digitized by Google

detur, et cætera. Similiter etiam et cortinam majorem de fundato. Verum etiam et per arcus argenteos fecit vela paschalia, cum periclysi de stauraci ex quinque, cum chrysoclavo nonaginta et tres, et in arcubus majora vela alba quadraginta et octo. Necnon et gabathas fecit ex auro purissimo quindecim, cum gemmis pendentes in pergula ante altare, pensan. libras sexaginta quinque et semis. Sed et tabulam ante confessionem fecit ex auro purissimo, pensan. libras viginti et novem. Verum etiam et imagines argenteas deauratas duas super regias [a] majores posuit, pensan. libras nonaginta. Imo et canthara argentea duo in presbyterio fecit, pensan. libr. quinquaginta. Necnon et fenestras ipsius ecclesiæ ex metallo cyprino decoravit.

383 Fecit et in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli vestem chrysoclavam, habentem in medio Salvatorem, et dextra lævaque beatum Petrum, et Paulum gentibus prædicantem, cum periclysi de chrysoclavo et gemmis pretiosissimis. Super altare beati Andreæ fecit vestem chrysoclavam cum margaritis, sed et presbyterium ex marmoribus sculptis ornavit. Et in altare beatæ Petronillæ fecit vestem albam holosericam, cum tabulis de chrysoclavo et cruce, et ibidem presbyterium ex marmoribus sculptis decoravit. Fecit et columnas argenteas sex, et regulares duos ex argento purissimo, pensan. simul libras octuaginta. Et super corpus beati Gregorii confessoris atque pontificis fecit vestem albam holosericam cum tabulis de chrysoclavo et cruce. Itemque fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe cortinam Alexandrinam, cum periclysi de stauraci, et aliam albam cum periclysi de blatthin, pendentes super altare, et ante præsepe vela alba cum periclysi de blatthin. Necnon et intro rugas majores, atque ante secretarium, numero duodecim et intus præsepe fecit vestem de alythino cum chrysoclavo. Imo et in basilica beati Laurentii martyris foris muros fecit cortynam Tyriam cum periclysi de stauraci. In basilica beati Pancratii martyris fecit cyborium ex argento purissimo, pensan. libr. trecentas sexaginta et septem. Et in titulo Calixti ad honorem sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ fecit cyborium ex argento, pensan. libras quingentas quatuor et semis; et in titulo Eudoxiæ fecit vestem albam cum periclysi de chrysoclavo; et in titulo sanctæ Cæciliæ fecit vestem de stauraci: sed et in titulo sancti Eusebii fecit vestem de fundato; et in titulo sancti Vitalis fecit vestem de stauraci cum cruce de chrysoclavo. Necnon et in titulo sanctæ Pudentianæ fecit vestem ut supra, et in titulo sanctæ Anastasiæ fecit vestem de fundato. Fecit et in titulo sanctæ Praxedis vestem de stauraci, cum periclysi de blatthin, et in basilica beati Laurentii in Formoso fecit vestem de quadrapulo.

384 Imo et in monasterio sancti Anastasii fecit vestem de chrysoclavo ejusdem, cum martyris passione depicta, et pharum de argento, cum canistro octogoni, pens. libras viginti quinque. Et in monasterio sancti Silvestri fecit vestes duas, unam in basilica majori byzantea cum chrysoclavo, et aliam de fundato in oratorio. In monasterio sanctæ Luciæ in Renatis fecit vestem de fundato cum chrysoclavo, et in sancto Angelo in Fabiano fecit vestem de fundato, et in diaconia sanctæ Luciæ in septem Viis fecit vestem de fundato. In diaconia vero sanctorum Sergii et Bacchi fecit vestem de stauraci; in diaconia vero sanctæ Luciæ in Orphea fecit vestem de stauraci, et in diaconia sancti Eustachii fecit vestem de fundato. Ipse autem a Deo protectus venerabilis, et almificus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui in medio basilicæ crucifixum ex argento purissimo, pensan. libras septuaginta et duas. Itemque fecit in patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis, decoratum cum absida de musivo; sed et alias absidas decem, dextra lævaque diversis historiis depictas, habentes apostolos gentibus prædicantes, cohærentes basilicæ Constantinianæ, in quo loco et accubita collocavit, et in medio concham porphyreticam aquam fundentem. Necnon et pavimentum ipsius marmoribus diversis stravit. Fecit autem et in titulo sancti Quiriaci vestem de stauraci, cum periclysi de blatthin, et in gyro chrysoclavum et in medio crucem de margaritis. Imo et in cœmeterio sancti Sixti via Appia fecit vestem de stauraci et in medio crucem de chrysoclavo. Verum etiam et in titulo Calixti super altare post absidam fecit vestem de stauraci, et in medio crucem de chrysoclavo, et ibidem similiter vela sex fecit de stauraci. Fecit et in titulo sanctorum Quatuor Coronatorum vestem de stauraci, habentem in medio crucem de chrysoclavo. Et in titulo sancti Marcelli fecit vestem de stauraci.

385 Simulque in ecclesia sanctæ martyris Sabinæ fecit vestem de fundato, cum periclysi de blatthin, habentem in medio crucem de chrysoclavo. Necnon in basilica sancti Laurentii in Formoso fecit vestem de fundato. Ecclesiam vero beati Pauli apostoli, quæ vocatur Conventus, sitam in territorio Orbetano, intra fines Suanenses et Cusinenses, seu Tuscianenses, atque Castritana, quæ pro nimia vetustate jam immarcuerat, atque in ea pecudes refugium faciebant, necnon et ex ea reliquiæ ablatæ fuerant, isdem sanctissimus præsul pontifex mundari præcepit, et omnia sarta tecta ipsius in porticibus noviter restauravit, atque in altare ejus vestem de stauraci posuit et reliquias recondi præcepit. Pari modo et

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] rugas.

Digitized by Google

in basilica beati Petri apostoli, sita in Albano, quæ pro nimia vetustate jam ruitura erat, omnia tecta sarta ejus noviter restauravit. Fecit autem isdem almificus pontifex in basilica beati Hippolyti martyris in civitate Portuensi vestes de stauraci duas, unam super corpus ejus et aliam in altari majori. Et in titulo sanctæ martyris Sabinæ tetra vela de stauraci, cum periclysi de blatthin. Enimvero et in oratorio sanctæ Dei Genitricis, sito in xenodochio Firmis, fecit vestem de stauraci pulcherrimam.

386 Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex constituit ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ letaniæ celebrarentur : scilicet feria secunda, egrediente pontifice cum omni clero et cuncto populo, cum hymnis et canticis spiritalibus, ab ecclesia Dei Genitricis ad Præsepe pergendo ad ecclesiam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana; feria tertia vero, exeuntes ab ecclesia sanctæ Sabinæ martyris, et pergentes ad beatum Paulum apostolum ; feria quarta exeuntes ab ecclesia Hierusalem, et pergentes ab beatam ecclesiam beati Laurentii martyris foris muros. Fecit autem et in titulo sanctorum Coronatorum vestem de stauraci, habentem in medio crucem de chrysoclavo

387 Isdem vero sanctissimus præsul in basilica beati Agapiti martyris, in civitate Prænestina, fecit vestem de stauraci cum periclysi de fundato, et in medio crucem de chrysoclavo. Fecit isdem sanctissimus præsul in ecclesia beati Clementis, quæ ponitur in Velitris, vestem de stauraci. Simili modo et in titulo beati Chrysogoni fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin ; et in titulo beati Laurentii de lucina fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin; et in titulo beati Marci fecit vestem de stauraci cum periclysi; et in titulo beati Laurentii in Damaso fecit vestem similiter. Simili modo et in titulo beati Sixti fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin, necnon et in diaconia beati Adriani, et in ecclesia beatæ Martinæ, et in diaconia antiqua fecit vestes de stauraci cum periclysi. Simili modo et in diaconia beati Archangeli fecit vestes tres, ex quibus unam de stauraci cum periclysi de blatthin, et alias duas de Tyrio cum periclysi de fundato, cum historia de elephantis. Imo et in diaconia sancti Theodori fecit vestem de stauraci cum periclysi ; et in diaconia beati Georgii fecit vestem de fundato cum historia de elephantis, seu diversis historiis, cum periclysi de fundato. Fecit et in diaconia in gyro vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Simili modo et in diaconia in via Lata fecit vestes duas de Tyrio, cum periclysi de blatthin.

388 Et in diaconia sanctæ Agathæ fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Fecit in basilica beati Archangeli, quæ ponitur in Septimo, vestem de stauraci cum periclysi de blatthin; et in monasterio sancti Agapiti, quod ponitur ad Vincula, fecit vestem de stauraci. Idem vero misericordissimus præsul fecit in ecclesia beatæ Agnes martyris, ubi ejus corpus requiescit, vestem de fundato cum periclysi de blatthin ; et in ecclesia beati Apollinaris fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Isdem misericordissimus præsul fecit et in titulo sanctorum Martini et Silvestri vestes de stauracin duas, e quibus unam cum periclysi de fundato, alias vero de blatthin ; et in diaconia sancti Viti fecit vestem de stauracin cum periclysi de fundato. Enimvero et in ecclesia beatæ Eugeniæ, in qua sanctum corpus ejus requiescit, fecit vestem de stauraci, cum periclysi de blatthin. Fecit et in ecclesia sancti ¡Stephani¡ in Cœlio monte vestes de stauraci duas, in quibus unam in altari majori, aliam vero super corpora sanctorum martyrum Primi et Feliciani. Simulque et in basilica beatæ Euphemiæ fecit vestem de stauraci · et in basilica beati Archangeli, quæ ponitur in vico Patricii, fecit vestem de stauraci.

389 Fecit et super sepulcrum beati ¡Sebastiani martyris via Appia ad Catacumbas vestes majores duas, ex quibus unam de stauraci et aliam de fundato. Et inibi super tumbas apostolorum Petri ac Pauli fecit vestes duas de stauraci et fundato, seu blatthi. Isdem vero sanctissimus præsul fecit in basilica beati Laurentii martyris, sita infra civitatem Tiburtinam, vestem de stauraci. ¡Fecit et in oratorio sancti Stephani in sancto Petro, qui appellatur Major, vestem de stauraci. Fecit autem et in basilica beati Hyacinthi, sita in Sabinis, ubi et corpus ejus requiescit, vestem de stauraci pulcherrimam. Item a Deo protectus et præclarus pontifex fecit super altare beati Petri apostoli fautori suo vestem de chrysoclavo miræ magnitudinis, habentem historiam Dominicæ nativitatis cum gemmis pretiosissimis et margaritis ornatam. Fecit autem in supradicta ecclesia vela de stauraci atque de fundato, pendentia inter columnas majores, dextra lævaque, numero sexaginta quinque; et alia vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu. Atque ibidem ejus beatitudo fecit crucifixum ex argento purissimo, qui ¡stat juxta altare majus, miræ magnitudinis decoratum, pensan. libras quinquaginta duas; cui super fecit gabathas sex cum cruce ex argento purissimo, quæ pendent ante arcum majorem, dextra lævaque, pensan. simul libras duodecim et semis.

390 Enimvero et inibi fecit præclarus pontifex vela de stauraci, quæ pendent in arcubus argenteis in circuitu altaris, et in presbyterio numero nonaginta et sex, ex quibus duo habentia in medio cruces de chrysoclavo cum orbiculis, et alia octo cum periclysi de chrysoclavo : necnon et arcus cum columnis suis fecit ex argento purissimo in supradicta ecclesia ; et in medio presbyterio, pens. simul libr. ducentas quinquaginta et unam et semis. Isdem vero almificus pontifex fecit ubi supra crucem

Digitized by Google

anaglyphum intersatilem ex auro mundissimo, pendentem in pergula ante altare, cum candelis duodecim, pensan. libras tredecim. Prædictus quoque venerabilis pontifex fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli calices majores fundatos ex argento purissimo ex ipsius apostoli donis, qui pendent in arcu majore, numero undecim, et alios qui pendent inter columnas majores dextra lævaque numero quadraginta, pensan. simul libr. ducentas sexaginta et septem. Hic idem almificus præsul, divina inspiratione repletus, fecit in basilica beati Pauli apostoli ciborium cum columnis suis super altare, miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratum, ex argento purissimo, pens. libras duo mille et quindecim; necnon et crucem anaglypham interrasilem ex auro purissimo, pendentem in pergula ante altare, pensan. libras tredecim ; atque velum rubeum, quod pendet ante altare, habens in medio crucem de chrysoclavo et periclysin de chrysoclavo.

391 Pari modo et in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe fecit gabathas quinque ex auro purissimo, pensan. libras octo et semis, atque crucem ex auro purissimo, pensan. libras decem ; necnon et coronam majorem ex argento purissimo, pensan. libras triginta sex. Enimvero et inibi fecit vela alba holoserica, pendentia inter columnas majores, dextra lævaque, numero quadraginta duo, ex quibus undecim rosata. Fecit et in circuitu altaris ubi supra alia vela alba holoserica rosata, quæ pendent in arcu de ciborio, numero quatuor, ex quibus unam cum chrysoclavo et margaritis, atque velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu. Sarta tecta vero ecclesia beatæ Aareæ, sitæ in Ostia, omnia noviter reparavit. Ecclesiam vero beati Marcelli, sitam in quarto decimo, quæ ab igne fuerat exusta, isdem almificus præsul in omnibus noviter restauravit. Ipse vero præclarus pontifex fecit in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, tetravila in circuitu altaris alba holoserica, ex quibus unum habet in medio tabulam cum cruce de chrysoclavo. Imo et in eadem basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi renovavit altare majus miræ magnitudinis, decoratum ex argento purissimo, pensan. libras sexaginta et novem. Fecit et in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe vestem chrysoclavam cum margaritis ornatam, habentem historiam Dominicæ Nativitatis ; simul etiam et arcus duos ex argento in presbyterio, cum columnis quatuor, et alios arcus quinque, pensan. libras centum triginta et tres. Isdem vero præcipuus præsul fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe vestem rubeam alithynam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Domini nostri Jesu Christi et sancti Simeonis, quando in templo est præsentatus : et in circuitu listam de chrysoclavo ; necnon et aliam vestem chrysoclavam, habentem historiam transitus sanctæ Dei Genitricis, miræ magnitudinis et pulchritudinis, decoratam ex gemmis pretiosis, et margaritis ornatam, cum periclysi de chrysoclavo, et in circuitu listam de chrysoclavo. Verum etiam et in diaconia ipsius Dei Genitricis dominæ nostræ, quæ appellatur Dominica, fecit vestem rubeam alithynam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia ejusdem Dei Genitricis, ex margaritis ornatam, et periclysin de chrysoclavo. Fecit autem et in diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Antiqua, super altare majus ciborium ex argento purissimo, pensan. libras ducentas et duodecim.

392 Præfatus vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritori suo gabatham ex auro purissimo anaglypham, cum gemmis pretiosis ornatam, quæ pendet ante imaginem ipsius apostoli in ingressu vestibuli, pensan. libras septem et semis. Faciem vero sacri altaris ipsius apostolorum principis ab imo usque ad summum, cum luminaribus inferius superiusque ; necnon et intra confessionem Salvatorem stantem, dextra lævaque ejus beati apostoli Petri et Pauli, habentes pariter coronas ex gemmis pretiosis, atque pavimentum ipsius confessionis investivit ex auro fulvo nimis, pensan. libras quadringentas quinquaginta et tres et uncias sex. Verum etiam super ipsum sacrum altare fecit vestem chrysoclavam, habentem historiam Dominicæ Ascensionis et Pentecosten, cum periclysi de chrysoclavo.

393 Pari modo ubi supra fecit imaginem ipsius apostolorum principis in porta virorum, ex auro purissimo et gemmis pretiosissimis miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam, pensantes libras decem et novem et uncias tres. Præsertim vero isdem beatissimus pontifex fecit ubi supra cancellos fusiles in ingressu presbyterii, seu in dextra parte lævaque, necnon et in ingressu vestibuli, ex argento mundissimo, pens. simul libras mille quingentas septuaginta et tres. Simulque et columnas volatiles [a] tam in ingressu corporis dextra lævaque ex parte virorum, ac mulierum para octo, pens. simul libras centum nonaginta ; necnon et arcus argenteos octo, pens. simul libras centum quadraginta et tres. Fecit autem isdem beatissimus pontifex in basilica beati Andreæ, ubi supra, regnum ex auro purissimo, cum gemmis pretiosis ornatum, pensan. libras duas, et uncias quinque. Necnon et super altare beatæ Petronillæ, ubi supra, fecit regnum aureum cum gemmis pretiosissimis, pensan. libras duas et uncias

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] tornatiles *vel* versatiles

Digitized by Google

tres. Simili modo et super altare sanctæ Dei Genitricis, ubi supra, quæ appellatur Mediana, fecit vestem de fundato cum periclysi de chrysoclavo, habentem historiam Annuntiationis Domini. Fecit autem isdem beatissimus pontifex in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli canistros ex argento puro, numero quadraginta septem, pensan. simul libras ducentas quadraginta et septem. Et in monasterio sanctæ Agathæ martyris super Suburram fecit vestem rubeam alithynam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum periclysi de chrysoclavo. Necnon et in monasterio sancti Pancratii, sito post basilicam Salvatoris, quam Constantinianam vocant, fecit vestem de fundato. Hic fecit beato Petro apostolo fautori suo Evangelia aurea cum gemmis prasinis atque hyacinthinis et albis miræ magnitudinis in circuitu ornata, pensan. libras decem et septem et uncias quatuor. Hic fecit calicem aureum præcipuum, diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensan. libras viginti octo ; similiter et patenam auream, pensan. libras viginti octo et uncias novem.

394 Pari modo in basilica ipsius apostoli fecit Cherubin ex argento purissimo deauratos quatuor, qui stant super capita columnarum argentearum sub ciborio, pensan. libras nonaginta et tres. Fecit quoque isdem præcipuus præsul, ubi supra, imaginem Salvatoris auream, quæ stat in trabe super ingressum vestibuli, pens. libras septuaginta et novem. Fecit autem in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli angelos ex argento purissimo deauratos duos, qui stant juxta imaginem Salvatoris in ingressu vestibuli, pensan. libras centum et semis. Verum etiam et polycandilum porphyreticum, pendentem in pergula ante confessionem in catenulis aureis, quæ pens. libram unam. Præsertim et in ingressu basilicæ, ubi supra, regias majores fecit imagines ex argento quinque, pensantes inibi libras ducentas viginti et novem. Enimvero, ubi supra, fecit aquamanus antipemto deauratas, paria duo, pensan. simul libras quatuordecim. Fecit autem isdem præsagus antistes, ubi supra, cerostatas majores versatiles anaglyphos ex argento purissimo, pensan. simul libras octuaginta et sex et uncias octo ; atque lucernas majores fusiles hymixas duas, pensan. inibi libras quinquaginta et septem ; et constituit ejus beatitudo ut quotidianis noctibus ante altare ipsius apostoli ardere debeant. Hic, divina aspiratus gratia, investivit trabem majorem, quæ est sub arcu principali ex argento mundissimo, pensantem libras mille trecentas quinquaginta et duas.

395 Fecit autem hic præclarus pontifex, ubi supra, in altari majori vestem chrysoclavam admiræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam, habentem historiam Salvatoris Domini nostri Jesu Christi sanctæque ejus Genitricis et duodecim apostolorum, cum periclysi de chrysoclavo, undique cum margaritis ornatam, et ab utrisque lateribus blatthin cum chrysoclavo decoratam, quæ in natalibus apostolorum isdem egregius præsul ibidem poni constituit. Fecit autem ibi super crucem majorem ex auro fulvo nimis panoclystam, ornatam gemmis pretiosis, pens. libras quadraginta duas et uncias duas. Necnon et cerostata paria quatuor, investita ex argento deaurato, pens. simul libras septuaginta et septem. Fecit autem venerabilis et præclarus pontifex super altare beatæ Petronillæ ciborium cum columnis porphyreticis ex argento purissimo, miræ magnitudinis decoratum, pens. libras trecentas quadraginta et octo, atque imaginem argenteam stantem sub arcu de ipso ciborio, pens. libras decem et semis. Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli super altare majus vestem chrysoclavam, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, cum margaritis ornatam, et periclysin de chrysoclavo. Similiter ex margaritis ornatas imagines apostolorum duas ex argento deauratas, pensan. libras octuaginta et sex.

396 Hic vero misericordissimus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe super altare vestem chrysoclavam, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam, cum periclysi de chrysoclavo, undique ex margaritis ornatam. Et in titulo sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Calixti, fecit regnum ex auro purissimo, pendens super altare majus, ex gemmis pretiosis ornatum, pens. libram unam. Atque in diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Dominica, fecit regnum ex auro mundissimo pendens super altare majus ex gemmis pretiosis ornatum, pensan. libras duas. Hic beatissimus præsul, divina inspiratione repletus, fecit in basilica Dei Genitricis ad Præsepe in ingressu præsepii regias vestias ex argento purissimo, pens. simul libras centum viginti et septem, et super ipsas regias velum modicum fundatum, habentem in circuitu listam de chrysoclavo. Necnon et alia vela tyria super regias majores tria in ingressu basilicæ cum periclysi de fundato.

397 Fecit autem isdem egregius præsul in basilica beati Petri apostoli calices majores ex argento mundissimo, qui sedent super trabes argent. numero decem et octo, pensan. simul libras centum octuaginta duas. Necnon, ubi supra, fecit cerostatas majores fusiles ex argento purissimo, qui stant ante confessionem, pensan. libras centum nonaginta octo. Investivit vero super trabem ex argento mundissimo, quæ est super imaginem auream in ingressu vestibuli, pensan. libras centum viginti sex, et semis. Verum etiam, ubi supra, fecit lucernas fusiles duas ex argento purissimo, pensan. simul libras viginti et septem. Et hoc constituit ut Dominicorum dies vel in sanctis solemnitatibus, hinc inde

Digitized by Google

juxta ectoriam consisterent, et ad legendum sacras lectiones luminis splendore refulgerent. Hic fecit ad beatum Andream apostolum ciborium ex argento purissimo super altare majus, pensan. libras trecentas et quinque. Hic autem præcipuus pontifex divinitus inspiratus baptisterium, ubi supra, conspiciens, quia jam præ nimia vetustate ruinæ proximum inerat, et quia angustior locus populi existebat qui ad baptismum veniebat, isdem præsul a fundamentis ipsum baptisterium in rotundum ampla largitate construens in meliorem erexit statum, atque sacrum fontem in medio largiori spatio fundavit, et in circuitu columnis porphyreticis decoravit, et in medio fontis columnam posuit, et super columnam agnum ex argento purissimo, fundentem aquam, qui pensan. libras decem et octo et uncias decem. Necnon et altare majus sub absida construxit, cujus faciem atque confessionem, seu rugas, ad decorem ipsius sacri altaris investivit ex argento mundissimo, pensan. simul libras quadraginta et octo; verum etiam et vestem de stauraci super eam posuit, atque regularem ibi superinvestitum x argento purissimo fecit. Et super ipsum regularem posuit arcum et gammadias ex argento, qui pensant simul libras octuaginta. Necnon et imagines tres, ubi supra, posuit, pensan. inibi libras triginta et septem et uncias decem; ipsum vero baptisterium diversis in circuitu decoravit picturis.

398 Oratorium vero sanctæ Crucis, ubi supra, quod præ nimia erat vetustate ruiturum, hic præcipuus pastor a fundamentis simul cum absida novo ædificio erexit, et ad perfectum usque perduxit, atque ipsam absidam ex musivo diversis decoratam picturis atque marmoribus miro splendore ornavit, ubi et obtulit ciborium super altare cum columnis suis, atque faciem ipsius altaris investivit ex argento purissimo, pensan. libras centum viginti et unam et uncias duas; regnum spanoclystum ex auro purissimo, cum cruce in medio, pendens super ipsum altare, pensan. libram unam, et uncias undecim. Necnon et alias columnas argenteas quatuor, et super ipsas columnas regularem investitum ex argento purissimo, pensan. inibi libras sexaginta et quatuor et uncias tres. Arcus argenteos tres, pensan. libras quadraginta et tres et uncias octo: imagines argenteas deauratas tres, pensan. inibi libras triginta; canistros argenteos intersatiles duodecim, pensan. simul libras septuaginta et octo; gabathas argenteas intersatiles fundatas viginti unum, et crucem unam, pens. in unum lib. quinquaginta; vestem super altare de fundato unam; et alia de blatthin, cum chrysoclavo, necnon et aliam vestem albam rosatam cum chrysoclavo: velum modicum chrysoclavatum cum crucifixo, et margaritis ornatum; vela de stauraci septem, vela de fundato quatuor, vela modica, quæ pendent in regulari ante imagines Tyrias sex: vela alba serica, ornata in circuitu de fundato duodecim; velum majus album rosatum, ornatum desuper de quadrupulo unum, et aliud velum rubeum, cum bubalo, quod pendet ante regias majores: vela modica de stauraci quatuor, quæ pendent in regulari ante imagines; sed et alia vela promiscua serica numero undecim. Fecit, ubi supra, ad fontes vela Tyria tria, quæ pendent in regularem ante imagines, et alia vela serica numero viginti unum.

399 Hic fecit beato Petro apostolo nutritori suo calicem aureum præcipuum spanoclystum [a] diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensan. libras triginta. Pari modo fecit et patenam auream spanoclystam, similiter diversis ornatam pretiosis lapidibus, pensan. libras viginti quinque. Fecit vero super ciborium de altari majori beato Petro apostolo canthara majora quatuor ex argento purissimo, habentia in medio cereos ex argento deauratos, pensan. in unum libras centum et quadraginta. Prædictus vero et præclarus pontifex fecit ubi supra thuribulum apostolicum ex auro purissimo, pensan. libras duas et uncias quinque. Fecit vero vestem super altare majus chrysoclavam, diversis ornatam picturis quam constituit quatuor temporibus per annum in duodecim lectionibus ibidem ponere. Fecit ubi super coronas majores ex argento purissimo quatuor, pensan. simul libras centum quinquaginta quatuor et semis. Fecit vero ubi supra lectorium ex argento purissimo miræ magnitudinis decoratum, pensan. libras centum quadraginta et tres; necnon et cerostatas ex argento mundissimo, stantes juxta ipsum lectorium, pensan. simul libras quadraginta et novem. Verum etiam et super ipsas cerostatas fecit lucernas fusiles bimixas duas ex argento puro, pensan. libras viginti et septem. Ex hoc constituit ut Dominicorum die, vel in sanctis solemnitatibus, hinc inde juxta lectorium consisterent, et ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgerent. Pharocantharos fecit in presbyterio numero quatuordecim ex argento mundissimo, pens. simul libras quadringentas triginta et tres; necnon columnas octo et arcus quatuor fecit ex argento, pensan. inibi libras centum septuaginta et tres.

400 Fecit vero ubi supra calices fundatos ex argento, qui pendent inter columnas majores dextra lævaque basilicæ numero sexaginta quatuor, pensan. pariter libras quadringentas sexaginta et unam. Isdem vero præsagus antistes ubi supra ad beatum Andream apostolum investivit altare majus ex argento purissimo deaurato, miro decore ornato, qui pensan. undique libras centum triginta quinque; cantharas ex argento purissimo duodecim, pensan. simul libras quinquaginta et duas; canistros duo-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, epanoclistum.

Digitized by Google

decim ex argento, pensan. libras septuaginta et octo. Investivit vero altare beatæ Petronillæ ex argento purissimo deaurato, diversis ornatam picturis undique, pensan. libras centum sexaginta et duas et uncias octo. Necnon investivit altare beati Gregorii confessoris atque pontificis ex argento deaurato undique, pensan. libras centum viginti et septem. Fecit ubi supra in gremio basilicæ beati Petri apostoli cortinam majorem Alexandrinam holosericam, habentem in medio adjunctum fundatum, et in circuitu ornatum de fundato. Verumetiam isdem præcipuus præsul fecit thuribula apostolica ex auro purissimo duo, ex quibus unum misit intus super corpus ejus, quod pensan. libras duas, et alterum pensan. libras duas et uncias octo, quod præcedit per stationes.

401 Hic vero almificus præsul fecit in basilicam beati Pauli apostoli thuribula apostolica ex auro purissimo duo. Hic vero almificus præsul investivit faciem altaris sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe ex argento mundissimo deaurato, quod pens. libr. octuaginta et sex. Fecit autem ibi coronas duas ex argento purissimo pens. libras quinquaginta quatuor. Cortinas majores Alexandrinas holoserica ornatas in circuitu de fundato. Hic vero præcipuus præsul ex largitate omnipotentis Dei, et beati Petri clavigeri regni cœlorum, obtulit per universas sanctorum sacras ecclesias hujus almæ Romæ coronas vel etiam canistros ex argento purissimo, ob veniam facinorum suorum; videlicet: in ecclesia Domini nostri Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, fecit coronas ex argento purissimo, pensan. libras viginti tres. Et in basilica sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe instar fecit coronam ex argento puro, pens. libras tredecim. Et in basilica sanctæ Dei Genitricis in titulo Calixti fecit coronam ex argento, pens. libras tredecim et uncias tres. Et in diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Antiqua, similiter fecit coronam ex argento, pensan. libras tredecim. Et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Martyres fecit coronam ex argento, pensan. libras duodecim et uncias tres. Et in diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Cosmedin, eodem modo fecit coronam ex argento, pens. libras duodecim, necnon et in diaconia sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Dominica, similiter fecit coronam ex argento, pensan. libras novem. Et in diaconia sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur via Lata, fecit coronam ex argento, pensan. libras novem. Et in diaconia sanctæ Mariæ in Cyro fecit coronam argenteam, pensan. libras octo. Imo et in diaconia beatæ Dei Genitricis, quæ ponitur foris portam beati Petri apostoli, fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque et uncias tres. Et in diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ ponitur in Adriano, eodem modo fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque.

402 Necnon et in oratorio sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in Xenodochio Firmis, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias septem. In ecclesia beati Petri apostoli fecit canistrum de argento purissimo, pensan. libras viginti duas; et in ecclesia beati Pauli apostoli instar fecit canistrum ex argento purissimo, pensan. libras 22 et uncias quatuor et octo. Imo et in ecclesia beati Andreæ apostoli, quæ appellatur Eudoxiæ, eodem modo fecit coronam de argento, pens. libras novem. Verum etiam et in ecclesia beati Joannis Baptistæ, quæ ponitur juxta patriarchium Lateranense, fecit coronam de argento, pensan. libras quinque. Imo et in ecclesia beati Joannis evangelistæ, quæ ponitur ubi supra, fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque. Item et in ecclesia beati Stephani, quæ ponitur in Cœlio monte, simili modo fecit coronam ex argento, pensan. libras septem et uncias undecim. Et in basilica apostolorum, quæ ponitur in via Lata, fecit coronam de argento, pensan. libras tredecim. Et in Musileo beatæ Petronillæ, quod ponitur ad beatum Petrum apostolum, fecit coronam ex argento, pensan. libras viginti. Et in ecclesia Hierusalem, quæ ponitur in Sessoriano, fecit coronam de argento, pensan. libras quinque. Et in ecclesia beati Laurentii, quæ ponitur foris murum, similiter fecit coronam de argento, pensan. libras tredecim. Et in ecclesia beati Apollinaris martyris fecit coronam, pensan. libras quinque et uncias quatuor. Verum etiam et in basilica beati Pancratii martyris, quæ ponitur foris murum, eodem modo fecit coronam ex argento, pensan. libras octo. Fecit autem et in ecclesia beati Valentini martyris, quæ ponitur foris murum, ubi corpus ejus requiescit, coronam de argento, pensan. libras sex. Et in titulo beati Clementis martyris atque pontificis fecit coronam de argento, pensan. libras quindecim.

403 Et in titulo beatorum Aquilæ et Priscæ fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Et in titulo sanctæ Balbinæ similiter fecit. Imo et in ecclesia sancti Sixti martyris atque pontificis fecit coronam similiter. Et in titulo sancti Laurentii martyris, quæ ponitur Lucinæ, similiter fecit, pensan. libras quatuor et uncias decem. Et in titulo sancti Laurentii martyris, qui appellatur Damasi, fecit coronam ex argento, pens. libras quinque. Et in ecclesia ipsius martyris, quæ ponitur Formosus, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias septem. Sed et in titulo Pammachii fecit coronam ex argento, pens. libras 10. Et in titulo Æmilianæ pari modo fecit coronam de argento, pensan. libras 4. Necnon et in titulo sancti Eusebii fecit coronam de argento, pensan. libras sex. Et in titulo Praxedis fecit coronam, pens. libras quinque. Et in titulo Pudentis fecit coronam ex argento, pens. libras novem. Imo et in titulo beati Vitalis martyris fecit coronam ex argento, pensan. libras novem et uncias tres. Et in titulo sanctæ Susannæ martyris similiter fecit coronam, pensan. libras decem e

Digitized by Google

septem. Et in titulo sancti Cyriaci fecit coronam de argento, pensan. libras quinque. Et in titulo beati Marcelli martyris fecit coronam ex argento, pens. libras decem. Necnon et in titulo beati Marci martyris fecit coronam similiter. Et in titulo beatæ Anastasiæ fecit coronam, pens. libras septem et uncias novem. Necnon et in titulo Cæciliæ instar fecit coronam ex argento, pens. simul libras decem et unciam unam. Et in titulo beati Chrysogoni martyris fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque.

404 Verumetiam et in diaconia sanctorum Nerei et Achillei fecit coronam de argento, pensan. libras sex et uncias quinque. Et in diaconia sanctæ Luciæ, quæ ponitur in septem Viis, fecit coronam ex argento, pensan. libras sex et uncias septem. Et in diaconia sancti Bonifacii similiter fecit coronam, pensan. libras septem. Et in diaconia sancti Georgii fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque. Et in diaconia sancti Theodori eodem modo fecit coronam, pensan. libras sex et uncias octo. Et in diaconia sanctorum Sergii et Bacchi fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Et in diaconia sanctorum Cosmæ et Damiani fecit coronam, pensan. libras quinque et unicas octo. Et in diaconia sancti Adriani martyris fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Sed et in diaconia sancti Archangeli fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Sed et in diaconia sancti Eustachii similiter fecit, pensan. libras sex et uncias quinque. Et in diaconia sanctæ Luciæ, quæ ponitur juxta Orphea, pari modo fecit coronam ex argento, pensan. libras sex et uncias duas. Simulque et in diaconia beati Viti martyris, quæ ponitur in Macello, fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Imo et in diaconia sanctæ Agathæ similiter fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque. Fecit autem et in diaconia sancti Silvestri, quæ ponitur juxta beatum Petrum apostolum, coronam argenteam, pensan. libras quatuor. Verumetiam et in diaconia sancti Martini, quæ ponitur juxta beatum Petrum apostolum, instar fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque et uncias tres. Imo et in titulo sanctorum Silvestri et Martini, qui ponitur juxta Orphea, coronam ex argento, pensan. libras sex et uncias duas.

405 Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Sabæ coronam ex argento, pensan. libras 8 et uncias decem. Verumetiam et in monasterio beati Anastasii martyris eodem modo fecit coronam ex argento, pensan. libras octo et uncias quatuor et semis. Sed et in monasterio sancti Andreæ, quod ponitur in clibus cauri, similiter fecit coronam ex argento puro, pens. libras quinque. Et in monasterio beatæ Agathæ martyris, quod ponitur super Suburram, similiter fecit. Necnon et in monasterio sancti Erasmi, quod ponitur in Cœlio monte, fecit coronam ex argento, pensan. libras 4 et uncias duas. Simili modo et in monasterio sancti Silvestri coronam ex argento pensan. libras 6, uncias tres. Et in monasterio beati Laurentii martyris, qui appellatur Pallacini, fecit canistrum de argento, pens. libras 2 et uncias septem. Enimvero et in monasterio sancti Pancratii, quod ponitur juxta basilicam Salvatoris, fecit coronam de argento, pensan. libras 5 et semis. Fecit autem et in monasterio sanctorum Andreæ et Bartholomæi, quod appellatur Honori, canistrum ex argento, pensan. libras tres. Et in monasterio sancti Stephani, quod ponitur juxta Lateranis, fecit canistrum de argento, pensan. libras duas. Simulque et in monasterio ipsius primi martyris Stephani, quod ponitur ad beatum Petrum apostolum, fecit canistrum ex argento, pensan. libras tres et semis. Ipse vero almificus præsul fecit in monasterio sanctorum Joannis et Pauli, qui ponitur juxta beatum Petrum apostolum, canistrum ex argento, pensan. libras tres. Pari modo fecit et in monasterio sancti Martini, quod ponitur ut supra, canistrum, pensan. libras quatuor et uncias duas. Sed et in monasterio sancti Stephani, ubi supra, quod appellatur Catagalla Patritia, pari modo fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et semis. Simulque et in monasterio sancti Cæsarii, quod ponitur ad beatum Paulum apostolum, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras tres. Et in monasterio sancti Stephani, ubi supra, fecit canistrum, pensan. libras duas. Imo et in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani, quod ponitur juxta Præsepe fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias duas. Simili modo fecit in monasterio sancti Andreæ, quod appellatur Massa Juliana, canistrum ex argento, pensan. libras duas. Necnon et in monasterio sancti Adriani, quod ponitur juxta Præsepe, instar fecit canistrum, pens. libras duas. Et in monasterio sancti Cassiani, quod ponitur juxta beatum Laurentium martyrem foris murum, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas.

406 Fecit autem in monasterio sancti Stephani, qui ponitur ubi supra, canistrum ex argento, pensan. libras duas et semis. Verumetiam et in monasterio sancti Victorii, quod ponitur ad sanctum Pancratium, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias septem. Et in monasterio sancti Chrysogoni similiter fecit canistrum, pensan. libras tres. Ipse vero almificus præsul fecit in monasterio sanctæ Mariæ, quod appellatur Ambrosii, canistrum ex argento, pens. libras duas. Pari modo fecit et in monasterio sanctæ Mariæ, quod appellatur Juliæ, ut supra. Sed et in monasterio sancti Andreæ, quod ponitur juxta basilicam apostolorum, fecit similiter. Simulque et in oratorio sancti Stephani, quod ponitur in Dulciti, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias quinque. Enimvero et in oratorio sanctorum Sergii et Bacchi, qui ponitur in Callinico, similiter fecit canistrum. Imo et in

Digitized by Google

monasterio sancti Agapiti, quod ponitur juxta titulum Eudoxiæ, fecit similiter canistrum argenteum, et semis. Simili modo et in oratorio sanctæ Agnetis, quod ponitur in monasterio, quod appellatur Duo Furna, fecit canistrum ex argento, pens. libras duas et uncias octo. Necnon et in oratorio sancti Viti, quod ponitur in monasterio, quod appellatur de Sardas, fecit canistrum ex argento, pensan. libras tres. Et in monasterio sanctæ Vivianæ similiter fecit canistrum ex argento, pens. libras duas et uncias novem. Fecit autem et in oratorio sanctæ Luciæ, quod ponitur in monasterio de Renati, canistrum ex argento, pens. libras duas.

407 Verumetiam et in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in monasterio Michaelis, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias duas. Et in monasterio sancti Sergii eodem modo fecit canistrum ex argento, pensan. libras tres. Ipse vero almificus præsul et in oratorio sanctæ Agathæ, quod ponitur in monasterio apud Africi, canistrum ex argento, pensans libras tres. Pari modo fecit et in monasterio sanctorum Euphemiæ et Archangeli, quod ponitur juxta titulum Pudentis, canistrum ex argento, pensan. libras quinque. Sed et in monasterio sancti Isidori simili modo fecit canistrum. Simulque et in oratorio sanctæ Agathæ, quod ponitur in monasterio Tempuli, fecit canistrum similiter. Et in oratorio sancti Cæsarii, quod ponitur in monasterio de Corsas, similiter fecit canistrum, pensan. libras duas et uncias tres. Enimvero et in monasterio sancti Semitrii fecit similiter canistrum argenteum. Imo et in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in monasterio Aquæ Salviæ, fecit similiter. Simili modo fecit et in monasterio sancti Donati, quod ponitur juxta titulum sanctæ Priscæ, canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias quinque. Et in monasterio sancti Joannis, quod ponitur in Aventino, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas. Necnon et in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in monasterio de Lutara, fecit canistra ex argento, pensan. libras duas et semis. Fecit autem et in monasterio Hierusalem, quod ponitur ad beatum Petrum apostolum, canistrum ex argento, pensan. libras duas.

408 Verumetiam et in monasterio sanctæ Agnetis, quod ponitur foris portam Numentanam, fecit canistra ex argento, pensan. libras quinque. Et in monasterio sanctæ Eugeniæ, quod ponitur foris portam Latinam, pari modo fecit canistrum ex argento, pens. libras quinque. Seu et in oratorio sancti Gregorii, quod ponitur in Campo Martis, fecit canistra ex argento, pensan. libras tres. Ipse vero almificus præsul fecit in titulo beatæ Sabinæ coronam ex argento purissimo, pensan. libras octo. Pari modo fecit in diaconia sanctorum Silvestri et Martini, quæ ponitur juxta Orpheam, coronam ex argento, pensan. libras sex et uncias duas. Necnon et in oratorio sanctæ Luciæ, quod ponitur in Xenodochio, similiter fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et uncias quatuor. Fecit autem et in oratorio sancti Abbacyri, quod ponitur in Xenodochio, canistrum ex argento, pens. libras duas. Atque in oratorio sanctorum Cosmæ et Damiani, quod ponitur in Xenodochio, quod appellatur Tucium, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas et unciam unam. Verumetiam et in oratorio sancti Peregrini, quod ponitur in hospitali Dominico ad Naumachiam, fecit canistra ex argento, pensan. libras quinque et unciam unam. Præfatus vero pontifex fecit in basilica Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, super altare majus vestes chrysoclavas duas; ex quibus unam habentem historiam Dominicæ resurrectionis, et aliam habentem historiam vivificæ atque adorandæ Dominicæ crucis. Cantharos ex argento mundissimo octo, pensan. simul libras viginti et septem, et uncias sex. Investivit ubi supra rugas ante ingressum altaris ex argento purissimo, pensan. libras quadraginta octo et uncias octo. Coronas ex argento purissimo, pensan. libras duodecim. Fecit ubi supra ad fontes vela alba holoserica, ornata in circuitu de fundato, atque quadrapulo numero decem. Sarta tecta vero ipsius ecclesiæ, cum quadriporticu, simul et ad fontes, omnia, et in omnibus noviter restauravit. Simul et fenestras de absida ex vitro diversis coloribus conclusit atque decoravit. Et alias fenestras basilicæ ex metallo Cyprino reparavit; et in gremio basilicæ fecit cortinas duas, ex quibus una major fundata alba, et alia minor alba rosata.

409 Fecit autem isdem præsul in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, rosata cum periclysin de fundato. Canthara de argento purissimo duo, pensan. inibi libras viginti tres. Columnas duas, pensan. libras viginti et unam, et uncias quinque. Crucem cum gabatha ex argento mundo, pensan. simul libras quinque. In diaconia vero ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Antiqua, fecit tetravila alithyna, ornata in circuitu de quadrapulo. Et in oratorio sancti Andreæ, ubi supra, vela duo holoserica, ornata ut supra. In titulo ipsius vero Dei Genitricis, qui appellatur Calixti, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia præsentationis Domini nostri Jesu Christi, et sancti Simeonis, cum periclysi de tyrio. Tetravila rubea alithyna quatuor, habentia cruces cum gammadiis, et in circuitu periclysin de tyrio. Velum tyrium majus, quod pendet ante imaginem, cum periclysi de blatthi unum. Vela modica rubea alithyna, cum staurace in medio numero tria, quæ pendent ante imagines argenteas, cum periclysi de blatthin. Cortinam majorem holosericam in gremio basilicæ, unam, fecit et imagines argenteas deauratas. E quibus unam cum gemmis, arcum argenteum unum, cum gammadiis suis. Supra cerostata pharum unum, thuribula duo,

Digitized by Google

pens. simul libras nonaginta quinque et uncias septem. Fecit vero isdem præsagus antistes beato Petro apostolo calicem aureum, diversis ornatum pretiosis lapidibus, qui præcedit per stationes, pens. libras tredecim. Hic fecit in basilica ipsius apostoli velum chrysoclavum, quod pendet supra in ingressu vestibuli. Item aliud velum majus e chrysoclavo, quod pendet in trabe argentea ante imaginem Salvatoris supra in ingressu vestibuli : coronam majorem ex argento purissimo, pens. libras quinquaginta et tres, et uncias octo : pharum argenteum pendentem infra ipsam coronam, pensan. libras viginti et tres. Item coronas argenteas quatuor, pensan. libras quinquaginta et septem. Canistros octo, qui pensan. simul libras quadraginta.

410 Hic vero pro amore et cautela orthodoxæ fidei, fecit ubi supra scuta argentea duo, scripta utraque symbolo, unum quidem litteris Græcis, et aliud Latinis, sedentia dextra lævaque super ingressum corporis, pensan. inibi libras nonaginta quatuor et uncias sex. Fecit ubi supra in gremio basilicæ cortinam majorem holosericam fundatam unam, ornatam in circuitu de fundato. Velum album holosericum rosatum majus unum, quod pendet in trabe majore super imagines aureas, ornatum in circuitu de fundato. Enimvero supra ad fontes fecit vela serica alba numero novem, ornata in circuitu de fundato. Hic vero, ubi supra, investivit altare beatissimi Leonis confessoris atque pontificis ex argento mundissimo deaurato, pensan. simul libras centum et novem. Item investivit altare beati Gregorii confessoris atque pontificis ex argento mundissimo deaurato, pensan. undique libras centum viginti et septem.

411 Hic vero præfectus a Deo et præclarus pontifex investivit altare beati Pauli apostoli ex argento purissimo ac decoravit, quod pensan. libras centum quinquaginta quinque ; necnon et confessionem ipsius, atque faciem altaris investivit ex auro purissimo, pens. inibi libras centum viginti et unam, et uncias octo. Fecit et supra in ingressu corporis scutum ex argento purissimo, in quo orthodoxæ fidei symbolum scribi fecit, quod pensan. libras triginta et duas. Fecit ubi supra coronas majores tres ex argento purissimo, pens. libras in unum nonaginta et tres. Fecit autem in basilica cortinam majorem holosericam de quadrapulo et fundato pulcherrimam. Præfatus vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui super altare majus ciborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo deaurato, cum diversis historiis miræ magnitudinis mirifice decoratum, quod pensat libras duo mille septingentas et quatuor, et uncias tres. Ciborium vero, quod exinde abstulit, posuit super altare majus in basilica beatæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe ; et crucem ex argento puro fecit, et inibi posuit, pensan. libras duodecim et uncias tres. Necnon et tetravela rubea alithyna quatuor ubi supra fecit, ex quibus unum cum chrysoclavo. Sed et in Musileo beatæ Petronillæ, quod ponitur ad beatum Petrum apostolum, fecit vela alba majora tria, minora octo, ornata in circuitu de fundato. Fecit vero isdem præclarus pontifex ante confessionem ipsius apostolorum principis angelos ex argento purissimo, dextra lævaque, pensan. inibi libras centum quadraginta et sex. Necnon et alios angelos duos ex argento purissimo deauratos, qui stant in trabe majori super ingressu vestibuli, dextra lævaque, juxta imaginem Salvatoris auream, pens. simul libras sexaginta tres. Et alios angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos, ubi supra, dextra lævaque, qui pens. simul libras sexaginta octo. Verumetiam fecit ubi supra columnellas ex argento deauratas sex in ingressu vestibuli, diversis depictas historiis, quæ pensan. simul libras centum quadraginta et septem. Fecit et crucem majorem ex argento purissimo deauratam, quæ stat juxta altare majus, pensan. libras viginti duas. Fecit vero ubi supra arcum majorem ex argento mundissimo deaurato supra in ingressu vestibuli, pensan. libras centum triginta et unam et semis. Fecit vero ubi supra intra confessionem beati Leonis confessoris atque pontificis Evangelium ex argento mundissimo deauratum supra in ingressu vestibuli, pensan. libras quadraginta octo et semis. Fecit ubi supra columnellam unam de argento purissimo, pens. libras decem et septem. Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in diaconia beati Archangeli patenam et calicem ex argento purissimo, pensan. in unum libras 10.

412 Hic, divina inspiratione protectus, fecit in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, ciborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo, diversis depictum historiis, cum cancellis et columnellis suis miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratum, quæ pens. undique simul libras mille ducentas viginti septem. Verumetiam et sarta tecta basilicæ sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ appellatur ad Præsepe, omnia noviter restauravit. Cubicula vero juxta ecclesiam beati Petri apostolorum principis, quæ nimia vetustate marcuerant, etiam pene ruitura erant, isdem egregius præsul a fundamentis firmissimum ponens ædificium in meliorem erexit statum. Fecit et ubi supra juxta columnam majorem balneum in superiore positum constructum in rotundum, mirifice decoratum. Gradus vero in introitu ejusdem basilicæ tam super porticum quam etiam in atrio noviter restauravit. Fecit et juxta eosdem gradus parte dextra atrii domum a fundamentis miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam, in qua etiam et accubitos collocavit. Fecit et juxta eamdem

Digitized by Google

domum pro subsidiis Christi pauperum atque peregrinorum balneum a fundamentis mirifice decoratum. Hic autem præclarus antistes divinitus inspiratus hospitalem beato Petro apostolo in loco qui Naumachia dicitur a fundamentis noviter construens, diversa illic domorum ædificia decoravit, atque ecclesiam in honorem beati Petri principis apostolorum a novo construxit. In qua etiam sanctorum Ecclesiæ Christi martyrum corpora deferens recondidit, et omnia quæ in prædicto hospitali erant necessaria construxit.

413 Prædia etiam illic urbana vel rustica pro alimoniis Christi pauperum, seu advenis, vel peregrinis, qui ex longinquis regionibus veniunt, obtulit ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, et salute populi Romani. Præsertim igitur et monasterium sancti Christi primi martyris Stephani, quod appellatur Catagalla patritia, quod præ nimia vetustate jam emarcuerat atque ex parte corruerat, idem præsagus pontifex certamen ponens a fundamentis simul cum oratorio firmum jacens fundamentum in meliorem erexit statum. Gradus vero, per quos ingressus est in ecclesiam beati Petri apostoli a sancto Andrea apostolo, qui vetustate consumpti erant, a novo refecit. Pari modo et monasterium beati Martini confessoris atque pontificis, situm ubi supra, quod nimia fuerat vetustate quassatum, pene omne a fundamentis restauravit. Sarta vero tecta basilicæ sancti Andreæ apostoli, quod appellatur Catabarbara patritia, quæ per olitana jam fuerant tempora vetustate consumpta, noviter restauravit. Simili modo et sarta tecta beatæ Luciæ martyris, quæ ponitur in Orphea, refecit a novo. Pariter etiam et sarta tecta beatæ Balbinæ martyris, quæ jam pene ruitura erant, in melius restauravit. Pari modo et sarta tecta basilicæ beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, sitæ in via Sacra, mirifice restauravit. Pariter etiam et sarta tecta basilicæ sanctæ Martinæ martyris, sita in Tribus Fatis, in melius restauravit.

414 Necnon igitur et sarta tecta titulo beati Laurentii martyris, qui appellatur Damasi, noviter restauravit. Hic vero sanctissimus et præclarus pontifex sarta tecta basilicæ Valentini martyris sita via Flaminia, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, prudentissimo studio mirifice a novo refecit. Quadriporticus vero basilicæ apostolorum in via Lata intus et foris omnia sarta tecta ipsarum noviter reparavit. Imo vero et sarta tecta basilicæ beatæ Agathæ martyris sita super Suburram, quæ præ nimia vetustate jam emarcuerant, noviter reparavit. Hic vero sanctissimus præsul fecit in patriarchio Lateranensi oratorium a fundamentis in honore beati Archangeli, insigni opere firmissime construens, quod etiam ex musivo, seu diversis picturis, atque pulcherrimis marmorum metallis diversis coloribus ornavit undique. Et omnia cimilia tam aurea quamque argentea vel etiam vela diversa ibi obtulit. Macronam vero ipsius Lateranensis patriarchii, quæ extenditur a Campo, et ultra imagines apostolorum, quæ præ nimia vetustate ruituræ erant, a fundamentis simul et sarta tecta, necnon et solarium ab imo usque ad summum noviter restauravit, et in melius firmissimis marmoribus stravit, atque cameram ipsius Macronæ noviter fecit, et diversis historiis pictura mirifice decoravit. Hic a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in circuitu altaris beati Petri apostoli nutritoris sui tetravela rubea holoserica alithyna, babentes tabulas seu orbiculos de chrysoclavo, diversis depictos historiis, cum stellis de chrysoclavo; necnon et in medio cruces de chrysoclavo ex margaritis ornatas, miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratas, quæ in diebus festis ibidem ad decorem mittuntur. Pari modo ut supra et alia tetravela alba holoserica rosata, paschatiles habentes tabulas, atque orbiculos de chrysoclavo; necnon et cruces cum chrysoclavo ex margaritis, cum periclysi de chrysoclavo. Imo etiam et alia vela modica quatuor, ubi supra, in singulis columnis de ciborio fecit, habentes tigres de chrysoclavo, et in circuitu ornatas de blatthi. Verumetiam et alia vela modica quatuor eamdem habentes similitudinem in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli in columnis de ciborio posuit.

415 Prædictus vero venerabilis pontifex sarta tecta basilicæ beati Agapiti martyris, quæ ponitur in urbe Prænestina; necnon et sarta tecta alterius basilicæ juxta eamdem basilicam sitæ, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, omnia noviter in melius restauravit. Pari modo et sarta tecta basilicæ beati Stephani primi martyris constituta via Latina milliario tertio, quæ per multa jam annorum curricula vetustate erant confecta, et ruinis proxima noviter reparavit. Verumetiam et sarta tecta basilicæ beati Basilidis martyris, sitæ in Merulana, noviter restauravit. Hic a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, de proprio argento ipsius basilicæ coronas cum delphinis suis numero quinque, canistros numero triginta quinque, gabathas numero octo, qui pensan. simul libras ducentas septuaginta et sex. Fecit autem in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ appellatur ad Præsepe, cortinam de fundato, et in circuitu ornatam de blatthin, quæ pendet in porticu super sedem, mirifice decoratam. Vela promiscua tam de fundato quam etiam de stauraci et quadrapulo, ornata in circuitu de blatthin numero quadraginta. Fecit vero, ubi supra, ante ingressum

Digitized by Google

Præsepii pharum in modum retis ex argento purissimo cum canistris quinque, pensan. simul libras triginta septem et semis.

416 Isdem vero sanctissimus præsul, sancti Spiritus illustratione perfusus, fecit beato Petro apostolo nutritori suo calicem aureum præcipuum tetragonum Spanoclystum, diversis ornatum pretiosis lapidibus, pensan. libras triginta et duas. Necnon fecit et patenam auream Spanoclystam miræ magnitudinis decoratam, pensan. libras viginti quinque et uncias novem. Fecit autem in basilica cujus supra pharum in modum retis cum canistro, et cruces de argento purissimo, qui pendet sub auro principali. Necnon et alium pharum majorem in modum retis, cum canistris viginti, pendentem sub trabem majorem argenteam, ad ornatum sanctæ Dei ecclesiæ, qui pensan. inibi libras duo mille centum quatuor, et uncias septem. Hic fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli crucifixum ex argento purissimo, miræ magnitudinis decoratum, pensan. libras quinquaginta duas. Verumetiam fecit ibi supra tetravela alba holoserica rosata, ex quibus unum habens in medio crucem de chrysoclavo, et gammadias de chrysoclavo. Necnon etiam vela alba holoserica numero novem, ornata in circuitu de tyrio. Fecit ibi super gabathas fundatas interrasiles ex argento purissimo numero octo, quæ pendent in pharo æreo in medio basilicæ, pens. inibi libras quatuordecim. Ingressum vero corporis isdem præsul ex marmoribus candidis miro decore ornavit, atque regias æreas ibidem posuit. Super columnas vero marmoreas, quæ stant in circuitu altaris ipsius doctoris mundi, ubi trabes quondam ligneæ positæ fuerant, etiam nimia vetustate emarcuerant, hic sacer antistes super ipsas columnas lilios poni fecit, et super ipsos lilios ex metallis marmoreis platonias posuit, diversisque picturis miræ magnitudinis opus decoravit. Necnon ubi supra fecit vela Alexandrina majora numero quinque, quæ pendent super regias majores in ingressu basilicæ, mirifice decorata.

417 Hic vero sanctissimus et præclarus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ ad Præsepe tetravela alba holoserica rosata, mirifice decorata. Fecit vero, ubi supra, intra Præsepium vestem albam holosericam rosatam, ornatam in circuitu de chrysoclavo, et in medio habentem crucem cum orbiculis de chrysoclavo, vela alba holoserica rosata numero quatuor, ornata in circuitu de tyrio. In diaconia vero ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Dominica, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de tyrio, cum historia Crucifixi. Necnon et rotas de chrysoclavo, ornatas in circuitu de quadrapulo. Fecit ubi supra cortinam fundatam, ornatam in circuitu de blatthin. In diaconia vero ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Cosmedin, fecit vestem albam holosericam, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ resurrectionis, et in circuitu lystam de chrysoclavo. Fecit ad sanctam Mariam ad Martyres vestem albam holosericam rosatam, cum tabula de tyrio, habentem historiam Crucifixi, et rotam de chrysoclavo, ornatam in circuitu de tyrio. Vestem etiam in diaconia jam dictæ sanctæ Dei Genitricis, positam foris portam beati Petri apostoli, fecit vestem de tyrio, mirifice decoratam.

418 Hic vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui canistros interrasiles ex argento purissimo, tam in quadriporticu quamque in gremio basilicæ numero **22**, pens. simul libras centum viginti quinque. Gabathas fundatas signochrystas, quæ pendent in quadriporticu, in pharo æreo in medio basilicæ numero quadraginta et octo, pens. simul libras centum et unam et semis. Phara argentea tria, quæ stant super trabes argenteas, pensan. libras nonaginta et tres. Arcus argenteos duos, pensan. libras quadraginta et unam et uncias octo. Vela de blatthin majora, quæ pendent per trabes argenteas dextra lævaque presbyterii. Necnon et in circuitu sedis numero triginta, ornata in circuitu de quadrapulo. Vela modica de fundato numero quadraginta et septem, ornata in circuitu de blatthin Byzanteo, et investita de blatthin Neapolitano. Necnon et in gremio basilicæ fecit cortinam majorem Alexandrinam miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam, ornatam in circuitu de tyrio. Vela alba modica holoserica rosata numero viginti quinque, ornata in circuitu de blatthin, ex quibus unum ornatum de stauraci. Super altare vero beati Andreæ, ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ resurrectionis, et in circuitu listam de chrysoclavo. Verumetiam et super altare beatæ Petronillæ fecit vestem albam holosericam rosatam, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ resurrectionis, et in circuitu ejus listam de chrysoclavo. Pari modo et in oratorio sanctæ Dei Genitricis, ubi supra in mediana, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, et in circuitu ornatam de tyrio. In oratorio vero ipsius Dei Genitricis, ubi supra, quod dicitur domni Pauli papæ fecit vestem albam holosericam, ornatam in circuitu de mizilo. Necnon et in monasterio sancti Martini, ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, cum periclysi de tyrio. Hic fecit in basilica Apostolorum via Lata super altare majus vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Dominicæ resurrectionis, et in circuitu vestem de chrysoclavo. Necnon et orbiculos de chrysoclavo, cum periclysi de tyrio. Tetravela modica rubea ornata in circuitu de fundato, ex quibus

Digitized by Google

unum cum chrysoclavo. Vela modica rubea Alexandrina duo, ornata in circuitu de stauraci. Et in gremio basilicæ, ubi supra, fecit cortinam majorem de fundato mirifice decoratam, ornatam in circuitu de tyrio, et in medio cruces de tyrio.

419 Hic vero egregius præsul fecit in titulo sanctæ Sabinæ martyris super altari majori vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Dominicæ resurrectionis, et in circuitu listam de chrysoclavo. Pari modo et in titulo sanctæ Susannæ martyris super altari majori vestem albam fecit holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Dominicæ resurrectionis, et in circuitu listam de chrysoclavo. Fecit autem in basilica sancti Stephani primi martyris in Cœlio monte vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Dominicæ resurrectionis, et crucem de chrysoclavo. Necnon et in diaconia beati Georgii martyris super altari majori fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Crucifixi, ornatam de tyrio, et rosas de chrysoclavo. Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, ob nimium amorem ipsius dominæ nostræ, pharum ex argento purissimo, cum lucerna et cereapto [a] suo, pensan. simul libras quadraginta et semis. Et hoc constituit ejus beatitudo, ut Dominicorum diebus, vel in sanctis solemnitatibus, juxta lectorium consisteret, et ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgeret. Et in ecclesia beati Petri apostoli pari modo fecit pharum ex argento purissimo deaurato, miræ pulchritudinis decoratum, cum lucerna, et cereapto suo, qui pens. simul libras nonaginta et semis. Enimvero, ubi supra, ad beatum Petrum apostolum sub ipsa imagine Salvatoris Domini nostri Jesu Christi crucifixi in modo fecit coronam ex argento purissimo, et ibidem ob ipsius Domini nostri Jesu Christi amorem, pro luminariorum splendore posuit, pensan. libras...

420 Basilica vero beati Apollinaris martyris atque pontificis, quæ fundata est juxta civitatem Ravennam, cujus trabes præ nimia vetustate de annorum curriculis, et olitanis temporibus nimis emarcuerant, jamque pene ruituræ in tempore illo erant, isdem venerabilis Pater, divinitus inspiratus, misit illuc, et per solertissimam ac providam curam suam omnia sarta tecta ipsius ecclesiæ simul cum quadriporticis suis noviter ac firmiter restauravit, et in meliorem reduxit statum. Super altare vero ipsius sacræ basilicæ ob honorem omnipotentis Dei, et beati Petri apostoli, de cujus donis ac datis fecit vestem sericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo cum orbiculis, et rotas sericas, habentes historias Annuntiationis, seu natalis Domini nostri Jesu Christi, atque Passionem et Resurrectionem, necnon et in cœlis Ascensionem, atque Pentecosten, ornatas in circuitu simili modo, sicut et vestem de chrysoclavo. Sed et canistrum ex argento purissimo inibi fecit, cum catenulis suis, pensan. libras quindecim. Episcopium vero Albanense, simul cum ecclesia, quæ in nomine beati Pancratii fundata est, per quamdam negligentiam vel incuriam, per submissiones diabolicas, post matutinas laudes exusta, a fundamentis usque ad summum tectum combustum est. Sed clementissimus et solertissimus pontifex, Deo aspirante ex sancti Spiritus illustratione, firmum jaciens fundamentum mirum in modum jam præfatam ecclesiam noviter restauravit, et simul cum sartis tectis, Deo juvante, ad meliorem deduxit statum.

421 Et ut verus amator Dei et cultor sanctarum Dei ecclesiarum fecit super altari majori prædictæ ecclesiæ vestes duas, ex quibus unam cum rotis majoribus, habentem gryphes, ornatam in circuitu de fundato, et tetravila serica alithyna ornata de tyrio optimo in circuitu ejusdem altaris fecit numero quatuor. Verumetiam et in ecclesia beati Petri apostoli, ubi supra, fecit vestem rosatam, habentem historiam Domini nostri Jesu Christi, quando extendit manus et apprehendit beatum Petrum apostolum de fluctibus maris. Isdem beatissimus vero et præclarus pontifex fecit in basilica sancti Cyriaci vestem albam holosericam habentem in gyro periclysin de fundato, et in medio historiam Resurrectionis; et in circuitu altaris tetravila alba, habentem periclysin de tyrio. Fecit autem et in titulo sancti Vitalis vestem albam holosericam habentem periclysin de fundato, et in medio historiam Resurrectionis; necnon et in diaconia sancti Archangeli posuit vestem albam holosericam, habentem periclysin de tyrio, et in medio historiam Ascensionis. Item ipsum super altare sancti Abbacyri similem vestem obtulit. Porro in diaconia sanctæ Agathæ martyris fecit ipse sanctissimus pontifex vestem albam holosericam habentem in gyro de tyrio, et in medio historiam Resurrectionis. Verumetiam et in titulo Pammachii super altare sanctorum Joannis et Pauli fecit vestem albam holosericam, ornatam in gyro de fundato, habentem historiam Crucifixi, Ascensionis et Pentecostes. Pariter et in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis fecit vestem albam cum chrysoclavo habentem historiam Resurrectionis, seu Ascensionis, necnon et Pentecosten.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

a, cerapto.

Digitized by Google

422 Imo et in ecclesia sancti Cyriaci, posita via Ostiensi, fecit vela e quadrapulo numero quinque, habentia historiam Salvatoris vocantis discipulos de navi. Et super sanctum altare ipsius martyris posuit vestem de fundato. Ipse autem a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ ad Præsepe coronas argenteas, et delphinos suos duodecim, quæ pensan. libras centum duas et uncias novem. Sed et phara canthara argentea cum delphinis suis ibi fecit numero septem, pensan. libras octuaginta quinque et semis. Isdem vero beatissimus præsul fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui ante presbyterium pharum volubilem ex argento purissimo, cum coronis et crucibus, pens. inibi libras triginta quinque et uncias sex. Verumetiam id ipsum deorsum, ubi sacratissimum corpus ipsius principis apostolorum requiescit, renovavit imaginem auream, habentem vultum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ac sanctæ Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, atque Andreæ, necnon et beatæ Petronillæ martyris, ubi et addidit auri obrizi libr. 21 et uncias tres.

423 Imo vero ubi supra ante sanctum Andream investivit altare beati Martini confessoris Christi ex argento purissimo deaurato, ex transmisso [a] quondam Fridigisii abbatis, quod pensan. undique libras 17 et semis. Fecit autem et in basilica beati Pauli apostoli doctoris mundi gentium pharacanthara ex argento purissimo, cum delphinis suis numero quinque, pens. libras sexaginta septem et uncias quatuor.

424 Hic a Deo inspiratus venerabilis et præclarus pontifex, conspiciens ecclesiam beatorum martyrum Nerei et Achillæi præ nimia jam vetustate deficere, atque aquarum inundantia repleri, juxta eamdem ecclesiam noviter a fundamentis in loco superiore ecclesiam construxit miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam; in qua etiam hæc obtulit dona : canistros ex argento numero sex, pensan. simul libras quindecim; ciborium ex argento purissimo, pensan. libras ducentas et quindecim; calicem et patenam ex argento purissimo deauratos, pensan. libras duodecim et uncias decem; regnum super altare ex auro purissimo, diversis ornatum pretiosis lapidibus, pens. libras duas et uncias sex; vestes duas, ex quibus unam albam holosericam, habentem historias Dominicæ nativitatis seu Resurrectionis, Ascensionis atque Pentecostes, ornatam in circuitu de chrysoclavo, et aliam de tyrio. Idem vero fecit in basilica beatæ Dei Genitricis ad Præsepe regnum ex auro purissimo Spanoclysto, diversis in circuitu de chrysoclavo pretiosis ornatum lapidibus, pens. libras quatuor et uncias septem. Fecit vero communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes per manus acolythorum numero viginti quatuor, pensan. simul libras... Pari modo et in basilica beati Petri apostoli fautoris sui regnum ex auro purissimo, diversis pretiosis ornatum lapidibus, pens. libras septem. Fecit etiam in diaconia sanctorum Nerei et Achillæi vela promiscua holoserica numero.....

425 Sarta tecta beati Agapiti martyris, sita juxta basilicam beati Laurentii martyris foris murum, quia jam præ nimia vetustate emarcuerant, noviter restauravit. Imo vero et in titulo beatæ Pudentianæ fecit vestem albam holosericam, ornatam in circuitu de tyrio. Qui beatissimus pontifex postquam sedem Romanam et apostolicam annos viginti, menses quinque, et dies 16 gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit autem ordinationes tres per mensem Martium, presbyteros triginta, diaconos undecim, episcopos per diversa loca numero centum sex et viginti [b]. Sepultus vero est in basilica Petri apostoli pridie Idus Jun. indict. nona, et cessavit episcopatus dies 10.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ex terra quondam. [b] *B*, 26.

VARIÆ LECTIONES

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 358, *lin* 1, Atzuppio. *lin* 12, dies 20.
Num 359, *lin* 1, quidquid illi erogavit. *lin* 9, benevolus *deest*. *lin* 12, rogatus a clero suo presbyteria
Num 360, *lin* 2, quadriporticibus.
Num 361, *lin* 8, cameram et quadriportica.
Num 362, *lin* 2, Fontuana, quæ per olimitana marcuerant tempora. *lin*. 8, blacchin. lib 9, tria. *lin* 12, Valithinon. *lin* 13, cum gammadias.
Num. 363, *lin*. 6, figurantem m. m. in natali apost. splendentem.
Num 364, *lin* 9, Petri apostoli vela alba Paschales, et in natale ejusdem Dei apostoli vela de stauraci.
Num 365, *lin* 2, per olitana.
Num 366, *lin* 4, cafoti 1. *lin* 7, argentea savisca B.
Num 367, *lin* 4, cum basibus.
Num 373, *lin* 4, Jesse. *lin* 5. Germario.
Num 374, *lin* 7, delimarent.
Num 376, *lin* 7, imperium Romanorum.
Num 378, *lin* 2, procedere.
Num 380, *lin* 4, Brutonem.
Num 381, *lin* 5, Gypsino.
Num 382, *lin* 7, ex quibus quinque.
Num 383, *lin* 10 et 11, regias majores.
Num 385, *lin* 6, cum porticibus. *lin* 8, in Cyro.
Num 390, *lin* 8, ex argento purissimo.
Num 393, *lin* 1, in parte virorum. *lin* 5, volteles.

Digitized by Google

Num 394, *lin* 11, batutiles anaglyphos.
Num 397, *lin* 7, Dominicorum die.
Num 398, *lin* 16, babulo.
Num 399, *lin* 9, 122.
Num 400, *lin* 12 *et* 13, purissimo, qui procedit per stationes.
Num 401, *lin* 4, holosericam. *lin* 7, videlicet in ecclesia.
Num 402, *lin* 4, uncias 8. *lin* 12, susurrio.
Num 403, *lin* 1, simulque et in beatæ Sabinæ martyris instar fecit coronam ex argento, pensan lib 6, pari modo et in titulo beatorum Aquilæ. *lin* 3, similiter fecit coronam de argento, pensan lib 5. *lin* 5, quam Formosus fecit. *lin* 7, decem et semis *lin* 8, quatuor et semis. *lin* 12, quinque et semis *lin* 13, martyris atque pontificis. *lin* 15, et semis.
Num 404, *lin* 9, sex et semis.
Num 405, *lin* 4, *lege* clivo Scauri.
Num 414, *lin* 13, macroveæ noviter. *lin* 18, paschales.
Num 416, *lin* 4, viginti sex.
Num 422, *lin* 9, 130 et uncias 6.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 358, *lin* 1, Leo nat Romanus. *lin ead.* dies 20. *lin.* 2, in vest patriarchio (*M*, patriarchii). *lin* 3 specialiter erud. *lin* 4, erat vir c. *lin* 5, ubi nec inv præcipuos monachos, vel servos Dei. *lin* 6, cum eis. *lin* 7. Scripturas, ut per curas pauperum animas suas eleemosinis redimerent.

Num 359, *lin* 1, quidquid habebant, pro Christo die noctuque occulte p. erog. *lin* 2, offerentes Deo salub. *lin* 3, sp. ab ejus solertissima cura ipse vestararius ageretur (*M*, egeret) ab o. *lin* 4, unaque vol. *lin* 5, et a cuncto p. *lin.* 6, in natalitia beati protomartyris Steph. *ib.*, in natalitia. *lin* 8 et contrariis fort. *lin* 9, mit idem ecclesiis benivolus, pr. *lin* 10, ad miserendum. *lin* 11, o. visus est justitiam f. *lin* 12, Fecit et in basil beati Petri apostoli nutritoris sui thur. *lin* 14, imo et confessionem ejusd. apost. mirifice auro gemmisque ornavit. Fecit similiter in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apost.; hic autem venerabilis, *etc.*, *ut num.* 368, *lin* 1.

Num 368, *lin* 1, dum in sanctam catholicam et apostolicam Rom. Ecclesiam. *lin* 5, ut sec ann. *lin* 6, omnip Deo pro sal populi Christiani funderet, et olitanam traditionem a n. *lin* 8, in ejus natalitia tempore letaniæ prædicatæ fuissent, om. *lin* 9, in eccl b. Laurentii, cuæ L. nunc ubi coll p. i. occurreretur. Dum pr.

Num 369, *lin* 2, ven illi peteb. *lin* 3, dedit et Campulus cum dolos par in pontif obs pergens, et d. v. q. n. habebat in p. c. eo loquens. *lin* 5, et perv. *lin.* 6, in uno. *lin* 8, astiterunt *ib.*, ad ipsum, ut dictum est, perverse, impieque truc. *lin* 10, populus vidit, quod inermis, et in Dei officio. *lin* 12, more sanctissimum papam in terram projecerunt. *lin* 15, dimis una cum ipsis malignis Paschale et Campulo. Postmodum vero.

Num 370, *lin* 1, sicut veri pagani, et impii ad ipsius m. eccl eum tr. *lin* 2 iterum bis oc. et l. a. eruerunt, damnaverunt, et semivivum, eumque plagis di. et fust cæd in sanguine revolutum ante revolutum ante (*M*, eruerunt, et plagis eum diversis, et f. cæd clamantes semivivum in sang rev a). *lin* 5, miserunt timore perterriti ne Chr. *lin* 6, ipse Igumeus monachus sancti Herasmi. *lin* 7, clam Pasch m. *ib.*, erat, seu Camp. *lin* 8 in prædicto monasterio. *lin* 9, ex. anferentes, deduxerunt in monast s. Her. et in arcta custodia recluserunt. *lin* 11, diu præs. *lin* 12, contig autem. *lin* 13, in monasterio s. Her in custodia mitteretur d. an et beato Petro clavigero regni cœl suff visum recepit. *lin* 15, rest est.

Num 371, *lin* 1, super famulum suum solita misericordia magnum miraculum d. n. ejus fideles Christiani viri, videlicet Albinus cubicularius cum aliis fidelibus Deum metuentibus exi e. c.. oc. amerentes in basilica. *lin* 4, ubi et sacr ejus c. *lin* 7, sed in eum. *in* 8, sperantes in se ps. docente, qui ait, D. *lin* 11, ,ot eum solid viribus, atque membris. *lin* 13, tantum mœrorem, et tristitiam infideles, habentes nesciebant, quid agerent, domum Albini f. *lin* 15, destr. In ipsa autem beati Petri apost. aula communi pr. P. Vivinitius g. d. Spoletinus. *lin* 18, qui talia mirab in eum glorificavit. *lin ead.*, Dominum. *lin* 22, ipse vero Christ orthodox. *lin* 23, Hildinaldum archiep etc seu Ascaricum c. *lin* 25, Com ipse etiam magnus rex ei obviavit, et sicut v. beati Petri venerab. *lin* 26, spiritualibus par se ampl. *lin* 28, or super populum data est. T. ben dominus Kar. *lin* 29, respiciens g. *lin* 30, P. et P. o. est, et in nihil redactos v. i. ded.

Num 372, *lin* 1, tempus. *lin* 2, hoc prælati iniqui. *lin* 3, mo sunt contraria, et falsa adversum sanct P. *lin* 4, potuerunt : quia per. *lin* 6, sed dum apud clem m. r. pr. P. in magna, et condecenti rever et honore d. ex o. p. ibidem tam A. et cæt sac (M, quamque episcopis, et cæt S.). *lin* 8, omniumque eximiorum Francorum D. p. R. illum remeare in sua apost sede h. *lin* 9 *et* 10, dimiserunt h. et per unamquamque civitatem. *lin* 11, duxerunt. *lin* 12, omnes tam clerici, quamque optimates, et S. *lin* 13, cum cerimonial et d. nob mul. *lin* 14, et scholæ peregr. *lin* 15, Franc Saxonum, atque Longob sim om. conexi ad p. Milv in vigilia s. Andreæ apost proceres, clericorum, cum signis, et b. cæt spiritual.

Num 373, *lin* 1, 2, et Romam introeuntes cum magno g. et læt eum in patriarchio Lateranense introduxerunt. *lin* 3, fidelissimi nuntii, qui. *ib.*, et Rino reverendissimi archiespiscopi, seu Cunipertus (*M*, Cumpertus) Bernardus, Octo, et Jesse, reverendissimi atque sanctissimi episcopi, necnon et Flaccus electus episcopus, verum etiam Helingot (*M*, Helmgoth). Rottecanus, et Germanus gloriosi comites residentes in tricl ipsius Domini L. *lin* 7, inquirentes. *lin* 7 *et* 8, ad ipsum pontificem hab.

Num 374, *lin* 1, miserunt eos. *lin* 3, in eadem ecclesia congregati. *lin* 4, et omnes nobilitates Franc. *lin* 5 *et* 6, et archiep seu episcopos, et abb stante reliquo clero, seu optim Franc. *lin* 7, quæ un arch episc et abb. *lin* 9, non aud ipsa autem a nem j. *lin* 10 ipse sanctiss P. c. ob. canonice V. v. pontifex inq. *lin* 12, criminibus *ib.* exarsere.

Num 375, *lin* 1, omnes generaliter archiep episc et abb. *lin* 3, amp prælatus P. *lin* 6, t. eg. cog. *lin* 7, et cunctus populus letaniis factis l.

Num 376, *lin* 1, die nativitatis D. *ib.* in jam basilicam. *lin* 2, om. cong S. et tunc vener et alm. *lin* 5, pr. Karolum corona pretiosissima coronavit. T. *lin* 5, Petri apostolorum principis, et clav. *lin* 6, m. et piissimo imper. *lin* 7, inv ut dic est, et ab omnibus constitutum est ei Roman imperium. *lin* 8, sancto imperatorem Karolum excellent fil ejus in regem. *lin* 10, cum pedibus suis.

Num 377, *lin* 1, sed et in ecclesia ejusdem apost. *lin* 2, in m. ejusdem mensæ; item in basilica Salvatoris, *etc. ut num* 378, *lin* 1.

Num 378, *lin* 2, in lætaniis præc jussit sec p. i. p. imper. *lin* 5, postmodum vero deducti sunt illi iniq mal. *lin* 7, piissimi imper. *lin* 8, omn comprobantibus eos de m. *lin* 9, vidi quod tu me misisti in isto periculo. *lin* 10, condemnantes man eorum reatum; et dum tales crudeles, et in eos piis imper c. *lin* 11, misit; nona vero indictione, *etc. ut num* 380, *lin* 12.

Num 380, *lin* 12, factus est p. *lin* 14, lamentare c. *lin* 16, P. totis viribus suis certamen ponens restaurare s. a. ex. amplam, et maximam fortitudinem ponens in m. duxit st. Ipse vero a Deo protectus, *etc. ut num* 386, *lin* 1.

Num 386, *lin* 3, spiritual. *lin* 3 et 4, pergant ad eccl. *lin* 4, fer 3 ex. ab eccl b. s. m. pergant ad

Digitized by Google

lin 5 *et* , . q. ab eccl. Hierus pergentes ad eccl b. Laur m. for muros. Idem vero beat præsul in diaconia b. Adriani mart et in eccl *etc. ut num* 387, *lin* 7 *et* 8.

Num 387, *lin* 13, de stauracin, cum periclisin. Simili modo fecit in diaconia sanctorum Cosmæ et Damiani coronam de argento, pens lib 5, unc 8, *etc., ut num* 404, *lin* 7.

Num 404, *lin* 10, lib 9, hic autem præclaratus antistes, *ut num* 412, *lin* 13.

Num 412, *lin* 13, hospitale. *ibid* qui dicitur Numentia, a. f. *lin* 15, sanctorum Christi mart. *lin* 16, necessaria in usus pauperum condonavit. Pari modo et sarta tecta basil, *etc. ut num seq lin* 9.

Num 413, *lin* 14, tecta sanctæ Martinæ, sita in tribus Fatis, in melius restauravit hic præclarus et almificus pontifex, tam intus quam extra positus ecclesias diversis donis et muneribus decoravit; etiam et sarta tecta unius cujusque ecclesiæ, ut opus et necesse erat, a novo refecit.

Num 425, *lin* 2, fecit etiam et in titulum beatæ Pudentianæ vestem albam holoser quæ beatissimus pontif postquam sedem Romanam apostolicam annis 20, mens 5 et d. 17 gl. rexit. *lin* 7, CXXVI. *ib.*, apost II id. Jun. *lin.* 8, dieb 10.

Ex codice Thuano altero.

Num 358, *lin* 1, Leo nat Rom. *lin* 1, 2, dies 16.

Num 359, *lin* 1, illi comendabant *lin.* 2, erogabat. *lin* 9, benevolis.

Num 360, *lin* 2, simul et fontes aquæ ante f. a. *lin* 3, a summo usque. *lin* 5, sub arco.

Num 361, *lin* 1, in quo vero titulo. *lin* 2, can duo exafori *lin.* 3, interrasiles. *lin* 5, lib DXC. *lin* 7, nat Domini *lin* 8, ceterismon; simul etiam et cameram ei eccl. *lin* 12, vestem tiream ch.

Num 362, *lin* 2, per olit marc tempora, atque ruerant F. *lin* 3, rugam ex auro ob. habentem g. *lin* 8, de blattin seu de f. *lin* 10, quadrapulo 20; item vela mod. *lin* 12, peric in rotas.

Num 363, *lin* 6, figurantem m. m. in natali apost splendentem.

Num 364, *lin* 5, quamque in p. p. cereost. *lin* 10, fecit etiam et arcora argent in ecclesia beati Petri apost vela alba a paschales, et in natali ejusdem apost vela de staur.

Num 365, *lin* 2, et jam per olitana ipsi m. ob. n. a. id in amplum largivit æd. *lin* 4, 5, cum absida de musivo amplissima, et caticumenia mir atque c. *lin* 6, et portica. *lin* 7, sed et baptisterium super se basilicam constituit.

Num 366, *lin* 1, centum tres unc 2, col arg 7. *lin* 2, arcora duo. *lin* 3, 4, diac unam p. *ibid* ex decafoti unum p. *lin* 7, Catia col. *lin* 8, gab arg faxista hab. *lin* 9, 18. En. *lin* 11, de chrysoc. *lin* 13, cum periclysin de c.

Num 367, *lin* 1 et 2, nomini suo miræ magn dec. *lin* 8, lib 28.

Num 368, *lin* 3, asi composite ornavit.

Num 369, *lin* 8, adstiterunt.

Num 370, *lin* 6, quia fecerunt.

Num 371, *lin* 1, Deus per s. f. *lin* 12, et quale gaudium. *lin* 16, prælato. *lin* 18, glorificantem, et laudantem d. *lin* 19, civitatis. *lin* 25, Hildebaldum. *lin* 24, eum obv. *lin* 27, se osculaverunt. *lin* 29, Deo referuit.

Num 372, *lin* 1, apud se aliquantum tempus. *lin* 2, hæc prælati in. *lin* 3, contraria falsa. *lin* 4, emittere R. *lin* 5, ipsorum talia. *lin* 6, prælatus P. *lin* 15, Molvium. *lin* 17, et omnes pariter c.

Num 373, *lin* 3, Hildebaldo. *lin* 4, reverentiss. *lin* 6, gloriosissimis. c. *ib.*, et peramplius.

Num 374, *lin* 3, congregare. *lin* 5, resedere, et s. arch seu episcopos, et abb. *lin* 7, delimarent.

Num 375, *lin* 4, prælatus. *lin* 7, et cunctus clerus.

Num 376, *lin* 2, vener et alm præsul man. *lin* 6, magno, et p.

Num 378, *lin* 1, Chr. quæ appellatur Constantiniana. *lin* 3, ciburio. *lin* 4, evang cum battaci ex a. m. in gem. *lin* 10, man ipsorum reatum. *lin* 11, prælatus. *lin* 12, apost in accoli fecit triclinio majore m. p. decorato, et absida de m. ornata, alias et abs. *lin* 16, sed et in arcora argentea vela serica alba, et in natali ejusdem Dei apostoli fecit in eadem arcora vela de stauraci pulcherr. *lin* 19, tetravila hol al. q. cum astilis.

Num 379, *lin* 1, et in eodem sacro alt. *lin* 2, tetravila. *lin* 7, vestem in orvialis ch. *lin* 12, Tyriam; *sic li. seq. lin* 15, blattin B.

Num 380, *lin* 3, *scribe* sanctæ. *lin* 11, portica. *ib.* dona offeruit. *lin* 14, lamentare c. *lin* 16, prælatus P. ex totis n. *lin* 19, portica renov.

Num 381, *lin* 1, renov quatinus et t. *lin* 4, omne argentum *ib.* q. c. inerat, n. r. *lin* 5, gypsion decor ipse v. prælatus P. *lin* 10, num 27, et.

Num 382, *lin* 6, simul etiam, et cort m. de fundato unam. Verum etiam et in arcora argentea f. *lin* 7, ex quibus quinque cum ch. 93 et in arcora maj. *lin* 8, necnon et gab fundatas fecit ex a. pur 18. *lin* 10, viginti octo. *lin* 11, imo et cant duo de argento in p. *lin* 13, gypsino d. inclusa sunt in ora (et alias fenestras de vitro diversis rib decoravit) fortasse picturis d.

Num 383, *lin* 3, Andr apost f. *lin* 9, periclysin. *lin* 10, pendentem *lin.* 10, Pr. fecit ibid regias. *lin* 11, vestem alithinon cum ch. *lin* 13, ciburium *lin.* 14, b. Cal ad hon Dei Genitr. *lin* 20, in Formosum

Num 384, *lin* 1, ejusdem martyris. *lin* 4, Lucinæ in hærenatis. *lin* 5, in Fagano. *lin* 7, de stauraci, et in diaconia s. E. *lin* 11, storiis dep Ap. *lin* 13, pavim cum ipsius marm.

Num 385, *lin* 2, necnon et in. *lin* 3, quæ appellatur Conventum. *lin* 4, Suanenses *ibid.*, Castrisana, quæ nimia vet jam emarc. *lin* 5, peculia r. f. *lin* 5, 6, hisdem sanct pr. mundare pr. *lin* 6, cum port. *lin* 7, recondere p. *lin* 8, præ n. *ib.* omnia s. tecta, e seu et porticos no. r. *lin* 11, tetravila.

Num 386, *lin* 3, beatæ Dei Genitr. *lin* 4, 5, b. Sab. *lin* 5, 6, Hier perg ad eccl. *lin* 6, muros; hisdem vero sanct præs in basil Ag. mart.

Num 387, *lin* 2, fecit hisdem egregius præsul et in Es. *lin* 6, in Damaso fecit vestem de stauraci, cum periclisim simili. *lin* 9, diaconio. *lin* 12, cum storia, *ut sup num* 384, *et inf* storiis. *lin* 13, de staur cum p. de blatti. *lin* 14, cum p. de blatti.

Num 388, *lin* 1, fecit et in basil. *desunt* 2 *lineæ in ms. lin* 4, præsul fecit et in diaconia sancti Silvestri, et sancti Martini vestes de stauraci duas, de quibus. *desideratur lin* 7. *lin* 8, de fundato; fecit et in diaconia in Cyro vestem de tauraci cum periclysi de blatti. Simili modo et in diaconia via Lata fecit vestes duas de tyreo, cum periclysin de blatti; et in diaconia sanctæ Agathæ fecit vestes de staur cum p. d. b. Idem misericordiss. *ibid.*, de blatti; enimvero et in eccl. *lin* 9, cum per deleo comblatea. Fecit. *lin* 10, de quibus.

Num 389, *lin.* 2, de quibus. *lin* 5, a sancto Petro. *lin* 7, idem a D. *lin* 7 *et* 8, vestem chrysoclabam m. m. h. storiam D. *lin* 14, duodecim semis. *Sic semper absque particula.*

Num 390, *lin* 1, in arcora argentea. *lin* 3, et alia. *lin* 3, necnon et arcora cum col. *lin* 5, ibi sup c. anaglypha interrasilem. *lin* 7 lib 14 et semis. *lin* 9, in arcora majora. *lin* 12 *et* 13, pens lib. 415. N.

Num 391, *lin* 2, pens simul. *lib* 6, semis. *lin* 6, in arcora de ciburio n. 4. *lin* 8, aureæ. *lin* 11, de chrysocl et in circuitu lista de chrysocl ut. *ibid.* Imo et in eadem basilica s. *ut lin* 13. *lin* 12, magnit et pulchritudinis dec. *lin* 14, storiam Dom nat simul etiam et arcora. *lin* 15, pens simul 133 et semis. *lin* 21, Dei Genitr Mariæ m. m.

Num 392, *lin* 4, liminaribus. *lin* 5, apost Petrus et Paulus.

Num 393, *lin* 1, parte virorum presbyterii, seu in

Digitized by Google

capite, dextra lævaque. *lin* 5, columnas volutiles tam in ingr corp d. l. quamque etiam in capite presbyterii, dextra lævaque, seu a parte vivorum, ac m. *lin* 7, necnon et arcos argent. *lin* 12, Dominicæ. *lin* 15, super Subora f. *lin* 17, Salv quæ appellatur Constantiniana f.

Num 394, *lin* 1, pari modo et in basil. *lin* 9, antipento. *lin* 10, cereostatos m. battutiles an. ex a. p. p. f. l. 36. *lin.* 14, sub arco pr. ex a. m. p. undique lib 1452.

Num 395, *lin* 3, 4, cum margaritis. *lin* 4, in natali ap. *lin* 6, spanoclistam orn gen pret seu *et cætera* 3 ex auro puro ibidem super eum posuit, pens lib 42 et 2, necnon et cereostatos p. q. investitos. *lin* 8, fecit autem prædictus vener et pr. P. s. a. b. P. ubi supra ciburium. *lin* 10, sub arco de ipso ciburio. *lin* 14, pens simul lib.

Num 396, *lin* 1, misericordissimus præsul f. *lin* 2, s. altare majore vest chrys storiam Dom resurrect miræ magnit. et pulchritudinis decor. *lin* 8, reg investitas ex arg. p. simul lib 128.

Num 397, *lin* 1. cal. m. fundatos antipento ex arg m. *lin* 2, 3, 192 et semis ib. cereostatos m. *lin* 4, pens inibi lib cxcviii. Investivit vero ubi supra tr. *lin* 5, imagines aureas. *lin* 6, fusiles bimixas duas. *lin* 8, lectorem c. *lin* 9 *et* 10, hic fecit ubi supra ab B. Andr apost super altare majus ciburium. *lin* 14, eumque in circ. *lin* 16, necnon et altarem majorem. *Sic fere semper legitur in ms.*

Num 398, *lin* 1, quod jam præ n. *lin* 2, eum cum fund. *lin* 8, arcos argent. *lin* 10, interrasiles 12 p. *lin* 11, interrasiles. *ibid.*, in uno. *lin* 12 et aliam de blatti. *lin* 15, tyreas sex, vela alba. *lin* 17, de staur tria ciburium de altare majore.

Num 399, *lin* 6, apostolatum. *lin* 7, fecit v, *lin* 8 et 9 F. ubi supra cor m. ex arg mundissimo tres. *lin* 10, miræ magnit. et pulchritudinis decor pens lib cxiv, necnon et cereostatos. *lin* 13, ex arg purissimo, pens. *lin* 14, juxta ipsum lectorium c. *lin* 15, refulg. *lin* 16, et uncias tres; necnon col 9 et arcora. 4. *lin* 17, lxxiv.

Num 400, *lin* 5, cantharos 12 ex a p. p. *lin ead*, simul libras. *lin* 6, Petr ubi supra. *lin* 7, ornatum. *ib.* lib clxxviii et u. viii. *lin* 8, altarem. *lin* 11, thurabulum apostolatum ex auro puro, qui procedit per stationes, pensan libr 2 unc 8.

Num 401, *lin* 1, hic vero sanctiss pontifex f. in basilica beati P. ap. apostolata thurabula ex a. pur duo, ex quibus unum misit intus super corpus ejus, qui pens lib 2, et alius pens lib 2, unc 5. Hic vero al. *lin* 3, fecit autem ubi supra cor 2 ex arg pur pens lib 54 et semis. *lin* 4, Cortina majore Alexandrina hol ornata in cir de. f. una. *lin* 6, per universas. *lin* 7, pur pens... *lin* 8, coronam. *lin*, 10, lib 13. Imo et in ecclesia ipsius Genitr Dei, et in titulo Callixti. *lin* 11, lib xiii. Verumetiam et in diaconia ejusdem Dei Gen quæ appell A. *lin* 12 *et* 13; atque in eccl beatæ Dei Genitr quam ad Mart eodem modo fecit cor de arg pens lib 12. *lin* 14, quam Cosmidi, fecit cor ex arg. *lin* 15, quam Dominica pari modo fecit cor ex arg pens lib 9 necnon et in diacon. ejusdem Dei Genitr quæ appellatur in via Lata. *lin* 17, lib 9. Simili modo fecit et in diaconia sanctæ Mariæ in Cosm coronam de arg pens lib 8. Enimvero et in diaconia beatæ Dei Genitr foris portam beati P. ap. f. c. pens lib..... et unc 4. Fecit autem et in diac ips Dei Genitr quæ pon in Adriano cor ex arg lib v semis.

Num 402, *lin* 1, simulque et in or. ejusd Dei Gen. *lin* 2, unc septem, et in eccl b. P. ap. ex arg pur pens lib 22 et unc 8. *lin* 3, Ap. quæ ponitur ad b. Petrum ap. fecit cor de arg pur pens lib 18, et in eccl beati Andreæ apost, quæ ponitur juxta Præsepem, similiter coronam fecit ex arg pens lib 7, et in titulo beati Petri apost quam Eudoxiæ instar fecit coronam de arg pensan lib 9. V. *lin* 6. Later similiter fecit cor ex arg lib v, et in ecclesia beati Joannis apost et Eu. *lin* 8 *et* 9, atque in eccl beatiss Steph primi martyris, quæ pon. *lin* 9, 10, unc 10 *lin* 11, pon in v. l. eodem modo fecit cor ex arg pur lib 13. Sev et in M. *lin* 12, necnon et in eccl H. quæ pens in susurrio fecit cor ex arg pens lib v. Simili modo et in eccl beati Laur mart q. p. f. m. s. fecit cor. *lin* 15, quatuor. Enimvero et in basil. *lin* 17, ubi ejus sacratissimum corpus req cor ex arg pens lib 8 arg. *lin* 18 ex arg p. lib xv. Simulque et in titulo beatæ Sabinæ martyris instar fecit coron ex arg pens lib 8.

Num 403, *lin* 1, pari modo fecit et in titulo b. Aq. et Priscillæ coronam. *lin* 2, fecit coronam de arg pensan lib 5 semis. Imo et in eccl b. S. m. a. P. fecit coronas ex arg puro, pens lib 5, unc 2. Atque in titulo beati Laur m. quam Lucinæ pari modo fecit coronam, pens lib 4, uncias 10 et in tit ipsius martyris; quam Damasi simili modo fecit coronam ex arg pens lib v semis. Verumetiam et in eccl. *lin* 5, Formonsis. *lin* 7, x s. *ibid* lib 4, s. *lin* 8, coronam, pens lib 6. Simili modo fecit et in ecclesia beatæ Praxedis coronam de arg pensan. *lin* 10, novem. Enimvero et in tit b. V. m. similiter fecit cor pens lib 9 et unc 3. Fecit et in tit b. S. coronam ex arg pensan lib. *lin* 12, quinque semis. Simulque in tit b. M. martyris, atque pontificis fecit cor ex argento, pensan lib 8. Pari modo et in tit b. M. martyris atque pontificis, quæ appellatur in via Lata, fecit coronam ex argento, pensan lib 10. Et in tit b. An. fecit cor ex argento, pensan lib. 7 et unc 8. Imo et in tit beatæ Cæciliæ.

Num 404, *lin* 1, et in diaconia sanctorum Nerei et Achilei simili modo fecit cor. de arg. pur. lib. 6 et unc. 5. Verumetiam et in diac. sancti Laur. in 7 vias. *lin* 3, septem. Sed et in diac. sancti Bonifacii simil. fecit ex arg. *lin* 4, quinque semis. Necnon et et in diaconia s. Th. e. m. fecit cor. ex arg. pens. lib 6 et unc. 8. Simili modo fecit et in diac. sanctorum Sergii et Bachii cor. ex arg. *lin* 7, Dam. fecit cor. ex arg. puro, pens. lib. 5 et unc. 8. Enimvero et in diac. sancti Adr. *lin* 8, lib 6 semis. Fecit autem et in basilica sancti Archang. cor. ex arg. pur. lib. 6. Et in diac. sancti Eust. simil. fecit coronam ex argento pur. lib. 6 et unc. 5. Simulque et in diac. sancti L. *lin* 11, pari modo in diac. beati Viti fecit cor. pens. lib. 6. Et in diac. *lin* 13, sanctæ Ag. instar fecit cor. ex arg. pur. lib. 5. Imo et in diac. sanctorum Silvestri et Martini, quæ ponitur juxta Orphea, cor. ex arg. pens. lib. 6, unc. 2. Atque in diaconia sancti Silvestri, quæ ponitur juxta beatum Petrum apost. pari modo fecit coronam ex argento, pens. lib. 4 et semis. Et in diaconia sancti Martini, quæ ponitur ubi supra, fecit coronam ex arg. pens. lib. 5, unc. 4. Ipse vero a Deo pr.

Num 405, *lin* 1, 2, ex arg. puro, pens. *lin* 4, scauri. *lin* 5, martyris similiter fecit cor. ex arg. pensan. lib. 5. Necnon et in m. *lin* 6, monte instar fecit cor. ex arg. *lin* 7. Simili modo et in mon. *lin* 8, martyris fecit can. *lin* 10, ex arg. *lin* 11, quod Honori c. *lin* 12, semis. Pari modo fecit et in mon. sanctorum J. et P. quod p. *lin* 16, tres, et in monast. *lin* 17, ubi supra. Similiter fecit can. ex arg. pens. *lin* 18, quam cat. pat. *lin* 19, semis, atque in monasterio s. Cæs. *lin* 21, lib. 2, semis. Enimvero et in m. *lin* 23, simili modo et in monast. s. Andreæ. *lin* 24, duas semis. *lin* 25, can. ex arg. pens. lib. 2, unc. 2. *ibid.* juxta sanctum Laurentium foris m.

Num 406, *lin* 1, Stephani canistrum ex arg. pur. lib. 2. Verum. *lin* 3, 4, sancti Gregorii s. fecit cor. ex arg. pur. lib. 2. *lin* 4, lib. 2 semis. *lin* 6, Juliæ canistrum ex arg. pur. lib 2 sem. *lin* 7 apostolorum instar fecit can. ex arg. pens. lib. 2, semis. *lin* 9, Bachii, quod p. in c. sim. fecit c. ex arg. pensan.

Digitized by Google

lib. 2. *lin* 11, Agn. martyris. *lin* 12, fecit canistr. *ibid.* Pari modo et in monast.

Num 407, *lin* 6, quinque et semis. *ibid*, can ex arg pens lib 2. Simulque ib. f. Ag. martyris. *lin* 8, can ex arg pens lib 2. *lin* 9, sanctissimi Nitrii, *sic legi videtur*, fecit can ex arg pensan lib 2. *lin* 10, Salviæ f. can ex arg p. lib 2. *lin* 12, 13, in Appentino. *lin* 14, lib 2, semis.

Num 408, *lin* 1, portam fecit canistrum ex arg. *lin* 2, quinque et semis. *lin* 3, fecit canistrum ex arg. *lin* 6, fecit et in d. *lin* 7, xenodoch quam Panichiorum simil. *lin* 9, f. Abbacili. *lin ead.*, lib 2, semis *lin* 10, in xenodoch instar fecit c. *lin* 13, prælatus v. almificus P. in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Chr. *lin* 14, de quibus unam. *lin* 16, mund 7 p. *lin* 19 duodecim semis. *lin ead.*, holosirica, *atque ita fere semper legitur. lin* 21, 22, col decoravit, atque conclusit. *lin* 22, ex m. gypsino.

Num 409, *lin* 1, Genitricis ad Præsepe canth de arg puro duo. *lin* 2, ex arg mundissimo, pens lib 5. *lin* 4, Genitricis. Sic semper. *lin* 5, alithina holosirica 4 ornata. *lin* 12, argenteas tres d. *lin* 13, suis cereostatas paria una. *lin* 14, antistis B. *sic semper lin* 16, lib 13 semis. *ib.*, super ingr v. *Sic etiam legitur lin* 18.

Num 410, *lin* 1, scutos ex arg 2 scriptos utrosque symbolum, unum quidem litt Gr et alium Latinis, sedentes d. l. super ingressu. *lin* 6, enimvero ubi supra. *lin* 7, altarem, *et ita frequenter legitur.*

Num 411, *lin* 1, hic vero a Deo protectus et pr. p. in altarem. *lin* 4, unc novem. Fecit et super ingr. *lin* 5, scribi præcepit. *lin* 6, libr 93. Fecit autem in basilica beatæ Savinæ mart in gremio basilicæ cortinam. *lin* 8, super altare majore ciburium cum columnis f. ex argen. *lin* 9, magnitudinis et pulchritudinis m. d. qui pens undique. *lin* 11, super altare majore, ut supra. *lin* 13, tetravila r. *lin* 15, in circuitu de quadrupulo et cortina majore alba I ornata in circuitu de fundato. *lin* 16, puriss deauratos d. l. p. i. *lin* 20, 64. *lin* 23, deauratam super ingressum vestib pens lib 131 semis. *lin* 25, deauratum, pens lib 6 et uncias 3. Fecit vero isdem præfatus pontifex in basilica doctoris mundi beati Pauli apost imaginem Salvatoris ex argento mundissimo deauratam super ingressum vestibuli, pensantem libras 49 semis. Fecit ubi supra columnam unam de argento purissimo.

Num 412, *lin* 4, beatæ Dei Genitr. *lin* 9, sub porticum, quam etiam in introitu nobiliter restaur. *lin* 10, parte dextra atrii, do. *lin* 14, nobiliter c.

Num 413, *lin* 4, isdem. *lin* 5, jaciens fundam. *lin* 9, b. Andr. *lin* 11, a novo refecit. *lin* 14, 15, similiter r.

Num 414, *lin* 1, necnon etiam et f. *lin ead.*, nobiliter r. *lin* 2, bas beati Val. *lin* 4 *et* 5, nov restaur. *lin* 5, super Subora. *lin* 7, insegnino op. *lin* 9, undique orn. *lin* 10, et ultra. *lin* 14, tetravila. *Sic semper. lin* 18, ubi supra fecit. *lin* 19, ex margaretis ornatas c. p. *lin* 20, 21, tygris.

Num 415, *lin* 1, quæ pon in Prænest. *lin* 3, omnia nobiliter, *ut lin* 5. *lin* 6, protectus et venerabilis p.

Num 416, *lin* 1, inlustr. *lin* 4, magnit et pulchritudinis d. p. lib 26 et unc 6. *lin* 5, 6, sub arcu pr. *lin* 7, lib IIIIV et unc VII. *lin* 9, magnit. et pulchritudinis. *lin* 10, ubi sup. *lin* 11, de chrysocl. Necnon etiam. *lin* 12, fecit ubi supra. *lin* 13, quæ pens. *ibid.*, corp cujus supra isdem pr. *lin* 15, quæ stant super columnas in circ alt. *lin* 18, magnitud. et pulchritudinis o. d.

Num 417, *lin* 2, rosata in circuitu de chrysocl et i. m. h. c. et orbiculos de chrys. *lin* 5, Genitricis, quæ Dominica.

Num 418, *lin* 2, tam in quadriportico quamque in faro. *lin* 5, arg quatuor. *ibid.*, in trabes arg. *lin* 12, Andr apostoli. *lin* 19, quod dicitur Pauli P. fecit vest. al. holosiricam rosatam, cum tabula de chrysoclavo, habentem storiam Dominicæ resurrect. et in circuitu ejus listam de chrysoclavo. Pari modo et in oratorio sanctæ Dei Genitr. ubi supra in mediana fecit vestem albam olosiricam rosatam, habentem in medio crucem de chrys. et in circuitu ornatam de tyreo. In oratorio vero ipsius Dei Genitr. ubi supra, quæ dicitur Pauli papæ, fecit albam olos orn in circ de micilo. Velum album olosiricum unum, ornatum in circuitu de micilo. Necnon et in monast f. M. *lin* 22, super altare majore.

Num 419, *lin* 1, isdem vero eg. p. *lin ead.*, super altare majore fecit vestem. *lin* 7, necnon et in basilica beati Georgii mart. *lin* 10, in basilica beatæ Dei Gen. *lin* 12, cereapte suo. *lin* 14, refulgeret. *ibid* fecit canistrum ex arg. *lin* 15, cereapte suo. *lin* 17, ad Crucifixum mirum in modum fecit.

Num 420, *lin* 1, Apollinarii. *lin* 3, illo essent. *lin* 5, deduxit. *lin* 7, ros album. *lin* 8, Ascensionis. *lin* 12, neglegentiam. *Sic fere libri omnes veteres. lin* 13 ad summum regnum. *ibid.*, sed hisdem clem. *lin* 14, et s. Spir inlustr. *lin* 15, jam fatam eccl nov omnia restaur.

Num 421, *lin* 1, et ut verus Dei amat. *lin* 2, e quibus. *ibid.*, crisas orn in circ de fund et aliam vestem de fundato, seu tetravila. *lin* 4, vestem ornat habentem storiam. *lin* 6, isdem vero beatis. *lin* 11, item ubi supra super alt. *lin* 13, in gyrum. *lin tamen* 15, in gyro. *lin* 16, storiam Dominicæ resurrect.

Num 422, *lin* 2, et super altare s. *lin* 4 *et* 5, arg cum delphinis suis numero 12. *lin* 5, novem semis. *lin* 9, lib 136, unc 6. *lin* 12, necnon s. Pet.

Num 423, *lin* 3, doctoris gentium.

Num 424, *lin* 4, in qua etiam dona obtulit ciburium ex arg pur pens lib 215, canistros ex arg. *lin* 11, divers in circ pretiosis orn lapid pens lib 4, unc 7. Pari modo et in basilica. *lin* 15, lib 7. Fecit vero communicales ex arg pur p. s. r. qui pr. p. s. p. m. a. num 24, pensan simul libr..... Fecit autem et in diaconia sanctorum Nerei et Achillæi vela pr. olosirica..... Sarta tecta vero beati Agap.

Num 425, *lin* 6, diac 12. *lin* 6, 7, loca 126.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 359, *lin* 1, quidquid illi. *lin* 4, diligeretur.

Num 360, *lin* 3. a summo usque ad summum.

Num 362, *lin* 13, cruce cum gammadias.

Num 364, *lin* 5, posuit cerea arg. *lin* 7, fecit autem et in arcora arg eccles b. P. ap. vela alba paschalia et in natale ejusdem D apost vela de stauraci v. p.

Num 369, *lin* 4, Campulus in ipsorum.

Num 370, *lin* 12, contigit autem. *ibid.*, suffragante, et visum recepit, et lingua ad loquendum illi restituta est.

Num 371, *lin* 12, et quale gaud. *lin* 22, Christianissimus, seu et orthod. *lin* 25, magnus rex eum obv. *lin* 27, se obviaverunt. *lin* 27, et a cuncto cl. suscipiente oratione super cuncto populo data.

Num 372, *lin* 3, Deo contraria falsa. *lin* 5, iniquitates ipsorum. *lin* 11, deduxerunt. Qui Romani. *lin* 15, Frizonorum, Saxonorum *lin ead.*, p. Molvium.

Num 373, *lin* 4, archiepiscopis, seu Cunipertus, Bernardus, Atto et Jesse. *lin* 6, germario.

Num 375, *lin* 1, apost. omnes generaliter archiepiscopi.

Num 377, *lin* 4, diversis legente Carulo pen. *lin* 8, arg sub minore cum.

Num 378, *lin* 1, Domini nostri, quam. *lin* 4, evangelium cum blattici ex a. m. in g. *ibid.*, interea et in basil. *lin* 12, apost. in acoli fecit tricl. *lin* 16, 17, sed et in arcora arg. vela serica habentes alba; et in ejusdem Dei apostoli in eadem arcora vela de stauraco pulch. *lin* 19, tetravila.

Num 380, *lin* 3, q. vocatur Dominica

Digitized by Google

Num 381, *lin* 4, conquassatum inerat. *lin* 11, sanctorum Joannis et Joannis.

Num 382, *lin* 3, Mariæ, seu XII. *lin* 6, verum etiam et in arcora. *lin* 13, metallo cypsino.

Num 383, *lin* 10, intro regias. *lin* 11, alythinon.

Num 384, *lin* 5, s. Angelo in Fajano. *lin* 11, depictas Apost.

Num 385, *lin* 6, cum porticibus.

Num 386, *lin* 3, præsepe pergant.

Num 387, *lin* 3, Villitrias. *lin* 4, B. Grisogoni.

Num 388, *lin* 9, cum periclysin deleo comblattea.

Num 389, *lin* 5, a sancto Petro. *lin* 6, b. Jaquinthi *lin* 12, 13, LII, enimvero cui.

Num 390, *lin* 6, intersylem.

Num 391, *lin* 7, 8, beatæ Aureæ.

Num 393, *lin* 15, super Subora. *lin* 17, Constantinianam fecit.

Num 396, *lin* 6, appellatur Dominica.

Num 397, *lin* 14, f. eumque in circuitu.

Num 398, *lin* 4, optulit hoc. Cyburium. *lin* 17, seu et alia.

Num 399, *lin* 6, tyrabulum apost. *lin* 4, juxta ipsum lectorium.

Num 400, *lin* 6, Petronellæ *sic fere semper*. *lin* 7 ornatum *lin* 13, procedit per stat.

Num 401, *lin* 1, turabula. *lin* 5, de fundato 1. *lin* 13, coronam de arg.

Num 402, *lin* 2, uncias VIII. *lin* 5, ap. qui ponitur ad beatum Petrum apostolum fecit coronam ex arg pens lib XVIII. Item in ecclesia beati Andreæ apostoli, qui ponitur juxta Præsepem similiter fecit coronam de arg pens lib VII. Et in titulo beati Patri apostoli, qui appellatur Eudoxiæ. *lin* 9, 10, et unc x. *lin* 12, in susurrio. *lin* 14, Apollenarii.

Num 404, *lin* 2, unc v, et in diaconia sancti Bonifatii. *lin* 10, ponitur Orfea.

A *Num* 405, *lin* 5, super Subora. *lin* 26, Laurentium foris.

Num 406, *lin* 7, aposto.. nstar fecit.

Num 407, *lin* 4, monasterio capud afr. *lin* 5, Podentis. *lin* 6, Ilysidoris. *lin* 8, monast decorsus. *lin* 12, pon in appentino. *lin* 13, canistra.

Num 408, *lin* 22, metallo gypsino.

Num 409, *lin* 8, tyreo, *ita infra*. *lin* 13, arg. cum gammad ss. cyrostata parium. *lin* 16, lib XIII semis. *lin* 17, pendet super in ingressu vestibuli. Item alium velum majorem chrysoclavo, q. pendet in trabe arg.

Num 411, *lin* 2, purissimo, ac deauravit. *lin* 6, basilica beatæ Savinæ mart in gremio basilicæ cortinam majorem. *lin* 10, d. milia. *lin* 13, tetravila *lin* 14, Petronellæ. *lin* 15, circuitu de quadr. Et cortina majore alba una, ornata in circuitu de fundato. *lin* 25, deauratum, pens lib VI, unc III. Fecit vero isdem præfatus pontifex in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli imaginem Salvatoris ex
B arg mundiss deauratam super ingressu vestibuli.

Num 413, *lin* 14, beatæ Martinæ.

Num 414, *lin* 2, basil beati Valent. *lin* 20, tygris.

Num 415, *lin* 13, ornata num.

Num 416, *lin* 2, tetragon. *lin* 12, num VIII.

Num 417, *lin* 4, crucem et orbiculos.

Num 418, *lin* 22, altare majore.

Num 419, *lin* 18, posuit, quæ pens.

Num 420, *lin* 1, Apollenarii. *lin* 7, rosatam albam hab. *lin* 15, noviter omnia rest.

Num 421, *lin* 3, de fundato, et alia veste de fundato, seu et tetrav.

Num 422, *lin* 5, VIII seu et. *lin* 12, Petronellæ.

Num 423, *lin* 3, doctoris gentium.

Num 424, *lin* 4, dona. Cyburium ex arg. purissimo, pens lib CCXV, canistros ex arg num V, pens lib XV Calic.

Num 425, *lin* 6, episc per diversa loca num CXXVI.

XCIX. STEPHANUS V.

ANNO CHRISTI 816, LUDOVICI IMP. 3, LEONIS ARMENII IMP. 3.

426 Stephanus, natione Romanus, ex patre Marino, sedit annos septem, menses septem[a]. Hic a primæva ætate in patriarchio Lateranensi sub sanctæ memoriæ domno Adriano papa nutritus atque educatus, nobili prosapia atque clarissimo genere ortus, adhuc in parva ætate ad discendam sacræ disciplinæ scientiam studiosius vigilabat. Defuncto vero sanctæ memoriæ jam præfato domno Adriano papa, in locum ejus domnus Leo papa successit. Qui prædictum domnum Stephanum conspiciens bonæ conversationis atque humilitatis, eum ad subdiaconatus ordinem promovit.

427 Quem magis ac magis spiritualibus studiis vacare conspiciens, Domino annuente, ad diaconatus culmen eum provehit, et ex tunc multipliciter spiritalibus pollens studiis, maxima tam ad evangelizandum populo solerter ac clare divina atque evangelica verba, quamque ad exercendam ecclesiasticam traditionem gessit curam. Et ita Spiritus sancti gratia in ejus corde refulsit, ut in omnibus efficax idoneusque comprobaretur. Sicque factum est ut dum de hac vita migraret antepræfatus domnus Leo papa, illico dum ferventissimo affectu a populo Romano diligeretur isdem præcipuus ac sanctissimus vir Stephanus ad sacrum pontificatus culmen est electus. Qui omnes uno affectu parique amore eum ad ecclesiam beati Petri apostoli perducentes, Dei ordinante providentia, papa orbis consecratus est.

428 Hic sanctissimus vir in pontificatu jam positus, pro confirmanda pace et unitate sanctæ Dei Ecclesiæ, ad Franciæ arreptus est iter, apud piissimum et serenissimum domnum Ludovicum imperatorem. Qui cum in Franciam pervenisset, tanto honore atque exaltatione a prædicto piissimo

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B* mens. 7. 5.

Digitized by Google

principe atque Francorum populo susceptus est, quanto vix lingua narrari potest. Et tantam illi Dominus gratiam largiri dignatus est, ut omnia quæ ab eo poposcisse dignoscitur in omnibus impetrarit. In tantum ut isdem piissimus princeps pro illius amore in finibus Franciæ super omnia dona, quæ ei largitus est, curtem de suo proprio fisco beato Petro apostolo perpetuali usu per præceptionis a paginam concessit. Isdem vero sacer antistes exemplum sumens Redemptoris nostri, qui pro nobis de cœlis dignatus est descendere, et de captivitate diaboli nos eripere, omnes exsules, qui illic captivitate tenebantur propter scelera, et iniquitates suas quas in sanctam Ecclesiam Romanam et erga domnum Leonem papam gesserunt, pro pietate Ecclesiæ secum reduxit. Fecit autem in ecclesia beati Petri apostoli ad Vincula tymiamaterium de argento desuper deauratum, pensan. libras. . .

429 Item similiter fecit gabatha de argento, pens. libras. . . Similiter fecit vela holoserica, cum periclysi de fundato numero. . . Imo et in eadem ecclesia fecit vestem de chrysoclavo, cum gemmis, habentem historiam beati Petri apostoli. Item fecit vela de fundato numero. . . Et in monasterio ubi supra fecit calicem de auro, cum gemmis ornatum, pensan. libras. . . Et patenam de argento desuper deauratam, pens. libras. . . Item fecit crucem de auro cum gemmis ornatam, pensan. libras. . . Fecit autem prædictus et venerabilis præclarus pontifex in sancto Theodoro in Sabello crucem de auro cum gemmis ornatam, et calicem de argento, pensan. libras. . . Fecit autem prædictus venerabilis et præclarus pontifex in basilica beati Petri apostoli ad Vincula patenam, et calicem de argento, desuper deauratam, pens. libras. . . Item, ubi supra, fecit coronam de argento cum pendentibus suis, pensan. libras. . . Enimvero et in oratorio sanctæ Barbaræ martyris in Subora fecit vestem de fundato. Necnon et in basilica beatæ Helenæ fecit vestem de fundato. Hic divina vocatione de hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Sepultus vero est in basilica beati Petri apostoli. Fecit autem ordinationem unam in mense Decembrio, presbyteros novem, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero quinque; et cessavit episcopatus dies duos.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

B, perceptionis.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri

Num 426, *lin* 1, sedit menses 7. Hic a, etc. *lin* 6, humilitatis mores dignos.

Num 427, *lin* 1, diaconi ordine eum provexit. *lin* 9, papa urbis.

Num 428, *lin* 2, Franciæ arripuit iter.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 426, *lin* 1, sedit m. 7. *lin* 2, in patr. Salvatoris, id est Lateran. *lin* 3 *et* 4, claro gen sanctæ discipl sac c. studiosus vig. *lin* 4, jam fato. *lin* 5, in locum ejus successit d. L. p. q. *ibid.*, respiciens. *lin* 6, humilit mores agere eum ad subdiac ord pr. et sic ad sacerdotii gradum pervenit. Sicque factum est, *ut lin.* 5 *num seq.*

Num 427, *lin* 5 *et* 6, antefatus d. L. p. illico eum cum ferv. *lin* 7, p. est culmen el. Qui uno omnes affectu. *lin* 8, beati Petri perd. *lin* 9, papa urbis c. e. Hic vir sanctiss in pontificatus culmine jam positus.

Num 428, *lin* 2, Eccl Franciæ arripuit iter ad p. *ibid.*, dominum. *lin.* 3 qui cum in Francia p. *ibid*, atque exsultatione a prædicto principe piis atque Fr. p. s. est, quantum vix lingua narrare potest; et tantam illi d. *lin* 6, impetraret. *lin ead* ut isdem princ pro il. *lin* 7, s. om. quæ ei l. est crucem de suo. *lin* 8, per præcepti pag. *lin* 10, captivi ten. *ibid.*, quas in sanctam Romanam Eccles. *lin* 12, reduxit. Hic divina voce, etc., *ut lin* 14 *num seq.*

A *Num* 429, *lin* 13, apost. Fecit autem ordin mens Decembris, pr.

Ex codice Thuano altero.

Num 426, *lin* 4, jam fato. *lin* 6, humilitatis mores degere.

Num 427, *lin* 5 *et* 6, antefatus. *lin* 6, illico. *ibid.*, isdem sanctiss vir. *lin* 7 *et* 8, qui uno omnis affectu. *lin* 9, papa urbis.

Num 428, *lin* 3, qui cum Franciam perv. *lin* 4, narrare. *lin* 5, largire d. e. ut o. quæcunque ab eo i. *lin* 7, cortem. *lin* 8, per præcepti pag. *lin* 10, omnis exsules. *ibid.*, quas in sanctam Romanam Ecclesiam.

Num 429, *lin* 1, item fecit g. argentea. *lin* 2, num.... et in monasterio ubi supra. *lin* 4, cum gemmis, pens lib 10. Fecit autem et in s. Theod in Sabelli c.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

B *Num* 426, *lin* 6, humilitatis mores degeret, eum.

Num 427, *lin* 9, papa urbis.

Num 428, *lin* 2, Ecclesiæ. Franciæ. *lin* 4 *et* 5, tantam illi. *lin* 6, impetravit.

Num 429, *lin* 6, fecit autem et in s. Theod. in Sabellum.

Digitized by Google

C. PASCHALIS.

ANNO CHRISTI 817, LUDOVICI IMP. 4, LEONIS ARMENII 4.

430 Paschalis, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos septem, menses quinque [a], dies sexdecim [b]. Qui a primævo ætatis suæ divino cultui mancipatus, atque in sacrosanctæ ecclesiæ patriarchio studiis divinæ salutiferæque Scripturæ imbutus, tam in psalterio quamque in sacris paginis Novi ac Veteris Testamenti specialiter eruditus, elegans, atque in omni bonitate perfectus, subdiaconus quidem factus, et postmodum diaconus atque presbyter honorifice consecratus est. Erat autem vir sanctus, castus, pius, innocens, magnanimus, loquela devotus, pudicitia plenus, et nimis hilariter jucundeque in eleemosynis pauperum cuncta quæ habebat opportune distribuens. In colloquiis ergo divinis frequentius cum religiosis ac sanctis monachis sedula observatione die noctuque insistebat, et in orationibus ac vigiliis, quotidianisque jejuniis humiliter atque honeste vigebat. Quem dum prædecessor ejus domnus Leo ter beatissimus papa tantis studiis pervigilem et religionis devotum conspexisset, tunc ei monasterium beati Stephani primi martyris, juxta basilicam beati Petri principis apostolorum, ad regendum commisit. Quia scriptum est : *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant* [c]. Unum, qui suimet vitæ hujus temporalis lucra pro æterna sobrie atque utiliter moderando correxit, et exemplum bene vivendi in subditis, et correctionem pietatis religiosius exornavit. Qui etiam gratiam hospitalitatis in peregrinis et claudis, qui ob amorem beati Petri apostoli de longinquis regionibus ad ejus limina occurrebant, utiliter præparans necessaria subministrabat, et occulte quibus egebant hilariter erogabat. Et semper quotidie in Dei operatione crescebat, usquequo prædecessor ejus domnus Stephanus papa de hac luce ad æternam beatitudinem migrasset. Dum ergo per tanta bonæ operationis exempla præcipue, longe, lateque fama discurreret, et omnipotens Deus regimen Ecclesiæ suæ sub piæ gubernationis cura annueret apte moderateque disponere, una concordia, una eademque voluntate, divino interveniente consultu, a cunctis sacerdotibus seu proceribus, atque omni clero necnon et optimatibus, vel cuncto populo Romano ad laudem et gloriam omnipotentis Dei in sedem apostolicam pontifex elevatus est. Erat enim Patrum præceptorum, seu institutorum pontificum atque canonum, necnon legum sanctionumque decentissimus observator, et cuique justitiæ normæ a tempore ordinationis suæ nobilissimus promulgator; tardus ad irascendum, et velox ad miserandum. Nullum malum pro malo reddens, neque vindictam secundum cujusquam commissum tribuens, sed semper misericors pia dilectione omnibus civibus, et a Deo commisso populo Romano amator et gubernator existebat. Omnium etenim ecclesiarum Dei cum summo studio atque summa providentia pro solita religionis cura cultor, restaurator, atque in omnibus devotissimus exornator fuit.

431 Hic beatissimus præsul multa corpora sanctorum requirens, invenit. Quæ et diligentius intra civitatem ad honorem et gloriam Dei honeste recondidit. Rogam etiam omni clero suo in presbyterio profecto multipliciter ampliavit, et omnem thesaurum in sacrario cœlesti recondidit, maxime propter captivos, et exsules eos non tantum a transmarinis regionibus viros ac mulieres auro seu argento redimens, verum etiam per longinqua viarum itinera passim perquirendo, tam in Hispaniæ partibus quamque per singula loca inveniens, sicut bonus et verus pastor ad propria perduxit. Fecit autem in sacro altari beati Petri principis apostolorum vestem miræ magnitudinis, pulchram et decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, perfigurantem historiam qualiter idem apostolus a vinculis per angelum ereptus est. In ejusdem venerabili basilica ante aditum, quæ ducit ad corpus in loco ferrata, altare constituit, in quo et venerandum beati Sixti martyris atque pontificis corpus honestissime collocavit. Ubi et desuper arcum musivo exornatum decenter instruxit. Simili modo in eadem sacratissima beati Petri apostoli ecclesia, juxta ingressum qui ducit ad beatam Petronillam, oratorium summæ magnitudinis atque pulchritudinis decoranter construxit. Et super columnas in quadrificio camerantes, musivo pulchrisque metallis decoravit : in quo et corpora beatissimorum martyrum Processi et Martiniani ad honorem et gloriam omnipotentis Dei memorialiter honorificeque recondidit. In cujus absidam imaginem pulcherrimam de argento, exauratam cum diversis historiis inter marmorum constructiones [d] ordinatas infixit, quæ pensant libras sexaginta duas et semis; simulque et lilia de argento, pens. libras decem et septem, et uncias duas. Necnon et gabathas ex argento purissimo numero septem, pens.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * tres. [b] * septemdecim. [c] *Matth.* v. [d] *B*, concrustationes.

Digitized by Google

simul libras tredecim semis et uncias duas. Imagines etiam de argento exauratas fecit in eodem venerabili loco numero tres. Unam Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et duas aliorum beatorum martyrum Processi et Martiniani, pens. insimul libras triginta et sex. Necnon et aliam imaginem ex auro purissimo obtulit ad ornatum jam præfati oratorii, pens. libras tredecim et uncias tres. Simili modo canistra ex mundissimo argento numero octo, pens. omnes libras tres et quadraginta.

432 Pariterque et concham ad spongiam pro nocturnis diligentiis ibidem ex argento constituit, pensan. libras septem et uncias novem. Imo et claves in modum crucis ex auro purissimo, seu gemmis miræ decorationis exornatas in eodem venerabili loco merito decoravit, quæ pensan. libras.... Ubi etiam regularem ordinavit, quem laminis argenteis superinduxit, pens. libras viginti. Super quem constituit arcus duos de argento et gammadias quatuor, quæ simul pens. libras sexaginta. Propitiatorium etiam altaris ex laminis argenteis exornatum circumduxit, atque sacram confessionem ejus interius exteriusque cum rugulis suis nobilissime circumstruxit, quæ simul pensan. libras.... Et super altare eorumdem beatissimorum martyrum vestes duas instituit, ex quibus unam de fundato cum cruce de chrysoclavo, et alteram de quadrapulo mirifice exornavit. Vela quoque majora de fundato numero septem, cum periclysi de blatthin circumsuta, similiter decoravit. Sed neque hoc silentio prætereundum esse arbitramur, quod eodem tempore, diabolica operante versutia, per quorumdam gentis Anglorum desidiam ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua burgus [a] dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut etiam nec vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent. Cujus exuberantis incendio pene totam porticum, quæ duxit ad basilicam principis apostolorum, ignis fomes devastavit.

433 Et dum hæc ter beatissimus pontifex quasi hora noctis conticinio persensisset, subito propter amorem Ecclesiæ beati Petri apostoli, atque tantam peregrinorum illorum devastationem nudis pedibus discalceatus pedester cucurrit. Cui tanta omnipotentis Dei in ejus adventu misericordia adfuit, ut locum, in quo prius idem coangelicus pontifex constitit, nequaquam ulterius impetus ignis transgredi permisit. Sed ipse Dei clementiam exorando, et multitudo fidelium qui aderant decertando, acies ignis Deo miserante exstincta est. Sicque peractum est ut totius noctis spatium usque ad auroram perseverans in eodem loco persteterit. Unde postmodum ter beatissimus pastor considerans illorum peregrinorum inopiam, quæ ob insidias diabolicæ fraudis irrepsit, tanta dona, tantaque beneficia, sicut semper solitus erat, in eorum necessitatibus impertivit, tam in auro et argento, vel corporum indumenta, quam reliqua necessaria alimenta omnia uberius subministrabat. Sed et sylvarum copiam pro lignorum utilitate, quatenus domicilia sicut ante in eodem loco fuerant, utiliter restaurarent. Porticum etiam, quæ ab eadem clade vastata est, decentius quam fuerat in melius firmissime restauravit.

434 Hic præclarus et venerabilis pontifex fecit in ecclesia beati Petri apostolorum principis nutritoris sui vela de chrysoclavo per arcus presbyterii, habentia historiam de mirabilibus apostolorum, quæ per eos Dominus operari dignatus est numero quadraginta et sex. Ecclesiam etiam beatissimæ Christi martyris Praxedis, quæ quondam priscis ædificata temporibus nimio jam lassata senio, ita ut a fundamentis casura ruinam sui minaretur, idem venerabilis pontifex (illius ruinam ante prævidens, eidemque ecclesiæ curam adhibens, illic pervigil sæpius existens) in alium non longe demutans locum, in meliorem eam quam dudum fuerat erexit statum. Absidam vero ejusdem ecclesiæ musivo opere exornatam variis decenter coloribus decoravit. Simili modo et arcam triumphalem eisdem metallis mirum in modum perficiens compsit. Hic beatissimus et præclarus pontifex multa corpora sanctorum diutius in cœmeteriis jacentia pia sollicitudine, ne remanerent neglectui, quærens, atque inventa colligens magno venerationis affectu in jam dictæ Christi martyris Praxedis ecclesiam, quam mirabiliter renovans, construxerat, cum omnium advocatione Romanorum episcopis, presbyteris, diaconibus et clericis laudem Deo psallentibus deportans recondidit. Quæ dum sanctissimi atque coangelici præsulis intima cordis vigilantia gererentur, ut reconditorum ibidem sanctorum corporum Deo indesinenter super astra placentium precibus apud omnipotentem Dominum juvaretur, construxit in eodem loco a fundamentis cœnobium, quod et nomine sanctæ Praxedis virginis titulavit. In qua et sanctam Græcorum congregationem aggregans, quæ die noctuque Græcæ modulationis psalmodiæ laudes omnipotenti Deo, sanctisque illius ibidem quiescentibus, sedulo persolveret, introduxit. Siquidem in eodem venerabili monasterio plurima conferens prædia, et possessionem, loca urbana vel rustica, superflue atque abunder difavit. Quinimo et in eadem ecclesia fecit oratorium beati Zenonis Christi martyris, ubi et sacratissimum ejus corpus ponens musivo amplianter ornavit.

435 Fecit autem in eadem ecclesia ciborium ex argento, pens. libr. octingentas et decem; imo et propitiatorium sacri altaris ex argenteis laminis mirifice exornavit. Confessionem denique ejus cum regulis suis interius exteriusque vallantem pulcherrime compsit atque decoravit, quæ simul pens. libr. trecentas. Super ejusdem venerabilis altare fecit regnum Spanoclystum ex auro fulvo, seu diversis

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B.*, baxus.

Digitized by Google

lapidibus exornatum, pens. libras quinque et uncias duas et semis. Et in eodem sacro altari fecit vestem de chrysoclavo, cum diversis historiis miræ magnitudinis atque pulchritudinis exornatam. Item ubi supra obtulit aliam vestem chrysoclavam ex auro gemmisque confectam, habentem historiam virginum cum facibus accensis mirifice comptam atque decoratam. Ad sacrum denique ejusdem virginis corpus obtulit imaginem ex laminis argenteis præfiguratis, pens. libras nonaginta et novem. Hic benignissimus præsul fecit in jam dicto monasterio oratorium beatæ Agnetis Christi virginis miræ pulchritudinis exornatum. Ecclesiam denique sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ appellatur Dominica, olim constructam et jam ruinæ proximam solerti vigilantia præfatus pontifex ampliorem melioremque quam ante fuerat a fundamentis ædificans, renovavit. Absidamque ejusdem ecclesiæ musivo mirifice decoravit. Ubi etiam et plurima obtulit dona, scilicet ciborium ex argento, pens. libras trecentas triginta et duas. Propitiatorium sacri altaris ex laminis argenteis compte decoravit. Confessionem quoque ejus cum regulis intus et foris mirum in modum perficiens adornavit, pens. libr. centum et quindecim et uncias tres. Item ubi supra fecit gabatham ex auro purissimo, pens. libras duas et uncias octo. Verum etiam et arcum ex argento, et columnellas duas cum gammadiis duabus, pens. libras.....

436 Imo et in sacro altari fecit vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ nativitatis Domini nostri Jesu Christi, miræ pulchritudinis exornatam. Iterum ubi supra fecit vestem de stauraci pulcherrimam, cum periclysi de blatthin. Item aliam vestem de blatthin bizantea, habentem tabulam de chrysoclavo, cum vultu sanctæ Dei Genitricis, et angeli obsequio stantes, cum periclysi de staurace. Pariterque aliam vestem de staurace, habentem pavones, et in medio crucem de blatthin. Porro et vestes duas de quadrapulo, habentes in medio crucem de blatthin. Item ubi supra fecit vestem ex auro textam, cum periclysi de blatthin. Coopertorium rubeum de serico unum. Fecit etiam in circuitu altaris vela rubea serica quatuor, cum gammadiis, et cruces de quadrapulo. Hic venerabilis præsul obtulit in trabe ante vestibulum altaris vela Tyria tria, et de quadrapulo quinque. In arcus majores ejusdem ecclesiæ fecit vela de quadrapulo numero viginti, et per arcus presbyterii vela parva de stauraci quatuor, simulque in ingressu presbyterii vela Tyria duo. Hic benignissimus pontifex fecit in ingressu jam dictæ ecclesiæ cortinas majores de quadrapulo, cum periclysi de fundato mirifice valde. Christi namque omnipotentis Domini famulus, et prænominatus pontifex maximam Dei ecclesiarum curam et sollicitudinem prævidendo indesinenter gerens, cum quadam die orationis studio ad sanctæ Dei virginis Christique martyris Cæciliæ ecclesiam adveniret, nimio jam quassata senio ecclesiæ ejusdem mœnia etiam a fundamentis ruitura videns, quæ per olitana tempora defectu vetustatis marcuerant et pene ruinis confracta diu antiquitus lacerata manebant, dato studio operis eodem in loco magnifico opere novam construere ecclesiam cœpit, et perficere satis meliorem quam fuerat studuit.

437 Sed neque illud prætereundum esse existimamus. Dum quadam die ad beati Petri principis apostolorum ecclesiam pergeret, quatenus apud eumdem beatum Petrum apostolum solito more vigilias celebraret, et ante ejusdem confessionem matutinales lucescente Dominica laudes residens decantaret, subito depressus sopore vidit assistentem sibi virginali aspectu puellam, angelicis vestibus decoratam talia locutionis affamina protulisse, dicens : Multas tibi gratias referimus, quia certamen quod de me diu posueras frustratorias relationibus pervulgatis aures accommodans [a] reliquisti : quippe qui tanto penes me fuisti, uti proprio loqui invicem ore valeremus. Hæc jam sæpe præfatus pontifex diligenter audiens studiose requirere cœpit, quæ esset ipsa quæ talia illi verba diceret, vel quo nomine vocaretur. Cui illa respondit : Si nomen inquiris, Cæcilia famula Christi vocor. Ad quam summus inquiens præsul : Quomodo hoc credere possum, eo quod olim fama relata sit quatenus ejusdem venerabilis Christi martyris Cæciliæ corpus ad Aistolpho Longobardorum rege hostiliter Romæ residente furtim et ab illius hominibus fuisset ablatum. Cui talia venerabili pontifici intimanti omnipotentis Dei famula dixit : Quia me desideranter ut invenirent Longobardi, quæsiverunt, omnino verum est ; sed Domini mei Jesu Christi opitulatione, et dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ auxilio, neque me invenire, neque deportare sicut voluerant hinc longius potuerunt. Et ideo sicut me quærere cœpisti, qualiter me invenias assiduo labori non desistas incumbere, quia Domino Deo, pro cujus honore passa sum, placuit ut tu me invenias, et in ecclesia quam noviter construxisti recondas. Et hæc dicens ab oculis aspicientis ablata est.

438 Tunc isdem venerandus pontifex, matutinalibus laudibus persolutis, pro tam certæ et indubitabilis revelationis judicio, cœpit hac illacque operosius quærere ubi sacratissimum ejus corpus jaceret humatum. Quod, tribuente Deo, dum sollicite quæreret, reperit in cœmeterio Prætextati, sito foris portam Appiam, aureis illud vestitum indumentis, cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani, pariterque et linteamina martyris ipsius sanguine plena, quando ab impio percussa carnifice Christi Domini mar-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, quod ad incertam famam, quam de me sparsam diu frustr. r. p. a. accommodare, vel.

Digitized by Google

tyr est regnantis in sæcula consecrata. Quibus et linteaminibus sanguis sanctæ martyris extersus, involuta ad pedes illius corporis sacratissimo cruore plena, de trina carnificis percussione reperta sunt. Quæ cuncta suis pertractans manibus collegit, et cum magno honore infra muros hujus Romanæ urbis in ecclesia nomine ipsius sanctæ martyris dedicata, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, ejusdem virginis corpus, cum charissimo Valeriano sponso, atque Tyburtio et Maximo martyribus, necnon Urbano et Lucio pontificibus sub sacrosancto altari collocavit. Pro quorum sanctorum honore videlicet et opitulatione construxit monasterium in honorem virginum seu martyrum Agathæ et Cæciliæ, juxta ipsius ecclesiam, in loco qui dicitur Colles jacentes.

439 In quo et monachorum Deo servientium congregationem pro quotidianis laudibus in præfato titulo sanctæ Cæciliæ die noctuque omnipotenti Domino decantandis, constituit. Et pro subsidio et luminariorum concinnatione, seu utilitate, atque stipendiis monachorum, necnon et pro amore atque dilectione, quam erga prædecessorem suum piæ recordationis dominum Leonem III papam habere videbatur, hospitale sancti Peregrini, positum ad beatum Petrum apostolum, in loco qui vocatur Naumachia, quod idem prædecessor suus construxerat, et ob neglectum atque destitutionem præpositorum paupertatis inopia consumi videbatur, idcirco pio juvamine consulens, præfatum hospitale cum fundis et casalibus atque massis, seu etiam et colonis sive domibus, necnon familiis, et universis quæ juste et rationabiliter secundum legum statuta, eique a prædecessore suo in jam præfato hospitali donata sunt, quæque ab ipso pia devotione ad augmentum jam dicti monasterii adjuncta sunt, sive agris vel vineis, etiam domibus necnon rustica familia, suæ auctoritatis pagina pro jam nominata monachorum congregatione in eodem monasterio confirmavit.

440 Qui sanctissimus præsul amore venerandorum sanctorum fecit in ornamentis ipsius ecclesiæ absidam, musivo opere decoratam, et cyborium miræ magnitudinis ex argento, pens. libras quingentas et semis et uncias octo. Propitiatorium denique sacri altaris, seu confessionem, interius exteriusque cum rugulis suis ex laminis argenteis mirum in modum perficiens compsit, quæ simul pens. libras sexaginta quatuor et uncias 5. Ad sacrum vero ejusdem virginis corpus obtulit imaginem ex argenteis laminis, pensan. libras nonaginta quinque. Fecit etiam ante vestibulum altaris regularem investitum ex laminis argenteis et columnis duabus, ubi et posuit arcum unum et gammadias duas, pens. insimul libras centum et semis. Obtulit ibi ipse imagines argenteas deauratas tres, pensan. insimul libras quadraginta et octo semis. Sæpefatus quoque præsul fecit per arcus ejusdem ecclesiæ calices majores ex argento viginti et sex, pens. insimul libras centum novem et semis. Item ubi supra obtulit canistra ex argento duo, pensan. libras duas et uncias octo; gabatham ex auro purissimo, pens. libras tres. Fecit jam prædictus pontifex canistra enafoti ex argento duo, pensan. libras decem, gabathas ex argento tres, pensan. libras quinque, thuribulum ex argento deauratum, pens. libr. unam. Hic benignissimus præsul obtulit in sacro altari vestem de blatthin Byzantea, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia qualiter angelus beatam Cæciliam, seu Valerianum, et Tyburtium coronavit, cum periclysi de chrysoclavo miræ pulchritudinis exornatam. Item ibi fecit vestem de fundato alythino habentem in circuitu periclysin de olovero.

441 Ob amorem ejusdem virginis fecit aliam vestem de fundato porphyretico, habentem in medio crucem ex auro texto, compte decoratam. Enimvero in jam dicto altari obtulit vestem albam, sigillatam cum rosulis, habentem in medio crucem de blatthin, cum psilliis et periclysin de blatthin Byzantea, pulcherrime exornatam. Obtulit et in prænominato altari vestem de quadrapulo. Venerabilis pontifex fecit vela alithyna penden. in circuitu altaris quatuor, habentes cruces, et gammadias de fundato et quadrapulo. In arcellam vero, ubi venerabile caput ejusdem virginis condidit, fecit vestem parvam de Tyrio, cum periclysi de blatthin. Obtulit ubi supra vestem de fundato prasino. Imo et aliam vestem de stauraci cum periclysi de olovero, et vestem de blatthin cum periclysi de fundato. Fecit etiam in arcella ad corpus jam dictæ virginis vestem de quadrapulo, cum periclysi. Porro et aliam vestem de staurace, cum periclysi de olovero. In jam dicta ecclesia fecit vela Tyria, cum periclysi de blatthin Byzantea, numero viginti quinque. Item vela prasina, cum periclysi de olovero, numero quatuor. Obtulit ubi supra vela alithyna, cum periclysi de blatthin, numero tria; simulque vela de fundato parva, cum periclysi de blatthin, numero duo. Pariter vela tyria, cum periclysi de fundato duo. Hic venerabilis et præclarus pontifex fecit per arcus jam dictæ ecclesiæ vela de fundato numero duodecim, et de quadrapulo quatuordecim. Fecit et in arcu presbyterii vela parva, cum periclysi de blatthin byzantea, numero duodecim. Hic a Deo protectus venerabilis præsul fecit in ingressu ejusdem ecclesiæ cortinam majorem de quadrapulo et staurace pulcherrime exornatam.

442 Ipse etiam sæpedictus pontifex monasteriis circumquaque constructis vigilanti cura satis animo gerens, quidque haberent inquirens, reperit ipse pius pontifex monasterium sancti Sergii et Bacchi, post formam aquæductus patriarchii Lateranensis positum, rebus omnibus desolatum, ita ut ancillarum Dei congregatio, quæ ibidem inerat, paupertatis inopia nullas omnipotenti Domino sanctisque illius laudes decantare valerent. Qua venerabilis pastor inquisitione ad pietatem commotus, famulas

Digitized by Google

Dei qualiter bene religioseque esse possint perfecit. Et in eo monachorum aggregans statuit conventionem, multis idem' monasterium ditans facultatibus, et in familiis, massis, vineis, domibus, urbanis vel rusticis locis amplianter sufficienterque multiplicavit, quatenus ipsa congregatio residens, omni necessitate postposita, soli Deo sanctisque illius laudes et hymnos nocte dieque modulanter in venerabili ecclesia Salvatoris Domini nostri Jesu Christi sita juxta Lateranas decantaret.

443 Præterea in oratorio beatissimorum martyrum Processi et Martiniani, sito infra ecclesiam beati Petri principis apostolorum, quod et idem ipse construxit, obtulit imaginem ex auro purissimo, habentem vultum sanctæ Dei Genitricis, pensan. libras decem et uncias quatuor. Ibi et ipse fecit vestem de blatthin Byzantea, habentem tabulas de chrysoclavo duas, cum vultu beati Petri et sanctorum martyrum Processi et Martiniani, et periclysin de chrysoclavo, mira pulchritudine decoratam. Illic etiam obtulit vestem holosericam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum vultu Dominicæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et periclysin de blatthin Byzantea, pulcherrime comptam. Verum enimvero sanctis eisdem vela holoserica, cum periclysi de quadrapulo, et blatthin Byzantea obtulit numero novem. Ubi et supra fecit vela parva de Tyrio, cum periclysi de fundato, numero sex. Thuribulum de argento exaurato mirifice, pens. libr. unam. In oratorio autem beatissimorum martyrum Sixti et Fabiani jam nominatus pontifex fecit gabathas ex argento tres, pens. libras quinque et uncias sex. Ante imaginem quoque ipsius oratorii fecit velum de chrysoclavo, mirifice decoratum. Supra eorum venerabile altare fecit vestem de alithyno, habentem in medio crucem de blatthin Byzantea, et periclysin similiter de blatthin. Simili modo in jam dicto oratorio obtulit sæpedictus pontifex vestem holosericam, habentem in medio cruces de chrysoclavo duas, et periclysin de stauraci diversis margaritis ornatam. Ibidem ipse fecit aliam vestem de fundato, habentem in medio crucem de blatthin. Fecit etiam ad ornatum prædicti oratorii vela de alithyno, cum periclysi de blatthin Byzantea numero quatuor. Simulque vela holoserica, cum periclysi de quadrapulo et de olovero numero quatuor.

444 Hic benignissimus præsul fecit in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, in via Sacra, vestem de tyrio habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum vultu Domini nostri Jesu Christi, atque beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, cum aliis tribus fratribus, cum cruce de auro texto, et periclysin de olovero pulcherrime comptam atque decoratam. Supra eorum denique sancto altari obtulit coopertorium de tyrio, mirifice decoratum. Imo vero ante vestibulum ipsius altaris fecit vela tyria, cum periclysi de blatthin byzantea, numero tria. Venerabilis etiam pontifex fecit in monasterio Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, sito in territorio Reatino, vestem de chrysoclavo, cum historia qualiter idem Dominus noster Jesus Christus cum archangelis et apostolis in cœlo coruscat, mira pulchritudine diversis ornatam margaritis. Item in jam dicto monasterio ad ornatum sacri altaris aliam obtulit vestem de fundato, habentem cruces de blatthin byzantea, et periclysin de chrysoclavo, mirifice exornatam. Pari modo in ecclesia beati Mennæ martyris fecit vestem de quadrapulo, cum periclysi de blatthin byzantea. Hic sanctissimus et coangelicus præsul obtulit in ecclesia beati Petri apostoli in Centumcellis calicem et patenam ex argento deauratas, pensan. libras quatuor et uncias tres.

445 Enimvero et in ecclesia beati Petri apostoli fautoris sui fecit evangelium cum blatthin ex argento, pensan. libras octo et uncias octo. Benignissimus quoque præsul fecit in monasterio beati Stephani protomartyris ad sanctum Petrum vestes albas holosericas quatuor, habentes in medio crucem de auro texto, cum diversis margaritis, et periclysi de blatthin, mirifice decoratas. Item ubi supra obtulit prænominatus pontifex vestem de fundato, habentem in medio crucem ex auro textam, et periclysin de chrysoclavo. Sæpedictus denique præsul fecit in jam dicto monasterio vestem de fundato, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum vultu sanctæ Dei Genitricis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et periclysin de blatthin. Obtulit ibidem ipse vestes de stauraci duas, habentes in medio cruces de chrysoclavo, et periclysin de blatthin. Fecit etiam ad ornatum ipsius oratorii velum majus de quadrapulo, habens in medio cruces de auro textas tres, et periclysin de blatthin. In diaconia beati archangeli obtulit jam dictus pontifex vestem de blatthin Byzantea, habentem in medio crucem de chrysoclavo, et periclysin de chrysoclavo, pulcherrime comptam.

446 Enimvero et in ecclesia beatæ Cæciliæ martyris fecit concham ex argento, ubi et pretiosam ejusdem virginis caput condidit, pensan. libras octo et semis. Simili modo et in ecclesia beati Quiriaci martyris in Thermis, obtulit prædictus præsul vela de fundato numero octo. Hic a Deo fultus jam nominatus pontifex fecit in oratorio sancti Archangeli, quod quondam prædecessor ejus domnus Leo papa constituit atque construxit, vestem albam holosericam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Dominicæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et periclysin de chrysoclavo, mirifice decoratam. Item ibi obtulit aliam vestem de fundato, cum periclysi de blatthin Byzantea. Fecit etiam jam dictus pontifex in supradicto oratorio vestem aliam de quadrapulo, circumsutam, cum historia Dei Genitricis, pulcherrime comptam atque decoratam.

Digitized by Google

447 Præterea idem summus pontifex et orthodoxus, divina inspiratione pulsatus, ecclesiam sanctæ et intemeratæ Virginis Mariæ dominæ nostræ ad Præsepe cernens quondam tali more constructam, ut post sedem pontificis mulieres ad sacra missarum solemnia stantes prope assistere juxta pontificem viderentur, ita ut si aliquid colloqui pontifex cum assistentibus voluisset, ex propinqua valde mulierum frequentatione nequaquam ei sine illarum interventione liceret : largum ibidem locum inesse, qualiter inde sedem mutare valeret, cumcerneret, dato operis studio cœpit indesinenter agere sedem inferius positam sursum ponere, ut eo familiarius Domino preces fundere posset, quo consortia populorum modeste declinare potuisset. Denique sedem optime quam dudum fuerat pulcherrimis marmoribus decoratam condidit, et undique ascensus quibus ad eam gradiatur construxit, pavimentumque altaris erigens pretiosissimis marmoribus stravit. Erexit sane sex inibi ante confessionem sacri altaris purpureo colore columnas, quas super et candidi marmoris trabem posuit, purpureis dextra lævaque marmoribus nectens illas scilicet, cælaturisque exornans satis commode decoravit. Presbyterium quoque ipsius ecclesiæ diversis marmoribus, quam pridem fuerat, in melius reparavit. Propitiatorium vero sacri altaris, seu confessionem, interius exteriusque cum rugulis suis ex auro purissimo mirifice decoravit, pensan. libras centum septuaginta quatuor et uncias sex. Similiter et altare ipsius basilicæ ex argenteis laminis, cum historiis diversis pulcherrime compsit atque deauravit, pensan. libras trecentas octuaginta et quinque. Benignissimus etiam præclarusque præsul obtulit ibi gabathas ex auro purissimo, cum diversis gemmis numero sex, pensan. libras viginti et uncias sex. Et hoc constituit, ut semper diebus ac noctibus ante sacrosanctum altare lucernæ ardere debeant. Hic divina inspiratione fultus, obtulit in jam dicta basilica arcus ex argento numero octo, cum columnis sexdecim, pensan. insimul libras ducentas decem et octo et uncias octo. Fecit etiam et ante vestibulum altaris rugas majores ex argento, pensan. libras septuaginta et octo. Obtulit etiam et canthara ubi supra ex argento numero sex, pensan. insimul libras sexaginta et semis. Pari modo et per arcus majores sæpedictæ ecclesiæ fecit calices majores ex argento pendentes numero quadraginta et duos, qui omnes insimul pens. libras ducentas octuaginta et unam. Venerabilis etenim præsul ob amorem ejusdem Virginis dominæ nostræ obtulit ibidem coronas ex argento numero quatuor, pensan. libras sexaginta et duas et semis, et uncias tres : item ubi supra canistra ex argento numero duo, pensan. libras tredecim. Fecit etiam ibidem imaginem ex argento deauratam, cum vultu beatæ Dei Genitricis Mariæ, pensan. libras decem et septem et uncias tres. Christi quoque omnipotentis Domini famulus obtulit in sacrosancto altari sæpedictæ basilicæ vestes de chrysoclavo duas, habentes historiam Dominicæ nativitatis Domini nostri Jesu Christi, cum periclysi, diversis ornatas gemmis atque margaritis, mirifice decoratas.

448 Obtulit etiam ibi ipse aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam qualiter Dominus noster Jesus Christus a Joanne in Jordane baptizatus est, cum periclysi de chrysoclavo, mirifice exornatam. Item ubi supra compsit vestem de chrysoclave, habentem historiam Dominicæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, cum periclysi de chrysoclavo, diversis ornatam margaritis. Beatissimus, et venerabilis prænominatus pontifex divino amore ductus fecit ibidem in jam præfato altari vestem similiter de chrysoclavo, habentem historiam qualiter beata Dei Genitrix Maria corpore est assumpta, cum periclysi de chrysoclavo, seu diversis margaritis comptam atque decoratam. Fecit enim benignissimus præsul ibi ipse aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ ascensionis Christi Domini nostri, rite decoratam. Item ubi supra, ob amorem ejusdem Virginis, construxit aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam qualiter Spiritus sanctus venit super apostolos, diversis ornatam margaritis et decoratam. Imo ibidem aliam munivit vestem de chrysoclavo, cum historia palmarum, modeste comptam atque decoratam.

449 Necnon et ubi supra aliam compsit jam nominatus pontifex vestem de olovero, cum periclysi de fundato. Pariter quoque et pro quotidianis diebus obtulit vestes de fundato duas, cum periclysi de quadrapulo, pulcherrime exornatas. Hic divina inspiratione pulsatus, fecit ipse sanctissimus præsul per arcus majores jam præfatæ basilicæ vela de fundato quatuordecim, et de quadrapulo quatuordecim, similiter et de imizilo quatuordecim. Domini nostri Jesu Christi famulus ob amorem eidem dominæ nostræ per arcus presbyterii jam dictæ ecclesiæ fecit vela de chrysoclavo, habentem historiam Domini nostri Jesu Christi, atque Nativitatem seu Assumptionem ejusdem intemeratæ Virginis numero viginti et sex. Pariter et per ipsos arcus obtulit vela de quadrapulo, diversis historiis circumsuta, numero viginti quatuor. Christi namque omnipotentis famulus obtulit sursum in aspectu absidæ pannum Alexandrinum mirifice decoratum. Obtulit etiam in trabem majorem ipsius basilicæ velum majus de fundato, habens trabes de chrysoclavo septem, et periclysin de blatthin Byzantea. Fecit etiam ad ornatum ipsius basilicæ in ipsam trabem vela de quadrapulo numero sex, et de imizilo vela numero quatuor. Ipse quoque pontifex fecit juxta vestibulum altaris in absidam vela de quadrapulo numero duodecim : ibidem de blatthin vela numero sex. Venerabilis quoque præsul fecit in ingressu jam dictæ

Digitized by Google

basilicæ cortinam majorem Alexandrinam, cum diversis historiis, compte decoratam. Simili modo et pro quotidianis diebus aliam ibidem obtulit cortinam Alexandrinam, mirifice exornatam. Benignissimus et præclarus pontifex obtulit in prænominata basilica vela alba holoserica in trabem majorem, cum periclysi de fundato, numero sex. Vela alia quatuor de blatthin Byzantea alba ibidem constituit mirifice. Item in absida ipsius basilicæ posuit vela alba, cum periclysi de fundato, numero sex.

450 Et quia idem ter beatissimus pastor tantam curam, tantamque vigilantiam erga status sanctarum Dei ecclesiarum frequenter impendebat, etiam altare præsepii jam dictæ basilicæ, seu venerabilem confessionem, ultro citroque ex auro purissimo cum diversis historiis mirifice compsit atque decoravit, pensan. libras centum triginta quatuor et uncias quatuor. Similiter ex argento deaurato, cum variis historiis ibidem uncias decem, pensan. libras ducentas quinquaginta quatuor et uncias quatuor. Item ibidem obtulit præfatus pontifex gabathas ex auro purissimo, cum gemmis diversis, numero tres, pens. libras octo et uncias decem. Porro et vela de alithyno cum periclysi de blatthin byzantea ibidem posuit. Hic sacer antistes ob nimium cordis amorem fecit in ecclesia beatæ Cæciliæ vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, mirifice depictam atque exornatam. Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex, propitiatorium sacri altaris beati Petri apostolorum principis, ubi sacratissimum corpus ejus quiescit, spanoclistum ex auro fulvo, cum diversis historiis depictum atque mirifice decoratum, pens. libras ducentas. Item in jam dicta ecclesia ob amorem ejusdem Dei apostoli fautoris sui obtulit vela chrysoclava per arcus presbyterii, habentia historiam Dominicæ passionis ac resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, numero quadraginta sex. Pariter et in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, in via Sacra, fecit vestem holosericam pulcherrime comptam atque decoratam.

451 Benignissimus etenim præsul fecit in basilica beatæ Dei Genitricis Virginis semper Mariæ dominæ nostræ ad Præsepe gabathas ex auro, diversis gemmis ornatas, numero duas, pensan. libras sex. Item ibi ipse obtulit gabatham apostolicam ex auro purissimo, pensan. libras quinque. Item ubi supra fecit pharacanthara ex argento numero octo, pensan. insimul libras octuaginta duas. Ob amorem quoque ejusdem dominæ nostræ obtulit in jam dicta basilica columnas quatuor, et arcum unum, pensan. insimul libras sexaginta. Sæpenominatus etenim pontifex fecit in venerabili altari ipsius ecclesiæ vestem albam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, diversis gemmis circumsutam, et pulchritudine exornatam, aliam quoque ibidem annectens vestem de blatthin byzantea, simili modo cum cruce de chrysoclavo, diversis lapidibus honestissime decoratam. Fecit etiam ad ornatum præfatæ ecclesiæ vela de chrysoclavo per arcus presbyterii, habentia historiam Dominicæ passionis atque resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Necnon et in trabem majorem sæpius dictæ ecclesiæ obtulit vela alia, cum periclysi de quadrapulo, numero sex. Item in trabes ipsius basilicæ fecit vela de fundato, numero septem. Obtulit etiam vela holoserica in circuitu altaris jam dictæ ecclesiæ, habentia periclysin de quadrapulo, numero quatuor. Venerabilis quoque præsul fecit in ecclesia beatæ Dei Genitricis, quam vocant Dominicam, rugas ex argento, pens. libras sexaginta sex. Fecit etiam in ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ, sita Savinis in episcopio, vestem de fundato, cum periclysi de blatthin Byzantea. Hic denique divina vocatione defunctus est. Sepultus vero in ecclesia beati Petri apostoli. Fecit autem ordinationes duas, unam quidem per mensem Decembrem, et aliam per mensem Martium, presbyteros... diaconos sex, episcopos per diversa loca numero... Et cessavit episcopatus ejus dies quatuor in mense Januario, indictione prima.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum, ex codice Freheri.

Num 430, *lin* 10, tanti studii pervigil, et religionis devotus. *lin* 13, unde qui sibimet. *lin* 28, omnium civium.

Num 431, *lin* 13, cameram. *lin* 19, lib. 12 et semis. *lin ead*, uncias tres. *lin* 23, libr. 13 et uncias 2.

Num 433, *lin* 6, extinxit. *lin* 7, perstitit.

Num 435, *lin* 3, vallaris.

Num 436, *lin* 8, cruce. *lin* 10, quadrapulo 20. *lin* 12, cortinam.

Num 437, *lin* 5, dicentem multas tibi gratias. *lin* 6, frustratoriis.

Num 438, *lin* 3, prætextati.

Num 439, *lin* 8, mensis.

Num 440, *lin* 2, libr. 154. *lin* 12, exafoti. *lin ead.*, lib. 2 et uncias 8.

Num 442, *lin* 7, mensis.

Num 447, *lin* 2, cerneret.

Num 449, *lin* 11, tabulas de.

A *Num* 450, *lin* 5, ibidem junxit, pens. libr. 254.

Num 451, *lin* 3, apostolatam. *lin* 12, vela alba. *lin* 16, Sabinis.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 430, *lin* 1, mens. 3, d. 17. Qui a primævo ætat. suo tempore. *lin* 5, presbyt. honor. consecr. Quem dum, etc., *ut lin* 9. *lin* 10. quem domnus ter beatissimus papa Steph. prædec. ejus cum tanti studii pervigilem. *lin* 11, tam ei. m. *lin ead* protomartyris, quamque majorem juxta basil. beati Petri princ. apost. ecclesiam ad reg. commisit. Dum ergo tantæ bonæ oper. (*ut lin* 19) præcipue, longe, lateque discurreret fama, et omn. Dei reg. suæ piæ Ecclesiæ sub gubernationis cura, ann. *lin* 21, una conc. eademque vol. *lin* 23, pont. est elev. Omnium etenim Ecclesiarum, *ut lin* 28.

Num 431, *lin* 1, quæ dilig. [*M*, quæ et dilig.] *lin* 3, ampliavit. Captivos ubicunque inven. poterat a vinculis absolvebat. Ecclesiam etenim beatissimæ B Christi martyris Praxedis, quæ quondam prius

ædificata temporibus nimio jam lassata senio erat, A ita ut a fundamentis casura ruinam sui minaretur, isdem venerabilis pont. illius ruinam ante prævidens, eidem ecclesiæ curam adhibens, illic pervigil sæpius existens, in alio loco non longe demutans, in meliorem eam, quam dudum fuerat, erexit statum. Multa etiam corpora sanctorum, quæ in dirutis cimiteriis jacebant, ibi deduxit, atque honorifice collocavit: ibidem oratorium beatæ Agnetis Christi martyris miræ pulchritudinis exornavit. Ecclesiam denique, *ut num* 435, *lin* 11.

Num 435, *lin* 11, Dei Genitr. Mariæ d. n. *lin* 14, ubi etiam multa dona obtulit. Fecit etiam a novo ecclesiam sanctæ Cæciliæ, ubi et corpus ejusdem compte posuit, cum carissimo Valeriano sponso suo, atque Tiburtio et Maximo martyribus, necnon Urbano et Lucio pontificibus, ubi etiam quamplura et innumerabilia contulit dona, tam in auro quam in argento, seu palliis. In diaconia vero sanctorum Cosmæ et Damiani vestem de sirico fecit. Restauravit etiam præsepe dominæ nostræ Virginis Mariæ, absidamque ejusdem ecclesiæ a novo refecit. Hic denique divina vocatione defunctus, sepultus est in ecclesia beati Petri apostoli. Fecit autem ordin.

Num 451, *lin* 19, 20 Martii, presbyt. . . . diac. 7.

Ex codice Thuano altero.

Num 430, *lin* 1, 2, dies 17. *lin* 7, jucundeque. *lin* 10, tanto studio pervigil, et religionis devotus c. *lin* 13, unde qui sibimet. *lin* 14, correxit, exemp. *lin* 15, exornaret. *lin* 17 *et* 18, quæ ege h. er. et semper cotidie. *lin* 19, emigr. *lin* 29, summa prudentia.

Num 431, *lin* 4, captivos, exsules. *lin* 5, Spaniæ part. *lin* 7, miræ pulchritudinis decoratam ex auro, gemmisque confectam. *lin* 9, in ejus demum vener b. *lin* 11, ubi et super arcum, *lin* 15, in cujus absida. *lin* 18, unc 3. *lin* 19, lib 13, unc 2. *lin* 20, et duas alias b. *lin* 21, pens simul. *lin* 22, jam fati or.

Num 432, *lin* 1, pariterque et coronam. *lin* 2, C seu gemmis exorn. *lin* 4, quem ex lam. *lin* 5, arcora 2.

Num 433, *lin* 3, equester cuc. *lin* 8, quæ ob insidiam d. f. inrepta est.

Num 434, *lin* 1, hic præcl. pont. *lin* 2, arcos. *lin* 4, a priscis. *lin* 5, isdem. *lin* 6, in alio l. n. d. loco. *lin* 8, arcum tr. *lin* 9, hic etiam beat. *ibid.*, dirutis in cimiteriis i. *lin* 10, neglecta.

Num 435, *lin* 1, libr DCCCCX. *lin* 3, atque deauravit, quæ simul pens lib . . . super ejusdem venerabile alt.

Num 436, *lin* 4, de staaraci. *lin* 5 pariterque et al. v. *lin* 6, cruces. *lin* 8, cruce. *lin* 9, vela tirea 3. *lin* 12, cortinam majorem de q. cum per de fund Christi. *lin* 14, quadam dum die.

Num 437, *lin* 6, frustratoriis. *lin* 7, sæpefatus. *lin* 8, quæ esset illa. *lin* 15, ideoque sic. *lin* 17, quam tu nov const rec. Hæc dic.

Num 438, *lin* 1, absolutis. *lin* 2 indicio. *lin* 4, sponsi Valer pariterque et linteam martyris illius. D *lin* 6, abstersus. *lin* 12, in hon sanctarum virg.

Num 439, *lin* 3, necnon pro am. *lin* 9, jam fato.

Num 440, *lin* 4, pens libr . . . CLIV, unc XV. *lin* 8, pens simul. *lin ead* imagines ex arg deaur pens lib 48 semis. *lin* 10. pens simul. *lin ead*, canistra exafoti arg II, pens lib 2 unc 9. *lin* 12, jam dictus p. canistra ex arg cnaf. *lin* 16, item, ubi supra fecit vest.

Num 441, *lin* 4, de quadr. fecit vela alit vener pontifex. *lin* 8, de olov ubi ipsam vestem cum per de bl. et fundato. *lin ead*, arcella jam dictæ virg vest de quadr cum per de quadr. *lin* 10, jam fatæ eccl. *lin* 13, vela parva tyrea. *ibid.* num 2.

Num 442, *lin* 1, ex mon. *lin* 2, animo hærens. *lin* 2 *et* 3, reperit monasterium sanctorum Sergii et Bachii. *lin* 7, facult in familiis, massis, vineis, domibus, urb atque rust. *lin* 10, juxta Lateranis decanteat instituit.

Num 443, lin 7, 8, compam enim vero. *lin* 9, ubi et supra. *lin* 10, turib de arg. pens lib 1. *lin* 16, ornatam, interea namque ibi ip. *lin* 17, fecit autem ad orn.

Num 444, *lin* 4, texta. *lin ead*. sacro sancto. *lin* 12, in Centumcellas cal et pat.

Num 445, *lin* 3. protomartyris, quum major ad sanctum Petrum. *lin ead*, cruces de auro textas. *lin* 10. in diaconia vero beati Archangeli.

Num 446, *lin* 3, sæpe dictus præs vela de fundato, habentia periclisin de fundato n. 8. *lin* 4, beati Archang. *lin* 5, papa construxit.

Num 447, *lin* 1, idem sanctissimus, et ort p. *lin* 4, conloqui p. cum sibi adsistentibus. *lin* 5, et largum. *lin* 6, cerneret. *lin* 8, mod decl potius consulisset. *lin* 12, nectens, novis illas scilicet celaturis ex. *lin* 19, alt lucere deb. *lin* 22, pens lib. *lin* 23, pens lib LX s. *lin* 24 *et* 25, qui omnis similiter p. l. *lin* 26, obtulit ibi ipsum cortinam ex arg. *lin ead*, XCIII s. *lin* 30, B vestes de chrysocl diversis ornatas gemm.

Num 448, *lin* 1, ibi ipsum, *et sæpe ita occurrit. lin* 5, in jam fato alt. *lin* 7, pulcherrime comptam. *lin* 7 *et* 8, ibi ipsum. *lin* 10 adveniens s. a. div ornatum, atque exornatum margaritis, imo ib aliam univit v.

Num 449, *lin* 4, jam fatæ ecclesiæ vela de fund 14. Similiter et de mizillo 14. Domini Dei nostri. *lin* 6, habentia. *lin* 9, omnip. Domini famulus. *lin* 11, habens tabulas de chrysocl 7. *lin* 12, in ipsum trabem. *lin* 13, ipse etenim sæpedictus p. *lin* 14, ibi ipsum de blatt. *lin ead*, numero sex, et de imizilo vela num 4. Ipse etenim persæpe dictus pontifex fecit juxta vestibulum altaris, in absidam, vela de quadrupulo num XII, ibi ipsum de blatthin vela 6 venerabilis quoque præsul. *lin* 18, de fundato 6, item in absidam bas. p. v. a. c. p. de fund 6. Verum enimvero vela alba, cum periclysin de blattin Byzantea num 4. Et quia idem ter beat.

Num 450, *lin* 4, similiter et ex arg. *lin* 6 jam C fatus p. *lin* 7, pens simul. *lin* 8, beatæ Christi mart Cæciliæ.

Num 451, *lin* 1. Genitr semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ appellatur ad P. *lin* 3, item ibi ipsum obt g. apostolatum. *lin* 4, pens simul libr. *lin* 6, pens simul lib 1. *lin* 7, 8, et pulcherr ornatam. *lin* 12, ipsius ecclesiæ f. *lin* 13, vela alba olosirica. *lin* 14, vener enim præsul. *lin* 15, quæ appellatur Dominica. *lin* 19, diaconos 7.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 430, *lin* 3, atque sacros. *lin* 6, magnanimis. *lin* 13, videant. Unde qui. *lin* 21, annuens. *lin* 24, erat enim Patrum præcepta, seu instituta pontificum, atque canonum regulas, necnon legum sanctiones decentissimus observator. *lin* 30, exornator. Hic.

Num 431, *lin* 4, mulieres in auro. *lin* 18, et unc III. *lin* 20, D. nostri et duas.

Num 432, *lin* 5, propitiatorium ergo altaris ex lam argent exornantes.

Num 433, *lin* 1, conticinium. *lin* 6, auroram observantes in eod loc perstetit.

Num 434, *lin* 8, et arcum triumph. *lin* 9, sanctorum dirutis in cymit.

Num 435, *lin* 3, compsit, atque deauravit.

Num 436, *lin* 14, gerens. Quadam vero die oration.

Num 437, *lin* 14, Mariæ auxiliata.

Num 438, *lin* 2, revelat indicio. *lin* 3, prætestatim. *lin* 5, linteamina martyrum.

Num 440, *lin* 16, item ibi ipsum fec.

Num 441, *lin* 3, psillias. *lin* 14, arcus jam præf. eccl.

Num 442, *lin* 10, juxta Lateranensis.

Num 443, *lin* 16. ornatam. Interea namque ibi ipsum fecit.

Digitized by Google

Num 444, *lin* 2, Tyreo, *sic fere semper*. *lin* 12, Centumcellas.
Num 445, *lin* 3, protomartyris, quam major ad
5 Petr. *lin* 8, obtulit ibi ipsum. *ita sæpe*.
Num 447, *lin* 4, cum sibi adsist. *lin* 8, declinare
A potius constitisset. *lin* 19, alt lucere debeant.
Num 448, *lin* 3, chrysocl seu divers.
Num 450, *lin* 7, bizantea num. ibid.
Num 451, *lin* 2, nostræ, quam ad pr. *lin* 20, Martio.

CI. EUGENIUS II.

ANNO CHRISTI 824, LUDOVICI IMP. 12, MICHAELIS BALBI 4.

452 Eugenius, natione Romanus, ex patre Boemundo, sedit annos quatuor [a], menses duos, dies viginti et tres. Hic etenim venerabilis et præclarus vir magnæ simplicitatis atque humilitatis fuit: ductus scientia, sermone præcipuus, forma pulchrior, largus petentibus, mundum respuens. Sola quæ Christo erant placita omnibus diebus ac noctibus cogitabat. Hujus præfati pontificis tempore ubertas
5 non modica totam non solum Romam, sed etiam pene totum invaserat orbem. Quia quidquid juste percipiebat a subditis pondere non solum pusillis ac viduis, sed etiam divitibus incessanter omnibus distribuebat. Maxima autem pax et requies ejus diebus universo fuit orbe Romano. Quippe nam ipse cum totius esset pacis amicus, quid aliud pertinentes, nisi quod ipse suis honestis gerebat moribus, et ipsi pariter gerebant? Archipresbyter enim hujus sacratissimæ atque universalis Ecclesiæ fuit. In qua
10 non per modica tempora suum mirifice propositum rexit. Postea a Romanis cunctis pro meritorum pia relatione electus, post transitum sanctissimi domini Paschalis papæ, pontifex factus est. Tenuit autem presbyteratus sui tempore ecclesiam beatæ Sabinæ martyris, positam in Aventino monte, quam Deo dispensante, post pontificalem sibi attributam gratiam ad meliorem cultum perduxit, et picturis undique decoravit. Hujus diebus Romani judices, qui in Francia tenebantur captivi, reversi sunt, quos
15 in parentum propria ingredi permisit, et eis non modicas res de patriarchio Lateranensi præbuit, quia erant pene omnibus facultatibus destituti. Fecit autem in ecclesia beatæ Sabinæ martyris supradicta ciborium ex argento purissimo, pensan. libras... Isdem venerabilis præsul ubi supra obtulit.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, tres.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 452, *lin* 1, Bonomundo, sedit annos 4. Hic venerab. vir, et pr. *lin* 4, pl. diebus, ac noct. *lin* 6, pupillis, ac vid. *lin* 7, in univ. *ibid.* R. Nam ipse c. *lin* 8, quid aliud, nisi. *lin* 16 *et* 17, martyris ciborium. *lin* 17, lib. . . . . *Cætera desunt.*

B *Ex codice Thuano altero.*

Lin 1, Eugenius. Hic etenim vener. *lin* 4, hujus prælati pont. *lin* 6, pupillis. *lin* 8, erat p. am.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin 1, patre . . . . . *linea* 4, placita diebus.

CII. VALENTINUS II.

ANNO CHRISTI 827, LUDOVICI IMP. 14, IMP. MICHAELIS BALBI 7.

453 Valentinus, natione Romanus, ex patre Petro, de regione via Lata, sedit dies quadraginta; magnæ sanctitatis, magnæque beatitudinis vir iste repletus et Spiritus sancti perfusus gratia mansit. Qui dum in hac Romana urbe, quæ, Deo auctore, summi sacerdotii et regalis excellentiæ retinet dignitatem, ab ingenuis et piis parentibus genitus, et ob studia elementorum solerti magistro traditus
5 esset, sacros divinæ legis apices capaci ubertim sensu rimabat, et ingenii memoria retinebat. Inanes ac turpes puerorum ludos more nobilium evitabat. Nullas ex ore proprio incongruas aut inhonestas fabulas proferebat, nullisque illicitis operum actionibus utebatur; sed ab ipso primævo infantiæ flore piæ modestiæ ac sobrietati deditus, et præclaro divinæ inspirationis spiritu plenus, inter cunctas verborum atque prudentiæ phaleras labia compta gerebat. Præcipuus quoque dictionum copiis, et luci-
10 fluis operum meritis patefaciens elegantem sui pectoris mentem. Præsertim cum juxta eximiam Doctoris gentium vocem, sine offensione se omnibus ovanter animoque præbebat benigno. Nemini quippe contrarietatis scandalum ponens debitum perfectæ dilectionis impendere proximus animo strenuo procurabat. Atque juxta Dominicæ vocis præceptum, lumbos castitate præcinctos, et lucernas

Digitized by Google

in manibus gestabat ardentes, verbo scilicet luculenter refulgens, et actu doctrinæ pariter munere cum magnifico exemplo laudabilis indicio coruscabat.

454 Superna quoque Dei auxiliante virtute, cum jam perfectæ initium sumpsisset ætatis, et ipsius bonitatis atque sagacitatis favor longe lateque thuris odoriferi instar fragraret, et aures beatissimi præsulis piæ memoriæ domni Paschalis ex fidelium relatu veridico enucleanter pulsasset, eumque, ut populus collaudabat, fore in omnibus illustrem et inclytum veraciter didicisset : mox illum per ecclesiasticos gradus ad subdiaconatus honorem provexit ex Lateranensi palatio et sibi deservire præcepit. Cujus conversationis et patientiæ vitam ac mores ipse agnoscens, valde illum præ cæteris diligebat. Prædictus autem vir, gratia desuper divina favente cui se tota mentis devotione integraque virtute devoverat, veritatis et sapientiæ plenus lumine coruscabat. Erat enim sermone affabilis, doctrina clarus, vultu conspicuus, et inter fratres pia devotione modestus proximisque fidelis. Nullis vero se quibus aliquis vel leviter contristaretur, sagaci pectore fultus, negotiis implicabat. Cum præterea eum tot bonis tantisque operum meritis præstantis corporis formam elegantem jam dictus pontifex ornatumque inspiceret, levitam sedis suæ apostolicæ consecravit. Cui ob suæ vitæ meritum, quo splendide rutilabat, et ab omni Ecclesiæ plebe, atque inclyto Romanorum populo cœtu ingenti diligebatur amore, bona et beneficia multa largiflue contulit, eumque postmodum archidiaconum fecit. Quo sane præsule Christo jubente culmina scandente cœlestia, Eugenius tunc pontificali est ab omnibus elevatus in honore, et positus in sede apostolica. Qui eum cunctis, quæ diximus, bonis decoratum luculenter agnoscens, omni vitæ suæ tempore charissimorum vice retinuit, et velut pater proprio filio corde congaudebat alacri, suisque aspectibus illum assidue consistere cupiebat. Peracto vero ac divinitus finito hujus præsulis lucis transeuntis termino, ad sacræ sedis culmina omnis Romanorum cœtus crebris Dominum jejuniis et orationibus deprecans, ut quis tantæ sedis honore dignus foret eorum sensibus revelare dignaretur. Sed divina placata majestas, quem ex sacerdotali eis catalogo eligendum arcano suæ potentiæ nutu ostenderet, nisi eum, quem ab ipsis matris uberibus tot supradictis virtutum copiis et pulcherrimo doctrinarum flore ornaverat, atque constantem et fidelem in omnibus sibi alumnum nutrierat, sacratissimæ sedis rectorem tribueret?

455 Collectis igitur in unum venerabilibus episcopis, et gloriosis Romanorum proceribus, omnique amplæ Urbis populo in palatio Lateranensi, ut quod jam cordi cœlitus revelatum æquiter omnes tenebant in uno multorum sonitu resonaret, unius voluntatis consensu fortiter acclamatum est, Valentinum sanctissimum archidiaconum sedis apostolicæ dignum! Valentinum summi pontificatus infula decorandum! His itaque melliflue dictis, una mox omnes pacis conjunctione manentes ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ sacer clericorum, et Romanorum proceres pariter cum populo properantes, multiplices cum Domino grates ac laudes reddentem more solito invenerunt. Quem illico multum ac diutius renitentem, seque tanti regiminis fore incongruum voce strenua proferentem, almæ plebis, et lætis utriusque militiæ Romanorum electus est vocibus in sede pontificum. Ac deinde condignis gloriæ laudibus et honoris amplitudine ad Lateranense patriarchium ab ipsis deductus, et in pontificali est positus throno. Cujus ovanter ab omni Romanorum senatu pedibus osculatis, et omnibus quæ explenda erant rite ac veneranter peractis, magna sobrietas, magna in totius sexus et ætatis populo lætitia mansit. Ejusque consecrationis die sereno jam illucescente, cum lumine jam dictum antistitem ad beati Petri apostolorum principis ecclesiam omnes pariter Romani a palatio deducentes cum, majestate divina auxiliante, in alto throno summum consecravere pontificem.

456 Qui mox almificæ sedis culmina scandens beati Petri apostoli et cœlestis regni clavigeri, divinis Deo laudibus et sacrificiis pie oblatis, amplo et magnifico Romanorum cœtu ad palatium cum ingenti gaudio remeavit; atque lautissimis dapibus sumptis, amantissimorum multis et diversis munerum donis sacram plebem et senatum populumque Romanum optime [a] ditavit. Erat quippe dapsilitate inclytus, actione præcipuus, sermone luculentus, omnibus compassione proximus, et inopiam sustinentibus opportunum instanter solatium præbens. Quibus multiplicibus bonis ornatus, ad cœlestia Christo vocante corporis oppressus molestia exitu pretioso transivit, atque cum desiderabili beatissimique operis fructu ad conspectum summæ majestatis lætus ascendit, lætans et exsultans cum Domino semper.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * opime.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 453, *lin* 1, patre Leontio, sedit mensem unum, dies 10. *lin* 5, rimabatur, et ingenti. *lin* 6, A more nobili. *lin* 8, inspirationis nectare. *lin* 15. exempli.

Num 454, *lin* 9, intentione modestus.

Digitized by Google

Num 455, *lin* 15, in sedem.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 453, *lin* 1, patre Leontio, sedit mensem unum, et dies 10, et cessavit dies 4. *lin* 2, vir iste fuit Spiritus sancti repletus, et perfusus gratia permansit. Inanes, *ut lin* 5. *lin* 6, evitabat. Quem dominus papa Paschalis conspiciens bonis ornatum moribus, archilevitam hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ constituit. Defuncto itaque domno Eugenio Valentinus archilevita summum conscendit apicem. Erat quippe dapsilitate, *ut num* 456. *lin* 4.

Num 456, *lin* 6, ornatus Christo voc ad cœlestia. *lin* 7, 8, beatissimi op.

Ex codice Thuano altero.

Num 453, *lin* 1, Valentinus. *Desideratur Vita Valentini integra.*

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 453, *lin* 1, Valentinianus. *lin* 6, more nobili. *lin* 8, inspirationis plenus. *lin* 9, faleribus. *lin* 10 delectantem.

Num 454, *lin* 10, Quæ prætera. *lin* 11, meritis, atque præst. *lin* 13, Romanorum cœtu.

CIII. GREGORIUS IV.

ANNO CHRISTI 827, LUDOVICI IMP. 14, IMPERATORIS MICHAELIS BALBI 7.

457 Gregorius quartus, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit annos sexdecim. Vir strenuus ac benignissimus, sanctitate atque pietate repletus, ornatus scientia, verbo jocundus, modestus præ omnibus sermone, firmissimus fide catholica, justus operibus, et litterarum divinarum solertissimus inquisitor; ecclesiarum quoque sanctarum infatigabilis visitator, pater pauperum, et alitor omnium viduarum : terrenum nil appetens, mundana hujus vitæ præsentis lucra deserens, æterna præmia in cœlis dignis sibi meritis acquisivit. Hic a Deo beatissimus pontifex genere clarus, sed magis clarior sanctitate, forma pulcher, fide pulchrior. Quæ scilicet universa laudum præconia non solum pontificatus sui tempore claruerunt, sed etiam cum adhuc juvenilibus annis polleret, talia peragere indeficiens satagebat. Quæ res Romanis omnibus non diu occultata permansit, sicut scriptum est : *Quia nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed ut luceat omnibus qui in domo sunt* [a]. Cœpit sancta ejus operatio de die in diem per totam Romanam pleniter urbem resonare evangelico sermone, docente : *Nihil opertum, quod non revelabitur, et occultum quod non sciatur* [b]. Pro quibus denique innumerabilibus bonis a sanctissimo hujus sacræ sedis domno Paschali papa, non solum subdiaconus, sed etiam sacerdos [c] effectus est. Permansit vero in sacerdotii sui habitu constitutus caste ac pudice, recolens illud quod Scriptura sacra commemorat, dicens : *Sacerdotes Dei induantur justitia* [d], id est, non in aliis vacent nisi oratione, lectione et jejunio. Cumque in his intentus insisteret humano more jam dictus Paschalis pont. ex hac luce subductus, et Eugenius a Deo electus antistes sacri apicis adeptus est dignitatem. Permanens autem in hac per modicum tempus, vita et ipse pariter defunctus est. Post hunc Valentinus alendorum gregum præsulatus culmen sortitus sub maxima celeritate ex hac præsenti vita subtractus est.

458 Cœperunt denique Romani pariter omnes non solum de pontificibus tam subito perditis, verum etiam de futuro arctius cogitare, ut quem sancti Spiritus gratia perlustratum agnoscere potuissent, sub cujus doctrina atque imperio cuncta senatorum nobilitas rite degere potuisset. Quorum videlicet universorum procerum corda adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, Creator omnium Deus inexstinguibili suo sancto lumine succendit, et mentes eorum ad beatissimi Gregorii quarti pia facta convertit. Consenseruntque omnes in eodem spiritu, et anima una. Electus autem ab eis patriarchio Lateranensi inductus est, abstrahentes quidem illum ex basilica beatorum martyrum Cosmæ et Damiani per vim; dicebat enim se ad tale ministerium inutilem fore. Sed quoniam tam immensæ multitudini resistere non valuit, ad locum jam ante prædictum eum cum hymnis et canticis spiritualibus deduxerunt.

459. Verum quia investigare cuncta quæ gessit celeri sermone non possumus, ea, licet breviter, ad notitiam omnium perducamus, quæ sacris ac venerabilibus mente integra et pia devotione obtulit locis. Præterea post electionem simul et consecrationem præsulatus sui cœpit permaximum studium habere de sanctis et de eorum ecclesiis, quatenus ad statum pristinum novo cultu eas, protegente Domino citius revocaret; quod factum, est : nam eo tempore ecclesiam beati Saturnini martyris, foris portam Salariam constitutam, quæ vetustate nimia et longo jam senio a fundamentis ceciderat, novis fabricis ædificari fecit, et picturis variis decoravit; ubi etiam obtulit vestem de fundato unam. Perficiente vero illo hæc quæ superius dicta sunt, ad alia tunc pontificalis ejus animus sanctorum opuscula

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Matth.* v. [b] *Matth.* x. [c] *presbyter scilicet cardinalis.* [d] *Psal.* CXXXI.

Digitized by Google

summopere cœpit attendere. Et quoniam tunc divino ignis amore succensus corpus beati Gregorii hujus universalis Ecclesiæ præsulis, per quem sancti Spiritus gratia toto orbe terrarum inexstinguibile sapientiæ munus induxit, ex loco sepultus quo prius fuerat tulit, et non longe ab eo in alium noviter constructum infra ecclesiam beati Petri apostoli summo honore perduxit. Ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, et oratorium suo sancto nomine titulavit. Absidamque ejusdem super aurato musivo depinxit. In quo scilicet oratorio sanctorum corpora beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii ex cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit. Et unumquodque eorum separatis altaribus collocavit, pro quibus denique pontificatus sui tempore decrevit ut monachi, qui ad officium persolvendum in ecclesia beati Petri apostoli sunt constituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant. Obtulit autem in eodem oratorio vela majora, vel modica serica decem et octo. Vestes super altare, sub quo sanctissimi Gregorii papæ corpus quiescit, tres. Unam cum chrysoclavo, habentem historiam..... et super unumquodque altare prædictorum martyrum vestem de fundato unam. Imagines denique desuper deargentatas, necnon auro perfusas tres, habentes vultum Domini, et eorum depictos, quorum specialia ibidem corpora humata miraculis ac virtutibus pollent.

460 Illis igitur perfectis operibus, ad alia repente venerabilis pontifex animum et mentem convertit. Nam ecclesiam tunc beati Marci confessoris atque pontificis, quam tempore sacerdotii sui regendam susceperat, et usquequo ad pontificatus pervenit gratiam, in suo jure, ac ditione permansit, quæ ob nimiam vetustatem crebro casura esse videbatur, cum omnipotentis Dei opitulatione a fundamentis prius ejecit, et postmodum novis fabricis totam ad meliorem cultum atque decorem perduxit, absidamque ipsius prænominatæ basilicæ musivo aureis superinducto coloribus cum summa gratulatione depinxit. Fecit vero sarta tecta ejus omnia nova; et quidquid in ea ante vile cognoverat, pretiosum postea esse maluit.

461 Igitur consummatis omnibus his pro remedio et futura retributione animæ suæ, obtulit in jam sæpe nominata ecclesia futuris temporibus permanenda hæc : Regnum aureum unum, quod usque hodie super altare dependet, cum gemmis valde optimis, habens in medio auream crucem, cum gemmis pariter pretiosis; item gabathas ex auro purissimo tres, pendentes ante prænominatum altare; et gabathas interrasiles de argento, duodecim angelorum opere constructas; et alias gabathas interrasiles quinque, cum pedibus suis. Item ubi supra obtulit thymiamateria aureo colore perfusa tria, canistra de argento duodecim; coronas argenteas majores et minores novem, cruces de argento tres, et unaquæque habet libras unam; cerostatas desuper argentatas quatuor. Fecit et ciborium ad laudem atque decorem confessoris jam sæpius dicti ex argento purissimo, pens. libras mille. Altare quoque ejusdem argenteis similiter tabulis exornavit, cupiens per rerum temporalium exercitia æterna cœlo præmia adipisci. Prædictus etiam venerabilis pontifex obtulit ubi supra vestem de fundato unam, habentem mucrones per circuitum. Fecit et aliam vestem de olovero [a] unam, habentem in medio gemmas et mala aurea, et per circuitum zonam de chrysoclavo. Imo vero obtulit sanctissimus præsul vestem de olovero, cum gryphis et unicornibus. Vestem quoque aliam, cum chrysoclavo per circuitum, habentem in medio resurrectionem Domini nostri Jesu Christi.

462 Sæpe jam dictus venerabilis papa obtulit in prænominata ecclesia vestem cum gryphis, et chrysoclavo per circuitum, habentem in medio nativitatem Domini nostri Jesu Christi : item vestem aliam cum chrysoclavo, habentem per medium rotas de chrysoclavo quatuor, et nativitatem atque baptismum Domini nostri Jesu Christi. Obtulit vero prænominatus pontifex vestem aliam cum leonibus, habentem resurrectionem Domini de chrysoclavo. Vestes de fundato minores octo, quæ altaribus superponuntur, quæ per circuitum ejusdem ecclesiæ esse noscuntur. Vela alba serica 4, unum habens undique Tyrium et in medio crucem, et gammadias de chrysoclavo; aliud de stauraci, habens in medio crucem de olovero et gammadias de olovero Tyreo; tertium et quartum similiter. Vela de rodino quatuor, quæ sacrum altare circumdant, ex quibus unum habet crucem de chrysoclavo. Vela de fundato 26, et linea similiter, quæ pendent per arcus ecclesiæ. Vela Alexandrina tria ante portas majores pendentia, habentia homines et caballos. Cortinam Alexandrinam unam, vel alia habentia mucrones de fundato 4. Velum de octapulo unum. Vela alia de fundato octo, habentia per circuitum periclysin de blatthin. Et alia vela sex cum aquilis, habentia per circuitum periclysin de Tyrio. Vela simulque alia de fundato quinque, habentia leones, et periclysin de Tyrio. Vela alia Alexandrina, ex quibus unum habens rotas, et rosas in medio, et aliud arbores, et rotas pendentia ante valvas ipsius ecclesiæ. Item velum modicum de olovero, habens in medio hominem cum caballo. Vela cum argento spanisco quatuordecim. Vela modica ubi supra de olovero decem, habens unumquodque eorum anates. Hic divina inspiratione protectus obtulit in jam dicta basilica aquæmanile de argento unum.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, holoserico.

Digitized by Google

463 Verum etiam fecit et in ecclesia beati Cosmæ et Damiani martyrum vestem de fundato unam, habentem in medio historiam depictam, cum chrysoclavo. In ecclesia beati Abbacyri, atque Archangeli ad alefantum. Hic a Deo electus et præclarus antistes, obtulit in basilica beati Eustachii martyris vestem de fundato unam, habentem in medio historiam de chrysoclavo. Fecit jam sæpius nominatus præsul aliam vestem in ecclesia beatorum martyrum Sergii et Bacchi de fundato unam. Pari modo vero fecit et aliam vestem de fundato in ecclesia sancti Silvestri, posita in monte Soracti. Post completa vero hæc omnia et diligenter peracta, fecit in ecclesia beati Petri apostoli vela cum chrysoclavo numero quatuordecim, habentia diversas historias Evangeliorum, et passiones beati Petri ac Pauli, necnon Andreæ apostoli, quæ dependent inter imagines auro argentoque fusas in trabe desuper argentata, antequam adeas sacram confessionem, speciosa valde visibus humanis atque præcipua.

464 Fecit autem et in ecclesia beati Christi martyris Georgii magnificus præsul hinc inde porticus, quas etiam ad decessorem ipsius basilicæ variis ornavit picturis. Absidam vero ejusdem diaconiæ a fundamentis, auxiliante Domino, cum summo studio compsit. Hic adeo amabilis pontifex dum diligenter cerneret quod ejusdem venerabilis diaconiæ secretarium præ nimia temporum vetustate marcesceret, noviter pro ipsius amore vel gratia aliorum ad meliorem erexit honorem. Obtulit itaque sanctissimus papa ubi supra hæc dona : Vestem de fundato unam, cum chrysoclavo, habentem imaginem Salvatoris, et martyris Sebastiani atque Georgii; vela de fundato majora duo, minora decem et octo. Fecit autem in confessione ipsius basilicæ rugas de argento ex auro perfusas. Pari modo vero sarta tecta basilicæ beati Adriani martyris, posita in via Sacra, quæ præ nimia vetustate marcuerant, noviter restauravit.

465 Verum etiam fecit in patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis, decoratum cum absida de musivo : sed et alias absidas duas dextra lævaque positas infra paracellarium, variis historiis depictas. Fecit etiam sanctissimus papa et in ecclesia beati Clementis confessoris vestem de fundato cum leonibus, et periclysin de octapulo. Simili modo et in diaconia beati Theodori martyris vestem de fundato, leones habentem, cum periclysi de octapulo. Fecit autem in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, quæ ponitur foris muros, vestem chrysoclavam, habentem historiam Zachæi. Fecit et aliam vestem fundatam, cum gryphis, in honorem sanctæ Dei genitricis ad martyres. Necnon et in basilica beati Stephani protomartyris in Cœlio monte vestem de fundato, cum gammadiis. Verum etiam et in diaconia beatæ Dei Genitricis in via Lata fecit vestem de stauraci, cum periclysi de blatthin. Simili modo et in ecclesia beatæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ ad Præsepe fecit vestem auro textilem, habentem nativitatem, baptismum, præsentationem et resurrectionem : habentem in capite ipsius historiæ gemmas albas trecentas et octuaginta, hyacinthinas quinquaginta, prasinas viginti duas, et in circuitu alvaviras legente de nomine domni Gregorii quarti papæ. Item fecit et in diaconia beati Adriani martyris in tribus fatis vestem de fundato. Fecit autem præfatus præsul in ecclesia beatorum apostolorum ad Vincula vestem de fundato, habentem leones cum gryphis. Fecit et aliam vestem de fundato in ecclesia beati Martini confessoris atque pontificis, habentem leones cum arboribus.

466 Necnon et in basilica beati Eusebii martyris vestem de olovero, habentem aquilas, cum periclysi de quadrapulo. Obtulit etiam prædictus præsul in basilica beatæ Dei Genitricis Mariæ trans Tiberim vestem de Tyrio, habentem historiam Dominicæ nativitatis atque resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Imo et in diaconia quæ vocatur Cyro, simili modo obtulit vestem de fundato. Imo et in diaconia beatæ Mariæ in via Lata eodem modo vestem de fundato obtulit. Hic præclarus et venerabilis pontifex divina inspiratione fretus fecit in ecclesia beati Marci confessoris Christi atque pontificis patenam octogoni exauratam, habentem in medio vultum Domini nostri, et a duobus lateribus vultum ipsius beati Marci atque ejusdem præsulis, pens. libras sex. Simili modo et calicem octogoni fundatum cum foliis exauratum ibidem obtulit, pens. libras sex; scyphum quoque argenteum illic offerri curavit, pensan. libras sex. Obtulit etiam ipse prænominatus pontifex canistra ennafodia duo, pensan. insimul libras quatuordecim. Verum enimvero in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli obtulit sæpe dictus pontifex vestem de chrysoclavo, habentem historiam Domini Dei nostri, et in ejus obsequio a dextris vel sinistris archangelorum, seu apostolorum, laudabili numero, miræ magnitudinis atque pulchritudinis, diversis lapidibus vel margaritis ornatam pulcherrimeque contextam.

467 Hic benignissimus et præclarus pontifex, dum bonus et verus pastor pro sanctæ Dei Ecclesiæ statu maximam undique curam ac vigilantiam gereret, considerans Romanorum penuriam, quod ubi triticum ad edendum molerent nullo modo haberent, divino fretus auxilio formam quæ Sabbatina nuncupatur, quæ jam per plurimos annos confracta atque disrupta esse videbatur, dato operis studio, sicut a priscis fuerat ædificata temporibus, ita quoque eam præsagus antistes noviter ædificare atque construere nisus fuit : ita ut ad ecclesiam beati Petri apostoli, atque ad Janiculum sicut prius, ita et nunc indifluenter decurrat. Fecit etiam in diaconia beatæ

Digitized by Google

semper Virginis Mariæ in Cosmedin vestem de Tyrio, habentem historiam Dominicæ nativitatis atque resurrectionis Christi veri Dei nostri. Ad honorem et gloriam beatæ Dei virginis Susannæ obtulit sanctissimus præsul, in ejusdem ecclesia vestem fundatam, cum periclysin de Tyrio.

468 Fecit autem in ecclesia beati Cyriaci martyris atque diaconi vestem de fundato, habentem periclysin de stauraci. Pari modo et in ecclesia beatæ Pudentianæ virginis vestem de fundato, cum periclysi de quadrapulo. Obtulit beato Vitali martyri vestem de fundato, habentem aquilas, et periclysin de quadrapulo. Præfatus vero pontifex fecit in ecclesia beatæ Anastasiæ martyris vestem de fundato, habentem aquilas, et periclysin de olovero. Imo vero obtulit jam dictus præsul in basilica beatæ Luciæ martyris, quam vocant Orphea, vestem de fundato, cum periclysi de octapulo. Sanctissimus denique pontifex fecit in titulo beati Chrysogoni martyris vestem de Tyrio, habentem historiam Danielis, cum periclysi de stauraci. Obtulit vero beatissimus papa in titulo Pammachii vestem de stauraci, cum periclysi de quadrapulo. Verum etiam fecit et in ecclesia beatæ Ceciliæ martyris vestem de fundato, habentem aquilas et gryphos, cum periclysi de olovero. Pari modo et in titulo Æmilianæ obtulit vestem de fundato, habentem aquilas, et periclysin de platta Byzantea. Simulque et in ecclesia beati Sixti martyris atque pontificis fecit vestem de Tyrio, habentem historiam Danielis, cum periclysi de olovero.

469 Fecit in basilica beatæ martyris vestem de fundato, cum periclysi de olovero. Fecit autem in titulo Damasi vestem de stauraci, habentem periclysin de blattha Byzantea. Fecit etiam in ecclesia apostolorum Jacobi et Philippi vestem de fundato. Item in ecclesia beati Marcelli confessoris atque pontificis fecit vestem de fundato. Pari modo in basilica beati Laurentii in Lucinæ fecit vestem de stauraci. Item in ecclesia sancti Valentini fecit vestem de fundato et gammadias de octapulo.

470 Cumque hæc omnia, quæ superius inserta leguntur, a quarto hujus intemeratæ sedis papa Gregorio Deo favente liberius consummata fuissent atque perfecta, piger esse nullatenus volens, cœpit indifferenter post curam gregum de cultura sive meliorationibus venerabilium tractare locorum, ut suis temporibus novo culturæ formatu consolidata essent : quod intercedente apostolorum principe Petro juxta votum sui desiderii factum est. Ideo cum talia præsulatus sui animo volveret, et hæsitans cogitaret, repente ad memoriam sui recurrunt, quod justum non esset, si amplius ecclesia sanctæ Dei Genitricis, quæ more veterum nunc usque Calixti trans Tiberim dicitur, sine monachorum officio constitisset, maxime cum in ea signorum non minima frequenter fiant miracula et virtutes diversæ; ac demum divinitus cumpunctus corde, et Dei omnipotentis roboratus ac fretus juvamine, juxta latus prænominatæ basilicæ monasterium a fundamentis statuit, et novis fabricis decoravit. In quo etiam monachos canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent, et omnipotenti Domino grates et laudes diebus singulis et noctibus prosecutis intimo cordis spiramine decantarent; quod sicut impræsentiarum cernimus, magno certamine, magnoque studio pastor eximius hoc opus valde firmissimum ampliavit. Nam ubi ante nulla erat cultura præcipua, modo Deo dispensante pulchra sunt habitacula monachorum; et loca quæ nuper ab hominibus videbantur vepribus vel immunditiis plena, nunc in eis cellulæ constructæ sunt, quibus oves Christi cum suis simul utilitatibus post laudum officia largissime cohabitant et dormiunt. Eo igitur tempore sæpedicta ecclesia quibusdam per circuitum locis longo senio erat prærupta, sed eam firmissimis undique munitionibus restauravit. Et in ea sanctum fecit præsepium ad similitudinem præsepii sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Majoris, quod videlicet laminis aureis et argenteis adornavit. In quo pro remedio ac venia delictorum hæc obtulit dona : imaginem auream, habentem historiam dominæ nostræ cum diversis et pretiosis gemmis, hyacinthos majores numero tredecim, prasinas decem, albas majores numero viginti et novem, alamandinas majores numero viginti, albas modicas habentes in circum capitis coronam diverse philopares.

471 [a] Cercelli paria duo habet gemmas pretiosissimas albas numero decem et octo, prasinas octo, hyacinthinas quatuor. Item in eadem imagine habet murenas prasinales pretiosissimas duas, ex quibus habet pendulas numero undecim. Item murenam trifilem auream, quæ habet gemmas diversas albas, numero septuaginta tres, et buticulas triginta tres. Murenam, in qua pendent gemmæ hyacinthinæ tredecim, digitiæ aureæ novem pendent in filo aureo. Item murenam filatam, ex qua gemmæ pendent hyacinthinæ quatuordecim. Signum Christi habet navicellas duas, et murenas tres. Omnes murenas, cum petinante earum. Gabathas aureas purissimas interrasiles philopares. Signum Christi, pendentem in catenulis tribus lilio, et unc. . , legente de donis Dei, et sanctæ Mariæ, quod vocatur Præsepe trans Tiberim, domini Gregorii papæ quarti, qui puro

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Locus mendosissimus.*

Digitized by Google

corde obtulit tres gabathas saxiscas. Signum Christi habet historiam in modum leonis incapillatam, cum diversis operibus purissimis aureis, pendentibus in catenulis quatuor, et uncino uno. Item gabatham saxiscam habet in modum Leonis IV, cum diversis historiis serpentium, et in medio stantem pineam, et quatuor leunculis exauratam, qui pendent in catenulis 3 et uncino uno. Item gabathas saxiscas. Ex quibus habet singulis operibus exauratis pendentes in catenulis tribus et uncinos quatuor; ex quibus habet unam gemmis vitreis. Quæ domnus item Gregorius quartus pontifex libenti obtulit animo.

472 Imo vero obtulit jam dictus præsul in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli cortinam fundatam pendentem in arco triumphalem, habentem in medio annuntiationem et nativitatem Domini nostri Jesu Christi. Item velum oloverum unum pendens in regularem sub imaginem argenteam, habens historiam imperatoris. Ibi ipse fecit et alia duo modica vela fundata, quæ pendent in circuitu altaris, habentque lora viginti quinque. Vela quæ pendent in presbyterio numero 24 : vela fundata quæ pendent ad arcus majores numero quadraginta. In ciborium ipsius ecclesiæ fecit vela quatuor. Pari modo et in ecclesia beati Christi martyris Georgii fecit vela de fundato sex, habentia in circuitu gammadias de octapulo. Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Sabæ vestem de olovero cum leonibus, habentem periclysin de octapulo. Verum etiam et in monasterio sancti Anastasii martyris eodem modo fecit vestem de stauraci, cum periclysi de quadrapulo. Simulque et in monasterio sancti Andreæ, quod appellatur in clivo Scauri, fecit vestem de stauraci, cum periclysi de octapulo unam. Sed et in monasterio sanctæ Agathæ martyris, quæ ponitur super Suburram, fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo unam. Necnon et in monasterio sancti Erasmi fecit vestem de stauraci, cum periclysi de octapulo unam. Enimvero et in diaconia sanctæ Luciæ, quæ ponitur in septem Vias, fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo unam. Fecit autem in oratorio sanctæ Luciæ, quæ ponitur in monasterio de Serenati, vestem de olovero cum leonibus, habentem periclysin de octapulo. Simili modo et in monasterio sancti Silvestri fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo. Simili modo et in monasterio sancti Silvestri fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo unam. Ibi ipse fecit vestem de fundato cum gryphis, habentem periclysin de blatthin.

473 Pari modo et in monasterio sanctæ Praxedis fecit vestem de olovero cum periclysi de stauraci unam. Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli vela de chrysoclavo per arcus presbyterii, habentia historiam ipsius beati Pauli apostoli, et in circuitu listam cum auro, numero viginti et septem. Hic a Deo electus et præclarus antistes obtulit in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quam vocamus Calixti et Cornelii, coronas argenteas duas, per unamquamque delphinos duodecim, pensan. insimul libras duodecim. Simulque et in diaconia beati Christi martyris Georgii fecit coronam de argento unam, cum delphinis duodecim, pensan. libras sex. Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit in basilica beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quam dicimus Calixti et Cornelii, canistra argentea quatuor, legente sancta Dei Genitrice, Gregorii quarti papæ, pensan. libras viginti et quatuor. Et in altari quoque ejusdem tabulas de argento, pensan. libras centum et tredecim. Fecit idem venerabilis papa in eodem sancto loco infra ambitum ipsius ecclesiæ operosam decoramque resurrectionem. Nam prius altare in humili loco situm fuerat pene in media testudine, circa quod plebs utriusque sexus conveniens, pontifex cum clero plebi confuse immisto sacra mysteria celebrabat.

474 Sed et sancta corpora beatorum Calixti et Cornelii et Calepodii in mediana plaga ecclesiæ tumulata post tergum populi jacentia non condigne honorificabantur. Quod religiosissimus idem papa non leve tulit, sed solerti solitoque studio cum intima industria operam adhibens, mirificum opus inchoans optime consummavit. Nam effosso clandestino antro summa cum reverentia, præfata sancta corpora elevans in occidentali plaga ejusdem ecclesiæ, hoc est in ambitu absidæ, honorifice collocando occuluit, circa quæque maximæ molis aggravans aggerem, comptum ministris lapidibus tribunal erigens decoravit, supraque confessionem respicientem ad ortum solis miri odoris cælaturas ornata compagine coaptavit. Infra consurgentem siquidem basin altaris, miri metri, et ornatus modulo ex argento perspicue in honorem sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, elata scilicet priori, erexit inter consurgentes pulchri operis gradus, ante quam presbyterium amplum operosi operis funditus construxit. Cui ex septentrionali plaga lapidibus circa septum matroneum apposuit. Sed et *decorem* altari addens, et Matrem Domini meritis honorans muneribus, fecit ibidem vestem chrysoclavam cum blatta byzantea, habentem historiam nativitatis et resurrectionis Domini nostri Jesu Christi : *et* insuper imaginem beatæ Dei Genitricis Mariæ refoventem imaginem oblatoris sui. Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex fecit amas argenteas sex, quæ præcedunt per omnes stationes, *pensan.* libras tresdecim : scyphos duos, pensan. singuli libras 10, gemmiliones octo, pensan. singulos libras duas.

475 Hæc denique postquam omnia, Deo favente, a sæpedicto pontifice decenter expleta sunt, ea

Digitized by Google

quæ in ecclesia beati Petri apostoli foris muros longe jam senio cassata videbantur, ad pristinum statum cultumque perduxit. Nam pene totam porticum super oratorium sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ Mediana dicitur, noviter ex trabibus, cæterisque lignis ob decorem basilicæ decoravit. Imo et aliam similiter porticum ante valvas argenteas novo opere cultuque præcipuo perfecit. Necnon et in fronte paradisi jam fatæ ecclesiæ principali musivo cuncta quæ a priscis temporibus in eodem pariete erant diruta velocitate nimia pingere ac restaurare decrevit. Renovavit simul et porticum ejusdem basilicæ quæ super gradus ejus esse perspicitur, per quos populus orationis voto indifferenter habet ascensum. Fecit etiam juxta acolyti pro quiete pontificis, ubi post orationes matutinales vel missarum officia ejus valeant membra soporari, hospitium parvum sed honeste constructum, et picturis decoravit eximiis. Igitur inter cætera bonæ operationis exempla fecit et in patriarchio Lateranensi pro utilitate sive usu pontificis prope oratorium sancti Christi martyris Laurentii habitaculum satis idoneum, ubi et quies est optima, et cum clericis suis pontifex inde egrediens omnipotenti Domino debitas potest laudes persolvere. Igitur post hæc omnia quæ superius ædificata leguntur de ædificiis jam dirutis et præ magnitudine temporum pene casuris, quæ infra palatium ab antiquis Patribus videbantur esse constructa, beatissimus jam sæpius nominatus papa Gregorius novo cultu et opere a fundamentis erexit atque composuit. Nam descensum qui paracellarium respicit, per quem antea homines veluti in nocte ascendebant vel descendebant, ita noviter reformavit ut nulla inde transeuntes deinceps ut ante obscuritas valeat præpedire, a quo videlicet loco usque ad oratorium sancti Laurentii, cuncta quæ erant vetera restauravit. Et alia nova adjecit, in quibus tres caminatas fieri jussit. Renovavit imo et balneum quod juxta paracellarium situm est a fundamentis per totum, et marmoribus cæterisque placabilibus operibus decoravit. Nam prius vetustatis longitudine casurum esse videbatur, nisi mens vel optimum tanti pontificis studium illud ad priorem statum reducere decrevisset. Pari modo et in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, fecit vestem auri textilem, habentem historiam palmarum et cœnam Domini.

476 Item in venerabili monasterio sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, et sancti Cornelii et Calixti, quam vocant Trans Tiberim, fecit canistra numero sex, quæ pens. insimul libras decem et octo ; scyphum unum, pens. libras octo et uncias quatuor ; canthara cum thymiamaterio, pens. libras tres ; siclonem unum, pens. libras tres. Perfectis autem his omnibus atque examussim patratis, quoniam jam, sicut sæpedictum est, ejus sancta veneranda ac recolenda simplicitas, utque in Dei erat omnipotentis semper intenta servitio, ita quoque de populi futura salute et liberatione patriæ indifferenter erat sollicita, ne ab hostibus Deo non permittente quoquo modo caperentur : et quoniam hujus sacratissimi Patris ac papæ temporibus impia atque nefaria, et Deo odibilis Agarenorum gens a finibus suis consurgens pene omnes insulas et omnium regiones terrarum circuiens, deprædationes hominum et locorum desolationes atrociter faciebat, easque hactenus facere nullatenus cessat; de quibus quoque insolitis atque cavendis periculis, misericordissimus præsul magnum habens timorem ne populus a Deo sibi et beato Petro commissus apostolo, qui in Portuensi vel Ostiensi civitatibus habitabat, a Saracenis nefandissimis tribulationis ac deprædationis sentiret jacturam, intimo trabens ex corde suspiria, cœpit prudenter inquirere quomodo civitatem Ostiensem adjuvaret ac liberare potuisset. In ejus statim omnipotens Deus hoc dedit corde consilium, ut civitatem ibidem qua populum salvare vellet a fundamentis noviter construere debuisset, quoniam ea quæ priori tempore ædificata fuerat longo quassata senio nunc videretur esse diruta. Fecit autem juxta quod ei fuerat divinitus inspiratum : in prædicta enim civitate Ostiensi civitatem aliam a solo valde fortissimam, muris quoque altioribus, portis simul ac seris et catharactis eam undique permunivit, et desuper ad inimicos, si venerint, expugnandos petrarias nobili arte composuit, et a foris non longe ab eisdem muris ipsam civitatem altiori fossato præcinxit, ne facilius muros contingere isti valerent.

477 Quando autem sæpedicta civitas novæ fabricæ initium meruit, ipse ibidem sanctissimus papa per se multis residens diebus partem quamdam murorum non modicam cum suis hominibus quasi in sortem percipiens a fundamentis erexit. De qua donec, Deo prosperante, crebro dicta civitas ad legitimam totius fabricæ finem perducta est, multos exinde labores in suo sancto pectore vel certamina indesinenter sustinuit. Cui etiam noviter civitati constructæ hoc nomen in sempiternum statuit permanendum, scilicet ut ab omnibus sive Romanis sive aliis nationibus, a proprio quod ei erat nomine, id est Gregoriopolis, vocaretur. Et revera merito hoc a conditoris sui nomine vocabulum sumpsit, quia quod nullum legimus fecisse pontificem, iste, Dei omnipotentis auxilio simulque virtute munitus, pro populo ac liberatione patriæ ante jam nominatum opus mirabili decore fabricæ construxit atque composuit.

478 Iis itaque in suis locis manentibus fecit idem coangelicus atque eximius præsul in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, juxta patriarchium Lateranense, vestem cum chrysoclavo

Digitized by Google

habentem in fronte altaris historiam beatissimorum Baptistæ atque evangelistæ Joannis. Et per altaris circuitum similiter uno corpore cohærentiam, quasi vela similiter de chrysoclavo, et quasdam picturas habentium in modum gryphorum cornua in frontibus picta. Fecit etiam in monasterio beatissimi martyris Christi Laurentii, quod dicitur Pallacinis, canistra de argento sex, et cerostata duo inducta; scyphum unum argenteum, et amam similiter de argento. Fecit etiam in oratorio sanctissimi papæ Gregorii, sito infra ecclesiam beati Petri apostoli, columnellas argenteas quatuor, habentes libras argenti numero quadraginta. Post hæc autem omnia ipse venerabilis pontifex in curte, quæ cognominatur Draconis, domum satis dignam, undique porticibus ab solariis circumdatam a solo noviter fieri statuit, in qua tam ipse quamque etiam futuri pontifices cum omnibus qui eis obsequuntur, quandiu eis placuerit, ibidem statiose immorari valeant. Fecit autem similiter et in curte alia, quæ Galeria vocitatur, domum aliam largam ac spatiosam, satisque præcipuam ad opus atque utilitatem pontificum, ubi quoties opportunum fuerit, ut cum omnibus qui eis famulantur amplissime hospitentur. Item sæpedictus idem almus pontifex atque præclarus superno amore exardescens fecit in basilica sanctæ intactæque Virginis Dei Genitricis dominæ nostræ Mariæ, quæ cognominatur ad Martyres, ciborium ex argento purissimo, pensans simul libras quadringentas : simul et coronam ex argento purissimo, unam pensan. libras decem et semis. Similiter autem fecit in basilica beati Marcelli confessoris atque pontificis coronas ex argento purissimo tres, pensantes simul libras... Imo vero et in diaconia beati Georgii martyris fecit velum Alexandrinum, habens phasianos duodecim, et vela ante januas lineum plumatum unum. Qui beatissimus pontifex postquam sedem Romanam et apostolicam annos sexdecim gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit ordinationes quinque per mensem Martium et Decembr., seu septem presbyteros . . . diaconos . . . episcopos per diversa loca numero centum octuaginta quinque. Sepultus vero est in basilica beati Petri apostoli.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 457, *lin* 3, fide catholicæ.
Num 463, *lin* 3, Olephantum.
Num 466, *lin* 7, octogona. *lin* 9, octogonum.
Num 470, *lin* 12, cordis spiramine.
Num 471, *lin* 1, paria duo. *ibid* albas 19. *lin* 2, in eadem imagine. *lin* 4, 73. *lin* 5, digitiæ aureæ. *lin* 13, leoncellos modicos.
Num 472, *lin* 2, arcu triumphali. *lin* 3, in regulari. *lin* 5, altaris foris 16. Item vela 5 pendentia intus in circuitu altaris, habentia lora 25.
Num 474, *lin* 6, comptum miris. *lin* 8, miri opes cælaturarum. *lin* 10, ante quod ampli ambit.
Num 475, *lin* 9, juxta acoli.
Num 473, *lin* 12, ibidem statiose *deest*. *lin* 14, ubi quotiens eis opport. f. cum omnibus. *lin* 20, seu velum ante januas. *lin* 24, Petri apostoli ; et cessavit episcopatus dies 15.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 457, *lin* 1, Greg. nat. Rom. *lin* 2, ac benignus. *lin* 2, juc. [*M.*, joc.] *lin* 3, et litt. sol. inq. scilicet divinarum, ecclesiarumque sanct. inf. *lin.* 4 *et* 5, paup. alitor. o. viduarum. Hic a Deo, *ut lin* 8. *lin* 6, sed clarior sanct. *lin* 8, adhuc in juvenilibus [*M.*, juvenibus]. *lin* 9, quæ res Romanis diu occulta permansit. Cæterum Romani pariter omnes de obitu pontificis, qui tam repente supervenit, et non tantum de prænominato obitu, quam de futuro pontifice artius cogitabant. Quorum videlicet, *ut num seq. lin* 4.
Num 458, *lin* 5, Quarti papæ pia fata [*M.*, facta] c. *litt* 6, omnes uno spiritu, et *lin eod.* in patriarchium Lateranense perductus est, abstractus ecclesia sanctorum Cosmæ et Dam. Ipse autem renuebat, atque aiebat se non esse dignum ad onus tam magni officii. Hic autem beatissimus tempore quo vixit, multa et innumerabilia dona Ecclesiæ Dei donavit, atque universas ecclesias decoravit. Hic etiam corpus beati Gregorii papæ, et doctoris translatum ante novellum Secretarium constructis absidibus, sicuti modo cernimus, sub altari sui nominis collocavit, quo ejus anniversaria solemnitas cunctis certatim pernoctantibus gravissima celebratur : in qua pallium ejus et phylacteria, sed et baltheus consuetudinaliter osculantur. Qui beatissimus p., etc., *ut num* 478, *circa fin.*

Num 478, lin 21, postquam et Rom. apostol. sedem annis 16. gr. *lin* 23, et Decembrium, seu Septembrium, diaconos, presbyteros, episcopos. *lin* 24, Petri apostolorum principis ; et cessavit episcopatus dies quindecim.

Ex codice Thuano altero.

Num 457, *lin* 1. Gregorius, natione Rom ex patre Joanne, sedit ann xvi, mens... di... vir stren ac benignus. *lin* 2, jucundus, mod præ omnibus, serm firmiss fide cathol. *lin* 5, nil appetens, nil transitorium concupiscens, mund. *lin* 8, talia semper agere. *lin* 10, C. s. operatio *lin* 16, jam dictus domnus p.
Num 458, *lin* 6, in uno spir. *lin* 7, Later productus est.
Num 459, *lin* 7, ædificare cœpit.
Num 460, *lin* 4, a fundam ejecit *lin* 5, absid illius p.
Num 461, *lin* 6, interr 2 de arg. Item alias gabathas de arg 12. Anglorum opere const *lin* 7, minores VIII. *lin* 8, libram unam cereost. *lin* 10, cœlorum. *lin* 12, unam, habentem aquilas. Obtulit jam fatus præsul vestem de olovero 1, hab in medio g.
Num 462, *lin* 8, gammadias de tireo. *lin* 12 per arcos. *lin* 13, vela alia b. *lin* 18. aquæ manale.
Num 463, *lin* 2, storiam sanctorum eorundem de chrys. Simili modo vero fecit et aliam vestem de fundato, habentem in m. stor d. c. ch. *lin* 4, jam sæpe nomin. *lin* 5, Bachii. *lin* 9, perfusas. *lin eod* adeas ad s. c.
Num 464, *lin* 1, porticos, quos etiam ad decorem ips. *lin* 6, unam, et aliam cum chrys. *lin* 7, et mart Seb.
Num 465, *lin* 2, in paracellaria. *lin* 3, papa in eccl. *lin* 5, Leonatilem, cum pericl. *lin* 7 fund habentem gryphos in hon. *lin* 11, auristetilem. *lin* 15, in ec. Ap. *lin* 18, marmoribus.
Num 466, *lin* 4 *et* 5, de fund in diaconia vero beatæ Mariæ. *lin* 7, vultum Domini Dei nostri. *lin* 10, illuc offerre cur. *ibid.*, et jam ibi ipsum per p. can ennafolia 2, pens simul. *lin* 11, verum en. et in c. *lin* 12, chrysoclavam.
Num 467, *lin* 6, noviter ædific.

Digitized by Google

Num 468, *lin.* 1, Quiriaci, *atque ita semper scribitur.*

Num 469, *lin* 1, fecit et in ecclesia beatæ Balbinæ *lin.* 5, d. f. cum gammadiis.

Num 470, *lin* 4, fuissent. Quod. *lin* 9, tunc demum d. *lin* 21, pro remedio. *lin* 22, jacinthas m. *lin* 24, habent in circuitu capite coronæ.

Num 471, *lin* 1, cercellus p. *lin* 2, jachinctas. *ibid* morenas. *lin* 3, ex quibus una habet pendiles n. 5, item morenam tr. aer habent g. d. *lin* 5, morenam. *lin ead.*, digitias aureas. *lin ead* pendentes in filum aureum. *lin* 6, buticellas 2. *lin* 7, cum petinantes. *lin* 8, et unc. [*forte leg* uncino, *ut lin* 11] *lin* 12, serpentorum. *lin* 13, et quatuor leoncellos modicos ex. pendentes. *lin* 15, vitreis 2.

Num 472, *lin* 2, in arcum tri. *lin* 4, ibi ipsum fec. *lin* 5, altaris deforis num 16. Item vela quinque, pend intus in circuitu altaris, habent lora 25. *lin* 6, in arcos. *lin* 7, Gregorii. *lin* 10, de octap 1. *lin* 11, beati An. *lin* 12, de quadr 1. *lin* 16, fecit autem, et in o. *lin* 17, de octap. 1 *lin* 20, ibi ipsum fecit, et aliam vestem de fund. *lin ead*, de blatta.

Num 473, *lin* 3 *et* 4, per arcos pr. *lin* 5, nostræ, quæ appellatur. *lin* 6, pens lib 12, nostræ, quæ appellatur C. et C, can de arg 4. *lin* 10, Greg papæ p. *lin* 11, fecit ibid.

Num 474, *lin* 2, quod religiosus. *lin* o, c. miris lapid. *lin* 8, consurgentes sig bases altaris quod mirimetis. *lin* 9, perspicue comens, in hon. *lin ead.*, elato seil pr. *lin* 10, presbyt ampli ambitus op. op. f. c. *lin* 16, pens sing libras *lin. ead.*, gemiliones 8, pens.

Num 475, *lin* 2, longo jam s. *lin* 7 ejusdem ecclesiæ, quæ s. *lin* 9, juxta accolam. *lin* 14, igitur, quæ post hæc omnia æd. l. de æd. *lin* 18, nov. renovavit. *lin* 21, placabilibus op.

Num 476, *lin* 2, Cal quæ appellatur tr. *lin* 3, q. pens simul. *lin* 3, unc 3. *lin* 4 lib 3, cereostata 2, A pens lib... *lin* 8, Ag. gens pene omnis insulas. *lin* 13, habitabant. *lin* 14, prudenter exquirere. *lin* 15, in cujus statim. *ibid.*, ibidem si populum s. v. *lin.* 21, cont. hostes val.

Num 477, *lin* 5, a noviter. *lin* 7, id est Gregorio, Gregoriopolis vocitetur, et revera nec immerito.

Num 478, *lin* 4. de chrysocl quasdam picturas habentia. *lin* 6, VI, et cereostata duo desuper argento inducta. *lin* 10, ac solariis. *lin* 15, idem alm atque p. *lin* 18, pens libr 29, pensan lib XI. *lin* 20 duodecim, seu velum. *lin* 22, fecit. autem ordinat. *lin* 24 apostoli; et cessavit episcopatus ejus dies 15.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 457, *lin* 3, fide catholicus. *lin* 15, sacerdotes mei non in aliis. *lin* 17, subductus Eugen. *lin* 18 modicum. Post hunc.

Num 458, *lin* 5, Greg IIII papæ pia f. *lin* 7, Later perductus est.

Num 459, *lin* 21, argentatas.

Num 462, *lin* 8, gammadias de tyreo. *lin* 12, de octapulum. *lin* 18, atquæ manulæ.

Num 463, *lin* 2, historiam sanctorum eorundem de chrysoclavo. Simili modo vero fecit et aliam vestem in medio historiam depictam.

Num 468, *lin* 6, quam Orfea.

Num 469, *lin* 5, optapulo.

Num 471, *lin* 3, ex quibus unam habet pendales *lin* 6, habet vucticellas.

Num 472, *lin* 5, altaris daforis num XVI. Item vela v. pendent intus in circuitu altaris.

Num 475, *lin* 23, studium : eum ad.

Num 476, *lin* 15, in cujus statim. *lin* 21, muros istis contingere valeat.

Num 477, *lin* 5, certamina indiffidenter.

Num 478, *lin* 2, de chrysoclavo unam hab. *lin* 12, immorare valebunt. *lin* 20, fasanos.

CIV. SERGIUS II.

ANNO CHRISTI 844, LOTHARII 9, MICHAELIS 3.

479 Sergius, natione Romanus, ex patre Sergio, regionis quartæ, sedit annos tres. Hic cum illustri editus a matre fuisset castis nutrimentis, eum erudire ingenti cœpit cum studio. Ut nihil obscœnum vel libidinis ab eo quisquam audire aut videre posset, puerilia oblectamenta contemnere non verebatur: ita ut actibus pollere videretur piis ab omnibus, et moribus clarescere majorum cœperit nobilium, puris munitus, instructusque maternis monitis. Igitur mater exsultabat quotidie, et omnipotenti Deo gratias referebat alacriter, qui talem sibi superno prolem concessisset auxilio. Duodecimo quidem ætatis suæ anno obiit mater ejus, migravitque ad Dominum : qui relictus a matre (pater jam olim luce caruerat) cum suis morabatur in parentum æde patribus. Eodem tempore urbis Romæ primatum gerebat Ecclesiæ Leo tertius papa benedictus atque præcipuus, qui generositatem hujus præclari pueri reminiscens, ac parentum ejus nobilitatem recolens, ad suam eum jussit magno cum amore duci præsentiam. Itaque cum adductus fuisset, hilari vultu eum serenaque mente contemplari cœpit, et suo supra modum placuit animo. Tunc præsul eum scholæ cantorum ad erudiendum communibus tradidit litteris, et ut mellifluis instrueretur cantilenæ melodiis

480 Insignis idem et solertissimus puer celeriter omne litteralis disciplinæ sumpsit ingenium, ut omnes ipsius præcelleret scholæ puerulos. His optimus auditis pontifex inexplebili replebatur quotidie gaudio pro pueritiæ ejus benignis profectibus. Tunc eum acolythum in sancta constituit Romana Ecclesia. Vicesimo autem pontificatus sui anno cum decessisset officio, Romanæ sacerdotium Stephanus suscepit Ecclesiæ, quem etiam ipse amplo cum cordis diligebat affectu. Et cum eum strenue in divinis Scripturis nobiliter contemplaretur velocem, protinus illi subdiaconatus concessit officium. Parvoque tempore post episcopatus sui administratum regimen, Ecclesiæ gubernacula Paschalis suscepit. A quo idem vir per omnia prudentissimus vita, eruditione, moribusque adornatus tituli beati Silvestri confessoris atque pontificis presbyter consecratur. Qui super omnes misericordia, studio, vigilantia atque omnibus optimis institutionibus claruit. Paschale vero defuncto præsulatus culmen accepit Eugenius. Igitur in pontificio cum tribus perdurasset ipse Eugenius annis, Valentinus sedis ipsius pontifex conse-

Digitized by Google

cratur ; cujus post casum, Ecclesiæ apicem suscepit Gregorius. A quo cum diligentius prædictus vir amaretur, archipresbyterum eum in sancta ordinavit Ecclesia.

481 Qui vero cum per sexdecim solertissime gubernasset Ecclesiam annos ad extrema ductus occubuit. Tunc vero cum proceres et Romanæ urbis optimates, universusque Ecclesiæ populus pro eligendo pontifice in unum coissent, atque alius de alio ut fieri solet in talibus conclamaret, subito per Dei providentiam divino nutu compuncti, de antefati Sergii archipresbyteri religione diligentius confabulari cœperunt, ut omnes conclamarent, quia dignus est pontificatus adipisci regimen. Firmatoque in eumdem virum consilio unusquisque in sua reversus est. Tunc repente diaconus quidam ipsius Ecclesiæ Joannes in tantum amentiæ erupit atque insaniæ, ut persuaso quodam satis imperito et agresti populo collecta turbulentorum et seditiosorum manu in patriarchium Lateranense per vim, fractis januis, bellicis telis ingrederetur, legis et ordinis traditionem transgressus : quo ex facto omnes qui intra patriarchii mœnia aderant stupore et metu repleti sunt. Igitur cum per unius horæ momentum cum eo illa perdurasset, ignobilis populi concio timore correpta, eo relicto nusquam comparuit. Quibus ita gestis omnes Quiritum principes indignati sunt, et communi consilio universi pariter in basilica beati Martini confessoris atque pontificis celeri cursu magnoque equitatu sunt congregati Et eumdem archipresbyterum Sergium in omnibus probatissimum virtutibus virum, de quo superius memoriam fecimus, extrahentes de ecclesia magno cum honore, magnaque populi comitante caterva, amplisque resonantibus laudibus, cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium Lateranense electus, atque perductus est. Eodem vero die tanta nix in urbe effusa est, ut omnibus candidata cerneretur. Quod multi gaudii dicebant, et claritatis esse indicium.

482 Prædictum vero Joannem diaconem de patriarchio magna cum turpitudine hujus Romanæ urbis principes expulerunt, et arctius in claustra sub cautela trudi præceperunt pro eadem tantæ temeritatis impia et dira præsumptione, quam sæpefatus Joannes diaconus ausus est perpetrare. Quem etiam concilio antistitum principes damnare, suoque voluerunt privari honore. Necnon et alii ensibus membratim eum dilaniare, ac interimere voluerunt. Sed hoc fieri benignus et solertissimus Sergius præsul prohibuit, nolens malum pro malo secundum evangelicam cuiquam reddere vocem [a]. Tunc demum exsultantibus omnibus sacerdotibus, proceribus et optimatibus, omnibusque Ecclesiæ populis, idem sanctissimus vir in apostolica beati Petri sacratissima sede ordinatus consecratusque est pontifex.

483 Erat enim origine insignis, fide purus, prædicatione liberior, Deo humilis, hominibus clarus, vultu alacris, mente alacrior, Ecclesiarum gubernator, plebium cultor, pauperum fautor, viduarum tegmen et consolator indigentium, largitor dispersorum, congregatorum conservator : inanium sæculariumque rerum contemptor, solis in sapientiæ divitiis avidus et amator. Hujus sacratissimæ consecrationis cum ad aures invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset imperatoris, Drogonem videlicet Metensis Ecclesiæ archiepiscopum, cum excellentissimo Ludovico filio suo, magno cum Francorum exercitu Romam direxit : cum quibus etiam archiepiscopos pluresque episcopos, abbates et comites proficisci præcepit. Ipsi vero, a quo in oras Bononiæ civitatis cum belligeris suis exercitibus sunt ingressi, tantas cædes tantasque strages in populo peregerunt ut qui per urbes et agros erant tyrannica crudelitate perterriti, relictis propriis locis, per loca abdita et latebras se absconderent. Cum vero hæc per omnem locum singulasque per urbes atque vicos et agros sæva operarentur nequitia, ad pontem pervenerunt Capellæ. Tantaque erat tunc cœli serenitas ut toto in aere nubes aut pluviæ signum quisquam videre non potuisset : subito vero atrarum non modica densitas nubium facta est, nimbosisque procellis et coruscationibus circumdati, quidam de primatibus Drogonis consiliarii fulminis ictu percussi ac interempti sunt.

484 Hoc videntes horribile signum nimio omnes timore Franci correpti sunt. Sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes atroci voluntate ad Urbem velociter properabant. Quorum adventum antedictus beatissimus papa Sergius fieri propius cum cognovisset, in ejus excellentissimi Ludovici regis occursum universos judices ad fere novem milliaria ab hac Romana urbe direxit. Quem cum signis et magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum Urbi pene unius milliarii spatio appropinquasset, universas militiæ scholas una cum patronis direxit. Dignas nobilissimo regi laudes omnes canentes, aliosque militiæ doctissimos Græcos imperatorias laudes decantantes, cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum regem gloriose susceperunt. Obviam illi ejus sanctitas dirigens venerandas cruces, item signa, sicut mos est imperatorem aut regem suscipere, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero Ludovicus rex, qua hora sibi sacratissimas cruces ac signa obviam advenisse conspexit, alacris factus valde lætatus est. Tunc suo universo cum populo, omnibus Romanis judicibus et scholis antecedentibus, ad beatum Petrum studuit properare. Quem antedictus

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Rom.* XII.

Digitized by Google

almificus pontifex in gradibus ipsius apostolicæ aulæ eumdem regem in pso die Dominico post Pentecostem suo cum clero exspectavit. Conjungente vero eodem rege, universoque gradus ejusdem sacratissimæ beati Petri ecclesiæ ascendente, ad prænominatum propinquavit pontificem, ubi in atrio super gradus juxta fores ecclesiæ cum universo clero et populo Romano assistebat. Tunc mutuo se amplectentes tenuit idem Ludovicus rex dexteram antedicti pontificis, et in interius ingressi atrium ad portas pervenerunt argenteas. In quo atrio unus de exercitibus a dæmonio arreptus in conspectu Francorum omnium valde vexatus est. Tunc almificus præsul claudi faciens omnes januas beati Petri, atque serari præcepit, et regi sancto Spiritu admonente sic dixit : Si pura mente et sincera voluntate, et pro salute reipublicæ ac totius orbis, hujusque ecclesiæ huc advenisti, has mea ingredere januas jussione : sin aliter nec per me, nec per meam concessionem istæ tibi portæ aperientur.

485 Statim rex ille respondens dixit, quod nullo maligno animo aut aliqua pravitate vel malo ingenio advenisset. Tunc eodem præsule præcipiente appositis manibus prædictas januas patefecerunt. Et ita in eamdem venerandam aulam beati Petri ingressi sunt; laudem Deo et ejusdem excellentiæ decantantes universus clerus et cuncti religiosi Dei famuli, extensaque voce acclamantes : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, etc. Sicque cum eodem pontifice ipse rex simulque omnes episcopi, abbates et judices, et universi Franci qui cum eo advenerant, ad confessionem beati Petri appropinquantes, seseque pronos ibidem prosternentes Deo nostro omnipotenti et eidem apostolorum Principi gratias reddiderunt. Et data a prædicto almo pontifice super populum oratione, ab ecclesia pariter omnes regressi sunt. Postea vero continuis diebus sequentibus omnia suburbana pestifera devastatione compresserunt, agrosque et segetes, atque prata quasi fulmineus impetus decerpserunt. Dum hæc gerebantur, ipse vero a Deo protectus pontifex a quibusdam audierat quod in hanc famosissimam Urbem hospitalitatis causa introire voluissent, sed munitis clausisque portis ut fieret minime concessit.

486 Dominico vero die sequente in eadem principis apostolorum basilica omnes archiepiscopi et sancti abbates, et omnes qui cum eo venerant Franci sunt congregati, omnesque pariter Romanorum nobiles et præclari. Tunc almificus pontifex manibus suis ipsum Ludovicum, Lotharii imperatoris filium, oleo sancto perungens, regali ac pretiosissima coronavit corona, regemque Longobardis præfecit ; cui regalem tribuens gladium, illum subcingere jussit. Deinde missarum celebratione finita, ab ecclesia omnes cum rege lætantes regressi sunt. Deinceps vero per dies singulos conflictum summi certaminis cum sanctissimo præsule omnibusque episcopis et optimatibus nostris atque proceribus ipse Drogo archiepiscopus Metensis Ecclesiæ, de quo superius memoriam fecimus, commovebat tam ipse quam omnes archiepiscopi et episcopi qui cum eo contra hanc universalem et caput cunctarum Ecclesiarum Dei sine metropolitani concessione atque vocatione convenerant ; id est Gregorius archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis, et Angelbertus archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis, Joseph episcopus Ecclesiæ Eporediensis, Aginus episcopus Ecclesiæ Veronensis, Almaricus Ecclesiæ Camensis episcopus, Hortchaudus Ecclesiæ Vercellensis, Sigifridus episcopus Ecclesiæ Regiensis, Toringarius episcopus Ecclesiæ Concordiensis, Odelvertus episcopus Ecclesiæ Aquensis, Ambrosius episcopus Ecclesiæ Lucensis, Joannes episcopus Ecclesiæ Pisensis, Petrus episcopus Ecclesiæ Vollaterrensis, Gausprandus episcopus Ecclesiæ Pistoriensis, Cantio episcopus Ecclesiæ Senensis, Lupus episcopus Ecclesiæ Textinæ, Sisismundus episcopus Ecclesiæ Aprutiensis, Pico episcopus Ecclesiæ Scolanensis, Fratellus episcopus Ecclesiæ Camerinensis, Gisus episcopus Ecclesiæ Firmanæ, Racipertus episcopus Ecclesiæ Nucerinensis, Amadeus episcopus Pinnensis, Donatus episcopus Ecclesiæ Fesolanæ, et cæteri. Cum quibus etiam Boso comes, Adalgisus comes, Joannes comes, Vuldo comes, Vernardus comes, Wifridus comes, atque Maurinus comes, et cæteri pariter contendebant.

487 Sed divina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantaque ei superna aderat virtus, ut nullus sermone eum concludere vel constringere potuisset. Et ab eo superati pudore et operti confusione discesserunt. Quod videntes, omnem iram atque ferocitatem quam in mentibus observabant, omni modo deposuerunt. His igitur peractis a prædicto postulaverunt pontifice, ut omnes primates Romani fidelitatem ipsi Ludovico regi per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis : Quia, si vultis Domino Lothario magno imperatori hoc sacramentum ut faciant solummodo, consentio atque permitto. Nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego nec omnis Romanorum nobilitas consentit.

488 Tunc demum in eadem ecclesia sedentes pariter tam beatissimus pontifex, quam magnus rex, et omnes archiepiscopi atque episcopi, stantibus reliquis sacerdotibus et Romanorum ac Francorum optimatibus, fidelitatem Lothario magno imperatori semper Augusto promiserunt. Post hæc vero Ebbo quidam et Bartholomæus archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore ab Ecclesia fuerant expulsi, a sanctissimo pontifice postulabant ut eos reconciliare ac pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem præsul nec communionem inter clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent. Per idem tempus cum rex ipse Ludovicus Romæ degeret, Siginolfus, Beneventanorum princeps, magno cum exercitu Romam ve-

Digitized by Google

nit [a]. Quem cum prædictus rex honorifice suscepisset, omnia pro quibus venerat ipsi indicavit. Cui rex gratanti animo quidquid quæsierat tribuit atque concessit. Et cum simul Franci, Longobardi ac Beneventani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, ita ut ex omni parte Roma circumdata videretur : quorum multitudine omnia sata deleta sunt. Ipse vero Siginolfus ardenti pectore præcipuum desiderabat videre pontificem, et ab eo benedictionem recipere. Quem præsul cum suscepisset, solo prostratus pretiosos ipsius pedes humiliter osculatus est, et ab eo benedictione suscepta ab ejus conspectu alacriter Deo gratias referens regressus est.

489 His omnibus finitis, ipse excellentissimus rex Ludovicus ampla cum lætitia Papiam reversus est, ubi ab exordio principatus sui culmen regebat. Tunc vero læti omnes cum conjugibus ac liberis, senatus populusque Romanus tam ingenti peste liberati, et a jugo tyrannicæ immanitatis redempti, sanctissimum Sergium præsulem velut salutis auctorem ac restitutorem pacis venerabantur. Ille tamen non suæ virtuti rem gestam, sed divino muneri deputabat. Jam quia lingua cuncta quæ gessit per ordinem explicare non prævalet, transeamus ad ea quæ in sanctis locis obtulit, et breviter enarrare inchoemus. In primo quidem pontificatus sui exordio superno amore exardescens in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, miræ pulchritudinis opus explevit. Nam ambitum sacri altaris, qui strictim in ea fuerat olim constructus, largiorem proprio digito designans a fundamentis perfecit pulchrisque columnis cum marmoribus desuper in gyro sculptis splendide decoravit. Ubi nunc sacra plebs in administrationem sacri larguer consistit officii. Quo expleto, ipse almificus pontifex pro decore atque ornatu hujus præclari operis in eadem basilica obtulit vela alba holoserica viginti ornata in circuitu de fundato. Similiter et alia de fundato valde optima viginti ornata in circuitu de blatthin. Ubi etiam confessionem mirificam Christo cooperante construxit, et argenteis tabulis auroque perfusis fulgide compsit, quam propriis manibus consecrans, in ea reliquias posuit. Et aliud quidem opus ante fores hujus venerandæ basilicæ valde optimum peregit : quia sacra pridem, quæ latebant populis, limina summo studio omnibus manifesta constituit, cum pulchre decoros ibidem arcus a fundamentis construeret, quos etiam variis picturis nitide decoravit.

490 Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex pro remedio et mitura animæ suæ retributione cameram præsepii Domini nostri Jesu Christi, quod basilicæ beatæ Dei Genitricis dominæ nostræ connectitur, quæ Major ab omnibus nuncupatur, argenteis tabulis ac deauratis, habentibus historiam beatæ Dei Genitricis Mariæ, magnifice atque præcipue perornavit : quod nullus pontificum per tot annorum curricula ad tanti decoris speciem perducere arbitratus est. Hic vero præsul, cum de omnibus ecclesiis sollicite curam gereret, etiam basilicam sancti Archangeli, quæ in cacumine Fajani [b] montis est constituta, largiorem quam pridem fuerat a fundamentis perfecit, ac radiantibus picturis luculente pingi jussit, ac sarcta tecta ejus noviter restauravit. Ubi et obtulit vestes de imizilo quatuor, similiter et vela quatuor. Ipse vero almificus et beatissimus papa scholam cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, cum præ nimia vetustate pene in ruinam posita atque confracta videretur, Dei annuente clementia, a fundamentis in meliorem ut olim fuerat statum noviter restauravit. Nam et basilicam beati Romani martyris, quæ non longe ab Urbe foris porta Salaria sita est, a fundamentis perfecit, quam etiam titulo sanctorum Silvestri et Martini parochiam esse decrevit. Fecit autem et basilicam sancti Theodori martyris, quæ in Coranis videtur finibus posita milliario ab urbe Roma trigesimo, quam etiam splendide picturis fulgentibus decoravit.

491 Fecit autem in basilica beati Petri apostoli vestem de chrysoclavo, habentem in medio Salvatoris effigiem, et dextra lævaque ejus omnium sanctorum apostolorum rutilantes figuras, quam etiam pretiosissimis gemmis prasinis et hyacinthinis perornavit. Igitur summopere consummatus ipse a Deo protectus et beatissimus papa, pia devotione sollicitus pro desiderabili dilectione sanctorum Silvestri et Martini ecclesiam, quæ sancto eorum fuerat nomini consecrata, quam ab exordio sacerdotii sui usquequo ad pontificatus culmen deductus est strenue gubernavit, et per olitana tempora defecta vetustate marcuerat ruinisque confracta diu antiquitus lacerata manebat, Dei annuente clementia, in meliorem pulchrioremque statum a fundamentis perfecit. Absidam quoque ipsius aureis musivo perfuso coloribus ingenti amore depinxit. Et ad honorem omnipotentis Dei, ejusdemque beatissimi Silvestri præsulis, corpus cum beatissimo Fabiano atque Stephano, et Sotere martyribus ac pontificibus, simulque Asterio martyre cum sacratissima filia ejus, sanctoque Cyriaco et Mauro, Largo et Smaragdo, atque Anastasio et Innocentio pontificibus, una cum sancto Quirino ac Leone episcopis, pariter Arthemio, Nicandro, Crescentiano martyribus, cum quibus beata Solere atque Paulina, necnon Memmia, Juliana et Quirilla, Theopiste, Sophia virginibus atque martyribus, et beata Quiriaca vidua, cum aliis multis quorum nomina Deo soli sunt cognita, utrosque sub sacro altari dedicans collocavit.

492 His igitur magnifice peractis, gratanti animo meoteque sollicita obtulit in eadem ecclesia perenniter hæc permanenda : Regnum aureum valde pretiosissimum cum gemmis prasinis, hyacin-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Platina in Sergio.* [b] *Forte* Gargani.

Digitized by Google

thinis et albis, quod nunc usque super altare cernitur pendens, habens in medio crucem de auro purissimo cum gemmis similiter pretiosis. Item gabathas ex argento purissimo auroque perfusas quatuor, pendentes ante vestibulum sacri altaris, atque gabathas interrasiles deauratis cum bullis duabus: crucem auream cum gemmis valde optimis duabus : et aliam similiter crucem de argento unam. Obtulit in eadem basilica thymiamateria aureo superinducta colore tria, patenas de argento purissimo, ac deauratas duas. Colatorium de argento, quo in sacro utitur officio, deauratum unum. Regnum de argento cum tintinnabulis, habens in medio crucem cum palumba, unum. Hic beatissimus papa superno amore exardescens obtulit ubi supra aquæmanilia de argento paria tria. Item sextaria de argento duo : coronas majores de argento quatuor cum delphinis, pensantes libras..... calices de argento majores pariter ac deauratos duos : patenam de argento majorem auroque perfusam, habentem in medio effigiem Domini nostri Jesu Christi : cerostata desuper argentata paria tria : canistra de argento tria : patenam cum calice deaurato uno : scyphum argenteum unum, pensan. libras..... Obtulit vero ad honorem ipsius venerandæ basilicæ cantaros de aurichalco duodecim : rugas similiter de aurichalco paria sex. Fecit autem hic præclarus ad gloriam atque honorem sanctorum confessorum, de quibus superius mentionem fecimus, ciborium ex argento purissimo, pensan. libras.....

493 Nam et confessionem sacri altaris argenteis tabulis, auroque perfusis, pensan. libras..... magnificeque ornavit, ut per sacras eorum intercessiones ætherei regni gaudia possideret. Hic misericordissimus et benignissimus antistes obtulit ubi supra imagines de argento auroque perfusas tres : quarum una habens effigiem Domini nostri Jesu Christi; aliæ vero duæ sanctorum Silvestri et Martini, sedentium super vestibulum sacri altaris. Obtulit vero in jam superius dicta basilica vestem de chrysoclavo, habentem historiam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, cum gemmis prasinis, hyacinthinis et albis. Fecit etiam et aliam vestem de fundato valde pretiosissimam cum chrysoclavo, habentem in medio effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, dextra lævaque ejus effigies sanctorum Silvestri ac Martini. Similiter cum gemmis prasinis, hyacinthinis et albis. Imo vero obtulit sanctissimus præsul cortinas Alexandrinas pretiosissimo opere contextas tres. Vela de fundato, ornata in circuitu de blatthin, quæ pendent in arcu ipsius basilicæ viginti quatuor. Vela alia de fundato cum periclysi de blatthin quindecim. Vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare, quatuor : unum ex eis habens in medio crucem et gammadias de chrysoclavo, et alia ornata in circuitu de blatthin. Hic insignis et beatissimus papa, divina inspiratione protectus, juxta latus ipsius basilicæ ad laudem Creatoris monasterium in honorem beati Petri ac Pauli apostoli, Sergii et Bacchii, sanctique Silvestri et Martini a fundamentis construxit. In quo monachorum Deo servientium congregationem pro quotidianis laudibus in prædicta ecclesia die noctuque Domino Deo nostro deprecantem constituit. Qui beatissimus pontifex, postquam sedem Romanam et apostolicam annis tribus gloriosissime rexit, hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit autem ordinationem unam in mense Martio, presbyteros octo, diaconos tres, episcopos per diversa loca numero viginti et tres. Sepultus vero est in basilica beati Petri apostoli.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 480, *lin* 5, strenue.
Num 483, *lin* 8, teligeris.
Num 484, *lin* 10, cruces, id est signa.
Num 486, *lin* 12, Ecclesiæ Cumensis. *lin* 14, Adelbertus.
Num 489, *lin* 2, culmen incepit.
Num 490, *lin* 12, portam Salariam.
Num 493, *lin ult* apostoli, et cessavit episcopatus ejus menses, 2, dies 15.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 479, *lin* 1, hic cum ill. a. m. f. *lin* 3, vel. vid. p. *lin* 3, posset. Qui relictus a. m. *ut lin* 7, atque patre in æde fratris commorabatur. Audiens itaque sanctissimus Leo papa tertius, qui tunc temporis monarchiam regebat apostolicam, eum scholæ cantorum tradidit. Mortuo itaque pontifice, suscepit eum Stephanus atque subdiaconem eum ordinavit, et ita ad summum sacerdotii per Paschalem pervenit apicem. Post Paschalem Eugenius, post Eugenium Valentinus, post Valentinum Gregorius. Igitur mortuo Gregorio, eligitur beatissimus Sergius ab omnibus sacerdotibus atque proceribus. Hujus sacratissimæ consecrationis cum ad aures invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset, *ut num* 483, *lin* 5.

A *Num* 483, *lin* 6, Eccl episcopum cum exc. *ibid.*, magnoque, *lin* 7, archiep abbates, et com prof jussit. Ipsi vero ex quo in oras Bononiæ civitatis cum belligeris, *lin* 11, sceva op. neque. *lin* 12, in toto aere. *lin* 15, perc int sunt.

Num 484, *lin* 3, excell reg Lud occ. *lin* 7, canentes cum dulciss. *lin* 8, glorifice susc obviam illi c. *lin* 10, suscipere ita eum. *lin* 11, tunc suo cum universo populo, om. r. *lin* 15, beati Petri apost. eccles. *lin* 17, tenuit antedictus rex Ludovicus d. præfati p. et interius ing *lin* 18, in consp omn Franc v. *lin* 20, Petri regi Spiritui sancto ammon. *lin* 22, sin aliter, nec p. m. nec pr. m. jussionem.

Num 485, *lin* 1, vel maligno ing ad. lin. 2 oppositis m. *lin* 4, extensa voce. *lin* 5, simulque et omnes. *lin* 6, seseqn proni. *lin* 7, pr. Domino n. *ibid* redd gr. *lin* 8, egressi sunt. *lin* 10, agros quoque, et seg ac prata. *ibid.*, dum hoc gerebatur, ipse a Deo prot *lin* 11, formosiss v.

B *Num* 486, *lin* 1, Dominico die s. sb. archiepiscopi, episcopi abbates. *lin* 4, Longobardorum. *lin* 5, illeque succingere j. *lin* 6, deinde vero per sing d. et consl. s. c. archiepiscopi, atque episcopi stantibus, reliquis sacerdotibus, et Romanorum, et Francorum optimatibus fidelitatem Lothario magno imperatori s. *ut num* 488, *lin* 3.

Num 488, *lin* 3, post vero [*M.*. post hoc vero]

Digitized by Google

lin 4, privati honore *lin* 6 *et* 7, nec inter clerum dignos esse comm. suscip. dicebat, sed inter communionem vulgi licentiam haberent communicandi tantummodo. Per idem tempus. *lin* 8, cum mag exerc. *lin* 13, accipere.

Num 489, *lin* 2, sui princip. *lin* 4 *et* 5, venerabantur. Ipse itaque beatiss pontifex ecclesiis quamplurimis innumerabilia contulit dona. Ecclesiam denique sanctorum Silvestri et Martini, quæ vetustate emarcuerat, a novo refecit. Atque ibi cum corporibus sanctorum pontificum Silvestri et Martini multa alia recondidit, videlicet Fabianum atque Stephanum, et Soterum martyres et pontifices, simulque Asterium martyrem, cum sacratissima filia ejus, sanctoque Cyriaco, Largo et Mauro, atque Smaragdo, atque Anastasio, et Innocentio pontificibus, cum sancto Quirino ac Leone episcopis, *ut num* 491, *lin* 12.

Num 491, *lin* 12, Arthemio, Sisiano, Pollione, Theodoro, Nicandro, Crescentiano martyribus, cum quibus beata S. at. P. necnon et Memmia. *lin* 14, Sop. virgine, et beata Quiriace vidua. *lin* 15, cognita, et ibi multa obtulit dona post consecrationem ipsius ecclesiæ. Hic vero insignis, et beatissimus papa, *ut num* 493, *lin* 14.

Num 493, *lin* 14, juxta ipsius latus bas. *lin* 15, in honorem. *ibid.* et P., Bacchi. *lin* 16, in quo monasterio mon. [*M.*, in quo Monach.] *ibid.* congregat quotidianis laudibus.

Ex codice Thuano altero.

Num 479, *lin* 1, inlustri. *lin* 3, quisquis aud aut vid. non poterat. *lin* 5, mat ingeniis. *lin* 8, æde fratribus. *ibid.*, regebat, *lin* 9, benignus atque. *lin* 10, ad suam jussit.

Num 480, *lin* 1, litterarum. *lin* 2, his auditis opt pont. *lin* 6, contemplaret. *lin* 10, Paschali.

Num 481, *lin* 4, confabulate c. *lin* 8, ult in patr per vim. *lin* 11, pop contentio. *lin* 12, dedignati sunt.

Num 482, *lin* 2, et arctius cl. sub cant trudere pr. *lin* 4, suoque maluerunt p. h. necnon alii.

Num 483, *lin* 3, viduarum tegmen et consolator, indigentium largitor, dispersorum congregator, congregatorum conservator, et mox: solis sap. *lin* 4, ipsi, et mox solis sap. *lin* 8, ipsi et mod. teligeris suis. *lin* 10, propriis rebus locis. *lin* 12, ad fontem.

Num 484, *lin* 8, laudium v. i. r. glorifice s. *lin* 9, id est signa *male*. *lin* 21, has mea ing jussu jan.

Num 485, *lin* 1, illi resp. *lin* 6, seseque proni. *lin* 10, ipse a Deo prot præd. p.

Num 486, *lin* 1, archiep episcopi et abbat omnisque, qui cum eo v. *lin* 4, perunguens. *ibid.* Longobardorum. *lin* 5, illi subc j. *lin* 7, et omnibus opt. *lin* 10, Georgius. *lin* 12, Vergomensis Amalricus. *lin* 14, Odelb. *lin* 16, Teatinæ. *lin* 19, Eccl Pin. *lin* 20, Bern.

Num 487, *lin* 3, et ab eodem sup. *lin* 4, h. i. perfectis. *lin* 6, prud præsul.

Num 488, *lin* 6, communem inter clericos. *lin* 8, Siconolfus. *lin* 12, quorum amplitudine. *ibid*, Siconolfus. *lin* 13, accipere. *lin* 14, osculavit.

Num 489, *lin* 4, venerabant. *lin* 8, C. nuncupatur. *lin* 11, in administratione. *lin* 12, per circuitum *sic etiam lin* 13. *lin* 15, composuit. *lin* 16, ante fores venerandæ ecclesiæ valde optimum fecit.

Num 490, *lin* 3, storiam Dominicæ incarnationis, atque nativitatis beatæ d. *lin* 5, arbitravit. *lin* 6, Fagani m. *lin* 8, pingere j. *ibid.*, de imizino. *lin* 13, fecit autem et basilicam sancti Theodori.

Num 491, *lin* 4, pia devot sanctorum Silv. *lin* 12, Arthemio, Sisiano, Pollione, Theodoro, Merando, Crescent. *lin* 14, Teopiste. *ibid*, Ciriaca.

Num 492, *lin* 5, deauratas. *lin* 6, cruces aureas. *lin* 7, obtulit autem. *lin* 8, de arg mundissimo. *lin* 11 *et* 12, calices de arg pur ac d. *lin* 12, auro perf. *lin* 14, pat c. c. de arg 1. *lin* 15, canistros de auric. *lin* 16, fecit autem præclarus et venerabilis præsul ad gl.

Num 493, *lin* 1, magnifice perornavit. *lin* 3, auro perf. *lin* 5, in jam sæpius dicta. *lin* 7, fecit et aliam. *lin* 13, de blatta. *lin* 14, hic vero in s. *lin* 21, apostoli; et cessavit episcopatus ejus mens 2, dies 15.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 479, *lin* 5, maternis ingeniis. *lin* 6, concessit auxil. *lin* 7, caruerat, parentum suis morabatur in ede fratribus.

Num 480, *lin* 6, contemplare velocem.

Num 481, *lin* 8, in patriarchium per vim.

Num 482, *lin* 4, suoque maluerunt.

Num 484, *lin* 8, glorifice.

Num 486, *lin* 4, regemque Longobardorum p. cui reg tr. gladium illic sub. *lin* 12, Aginus episcopus Ecclesiæ Vergonensis.

Num 487, *lin* 6, prudentissimus præsul.

Num 488, *lin* 5, reconciliare dignaretur. *lin* 8, Siconolfus. *lin* 12, q. amplitudine omnia.

Num 489, *lin* 2, culmen. Tunc. *lin* 16, venerandæ ecclesiæ.

Num 490, *lin* 3, habentibus storiam Dominicæ incarnationis, atque nativitatis beatæ D. Genetr.

Num 493, *lin* 12, periclisin de blatta.

CV. SANCTUS LEO IV.

ANNO CHRISTI 847, LOTHARII 8, IMPER. MICH. 3-6.

494 Leo quartus, natione Romanus, ex patre Radoaldo[a], sedit annos octo, menses tres, dies quinque. Hic adeo catholicus atque apostolicus vir multæ patientiæ multæque humilitatis exstitit, largus, pius, innocens sive benignus, amator justitiæ et plebis ferventissimus gubernator, divinarum quoque Scripturarum indeficiens perscrutator, vigiliis et orationibus semper intentus. In cujus etiam beatissimo pectore, juxta illud quod in sancto Evangelio legitur, et serpentis astutia, et simplicitas inhabitabat columbæ[b]. Erat enim totius sactitatis decore repletus, amator enim religiosorum hominum, Deoque in omnibus assidue famulantium, nutritor pauperum, et contemptor sui. Hic primum a parentibus ob studia litterarum in monasterium beati Martini confessoris Christi, quod foris muros hujus civitatis Romanæ juxta Ecclesiam beati Petri apostoli situm est, quousque sacras litteras plenius disceret, sponte concessit. Ubi non solum litteras didicit, verum etiam in studio sanctæ conversationis, ubi non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus monachus mansit. Cujus etiam piæ conversationis exemplo alii sub eodem monachico degentes ritu omnipotenti Domino plus devote serviebant. Eratque cum illis quasi unus ex illis, et quoniam civitas supra montem posita abscondi non po-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Plat.*, Radulpho. [b] *Matth.* x

Digitized by Google

test[a], sic neque hujus rumor sanctissimi viri diu occultus existere potuit. Fama illius, sive sanctitatis opinio, huc illuc luce clarius divulgata est, atque multorum relatione fidelium ad aures pontificalis quondam beatissimi Patris et papæ Gregorii mox festino relatu occurrit, cui cum tantæ fuisset castitatis dignæque conversationis magisterium enarratum, illico eum ex monasterio quo pie degebat exire jubens ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium perduxit, atque ut in suo semper servitio familiariter permaneret, in Lateranensi patriarchio esse præcepit.

495 Subdiaconum quoque eum ob suæ famam vitæ laudabilis fecit. Qui tamen quamvis locum mutaret, vel ordinem, tamen vitam moresque suos plus quam prius in summi Creatoris nostri servitio regulariter constrinxit, bonisque multiplicavit operibus. Defuncto autem hujus sacratissimæ sedis papa Gregorio, tunc Sergius archipresbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsul effectus, hunc, de quo superius nonnulla retulimus, Leonem videlicet beatissimum papam, presbyterum consecravit, eique titulum sanctorum quatuor Coronatorum largitus est. In quo dum bonis polleret moribus, ibique indigentibus necessaria ministraret, peregrinos ac pauperes, minusque habentes non solum verbo, imo etiam corporalibus alimoniis refoveret, is qui tunc præerat Sergius Romanæ sedis antistes ex præsenti vita subtractus est, sub cujus etiam tempore ecclesiæ beatissimorum principum Petri et Pauli a Saracenis funditus deprædatæ sunt.

496 Quia igitur calamitate sive miseria omnis Romanorum vigor elanguit, atque contritus est hoc facto, universa concio Romanorum ex duobus casibus vel periculis, videlicet de repentina morte pontificis, et devastatione quæ facta fuerat in ecclesiis sanctis, cunctorumque finibus Romanorum, fatebatur se nullatenus evadere mortis periculum posse. Cumque pari devotione communique consilio universi Romani proceres de futuro cogitarent pontifice, ut quis esset qui tam sanctum et inviolabilem locum cum omnipotentis Dei timore regere vel gubernare potuisset, confestim fama beatissimi præsulis, simul et meritum, ab omnibus patefacta est, totamque per urbem diffusa : necdum enim is qui obierat pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus.

497 Et ecce omnes a novissimo usque ad primum una voce, una simulque concordia Leonem venerabilem presbyterum sibi futurum pontificem flagitabant. Et quod nullum super se alium habere vellent præsulem, nisi hunc de quo crebro dictum est, multis conjurationibus ac vocibus fatebantur. Quorum incunctanter omnium credimus corda ad hunc expetendum non aliud, nisi amor divinus, et divinæ virtutis inflammavit et univit clementia. Tunc omnes, ut superius adnotatum est, pergentes cum gaudio multæque aviditatis lætitia ad ecclesiam, in qua degebat, beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum invitumque exinde abstrahentes cum hymnis laudibusque præcipuis ad Lateranense patriarchium perduxerunt : qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes. Quanta autem in ejus pontificali electione concordia vel unanimitas fuerit, nullus breviter enarrare hominum potest. Quid autem electionis suæ tempore apostolorum suffragiis, suisque sanctis intervenientibus precibus de Saracenis illis, qui tam nefarium scelus commiserunt, divina virtus peregerit, hoc inconveniens aut reprehensibile non est sive ob futurorum sive timorem sive memoriam, præsentibus litteris adnotare. Omnes enim cum vellent, iniquitatis ac deprædationis scelere perpetrato, ad Africanam qua venerant regionem revertere[b], vasto maris pelago vi ventorum procellarumque, sicut certa relatione cognovimus, Deo permittente, demersi sunt, antiquumque illud Ægyptiorum miraculum ecce noviter apostolorum meruit oratio obtinere. Romani quoque, ut diximus, novi electione pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter constritari, eo quod sine imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare pontificem, periculumque Romanæ urbis maxime metuebant, ne iterum ut olim aliis ab hostibus fuisset obsessa. Hoc timore et futuro casu perterriti, eum sine permissu principis præsulem consecraverunt, fidem quoque illius sive honorem post Deum per omnia et in omnibus conservantes.

498 Jam quia humanus existimare non sufficit arbiter, nec os referre prævalet, quantæ bonitatis ac pietatis hic beatissimus exstitit pontifex, redeamus ad ea quæ fretus Dei amore sanctorum ecclesiis obtulit, et a primo pontificatus sui exordio enarremus. Hic vero insignis et præclarus antistes superno amore exardescens obtulit in basilica beati Petri apostoli coronam ex argento purissimo unam, pensantem libras viginti et quatuor ; gabathas interrasiles duas, pensan. libras duas ; vela septem., duo quidem de fundato, et alia duo de stauraci, et tria de spanisco. Obtulit vero ibidem ad splendorem et gloriam ipsius venerandæ basilicæ cortinam Alexandrinam miræ pulchritudinis unam, habentem historiam pavonum portantium desuper homines, et aliam historiam aquilarum rotarumque, et avium cum arboribus. Ipse vero egregius et prudentissimus papa obtulit in basilica sanctorum quatuor Coronatorum, in qua sacerdotii sui solertissime functus est officium, canistra de argento purissimo tria, pensan libras..... Aquamanile similiter de argento mundissimo par unum, canthara cum thymiamaterio, id est, pensan. libras..... Vela de fundato, quæ ad nitorem ipsius in arcu videntur ecclesiæ

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Matth.* v. [b] Reverti.

Digitized by Google

pendere, duodecim. Item vela serica alba triginta et quatuor. Fecit vero in eadem basilica ad splendorem sacri altaris vestem holosericam, habentem periclysin de chrysoclavo. Et aliam vestem albam cum rosis, habentem rotas septem, et in medio tabulam de chrysoclavo, cum effigie hominis gerentis in capite gemmas prasinas quinque. Item vestem albam de chrysoclavo cum rotis sex. Fecit autem in jam dicta basilica ad honorem et gloriam sacri altaris vela habentia cruces et gammadias de chrysoclavo et gemmis ac bullis aureis 33. Velum acupictile, habens hominis effigiem sedentis super pavonem unum. Item vela, habentia historiam sanctæ Dei Genitricis, tria. Item vela alia fundata quatuordecim, et alia cum veste de blatthin duo.

499 Ipse quidem eximius et beatissimus papa fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico qui nuncupatur Sardorum, vestem de fundato, habentem historiam sanctæ Dei Genitricis de chrysoclavo cum prophetis. Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus papa sedilia in ingressu marmoribus patriarchii construxit, quæ nullus pontificum ut perficeret arbitratus est. Nam et solarium, quod beatæ memoriæ Leo tertius papa construxerat, cum præ nimia vetustate fractis trabibus in ruinis cerneretur eversum, noviter pulchrius in meliorem speciem restauravit. Hic quidem insignis et pius antistes in basilica beati Pauli apostoli superno fretus amore vespertinas publice a cuncto clero et schola constituit die natalis ejus psalli laudes. Hujus beati tempore præsulis terræmotus in urbe Roma per indictionem factus est decimam, ita ut omnia elementa concussa viderentur ab omnibus. Ipse jam sæpefatus et solertissimus pontifex secundum antiquam consuetudinem canonica auctoritate decrevit atque constituit, ut dum sacra missarum solemnia in ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare vel sedere aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs quæ in administratione sacri officii constituta videtur.

500 Ipse quidem beatissimus pontifex post cædem et deprædationem sævæ gentis Agarenorum, quam in sanctorum Apostolorum ecclesiis peregerunt, ad restaurationem ipsarum quotidie animum prætendebat, quatenus omnia quæ ab impiis manibus ablata fuerant repararet, sperans æternæ futuræ retributionis mercedem. Quamobrem obtulit in basilica beati Petri apostoli buttonem de argento purissimo cum gabathis argenteis pendentibus in catenulis septem. Fecit autem ad illuminationem ipsius basilicæ rete ahenum, cum canistris argenteis decem et septem. Nam et pharum miræ magnitudinis ad splendorem et gloriam sæpius memoratæ ecclesiæ reparavit; in qua etiam obtulit coronam de argento mundissimo, pensan. libras..... Vela de fundato, quæ in ambitu sacri altaris pulchriora pendent, viginti quinque. Item vela leonum habentia historias, quæ ante vestibulum sacræ Confessionis cernuntur pendere decem. Et alia vela de fundato, quæ inter columnas ipsius venerandæ basilicæ dextra lævaque coruscant, quadraginta et sex. Item vela de fundato, qua in arcu ad ornatum et decorationem presbyterii pendent, triginta et tria. Verumtamen et alia vela de fundato, quæ in diversis ejusdem basilicæ locis ipse almificus papa constituit pendere, decem octo. Et alia item vela, quæ ante januas sacræ basilicæ pendent, quatuor.

501 Hic vero insignis et prudentissimus præsul superno fretus amore fecit in basilica sanctorum martyrum quatuor Coronatorum vestem de chrysoclavo, habentem historiam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, atque effigies prædictorum martyrum et ipsius almifici præsulis : hujus enim præfati almifici præsulis animus tanto divino fulgebat amore, ut ea quæ pridem ex beati Petri apostoli ecclesia ab impiis manibus innumerabilia fuerant bona ablata suo præcipuo tempore libente voluerit pectore omnia noviter restaurare. Idcirco ad decus et honorem ipsius prædictæ ecclesiæ fecit coronas ex argento purissimo miro compositas opere duas pendentes in catenulis argenteis, cum gemmis et bullis deauratis, pensan. una libras centum triginta et duas, et alia centum et triginta, habentes ima clamacterios argenteos subter pendentes triginta et septem; et aliam simili modo habentem quadraginta. Et quia divino semper erat munere perornatus, dignamque de omnibus curam et sollicitudinem habere studebat feliciter, fecit in oratorio sancti Andreæ apostoli ad sanctum Petrum vela majora de fundato duo, et alia minora quinque ornata in circuitu de blatthin.

502 Ipse vero a Deo protectus venerabili et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Anastasii pro æterna animæ suæ redemptione vestem sericam de fundato unam, habentem historiam aquilarum. Similiter et vela de fundato duo, compta in circuitu de blatthin. Simili modo fecit in monasterio sanctæ Praxedis vestem de fundato unam. Hic quoque prædictus præsul a die qua divina fretus potentia sacram apostoli Petri sedem omni benignitate conscendit, mox de priscis vel antiquis sacri palatii usibus, atque ordinibus, qui sub prædecessorum suorum pontificum tempora erupti, atque diversa consuetudine fuerant deleti, ideo ad suæ memoriam sanctitatis universos reducere, vel in meliorem statum quam nuper fuerant omnia libenti animo ordinare avide conatus est. Nam et accubitum, quod domnus Leo bonæ memoriæ tertius papa a fundamentis construxerat, et omnia ornamenta quæ ibi paraverat, præ nimia vetustate et oblivione antecessorum pontificum deleta sunt; et in die Natalis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, tam domnus Gregorius quam et domnus Sergius sanctæ recordationis ibidem minime epulabantur : isdem vero beatissimus et summus præsul Leo quartus cum

Digitized by Google

gaudio et nimia delectatione omnia ornamenta, sive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, et ad usum pristinum magnifice revocavit. Necnon et crucem ex auro purissimo, gemmis ornatam, quam Carolus piæ memoriæ imperator Francorum et Romanorum in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur, temporibus domni Leonis sanctæ recordationis tertii papæ obtulerat, quæ mos erat et in litaniis ante sacratissimum pontificem ipsa præcederet, et sic permansit usque ad tempus sanctæ recordationis domni Paschalis papæ, unde diabolica suggestione atque instigatione a malis extorta est, et a latronibus nocte furtim ablata; et nullus deinceps prædecessorum pontificum, tam domnus Paschalis quam domnus Eugenius, sive domnus Valentinus, sive domnus Gregorius, necnon et domnus Sergius recordatus fuit ut eam restauraret et ad usum sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ repararet [a]: sed isdem præfatus et magnificus præsul fecit ex auro purissimo, et miræ magnitudinis margaritis et gemmis hyacinthinis et prasinis utiliter ornavit, et ad usum pristinum sanctæ Dei Genitricis Romanæ Ecclesiæ mirifice decoravit.

503 Hic vero præcipuus et insignis præsul divinarum Scripturarum in scientia et eruditione probatissimus exstitit prædicator, qui fama tantæ beatitudinis atque sanctitatis claruit, ut in conspectu universi istius in Christo fundatæ Ecclesiæ populi miracula operaretur. In primo quidem pontificatus sui anno juxta basilicam beatæ Luciæ martyris, quæ in Orphea [b] sita est, in quibusdam tetris abditisque cavernis diri generis serpens, qui basiliscus Græce, Latine regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo ac visione omnes qui ad easdem properabant cavernas celeriter necabat, mortisque tradebat periculo: ita ut omnes stupor ac timor invaderet, serpentis virtutes mirantes et cladem.

504 Ipse vero beatissimus et præclarus pontifex hanc populi necem audiens atque perniciem, ad orationes se convertit, cum jejuniis Dominum deprecari non cessans, ut ab hujusmodi omnes interitu liberaret. Dum hæc agerentur, præclarus et celeberrimus dies advenit, in quo beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ assumptio celebratur. Tunc præfatus et universalis papa a patriarchio cum hymnis et canticis spiritalibus, sancta præcedente icona, ad basilicam sancti Adriani martyris sicut mos est propriis pedibus cum omni clero perrexit. De qua regressus cum omni fidelium cœtu ad basilicam beatæ Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, quæ ad Præsepe dicitur, cum Dei laudibus magna comitante caterva populi properabat. Qui cum pervenisset ad locum in quo ipse sævissimus basiliscus tetris, ut jam superius diximus, jacebat cavernis, omnem clerum et populum stare præcepit, atque juxta easdem cavernas properans super foramen ipsius ubi pestiferi flatus egrediebatur serpentis intrepidus stetit, et oculos ad cœlum pariter tetendit et palmas, Christumque qui est super omnia Deus profusis lacrymis deprecatus est, ut ab eodem loco diri serpentis genus sua potentia effugaret. Et data super populum oratione, Dei laudes ad basilicam quam superius memoravimus profectus est exhibere. Ab eodem vero die ipse pestifer basiliscus ita effugatus atque ab ipsis projectus est antris, ut ultra in illis locis nulla læsionis ejus macula appareret. Et aliud miraculum ipse almificus papa perfecit, quod enarrare breviter inchoemus.

505 In ipso quod superius memoravimus] pontificii sui exordio Saxonum vicum validus ignis invasit, qui flammarum virtute cuncta comburere cœpit validius, ubi populorum multa congregata sunt agmina, quæ hujus incendii flammas volebant exstinguere: sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aere cuncta comburens atque comminuens, ita ut propius beati Petri principis apostolorum basilicæ proveniret, Saxonum, Longobardorum domos, ac porticum concremans atque diripiens. Quo audito ipse beatissimus pontifex anxius illuc celeri cursu profectus est, et obvias ante ignis impetum se præparavit, ac Dominum deprecari cœpit, ut ipsius incendii flammas exstingueret, et crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, sed beati virtutem ferre non valens pontificis, exstinctas flammas redegit in cinerem. Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus papa fecit in basilica beati Petri apostoli vela de fundato in circuitu compta de blatthin numero quadraginta quinque. Fecit autem isdem egregius pontifex in monasterio sancti Martini, quod beati Petri basilicæ cohæret, ad laudem et gloriam ipsius beati Martini oraculi miræ pulchritudinis vestem, habentem historiam superius memorati sancti jacentis in lectulo, cum effigie Salvatoris Domini nostri Jesu Christi: simul effigiem sanctæ martyris Agathæ habentis ad pedes effigiem ipsius almi pontificis, habentem gemmas hyacinthinas decem et septem. Item in eodem oratorio fecit vela quatuor, et unum quidem habens rotas de chrysoclavo tres.

506 Fecit idem in basilica sanctorum quatuor fratrum vestem de fundato unam, nanentem historiam ipsorum sanctorum martyrum et effigiem ipsius almi præsulis habentem gemmas duodecim, similiter et vela de fundato quatuor. Hic vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] * pararet. [b] *Platina* Orthea.

Digitized by Google

basilica beati Petri apostoli nutritoris sui canistrum interrasile de argento purissimo, pens. lib... Ubi supra obtulit coronas de argento mundissimo, pensan. libras... Hic vero beatissimus et præclarus papa superno fretus amore obtulit beato Petro apostolo ad splendorem et gloriam ipsius sanctissimæ basilicæ lucernam bimixyn de argento purissimo, pensantem libras quadraginta quinque. Isdem beatissimus præsul fecit in ecclesia beati Silvestri confessoris atque pontificis, qui ponitur in monte Soracte, vestem de fundato unam habentem angulos quatuor, duos quidem tyrios, et duos fundatos. Fecit etiam isdem sanctissimus et beatissimus præsul in ecclesia beati Petri principis apostolorum vela quæ pendent in arcu presbyterii ex auro texta, habentia historiam beati Petri apostoli numero decem et octo. Necnon in oratorio beati Leonis confessoris atque pontificis, quod est situm infra prædictam ecclesiam, vestem de fundato unam habentem historiam aquilarum. Obtulit quoque ubi supra coronam de argento unam, pensantem libras...

507 Jam etiam fecit ibi vela de fundato ornata ex utraque parte de blatthin numero viginti. Obtulit etiam beato Petro apostolo calices de argento, qui sedent super circuitu altaris numero sexdecim, pensan. libras... Verum etiam et calicem pendentilem cum catenulis et delphinis, pensan. libras... Item sanctissimus et coangelicus præfatus præsul post deprædationem Saracenorum istius ecclesiæ fecit super corpus beati Petri apostoli imagines argenteas, totasque numero tres; et unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi cum gemmis in capite per crucem ornatam hyacinthinis et prasinis. Item aliam quamdam positam ad dextram partem Salvatoris et habentem vultum beati Petri apostoli et beatæ Petronillæ : aliam quamdam positam ad partem lævam depictam, vultum habentem beati Andreæ apostoli, simul et vultum prædicti summi præsulis, pensan. libras centum et quatuor. Fecit ubi supra phara ærea, quæ sedent super vestibulum sacri altaris, numero duodecim. Sæpe vero hic beatissimus papa omnia sanctorum quæ destructa fuerant loca reædificare magnopere cupiebat. Nam monasterium Corsarum, quod juxta basilicam beati Sixti martyris atque pontificis situm est, quod quorumdam malorum hominum fuerat operibus desolatum et ad sæcularem habitationem perductum, pro salute ac futura retributione animæ suæ perfectius restauravit. In quo etiam ancillarum Dei congregationem munivit ad persolvendum Dei omnipotentis quotidie laudes, muneribus auxit, divitiis perornavit, et omnia sacris præceptis, quæ exinde ablata fuerant, restaurans, suis sanctis digitis plenius ea confirmavit. Is sæpius memoratus et beatissimus papa prædicationis suæ alloquio multos ad cognitionem veritatis perduxit, et salutiferas omnibus operationes quotidie demonstravit.

508 Nam octavam Assumptionis beatæ Dei Genitricis diem, quæ minime Romæ antea colebatur, vigiliis sacris matutinisque cum omni clero pernoctans laudibus in basilica ejusdem semper Virginis dominæ nostræ, quæ foris muros juxta basilicam beati Laurentii martyris sita est, celebrari præcepit. In quam etiam magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solemnitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret antistes, in omnes qui aderant huic celebritati plures argenteos erogavit. Fecit vero isdem beatissimus in ejusdem Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ ecclesia vestem de fundato unam. Necnon fecit ibidem vela numero quadraginta quinque. Et infra in ipsius ecclesiæ oratorium, quod vocitatur beatæ Barbaræ, obtulit vestem de fundato unam. Ipse a Deo præcipuus antistes et in oratorio sanctæ Eugeniæ fecit vestem de fundato unam.

509 Et hic solertissimus, Deo opitulante, sanctissimusque et in omnibus præclarus atque præcipuus pontifex magno animo et pura voluntate donavit in ecclesia beati protomartyris Stephani, quæ ponitur foris muros juxta ecclesiam beati Laurentii martyris, vestem de fundato unam. Et infra hujus mœnia ecclesiæ in oratorio beati Leonis martyris fecit vestem de fundato unam. Et ipse mitissimus pontifex atque acutus in omnibus bonis obtulit in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur infra prædictum monasterium, quod vocatur Corsarum, vestem de fundato unam. Ubi supra obtulit in oratorio sancti Cæsarii vestem de fundato unam.

510 Fecit isdem benignissimus crucem auream noviter, et ipsa crux, ut mos antiquitus est, subdiaconi manibus ferebatur ante equum prædecessorum pontificum, quam Deo juvante in auro et argento ac gemmis melius renovavit. Obtulit vero in ecclesia beatæ Nymphæ martyris, quæ esse videtur in civitate Portuensi, vestem de fundato unam. Similiter fecit in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, quæ in Silva candida esse videtur, vestem de fundato unam. Necnon ubi supra obtulit vela de fundato tria, ornata in circuitu de blatthin. Hic vero beatissimus papa sacratissimorum martyrum sepulcra devota mente ardentique assidue pectore visitabat. Quos vigiliis sacrisque orationibus cunctos pro orthodoxæ fidei populo exorabat.

511 Die autem quadam cum ad sepulcrum beati Laurentii martyris pervenisset, et solito more orationem expleret, diligentius inquirere cœpit ac dicere : Quanti quotidianas hic monachi Deo omnipotenti referunt laudes ? Tunc omnes qui aderant beato pontifici protulerunt quod a quibusdam pontificibus duo monasteria ibidem fuissent constructa, sed pro magna paupertatis inopia in desolationes reducta sint. Mox autem ipse almificus pontifex superno nutu compunctus monasterium, quod nunc

Digitized by Google

sancti vocatur Stephani et Cassiani, restaurans, muneribus ac divitiis locum plenissime perornavit. In quo etiam sanctæ conversationis plures Græcos genere instituit monachos, qui Omnipotenti, eidemque martyri die noctuque laudes persolverent. Ipse quidem a Deo protectus et venerabilis præsul intra basilicam beati Petri apostoli oraculum miræ pulchritudinis summique decoris construxit, quod pulchris marmoribus circumdans splendide compsit, absidamque ejus ex musivo aureo superinducto colore glorifice decoravit. In quo etiam venerabile corpus beati Leonis confessoris atque pontificis recondens, sacrum desuper construxit altare, et ciborium cum cruce exaurata, ad laudem et gloriam Christi nominis hoc fretus amore perfecit, ut sibi dignum in æthere conquireret locum.

512 Patratis itaque omnibus atque perfectis operibus, quorum jam sigillatim superius nomina scripta vel memorata sunt, confestim isdem pastor et Pater egregius, quamvis universarum proficuam ecclesiarum Dei curam dignamque sollicitudinem gereret, et ad omne opus bonum præ omnibus intentus existeret, ex intimo cordis sui longa trahens suspiria, cum quotidie beatissimi apostolorum principis Petri sacratissimum altare cerneret violatum, et ad tantam inhonestatem a Saracenis perfidis Deoque contrariis et vilitatem perductum, etiam et (quod dolentes mœrentesque dicimus) ipse undique Christianum populum ad jam fati principis sacratissima, orationis causa vel gratia, limina destinari cerneret, et ob hoc vota sua ut olim perficere non pleniter satagebat; ideo omnipotentis Domini fretus auxilio, atque consilio et virtute munitus, aureis simulque argenteis tabulis non tantum confessionem sacram, verum etiam frontem sæpedicti altaris satis decenter et honorifice perornavit, ut præsens per omnia opus ibidem dedicatum luce clarius manifestat. Quamobrem venerandi altaris frontem præcipuam tabulis auro optimo noviter dedicavit, una cum gemmis quamplurimis valde optimis ac pretiosis totam circumdedit, et in meliorem ut prius statum decoremque perduxit. In quibus scilicet aureis, ut dictum est, tabulis non solum Redemptoris nostri forma depicta præfulget, verum et ejus resurrectio veneranda, atque indicium sacræ ac salutiferæ crucis.

513 Petri quoque Paulique pariter vultus atque Andreæ in prænominatis tabulis similiter splendent atque coruscant: inter quos sanctissimi quarti Leonis præsulis, necnon et specialis filii sui domni imperatoris Lotharii, propter futuram memoriam sive mercedem, personæ Deo charæ, per cuncta sæcula venerandæ depictæ sunt. Fecit denique tabulam de smalto, opus ducentas sexdecim auri obrizi pensan libras. Confessionem vero crebro dicti altaris tabulis ex argento paratis purissimo, simili modo tota animi devotione ad antiquum decus et statum perduxit. In quibus Salvatorem in throno sedentem conspicimus pretiosas in capite gemmas habentem, et a dextris illius cherubin, a læva quoque ejus vultus apostolorum cæterorumque depictos. Imo et rugas fecit sacræ confessionis ex argento constructas, vultus habentes beatissimi Petri et Pauli, pensan. libras ducentas et octo. Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli vela ex auro texta pendentia in arcubus compte in circuitu de blatthin numero undecim. Necnon et in oratorio sancti Leonis pontificis intra ecclesiam beati Petri apostoli fecit vestem sericam albam sigillatam cum gammadiis et periclysi de blatthin unam, et vela similiter alba majora duo, minora octo. Et in monasterio sancti Cæsarii, quod ponitur in palatio, fecit vestem de fundato unam, et vela octo.

514 Ipse vero a Deo protectus et venerabilis pontifex propter retributionem et mercedem animæ suæ fecit in cœmeterio beatæ Agathæ martyris, quod ponitur foris portam beati Pancratii martyris, vestem de fundato unam, et vela octo. Quisnam dicere valeat, vel narrare sufficere possit, quanta ipse a Deo protectus et solertissimus papa sanctis locis devota obtulit mente dona? Nam in oratorio, quod Pauli dicitur papæ, miræ pulchritudinis obtulit vestem aquilarum, habentem historiam cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam. Fecit autem in oratorio sanctorum Processi et Martiniani splendoris non modici vestem cum rotis et hominibus, et historiam cum cruce, similiter de chrysoclavo, et gammadiam unam. Aliam vero vestem fulgidæ visionis in basilica sanctæ Petronillæ perfecit, habentem rotam aquilamque cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam.

515 Obtulit vero in oratorio sanctæ Dei Genitricis semper Virginis dominæ nostræ Mariæ, quod in mediana consistit, vestem similiter cum rotis aquilisque et cruce de chrysoclavo cum gammadiis unam. Fecit quidem in oratorio sancti Adriani vestem cum rotis hominumque effigiebus cum cruce similiter de chrysoclavo et gammadiis unam. Ipse vero sæpius memoratus et beatissimus papa obtulit in basilica sancti Sebastiani martyris, quæ in Frascata consistit, vestem pretiosissimæ claritatis cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam. Qui summus et præcipuus præsul fecit in basilica beati Petri apostoli cortinam holosericam cum historiis multis claritatis immensæ ad decorem et gloriam ipsius sacratissimæ basilicæ unam. Cum vero hæc, et quæ scripta sunt, Leo vir beatissimus quartusque præsul Domino solatiante amoris ac desiderii gratia per diversa piorum loca sanctorum perfectius contulisset, tunc de Romanæ urbis statu ac restauratione murorum, qui longo jam senio atque vetustate nimia fracti dirutique funditus videbantur, cœpit cum Jesu Christi Domini tractare consultu, ne, si diu sub hac negligentia sive oblivione consisterent, aut Domino permittente facilius ab hostibus aut capi aut forsan expugnari potuissent: ideo, ne hoc in futurum malum fieret, omnes prænominatæ

Digitized by Google

muros civitatis Romanæ, duodecima instante indictione, renovare atque ad priorem cultum decusque tota mentis alacritate curavit. Et non solum muros quos diximus celeri fieri agilitate præcepit, sed et portas, quibus omnis sæpe clauditur civitas, novo cultu lignisque prævalidis ob inimicorum metum sive terrorem reædificari festinantius jussit. Quæ denique omnia, ut cito fierent, et ad effectum decoremque essent perducta, præfatus vir apostolicus indifferenter non solum equo residens, verum etiam sane pedibus propriis per muros vel portas cum suis fidelibus discurrebat, quatenus in restauratione eorum mora nulla aut dilatio fuisset exorta. Quapropter, ut ante jam dictum est, inter curas maximam de Romana urbe curam ac sollicitudinem venerandus pontifex gerens undique ad meliorem novumque cultum cuncta noviter deduxit, et 15 ab ipso solo turres, quas funditus dirutas per circuitum urbis reperit, novis fabricis restaurari præcepit.

516 Quarum denique duas juxta Portuensem portam ita prudenter ac sapienter venerabilis præsul ad ipsam oram Tyberis, id est juxta littus fluminis ædificari disposuit, ut nullus prius hominum vel cogitare vel considerare valebat. Et quia per hunc locum non solum naves verum etiam homines ante facile ingrediebantur, nunc autem vix unquam per eum parvæ naviculæ introire valebant, et hoc propter futurum hostium Saracenorum periculum et salutem Romanæ urbis factum est. Ipsas igitur turres non solum lapidibus sed etiam ferreis muniri curavit catenis, quatenus si necessitas fuerit per eumdem locum nulla valeat navis transire. Quod noviter opus constructum et Romanæ urbis defensionem præstat, et videntibus non modicum sed grande miraculum, quia cum magna sapientia, subtili prudentia et honestate patratum est.

517 Ipse quoque a Deo protectus et beatissimus papa multa corpora sanctorum, quæ diu occulta jacebant, summo studio summoque cordis affectu ad honorem omnipotentis Dei infra hujus almæ Urbis mœnia mirifice congregavit. Nam et corpora sanctorum martyrum quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit. Pro quorum desiderabili amore basilicam, quæ sanctorum fuerat nomini consecrata, quam ipse dum ad pontificii deductus est apicem prudentissimo moderamine rexit, quæ per diuturna curricula temporum quassata vetustatis defectu et pene ruinis confracta diu antiquitus videbatur et convulsa, supernæ virtutis annuente clementia in splendidiorem pulchrioremque statum a fundamentis construxit, et ad laudem omnipotentis Dei, eorum sacratissima corpora cum Claudio, Nicostrato, Symphroniano atque Castorio et Simplicio, necnon Severo, Severiano, Carpophoro et Victorino, quatuor fratribus; item Marius, Audifax et Abacum, cum Felicissimo et Agapito, Hippolyto cum suis familiis numero decem et octo, Aquilino, Aquila et Prisca, Narcisso et Marcellino, Felice, Simetrioque, Candido atque Paulina, Anastasio et Felice, Apollione et Benedicto, Venantio atque Felice, Diogene et Siberadi, Feste et Marcello atque Superantio, Pudentiana et Benedicto, Felice et Venantio, necnon capite sancti Proti, sanctæque Cæciliæ, sancti Alexandri, sanctique Sixti et sancti Sebastiani atque sacratissimæ virginis Praxedis pariter sub sacro altari recondens collocavit, et alia multa quorum nomina Deo sunt cognita. Super quod etiam ad gloriam Creatoris miro opere miræque pulchritudinis ciborium ex argento purissimo, aureo superinductum colore, cum gemmis prasinis et hyacinthinis, pensan. libras trecentas tresdecim et semis. Ubi supra obtulit in eadem ecclesia vela rubea quæ pendent in circuitu altaris numero quatuor. Idem quoque sanctissimus præsul fecit in oratorio prædictæ beatæ Barbaræ, quod constructum est infra ecclesiam sanctorum quatuor Coronatorum, coronam de argento, pens. libras duodecim. Necnon in eodem oratorio obtulit gabathas de argento decem, pensan. libras... Verumetiam in suprascripto oratorio fecit vestes de fundato tres, habentes in medio cruces cum gammadiis, et vela duodecim

518 Prædictus etiam venerabilis pontifex fecit in basilica beati Stephani pontificis via Latina milliario tertio vestem de fundato unam, cum cruce in medio, et vela sex. Ubi obtulit patenam, et calicem sanctum modicum de argento, pensan. libr. unam et semis. Obtulit etiam beatissimus præsul in ecclesia beati principis apostolorum thuribulum de argento exaurato apostolicum legente nomen domni Leonis quarti papæ, pens. libras quatuor. Ubi etiam in oratorio beati Gregorii confessoris atque pontificis fecit vestem de fundato cum gammadiis, et crucem ex argento texto unam. Similiter ibi ipse in oratorio beati pastoris martyris vestem pari modo fecit unam. Necnon et in oratorio beatæ Dei Genitricis, quæ ponitur ad ambonem, eodem modo fecit vestem unam. Et in oratorio sanctæ et superexaltatæ crucis fecit vestem simili modo unam. Necnon et in oratorio, quod ponitur ad fontem, fecit similiter vestem unam, et vela de quadrapulo.

519 Ipse vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum super altare majore vestem de fundato cum cruce in medio et gammadias, et in gyro listam de fundato unam. Ubi supra in oratorio sanctæ Barbaræ similiter fecit vestem de fundato unam. Et in oratorio sancti Sixti eodem fecit vestem unam. Et in oratorio sancti Nicolai similiter fecit vestem cum aquila una. Necnon et in ecclesia eadem fecit cortinam lineam cum cruce in medio, et in gyro listam de fundato miræ magnitudinis. Piis moribus, his sacrisque perornatus operibus papa obtulit in sæpius memorata quam fretus amore fundaverat aula patenam ex argento purissimo, aureo su-

Digitized by Google

perinductam colore, cum crucis tropæo Salvatorisque effigie, sanctæque Dei Genitricis et sanctorum apostolorum pulchro schemate decoratam, pensan. libras septem; similiter calicem sanctum auroque perfusum Evangelistarum habentem iconam, et crucem, pens. libras quatuor; necnon ex argento purissimo cantharum exauratum, in quo signaculum in circuitu depressum cernitur crucis, cum prophetarum effigiebus, beatissimique Stephani primi martyris icona; verumtamen et thuribulum ex argento mundissimo apostolicum unum; gabathas ad nitorem ipsius venerandæ basilicæ exauratas quatuor, pens. pondus duarum semis librarum.

520 His omnibus ita gestis, confessionem cum sacro altari argenteis tabulis pensan. libras nonaginta et tres decoravit, sanctorumque effigiebus perornavit. Super quod etiam obtulit regium de argento purissimo cum pretiosissimis gemmis, habens in medio crucem, quod usque nunc super eodem pendere altari conspicitur. Ubi etiam obtulit vela de fundato quadraginta et tria. Ipse vero sæpius memoratus et præclarus antistes superne inflammatus amore obtulit in monasterio sancti Silvestri sanctique Benedicti et sanctæ Scholasticæ, quod nuncupatur sub Lacu, vestes de fundato tres, et vela similiter de fundato septem. Fecit etiam idem beatissimus præses post deprædationem Saracenorum in ecclesia beati Petri apostoli crucifixum miræ magnitudinis, constructum cum gemmis hyacinthinis de argento purissimo, exauratum, pens. libr. septuaginta, et alias gemmas albas septem, majorem unam.

521 Ea item, quæ inter cætera per sanctissimi præsulis assiduas preces ac lacrymas a Domino exanditas duodecima insistente indictione mirabiliter acta vel gesta sunt, non inutiliter agemus, si ob æternam memoriam huic operi clarius inserere studeamus: ut quantæ sanctitatis in hac ærumnosa vita vir iste exstiterit, præsentes atque futuri facilius agnoscant. Denique post nefandum et lugubrem omnique plenam miseria Saracenorum deprædationem, quam in primo Ecclesiarum omnium capite, sancta scilicet Romana Ecclesia, hortatu diabolico peregerunt, volverunt iterum ipsi Satanæ filii similia in Romanos fines et ecclesiam beatissimi apostoli Petri ut olim damna inferre, et deinde victores ad loca quibus egressi fuerunt remeare; sed cura ac studio summi præfulgente atque vigilante pastoris hæc minime perficere potuerunt. Tamen ut fideles in Domino amplius fideliores juro existant, et illius signa ac veneranda miracula ex veteribus noviter emanasse non dubitent, a principio retinendum est quid de eis divina eodem tempore misericordia miserabiliter egit, quantisque miseriis atque calamitatibus gens illa pestifera merito protrita dilapsa est. Quamobrem pristinum reminiscentes lucrum vel prædam quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad urbem expugnandam Romanam duodecima indictione vigente venire crudeliter decreverunt. Multisque etiam diebus in loco, qui Tozarum dicitur, juxta insulam Sardiniæ demorati sunt. A qua digressi Romanum portum, Deo illos non adjuvante, inire conati sunt.

522 Quorum iniquus ac nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit. Sed quia Ecclesiam suam Deus omnipotens semper inviolatam custodivit, et deinceps custodire non desinit, excitavit tunc inter cæteros omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Cajetanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere ac dimicare fortiter debuissent. Mox etenim a locis propriis egressi ante Saracenos inutiles, ipsi cum suis navibus conjunxerunt [a], suumque repentinum adventum beatissimo Leoni quarto pontifici notum fecerunt: et quod se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de paganis Domino auxiliante victores existerent. Tunc demum venerabilis papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire præcepit, volens specialiter scire ab eis si eorum pacificus esset adventus vel non, sicuti et factum est. Inter quos tunc filius Sergii magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Cæsarius, advenit, quos benigne in palatio Lateranensi suscipiens causam pro qua venerunt inquisivit. Illi autem ob aliud non venisse testati sunt, nisi ob hoc quod superius legitur exaratum. Quorum pius apostolicus credulus verbis cum magno armatorum procinctu mox ad civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos grandi atque eximia devotione suscepit. Qui ut summum præsulem conspexerunt, pedes ejus humo prostrati venerabiles sunt osculati, gratiasque omnipotenti altithrono retulerunt, qui ad se confortandos talem dirigere decrevit antistitem. Qui ut meliores de Belial filiis victores existerent, summopere deprecati sunt ut de suis sacris manibus corpus Dominicum percipere meruissent. [Quibus ore suo missam in ecclesia beatæ Aureæ decantavit, atque universi ex illius, ut dictum est, manibus communionem sumpserunt. Et antequam hæc fierent, usque ad præfatam ecclesiam cum hymnis ac litaniis canticisque præcipuis, simul cum ipsis Neapolitanis Christo auxiliante profectus est. In qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur.

523 Super quos etiam multis cum lacrymis hanc orationem obtulit, dicens: *Deus, cujus dextera beatum Petrum apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Conjunxerunt, *id est*, pervenerunt.

Digitized by Google

horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos sanctæ Ecclesiæ tuæ dimicantia omnipotenti dextera tua corroborentur, et convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum, etc. Die vero altera postquam a jam dicta civitate venerabilis reversus est præsul, ipsi sceleratorum socii, sive participes, juxta littus maris Ostiensis multis cum navibus apparuerunt. Contra quos Neapolitani impetum facientes, dimicare fortiter voluerunt, etiam aliquantos vulneraverunt ex illis, et deinde triumphum accepissent si unum non citius impedimentum accidisset: nam dum adinvicem attentius dimicarent, subito tam validus ac supereminens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui utrasque naves confestim divisit. Tum Saracenorum naves primo veniebant usque ad oram maris, deinde vento flante marique elevato procellis dispergebantur, et iterum post aliquantulum confractis viribus revertebantur. Deus enim omnipotens, pro certo credimus, hunc ex thesauro suo produxerat ventum, qui eos ad nocendum foris minime permisit exire. Super his novis mysticisque miraculis, quæ nobis licet non meritis Divinitas ostendere, ac demonstrare nostris dignata est temporibus, semper glorificanda et collaudanda est veri Dei nostri clementia, qui eos ad locum quem desiderabant permisit aspicere, et tamen, ne capere potuissent, virtutis suæ potentia longius expulit, multosque postea, per intercessiones et merita beatissimorum Petri ac Pauli principum, maris profunditas, verum etiam fames, et gladius indesinenter extinxit.

524 Ex quibus per quasdam insulas nostras famis laborantes penuria plurimi a nostris nominibus interfecti sunt. Cæteros autem causa veritatis ac testimonii vivos comprehendentes Romam duxerunt. Quorum Romani proceres ne multiplicatus numerus videretur, multos prope portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt. Aliquantos etiam nos ferro constrictos vivere jussimus, per hanc solummodo causam, ut et spem nostram, quam in Deum habemus, et illius ineffabilem pietatem, necnon et propriam tyrannidem luce clarius scire valuissent. Et post hæc ne otiose, aut sine angustia apud nos viverent aliquando ad murum, quem circa ecclesiam beatissimi apostoli Petri habebamus inceptum, aliquando per diversa artificum opera, quidquid necessarium videbatur, per eos omnia jubebamus deferri.

525 Pro his igitur beneficiis, ut jam enarratum est, beatus pontifex obtulit in basilica beati Petri principis apostolorum post deprædationem gentis Agarenorum arcus de argento mundissimo numero tredecim: ex quibus duo, quos posuit a parte dextra atque sinistra in presbyterio miræ magnitudinis, pensantes libras.... Isdem quoque beatissimus præsul fecit in ecclesia beati Petri principis apostolorum vestem unam auro textam, habentem historiam qualiter beatus Petrus prædicavit ad sanctam Romanam ecclesiam, cum gemmis albis, id est margaritis septem, et cum gemmis prasinis undecim, necnon et gemmis hyacinthinis viginti et septem. Fecit et in ecclesia beati Andreæ apostoli ciborium super altare ex marmore, necnon et calicem de argento, cum coronis pendentibus in eodem ciborio numero duodecim, pensan.... libras. Fecit etiam ibi ipsum campanile, et posuit campanam cum malleo æreo, et cruce, exaurato. Necnon et in ecclesia beati Petri apostoli obtulit thuribulum ex auro purissimo ex diversis gemmis ornatum. Et in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur ad sanctum Laurentium foris murum, fecit vestem unam, habentem historiam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et imaginem almifici prædicti præsulis.

526 Fecit etiam in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum canistra de argento undecim, pens. libras viginti quatuor. Obtulit et in ecclesia beati Petri apostoli crucem ex auro purissimo, ex diversis gemmis hyacinthinis, albis et smaragdis miræ magnitudinis ornatam, quæ stat parte dextra juxta altare majus. In qua etiam noviter renovavit virgam, et deargentavit eam, in qua prædicta crux continetur, pensan. libras argenti undecim et semis, legente de nomine domni Leonis quarti papæ. Obtulit et in ecclesia beati Stephani protomartyris vestem ex auro texto cum gemmis hyacinthinis quatuor. Isdem prædictus almificus et summus præsul nimio amore ductus, et bonis moribus affectus, fecit in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, sita foris murum civitatis Romanæ, vestem de serico mundo cum aquilis, habentem tabulas auro textas tres ex utraque parte, habentes martyrium prædicti martyris depictum, et imaginem prædicti præsulis.

527 Necnon fecit in ecclesia sanctorum martyrum quatuor Coronatorum imagines de argento exauratas tres, unam quidem habentem vultum Salvatoris, et alias duas habentes vultus sanctorum Claudii et Nicostrati, pensan. libr. quinquaginta et duas et semis. Et in eadem ecclesia obtulit coronam de argento unam. pensan. libras viginti quinque. Et in pergula ejusdem ecclesiæ, quæ est ante altare majus, suspendit lilium de argento habens mala de crystallo, et ranunculum. Fecit etiam ubi supra canistra de argento septem, pensan. libras duodecim. Fecit ipse mitissimus in æde propria, quam ipse a fundamentis fieri disposuit, et ex jure parentum suorum ipsi accessisse videbatur, monasterium ancillarum Dei in honorem sanctorum Similrii et Cæsarii, ubi et dona largitus est, patenam, et calicem sanctum de argento exauratum, habentes diversas gemmas, pensan. libras... Ubi supra obtulit thymiamateria cum canthara una pensantia libras... Necnon et ipse vero almificus pontifex obtulit in supra-

Digitized by Google

scripto monasterio canistra de argento mundissimo tria, et gabathas saxiscas, pensan. in unum libras duodecim et semis. Ibidem fecit propter retributionem et mercedem animæ suæ vestes de fundato tres, habentes unam tabulam acupictilem interclusam. Fecit ibidem regnum ex auro mundissimo cum gemmis prasinis et hyacinthinis, quod pendet super altare, pens. libr.

528 Ipse vero a Deo protectus et venerabilis pontifex superno amore exardescens obtulit in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur foris muros istius civitatis Romanæ, juxta beatum Laurentium, vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam exauratam cum effigie nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et ipsius almifici pontificis. Et in ecclesia beati Laurentii martyris, quæ ponitur foris muros, obtulit thuribulum argenteum cum cooperculo suo exauratum, habens catenulas et bullas per gyrum, pensan. libras sex. At vero in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ trans Tyberim absidam, quæ præ nimia vetustate ruitura eminebat, prænominatus præsul restauravit. Et in ecclesia beati Petri principis apostolorum, propter honorem ac vigorem ipsius ecclesiæ, fecit butronem ex argento purissimo, qui pendet in presbyterio ante altare majus, pensan. libras centum quadraginta et novem. Simul etiam fecit in ecclesia beati Sebastiani martyris, quæ ponitur in Frascata, canistrum de argento mundissimo, pens. libras duas, legente nomen almifici præsulis, et beati Sebastiani. His denique decentius consummatis atque peractis post flebilem et iniquam Saracenorum deprædationem, catholicus et per omnia laudabilis præsul, ad decorem et laudem ecclesiæ apostolorum principis apostoli Petri, fecit miræ magnitudinis ac pulchritudinis super illius venerandum altare cyborium, et columnas, ac lilia exaurata ex argento purissimo, pensan. libras mille sexcentas et sex. Nam et super cyborium obtulit coronas quatuor et calices sexdecim ex auro mundissimo, pensan. libras..... Et de argento ut supra ad honorem et gloriam ipsius cyborium fecit, calicesque et coronas numero quadraginta sex, pensan. libras viginti duas et uncias septem. Necnon et super columnas ipsius cyborii propter amplam pulchritudinem ex argento purissimo fecit cophinos numero quatuor, pensan. libras quadraginta et duas. Fecit etiam ibidem ante altaris circuitum vela alba holoserica sigillata numero quatuordecim, listas habentia de fundato.

529 Obtulit inibi et alia vela linea numero quatuordecim, listam habentia per circuitum de serico albo sigillato. Ubi supra fecit arcus duos ex argento purissimo, pensan. libras quinquaginta. Fecit in oratorio sancti Silvestri infra palatium Lateranense vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo modicam, et vela de fundato quatuor. Fecit et in ecclesia Hierusalem vestem de fundato unam, et vela similiter de fundato quatuor. Fecit etiam et in diaconia sanctæ Mariæ Virginis, quæ ponitur in Cyro, regnum ex argento intrinsecus, bullis aureis circumdatum. Verum etiam et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur in Frescata, obtulit vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam modicam exauratam interclusam, et vela de fundato quatuor. Necnon et in ecclesia sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quæ ponitur in Morenico narrano, fecit vestem de fundato unam, et vela similiter de fundato quatuor. Pari modo obtulit et in ecclesia beati Petri apostoli, quæ ponitur in Maruli, vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam exauratam modicam interclusam, et vela de fundato quatuor.

530 Ipse vero a Deo protectus et venerabilis pontifex obtulit in basilica beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur ad sanctum Laurentium foris muros, cortinam lineam unam, habentem in gyro listam de fundato, et in medio crucis similiter de fundato. Et in ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani, quæ in Silva Candida esse videtur, obtulit vestem rubeam unam, habentem in gyro listam de argento, et crucem in medio, et vela cum aquilis quatuor. Obtulit etiam in ecclesia beati Petri principis apostolorum coronam ex argento, cum historiis a foris circumdatam et exauratam, pens. lib. septem. Ipse quoque a Deo protectus et beatissimus papa, superno fretus amore, obtulit in basilica beati Petri apostoli ante confessionem sacri altaris a dextris seu a sinistris, ad decorem ipsius basilicæ, angelos sex ex argento mundissimo, pensan. libras sexaginta quatuor. Et super illud cyborium fecit oleas, quæ pendent in circuitu altaris, habentes tabulas quatuor exauratas, necnon et gammadias numero quatuor. Ubi supra fecit arcus quatuor, qui stant in presbyterio ex argento mundissimo, pens. libras centum. Ipse vero beatissimus pontifex obtulit in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani, quod ponitur in loco qui vocatur Sublacus, milliario ab urbe Roma plus minus quadragesimo, vestem de fundato unam, et vela de fundato similiter tria. Fecit etiam isdem prædictus præsul in ecclesia beati Christi martyris Gervasii et Protasii, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur Fundana, vestem de fundato habentem in medio crucem ex auro texto unam, et velum de fundato unum. Obtulit etiam isdem prædictus præsul in ecclesia beati Christi martyris Cæsarii, quæ ponitur intra civitatem, quæ vocatur Terracina, vestem de fundato unam, habentem in medio crucem cum gammadiis, et periclysin de blatthin, legente de nomine domini Leonis quarti papæ, et vela similiter de fundato numero quinque. Necnon obtulit in basilica beati Petri apostoli arcus ex argento mundissimo numero quatuor, pensan. libras octuaginta et quatuor. Fecit autem in basilica beatæ Rufinæ

Digitized by Google

martyris in Sylva Candida vestem de fundato, habentem in medio crucem de periclysi, et in circuitu de blatthin, legente de nomine domni Leonis quarti papæ.

531 Fecit etiam isdem beatissimus præsul in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis gabathas de argento purissimo numero sex : tres quidem filopares signo Christi, et duas etiam similitudines palmarum, et unam interrasilem, quæ est saxisca, pensan. simul libras quatuor. Isdem beatissimus et præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui arcus cum columnis, et liliis de argento purissimo tres, pensan. insimul libras centum et duas. Ipse quidem venerabilis pontifex fecit in basilica sancti Cæsarii, quæ ponitur in Terracina, vestem de quadrapulo ornatam, in circuitu de blatthin, habente in medio crucem de chrysoclavo, legente de nomine domini Leonis quarti papæ. Necnon et in basilica beati Petri apostoli fecit arcus de argento purissimo cum columnis et liliis numero tres, pens. libras sexaginta. Fecit et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ponitur in civitate Portuensi, vestem de spanisco unam, ornatam in circuitu de fundato, et in medio crucem de argento; similiter vela de spanisco, ornata in circuitu de fundato numero tria : sed et tabulas de argento exauratas, in gradu ante confessionem beati Petri apostoli numero quatuor, et agnos duos, qui pensan. libras insimul quadraginta et quatuor. Obtulit, ubi supra, coronas porphyreticas miræ magnitudinis ornatas ex auro purissimo cum delphinis duodecim, legente de nomine ipsius almifici præsulis, pensan. auri libras tres et semis; necnon et arcus de argento purissimo numero decem, qui pensan. simul in unum libras centum octuaginta et unam : et vela linea, quæ pendent in arcubus, ubi supra, ornata in circuitu de fundato numero quadraginta octo.

532 Dicere nunc post universa quæ retroscripta sunt libet, æternæque memoriæ præsentibus litteris enodare quæ vel quanta permaximus ac venerabilis præsul solerti pioque studio pro defensione universæ matris Ecclesiæ, zelo scilicet compunctus divino, infra paucorum spatia temporum perhoneste ac nobiliter dedicavit. Quamobrem dum universa Romanorum nobilitas, propter illam quam jamdudum deprædationem nefandi ac malevoli Saraceni intulerant in nimia lamentatione consisteret, ac deinceps (nisi ecclesia beati Petri apostoli muris undique munita citius foret) pejora valuissent committere, isdem amabilis pontifex magnam pro Romanis omnibus cœpit habere angustiam : et quo modo vel ordine ab eorum cordibus tantum potuisset rancorem sive timorem auferre anxius cogitare. Cumque in his diuturnis crebro laboribus desudaret, Deo revelante, hujusmodi protinus consilium sumpsit, ut hoc ipsum suo dilecto ac speciali filio domno Lothario luce clarius indicaret Augusto, quatenus per illius, Domino annuente, adjutorium atque consilium, civitatem illam quam prædecessor ejus Leo papa tertius erga ecclesiam prænominati apostoli ædificare cœperat, et cujus multis jam in locis fundamenta posuerat (licet post suum transitum a quibusdam ablata fuissent hominibus, ita ut nec aditus appareret, ubi prius inchoationem præfatus habuerat murus), si vita comes adesset, desideratum opus, Christo solatiante, ad effectum posset perducere. Hoc denique piissimus ac serenissimus Cæsar agnoscens, magna est illico lætitia et exsultatione repletus, rogansque jam fatum summopere præsulem, patremque per omnia spiritalem, ut quantocius tanti operis fabricam, sedulo labore perficeret. Ad quam ipse cum suis fratribus non modicas argenti libras direxit, ut, sicut dictum est, tam proficuum opus indeliberatum minime remaneret. Ex quo nuntio præoptato præsul præcipuus ultra modum hilaris est effectus. Cœpit autem ex tunc de prædicto negotio valde esse sollicitus : convocansque cunctos sanctæ Dei fideles Ecclesiæ, petens ab eis ore suo consilium qualiter tanta murorum cito valuisset fabrica consummari, tunc omnibus ita visum est, ut de singulis civitatibus, massisque universis publicis, ac monasteriis per vices suas generaliter advenire fecisset, sicut et factum est.

533 Quamobrem secundo præsulatus illius anno præfata civitas ædificandi sumpsit exordium. Et in sexto consecrationis suæ, utpote magnis ac mirabilibus omnis est fabricis civitas undique consummata. Cumque per multos labores atque certamina beatissimi præsulis totum ut desiderabat murorum opus completum deliberatumque fuisset, cœpit omnipotenti Deo multimodas sive innumeras gratias agere, qui suas quotidianas preces pro nova ædificatione murorum exaudire et adimplere dignatus est. Nam quantam qualemque curam, vel studium, simulque sollicitudinem pius ac laudabilis pastor, quousque construeretur, diebus singulis ac noctibus habuit, nullius hominis lingua breviter enarrare potest; et quia nihil aliud post debita sacrorum mandatorum officia agebat præter id quod superius exaratum est, revera non frigus, neque flatus ventorum, vel pluviæ, aut aeris grandis vel modica conturbatio, pigrum in eundo de die in diem quolibet modo facere potuit. Sed modo hic, modo illic per diversas murorum fabricas vigil ac sollicitus discurrebat, ut suum bonum propositum ac desiderium per apostolorum pia Petri Paulique suffragia Redemptor noster omnipotens præpropere adimplere decrevisset, atque modo omnes conspicimus. Tunc demum consummatis simulque perfectis, ut crebro retulimus, novæ civitatis universis operibus, papa beatissimus et per omnia et in omnibus semper laudabilis ut prædicta civitas, quæ a proprio conditoris sui nomine Leoniana vocabatur, perpetualiter firma ac roborata consisteret, jussit cum magna animi devotione cordisque lætitia, ut omnes cum eo episcopi

Digitized by Google

pariter ac sacerdotes incolæ urbis, et universi ordines clericorum sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, post litanias, et psalterium decantatum, cum hymnis et canticis spiritalibus per totum murorum ambitum nudis pedibus cinerem portantes in capite circuirent, et inter cætera ab episcopis cardinalibus aquam fieri benedictam præcepit, ut inter orationum officia, aquam ipsam transeuntes per murum sanctificationis gratia jactare omnímodis studuissent : qui, ut ab eo jussum fuerat, humiliter peregerunt.

534 Ipse autem venerabilis pontifex ore suo tres super eumdem murum orationes multis cum lacrymis ac suspiriis dedit, rogans ac petens ut sæpedicta civitas, et Christi conservaretur in ævum auxilio, et sanctorum omnium angelorumque præsidio ab universo inimicorum secura et imperterrita perduraret incursu. Primam denique orationem fecit super portam quæ respicit ad sanctum Peregrinum, cujus finis et principium tale est : ✠ ✠ ✠ *Deus, qui apostolo tuo Petro collatis clavibus regni cœlestis ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur, et hanc civitatem, quam noviter te adjuvante fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum manere securam, et de hostibus, quorum causa constructa est, novos ac multiplices habere triumphos.* Secundam quoque isdem pius papa dedit orationem super posterulam, ubi mirum in modum castellum præeminet, quæ vocitatur Sancti Angeli. Cujus orationis talis est textus : *Deus, qui ab ipso mundi hujus exordio hanc sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam ab hostibus custodire et conservare dignatus es, iniquitatis nostræ chirographum propitiatus emunda, et civitatem hanc, quam tuo sancto nomini per apostolorum tuorum Petri et Pauli suffragia noviter dedicavimus, ab omnibus inimicorum insidiis securam semper atque imperterritam manere permitte. Per Dominum nostrum*, etc. Tertiam vero orationem cecinit super posterulam aliam quæ respicit ad scholam Saxonum, quæ ex eorum vocabulo Saxonum posterula appellatur, et ipsa oratio tertia hunc specialiter continet modum : *Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro apostolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam consequamur, et pro civitate hac, quam ego famulus tuus Leo quartus episcopus, te auxiliante, novo opere dedicavi, meoque ex nomine Leonina vocatur, jubeas ut semper illæsa maneat ac secura apud clementiam majestatis tuæ jugiter exoramus. Per Dominum nostrum*, etc.

535 In qua scilicet civitate, juxta promissum sui desiderii quod Deo voverat, magnam sive Romanis, sive diversis nationibus, in summæ solemnitatis die rogam distribuit. Deinde cum cæteris, ut præfatum est, sacerdotibus et omnibus Romanorum proceribus ad ecclesiam beati Petri apostoli cum orationibus divinisque laudibus tendens, missam pro salute populi et civitatis incolumitate, ac stabilitate perpetua, honorifice decantavit. Is itaque sacris peractis officiis, cunctos nobiles Romæ multiplicibus donis non tantum in auro, argentove, sed et sericis palliis honoravit atque ditavit. Fuitque die illo magna cunctis lætitia, videlicet die septimo et vicesimo mensis Junii, pridie ante beatissimorum apostolorum Petri et Pauli vigilias, sed et per totam Romanam urbem infinita gaudia, et exsultationes innumeræ celebratæ sunt. Inde magis dignum est atque conveniens ut pro tanto præsule tantoque pastore cunctipotentem Dominum toto corde puroque animo jugiter imploremus (per quem tam admirabile perhonestumque opus, Christi solatiante potentia, celeri exercitatione expletum ob salutem Christianorum omnium consummatumque cognoscimus) in nostris orationibus, quatenus et hic diutissime vigeat, et illic cum sanctis omnibus pro suis innumeris certaminibus ac laboribus perpetualiter æterna mereatur præmia possidere.

536 Ipse vero beatissimus papa fecit in ecclesia sancti Sinzigii, quæ ponitur in civitate Blerana, vestem de fundato unam, habentem in medio tabulas de chrysoclavo, cum effigie Salvatoris, habente in capite gemmas prasinas tres, et sancti Sinzigii, et beatissimi præsulis, et vela de fundato quatuor. Et in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit cerostata : ex argento purissimo 2, pensan. libr. quinque et uncias sex, et gabathas de argento num. 4, pensan. libr... Fecit in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ponitur ad beatum Laurentium foris muros, vela de fundato numero viginti septem. Item fecit prædictus præsul in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis regnum, quod pendet super altare majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis, habens in medio crucem de auro, cum gemmis fixis in eadem cruce, vitreas quinque, et quæ pendent item vitreas numero quatuor, pensan. libras quinquaginta. Obtulit et in ecclesia beati Hippolyti martyris, quæ ponitur in insula Portuensi, quæ nuncupatur Arsis, vestem de fundato, habentem gammadias ex argento textas unam, vela de fundato, numero quatuor. Necnon et in ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur Anagnia, obtulit vestem de fundato, cum gammadiis auro textis unam, et vela de fundato quatuor.

537 Verum ne post hæc quæ superius veraci testimonio certisque schematibus dilucidata atque conscripta sunt silentio, quod minime convenit, cætera transeamus, libet alia beatissimi papæ opera, potenti Jesu Christi opitulante clementia, facta quamvis plurima tamen luce clarius indicare. Nam

Digitized by Google

cum in bonis Deoque dignis operibus mens simul et animus summi antistitis indeficiens desudaret, cœpit de civitate Portuensi permaximum habere certamen, ut quo modo vel ordine tam suis quamque etiam futuris temporibus ab hostibus ac Satanæ filiis secura et libera manere potuisset. Cumque diu hoc tacitus in corde suo pontificali haberet consilium, tunc Pater omnipotens et excelsus, qui semper in justis piisque cogitationibus fideles suos adjuvare non desinit, Corsorum animos excitavit, qui timore Saracenorum perterriti a propriis finibus exsules existebant, et huc sive illuc sine solo proprio vagantes incedebant, ut ad sedem Romanam causa refugii ac salutis venire quantocius debuissent : sicuti et factum est. Venientes vero illi ad sacratissima apostolorum principis limina ter beatissimo domino nostro Leoni quarto papæ illico præsentati sunt.

538 Qui cum ab eis suisque proceribus prudenter satis sciscitatus fuisset qualis tunc eis immineret necessitas pro qua venerant, ipsi autem necessitates suas, calamitates, atque angustias per ordinem quasi uno ore coram præfato exposuissent, se habitaturos cunctis diebus in suo successorumque pontificum obsequio ac servitio declararunt. Hoc sane benivolus præsul agnoscens in magnam est stetim exsultationem ac lætitiam elevatus, gratias Deo referens, qui tales illi transmisit homines, qui in prænominata civitate in perpetuum habitare potuissent. Auditis itaque eorum multis promissionibus, papa præcipuus una cum suis optimatibus eis clara voce respondit : Si quod verbis nobis dixistis opere curaveritis perficere, satis loca habemus optima in quibus habitare valebitis, si tantum nobis nostrisque pontificibus successoribus boni fideles fueritis. Nam civitas quam vobis daturi erimus valde firmata est atque munita, quam nos, Redemptoris nostri protegente auxilio, novis portis ac fabricis in locis pernecessariis ad cultum pristinum revocavimus. In qua si, ut diximus, manere cupitis, vineas vobis ac terras prataque concedemus, ut nullam possitis habere inopiam. Damus etiam vobis quousque ex labore vestro habeatis, vos et mulieres vestræ ac filii, unde vivere plenissime valeatis : boves etiam et caballos, et animalia cætera, sicut prædiximus, si cuncta bono animo feceritis. Tunc Corsorum populi talia audientes promissa lætiores effecti sunt, missosque pio pontifici protinus quæsiverunt, qui civitatem et loca specialiter demonstrarent : et ita factum est. Placuerunt siquidem omnia, et spoponderunt æquanimiter omnes, quod si noster papa et dominus universa quæ circuivimus fuerit dignatus conferre, cum omni familia et supellectili nostra in servitium sancti Petri, ut suum, successorumque cum omni aviditate properabimus.

539 Lustrata denique civitate, et possessionibus universis, ad venerabilem pontificem cum eisdem missis reversi sunt. Venientes igitur, ut præmissum est, illique læta ac prospera nuntiantes, et quod Corsorum gens vivere se ac mori in eisdem locis omnino fuissent professi, vocatis omnibus, ut ipsi similiter secundum missorum assertiones unanimes testarentur, pontificale eis secundum quod promiserat (ob serenissimorum Lotharii et Ludovici majorum imperatorum, suamque simul mercedem perpetuamque memoriam) præceptum emisit, hoc scilicet tenore et placito anteposito, ut tandiu firmum maneret ac stabile, quousque sanctæ sedis præsulibus populoque Romano in cunctis obedientes ac fideles existerent. Et si, quod absit, omnem præcepti seriem irrefragabiliter non custodirent, sancitum est in eodem ut vacuum et inane consisteret. Loca vero quæ eis data sunt, et a missis pontificalibus consignata, tam ex proprio jure ecclesiastico, quamque venerabilium monasteriorum, imo et singulorum hominum, qui finitimi existebant, in concesso eis pontificali privilegio specialiter ascripta leguntur. Ecce enim quanta crebro dicti præsulis erat ac præfulgebat misericordia, qui non tantum pro defensione urbis suos Romanos proceres diligebat, sed undecunque valebat colligere homines ad eorum auxilium et solatium invitabat, plus defensionem diligens patriæ et plebis securitatem commissæ, quam lucra temporalia et caduca, pro quibus multos jam recolimus vitam pariter et possessiones quibus delectabantur, jugiter amisisse.

540 Post hæc denique omnia, quæ superius brevi stylo contexta sunt, alia non dissimilia præsul sanctus ac venerabilis satis ovans peregit opuscula. Nam Hortanæ et Amerinæ valde antiquarum civitatum, quarum muri ac portæ præ nimia vetustate temporum usque ad solum ceciderant et funditus destitutæ manebant, quas modo fures, modo latrones ingredi patentibus aditis nullo resistente custode facilius ingrediebantur, ipse adeo solertissimus præsul tantam civitatum prædictarum urbium cognoscens incuriam, eas quas prætitulavimus civitates hortatu suo ac studio muris novis portisque prioribus minime dissimilibus ad pristinum locum statumque gratia corroboratas divina reduxit. In quibus modo civitatibus exaratis cives et ab inimicorum insidiis melius securi inhabitant, et fures ac latrones, ut dictum est, clausis muris ac portis nullum damnum et furtum tam noctibus quamque diebus de cætero valebunt inferre. His autem, ut prædictum est, diligenter expletis, fecit in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum regnum ex auro purissimo unum, pendens super altare majus, cum catenulis similiter aureis, sculptilem habens in medio crucem auream, habentem gemmas quatuordecim, ex quibus quinque in eadem cruce fixas, et alias quæ ibidem pendent novem : sex quidem albas et hyacinthinas tres, pensan. simul libram unam et semis uncias. Necnon et in basilica sanctæ Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur in vico Sardonum, obtulit calicem et patenam de argento

Digitized by Google

exaurat.. per unum, legente de nomine domni Leonis quarti papæ, pensan. simul in unum libras quatuor et uncias quinque. Ipse insignis præsulque præcipuus cum innumera summi decoris opera in basilica beati Petri cœli clavigeri perfecisset, portas, quas destruxerat Saracena progenies argentoque nudarat, erexit, multisque argenteis tabulis lucifluis salutiferisque historiis sculptis decoravit, et in meliorem speciem quam pridem fuerant reparavit, ut omnes qui in eamdem basilicam ingredi volunt laudes Deo omnipotenti sanctoque suo præsulatui referant, et exposcant ut multa annorum suæ vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere, tantoque pulchritudinis pondere aulam Dei argento, pensan. libras septuaginta ornavit. Qui summus Deoque amabilis papa in exordio sui pontificii cum porticus partis lævæ beati oræ nimia vetustate Petri basilicæ cecidisset, celeri studio præclarius renovavit.

541 Nam et ipsius præcipuæ sarta tecta ecclesiæ magnis trabibus procacique artificio elevatis luciflue renovavit. Qui etiam porticum, quæ sancti Andreæ cohæret ecclesiæ, cum cerneretur casura, in melius noviter restauravit. Sed et cameram, quæ ante portas argenteas jam dictæ aulæ esse conspicitur, infinito fretus amore renovans, decoravit. Et multas piæ operationis in eadem specie ecclesias fecit, quas si scripturæ tradere voluerimus, lingua narrare non sufficiet et nec scribentium valebunt articuli sustinere. Cum ergo per diversas Dei ecclesias multa perficeret insignia opera ipse beatissimus pontifex porticum, quæ ante basilicam sanctæ Dei Genitricis consistit, quæ juxta basilicam sancti Laurentii sita est foris muros, clarius ac firmius renovavit. In ecclesia autem sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico Sardonum, milliario ab urbe Roma trigesimo, 4 catholicos libros obtulit, unum Evangeliorum, alium Regnorum, Psalmorum, atque Sermonum. In ecclesia beati Martini confessoris atque pontificis, foris portam beati Petri apostoli, fecit calicem de argento unum cum catenulis, pensan. libras 4 et uncias 2. Et in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit thymiamateria duo ex argento mundissimo, pensan. libr. 2 et unciam unam. Simili modo et in ecclesia beatæ Petronillæ fecit vestes de fundato tres et vela duodecim, quatuor quidem de fundato, et tres de spanisco, et linea quinque. Nam et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipse beatissimus pontifex a fundamentis supra scholam Saxonum noviter construxit, obtulit vestes de fundato tres, et vela similiter de fundato quatuor.

542 Item beatissimus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli cereos deargentatos, qui stant in presbyterio numero viginti et septem, pensan. insimul libras quadraginta. Nam et trabes in ingressu et in medio presbyterii investivit ex argento purissimo, pensan. libras sexaginta et septem et uncias tres. Cum autem supernæ zelo patriæ incensus speciosis Christi per ordinem ornaret metallis ac ornamentis Ecclesias, post fecit alia multa in aula beati Petri apostoli principis coronam ex argento purissimo unam, cum catenulis argenteis quatuor, habentem delphinos quadraginta et duos, pensan. simul libras viginti et tres. Hic quoque pontifex, Christi semper auxilio fretus ac divinitus inspiratus, fecit in circuitu altaris beati Petri apostoli vela serica de prasino quatuor, habentia tabulas de chrysoclavo, cum effigie Salvatoris et apostolorum Petri et Pauli, et sui ipsius almifici præsulis, et in medio cruces et gammadias de chrysoclavo cum orbiculis, in quibus sunt imagines apostolorum miræ pulchritudinis decoratas, quæ in diebus festis ad decorem ibidem suspenduntur.

543 Pari modo fecit ubi supra alia vela alba holoserica rosata cum cancellis decorata mirifice, Paschæ obumbrantia sacra. Necnon et aliam coronam minorem ibidem obtulit cum catenulis quatuor, et delphinis decem, habentem lilium et uncinum, pensan. libras duas. Hujus namque beatissimi præsulis animus semper Deo devotus existens pretiosis Jesu Christi ecclesias ornamentis ingenti ob æternæ vitæ salutem decorare studebat amore : et, quod nullus præcessorum ejus pontificum facere arbitratus est, hic sancto procul dubio Spiritu fervens, atque compulsus, coronas ex auro mundissimo inclytis Christi videlicet et sanctorum vultibus refulgentes, fieri in apostolorum principis Petri ecclesia juxta altare, sub quo ejus sacratissimum corpus requiescit, dextra lævaque pendentes duas cum catenulis aureis bullis gemmisque prasinis decoratas decrevit, habentes insimul delphinos sexaginta, pensan. libras viginti. Fecit et crucifixum argenteum miro opere depictum in eadem ecclesia, qui in læva introitus parte inter columnas magnas positus ingenti splendet decore, habentem libras sexaginta et duas et dimidiam. Ipse quoque beatissimus pontifex fecit in oratorio beati Andreæ apostoli, quod sancti Petri cohæret ecclesiæ, vestem sericam unam habentem historiam aquilarum ; et in medio, tabulam cum chrysoclavo, in qua depictæ Christi et discipulorum ejus dextra lævaque imagines fulgent, et ipsius almifici præsulis. Ac similem post totius operis perfectionem, et ornamentis decoris in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum vestem fecit de eodem serico, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam, seu miraculum quod Dominus Christus de quinque panum et piscium alimentis duorum, quinque millia hominum abundanter satians, est operatus.

544 Inter hæc vero quæ superius scripta sunt cœpit crebro nominatus sanctissimus præsul de singulis ecclesiarum rectoribus, videlicet episcopis, presbyteris, diaconibus, atque omni Christianorum

Digitized by Google

militia, curam sollicitudinemque habere præcipuam. Volens itaque, sicuti et factum est ex priscis auctoritatibus, novam Christo juvante normam præponere, qualiter unusquisque eorum vitam castam et sobriam duceret, et Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret; tunc demum, sancti ejus Spiritus gratia revelante, una cum consilio serenissimorum Lotharii ac Ludovici imperatorum, anno imperii eorum quinto et trigesimo, atque pontificatus jam dicti præsulis septimo, mense Decembri, die octava, indictione secunda, sanctam ac venerandam in ecclesia beati Petri apostoli synodum congregavit. In qua tam ipse catholicus et apostolicus vir, quamque et alii cum eo sexaginta et septem episcopi resederunt. Ex quibus quatuor episcopi ab imperatoribus destinati, Joseph Eporegiensis, Nottingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, et alius Petrus Aretinus : inter quos etiam Paulus Diaconus sanctæ Ravennatis Ecclesiæ residens, vicem tenens Joannis archiepiscopi sui absque presbyteris et diaconibus et clero sanctæ matris Ecclesiæ.

545 Et tunc coram omnibus quadraginta et duo capitula, quæ profecto ad salutem et lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per diaconos sanctæ et universalis Ecclesiæ sedis legi præcepit. Quæ etiam capitula, ut in futurum ab omnibus illibata serventur, post cætera decreta pontificum in sanctis canonibus jussit ascribi : quatenus omnes episcopi hujus auctoritatis exemplum ante oculos habeant, et suos possint melius instruere et erudire subjectos. In hac denique post cætera synodo Anastasius presbyter cardinalis tituli beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit, et in aliena usque hodie demoratur. Qui cum neque ad duo pro eo congregata concilia venire vellet, néque per apostolicas epistolas, neque per tres vocatus episcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium et Joannem, ideo merito uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur canonibus, eum sancta synodus deposuit, et sacerdotali honere privavit anno, mense, die, et indictione superius adnotata.

546 Post præcipuam vero hujus concilii diffinitionem, beatissimus ejusdem præsulis animus, cœlestis semper amoris igne accensus, ad restauranda ecclesiarum Dei cunctorum ornamenta vasorum studium rursus cœpit ingens habere. Nam et in ecclesia beati Petri regni cœlorum clavigeri fecit lucernam ex argento purissimo unam bimixam, pens. libras sexdecim. Necnon et in monasterio sancti Martini, quod ipsius apostolorum principis ecclesiæ cohæret, fecit aliam lucernam ex argento fusilem ac bimixam, pens. libras viginti et septem et dimidiam. Similiter et in monasterio sanctorum Joannis et Pauli fecit aliam lucernam argenteam similiter supradictis, pens. libras vigenti duas et dimidiam; quæ Dominicis vel festis diebus juxta lectorium consistentibus ad legendum sacras lectiones magno luminis splendore lucescat. Isdem vero sanctissimus papa fecit regulas de argento fusiles cum cancellis in ingressu presbyterii, et ante confessionem beati Petri apostoli amatoris sui, quæ pulchro lucentes decore hominum præbent mentibus admirationem : quarum duæ pens. libras sexcentum quadraginta et duas, aliæ vero duæ libras quingentas et octuaginta. Et in ecclesia sancti Vincentii, quæ ponitur in Frascata, obtulit vestem de fundato unam. Sed quia, ut sæpe diximus, hujus serenissimi præsulis animus maxime beatissimi præsulis apostoli Petri apostolorum principis, repletus amore, ipsius summæ ecclesiæ, cujus divina dispensante potentia thronum regebat, multa desiderabat semper ornamenta perficere, fecit super ejus sanctum altare vestem de chrysoclavo, habentem historiam in medio Salvatoris inter angelicos vultus fulgentis, Petroque apostolo claves regni cœlorum tradentis, et in dextra lævaque gloriosam Petri et Pauli passionem fulgentem. Inter quos ipse præsul civitatem, quam fieri jusserat Petro interveniente, offert depictam, et crucem auro gemmisque nitentem : et in circuitu altaris et desuper habentem pannos sericos pretiosa aquilarum historia textos, quorum duo aurati cernuntur.

547 Obtulit autem, ubi supra, vela quatuor cum chrysoclavo, in quibus ipse præsul depictus imagini Salvatoris, inter angelicos vultus fulgentis, civitatem quam funditus paraverat offert. Igitur quia jam pleniter ea quæ beati Petri ecclesiæ prædictus pontifex obtulit ornamenta, breviter licet, descripsimus; nunc ea quæ in ecclesia beatissimi Pauli apostoli doctoris gentium post impiam Agarenorum devastationem est operatus, ob æternam memoriam summatim innotescere studemus. Fecit autem super ejus sacratissimum corpus cyborium miræ pulchritudinis ingenti argenti pondere cum columpis argenteis comptum, pensan. libras noningentas quadraginta et sex. Sed cum benigna ipsius pontificis mens ante et post generalia omnium ecclesiarum diversa ornamenta, quæ ingenti desiderio præbebat, beato Petro semper aliquid optimum et pretiosius offerre curabat, obtulit ei tres oleas masoricas admirabilis pulchritudinis serico textas coloreque depictas, quæ videlicet festis diebus in circuitu altaris majoris dependerent. Fecit autem et in ecclesia sancti Marciani, quæ sita est in Domucella, quæ vocatur Balnearola, vestem de fundato unam, et vela spanisca duo. Simili modo et in ecclesia beati Laurentii martyris Christi atque Levitæ obtulit vela de fundato, quæ pendent in arcubus infra columnellas majores, numero viginti quatuor. Fecit etiam in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis aquæmanile de argento par unum, habens in se sculptam similitudinem capitis hominis cum vite, et alia historia, pensan. libras tres. Item obtulit ipse quidem beatissimus et almificus præsul in ecclesia

Digitized by Google

sanctæ Dei Genitricis Mariæ in Æmilia, quæ via Aurelia nuncupatur, vestem de fundato unam. Similiter et in Ecclesia sancti Stephani, ubi supra, obtulit aliam vestem de fundato unam. Idem vero præclarus et almificus præsul, superna protectus dextra, usque in Dei semper servitio sincero perseverans animo, post multas bonas actiones, beati Silvestri et Martini ecclesiam, quam dominus Sergius prædecessor ejus noviter ab imis ædificaverat, multis quidem pulchrisque decoravit ac depinxit coloribus : cujus etiam pulchritudo magnam usque hodie humanis oculis admirationem præstat. Nam et ejusdem venerabile sacrumque altare ex argento investivit ac decoravit purissimo, pensan. libras centum et sexdecim.

548 Quamobrem post pulchra ac laudabilia diversarum ecclesiarum Dei opuscula quæ præsul magnificus tota animi devotione peregit, ne Christianus populus amplius in Centumcellensi castro ab hostibus deperiret, sicuti sæpe fieri solebat, effecit. Nam per quadraginta annos ipsa civitas muris diruta et habitatore proprio destituta manebat, moreque bestiarum, relictis sedibus propriis ob timorem Saracenorum, ut usque jam factum fuerat, per opaca silvarum montesque incognitos sua domicilia populus, qui relictus ab eis fuerat, aberrabat : in quibus etiam præ timore inimicorum diebus ac noctibus nec soporem oculis, nec ullam juxta humanam consuetudinem quietem vel modicam habere poterat. Cumque tam pius et laudabilis præsul de illorum gravamine, atque intolerabili nimium angustia, ultra modum et plusquam credi potest, quotidie condoleret, multis cum lacrymis infinitisque orationibus Dominum rerum omnium conditorem deprecabatur assidue, ut ei dono gratiæ suæ dignaretur ostendere quo in loco pro salute et liberatione crebro dicti Christiani populi Centumcellensis civitas mutari potuisset. Ad quam ipse profectus loca, quæ ei affinitate erant conjuncta, diligenti cura ac studio pervidit atque conspexit. Sed ubi locus videbatur idoneus ad urbem ædificandam, aquæ gestabant penuriam, quæ hominibus semper satis est necessaria.

549 Peragratis igitur omnibus, ut prædiximus, locis, pervenit tandem divina favente misericordia ad locum optimum valdeque munitum, super quo suus maxime est animus dilatatus, quia et aquarum copiam ad populum confortandum, et cæteras utilitates humanas, aquimolasque molentes pleniter subministrabat. Tamen quo modo vel ordine hoc ei divina ostenderit clementia, dignum est ut ad memoriam et laudem venerandi pontificis omnis populus credat veraciter et cognoscat, quod divino consilio et consultu opus diu exquisitum effectum est. Nocte denique quadam dum lectulo proprio juxta morem præclarus jaceret antistes, et de divinis, ut solet, opusculis cogitaret, ad prævisum et ordinatum jam locum, qui duodecimo a Centumcellensi urbe milliario distat, in somnis perductus est, et singula loca cuidam Petro magistro militum quasi per corporalem præsentiam in ipsa revelatione per ordinem demonstravit, ubi ecclesias et ubi portas ex pontificali adjutorio fundare et construere debuisset. Et quia præ loci angustia non ibidem nisi duæ portæ construendæ erant, in ipsa arcana revelatione digitis propriis adnotavit. Mane autem facto, pro somnio quod viderat magna cœpit habere certamina, et prænominatum Petrum ad suam illico jussit venire præsentiam, cui quidquid in somnis viderat retulit, multosque ei in argento mancosos præbuit, ut conducto populo Centumcellensis urbis, cum eis urbem festinantius perficere debuisset. Ac Deo quidem auspice ita nunc omnia ædificata nitescunt, sicut in somno papa laudabilis manu propria designavit : cui ex nomine proprio Leopolim nomen imposuit; ad quam, postquam ædificari cœperat, ad videndam et considerandam fabricam cum suorum fidelium multitudine amanter accessit. Visis denique portis et ecclesiis, in ipsis specialiter locis sicut monstraverat, et suum Christo protegente desiderium adimpletum, omnipotenti Domino gratias retulit infinitas, qui ei talem ostendere locum dignatus est, in quo et populus salvus existeret, et ad abundantiam inibi ministraret etiam lapides et arenam, quatenus sine labore operariorum noviter constructa fabrica augmentum percipere potuisset.

550 Gavisus ex his omnibus urbem Leopolim sæpedictus pontifex litaniis et orationibus pedibus propriis circuivit, tribusque orationibus in modum Trinitatis perpetualiter consecravit; missarum, ut solitus erat, officium rite persolvens, et aquam benedictam per muros jactari præcipiens. Et non modicam manibus propriis præ amoris magnitudine universo populo rogam distribuit : commendans omnipotenti Domino populum, et civitatem divinitus demonstratam, ne unquam ab hostibus capiatur vel invadatur. Iis omnibus perpetratis, ad sedem suam cum ingenti lætitia et alacritate, Christo auxiliante, reversus est, dieque superaddito decimo quinto omnis murorum ambitus completus atque perfectus est, anno præsulatus sui octavo, indictione secunda.

551 Sed et in ecclesiis quas ibidem fecit multa dona obtulit: In ecclesia videlicet sancti Petri gabathas ex argento fusiles majores, minoresque septem, pensan. pariter libras sexdecim et unciam unam; cantharam exauratam unam, baucas exauratas tres; fibulatoria majora, et minora quinque; crucem ex argento deauratam unam, cum gemma una. Item aliam crucem de auro unam, habentem in medio monocossim; et aliam crucem ex argento, numeratim, habentem gemmas quadraginta; thuribulum aureum exauratum unum, dextram saxiscam unam, coronas aureas duodecim, gabatham unam, et

Digitized by Google

strutmiocamelorum ova duo. Atque fecit in eadem ecclesia jam dictæ civitatis vestes sericas duas: ex quibus unam habet in medio tabulam de chrysoclavo, et alia habet in medio crucem, et orbiculos quatuor cum gammadiis; et vela de fundato decem et octo: crucifixum ex argento purissimo, pensan. libras 7. Necnon et in ecclesia sancti Leonis, ubi supra obtulit patenam exauratam unam, calicem de argento unum, vestes duas, unam quidem de fundato, ornatam in circuitu de olovero, habentem in medio rotam de chrysoclavo et gammadias, et alia de spanisco. Similiter et codices catholicos numero septem: Historiarum Salomonis, Antiphonarium, Psalterium et Sacramentarium, gestorum et sermones, sed et Evangelium cum tabulis argenteis: atque sacratissimum Dei altare, quod supra sanctissimum beati Petri apostoli corpus consistit argenteis deauratis, quæ in dextra et læva ipsius apostolorum principis habet miracula, perornavit laminis [a], quæ ingenti splendore nunc ut cœli astra coruscant, pensan. vero simul libras octuaginta quatuor et uncias quinque.

552 Atque post tam immensæ operationis insignia, factaque divina, Dei æterni clementia inspirante, quæ per diversa loca ob salutem Christianorum ipse sanctissimus papa est operatus, ecclesiam, quæ Domini voce supra firmam petram fundata consistit, et de beati Petri apostolorum principis nomine sancto gloriosa coruscat, pretiosissimo omnium metallorum ornatu præ nimio patriæ cœlestis amore quotidie ornare procurans, ibidem quoque lectorium argenteum inclyta operatione cælatum, et super quatuor pedes consistens perfecit. In cujus videlicet summitate leonis caput refulget, pensan. libras triginta unam et uncias undecim: necnon et cerostata quatuor, quæ a longo tempore summorum pontificum in medio presbyterii festis erigebantur diebus. Atque hæc sagaci arbitrio de argento purissimo investivit, atque ut in perpetuum ibidem erecta essent constituit, quod nullus prædecessorum ejus facere cogitavit, habentia simul libras quinquaginta et quinque. Ubi supra fecit et cerostata de argento majora, par unum, pensan. libras quadraginta octo et uncias decem, in quibus sedent lucernæ bimixtæ de argento purissimo lucentes juxta altare majus, pensan. libras simul quadraginta et novem: necnon et alia cerostata deargentata septem, pensan. libras viginti quinque et uncias tres. Pari modo et alia septem tetra fecit cerostata ferrea desuper de argento, pensan. libras unam et viginti, et uncias tres. Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, et in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius præsulis est nomen descriptum.

553 Jam et monasterium sancti Martini, quod longo senio erat casurum, miris domorum ædificiis restauravit, et ad honorem meliorem quam prius fuerat funditus decoravit. In quo et vestem albam osatam cum rosis obtulit, et Salvatorem cum apostolis, et Virginem legentem nomen domini Leonis quarti. Item vela quinque alba rosata, et unum quidem habens gammadias tredecim, et amigdala de argento exaurata tria. In ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit vestem de fundato unam. Præterea idem summus et orthodoxus pontifex divina inspiratione pulsatus fecit in basilica beati Petri apostolorum principis calices ex argento purissimo, qui pendent super arcum principalem, necnon et infra columnas majores dextra lævaque numero octuaginta tres, habentes insimul libras quadringentas quadraginta et unam. Idipsum vero ante sacri altaris vestibulum miræ pulchritudinis fecit trabem, quam post diræ gentis nefandam deprædationem ex argento decoravit purissimo, in qua sacræ ac Dei venerabiles sedent imagines quæ pens. libras sexaginta. Obtulit quoque in ecclesia beati Petri apostoli, quæ ponitur in civitate Leopoli, thuribulum de argento exaurato unum. Pari modo et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ sita est in vico Sardorum, gabathas cum canistro de argento exauratas, pensan. libras..... Similiter et in venerabili monasterio Jerusalem, quod juxta ecclesiam beati Petri apostoli ponitur, fecit vestem de fundato cum orbiculis, in circuitu ornatam cum lista de chrysoclavo, cum velis ex imizino duobus, et de fundato tribus. Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit propitiatorium sacri altaris beati Petri apostolorum principis, ubi sacratissimum corpus ejus quiescit spanoclistum, habens quidem argenti libras septuaginta et duas, auri vero octuaginta.

554 Hujus vero temporibus quidam Daniel magister militum, iniquitatis ac stultitiæ mole cæcatus, ad serenissima domni Ludovici imperatoris vestigia properavit, eique multa falsa et inutilia verba, quæ credi nullo modo possent, super Gratianum eminentissimum magistrum militum, et Romani palatii egregium superistam ac consiliarium, dicere non dubitavit. Nam instanter eum accusabat ob falsitatis invidiam, dicens imperatori: Gratianus Romanæ urbis superista, quem erga vos fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua nimium super Francos murmurans dixit secrete: Quia Franci nihil nobis boni faciunt, neque adjutorium præbent; sed magis quæ nostra sunt violenter tollunt. Quare non advocamus Græcos, et cum eis fœdus pacis componentes Francorum regem et gentem de nostro regno et dominatione expellimus? Quo audito mox prædictus imperator, immenso furore accensus, sine litteris etiam ad Romanorum directis pontificem et senatum, Romam venire velociter pro-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Forte* luminaribus.

Digitized by Google

curavit. Quem tamen venientem domnus Leo papa honorifice, sicut mos est, super gradus majores beati Petri apostoli residens suscepit, et mellifluis prædicationis verbis placare cœpit.

555 Quadam vero die ipse imperator cum sanctissimo Leone pontifice, omnibus Romanis proceribus, pariter et optimis Francis in domo quam beatæ memoriæ Leo tertius papa juxta ecclesiam beati Petri apostoli fecerat sedentibus, de prædicta accusatione placitum habuit. Tunc Daniel, iniqua fronte armatus falsaque cogitatione imbutus, dixit coram omnibus : Iste Gratianus habuit mecum consilium hanc Romanam terram de vestra tollere potestate et Græcis tradere illam. Cui statim non solum Gratianus, verum etiam omnes Romani coram imperatore dixerunt : Mentiris ; nullo modo est verum quod dicis. Cognoscens autem imperator, et omnis Romanorum Francorumque nobilitas prædictum Danielem tale crimen per falsitatem et invidiam contra Gratianum dixisse, illico clementissimus imperator, nolens contra instituta veterum Augustorum peragere Romanorum, eos secundum Romanam legem instituit judicare. Quo judicio ipse Daniel multorum verbis reprehensus, ore proprio manifestavit se falsum super eum dixisse. Ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quidquid de eo facere vellet potestatem haberet. Sed cum jam traditum Danielem imperator a Gratiano multa et humili supplicatione petivisset, Gratianus assensit ; quem ille statim plenaria sibi reddita gratia libenter suscepit, et sic de mortis est periculo liberatus. His vero peractis imperator abiit, et sanctissimus domnus Leo quartus papa non post multos dies obdormivit in Domino XVI Kalendas Augusti ; sepultus vero est in ecclesia beati Petri apostoli. Fecit autem ordinationes duas, unam in mense Decembrio, et aliam per mensem Martium, presbyteros decem et novem, diaconos octo, episcopos per diversa loca numero sexaginta et tres.

(*Hic a quibusdam falso interjicitur Joannes VIII femina.*)

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 494, *lin* 9 *et* 10, pleniter disceret. *lin* 11, avidius mansit.

Num 497, *lin* 2, flagitabat.

Num 501, *lin* 6, nobiliter restaurare.

Num 502, *lin* 6, eruti.

Num 505, *lin* 5, Longobardorumque.

Num 507, *lin* 15, univit.

Num 511, *lin* 13, æthera.

Num 512, *lin* 1, aptatis itaque.

Num 513, *lin* 4, quod denique tabularum opus docent.

Num 515, *lin* 8, et cætera, quæ scripta sunt.

Num 516, *lin* 5, futurum Saracenorum periculum.

Num 517, *lin* 10, etiam Mario. *lin* 11, decem et novem. *lin* 13, Diogène et Liberali. *lin* 13 *et* 14, Felice et Benenato.

Num 518, *lin* 3, calicem modicum. *lin* 4, apostolicum legens.

Num 519, *lin* 13, apostolatum.

Num 520, *lin* 4, et tria, cantharos de auricalcho 13.

Num 522, *lin* 17, more suo.

Num 523, *lin* 11 *et* 12, divisit tamen Saracenorum naves amplius. Veniebant itaque usque ad oram maris. *lin* 15, foras permisit.

Num 528, *lin* 11, canistrum ex afoti de argento.

Num 532, *lin* 21, mansisque.

Num 534, *lin* 19, Leoniana.

Num 540, *lin* 15, Sardorum. *lin* 23, septingentas.

Num 541, *lin* 9, Sardorum. *lin* 14, *error* tria.

Num 542, *lin* 7, libras 13.

Num 543, *lin* 11, sexaginta septem, et demid. *lin* 12, in atrio beati Andreæ.

Num 549, *lin* 18, ovanter accensa.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 494, *lin* 1, Radualdo. *lin* 2, hic a Deo electus orthodoxus, atque ap. *lin* 5, b. corpore. *lin* 6, erat enim omnibus bonis moribus exornatus Gregorius præsul, qui tunc temporalem regebat ecclesiam sanctam Romanam, audita fama illius subdiaconum fecit, atque juxta se manere præcepit. Defuncto itaque Gregorio tertio, Sergius hujus sanctæ Rom. Ecclesiæ archipresbyter præsul effectus est, et beatissimum papam Leonem presbyterum consecravit, eique titulum, *ut lin* 5 *num* 495.

Num 495, *lin* 6, mor sive indigentibus. *lin* 7, verbo verum etiam. *lin* 8, foveret is, qui tunc aderat s. *lin* 9, sublatus est. Sub cujus temp.

Num 496, *lin* 1, Qua calamitate. *lin ead.* contritum est. Hoc facto un. *lin* 3, sev devastat. *lin* 3 *et* 4, fugebantur se null mort peric evadere posse. *lin* 5, pont quis esset, qui tam sanctum locum, et inv. omn. p. *lin* 6, pot confestim. *lin* 8, ob. ad sepulturam fuerat deport.

Num 497, *lin* 1, una simulque conc. *lin* 2, flagitabant, et quod nullum super se habere vellent alium præsulem. *lin* 5, annotatum est. *lin* 6, ad ecclesiam, quæ dicebatur quatuor Coronatorum. *lin* 7, extrahentes. *lin* 8, qui m. servantes a. o. ejus osc. *lin* 9, nullus breviter hominum en. pot. *lin* 12, repr est, si ob. fut. *lin* 12, 13, litt non annotamus. *lin* 13, ad Africam (*M.*, Africanam) qua v. *lin* 14, reverti, v. m. pel ventorum, procellarumque impulsu, sicut. *lin* 16, de novi. *lin* 21, conservantes. Ipse vero a Deo amabilis, etc., *ut num* 499, *lin* 1.

Num 499, *lin* 3, in ingressu patriarchii marm c. quæ nullus pontifex ut p. *lin* 8, psallere l. II. b. pr. tempore. *lin* 12, aut sed.

Num 500, *lin* 1, ac depr scevæ g. Agar multa dona obtulit ecclesiæ beati Petri apostoli, aliisque quamplurimis ecclesiis. Hic quoque prædictus præsul, *ut num* 502, *lin* 4.

Num 502, *lin* 8, nam et accubitus, quem domnus Sergius sanctæ recordationis tertius papa a fund c. et o. o. ibi par tunc præ n. u. *lin* 10, delata sunt (*M.*, delata s.). *lin* 11, secundum : *in utroque deest vox* carnem. *ibid.*, quam domn. *lin* 11 *et* 12, sanctæ memoriæ. *lin*, 12 m. ep. Sed isdem beatiss. *ibid.*, Leo q. cum nimia del. et gaudio o. *lin* 16, quæ appell Constantin temp domini L. *lin* 17, papæ tertii obt quæ, ut mos erat, in læt. *ibid.*, procederet. *lin* 19, et exinde a latronibus n. f. a. est. *lin* 19 *et* 20, præd suorum p. scilicet tam domnus P. *lin* 20 *et* 21, seu dom Greg. *lin* 21, fecit eam. *lin* 21, 22, sanctæ Dei Rom Eccl mir reparavit.

Num 503, *lin* 1, script scientia, et er. *lin* 2, qu. tantæ beatit. *lin* 4, basil sanctæ Luciæ virginis q.

Num 504, *lin* 1, audiens et perniciem. *lin* 2, in orationibus se convertit, ac jejuniis d. *lin* 3, dum

Digitized by Google

hæc agebantur. *lin* 5, spiritualibus. *ibid.*, iconia (*M.*, icona, *id est imagine : glossema est*). *lin* 6, cum clero perr. *lin* 7, cum omnium fid. *lin ead.*, beatæ Dei Gen. *lin* 10, omni clero, et populo st. p. *lin* 11, super cavernas, unde ipse pestifer flatus. *lin* 15, ex ipsis. *lin* 16, læsionis m. ap.

Num 505, *lin* 1, in ipso vero q. *lin* 2, virtutibus c. comb cœp ub. populorum. *lin* 5, apostolorum perveniret basil. Saxonum, Longobardorumque *ibid.*, porticus. *lin* 7, et Dom. *lin* 9, sed beati non valens virtutem ferre pontificis. *lin* 10, in cinerem. Nam octavam Assumptionis beatæ Dei Genit. *ut num* 508, *lin* 1.

Num 508, *lin* 2, in basilicam. *lin* 3 quæ foris est m. *lin* 4, in qua. *lin ead.*, celebrare festivitatem, seu solemnitatem. *lin* 5 *et* 6, cel plenius argento erogavit. *lin* 7, vestem de sedato. (*Sic uterque, in Regio tamen emendatum*, de fundato) unam, et multa alia obtulit illi dona. Fecit isdem benignissimus crucem, *ut num* 510, *lin* 1.

Num 510, *lin* 1, crux, quæ ut mos antiq. *lin* 2, præd. suorum p. Deo juvante in a. et arg et gemmis melius ren. Fecit quidem in oratorio sancti Adriani, etc., *ut num* 515, *lin* 3.

Num 515, *lin* 3, hom effigies crucem similiter. *lin* 4, de chrys et margaritis. Cum vero hæc (*sicut lin* 8, etc.) quæ retro scripta sunt Leo beatiss q. p. *lin* 9, de desid. *lin* 11, J. Chr tractare cons. *lin* 12 *et* 13, ab host capi, aut forsitan exp. *lin* 13 *et* 14, omnes prænominatos muros ejus civit. Rom duodecima siquidem indict. *lin* 15, alac reducere c. et non solum muros, verum etiam omnes portas lignis etiam renovare præcepit. Insuper etiam 15 turres ab ipso solo diruitas novis fabricis rest pr., etc., *ut lin* 22.

Num 516, *lin* 1, quarum duas i. p. p. ita sap ac prud. *lin* 2, ad oram Tyb. *lin* 4, facilius ing nunc vix per eum. *lin* 5, fut. Saracen peric. *lin ead.*, actum est. *lin* 6, sed etiam ferro m. *lin* 7, transire. Nam ipse beatissimus corpora sanctorum (*ut lin* 3, *num seq*) quatuor Coronat.

Num 517, *lin* 5, quam ipse usque dum ad p. *lin* 5 *et* 6, rexit per olitana curricula t. crassata vetustatis defectu. (*Fortasse scriptum fuerat*, cassata *pro* quass.) *lin* 6 *et* 7, videbatur conv. *lin* 7, pulchr cultum, ac statum a f. *lin* 8, corpora, id est Claudii et Nicostrati, Simproniani atque Castorii et Simplicii, necnon et Severi, Severiani, Carpofori et Victorini. Deinde Marii A. et Abacuc, Felicissimi et Agapiti, Ipoliti quidem cum familia sua numero 19. Aquilæ et Priscæ, Arsequi, Aquini, Narcissi et Marcellini, Felicis, Simetriique, Candidæ atque Paulinæ, Anastasii et Felicis, Apollionis et Benedicti, Venantii atque Felicis, Diogenis et Liberalis, Festi et Marcelli atque Superantii, Pudentianæ et Benedictæ, Felicis et Benenati; necnon caput sancti Proti, santæque Cæcillæ, sancti Al. *lin* 15, sanctissimæ virg. *lin* 15 *et* 16, et aliorum q. n. soli D. s. c. in qua etiam ecclesia multa contulit dona. Fecit etiam idem beatissimus præsul post deprædationem Saracen., etc., *ut num* 520, *lin* 8.

Num 518, *lin* 1, præd vero ven. *lin* 2, ubi supra obt pat. *lin* 4, beati Petri ap. pr. *lin* 7, similiter ipsorum forte sim ibi ipsum. *lin* 10, de quadr 10.

Num 520, *lin* 9, 10, et alia gemina alba 7, majorem t. Post hanc denique deprædationem, quam inique fecerant, aliam facere putaverunt. Sed Deus omnipotens precibus apostolorum facere non permisit. Gens itaque illa sceva inter cœperunt Romam veniendi reminiscentes pristinum lucrum, vel prædam quam fecerant, et multiplicata iterum perversorum omni manu, multisque cum navibus ad urbem Romanam XII indictione crudeliter decreverunt; multisque etiam diebus, etc., *ut num* 521, *lin* 14.

Num 521, *lin* 14 *et* 15, diebus commorantes in loco, qui Torarum dicitur, i. ins. Sardiniæ exire nullo modo potuerunt. Quorum iniquus.

Num 522, *lin* 2, sed Deus omnipotens, qui Ecclesiam suam semper inviol custod et d. c. non desinet. *lin* 4, mox enim. *lin* 6, et ob nullam rem aliam ven sunt pr. *lin* 8, volens ab eis sp. sc. *lin ead.*, aut non sicque fact est. *lin* 10 *et* 11, venerant i. Illi autem se ob aliud non v. *lin* 11, nisi ut superius leg ex. *lin* 12 *et* 13. cum magno exercitu, et ar. p. m. civitatem Ost p. omnesque eum gaudio susceperit. Illi autem videntes summum præsulem, omnes cœperunt osculari pedes ejus. Summus autem præsul missam in ecclesia beatæ Aureæ celebravit, omnibusque corpus Dominicum tradidit, atque orationem post perceptum corpus super eos donavit : *Deus cujus*, etc., *ut num* 523, *lin* 1, *lin* 2, beatum Petrum amb.

Num 523, *lin* 4, fidel. tuorum. *lin ead* sanctæ tuæ Eccl dim. *lin* 6, gloriosum : *cætera desunt. lin* 6 et 7, die vero altera postquam prædictus pontifex reversus est a jam prædicta civitate, ipsi sceler. s. *lin* 8, paruerunt. Præfati autem homines super illos facientes impetum, omnes superaverunt orationibus apostolorum, et sancti præsulis. Ex quibus per quasdam, etc., *ut lin* 1, *num seq.*

Num 524, *lin* 2, cæt autem vivos causa verit ac test comp. *lin* 4, aliqu enim nos ferro constr viv juss causa misericordiæ, quam in Dominum habemus. Et post hoc ne otiose. *lin* 7, eccl. beati Petri incœptum habebamus. *lin* 8 *et* 9, vid jub def obtulit isdem beatiss præsul post deprædationem gentis Agarenorum multa dona beati Petri apost aliisque ecclesiis. Fecit autem campanarium (*M.*, fecit etiam ib. camp) cum malo æreo (*M.*, in quo posuit campanam cum malo æreo) et crucem exauratam. Post victoriam denique scevæ gentis Agarenorum ædificavit civitatem, quam suo nomine vocari præcepit, atque super portam quæ respicit ad sanctum Peregrinum orationem istam descripsit : *Deus, qui*, etc., *ut num* 534, *lin* 7.

Num 534, *lin* 9, triumphos per Dominum, etc. *ibid*, secundam vero scripsit super posterulam, quæ sita est juxta castrum sancti Angeli. *lin* 11, hujus mundi. *ibid.*, et apost. *lin* 15, orat scripsit super post. quæ r. ad scholam Saxonum. Præsta quæ. *lin* 18 *et* 19, consequantur, et civitas hæc, quam ego famulus tuus Leo quartus episc te auxil meo nomine Leonina voc. (*M.*, Leoniana) novoque opere dedicavi, ut semper illæsa maneat. *lin* 20, per D.: *hæc desunt, post exoramus.* Quamobrem secundo præsulatus sui anno, præfata civitas sumpsit exordium, et in sexto consecrationis suæ anno civitas undique consummata est. In illa itaque die pax et lætitia fuit maxima clericis et proceribus omnibus. Hac itaque civitate expleta condolebat præsul, quod minime populus subierat ibi ad habitandum. Eodem igitur tempore advenit populus Corsorum, qui propter metum Agarenorum gentis civitates suas et terras et possessiones reliquerat. Cui cum nimio gaudio hanc civitatem summus præsul donavit, multisque divitiis ditavit, atque multas possessiones eis contribuit. Fecit etiam in ecclesia beati Petri portas argenteas majores post deprædationem Saracenorum. Fecit et crucifixum argenteum inter columnas, habentem libras 62 et dimidium. Fecit etiam et concilium, ubi interfuere 67 episcopi, ubi relegi fecit decreta pontificum; in quo damnatus fuit Anastasius cardinalis propter sua crimina. Hujus vero temporibus, *ut num* 554, *lin* 1.

Num 554. *lin* 1, Daniel magister iniq stult m. (*M.*, ac st. m.) cæcatus ad sereniss. Ludovicum imperatorem ire festinavit, eique multa inutilia verba super Gratianum eminentissimum magistrum militum nuntiavit, eo quod divisionem ipse facere deberet inter regnum et sacerdotium, imperiumque mutare deberet Constantinopolim. Imperator itaque, audita hac causa, festinus Romam venit. Audito domnus præsul adventu regis, mirari cœpit, eumque apud beatum Petrum recepit, et causam insimul præfatam tractare cœperunt, sed penitus falsam in-

Digitized by Google

venerunt. Ipse autem, qui Franciam ivit causa accusandi traditus fuit Gratiani potestati. His vero peractis *ut lin* 15 *num seq* abiit imper et sanctiss. Leo IV papa.

Num 555, *lin* 17, Decembris, et aliam in mense Martii. *lin* 18, et cessavit episcopatus mens 2, dies 15 femina. *Hic interseritur Vita Joannis Anglici in utroque codice. Sed quia fabula hæc jamdiu explosa est, ideo hic expungendam duximus, ne male feriati homines exinde calumniandi occazionem raperent. Si quis autem ægre ferat hanc Vitam a nobis prætermissam, is Regium codicem consulat, ibique Martini Poloni verba interpolata leget, quæ inepti homines Anastasii codicibus inseruerunt.*

Ex codice Thuano altero.

Num 494, *lin* 1, Leo nat Rom ex patre Radualdo *lin* 1, 2, di. *lin* 8, in monasterio. *lin* 11, monachus avidius mans. *lin* 12, monachio d. r. o. D. p. devotius ser. *lin* 15, illucque l. c. *lin ead.*, pontificis. *lin* 17, illico : *semper ita scribitur.*

Num 495, *lin* 5, beatissimus papa. *lin* 9, sublatus est.

Num 496, *lin* 2, videlicet, sive de rep m. p. sive d.

Num 497, *lin* 1, una simul conc. *lin* 2, flagitabant. *lin* 10, sanctis intervent. *lin* 20, sacraverunt.

Num 498, *lin* 10, de arg puriss par unum, pensan lib cantharum cum thimiamaterio 1, pensan lib. . . . vela ex fund. *lin* 12, in arcos vid. *lin* 16, de chrysocl. 4. Item vela sirica cum rotis 17, ex quibus quatuor cum gammadiis de chrysocl et gemmis. *lin* 19, et alia vela de blatta 2.

Num 499, *lin* 3, 4. de marm. *lin* 4, arbitravit. *lin* 8, psallere laudes.

Num 500, *lin* 4, butronem; *quidam legunt*, butionem. *alii* buttonem *retinent. lin* 5, inlumination em i. b. r. *lin* 8, dependent. *lin* 11, in arcos. *lin* 13, et alia quidem v. *lin* 14, tres.

Num 501, *lin* 3 *et* 4, præfati egregii præsulis. *lin* 4, de beati. *lin* 9, clamasterios. *lin* 9 *et* 10, quadraginta, necnon quia d. *lin* 12, de blatta.

Num 502, *lin* 3, de blatta. *lin* 10, tunc præ nim vet. *lin* 16, quæ appellatur Constant t. *lin* 19 *et* 20, præcessorum pont. *lin* 22, pararet. Isdem præfatus, et magnif p. fecit eam ex. a. p.

Num 504, *lin* 2, in orationibus se con atque jejuniis, Domin depredare non cessan. *lin* 7, ad. b. beatæ Dei Gen. *lin* 10, omni clero, et populo st. *lin* 11, ips unde pes. *lin* 12, tendit. *lin* 13, deprecavit.

Num 505, *lin* 2, virtutibus. *lin* 5, Longobardorumque. *lin* 6, pont illuc celeri. *lin* 12 beati Petri apostoli.

Num 506, *lin* 2, ipsius magni pr. *lin* 4, de arg purissimo. *lin* 5, beatiss, papa. *lin* 7, sacratiss bas *lin ead.*, quadraginta quinque. Fecit autem ubi supra post Saracenorum sævissimam devastationem in eadem basil rugas de argento puriss pens lib 57. Isdem. *lin* 8, quæ pon. *lin* 11, p. in arcos. *lin* 12, necnon et in orat.

Num 507, *lin* 1, jam etiam fecit ipsum vela, *lege* ibi ipsum, *ut alibi sæpe. lin* 5, fecit et in corpus beati. *lin ead.*, totasque exauratas num 3, et unam quidem. *lin* 7 *et* 8, sal hab. *lin* 15, ad pers. Deo omnipotenti quotidie l. *lin* 17, plenius confirm. Hic sæp.

Num 508, *lin* 3, celebrare p. *lin* 5, omnis q. ad hujus celebritatis plenos (*vel* plenas) argenteis erog. *lin* 8, eccl oratorio, quod vocatur BB. obt v. de fund unam, et in oratorio supradictæ ecclesiæ beati Nicolai donavit vestem de fundato unam.

Num 510, *lin* 1, a noviter. *lin* 2, a subdiaconibus manibus f. ante eq. præcessorum p. quam Deo jubente.

Num 511, *lin* 4, in desolatione. *lin* 7, plures Græcos constituit mon genere pro pl. g. c. m.

Num 512, *lin* 1, quorum singillatim. *lin* 7, limina destinavit ob hoc nota f.

A *Num* 513, *lin* 4, quod denique tabularum opus ccxvi, auri obr lib p. *lin* 5, tab arg p. *lin* 5 *et* 6, si. m. animi devot. *lin* 8, ipsius vult apost. *lin* 10, 11, pend in circuitu cuncta in arcora de blatta. *lin* 13, et in monast s. Cæsariæ in palatio.

Num 514, *lin* 9, rotas aquilasque.

Num 515, *lin* 1, semperque Virg. *lin* 3, effigiis. *lin* 5 *et* 6, cum cruce similiter de c. *lin* 8, cum vero hæc et cætera, quæ retro scripta sunt, Leo. *lin* 14, duo d. et quidem instante. *lin* 18 *et* 19, verum sanæ ped. *lin* 20, inter cætera m. *lin* 22, perduxit et 15.

Num 516, *lin* 2, ab ipsa ora Tib. *lin* 5, propter futurum Saracenorum peric. *lin* 6, verum etiam ferro munire curavit, quatinus sr. n. *lin* 7, urbi.

Num 517, *lin* 1, ipse vero a Deo. *lin* 1 *et* 2, quæ diu inculta foco erant s. *lin* 7 *et* 8, statum perduxit a fund. *lin* 9, Simpr. *lin* 10, verumtamen. Mar. *lin* 13, liberali. *lin* 14, necnon et caput. *lin* 15, rec locavit.

Num 519, *lin* 5 *et* 6, lintea cum crucibus 8, p. m.
B sacr p. *lin* 10, perf habentem iconas et crucem. *lin* 10, 11, ex arg mundiss cant exaur Steph i. m. ic. *lin* 13, ex arg puriss.

Num 520, *lin* 2, effigiis, *ut alibi. lin* 3, pretiosis gemmis. *lin* 4 *et* 5, tria cantharos de auricalco 13. Ipse v. s. m. et p. pontifex. *lin* 6, nuncup. juxta lacum. *lin* 7, isdem beatiss præsul. *lin* 9, 73.

Num 521, *lin* 1, ea igitur q. *lin* 1 *et* 2, ac lachr Domino aux duod. Siquidem jus ind. *lin* 3, operi luce clarius jus studemus. *lin* 8, eg. fuerant. *lin ead.*, præsulis gente (*forte* præs præsul). *lin* 8 *et* 9, hæc nullo modo p. p. *lin* 9, amplius fideles. *lin ead* signa, atque mir. *lin* 10 a principio nunc recidendum est. *lin* 16, exire conati sunt.

Num 522, *lin* 5, repente adv. *lin* 10 *et* 11, venerant inq. *lin* 12, civ Ost pr. *lin* 13 *et* 14, pontif consp ad pedes ejus.

Num 523, *lin* 8, paruerunt. *lin* 12, tamen Saracenorum amplius veniebant, itaque usque ad oras maris. *lin* 14 *et* 15, qui eos ad noc minime permittebat
C exire. *lin* 16, n. est dign. *lin* 18 *et* 19, per intercessionem. *lin* 19, princ apostolorum.

Num 525, *lin* 1, pro his ideo ben. *lin* 2, arg. *lin* 6, margaretis. *lin* 6 *et* 7 necnon etiam cum gemm. *lin* 9, campanilem.

Num 526, *lin* 2, 23, obtulit et in ecclesia beati protom vestem ex auro texto, cum gemmis hyacinthinis. *lin* 5, Obtulit etiam in eccl. *lin* 6 *et* 7, papæ tamen isdem præd almificus, etc., *ut heic. lin* 7, a. deductus. *lin* 9, tres, unam quidem hab, etc, *ut num seq. lin* 2.

Num 527, *lin* 5, gilium. *lin* 8, Simetri et Cæs. *lin* 11, et gabatham saxiscam 1. *lin* 12, idipsum fec propter retrib animæ suæ. *lin* 13, unam quidem t. *lin ead*, fecit autem idipsum : (*fort*, idipsum).

Num 528, *lin* 1 *et* 2, in basilica Dei Genitr Mariæ domin. *lin* 6 *et* 7, beatæ Dei Genitr Mariæ dom n. *lin* 8,
D ruitura manebat. *lin* 10, pens lib cxxxviii. *lin* 17, quatuor cum calicibus xvi.

Num 529, *lin* 1, obtulit adeo inibi, et alia vela n. *lin* 2, arcora duo ex arg. *lin* 3, fecit et in orat. *lin* 4, fecit etiam et in vener diacon sanctæ Mariæ Virg quæ vocatur Cyro. *lin* 7, eccl Dei Genitr Mar. *lin* 9, quæ ponitur in merim, qui vocatur Narrano.

Num 530, *lin* 1, beatiss Dei Genitr. *lin* 2, f. murum. *lin* 3, cruces *lin* 5, cruces. *lin* 9, 10, et in suxorio c. cib oleæ, qui pend in circ. *lin* 11, arcora quatuor. *lin* 13, qui voc subla. *lin* 14 *et* 15, præfatus præsul. *lin* 16 *et* 17, crucem auro textam 1. Obtulit etiam idem præf præsul. *lin* 19, de blattaha. *lin* 20, necnon et obt *ibid*, arcora ex arg. *lin* 21 *et* 22, b. Rufini mart.

Num 531, *lin* 3, hisdem, *atque ita scribitur in aliorum quoque auctorum codd. lin* 4, arcora, cum col et giliis de arg, *sic etiam scribitur paulo ante. lin* 5, pensant simul. *lin* 8, arcos. *lin ead.*, giliis. *lin* 11, tria. Ipse

Digitized by Google

vero a Deo protectus post devastationem Saracenorum fecit in ecclesia beati Petri principis apostolorum rugas de arg mundissimo, qui est ante confessionem ipsius, pens libr DLXXX, nam et tabulas de arg exauratas, qui est in gradu ante confessionem beati Petri apostoli num 4, et agnos 2, qui pens simul in unum. *lin* 15, et arcos. *lin* 16, in arcora.

Num 532, *lin* 1, libet, causaque æternæ memoriæ. *lin* 5, malivoli. *lin* 10. ac spiritali fil. *lin* 14, prælatus meruerat murus. Quod si vita com. *lin* 15, vellet perducere. *lin* 16, summo opere præsulem. *lin* 19, ex quo satis nuntio pr.

Num 533, *lin* 6, sollicitud. *lin* 9, vel pluvia. *lin* 11, sollic. *lin* 15. Leon vocatur. *lin* 17 acsac. imo levitæ, et universi ordines clericorum sanctæ.

Num 534, *lin* 11, et ap. *lin* 20, inlæsa.

Num 535, *lin* 7, pridie siquidem ante b.

Num 536, *lin* 8, super altare majore. *lin* 9, 10, num 3, pens : exagia L. *lin* 12, Dei Gen semperque Virginis Mariæ. *lin* 13, cum quatuor grammad auro text.

Num 537, *lin* 1, verum ne ad post hæc q. *lin* 2, libet quidem beatiss p. opuscula. *lin* 3, quamvis breviter, tamen l. c. i. Quamobrem cum in bonis D. d. operis.

Num 538, *lin* 11, manere cupitis. *Cætera ad finem usque desiderantur in codice Thuano.*

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 495, *lin* 6, largitus est. Igitur in quo.

Num 497, *lin* 2, flagitabant. *lin* 8, perduxerunt. Cujus morem. *lin* 20, illius sibi hon.

Num 498, *lin* 10, funxit. *lin* 11, parium unum.

Num 500, *lin* 3 *et* 4, fruere retrib. *lin* 12, et alia quidem vela.

Num 501, *lin* 9, 10 XL, necnon qui divino.

Num 502, *lin* 21, pararet.

Num 503, *lin* 4 *et* 5, abditisque in c. *lin* 7, virtutem m. et gladium.

Num 504, *lin* 2, in orationibus se convertens, atque jej. *lin* 15, ipse mortifer basil.

Num 505, *lin* 1, Saxorum : *sic etiam lin* 5. *lin* 16, jaquinthas.

Num 506, *lin* 2, ipsius magni præsulis. *lin* 14, optulit ubi sup.

Num 507, *lin* 5 *et* 6, unam quamdam in med.

Num 508, *lin* 5, aderant hujus celebritatis plenius argenteis. *lin* 8, de fundato 1. Et in oratorio supradictæ ecclesiæ beati Nicolai donavit vestem de fundato 1. Ipse.

Num 509, *lin* 1 *et* 2, præcipuus magno.

Num 510, *lin* 1 *et* 2, antiquitus a subdiaconibus manibus.

Num 511, *lin* 5, redacta sunt. *lin* 7, Græcos instituit monacos genere.

Num 512, *lin* 6, contrariis sive bilitatem. *lin* 7 *et* 8, limina destinavit ob hoc.

Num 513, *lin* 4, depictæ sunt. Quod denique. *lin* 11, in arcora.

Num 515, *lin* 3, homo. effigiis. *lin* 5, Vestem pretiosissimam. *lin* 8, cum vero hæc et cætera quæ.

Num 516, *lin* 3 *et* 4, ante facies. *lin* 3, ipsam igitur turrem.

Num 517, *lin* 1, ipse vero a Deo. *lin* 10, fratribus verumtamen Marius. *lin* 11, XVIII Aquilina. *lin* 13, Diogene et liberali. *lin* 13 *et* 14, Felice et Venenato. *lin* 15 *et* 16, et alii multi. *lin* 19, num III, sub eodem quoque vero sanctissimo præsule fecit.

Num 519, *lin* 1, prædictus vero vener.

Num 521, *lin* 15, qui torarum dic.

Num 522, *lin* 1, mediocriter ruit. *lin* 5, repente adventum.

Num 523, *lin* 2, Petrum ambulantem. *lin* 11, divisit. Tamen Saracenorum amplius veniebant. Itaque usque.

Num 525, *lin* 10, turabulum.

Num 526, *lin* 4, a noviter. *lin* 6, III. Tamen isdem. *lin* 7, deductus.

Num 527, *lin* 5, habente mala. *lin* 7, exposuit quam ex. *lin* 11, saxisca 1.

Num 528, *lin* 11, canistrum exafoti de arg. *lin* 18, ipsius. Namque cyburium.

Num 529, *lin* 5, in venerabile diaconia.

Num 530, *lin* 9, 10, et superscripto cyburium.

Num 531, *lin* 8, et giliis. *Ita sæpe, ubi supra.*

Num 532, *lin* 1, libet causa quæ æternæ. *lin* 12, et multis. *lin* 14, prælatus meruerat murus, quod si. *lin* 15, effectum vellet perd. *lin* 20, convocansque.

Num 533, *lin* 9, pluvia.

Num 535, *lin* 2, nationibus, atque in summæ sollempnitatis die rogam distribuens. *lin* 11, perhonestatumque. *lin* 12, cognoscimus nobis erat.

Num 536, *lin* 9, num III. pens. exagia L. *lin* 12, de fundato III, cum.

Num 537, *lin* 3, indicare. Quamobrem cum.

Num 538, *lin* 10, valde firma.

Num 539, *lin* 2, venientes itaque. *lin* 4, secundum promiserat præceptum ob. *lin* 14, plus enim def.

Num 540, *lin* 12, sculptile. *lin* 18, Calyxti clavigeri perfecisset portas in fund aquas destruxerat progenies, argentoque Saracena nudarat erexit. *lin* 20, ingredere veniunt.

Num 541, *lin* 10, psalterium.

Num 542, *lin* 6 *et* 7, pens. simul lib. XIII. *lin* 12, Pauli, seu ipsius.

Num 543, *lin* 10, fecit igitur et crucif. *lin* 9, beatissimus summæ pontifex sedis.

Num 544, *lin* 6, Illotarii, ac Hludovici im. anno siquidem imp.

Num 545, *lin* 2, universalis sedis apostolicæ legi pr.

Num 546, *lin* 9, cum cancello.

Num 547, *lin* 15, parium 1 : *ita sæpe. lin* 21, muris quidem.

Num 548, *lin* 7, habere manebat.

Num 549, *lin* 21, arenam inibi tribuere. quat.

Num 550, *lin* 6, alacritate reversus est. Octavo scilicet mense Christo. *lin* 8, præsulatus ejus oct.

Num 551, *lin* 12, catholicorum.

Num 552, *lin* 12, lucernæ vixinæ.

Num 553, *lin* 4, hab. gemmuline. *lin* 15 *et* 16, chryso- clavo et mila mizine.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Ita notatur manu Peniæ : Benedictus III, successit Leoni IV ad annum Domini 855, *nullo alio pontifice intercedente, ut hinc appareat egregium figmentum ac impudens mendacium de quadam femina pontificatum Romanum post Leonem IV invadente et nomen Joannis VIII, præferente, cujus neque ullus hic liber, neque nobiles scriptores superioribus sæculis meminerunt.*

Digitized by Google

CVI. BENEDICTUS III.

ANNO CHRISTI 855, LOTHARII IMP. 16, MICHAELIS III 14.

556 Benedictus tertius, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos duos, menses sex, dies decem. Beatus vir iste dilectissimis visceribus editus, sidereo pollens rore, crescensque celerius divinorum studio apicum patris ad erudiendum arbitrio traditur. Qui, veluti spongia citissime lympham capit, sacrorum ita voluminum didicit lectiones, rudimentaque cognovit, accepit, mentisque suæ fundatione posuit, et invisibilibus radicibus propagavit. Celeberrima quidem cum de eo fama pervulgaretur, in Lateranense patriarchium perducitur, cleroque locatur. Erat autem sapiens verbo, doctrina præclarus, sobrius conversatione, loquela pacificus, cunctis compatiens, omnibusque obediens, denique benignissimus. Cum eum intueretur papa Gregorius almificus peritum doctrinis atque proficuum, sanctæ illum constituit Romanæ Ecclesiæ subdiaconum; in quo ordine plura sacræ conversationis certamina habuit, nam carnem vicit ac mundi principem, et omnia ejus argumenta neqnissima. Obiit deinde Gregorius præsul, migravitque ad Dominum. Sergius autem gubernacula Romanæ suscepit antistes Ecclesiæ, eoque defuncto apostolicam Leo papa sedem suscepit. Oppido, qui illum pro felicissimis actibus diligens superno compunctus nutu cœlesti cum titulo ingenti presbyterum consecravit honore. Cujus beatitudo in tantum longe lateque refulsit atque præfloruit, ut omnibus beatissimus dictis et opere diceretur. Evidenter autem in eo divina permanere sapientia cognoscebatur, quia largifluis purisque ejus omnes fovebat affectibus, et luce clarius perornabat, caducique ac transituri mundi delectabilia respuebat, et quidquid utebatur egenis atque pauperibus erogabat. Jejuniis vero validus, oratione assiduus persistebat pervigilque in Dei quotidie laudibus commorabatur.

557 Leo quidem ubi hac luce subtractus præsul occubuit, mox omnis clerus istius Romanæ protectæ sedis, universique proceres, cunctusque senatus ac populus congregati sunt Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur pastorem, qui culmen apostolatus regere valuisset tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno consensu unoque eum conamine Benedictum pro tantis quibus pollebat sacris operibus pontificem promulgaverunt eligere. Illico vero alacri universa studio plebs et populi cœtus cœlesti titulo properantes, Deo illum omnipotenti ut solitus fuerat invenerunt fundentem orationem. Surgens autem et populi densissima cernens agmina rem cognovit, et mente concepit. Interea multis cum lacrymis genua flectens flebili voce omnes deprecabatur, taliter dicens: Non me a mea deducatis ecclesia rogo, quia tanti culminis non sufficio sustinere nec bajulare gravamen.

558 Illi vero nullatenus acquieverunt, sed virtutibus cum ex eodem titulo abstrahentes cum hymnis et canticis spiritalibus, ampla exsultatione et ineffabili gaudio in patriarchium Lateranense perducentes, pontificali solio, ut mos est pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerunt *. Lætatur propterea Urbs, exsultat Ecclesia, congaudent senes, ovantesque divinas modulantur virgines laudes. ditantur pauperes, locupletantur inopes, consolantur captivi, consurgunt debiles, infirmi sanantur celerique pede concurrunt, quia extensa in eis tristitia fuerat, contemplabantur confusa, et tranquillitas florigera videbatur erecta. Iis itaque peractis, clerus et cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, et consuetudo prisca ut poscit invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant legati decretum fuerunt hi: Nicolaus videlicet Anagninæ antistes Ecclesiæ, et Mercurius magister militum. Arsenio Eugubino episcopo obviantes adinvicem confabulari cœperunt: qui callidis eos sermonibus liniens corda eorum mollire cœpit, beatique fidelitatem jam fati declinaverunt electi, cum quibus etiam consilium studuit confirmare, ut depositum anathematizatumque Anastasium, quod divina nullatenus permittebat clementia, pontificatus infula perornarent. Euntes itaque Ludovico decretum benignissimo Cæsari dantes, duplici quam mentibus gerebant intentione Romam reversi sunt, adventumque missorum nuntiantes imperalium epistolas eidem insigni obtulerunt electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui omni clero ac reipubl. cœtibus diris machinationibus, consilium, quod Eugubii ut prætulimus cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes dicebant: Omnes in obviam imperialibus simul nobiscum exire studete legatis, quatenus Augusti jussionibus obedientes existere valeatis.

559 Post aliquot quoque dies ipsi quos prænuntiaverunt missi Hortam, quæ quadragesimo milliario a Roma distat, properaverunt. Ex quibus in eam Adelbertus, Bernardusque ingressi comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente episcopo, se conjunxerunt presbytero nomine Anastasio, qui in sancta synodo beatæ presidente Leone memoriæ præsule rite secundum sacrorum

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

* *Hinc clare liquet Leoni IV non Joannem VIII feminam, sed Benedictum successisse.*

Digitized by Google

promulgationes canonum excommunicatus, depositus et anathemate vinctus fuerat: non habentes Deum præ oculis, ipsiusque præcepta confundere ut tyranni cupientes, evidenter meditabantur qualiter eumdem ejectum anathematizatumque Anastasium apostolico culmine sublevarent contra traditionem omniumque sanctiones pontificum, virorumque almorum. Missi quoque, quos jam supra meminimus, qui imperatori nostrum decretum benignissimi de electione Benedicti porrexerant, id est Nicolaus episcopus, et Mercurius magister militum, mentibus cognitum conceptum habentes consilium cum aliis quibusdam Romam egressi nobilium, id est Gregorio Christophoroque magistris militum, obviam quasi imperatoris legatis profecti sunt, Hortamque properantibus urbem, fidelitatis sacramentum quod fecerant almifico Benedicto parvipendentes obliviscentesque, electo damnato se conjunxerunt, depositoque presbytero hac sub occasione multi concedentes ab urbe similiter peregerunt, cogitantes concilium, juxta illud prophetæ elogium [a], quod non potuerunt stabilire. Urbe deinde exeuntes ab Horta juxta basilicam beati Leucii martyris pervenerunt, insultantes et gloriantes in sua virtute, cum quibus Radualdus Portuensis episcopus, Tudertinæque urbis Agatho antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe. Et eidem anathematizato terra irretiti caligine se junxerant, obscurati sensu, mente et anima.

560 Hoc ipse Dei famulus audiens Benedictus electus, G. G. Majoremque venerabiles prudentesque, et omni scientia plenos episcopos, ipsis imperialibus missis cum aliquibus litteris studuit destinare, quos apprehendentes Artio anathematizato monente presbytero vinxerunt et custodibus tradiderunt, quod nec barbari gentiles in legatis perfecisse audiuntur. Postmodum autem sæpius dictus Christi minister Benedictus electus Adrianum insignem secundicerium sanctæ sedis apostolicæ illis, atque Gregorium ducem obviam direxit.

561 Altera autem die, missione fungentes, omni clero cunctoque senatui et universo populo mandaverunt ut obviam illis trans Milvium pontem imperatoris jussionibus irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani neque fallaciam acquieverunt, Milviumque trans pontem Urbem egressi unanimiter perrexerunt. Properantibus quidem ad martyris jam fati basilicam, ipsi de quibus jam supra legati meminimus, eidem deposito anathematizatoque presbytero episcopo clerus Romanæ plebis ac proceres obviaverunt, cum quibus pariter equitantes per Neronis campum Urbium jam mœniis properabant. Adrianum quoque insignem secundicerium, de quo supra retulimus, vallatum custodibus deducebant. Gratianum verò sacri super istam patriarchii atque Theodorum scriniarium apprehendentes reclusos lanceis retinebant et astrictos, quod nullatenus Augustorum jussione præceperant nec eorum voluntate dictaverant, sed hoc infelix depositi præsumptio agebat presbyteri, qui virtutibus Leonianam cum ipsis Cæsaris legatis ingrediens Urbem apostolorum repente quam non debuerat principis introire basilicam, Dei parvipendens judicium, audacter invasit, tantaque ac talia infaustæ operationis mala peregit qualia nec Saracena in ea perficere manus præsumpsit vel arbitrata est. Imagines enim confregit ignique concremavit, et synodum quam supra sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo pingi papa jusserat destruxit, Dominique Jesu Christi ejusque semper Virginis Genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit, pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrymas fundentes ingemiscebant, et tristitia replebantur ac mœrore.

562 His itaque peractis hostili virtute ipse Rom. depositus ingreditur presbyter, celeriterque ad Lateranense properavit cum iniquissimus ejus sequacibus, et sæculari potentia patriarchium multisque telorum generibus januas ejus aperiens tyrannus veluti cruentus eas introivit, solioque quod nec manibus debuerat contrectare resedit, et cuidam Balneoregiensi episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus, tantum cum non opere ferinis obumbratus mentibus cerneretur, præcepit ut beatissimum Benedictum, quem omnis Romana ut prætulimus plebs elegerat, pontificali quo residebat ejiceret solio. Qui etiam vestimenta pontificalia, quibus indutus erat, ut barbarus tulit atque exspoliavit, multisque eum injuriis verberibusque replevit. Tunc ipse depositus Anastasius eumdem benignissimum Benedictum electum, humana non Dei virtute custodibus, qui arctius eum constringerent, tradere studuit, Joanni scilicet Adrianoque dudum presbyteris, qui a Leone præsule pro illorum criminibus damnati fuerant atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox universa Urbs ululatu amplisque repleta est fletibus, et gravi murmure quassata jacebat. Illico quidem omnes episcopi clerusque ac Dei populus sancta sanctorum ingressi, tundentes pectora sua profusis lacrymis intra vestibulum et altare solo prostrati, jacebant, Dei orantes majestatem ut tanti erroris caligine sua eos victrice dextra liberaret. Septimæ tum feriæ cursus peragebatur.

563 Altera vero die prædicti episcopi cum universo clero ac populo in Æmilianæ titulo convenerunt, in quo etiam Augusti sæpius dicti legati frementes magnaque tumentes superbia pervenerunt, et impetu

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Psal.* XX.

Digitized by Google

facto absidam, in qua episcopi psallentes residebant cum clero, leones veluti ferocissimi conscenderunt, erectisque jaculis eos conabantur elidere ensibusque punire, dicentes : Acquiescite, et vestro consens Pontificali Anastasius culmini subrogetur. Illi vero sancto repleti Spiritu affirmabant, dicentes : Nunquam in depositum et anathemate a sancto præsule beataque synodo vinctum consentimus, sed modis omnibus abjicimus et a Dei cœtibus segregamus. Ipsi denique furibundi verberibus eos tormentisque dicebant se velle eos punire, sed beatissimus Deique omnipotentis antistes, et qui cum ipsis aderant, terrores vel minas eorum parvipendentes immobiles perstiterunt. Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes ab eis ira discesserunt repleti, et in quoddam cubiculum ipsius basilicæ sunt ingressi, diversaque consilia meditabantur, in quod etiam Ostiæ et Albani antistites coactos introduxerunt, quos molliori sermone blandisque reducere adulationibus decertabant, et postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus stridula etiam voce dicebant : Nullatenus vitam possidere potestis, sed capitali subjacebitis sanctioni, nisi consecrationis Anastasio gratiam dederitis. Illi autem ante se morti tradere proferebant membratimque se laniari, quam deposito, anathemate damnato consecrationis tribuerent benedictionem. Arguebant autem eosdem missos, et universas demonstrabant sacræ responsionis scripturas, qualiter nullatenus eumdem depositum in ordine quem poscebat constituere valuissent. Protinus vero secretius linguam eorum confabulantes furor qui in eis exuberabat minuit, mentibusque eorum videbatur expulsus.

564 Tertia vero feria lucescente omnes episcopi cum clero ac populo in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt. In qua omnis plebs, ac populi multitudo extensa voce clamavit : Benedictum beatissimum papam volumus. ipsumque desideramus : quod jam fati audientes legati, mirabantur. Videntes itaque quia in Anastasium Christi unitas almaque concordia nullo flectebatur ingenio, in quodam patriarchii cubiculo episcopos convocaverunt, atque alios sacerdotes cum clero : cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum ; sed tam probabilibus missorum audaciam superaverunt sermonibus atque doctrinis, ut infausta illorum mentis cogitatio contemplaretur contrita atque confusa. Hoc cernentes missi venerabilibus dixerunt episcopis : Accipite vestrum electum, et in quam vultis basilicam eum deducite. Et modo Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc patriarchio ejicimus. Tresque per dies jejunium cum orationibus celebremus, et postmodum quidquid superna clementia demonstraverit impleatur. Almifici vero episcopi clamaverunt : Ejiciatur nostra præsentia invasor atque depositus Anastasius, et ab hoc expellatur patriarchio, et tunc facimus quod hortamini.

565 Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de patriarchio ejectus atque expulsus est ; ut omnes multimodas orthodoxæ cultores fidei Domino nostro Jesu Christo persolverent grates. Episcopi quidem cum universo clero ac populo beatissimum accipientes Benedictum ejectum de basilica, in qua clerici commorantur, deduxerunt ; quia ibidem custodibus a sævissimo fuerat Anastasio collocatus. Qui cum omni alacritate atque exsultatione cum ipso in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, descenderunt. De qua exeuntes, cum super equum ovantes, in quo Leo præsul sedere consueverat, posuerunt. Quem etiam magna populi præcedente caterva in basilicam Dei Genitricis, quæ ad Præsepe dicitur, deduxerunt : in qua jejuniis et orationibus tribus diebus noctibusque vacantes, summam majestatem Domini multis cum lacrymis exorabant.

566 Expletoque jejunio, omnes qui se anathematizato depositoque conjunxerant divino compuncti nutu Deique inflammati favore, in jam fatam basilicam in qua beatissimus, ut prætulimus, Benedictus erat, unanimes convenerunt, et procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt ; qui et dicebant : Erravimus, et lubrico a te pede discessimus ; sed pastor veluti sanctissimus ovium suscipe agmina per nemus errantia, fessosque sinu agniculos collige, tuisque nos obumbra sub alis. Protinus ipse a Deo protectus Benedictus extensis brachiis, puris mentibus cordeque benigno omnes amplecti sitiebat, et osculis perornabat, quibus etiam dicebat : Gaudete, inquit, dilectissimi, et magis exsultate, quia Ecclesiam quæ scissa fuerat Christus Dei Filius sua unire virtute dignatus est. Hæc dicens et his similia prædicans, etiam ipsi imperiales ibidem convenerunt legati, qui salubribus verbis ac mollioribus cum eodem secretius electo confabulabantur. Subito vero omnes episcopi universusque clerus atque innumera Romani populi multitudo ex eadem eum deducentes basilica, cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, et in pontificali solio de quo ejectus fuerat posuerunt. Denique universa congratulabatur Ecclesia, et omnis populus amplis vocibus resultabat. Præterea Dominico die diluculo in basilicam beati Petri apostoli, ab episcopis, clero, proceribus deductus est, et in conspectu omnium, imperialibus missis cernentibus, in apostolica sede, ut mos est et antiqua traditio dictat, consecratus ordinatusque est pontifex. Portuensis vero episcopus prohibitus ab ecclesia, ordinationem quam debuerat super eum nullatenus fecit, quod anathemate sese junxerat ac in perjurii voraginem ceciderat atque manebat.

Digitized by Google

567 Post sacra autem tunc missarum solemnia celebrata in patriarchii Lateranensis pontifex ordinatus reversus est ecclesiam. Erat enim mitissimus et omnibus sacris decoratus operibus, vultu pulcher et mente clarus, dulcis verbo, doctrina benevolus. Sed quia cuncta non sufficimus per ordinem enarrare, ad ea quæ diversis sanctorum locis obtulit extendere calamum studeamus. In primo quidem pontificatus sui exordio superno exardescens amore in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, ipsius Redemptoris Domini nostri Jesu Christi miræ pulchritudinis ex argento purissimo auroque perfusam fecit iconam, leonem draconemque pedibus conculcantem, pensan. libras sexdecim et semis. Et in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Dominæ nostræ, quæ ad Præsepe nuncupatur, auream obtulit pretiosissimamque coronam unam, pensan. libras quatuor: in qua vero basilica baptisterium destructum multa per tempora manserat, celeri studio, futuram sperans a Domino retributionem, restauravit, et ad pristinum statum perduci procuravit. Ipse quoque insignis et beatissimus papa in basilica beati Petri apostoli ex argento mundissimo auroque fusam cantharam interrasilem, in quam thus mittitur, obtulit: ubi etiam candelabra septem cum cornibus ex argento purissimo obtulit aureo nitentia colore.

568 Jam et in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli sepulcrum, quod a Saracenis destructum fuerat, perornavit, pensan. libras numero centum tres. Etiam in basilica beatæ Dei Genitricis trans Tyberim obtulit vestem unam, in circuitu ornatam de olovero, habentem in medio crucem de chrysoclavo. Fecit autem in basilica beatæ Dei Genitricis, quæ vocatur Antiqua, quam a fundamentis Leo papa viam juxta Sacram construxerat, vela de fundato cum periclysi de blatthin numero tredecim. Qui etiam in basilica beati Laurentii martyris, sita foris muros civitatis, obtulit aureas claves atque concessit. In mense vero quinto consecrationis hujus præclari pontificis, id est mense Januario, die... fluvius qui appellatur Tyberis alveum egressus est suum et per campestria se dedit, intumuitque inundatione aquarum multarum et ingressus est per posterulam, quæ appellatur sanctæ Agathæ, in urbem Romanam hora diei. Transcendit interea aliquibus locis, et ingressus est in ecclesiam beati Silvestri, ita ut et gradus omnes ascenderet in basilicam beati Dionysii præ multitudine aquarum, excepto uno qui superius erat, et exinde expandit se super plateam, quæ vocatur via Lata, et ingressus est in basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, et ibidem tantum intumuit aqua ut etiam portæ ipsius ecclesiæ non viderentur præ multitudine aquarum. Ac inde ascendit per plateas et vicos usque ad clivum argentarii: exinde vero reflexus ingressus est per porticum, quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci, mense supradicto, die sexto apparitionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, id est Theophaniæ. Inde autem impetum faciens cœpit decurrere in cloacam quæ est juxta monasterium sancti Silvestri et sancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Et ab ipso die et deinceps cœpit paulatim aqua minui, et fluvius post multo damno facto in suum alveum reversus est. Nam domos evertit, agros dosertavit, evellens segetes et eradicans arbusta. His itaque peractis præfatus beatissimus papa nimio amore constrictus in ecclesia Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur trans Tyberim, fecit vestem in altari majori de chrysoclavo, habentem historiam assumptionis ejusdem Dei Genitricis.

569 Obtulit etiam in monasterio sancti Christi martyris Anastasii, quod vocatur ad Aquas Salvias, gabatham saxiscam ex argento purissimo unam, pensan. libras numero tres. Necnon et in basilica beatæ Dei Genitricis, quæ olim Antiqua vocabatur, nunc autem sita est juxta viam Sacram, fecit vestem cum chrysoclavo habentem historiam nativitatis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Simili modo et in monasterio beati Martini fecit canistra ex afoci duo ex argento purissimo, pensan. libras numero quatuor et semis. Item venerabilis et præclarus pontifex fecit in ecclesia beati Cyriaci martyris, quæ ponitur via Ostiensi, vestem de fundato unam. Pari modo et in ecclesia beati martyris Felicis, quæ ponitur in Pineis, fecit vestem de fundato unam, cum gryphis. Fecit vero egregius præsul in titulo beati Chrysogoni martyris calices ex argento purissimo numero quinque, qui pens. simul libras 11 et uncias semis. Nam et in titulo Calixti fecit amam unam ex argento purissimo, pensan. libras decem. Ibi et ipse fecit gabathas quatuor, pensan. libras novem et semis. Similiter et canistra novem, pensan. insimul libras 11. Ad laudem et gloriam ipsius ecclesiæ fecit Evangelium argento auroque perfusum unum, pensan. libras quindecim. Item ibi ipse fecit cortinam unam, canistrum unum, arcum cum duabus gammadiis ex argento purissimo, pensan. insimul libras quadraginta. Et in ecclesia beatæ Balbinæ martyris obtulit Evangelium ex argento purissimo.

570 Verum etiam et in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli fecit vestem de chrysoclavo miræ magnitudinis et pulchritudinis decoratam unam. Et in ecclesia beati Petri principis apostolorum nutritori suo præ nimio amore exardescens ad cooperiendum billicum confessionis fecit cooperculum ex auro purissimo, pensan. libras tres. Et in monasterio sanctorum Christi martyrum Sergii et Bachi, quod appellatur Callinici, fecit calices de argento purissimo duos et patenam unam, colatorium

Digitized by Google

unum, cantharam unam, thymiamaterium unum, pensan. simul libras quatuor. Ipse quidem insignis et beatissimus pontifex in superno fundamine mentis observantiam ponens, nil terrenis finemque habentibus, sed spiritualibus salubribusque tantummodo operibus delectabatur, et in cunctis quæ salutis sunt quotidie præclaro intuitu permanebat.

571 Iiis vero sacris beneficiis ornatus apostolorum principi, populique janitori, obtulit miræ pulchritudinis vestem unam auro textam, opere decoreque fulgentem, almificam Annuntiationis habentem historiam et hypapanti, qualiter ipse unigenitus Dei Filius templum ingressus doctorum in medio residebat. Verumtamen isdem prædictus et beatissimus præsul nimio amore accensus, Deique adminiculo suffultus, fecit in basilica beati ac egregii prædicatoris Pauli apostoli regnum de auro purissimo spanoclistum cum catenulis suis, habens in medio crucem auream, item spaniscam, quæ pendent assidue super ejusdem altare, pensan. libras duas et unciam unam. Obtulit quoque in eadem basilica cantharam de argento mundissimo unam, pensan. uncias novem. Ipse vero insignis et beatissimus papa fecit cruces argenteas septem, quæ per olitana tempora per omnes catholicas ecclesias more solito præcedebant, et quia præ nimia vetustate confractæ fuerant isdem præclarus et sanctissimus præsul a noviter restauravit et in pristinum statum iterum reduxit, quæ pensan. simul libras quinquaginta unam et semis. Necnon et in basilica sancti Christi martyris beati Sebastiani, quæ ponitur in loco, qui vocatur Frascata, obtulit idem pater egregius vestem de fundato unam habentem in medio crucem cum gammadiis de quadrapulo. Simili modo fecit in basilica beati et egregii prædicatoris Pauli apostoli vestem rubeam de arodina 1, cum chrysoclavo.

572 Verum etiam et in titulo sancti Cyriaci martyris fecit vestem de fundato unam. Ipse vero beatissimus pontifex exardescens amore fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui pharum ex argento unum miræ magnitudinis, qui pensan. libras, et uncias... Hic vero beatissimus pontifex divina inspiratione repletus, fecit in ecclesia beati Levitæ Laurentii, foris muros hujus civitatis Romanæ, vestem de fundato unam, cum chrysoclavo, miræ magnitudinis decoratam. Sed et ipsius præcipuæ sarta tecta ecclesiæ beati Petri apostoli nutritoris sui, id est navem majorem, et aliam navem, quæ super corpus ejus est, magnis trabibus impositis numero septem procacique artificio elevatis luciflue renovavit. Et in titulo beati Cyriaci martyris obtulit Evangelium unum ex argento purissimo ad laudem et gloriam ipsius ecclesiæ. His itaque peractis præfatus beatissimus papa nimio amore constrictus in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur trans Tiberim, absidam majorem ipsius ecclesiæ, in ruinis positam, noviter atque a fundamentis faciens ad meliorem erexit statum. Fenestras vero vitreis coloribus ornavit, et pictura musivi decoravit. Necnon et porticum atque baptisterium cum secretario, omnia et in omnibus sarta tecta noviter renovavit. Cœmeterium vero beati Marci confessoris atque pontificis, quod ponitur foris portam Appiam, in ruinis jam positum, omnino restauravit. Necnon et in ecclesia beatorum Petri et Marcellini martyrum, cujus tectum jam vetustate positum vicinum ruinæ existebat, depositis vetustissimis trabibus et aliis impositis, noviter ipsum tectum atque porticum in circuitu omnia noviter restauravit.

573 In basilica quoque jam sæpius dicti egregii doctoris mundi beati Pauli apostoli isdem antistes sanctissimus Benedictus præsul pulcherrimi decoris rete factum miro opere totum ex gemmis alvaberis et bullis aureis, conclusas etiam auripetias in se habens smaltitas, videlicet majori numero viginti unam, cum aliis pariter minoribus; necnon et amendulas aureas numero undecim, et gemmas chrysoclavas pendentes numero decem, magno amore præcepit fieri, et super sacrumsanctum altare ad honorem Apostoli offerens pendere jussit assidue. Verum etiam æthereo compunctus nutu magnam sanctæ ecclesiæ, ut idoneus Christi minister, curam corde purissimo indesinenter gerens, textum scilicet voluminis, in quo constant veræ prædicationis Pauli, videlicet apostoli, et aliorum apostolorum Epistolæ atque prophetarum ordinabiliter constitutæ lectiones, quæ a subdiaconibus leguntur per cunctas ecclesiarum stationes more solito, sursum in ambone raptum vel perditum a sancta ecclesia fuisse percipiens, captus magna vehementique sollicitudine tale dignum similiter volumen præparare studuit, in quo Græcas et Latinas lectiones, quas die Sabbato sancto Paschæ, simulque et sancto Pentecostes subdiaconi legere soliti sunt Scripturas adjungi præcepit, miræque operationis tabulis argenteis decenter adornans sanctæ ecclesiæ Romanæ libenter obtulit.

574 Hujus temporibus Michael, filius Theophili imperatoris Constantinopolitanæ urbis imperator ob amorem apostolorum misit ad beatum Petrum apostolum donum per manum Lazari monachi et pictoriæ artis nimie eruditi, genere vero Chazai, id est Evangelium de auro purissimo cum diversis lapidibus pretiosis : calicem vero similiter de auro et lapidibus circumdatum, reticulo pendente de gemmis albis pretiosis miræ pulchritudinis decoratum, et vela duo de olovero, cum cruce de olovero, et lista similiter de chrysoclavo, et parva coopertoria ipsius calicis, sicut mos Græcorum est. Similiter et vestem de purpura imperiali munda super altare majus ex omni parte cum historia et cancellis et rosis de chrysoclavo, magnæ pulchritudinis decoratam, etiam et velum de stauraci unum, cum crucc de chrysoclavo et litteris de auro Græcis.

Digitized by Google

575 Hujus temporibus rex Saxonum nomine causa orationis veniens, relictis omnibus suis rebus, regnum proprium suum dimisit, Romam properans ad limina apostolorum Petri et Pauli cum multitudine populi, et obtulit dona beato Petro apostolo coronam ex auro purissimo, pensan. libras quatuor; baucas ex auro purissimo duas, pensan. libras . . . . . spatam cum auro purissimo ligatam. Item imagines duas min. ex auro purissimo; gabathas saxiscas de argento exaurato quatuor; saraca de olovero, cum chrysoclavo 2; camisias albas sigillatas holosericas, cum chrysoclavo, et vela majora de fundato duo. Et ipse rex Saxonum, postulante sanctissimo domno Benedicto papa ut faceret rogam in ecclesia beati Petri apostoli publicam de pondere auri, vel arg. librarum, episcopis, presbyteris, diaconis et universo clero et optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum. Et postmodum finita causa orationis reversus est ad proprium regnum suum; et post paucos dies vitam finivit et perrexit ad Dominum.

576 Multum denique idem præsul sanctarum Dei ecclesiarum curam gerens, semperque pio mentis affectu ac studio in illarum reparatione gaudens, in basilica regni cœlorum clavigeri nutritoris sui pharum cantharum argenteum sedentem in pedibus quatuor a Saracenis olim ablatum, in quo ad decus ipsius basilicæ in diebus festis atque Dominicis lucerna simul et cerei ponebantur, juxta lectorium miri-fico opere fecit, ac renovavit, pensan. libras . . . . . Erat enim ad divini cultus amorem semper intentus pacisque amator, et omnium supernorum pudicis moribus operum cultor. Hic constituit ut cum episcopus, vel presbyter, aut diaconus moreretur, pontifex una cum omnibus episcopis et presbyteris atque diaconibus, necnon et reliquis clericis ad ejus sepeliendum corpus et commendandam animam conveniret: similiter etiam ipsi facerent cum pontifex ab hac luce migrasset, quod non solum docuit sed et fecit. Cujus vestigia sequens successor ejus in causa pietatis hujus, sicut et in cæteris eum tanquam hæres devotissimus imitatus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, presbyteros quinque, diaconum unum, episcopos per diversa loca numero sexaginta et sex. Sepultus vero est ante fores basilicæ beati Petri apostoli.

VARIÆ LECTIONES.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 556, *lin* 1, Benedictus natione Rom. *lin* 1 *et* 2, dies novem. *lin* 3, studio, et arb. traditur. Gregorius almificus præsul hunc videns moribus ornatum, subdiaconum hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ fecit. Cujus beatitudo in tantum, *ut infra lin* 14. *lin ead.* refloruit, ut ab omnibus. *lin* 15, diceretur. Leo quidem hac luce subtractus præsul occubuit. Mox enim omnis clarus istius a Deo protectæ Romanæ sedis, universi proceres, cunctusque populus ac senatus, etc., *ut lin.* 1 *num seq.*

Num 557, *lin* 3, ut beat. illi in omnibus d. d. p. qui. ap. cul. *lin* 4, tranq. Qui divinitus, æthereoque lumine inflammati. *lin* 5, conamine, pro tantis. *lin* 6, alacri studio uni. pl. et pop. c. in Calixti titulum properantes D·o. *lin* 7, surgens autem et populi d. fundens, et cernens (*puto abundare vocem* fundens). *lin* 8, genu flectens.

Num 558, *lin* 2, spiritualibus. *lin ead*, in patriarchio perducentes, scilicet Lateranensi pont. *lin* 3, posuerunt. Qui cum omni alacritate, atque exsultatione cum ipso in basilicam Salvatoris, ut *num* 565, *lin* 5.

Num 565, *lin* 7, ov. quem l. *lin* 8, caterva præced. in basilica D. *lin* 9, vac. majest. D.

Num 566, *lin* 1, Expleto vero jejunio, omnes supercilio deposito (*M.*, posito) se ei conjunxerunt, et divino comp. n. Deique inf. fervore in jam fata basilica, qua, ut prætulimus, Benedictus residebat, electus unanim. conv. et quidem (*M.*, quidam) procidentes vest. ipsius osculari cœp. *lin* 4, sed veluti pastor sacratissimus. *lin* 6, purisque m. et corde benigno omnes amplectens osculabatur, quibus etiam dicebat: Gaudete dilectiss. *lin* 8, fuit. *lin* 9 hæc, et his similia dic. et ipsi i. *lin* 10 *et* 11, confabulabantur. (Nam cum esset electus factione episcoporum Rodoaldi Portuensis et Arsenii Hortensis, actum est ut a legatis imperatorum Ludovici et Lotharii, cardinales cogerentur multis injuriis, et comminationibus, et gladiorum se evaginationibus Anastasium, quem quartus Leo deposuerat, sibi promovere pontificem; sed Deo præstante, patientia et unanimitate sua eosdem superaverunt). *In ora regii codicis hæc leguntur:*

A (*Hæc inclusa uncis*) *a consarcinatore inserta. Post verbum* super, *additur*, subito enim. *lin* 12, spiritualibus. *lin* 13, et pontif. sol. *lin* 14, exsultabat. Interea Dom. *lin* 15, in basilica. *lin ead.*, proceribus, ac reip. cœtibus ded. est. *lin* 17, pontifex, sacraque tunc missarum solemnitate celebrata in patriarchio Lateran. pontificali ordinatus reversus est gloria. Hic beatissimus præsul quamplurima dona obtulit ecclesiis Dei. Hic constituit, ut cum episcopus, presbyter aut diaconus p., etc., *ut num* 576, *lin* 6.

Num 576, *lin* 8, diaconis. *lin* 9, verum etiam fecit. *lin* 11, presbyt. 6. *lin* 12, num 20. *lin* 13. apost. et cessavit episcopatus dies 11.

B

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 556, *lin* 9, plura sacræ conventi actionis certamina. Nam. *lin* 11, obiit quippe Greg. *lin* 12 *et* 13, illum perfelicissimis. *lin* 17, egenis, atque inopibus erog.

Num 557, *lin* 6, cœtus Calixti titulo. *lin* 8, agmina recognovit.

Num 558, *lin* 9, decretum. Nicolaus. *lin* 10, Mercurius, atque magister mil. Arsenio Eugubio obviantes episcopum.

Num 559, *lin* 13, fidelitatis almifico sacramentum q. fec. *lin* 17, insultantes, talisque gloriantes hominum, atque virtutem.

C

Num 560, *lin* 4, quod barbari, nec gentiles in legatis, vel nationes perficere audiuntur.

Num 561, *lin* 9, Augusti juss.

Num 562, *lin* 7, custodibus, arcibusque eum.

Num 563, *lin* 1, altera quidem die.

Num 564, *lin* 8, cernentes ven.

Num 566, *lin* 3, Benedictus residebat electus ani animæ conv. *lin* 10, mollioribus eodem.

Num 570, *lin* 4, purissimo, quod pens. *lin* 5, cultorium. *lin* 7, mentis ejus obs.

D

Num 571, *lin* 3, ypopanti.

Num 572, *lin* 1, tit. beati Cyr.

Num 574, *lin* 3, g. v. Chazarus. *lin* 7, munda t.

Num 575, *lin* 4, spata t. *lin* 9, aurum. Ad populum v.

Num 576, *lin* 1, multum quippe sanct. *lin* 11. presbyt. vi.

Digitized by Google

CVII. NICOLAUS I.

ANNO CHRISTI 858, LUDOVICI II 3, MICHAELIS III 17.

577 Nicolaus, natione Romanus, ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignes beatissimi actus omnibus a primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Tanta enim sacrorum comptus erat pulchritudine operum, ut nihil ludis, nihilque ut pueri solent inhoneste delectaretur. Vacabat autem patientiæ et sobrietati, fragrans humilitate, puritateque præcipua. Pater vero ejus liberalium cum fuisset amator artium, et nobilissimum polleret fomitem, castis [a] eum elementis almificisque ritibus imbuens, litterarum studiis et optimis artibus perornabat, ita ut nulla sacrorum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus suæque cognitioni traductam non haberet. Gliscit autem membris, gliscit et sapientia, clarus, modestia fretus, scientia decoratus: probabilium nempe morum si quocunque viros conspiceret loco, concitus adhærere studebat illisque gratulabatur optime. Cumque cum prudentissimo patre ad quemdam beatissimum crebro virum accederet, qui sancti per illustrationem Spiritus plura fidelibus prædicabat, amplo eum asserebat in culmine ascensurum. Decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentisque dulcedinem coruscare, hujus ordinatione ad clericatus perductus est ordinem, ut quod divino senserat nutu futuris temporibus impleretur. Sergius porro præsul in summæ actionis cum fastigia conscendisse eum audiret, parentum illum deducens ab ædibus in patriarchio locavit, et in subdiaconatus per benedictionis gratiam constituit gradu. In quo, mirificis observationibus degens, cœlesti fovebatur ardore. Sergio vero papa ab hac corruptibili vita subtracto, Romanæ Ecclesiæ Leo gubernacula præsul suscepit. Qui in eo sæpissime videns perseverantiæ fructus, ingenti illum diaconum consecravit dilectione. Hoc quippe eo in ordine ministrante, tanta illi desuper concessa fuerat gratia, ut summæ actionis a cunctis cerneretur perfectionibus rutilare. Amabatur autem a clero, a nobilibus laudabatur, et a plebe magnificus amabatur.

578 [b] Leone scilicet papa defuncto, Benedictus miræ beatitudinis vir et sacratissimus pontifex superno protectus auxilio Romanæ præponitur sedi, suæque illum administrationi conjunxit, eo quod magis illum quam suæ consanguinitatis propinquos dilexit, ita ut per nullius horæ momentum sine illo esse delectaretur. Quidquid ecclesiasticarum rerum utilitatibus intuebatur congruere cum eo promulgans diffinitioni tradebat, prudentissimus sui contemplans arbitrii opes, sensusque clarescere virtutem; utriusque enim semper observantia utiliora suo conamine faciebat. Ad extrema quidem vitæ perductus, pretiosæ cohortis calicem sumpsit, suisque eum humeris cum adhuc diaconus esset usque ad apostoli beatissimi Petri basilicam cum aliis diaconibus gestans propriis manibus tumulo collocavit, dilectionis præmium pandens quod circa eum habebat, et amoris integritatem.

579 Eo autem tempore invictissimus Roma Ludovicus Cæsar discesserat. Qui ejus cum transitum cognovisset, condolens et concitus ad eam reversus est. Romani quippe tanto pastore amisso mœstissimo gemitu lacrymas suffundebant. Cumque clerus, proceres et optimatum genus congregarentur, jejuniis et orationibus atque vigiliis insistebant, incessabilique Dominum certamine obsecrabant, ut qualem amiserant talem illis dignaretur ostendere virum, pontificatus quem culmine sublevarent. Hæc vero cum gererentur, in basilica beati Dionysii confessoris atque pontificis cum universo populo convenerunt. In qua per aliquod spatium confabulantes horarum sidereo accensi fulgore unanimes illum apostolicæ sedis præsulem esse sanxerunt, et celeri gressu principis apostolorum Petri continuo aulæ properaverunt, in qua confugiens latitabat. Dicebat enim indignum se tanti regiminis gubernacula esse suscepturum. Impetum vero qui aderant facientes, virtutibus illum de eadem basilica abstrahentes, sacris acclamationibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, apostolicoque solio posuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri deductus apostoli præsente Cæsare consecratus est, apostolicaque sublimatus in sede factus est pontifex, et missarum solemnia supra sacratissimum corpus apostoli beatifice celebravit. Qui densis optimatum populique agminibus cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique, Urbs exsultat, clerus lætatur, senatus et populi plenitudo magnifice gratulabatur. Tertio igitur consecrationis ejus die Augusto convescens ophistico [c] famine resplendebat, claritateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, Cæsaremque specialem et veluti charissimum deosculans filium immenso circumdedit amore.

580 His itaque gestis serenissimus imperator inde discessit, sedemque in loco qui Quintus dicitur

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

For., cunctis. [b] *ecce Leoni IV non Joann. papa femina, sed Benedict. succedit.* [c] ophistico, *id est* prudenti.

Digitized by Google

collocavit. Beatissimus autem præsul hoc audiens, dilectionis ejus compulsus plenitudine atque amoris, ad eumdem cum proceribus et optimatibus Romani nominis locum properavit. Excellentissimus quem cum vidisset Augustus, obvius in adventum ejus occurrit, frenumque Cæsar equi pontificis suis manibus apprehendens, pedestri more, quantum sagittæ jactus extenditur, traxit. Imperiali cum quo ingressus tentorio salubribus ad invicem fruebantur eloquiis, mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate. Satiati scilicet mensisque remotis, plura serenissimus Cæsar beato præsuli contulit dona. Quibus susceptis equum conscendens, unde discesserat conabatur reverti. Augustus ejus amore fretus imperialis equi superscandens cathedram, ovanti cum eo incedebat animi voluptate. Ad quemdam quidem cum pervenissent spatiosissimum itineris locum, imperator equo descendit, equumque pontificis iterum, ut meminimus, supra traxit, dulcissimisque osculis ad invicem propinquantes luciflue gratulati sunt. Cæsar vero ad tentorium remeans cœptum arripuit iter. Præsul autem nobilissimorum cœtibus, quibus profectus fuerat, septus Romam ingressus, almificaque est conversatione magnificatus. Erat enim aspectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu præclarus, jejuniisque et divino cultui intentus, pauperibus largus, orphanorum protector, et viduis fautor, populique cuncti defensor. Sed quia cuncta quæ sacri operis gessit huic tradere scripturæ non possumus, ad ea quæ sanctis locis obtulit redeamus.

581 Hic beatissimus præsul divina inspiratione repletus, in diaconia sanctæ Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ, quæ vocatur Cosmedin, fecit vestem holosericam unam de stauraci, habentem historiam, leones majores 11. Ibi ipse fecit velum album rosatum unum, ornatum in circuitu de tyrio miræ magnitudinis. Obtulit vero in jam dicta diaconia gabatham saxiscam de argento purissimo unam deauratam, quæ pens. libras duas et uncias quatuor. Fecit autem in basilica Salvatoris, quæ Constantinianæ nomen sumpsit a nomine Constantini, cruces de argento purissimo, quæ pendent ante figuram substantiæ carnis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. In quibus ad laudem ipsius ecclesiam festis diebus cerea figura solitis, quæ pensan. libras numero, quatuor et semis. Item in basilica quoque semper Virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ vocatur ad Præsepe, fecit cantharum de argento sessilem parium unum, pensan. libras octo et uncias quatuor. Ipse quidem a Deo protectus et beatissimus pontifex superno favore plenus obtulit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui gabatham de auro purissimo 1 pretiosissimis gemmis, pensan. libras numero tres et uncias octo. Fecit enim in confessione ipsius sacratissimæ basilicæ jugulum de auro mundissimo unum, pensan. libras numero 2. Similiter vero in jam dicta ecclesia fecit cruces de argento mundissimo numero sex, pens. simul libras tredecim et uncias quinque : eo autem modo in basilica Doctoris gentium beati Pauli apostoli cruces ex argento purissimo duas, pensan. simul libras numero quatuor. Nam et in basilica sancti Laurentii martyris, quæ sita est foris muros, fecit cruces duas de argento purissimo, pensan. simul libras numero quatuor.

582 Primo quidem pontificatus sui anno aurea quædam ipsius beatitudini pretiosissimis compta gemmis corona perducta est, librarum habens pondera numero octo, et unciarum quatuor; ad gloriam supra sacratissimæ ejus altare basilicæ aureis ingenti exaltavit amore catenulis : verum etiam in jam dicta ecclesia beati Petri apostoli nutritori suo gabathas ex argento purissimo numero novem, qui pensan. simul libras numero duodecim et semis.

583 Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Stephani et Silvestri, quam noviter fundavit sanctæ recordationis dominus Paulus quondam papa, in ecclesia majore, quæ vocatur sancti Dionysii, ad honorem et gloriam sacri altaris, vela quatuor de stauraci. Hujus præclari pontificis, id est mense Octobris die trigesima, indictione octava, fluvius, qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est, et per campestria se dedit; intumuit etiam inundatione aquarum multarum, et ingressus est per posterulam, quæ appellatur sanctæ Agathæ, in urbe Roma quam hora diei transcendit, interea aliquibus locis, et ingressus est in ecclesiam beati Laurentii, quæ appellatur Lucinæ. Inde se extendit et ingressus est in monasterium sancti Silvestri, ita ut ex gradibus qui ascendunt in basilicam beati Dionysii præ multitudine aquarum ne unus videretur, excepto uno qui superius erat. Et exinde expandit se per plateam, quæ vocatur via Lata, et ingressus est in basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ibidem est : tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius ecclesiæ non viderentur præ altitudine aquarum. Et inde ascendit per plateas et vicos usque ad clivum Argentarii. Exinde redundans ingressus est per porticum, quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci. Inde impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Laurentii martyris, quæ vocatur Pallacini. Ab ipso die cœpit et deinceps paulatim aqua se minuere, et fluvius post multo damno facto in suum alveum reversus est. Nam domos et muros evertit, agros desertavit, evellens segetes, et eradicans arbusta. Simili modo in mense Decembrio die vigesima septima Natali sancti Joannis evangelistæ, indictione suprascripta, ingressus est alia vice fluvius, ipse qui appellatur Tiberis alveum suum egressus est ut supra in civitate Romana; omnia ut supra.

Digitized by Google

584 Simili modo præclarus et beatissimus pontifex fecit in monasterio sancti Valentini, quod est positum in territorio Narniensi, juxta Interamnem, vestem de fundato unam, habentem historiam Leonum, et in circuitu myzinum. Item venerabilis et præclarus pontifex formam aquæ, quæ vocatur Tocia, at vero jam per evoluta annorum spatia nimis confractam existentem, per quam decurrebat aqua per centenarium in urbem Romanam, a fundamentis ad fabricandum atque restaurandum eadem forma præparavit. Verum etiam et in ecclesia ejusdem Dei Genitricis et Domini nostri Jesu Christi, quæ vocatur Cosmedin, fecit hospitium largum ac spatiosum, satisque præcipuum ad opem atque utilitatem pontificum, ubi opportunum fuerit cum omnibus qui eis famulantur amplissime hospitetur. Simili modo et in ecclesia beati Petri principis apostolorum nutritori suo obtulit vela in arcus presbyterii cum chrysoclavo, habentem historiam, leonum figuras numero quadraginta. In eadem vero strenuo catenam opere factam contulit ex argento mundissimo, quæ pens. libras numero quatuor. Nam et in oratorio sanctæ Crucis, quod infra basilicam beati Petri apostoli constitutum est, fecit gabatham de argento unam, pensan. libras duas. Ipse quidem sacratissimus pontifex fecit in basilica doctoris gentium beati Pauli apostoli candelabrum argenteum unum, pens. libras numero duas et uncias sex. Verum etiam in titulo beati Eusebii confessoris Christi fecit super cyborium crucem cum velo de argento purissimo, pens. libras quatuor.

585 Hujus temporibus Michael, filius Theophili imperatoris Constantinopolitanæ urbis, imperator ob amorem apostolorum misit ad beatum Petrum apostolum dona per episcopos, quorum hæc sunt nomina : Methodius metropolitanus et Samuel episcopi, et alii duo depositi ab honore episcopatus, quorum nomina hæc sunt : Zacharias, et alius Theophilus, et alius imperialis laicus nomine Arsavir [a] protospatharius, id est patenam ex auro purissimo, cum diversis lapidibus pretiosis albis prasinis et hyacinthinis. Similiter calicem de auro, ex lapidibus circumdatum, et in circuitu pendentes hyacinthos in filio aureo, et repidis duobus in typo pavonum, cum scutis et diversis lapidibus pretiosis hyacinthis albis, qui pens. simul libras numero..... Similiter vero et vestem de chrysoclavo cum gemmis albis, habentem historiam Salvatoris, et beatum apostolum Petrum et Paulum et alios apostolos, arbusta et rosas utraque parte altaris, legentes de nomine ipsius imperatoris, miræ magnitudinis et pulchritudinis decore. Et alia multa dona porrigentes pontifici, legationis verba sibi injuncta protinus eliderunt. Porro fatus imperator Græcorum inventa pro imaginum depositoribus occasione sacrarum, missos apostolicæ sedis per suprafatos suos legatos Constantinopolim dirigi postulavit, intentans scilicet causam Ignatii patriarchæ, et Photii Constantinopolitanæ Ecclesiæ pervasoris : cupiens hinc eumdem sanctum virum Ignatium judicio sedis apostolicæ callide per invidiam ut postmodum patuit condemnare, Photiumque neophytum ipsi Ecclesiæ subrogare.

586 Tunc pontifex summus imperatoris adhuc pessimæ cogitationis ignarus, duos episcopos illuc, Radualdum scilicet et Zachariam, direxit. Præcipiens ut quidquid de sacris imaginibus quæstio afferret synodice diffinirent, et ipsius Ignatii patriarchæ, Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, et sibi renuntiarent. Qui sancti pontificis parvipendentes statuta, quæ vel quanta insana pecunia illic corrupti, more Vitalis atque Meseni, peregerint, inferius succincte transcurram. Interea multi Ravennatum, qui a Joanne ejusdem urbis archiepiscopo in rebus et juris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ad hunc beatissimum papam ut a tantis oppressionibus eruerentur veniebant. Quorum pie clamores audiens ipsum legatis suis et litteris sæpius archiepiscopum, quatenus talibus cederet actibus, commonuit. Sed ille mente confusa monita pii Patris obtendens [b] pejora prioribus addere minime metuebat. Quanto autem benigna inspectio summi præsulis illum, ut resipisceret admonebat, tanto magis ad deteriora sæculi vertebat, et super iniquitatem iniquitatem addere non desinebat.

587 Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam autem a visitatione sedis apostolicæ avertebat, et quorumdam res sine legali judicio occupabat. Necnon et sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurima prædia auferebat. Missos illius spernebat, et gloriam beati Petri apostoli quantum in se erat evacuabat. Præcepta etiam juris sancti Petri, si apud quoscunque inveniebat, frangebat, et ad jus sancti Apollinaris transferebat. Nam presbyteros et diaconos non solum sibi subjectos, sed etiam per Æmiliam constitutos ad apostolicam sedem pertinentes sine canonico judicio deponebat, et alios carceri, alios autem fetidis ergastulis retrudi faciebat : alios crimen, quod non fecerant, scriptis confiteri cogebat. Constituta præterea ecclesiastica absque sedis apostolicæ consensu deprimebat. Et vocatus a summo pontifice Romam se ad synodum non debere occurrere jactitabat. Nec mirum cur postea ista fecerit, qui cautiones et indiculos, qui soliti sunt ab archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri, in initio consecrationis suæ more Felicis decessoris sui falsavit, et quædam barbara scripta, quædam vero falsa composuit.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Lasavir. [b] contemnens.

Digitized by Google

588 Eodem tempore papa prædictus ter ad synodum suis litteris eum vocavit, et ille venire contemnens a sancta synodo communione privatus est. Deinde papiam pergens imperatoris auribus Ludovici Cæsaris molestiam intulit, solamenque mundanum quæsivit. Tunc largiente in Augusto legatos præcipuos, cum illis superbiæ repletus tumore Romam pervenit. Sed pontifex almus, quia contra sacrorum canonum regulas excommunicato ipsi legati communicaverunt, benigne eos redarguit. Illis autem quæ egerunt deflentibus, eidem archiepiscopo a Deo conservandus papa mittebat, ut in Kalen. Novembris ad synodum a qua fuerat excommunicatus occurreret, plenamque satisfactionem ostenderet, necnon et tantis prævaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, sed retrorsum abiens recessit. Et ecce Æmilienses ac senatores urbis Ravennæ cum innumero populo ad vestigia præsulis hujus beati Romani eum lacrymis properantes rogabant, ut ad imitationem Domini nostri Jesu Christi pro recuperatione eorum non dedignaretur proficisci Ravennam, quatenus inspectis omnibus ad summam eos perduceret libertatem.

589 Itaque per semet beatissimus papa Ravennam proficiscens, cum de ejus adventu Joannes archiepiscopus cognovisset, usque Papiam continuo ad imperatoris aures denuo molestandas iter arripuit. Tum præsul optimus omnibus Ravennensibus, Æmiliensibus et Pentapolitanis, res quas Joanne archiepiscopo et Gregorio fratre ejus rapientibus amiserant, clementer restituit, et præceptionis suæ decreto, quæ retrancidit [a], confirmavit. Præfato autem archiepiscopo, ut prædictum est, perveniente Papiam, concives ejusdem urbis una cum Liutardo episcopo suo a Romano pontifice consecrato cum audivissent quod a summo pontifice excommunicatus idem esset archiepiscopus, in tanta se custodiæ circumspectatione dediderunt, ut nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus ejus paterentur aliquid venundare, ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent. Potius autem cum de assistentibus ipsius archiepiscopi aliquos per plateas incedentes vidissent, clamabant: Isti de illis excommunicatis sunt, non licet nobiscum illis misceri. Tunc videns se idem archiepiscopus voluntatis suæ per hoc non posse machinamenta perficere, identidem se ab imperatore adjuvari poposcit. Cui ad hæc per internuntium mandat Augustus dicens: Vadat et fastu elationis deposito tanto se humiliet pontifici, cui et nos, et omnis Ecclesiæ generalitas inclinatur, et obedientiæ ac subjectionis colla submittat, quia quod cupit aliter minime consequi poterit. Cumque archiepiscopus hæc audivisset, anxiari cœpit. Et iterum importunis precibus legatos imperiales expetens Romam pervenit. Quem contra beatissimus papa hæc cognoscens, omnem illius arrogantiam tanquam aranearum tela despiciens, in qua prius sententia fuerat perseveravit atque immobilis fuit. Tamen eisdem Augustalibus missis papa sanctissimus magna cum mansuetudine hujuscemodi agens locutus est:

590 Si dilectus filius noster domnus imperator istius Joannis archiepiscopi actus et mores bene cognosceret, ipse non solum pro illo nos minime flagitaret, sed etiam ut se corrigeret ad nos eum etiam eo nolente diriget. Tunc, sicut ipse egregius papa decreverat, multis in unum episcopis provinciarum convenientibus eidem archiepiscopo destinavit, ut coram venieus de se plenissimam satisfactionem ostenderet, et quæ prævaricatus fuerat satius emendaret. Quod archiepiscopus audiens, et se a nemine adjuvari posse conspiciens, in angustiæ lamenta et nimiæ tribulationis se contulit victus, et quos poterat cum lacrymis implorabat, dicens: Miseremini mei, peto, misereri mei. Et clementiam summi præsulis, ut mei misereatur, exposcite. Quia ecce paratus sum ad omnia quæ præceperit peragenda. Quod nonnulli videntes et audientes summo referebant antistiti, et responsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus papa, Dominum, qui mortem non vult peccatoris, imitatus, misericordia motus præfatum archiepiscopum ad humilitatis viam tandem conversum suscipere decrevit. Tunc ille confestim apprehensa charta repromissionis, et juramenti sui scripturas, quas tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus, propria manu scribens, juxta consuetudinem antedecessorum suorum composuit. Et domum, quæ dicitur Leoniana, in qua beatissimus præsul cum episcopis, presbyteris, proceribus et optimatibus multis astantibus residebat, conscendit, prædictasque scripturas, quas fecerat super vivificam crucem Domini nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, et super sacrum quatuor sanctorum Evangeliorum codicem posuit, et has manu tenens, innumeris qui convenerant audientibus, clara voce sponte juravit se omnibus diebus vitæ suæ observando integriter tenere atque perficere, sicut in ipsis suæ responsionis continebatur atque legebatur scripturis. Quas etiam in conspectu omnium ore proprio legit, summoque præsuli tradidit. His ita peractis, ipse insignis et præcipuus pontifex in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, cum omnibus episcopis et cuncto clero altero die descendit; ubi a summo pontifice jussus prænotatus archiepiscopus aduit, et de crimine hæreseos quo impetebatur se expurgavit. Quem communioni ipse papa restituit, et ut sacrarum missarum solemnia celebraret licentiam ei beni-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] retradidit.

Digitized by Google

gnus indulsit. Sequenti vero die præsidente eodem summo et universali papa in eadem domo Leoniana, et juxta morem residente sanctissimo sacerdotum et coepiscoporum collegio, aduit idem archiepiscopus, et jussu summi præsulis resedit.

591 Tunc Æmilienses astiterunt episcopi dantes querimoniam in libellis super eumdem Joannem archiepiscopum, dicentes se multa præjudicia et superimposita ab ipso archiepiscopo sustinere. Nam et nonnulli Ravennenses et Æmilienses eadem fatebantur, sicut in gestis, quæ in bibliotheca rejacent, quisquis investigaverit poterit reperire. Quæ audiens a Deo protectus pontifex una cum sancta synodo contra ecclesiasticæ regulæ normam talia esse prædixit, et ut omnes istæ transgressiones corrigerentur acclamante sancta synodo ita debere fieri, dulci affatu statuit, ne sibi principaliter grex commissus Dominicus per desidiam lupinis lacerandus morsibus relinqueretur. Verumtamen, o Joannes archiepiscope, egregius inquiens præsul, ut cuncta quæ dicuntur speciali possint correctione amodo facilius corrigi, præcipimus tibi ut remota omni excusatione, præter gravem corporis molestiam quæ te venire omnino prohibeat, ad sedem apostolicam semel in singulis properare studeas annis, nisi forte remorandi licentiam ab apostolica sede percipias. Item sancimus ut episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem ducis, cleri et populi per epistolam apostolicæ sedis præsulis acceperis eos consecrandi licentiam. Ipsos autem episcopos quotiescunque ad apostolicam sedem accedere voluerint nequaquam prohibeas. Sed et nullam dationem, quam sacri canones non præcipiunt, ab eis aliquando exigas. Præcipimus etiam ut ipsos episcopos illam malam consuetudinem, quæ a quibusdam tricesimalis dicitur, nullo modo Ravennati exhibere, aut exercere compellas Ecclesiæ, nec illum morem, qui contra episcoporum privilegium sit, ab eis exigere quoquo modo tentes. Nihilominus præcipimus tibi ut nunquam res cujuscunque personæ, qualicunque ingenio vel chartula acquisitas et possessas olim modo occupes, aut titulum superimponas, donec in præsentia apostolica, vel missi ejus, aut vestrarum Ravennæ legali ordine illas in judicio convincas. Cumque hoc a papa beatissimo observandum archiepiscopo Joanni fuisset injunctum ac imperatum, surrexit sancta synodus, et tribus vicibus acclamavit : Rectum judicium summi præsulis, justa diffinitio totius pastoris Ecclesiæ, salubris institutio Christi discipuli omnibus placet! Omnes eadem dicimus, omnes eadem sapimus, omnes eadem judicamus. Tunc tam eodem archiepiscopo quam omni sancta synodo sacri verbi pabulo refectis, dulcissimique saporis a beatissimo præsule nectare satiatis, unusquisque ad propria, licentia accepta pontificis, exivit

592 Eodem tempore hic egregius et a Deo conservandus papa in ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ, quæ vocatur Cosmedin, fecit scalpi . . . . . de argento purissimo, pensan. libras quinque et uncias duas. Necnon in titulo Vestinæ expressæ figuræ beati Vitalis martyris fecit iconam, habentem quatuor libras et semis. Fecitque etiam in basilica beati Christi martyris Anastasii in circuitu sacri altaris cum periclysi de blatthin vela quatuor. In basilica vero beati Petri apostoli in oratorio sancti Gregorii papæ vestes fundatas per circuitum ornatas de olovero obtulit tres. Qui beatissimus et præcipuus pontifex in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli miræ pulchritudinis vestem auro textam in circuitu gemmas habentem hyacinthinas albas ac prasinas, simulque et carbunculos lapides mente obtulit pura. Ubi etiam et duo vela pari modo auro texta fecit cum gemmis, et obtulit. Ecclesiam autem Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ primitus Antiqua, nunc autem Nova, vocabatur, quam domnus Leo quartus papa a fundamentis construxerat, sed picturis eam minime decorarat, iste beatissimus præsul pulchris ac variis fecit depingi coloribus augens decorem, et plurimis corde puro ornavit speciebus.

593 Igitur, ut paulo superius protuli, quoddam in sancta Constantinopolitana schisma adoleverat Ecclesia, scilicet quia ejectio ex ejusdem sede Ecclesiæ Ignatio reverendissimo patriarcha, Photium ex laicis et ex militia tonsuratum contra reverendorum canonum statuta neophytum subito inibi subrogarunt antistitem. Verum quia Michael imperator Græcorum super his Ignatium patriarcham Constantinopolitanum, quem tempore domni Leonis quarti papæ laudum præconiis extulerunt, vituperando, et invasorem Photium collaudando, Romanam sedem, ut illuc iste beatissimus et insignis papa missos suos ad invenienda quæ dicebantur dirigeret, humiliter per Arsavir spatarium scilicet legatum, et apices suos, consuluit : porro eo quod vigorem ecclesiasticum desiderabat intemeratum consistere, id fieri summus præsul minime recusavit, cupiens zizaniorum cumulos usque ad radicem evellere, ne in sancta Dei Ecclesia per desidiam in aliquo macula pullularet.

594 Tunc e latere suo duos episcopos Radualdum, sicut prædictum est, Portuensem et Zachariam Anagninum, quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit, præcipiens et mandans eis ut causam electionis ipsius Ignatii et subrogationis Photii solummodo inquirerent, et sibi renuntiarent : et interim Photii neophyti communionem vitarent, quousque revertentes certum de omnibus responsum reddere studuissent. Illi autem abeuntes, quod in mandatis acceperant contemnentes, non solum Photio neophyto contra sibi interdictam sententiam communicaverunt, sed etiam corrupti muneribus, ipsi et consecrationi ejus favendo convocata generali synodo eumdem virum Ignatium patriarcham denuo deposuerunt : sicut in gestis Constantinopoli ab illis compilatis facile reperitur, et per legatos, scilicet,

Digitized by Google

Leonem a secretis, hic alios, necnon et epistolam prædicti imperatoris veraciter mansit cognitum. Revertentibus autem ipsis legatis, quod in Photio egerant nonnullis præconiis extollebant, et qui in Ignatio patriarcha nequiter operati fuerant, multis oppositionibus vituperabant. Rector ergo et totius Ecclesiæ princeps, apostolicæ sedis eximius et discretus præsul, Romæ hæc sancto considerabat intuitu, sed audita quæ contra suam dispositionem fuerant perpetrata, donec secundum mysticum suæ intellectum sophiæ cuncta scrutaretur, minime credebat. Interim sacræ suæ auctoritatis tam ad Michaelem Græcorum imperatorem quam ad eumdem Photium litteras, quæ in hujus sedis scrinio habentur, componens, dansque illas eidem Leoni a secretis et mandans nec in depositione Ignatii patriarchæ, nec in subrogatione Photii se fore consensurum, quousque veritate agnita coram se legitimum causa finem acciperet

595 Ubi aliis aientibus ipsius præsulis in hoc fuisse decretum, et aliis acclamantibus Ignatium injuste exstitisse depositum, supernum arbitrum idem summus jugiter pontifex precabatur, ut per ejus clementiam, quem nulla latent absconsa, Dei patefieret Ecclesiæ suæ voluntatis in talibus non fuisse consensum. Tunc vocavit zelo fretus divino episcoporum concilium, in quo luculentius patefactum est in depositione Ignatii illum minime consensisse, et legatos apostolicæ sedis in talibus deviasse. Denique decernente eodem piissimo cum sancta synodo præsule præfatum Zachariam episcopum, qui tunc aderat, sicut beatus papa Felix Vitalem et Misenum episcopos, qui Petro Alexandrino hæretica fæce coinquinato coacti consenserant, sacerdotali gradu, imo ecclesiastica communione privavit, eo quod in pluribus apostolica interdicta excessisse inventus est. Et Radoaldi episcopi causa, quem postea cum sancta synodo pariter papa pius mandata ejus etiam in Galliis violantem et excommunicationem frangentem, judiciumque canonicum subterfugientem damnavit, suspensa est.

596 Igitur ipse præclarus vir sanctique studii pontifex quemdam Peponem diaconum a Pandulpho episcopo sedem apostolicam appellantem injuste depositum officio suo restitui jussit; et quia sine certo numero episcoporum, imo sine criminis approbatione, et ipse diaconus sine oris professione fuerat judicatus, omnem illam judicii sententiam cassavit, et ad rectitudinis tramitem apostolica causam pietate reduxit. Ipso etiam præstantissimo præsule culmen apostolicum gubernante Ludovicus Augustus hæc sancto Petro apostolo contulit dona, videlicet [a]. Erat autem clementissimus idem pontifex in exhibendis Dominici gregis vigiliis adeo curiosus, ut cum aliquod scandalum in sancta Ecclesia oriebatur, nec requiem corpori nec membra dabat sopori, quousque per missos aut litteras suas pax reformaretur, et tranquillitatis populus resumeret lucrum.

597 Nam Lotharius rex relicta Theutberga regina, et Waldra la concubina in matrimonium sumpta, licet carnaliter super his Romanam sedem eumdemque pium consuluisset pontificem, in putredine luxuriæ carnisque petulantia volvebatur. Cumque hoc summus pontifex malum qualiter ab Ecclesia Dei pelleret, ne alios hujus morbi peste rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissime cœpit affligi, et intimo corde dolens valde super istis gemebat erroribus; præsertim cum Theutgaudum Trevirensem, et Guntherum [b] Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos cum Haganone Bergomensi et cæteris episcopis talem eidem regi auctoritatem dedisse audierit, ut Theutbergam liberius posset rejicere, et Waldradam concubinam in matrimonium legitime copulare. Et quos debuerat ante Dominum adjutores habere atque ductores, ipsos habere præsul beatissimus compererat, hanc dando pro auctoritate perpetuo igni, traditores. Unde sine mora continuo missos suos in Franciam destinavit, præcipiens et monens ut in Metensium urbe aggregato synodali conventu requirerent cur idem rex Theutbergam [c] rejiceret, aut Waldradam sibi in conjugium copularet? Quo requisito et invento legitimum finem imponerent.

598 Sed pervenientes illuc sedis apostolicæ legati scrutari cœperunt hujuscemodi causam, et id ab Lothario inter cætera audierunt: Quidquid ego feci, istorum episcoporum consilio usus feci. Erant autem ibi præcipui prædicti Theutgaudus et Guntherius archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere sanctus jam papa compererat, astruentes et dicentes legitimum illud fuisse connubium, quod de Waldrada concubina rex construxit Lotharius, et quæ dicebant, coram domino eximio papa venientes se defendere posse spondebant. Cumque legati apostolicæ sedis, licet in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent, quæ a rege ac Theutgaudo et Gunthario archiepiscopis audierant ac cognoverant summo retulerunt pontifici. Piissimus autem præsul adventum archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce, superna dirigente clementia, idem Theutgaudus et Guntharius archiepiscopi Romanam urbem adeuntes vestigii hujus præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benigne præsule a præstantissimo susceptis, libellum ei obtulerunt, dicentes se nihil plus vel minus egisse, nisi sicut libellus ipse cantabat. Quo diligentissime scrutato, non pauca in eo reperta sunt profani et multis inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ episcopalem excedentes ordinem ipsos sicut phreneticos

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Hic aliquid deesse videtur.* [b] *Alii vocant* Thietgandum *et* Guntherium. [c] *Alii,* Thietbergam.

Digitized by Google

ligaverunt archiepiscopos. Denique convocata synodo in Lateranensi post hæc palatio sub apostolis, inventi sunt iidem, ut dictum est, archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent : præcipue, quia auctores se tanti divortii fuisse clamabant, et sententiam (quam in Ingiltrudin uxorem Bosonis papa tulerat, quæ eumdem virum suum Bosonem per septenne tempus reliquerat, atque excommunicata etiam et a summæ sedis pio papa ligata et anathematizata exstiterat, et ad eum reverti curaverant communicantes ac conservantes cum ea, imo loquentes), dissolvisse se non negabant sed altisone publicabant, et epistolam Pii pontificis, sicut in illis male compositis gestis in scrinio hujus sedis repositis declaratur, ad libitum falsaverant. Tunc judicante et eodem sancto præsule cum synodo decernente sacerdotali honore privati sunt. Et depositionis censuram merito incurrerunt. In hac quidem synodo benignus præsul Metensem synodum, ubi gesta illa contra voluntatem Dei et suam digesta fuerant, illico cassavit, et quædam necessaria in sancta Ecclesia capitula promulgavit.

599 His ita peractis una cum jam dicto Haganone episcopo, qui, sicut quidam ep scoporum eidem coangelico præsuli scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis profanis gestis a Theutgando et Gunthario oblatis sonabant, Helin nominatus est, eo quod ipse Hagano auctor illorum præfuerit, et talia cum eisdem archiepiscopis inconvenientibus mendacibusque loquelis composuerit, Joanne, de cujus superius memoria textus eloquitur, ascito archiepiscopo cum Gregorio germano fratre illius, qui multarum prævaricationum juramenti quod præstaverant obliti, obnoxii habebantur, iidem depositi pœnitentiæ lamenta non requirentes, et tantum facinus quod in uxorem Lotharii regis gesserant adhuc non condolentes cum eis lem, Haganone scilicet et Joanne Ravennate episcopo atque Gregorio fratre ejus contra sedem Romanam, imo specialiter contra summum pontificem et populum illi subditum, et a Domino Jesu Christo per beatum Petrum apostolum regnique cœlorum clavigerum commendatum, multa nefanda, multa contraria multaque sacrilega, et Christianitatis modum excedentia palam et clam, fraudulenter atque procaciter operari cœperunt, ita ut eorum nequitia montes transiret et maria, et in cœlum os suum ponentes populum Domini crudeliter discerperent, et innocentes animas viperea factione deciperent. Et quibus non sufficiebant malæ præterita, nova et inaudita alia deteriora prioribus diabolo suadente facere non recusabant. Quia et quod sigillatim utrisque prohibitum, et synodice secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audacter contingere præsumpserunt, et quæ tentanda nemini, Deo contempto, eheu proh dolor! peregerunt.

600 Hic Christi amicus omnium nomina claudorum, cæcorum, atque ex toto debilium in urbe Roma consistentium scripta apud se retinens quotidianum illis victum ministrare studiose curabat. Nam reliquis pauperibus gressum aut vires habentibus hujuscemodi, ut vicissim eos pasceret sapienter, reperit modum, scilicet bullas suo nomine titulatas fieri jussit, et has eis dari præcepit. Ut quanti prima feria, quanti secunda, quanti tertia, vel cæteris obliquis feriis prandere debuissent per signum bullarum facilius nosceretur, et in illis quidem bullis, quæ eis datæ sunt, qui prima feria refici debebant fecit per singulas duos nodos, et sic per omnes usque in Sabbatum, ut quot feriæ essent tot essent nodi per singulas bullas, includens in eis nuces, ubi nodi flebant, quatenus nullus pauper haberetur in Urbe qui vel uno die per hebdomadam de suis eleemosynis non esset refectus. Interea Carolus rex sancto apostolo obtulit ex purissimo auro et gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthinas et albas. Sanctissimus autem et fulgidissimus pontifex dolens populum tot oppressum calamitatibus, Deum tantummodo innumeris invocabat precibus et infinitis laudabat præconiis, non tamen ecclesiarum Dei curam relinquens, sed potius in tribulatione et temporali tentatione decenter adaugens, Nam renovavit in basilica Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Cosmedin, secretarium, ibique pulchri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem et decorem ejus.

601 Pari modo juxta idem secretarium porticum renovans, ille construxit atque ædificavit oratorium in honorem sancti Nicolai, et plurima dona ibi contulit almus. Renovavit etiam ipse pastor benignus cœmeterium beati Felicis martyris, ac confessionem via Portuensi. Necnon et cœmeterium eadem via ad Ursum pileatum, ubi corpora sanctorum Christi martyrum Abdon et Sennen requieverunt, jam in ruinis positum pulchro ac miro restauravit honore. Via autem Appia de cœmeterio sancti Christi martyris Sebastiani, in Catacumba, ubi apostolorum corpora jacuerunt, quod multis ab annis ruerat, meliori illud fabrica renovans, monasterium fecit, et monachos sub abbatis regimine undecunque notuit aggregavit, victuique necessaria dari, cæteraque stipendia ministrari præcepit.

602 Hujus igitur tempore cum multi ad sanctitatis ejus nomen accurrerent, quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in oratorio beati Gregorii papæ et confessoris Christi in principis apostolorum æde Frascatæ constructa unam tabulam argenteam posuerunt, habentem libras . . . . . , Prædictus clementissimus pontifex in ecclesia cœlestis regni clavigeri beatissimi Petri apostoli vela numero quinque de fundato, quæ ad decorem ipsius basilicæ sursum in trabibus intra tantæ ædis vestibulum appenduntur, ornata in circuitu olovero optimo fecit, et pro æternæ vitæ contulit palma. Hujus beatissimi temporibus præsulis tot tantæque diversarum provinciarum, cognita luce clariu[s]

Digitized by Google

doctrina præclari dogmatis ejus, ad sedem apostolicam consultationes directæ sunt, quantas nunquam penitus quis reminiscitur a priscis temporibus pervenisse, qui præsagus sacri verbi pabulo præsul ubertim singulos reficiebat, tradesque eis præcepta juraque mystica, beatificis illos institutis satiabat, docebat, et ad propria benedictos et eruditos remittebat. Et quidquid quoquo modo perperam fieri cognoscebat, audiebatve per aliquos, Dei tantum respectu corrigere illud malens, gravibus lamentis orationibusque infinitis vacabat, ut Deus omnipotens per suam clementiam tale quid, tanquam non esset, bonis ac præcipuis immutaret exemplis. Sicuti veniente de insula Sardiniæ relatione, quod etiam et per domesticos suos genere Sardos agnoscens, hujuscemodi verbis ei relatum fuit ·

603 Quod judices ipsius insulæ cum populo gubernationibus suis subjecto in proximis ac sanguinis sui propinquis incestas et illicitas contraherent copulas, velut temporibus domni Gregorii quarti papæ facere consueverant. Tunc enim mellifluos, et prævaricantibus, a sancto Spiritu doctus, terribiles suæ prædicationis quæ in universo orbe micabat componens apices, missos etiam strenuos Paulum Populoniensem episcopum, et Saxum venerabilis monasterii sanctorum Joannis et Pauli abbatem accersiens, misit eos illuc, ut eamdem gentem Sardorum a tanto revocarent errore : quibus euntibus valde quosdam ex eis invenerunt adversos, disciplinæ monita recipere contemnentes. Verumtamen secundum præceptionis summi præsulis auctoritatem Sardos excommunicaverunt ac anathematizaverunt auditores, quousque malum incestarum effugerent copularum, pœnitentiæ medicamina requirentes, sicut in epistolis quas iidem legati in Sardiniam deportaverant regesto ipsius præsulis continetur insertis. Et sic Romam post affluentes prædicationes datas reversi sunt.

604 Quidam præterea Hincmarus Rhemorum archiepiscopus Rothadum Suessonicæ urbis episcopum sedis apostolicæ judicium appellantem contra Sardicensis concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit : cujus videlicet depositi ter beatissimus papa libellos cum innocentiæ suscepisset, ipsum archiepiscopum monens litteris et præcipiens ut depositum Rothadum Romam dirigeret cum suis missis audiendum, sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum beati papæ ad urbem, et per novem circiter menses hic commorante, nunquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderet, aut illum accusaret. Tunc in die vigiliarum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul cum clero et populo in basilica Dei Genitricis ad Præsepe missarum officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus papa benignus fecit in ambone publico de ipso Rothado sermonem, significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit et in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurrerit. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum et diaconorum, omniumque conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, et ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, nec honore privaretur. Ubi vestitus episcopali Rothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum, rursus exspectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalitium sacræ virginis Agnetis, qui est duodecimo Kal. Februarii ; sed nec sic quisquam aduit adversum Rothadum jam restitutum episcopum aliquid altercans.

605 Conveniente ergo beatissimo præsule cum omnibus in basilica ipsius virginis foris muros urbis via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis et promissionis suæ, qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum summo pontifici tradidit, qui coram cunctis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus. Ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est, et post omnium consensum in ecclesia sanctæ Constantiæ juxta eamdem sanctæ virginis basilicam decreto beatissimi hujus præsulis sæpe dictus Rothadus jam restitutus episcopus missarum solemnia solemniter celebravit. Sequenti vero die congregata in domo quæ nuncupatur Leoniana denuo synodo, excusatoque ipso, sicut in libellis ab eo recognitis duobusque quaternionibus insertis atque diverso tempore missis et oblatis archivoque hujus sedis repositis continetur, Rothado, ne talia sacerdotes, et maxime sedem apostolicam appellantes, ultra discrimina paterentur, sicut prænotatum est, in gradum pristinum est restitutus, et ad propriam sedem cum apostolicis sanctionibus remissus, quatenus vestitus episcopalibus infulis, si provocatus fuisset, de cætero suis accusatoribus coram sedis apostolicæ præsule responderet. Cum quo et sanctissimus et a Deo conservandus præsul tam pro restitutione illius, quam pro abolenda regis Lotharii copula, et pace etiam et concordia regum Galliarum conservanda, Arsenium episcopum hujus almæ sedis apostolicæ apocrisiarium et missum illico destinavit, quatenus reformata pace sanctæ eos Ecclesiæ sinibus sine refragatione conjungeret, et quædam necessaria in Galliarum Ecclesia ex apostolica traditione statuta diligentius et affluentius perageret.

606 Nihilominus Senfredum Placentinæ sedis antistitem a sede propria a cujusdam diaconi Pauli perfidia pulsum per legatos suos idem papa sedi suæ restituit, et eumdem diaconum, qui sedem illam proprio rectore superstite præsumpsit invadere, competenti cum suis sequacibus increpatione corri-

Digitized by Google

puit. Pro cujus etiam infausta nefariaque præsumptione penitus amputanda sanctitatis studio jussit, et pro pace Dei Ecclesia ipsi jam fato præcepit diacono, ut nec tale quid unquam tentaret peragere, nec eamdem sedem Placentinam, sive viveret Seufredus, sive moreretur episcopus, repetere præsumeret vel recipere. Omnium namque insignis idem atque præclarus pontifex pietate magistra miserias ac necessitates prævidens, cunctis clementer compatiendo celeri subveniebat egenis intuitu, et imitatione Domini nostri Jesu Christi, qui ad redimendum humanum genus e sublimi descendit ad infima, in populo labores sustinebat ingentes.

607 Claudorum quapropter atque cæcorum, necnon et diversis pœnis affectorum in porticu beati Petri apostoli jacentium ad oram Tyberini fluminis ad sitim auferendam non posse gressus conspiciens tendere, ac diversarum gentium quæ undique pro sceleribus apostolica limina propriis expetebant, utilitatem divinitus attendens, jussit, minime corpori suo parcens, formam aquæductus, qui multis a temporibus ruerat, et ad beatum Petrum apostolum ob hoc aqua non ducebatur, in meliorem quam fuerat certamine quamplurimo revocari statum : ita ut non solum hominibus profuerit debilibus, sed etiam omnibus ecclesiam beati principis apostolorum adeuntibus præcipuum opus exstiterit, sicut hactenus ad decorem Leonianæ urbis luculenter conspicitur ac habetur. Præterea Ostiensem urbem quam diu ac memoriæ [a] beatus papa Gregorius, ne gens iniqua Saracenorum populum Domini in circuitu caperet aut interimeret, ad salutem multorum construxerat, in ruinis jacentem inspiratione superna tactus fortiori firmiorique fabrica reædificari iste sanctissimus præsul jussit et in melius restauravit, portisque etiam et turribus fortissimis muniens promptos ad bella in ea homines collocavit, ita ut nullatenus alienigenæ gentis incursio de cætero illi possit dominari, aut concivibus ejus damna in aliquo nisi, quod absit, per desidiam operari.

608 Interea meritis beatissimi hujus in orbe prorsus exuberantibus, operante potentia summi Dei, qui quotidie suos per famulos signa et mirabilia magna facit, rex Bulgarorum Christianitatis et fidei sanctæ doctrinas agnoscens meruit baptizari, et qui prius creaturæ serviens sæviebat crudelitate, hujus temporibus Creatori colla submittens ampla cœpit religione jubere, magnaque usus est pietate. Tunc ad hunc catholicum et vere præsulem orthodoxum legatos suos mense augusto indictione XIV destinavit, donaque non parva tam sanctis locis quam eidem summo pontifici contulit, suggerens ejus apostolatui quid se facere salubrius oporteret, vel quid erga reliquum Bulgaricum adhuc baptismo sacro carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, agi deberet. Quod beatisssimus audiens papa magna repletus lætitia laudes Christo reddidit amplas, et cum omni sibi divinitus commissa Ecclesia gratulans, infinita præconia Deo nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota mente supplici quoque voce resolvit. Porro legatis ejusdem jam nomine Michaelis Bulgarici regis a sancto papa receptis, honorifice apud se eos retinuit. Et interim sedis apostolicæ missos, Paulum scilicet Populoniensem et Formosum Portuensem, magnæ sanctitatis episcopos, statuens, hosque monitis mellifluis atque doctrinis instruens, ad prædicandam genti illi eos ire decrevit. Cum quibus quoniam per Bulgaricum regnum iter usque Constantinopolim terra tenus tenditur, ut quidquid de sancta Constantinopolitana Ecclesia, licet jam per Orientem hoc ipsum idem papa semel et bis apostolicis litteris divulgatum habuerit, apud se decretum existeret, eidem per suos legatos Ecclesiæ notum faceret, Donatum episcopum Ostiensem, Leonemque presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon et Marinum sanctæ sedis diaconum apostolicæ missos idoneos æque direxit, ut illi Bulgariæ populum ad fidem convertirent, et iste quid vel qualiter apostolica sedes de eadem Constantinopolitana deliberatum habuisset Ecclesia modis omnibus nuntiaret : quod in nomine Domini cum adjutorio sancti Petri et Pauli factum est. Sed præfatis Paulo et Formoso venerabilibus episcopis in Bulgaria morantibus, Donatus reverendus episcopus, Leoque presbyter, et Marinus apostolicæ sedis minister dum Constantinopolim ire vellent, ecce inter fines Bulgariæ Constantinopolitanorumque quemdam Theodorum illas custodientem invenerunt, qui eos ultra non dimisit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis, adeo tantæ sedis legatis abusus est ut etiam equorum, in quibus sedebant, capita percuteret, diceretque : Imperator noster vos necessarios sane non habet.

609 Sed idem imperator legatis regis Bulgarorum ita fertur dixisse : Nisi per Bulgariam missi sedis apostolicæ venissent, nec faciem meam, nec Romam diebus vitæ suæ viderent. Illi vero per quadraginta dies illic residentes, ut cognoverunt quia hoc imperator Græcorum fieri jusserat, terga verterunt, et Romam hæc eadem nuntiantes coacti reversi sunt. Porro a prænominato rege Bulgarorum apostolici missi mente alacri magnaque suscepti devotione cœperunt salutaribus edocere populum monitis, et a minimo usque ad maximum sacro fonte cum Deo gratia abluerunt, omnemque ritum Christianæ fidei, sicut a sanctissimo papa instructi fuerant, in consuetudinem Bulgarorum tradiderunt. Gloriosus autem Bulgarorum rex fidei tanta cœpit flagrare

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] divæ memoriæ.

Digitized by Google

monitis hujus pii Patris illectus constantia, ut omnes a suo regno pellens alienigenas, prætatorum apostolicorum solummodo prædicatione usus missorum, pascuis vitæ æternæ jugiter refici nempe decreverit, unumque ex his Formosum vita et moribus episcopum sibi dari archiepiscopum expetierit. Tunc iterum legatos suos Romam direxit, et inter alia beatissimo papæ id ipsum suggereus ab ejus sanctitate pro instructione gentis illius presbyteros postulavit. Ipse vero talibus papa compertis valde gavisus est, et infinitas Deo laudes rependens, non pauci numeri coram se probavit presbyteros, et quos dignos reperit prædicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivensem, et Grimoaldum Polimartiensem episcopos destinavit: ut quia ipsum Formosum plebem dimittere sibi creditam non oportebat episcopum, ex his presbyteris ad archiepiscopatum qui dignus inveniretur in nomine Domini tandem eligeretur, et sedi consecrandus apostolicæ mitteretur.

610 Inter hæc quidem statuit beatissimus papa, solertissimusque vitiorum corrector, et Dei cultor, ut penetrantibus ipsis Bulgariam episcopis, Paulus, cujus superius memoriam fecimus, Populoniensis, ipseque Grimoaldus episcopi Bulgariæ quidquid ad divinum ministerium pro instructione gentis illius pertineret, efficerent, et sæpius dictus Formosus, atque Dominicus venerabiles episcopi iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto, de quo jam late disserui, proficiscerentur. Sed dum hæc agerentur, Dei judicio Michaelem Græcorum imperatorem ultio digna perculit, et nefanda nece peremit. Imperante autem Basilio in Constantinopoli, quoniam voluit Deus ipsius sancti pontificis juges labores, quos pro sancta Constantinopolitana passus fuit Ecclesia, cum fine boni operis consummare, sicut fama se habuit, Photius neophytus ac invasor ut mœchus pellitur, et juxta decretum sedis apostolicæ patriarcha Ignatius Constantinopolitano redditur throno. Neque enim hic divinorum exsecutor operum piissimus et catholicus papa, quæ sua sunt, sed ea quæ Dei sunt primo loco posuit et quæsivit. Et cum adjutorio sancti Petri bella Domini summo dispensationis libramine spiritaliter præliari curavit. Prælatos siquidem quosque ne subditos læderent magna provisione moderans, ut pater commonuit, et ut subjecti prælatis subessent juxta uniuscujusque privilegia pastoraliter quoque decrevit. Cujus qui sanctum studium vult agnoscere, in epistolis suis, quas bene libratas per mundi partes direxit, luce clarius invenire valebit: quippe qui animam suam in manibus suis posuit, qui nulla nisi cœlestia cogitabat, qui jejuniis, vigiliis et orationibus nocte ac die vacans, nec requiem corpori nec membra dabat sopori. Nam si cuncta quæ Christi gratia plenus virtutibus atque fide sanctitatis opera gessit, et moribus vitaque docuit et implevit, chartis inserere volumus, prius fortasse membrana quam sermo deficiet. Tamen antequam ad finem vitæ illius stylum vertamus, ad ea quæ sanctis locis contulit redeamus.

611 Hic igitur egregius papa ob amorem principis apostolorum Petri apostoli nutritoris sui fecit in basilica ejus pannos tam scilicet de stauraci, quam et de fundato, vel aliis pulchris variisque coloribus numero. . . Qui trabes majores in presbyterio respicientes omnes in gyro complevit, quæ illud luculenter ornant decusque augent, et amplius mira sua magnitudine dant honorem; ubi etiam, quod nullus post devastationem Saracenorum agere nixus est, arcum fecit argenteum, et melius quam olim fuerat super excellentiorem trabem quæ est ante cyborium in medio posuit, pensan. libras. . . et tres imagines argenteas, una figuram Domini Salvatoris, duabus vero angelorum sculpsit effigies, ac illis novem libr. auri deaurans subposuit, quarum una pens. libras octuaginta, alia libras septuaginta, tertia vero pens. libras similiter septuaginta. Fecitque ibidem crucem auream unam pretiosis gemmis ornatam, pensan. libras. . . et in summitate ejusdem eam arcus locavit, ubi pro amplitudine decoris ejus atque speciminis appendit coronam auream unam, cruces argenteas duas, calices argenteos duos, et staupos argenteos duos. Porro in purpureis marmoribus, quæ ante corpus beati Petri apostoli rugas argenteas retinent, dextra lævaque duas cruces argenteas offerens posuit, pens. lib. . .

612 In patriarchio siquidem Lateranensi domum pulcherrimam nimisque decoram fieri jussit. Et oratorium sanctæ Dei Genitricis illic construens, vestes et competentes ornatus pro æternæ vitæ amore lucifluis votis ipse beatissimus pontifex obtulit. Idem etiam a Deo protectus et cœlesti gratia circumvallatus multa casum minantia renovavit loca sanctorum, et diversis ecclesiis diversa munera contulit, et commoda luculenter adauxit. Et in cyborio Constantinianæ basilicæ optimos de sifori, et de fundato quatuor pannos appendit. Deinde regni cœlorum clavigero paris in cyborio numeri pannos optimos obtulit. In ecclesia doctoris gentium similiter fecit. In ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe pari modo, æternæ pro retributionis præmiis egit. Et in ecclesia sancti Laurentii Christi martyris foris muros Urbis, æque pannos optimos quatuor in cyborio dedit. Hujus quippe beati temporibus præsulis tanta ubertas et victuum copia exstitit, ut omnem memoriam famis decessoris sui factæ diebus hæc oblivioni traderet abundantia. Hic fecit ordinationem unam per mensem Martium, presbyteros septem, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero sexaginta quinque. Postquam autem

Digitized by Google

sedem apostolicam victoriosissime, et ut verus Dei athleta, catholice ac principaliter rexit, ex hac luce Idibus Novembris indictione prima migravit ad Dominum. Porro quid dicam, cum non solum ejus exitum diversæ hominum nationes plena ratione utentes, verum etiam, quantum ad intemperantiam aeris, ipsa mundi elementa diu fleverunt, et de morte tanti viri in tristitia permanserunt? Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores basilicæ beati Petri apostoli.

ADNOTATIO HONUPHRII PANVINII IN PLATINAM, POST NICOLAUM PRIMUM.

Ad hunc usque Nicolaum Romanorum pontificum Vitas scripsit Anastasius monachus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, sub quo et ejus successoribus Adriano secundo et Joanne octavo in orbe floruit. Quæ sequuntur concinnavit Gulielmus quidam alter bibliothecarius, quæ in libro qui sub Damasi nomine circumfertur exstant.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num 577, *lin* 6, alimentis. *lin* 13, hortatu ad.

Num 578, *lin* 7. mortis calicem.

Num 579, *lin* 17, solphistico.

Num 580, *lin* 9, ovanti cum eo.

Num 581, *lin* 14, numero 6.

Num 583, *lin* 7, hora diei 10.

Num 584, *lin* 9, oportunum fieret, *legenaum* quotiens, *pro* obediens, *ut alias num* 478, *lin* 14.

Num 587, *lin* 1, tenere excommunicabat.

Num 588, *lin* 6, eidem archiepiscopo.

Num 589, *lin* 5, retradidit. *lin* 6, Luthardo episcopo. *lin* 8, circumspectione dederunt.

Num 590, *lin* 6, contulit justus. *lin* 7, miseremini mei, miseremini mei. *lin* 14, antecessorum. *lin* 17, scandalia.

Num 591, *lin* 3, in bibliothecari jacent. *lin* 19, vestatarium *deest*.

Num 592, *lin* 3, tituli Vastivæ ex F. B. Vitali.

Num 594, *lin* 10 *et* 11, quod in Ignatio.

Num 595, *lin* 1, ubi aliis abjectis.

Num 598, *lin* 17, neque excommunicata a papa ligata. *lin* 18, curaverat.

Num 600, *lin* 8. in eis nuscas.

Num 602, *lin* 11, bene doctos.

Num 608, *lin* 24, marcham illam custodientem.

Num 611, *lin* 4, amplum miræ magnitudinis.

Num 612, *lin ult* apostoli, et cessavit episcopatus ejus annos 9, menses 7, dies 19.

Ex codice Regio, Mazarino et Tuano.

Num 577, *lin* 1, ex patre Theodosio. Sedit annos sex, novem menses, dies 13. *lin* 2, claruerunt. Sergius itaque audita fama illius ordinavit eum subdiaconum. Leo ordinavit diaconum. Mortuo igitur Benedicto, prædictus pontifex Nicolaus, qui adhuc in diaconi officio degebat, cum aliis diaconis, etc., *ut num* 578, *lin* 8.

Num 578, *lin* 8, propriis man. illum tum collocavit. Eo tempore invict.

Num 579, *lin* 2, condolens ad eam r. e. *lin* 3, effundebant. *lin* 4, vigil. instantes, incessabili Dominum. *lin* 5, quem pont. culm. subl. *lin* 7, in qua per aliquot horarum spatium conf. sid. *lin ead.*, un. eum apost. *lin* 8, continuo ad aulam pr. *lin* 9, indignum se esse tanti reg. gubernanda (*pro* gubernacula suscep.). *lin* 10, extrahentes. *lin* 11, in apost. solioque pos. *lin* 12, in basilica beati Petri apost. ded. *lin* 13, apostolica sublimatus in s. *lin* 14, apostoli beati Petri cel. *lin* 15, spiritual. in patr. Later. iterum perductus e. *lin* 16, gratulatur. Tertio consecr. ejus d. *lin* 17 conv. sophistico famine. *lin* 18, consurgit. His itaque gestis.

Num 580, *lin* 1, imper. Urbe disc. *lin* 3, ad eum. *lin ead.*, L. R. nominis propr. *lin* 4, quem cum audisset [*M.*, vidisset]. *lin ead.*, in adventu. *lin* 5, cum quo imperiale ingressus tentorium sal. *lin* 7, spirituali sumps. alacritate. Satiatis itaque eis, mensisque remotis pl. ser. imper. *lin* 9, Augustus ejus amore A fretus. Imperialis equi superscandens cath. ovanti cum eo incedebat animi voluntate. *lin* 11 ut supra m. *ibid.* dulcissimisque se osculis. *lin* 12, luciflue [*M* dulciflue]. *lin* 13, cum quibus pr. fuerat, septus. *lin* 15, jejuniis, vigiliisque dicatus, et diu c. intentus, Hujus præclari pontificis, *ut lin* 4, *num* 583.

Num 583, *lin* 4, pont. tempore, *ibid.*, ind. 5. *ibid*, per camp. d. *lin* 6, in urbem Romam, quam hora diei decima tr. int. in quibusdam locis, et ingr. est ecc. *lin* 8, ingr. est monast. sancti Silvestri, ita ut de gr. *lin* 10, et ingressus est in basil. *lin* 11, tantum intum. *lin* 12, præ multitudine aq. *lin* 13, exinde rediens, ingr. est per p. qui est positus. *lin* 15, quod vocatur Palatini. Ab ipso die, et deinceps cœpit paulatim aqua minui, et fluvius post multa damna facta. *lin* 17, Decembris. *ibid.*, Natalis. *lin* 18, Evangel. alia vice fluvius ipse q. *lin* 19. ut supra. Hujus temporibus, *ut lin* 1, *num* 585.

Num 585, *lin* 2, quorum nomina hæc sunt. *lin* 3, B et Samuel, et alii duo. *lin* 4, Lasavir. *lin* 5, ex auro puro. *lin* 6, de auro, cum lapid. et aliis donis. Is denique præf. pontifex Joannem Ravennatem, qui pro suis criminibus tertio commonitus ad sedem apostolicam venire contempsit, a pontificali deposuit officio. Audiens itaque archiepiscopus hoc, quod summus fecerat pontifex, papiam adivit, et Ludovicum imperatorem exoravit ut eum adjuvaret. Imperator autem misit pontifici, ut causam audiret. Præfatus autem pontifex concilium cum archiepiscopis, episcopis atque clericis in domo, quæ dicitur Leoniana, fecit, eumque archiepiscopum cum imperialibus nuntiis audivit. Archiepiscopus itaque reum se esse dicebat, et nunquam [*M*, et misericordiam] a summo pontifice cum universo expetivit concilio, in angustiæ lamenta, et nimiæ tribulationis se contulit, et quos poterat cum lacrymis implorabat dicens, *ut num* 590, *lin* 7.

Num 590, *lin* 7, summi pontificis. *lin* 9, ref. C pontifici, et sponsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestionis [*M.*, suggestiones] ad liquidum expon. *lin* 10 *et* 11, qui non vult mortem peccat. *lin* 11 imit. et miser. m. præl. arch. *lin* 13, scripta, quæ. *lin* 14, antecessorum. *lin* 15, Leonina. *lin* 15 *et* 16 pr. et opt. residebat, c. *lin* 18, manu tenens. *lin* 19, jur. sic om. *lin* 19 *et* 20, suæ sponsionis. *lin* 21, his itaque per *ibid.*, in basilica Salvat. *lin* 25, Leonina.

Num 591, *lin* 1, tunc episcopi Æmilienses omnes proclamationem super eumdem archiepiscopum fecerunt. Præfatus pontifex præcepit, dicens ei, ut omni remota occasione, præter gravem corporis molestiam, quæ te omnino ven. *ut lin* 9 *et* 10. *lin* 10, semel in sing. annis p. st. *lin ead*, nisi forte et morandi. *lin* 11 *et* 12, per Æmil. nisi post elect. D. c. et p. atque per ep. apostol. sed. præsulem non habeas consecr. licentiam. Ipsos autem quot. *lin* 14, non recipiunt. *lin* 16, nec ullum m. *lin* 17, temptes. *lin* 18, vel chartulas acquisitas, et poss. aliquo modo occupes. *lin* 19 aut vestararii, R. [*M.*, vester]. *lin*

Digitized by Google

21, et imp. *lin* 22, totius Eccl. past. *lin* 23, omnes eadem dicimus, sapimus. *lin ead*, tunc tam eodem archiepiscopo. *lin* 24, refertis. *lin* 25, satiatis, un. *lin ead*, exivit. Ecclesiam autem Dei, *ut lin* 9, *num seq.*

Num. 592, *lin* 10, vocatur. *lin* 11, decoraverat. *lin* 13, speciebus. Hujus denique temporibus gloriosus rex Bulgarius cum toto sibi regno commisso ad prædicationem ejus baptizatus est, atque archiepiscopum ipsemet expetivit. Ipse autem beatissimus pontifex totum mundum sedavit, atque Photium invasorem, et neophytum, ut mœchum ejecit, et juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ibi archiepiscopum constituit. Hic fecit ordinationem per mensem Decembris unam, *ut num* 612, *lin* 11.

Num 612, *lin* 13 et 14, et princ. r. ex hac luce migr. ad Dominum. Quo defuncto. *lin* 17, apostoli, et cessavit episcopatus annos 8, menses 7, dies 9.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num 577, *lin* 13, coruscare Cujus ortatu ad.

Num 581, *lin* 5, Salvat. quæ Cæsarea nom sumpsit a nomine cruces.

Num 587, *lin* 5, per miliam.

Num 589, *lin* 5, quæ retradidit.

Num 591, *lin* 16, nec morem. *lin* 25, nectare satiatis.

Num 596, *lin* 2, appellantem in judicio se depositum.

Num 597, *lin* 1, Igitur Illothar.

Num. 598, *lin* 2, consilio usus sum. *lin* 16, uxorem Bosinis, quæ eun. *lin* 18, ligata. *lin* 24, ilico papa cass.

Num 599, *lin* 17, quæ nunc intentando.

Num 600, *lin* 8, in eis nuscas ubi.

Num 602, *lin* 2, Christi in Frascaram princ.

Num 604, *lin* 3, innoc. recepisset. *lin* 7, coram summo præs.

Num 605, *lin* 14, cop pro pace.

Num 607, *lin* 8, habetur. Nihilominus Host. *lin* 11, fabrica inspiratione reædif.

Num 608, *lin* 11, legatis.

Num 612, *lin* 6, appendit. Nichil hominus.

CVIII. ADRIANUS II.

ANNO CHRISTI 867, LUDOVICI II, XII, IMPER. BASILII 1.

613 Adrianus, natione Romanus, ex patre Talaro, postepiscopo regionis tertiæ, sedit annos quinque. Hic ex proximitatis genealogia beatæ recordationis quarti Stephani et Sergii junioris pontificum descendens, dum miris polleret actibus a venerandæ memoriæ quarto Gregorio sedis apostolicæ præsule subdiaconii sortitus est ministerium. Deinde vero in Lateranensi patriarchio familiariter assumptus laudabiliter conversatus ad regendum titulum sancti Marci confessoris Christi atque pontificis presbyter ordinatus tam inculpabiliter deguit, tam viriliter ministravit, ut non tantum sicut factus presbyter, sed sicut futurus pontifex, reverenter ab omnibus coleretur. Siquidem et in eo erat in Christo ejusque Genitrice, apud cujus præsepe jugibus orationibus incumbebat, tanta fiducia, ut bene faciens non deficeret, nec quidquam discriminis, cuncta quæ habere poterat discretissime largiens, incurrere formidaret. Nam cum die quadam inter compresbyteros suos a sanctissimo papa Sergio consuetudinaliter denariis quadraginta perceptis domus suæ portas revertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter more solito velut ad horreum commune confluxerat, omnino nequiret : misericordia motus equestri [a] suo retulit, nil sine tantis fratribus in tantillis denariis sibi esse commune. Cumque ille neque tertiæ parti pauperum singulos denarios posse sufficere intulisset, in virtute, inquiens, Christi, qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, non singulis singulos, sed ternos singulis denarios erogabo. Et hæc dicens forinsecus portæ succedens, ac de manu equestris sui suscipiens peregrinis cunctis egredientibus ternos sigillatim denarios erogavit. In qua redundatione cum miraretur equester non solum defecisse denarios, quinimo superfuisse, liberalis presbyter qui supererant domum recipiens multitudini familiæ suæ ternos nihilominus personatim nummos largitus est. At cum sex itidem superessent : Videas quam largus et quam suavis sit omnipotentissimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum et fratribus nostris per ternos distribuit, et mihi ternos, tibique ternos æqua forte servavit.

614 Erat præterea tantæ hospitalitatis et largitatis, ut non immerito beato Job [b] in his valeat comparari, nam ab infantia crevit cum eo miseratio, et de utero matris cum ipso egressa est. Non despiciebat prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, cujus latera nimirum ovium calefaciebat velleribus, nec buccellam quidem suam comedebat solus, cum hanc cum pupillis et egenis comederet. Quippe qui oculus esset cæco et pes probabatur existere claudo, et, ut scriptis virtutum ejus multiplicitas referatur, pater erat pauperum, et cordis viduæ consolator, ostium ejus viatoribus patebat, nec erat clausa janua domus ipsius quippiam postulantibus ab eo, ut ab omni clericali gradu, ab omni senatorio et populari concordissimo cœtu, sicut post mortem quarti papæ Leonis, ita post obitum tertii Benedicti pontificis [c] subire summum pontificium, nisi ipse diversis argumentis et exquisitis excusationibus vere cunde subterfugisset, cogeretur. Sed cum apostolicæ memoriæ sanctissimus papa Nicolaus rebus excessisset humanis, et iste impræsentiarum tertium quintum et vigesimum annum transiret, omnes

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] equestri, *dispensatori suo.* [b] *Job.* XXXIII. [c] *Nota iterum Benedictum Leoni* IV *succedere.*

Digitized by Google

urbis Romanæ concives, simul et hi, quos extrinsecus tunc adesse contigerat, tam pauperes quam divites, tam clericalis ordo quam cunctum populi vulgus, omnis scilicet ætatis, professionis et sexus, contemptis omnibus excusationibus Adrianum desiderant, Adrianum dari sibi præsulem ac pastorem exoptant. Nullusque in totius Urbis amplissimo spatio repertus est, nisi vel se vel suum quemque provehi voluisset, qui non Adrianum promoveri ad hoc culmen medullitus exoptaret. Proceres vero licet soluto in duas partes corpore viderentur esse divisi, una tamen mente parique circa hunc flagrabant ardore, quoniam causam divisionis eorum non nisi nimius in tantum virum faciebat charitatis affectus, dum sic alterutra pars sibi præferri gestiret, ut si hunc altera pars deligeret, pars altera penitus dubitaret, nec erat ibi parti alteri retinendi [a] voluntas, nisi quia opinabatur eam sua in alium vota dirigere, præsertim cum multi monachorum, plerique religiosorum sacerdotum ac fidelium laicorum, cœlitus emissis visionibus, multo jam tempore Adrianum futurum pontificem non solum dubitarent, verum etiam apertis vocibus proclamarent. Inter quos quidam Adrianum in sede apostolica pallio humeris obducto reclinatum videbant: alii eum cum apostolicis infulis missas celebrantem: nonnulli more apostolico in basilica Lateranensi aureos erogare: plerique in equo, cujus sessione sanctissimus papa Nicolaus ad sanctum Petrum pergens usus fuerat, eum cum pontificali pallio impositum præcedentibus axiomaticis et subsequentibus reliquis turbis in Urbem redire patriarchiumque subire conspexerant. Verum ubi evidentibus indiciis hunc eumdem utraque parte dirigi claruit, tanta in eum unitas et animorum et corporum fuit, ut unum in eis erga eumdem domini sacerdotem cor et unus spiritus inesse omnibus videretur; ita ut lapis angularis, salva reverentia Jesu Christi Domini nostri, quodam modo possit vocari. Quoniam per ostensionem, imo profectionem suam, solvens inimicitias cordium fecit utraque unum. Collectis igitur omnibus tam episcopis cum universo clero, quam primoribus Urbis cum obsecundantibus sibi populis, ab ecclesia sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe, rapitur, trahitur, et ad Lateranense patriarchium certatim ac a procerum et plebis multitudine deportatur. Quod audientes tunc missi principis moleste tulere, indignati scilicet non quod tantum virum nollent pontificem, quem nimirum anxie cupiebant, sed quod se dum præsentes essent, quirites non invitaverint, nec optatæ a se futuri præsulis electioni interesse consenserint. Qui accepta ratione quod non Augusti causa contemptus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit omnino prospectu, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præsulum mos exspectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem suæ mentis indignationem medullitus sedavere, ac ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accessere.

615 Cumque patriarchium Lateranense ascenderent, atque descenderent, tantis clamoribus universæ plebis ut sibi diu desideratus vir ad consecrandum daretur clamitantis obsessi sunt, ut nullus eorum loquentis secum collegæ sui verba posset audire. Erat enim cernere singulos circa consecrandum pontificem tantam dilectionis efficaciam possidere, quantam nec vidisse nec visurum unquam quis æstimasset. Denique omnes hunc certatim coram eisdem legatis rapere, et ad summum Pontificatus apicem provehendum trahere, ac anxie nitebantur portare, nisi blanditiis senatorum et consiliis aliquantulum sedati fuissent. Quorum omnium unanimitatis desiderium audiens Ludovicus Christianissimus imperator, cognoscens etiam qualiter in eo decretum suis subscriptionibus roboraverunt, valde gavisus est. Et ut tantus Domini famulus cunctisque gentibus videlicet tam Romanis quam diversis advenis desideratus et desiderabilis Christianæ plebi præficeretur, medullitus exoptavit: et mox imperialem scribens epistolam, cunctos Romanos quod dignum tanto elegissent officio præsulem collaudavit, per quam videlicet innotuit, nulli quippiam præmii fore ex consecratione ipsius, quoquo modo pollicendum, cum ipse hanc non suorum suggestione, sed Romanorum potius unanimitate commotus ardentissime cuperet provenire: maxime cum reddi quæ ablata fuerant, non auferri ab Ecclesia Romana, vel deperire quippiam se diceret amare. Itaque Sabbato peractis rite orationibus, vigiliis et eleemosynis, Dominico secundum morem idem venerabilis sacerdos ab universitate ad ecclesiam sancti Petri apostolorum principis ductus nono decimo Kalend. Januariarum indictione 1, anno præfati Augusti decimo nono, per episcopos reverendissimos, scilicet Petrum Gavensem, Leonem Silvæ Candidæ, deinde tertio loco Donatum Ostiensem, quia episcopus Albanensis obierat, Formosus vero Portuensis a beatissimo Nicolao ad prædicationem et instructionem Bulgarorum destinatus exstiterat, benedictionem summi pontificatus ad consolationem videlicet multorum sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum, qui factiosorum tyrannide liberius solito sæviente inter unius decessionem, et alterius substitutionem pontificis diversis agebantur exsiliis, variisque afficiebantur incommodis, suscipere meruit in nomine Domini.

616 Siquidem ad celebritatem missæ ipsius tam incredibilis exstitit multitudo, ut certatim de manu ejus omnibus communicare nitentibus Theutgaudus Trevirorum archiepiscopus, et Zacharias Anagninus episcopus, quia a domno Nicolao sacerdotio denudati etiam communione caruerant, simulque

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *forte*, reticendi.

Digitized by Google

Anastasius, qui duoum a Leone, Benedictoque pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperint. Igitur mox ad patriarchium Lateranense reversus est, et consuetudinem ab eo, qua diversorum xeniorum hinc inde confluentium (retentis solum quæ usibus mensarum sufficerent reliquiis), pretia capiuntur, exclusit dicens, non esse pium quod gratis accipimus pretio venundare, et chariores habere rationalibus fratribus irrationabiles nummos, pro quibus Christi pretiosus est cruor effusus, sed parvipendantur, inquit, obsecro, hæc pudenda pretiorum commercia, et quod gratis accepimus, gratis juxta præceptum Domini largiamur, et oblationes Christi cum ejus hospitibus ac inopibus partiamur, propter quos has nobis tribui divinitus scimus. E vestigio etiam Dominicum et Grimoaldum episcopos, quos decessor suos [a] sanctæ recordationis papa Nicolaus in Bulgariam patriam ire præceperat, et a se in ipso articulo sui discessus absolverat, quique videntes tanti Patris obitum ire distulerant, eadem fungentes legatione direxit, et quasdam epistolarum, quas ille mittendas delegerat, ut se ejusdem voluntatis et studii fore ostenderet, suo nomine titulari præcipiens, in quantum tempestas fluctuosi temporis permittebat, piissimi Patris votum pius hæres implevit.

617 Iis ab urbe dimissis, continuo exsules, Gaudere cum videlicet Veltriensem et Stephanum Nepesinum episcopos, et Joannem cognomento Hymmonidem, quos procacissima falsitas serenissimo Augusto incusans domo patriaque proscripserat, ab Augusta mansuetudine multis epistolarum documentis requirere studuit, dicens, se bonum Ecclesiæ Dei pastorem videri non posse, nisi oves quas fideles sanctæ Ecclesiæ infidelis vir per suam subreptionem proscripserat. recepisset. Qua religiosa suggestione lætificatus Augustus una cum Christianissima conjuge, non solum eos, propter quos summus pontifex miserat, honorifice ad Urbem remisit: verum etiam quoscunque privata simultate tanquam reos imperatoriæ majestatis, et in ergastulis quilibet truserat, ut reverterentur, præcepit absolvi.

618 Post hæc summus pontifex basilicam Nicolaitanam, quam sanctissimus papa Nicolaus a fundamentis adeo luculenter cum tribus aquæductibus fabrefactis exstruxerat, ut omnes Lateranenses basilicas sui pulchritudine superaret, juxta votum decessoris sui picturis variis decoravit. Cujus ipse conversationis exempla sic solertissime sequebatur, ut ab hostibus sancti Nicolai, quia omnibus ejus acta penitus infringere nitebantur, Nicolaitanus et scriberetur et publice diceretur. Quorum scilicet hostium, quia nonnullos parturientes injustitiam, conceptum dolorem effusuros esse cognoscens, penes se veluti zizanium inter frumenta, usque ad maturitatis tempus dispensatorie retinebat, rumore fallaciter exsurgente creditum est, quod omnia decessoris sui acta, quæ ille zelo divino sanxerat, hostes vero ejus ad proprios libitus infamabant, voluisset infringere.

619 Unde accidit ut omnes Occidentalium regionum episcopi solemnes ac honorificas litteras emittentes religiosam ejus memoriam, utpote orthodoxæ et veræ philosophiæ pontificis excolendam, summo pontifici jugiter inculcarent. A cujus videlicet sanctissimi Adriani papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum, et aliarum gentium servorum Dei per id tempus Romæ morantium, se clanculo suspendissent, sexta feria LXX idem sanctissimus antistes eos secundum consuetudinem, refectionis gratia, solito plures numero convocavit. Quorum omnium manibus per semet humiliter aquam fudit, cibos apposuit, pocula ministravit, et, quod nullus pontificum ante se fecisse noverat, ut eos promptiores ad prandium redderet, cum illis discubuit, canticis spiritalibus ibi per totum spatium jugiter laudes concrepantibus.

620 Dum surrexisset ab epulis in faciem suam coram omnibus procidit, dicens: Rogo vos et suppliciter obsecro, patres, fratres, et filii, ut fundatis Domino pro sancta catholica Ecclesia sua preces, oretis pro Christianissimo filio nostro Ludovico imperatore Augusto, ut ei Deus omnipotens ad nostram perpetuam pacem Sarracenorum faciat subditam nationem. Oretis etiam pro me fragili et imbecilli, ut det mihi Christus virtutem tantam Ecclesiæ suæ multitudinem in sanctitate et justitia regendi, qui commisit beato Petro apostolo cunctos regere quos redemit: quatenus qui curarum sæcularium pulvere caligans, plerumque spiritalia minus luculenter intueor, vestra mihi jugis oratio, quæ tanto purior quanto ab inquinamentis sæculi remotior est, divinitus suffragetur. Cumque illi pro se magis illum oportere preces fundere clamitarent, qui tanto acceptior apud Deum haberetur, quanto solus pro omnibus in labore fervention, interna miseratione commotus cum lacrymis ait: Quia pro valde bonis orare, charissimi, gratiarum actiones Deo persolvere est, peto, ut dominum patrem decessoremque meum sanctissimum et orthodoxum papam Nicolaum habentes in vestris orationibus communes grates Domino referatis, qui eum Ecclesiam suam miseratus elegit, et ad excludendum mundi tumidissimos strepitus, sicut Josue, clypeo protectionis armavit, et gladio spiritalis potentiæ roboravit.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Al.*, suus.

Digitized by Google

621 Quo audito, cuncti famuli Domini, videlicet Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini ac Constantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi principum fungebantur, diutino stupore attoniti, in vocem clarissimam prorupere, dicentes : Deo gratias, Deo gratias, qui talem Ecclesiæ suæ præficiendum disposuit ; qui nosset, sui patris et decessoris reverentiam præ oculis ponens, gregem Dominicum in virga et baculo pascere, testamentumque Patrum non convellere sed implere. Deo gratias, Deo gratias, qui in sede sui apostoli non posuit apostaticum papam, qui domus suæ fundamenta posuit non super arenam, sed super firmissimam petram, qui te succedere fecit sanctissimo papæ Nicolao, nec ab ejus decretis abscedere. Eia, cesset invidia, mendax fama recedat ; domno nostro Adriano a Deo decreto summo pontifici, et universali papæ vita ! dictum est ter. Cumque manu silentium innuisset, summus præsul intonuit, dicens : Reverendissimo, sanctissimo et orthodoxo domno Nicolao a Deo decreto summo pontifici, et universali papæ sempiterna memoria ! dictum est ter. Novo Heliæ vita perennis, et immarcessibilis gloria ! dictum est ter. Novo Phinees æterni sacerdotii infulas merenti salus æterna ! dictum est ter. Sequacibus ejus pax et gratia ! dictum est ter.

622 Igitur Lambertus Vintonis filius, dux Spoletanus, tempore consecrationis hujus venerandi pontificis Romanam urbem præter consuetudinem sicut tyrannus intravit, non rebellantem sicut victor satellitibus suis ad prædandum distribuit, majorum domos multis muneribus vendidit, nullis monasteriis, ecclesiis nullis pepercit : quinimo nobilissimi generis puellas tam intra Urbem quam extra suis satellitibus indifferenter diripiendas concessit. Propter quæ apud Augustos piissimos Romanorum querimoniis prægravatus, ducatum perdidit, iram principum et invidiam pene cunctorum Gallorum, tanquam revera sedis apostolicæ hostis adjudicatus, incurrit. Mox Romanus pontifex, tanta tyrannide liberatus, Aistaldum Walterium, Hilpianum, Odonem et Teopertum, cum cunctis aliis raptoribus et prædonibus, quousque rapta redderent sibique legaliter satisfacerent, omni ecclesiastica communione privavit. Sed Teopertus quæ rapuerat haud difficulter reddere studuit. Aistaldus vero vir Deo devotus, belloque fortissimus, ad præsulem se percutientem tota humilitate conversus est, ejusque gratiam secundum omne Romanorum libitum satisfacturus accipiens, spem quoque resumendæ communionis accepit. Quam nimirum recipere prævaluisset, nisi conjurationi Lambertorum postea conscius cum viris excommunicatis ac rebellibus fugiens Beneventum petere maluisset.

623 His ita compositis, postquam Michael Græcorum imperator Bardam Cæsarem, Photii fautorem, suum, sicut perhibent, interitum machinantem peremit, Basilium collegam sibi adoptans imperatorem constituit : cumque novus imperator Basilius a catholicis, tanquam qui semper eis faverit, summo studio coleretur, Michael a spadonibus suis, dubium an filii voluntate, peremptus est. Moxque Basilius rerum potitus, primo quidem non se fuisse conscium necis Michaelis, ut fertur, omnibus satisfecit : tum vero secundum Romanæ Ecclesiæ constitutum pervasorem Photium pepulit, et Ignatium patriarcham, populo adnitente, patriarchio restituit, ac ex utraque parte, Ignatii videlicet patriarchæ, Photiique neophyti, legatos Romam per suum spatharium Basilium nomine destinavit, qui præsente summo antistite alternatim confligerent, et justitia suffragante aut justificarent Photium aut perpetuo condemnarent. Sed divino judicio disertissimam partem Photii pelagus sorbuit, et simplicissimam partem Ignatii cum legato imperiali salvam servavit. Nullusque ex neophyti parte, nisi monachulus, Methodius nomine, solus evasit. Qui postmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium contra quem, sed neque universalis Ecclesiæ, ad quam venerat, iura suscipiens, tertio conventus, tertio perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit.

624 At vero Basilius legatus imperatoris et Joannes metropolita Cæsareæ Cappadociæ Nicolao fuerant destinati. Hinc sanctissimo papæ Adriano cum episcopis et proceribus in secretario sanctæ Mariæ Majoris juxta morem sanctæ sedis apostolicæ residenti se satis humiliter præsentarunt, dona et epistolas obtulerunt. Quibus susceptis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus conamine Constantinopolitana Ecclesia de schismate purgata surrexerat, multiplices gratias retulere, ac post innumera laudum præconia concordi voce dixere : Devotissimus filius vester imperator Basilius, et patriarcha munere vestro restitutus Ignatius, dum Ecclesia Constantinopolitana per interventum vestrum invasorem Photium propulisset, in archivo ejus librum summa falsitate congestum contra ingenium sanctæ Romanæ Ecclesiæ sanctissimique papæ Nicolai reperere. Quem bullatum quasi vere contagiosum a sua urbe penitus propulere, vobisque utpote summo capiti, cui Christus cœlo terraque solvendi atque ligandi potestatem tribuit, misere. Quem, precamur, suscipientes rimamini, et fraudulentiam quam insontibus Constantinopolitis noster versipellis Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc sanctam Romanam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi, audacem linguam exacuit prorsus, advertite : et quid Ecclesiæ Dei de hoc latrocinio sit sentiendum, quod sub nomine synodi furtim ab eo conflictum est, palam omnibus promulgate. Utrarumque partium consessu pontificem annuente, Romanam contra sedem apostolicam, pontificemque ipsius, quia Photius vocem non habuit, sententiam

Digitized by Google

forte præcipitare potuit, judicium vero librare non potuit; sed a sede apostolica bis judicatur bisque damnatus est.

625 Et quia viribus suis confidens in sanctissimum pontificem nostrum Nicolaum falsa garrire non timuit, os suum nimirum in cœlum posuit, et linguam suam ut terram pertransiret exeruit. Ideoque conciliabuli ipsius librum scrutandum admittimus, ut auctor illius, et fabricator mendacii, et inventor perversorum dogmatum tertio judicetur. Egressus metropolita librum exhibuit, et in terram præcipitavit, imprecando illi, dicens : Tu, maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister diaboli Photius, novus Simon mendacii compilator aptavit. Te minister Christi Nicolaus, novus Petrus veritatis amator attrivit. Et spatharius calce suo, enseque librum percutiens, nihilominus ait : Credo in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Photii, ea, quæ per se dicere nequit, eructat. Nam et subscriptionem Basilii nostri imperatoris post subscriptionem Michaelis, quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissime continet, quam ejus non esse restitutio Ignatii declaravit, et satisfactio nostra, si vobis placuerit, jurejurando firmavit. Neque enim unius semper catholici Basilii nomen potuit falso suis feralibus commentis inserere, qui mutato charactere potuit multorum absentium episcoporum nomina cum paucis complicibus suis describere. Quorum videlicet episcoporum universitas tam immunis est hujus subscriptionis, quam tenoris ignara. Siquidem nullus Constantinopolitanorum, quando illud conciliabulum collectum fuisset (quia revera nec fuit) agnovit, sed quia Constantinopolim comprovinciales, veluti regiam civitatem, pro diversis negotiis instar istius urbis ascendunt, pervicacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei a primævo fuerat institutum, linivit.

626 Dum in locum quorumdam sanctissimorum episcoporum cives quidem aliquorum illorum, sed transfugas, ut fama vulgatum est, muneribus excæcatos subscribere fecit, inde est, quod subscriptionum istius videntur diversi characteres, et quidam eorum acutiori penna, quidam grossa, nonnulli vero decrepitum simulantes grossiori membranam inquinantes describunt, ut videlicet fraude præsentium, simplicitati absentium illudatur : et illud credat facilius universitas esse verissimum, quod dissimilibus litteris fecerit falsitas esse diversum. At vos illico subscriptionum quidem dissimilitudinem referentes characteres videbitis. Fraudem vero, nisi Constantinopolim, ut omnis illa Ecclesia deprecatur, miseritis, minime cognoscetis. Tunc summus pontifex utriusque linguæ peritis librum scrutandum per aliquot dies decrevit, et omnia quæ in eo continebantur coram synodo fideliter propalari, quæ ubique omnia strenue perscrutata est.

627 Nam venerabilis pontifex, adnitente omni senatorio popularique conventu, apud beatissimum Petrum apostolum in defensionem suæ ecclesiæ decessorisque sui sacrum concilium convocavit. Et primo quidem per legatos Constantinopoleos, veritate luculenter audita, decessoris sui super hujusmodi litteras legens, sinistram ipsius famam purgavit. Deinde Photium cum conciliabulo, complicibusque suis tertio anathemate perculit. Ad extremum vero cæterorum subscriptionibus et sententiis roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum excussit. Quem nimirum rogus ut fomentum quoddam ignis excepit, et pene, antequam semiustum credi potuisset, cum magno fetore, piceoque colore consumpsit. Et cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuisset exstingui, ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit, et in laudes Dei sanctissimique papæ Nicolai, simulque Adriani summi pontificis miraculi stupor tam Latinorum quam Græcorum corda resolvit. Post hæc cum epistolis decessoris sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum episcopum Ostiensem, et Marinum diaconum Constantinopolim destinavit : deinde ejusdem epistolas suo tantum nomine titulatas et commonitorium. Sed et Stephanum Nepesinum episcopum sociavit, eisque præcepit ut omne scandalum Ecclesiæ Constantinopolitanæ solerter sopirent, consecratisque a Methodio et Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias ecclesias redderent. Photianis vero sub eadem ac districtiori satisfactione communicarent quidem, sed sacerdotum judicium, usque ad sedis apostolicæ sententiam manente sanctissimi papæ Nicolai judicio protelarent. Itaque multorum anfractuum laboriosos circuitus penetrantes, tandem Christo præduce Thessalonicam veniunt, in quam Basilius imperator Eustachium spatharium candidatum cum suæ salutationis officio sanctæ Romanæ legatis Ecclesiæ obviam destinavit.

628 Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducentes Sillambriam pervenerunt : ubi a Sisinnio imperiali protospathario, et Theognisto patriarchali eugumeno, qui Romæ apud sanctissimum papam Nicolaum pro restituendo Ignatio sedulus intercessor exstiterat, cum quadraginta equis de stabulo imperiali, et totius mensæ argenteo apparatu, officialibusque, qui sibi ad omnem libitum famularentur, sunt excepti. Ad castrum autem rotundum, in quo est ecclesia miræ magnitudinis sancti evangelistæ Joannis nomini dicata, favore Augustali Sabbato mansionem suscipiunt. Et Dominica, quæ quintadecima dies Septembris erat, indictione tertia, singulos equos cum sellis aureis devotione imperatoria capientes, obviati omnibus scholis, videlicet spathariorum, candidatorum, strategorum,

Digitized by Google

monachorum, cæterorumque palatinorum ordinum, omnibusque clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt. Ibi a Paulo librorum custode, Joseph vasorum custode, simulque Basilio sacellario ecclesiasticis indutis vestibus salutati. . . . . a patriarcha Constantinopoleos solemniter præceduntur, et ab omni populo cum cereis et lampadibus prosequuntur. Sicque ad Irenes palatium descendentes, in domum quæ dicitur Magna Aurea, a Joanne a secretis, spatharioque candidato, et Strategio spathario candidato, quibus subministrationis gratia deputati fuerant, laudabiliter suspiciuntur, per quos imperialia mandata suspiciunt devotissime procul dubio suggerentia, ne forte moleste ducerent quod imperiali natalitio imminente in crastinum suscipi non valerent. Quo feliciter celebrato misit imperator in occursum ipsorum omnes ordines palatinos. Quibus præcedentibus ante imperatorem in chrysotriclino sibi continuo assurgentem salutabundi conveniunt, apostolicas epistolas imperatori offerunt : quas imperator per semet suspiciens osculatur. De statu Romanæ Ecclesiæ et de salute domni Adriani summi pontificis, deque omni ecclesiasticorum senatoriorumque ordine ordinabiliter perscrutatur, legatosque amabiliter osculatus, Ignatio patriarchæ jussionem apostolicam proraturos absolvit [a]. Qui sequenti die ad imperatorem redeunt, a quo taliter alloquuntur: Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionem pervicacissimi Photii diversis schismaticorum fluctibus laceratæ sancta omnium Ecclesiarum Dei mater Ecclesia Romana, sanctissimi domni et universalis papæ Nicolai (sicut ex ejus litteris, quarum auctoritate præsens Pater noster Ignatius qui violenter fuerat a Photianis expulsus, sedi propriæ nuper juvante Domino restitutus est, potest luculenter intelligi) fida provisione consuluit.

629 Quapropter nos cum omnibus Orientalibus patriarchis, metropolitis atque episcopis, censuram sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes, propter Deum petimus ut Dei negotium viriliter peragatur, et tandem aliquando auctoritate vestri sacri collegii tam pestifera Photianæ tergiversationis scandala propellantur, quatenus unitas et tranquillitas optatæ diutius juxta decretum sanctissimi papæ Nicolai restaurentur [b]. Legati sanctæ sedis apostolicæ responderunt : Et nos ideo venimus, ideo missi sumus : sed neminem Orientalium vestrorum nunquam in nostram synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctæ sedis apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. Imperator et patriarcha dixerunt : Quia novum hoc et inauditum de libello proferendo asseritis, necesse est ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata est, et de Latino in Græcum conversa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in sancta synodo resederunt, proferre nolentes extra synodum inglorii relicti sunt, sed dictim fervore sancti Spiritus temperati, præmissa libelli satisfactione, ad unitatem sacræ synodi reversi sunt. In hanc synodum, Photius ille pervasor, de multis criminibus perpetratis rationem redditurus, adducitur. Omnes epistolæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra eum prolatæ leguntur. Et depositionis ac anathematis sententia dudum apostólica sede prolata in eum ab omnibus identidem jaculatur, inque ipsius conspectu nefandissimi conciliabuli profanata volumina, quibus contra sanctissimum papam Nicolaum susurra fauce latraverat, igne combusta, veritatis innocentiæque lampas emicuit. Qui laqueum, quem olim alteri paraverat glorificandus, nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis inertiam devolutus intravit; et apertum sibi communionis ostium, qui sub satisfactione libelli suscipiendus admonebatur, quasi cæcus in meridie declinavit. Denique gestis salubriter omnibus, qui in decem sessionibus synodi textus complectitur, legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ textum synodi, ne quid Græca levitas falsum in eam congesserit, Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Ludovici serenissimi nostri Augusti cum Suppone archiministro post eos Constantinopolim, divina, ut creditur, dispensatione pervenerat) subtiliter inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris, sanctissimus domnus Adrianus pontifex in epistola sui decessoris Arsenio episcopo imminente adjecerat, resecatum inveniunt.

630 Quapropter epistolam sedis apostolicæ fraudulenter corrosam summis clamoribus conqueruntur, fatentes se nullo modo synodalibus actionibus subscripturos, nisi totius epistolæ integritas gestis synodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non esse in synodo de laude imperatoris, sed solius Dei tractandum altisone respondentibus, nomenque imperialis nostro Cæsari penitus invidentibus : tandem ad hoc usque perventum est ut, interposita conditione voluntatis apostolicæ, diffinitis sententiis minus finite suscriberent, ita legentes : Ego ille vices agens domini mei sanctissimi et universalis Adriani papæ in hac sancta synodo præsidens usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis ad omnia, ut superius legitur, consensi, et manu propria subscripsi.

631 His expletis, quidam Græcorum imperatorem conveniunt, et Constantinopolitam Ecclesiam per oblatos libellos in potestatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, et dubietate subscri-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Absolvit*, id est, *dimisit*. [b] *Hæc fuit octava synodus œcumenica.*

Digitized by Google

ptionum, omnia quæ in synodo decreta fuerant, revolvenda, cunctaque residuis erroribus confundenda fatentur; et nisi libellos reciperent, libertatem pristinam se non posse recipere fingunt: et illico quidam libelli a custodibus, quoniam excellentiorum episcoporum libellos legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, futurorum præscii, prorsus abstulerant, defraudantur, ac per hoc incredibiliter consternati Supponis archiministri, et Anastasii disertissimi sedis apostolicæ bibliothecarii fidelissimis auxiliis innituntur. Quibus diverso modo non sine magno laboris periculo imminentibus [a], libellos quidem vix tandem recipiunt; sed imperatoris iram pro nimia suæ districtione fidei vehementer incurrunt.

632 Igitur post diem tertium, quo sacratissima synodus cum suis scriptionibus omnino in codice consummata retractaque ad omnem elegantiam in ecclesia sanctæ Sophiæ fuerat, ab imperatore in domo cum vicariis patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano, simulque patriarcha Ignatio qui cum aliquibus ibi residebat, callide convocati sedere jubentur, et quod principes Bulgarorum eis litteras et dona per Petrum aliosque direxerint, audiunt. Quorum legationem imperatore potissimum imminente suscipiunt: sicque post salutationem Petrus Bulgarorum legatus exordiur: Domnus Michael princeps Bulgarius, audiens quod pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ ex diversis partibus auctoritate apostolica conveneritis, gratanter accepit, vobisque qui ex sede apostolica missi estis, quia in vestro transitu vestris eum litteris visitare dignati estis, multiplices gratias agit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Nos quia vos filios sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus, insalutatos vos præterire neque debuimus, neque voluimus: quos nimirum sancta sedes apostolica ut propria membra complectitur.

633 Bulgarorum legati dixerunt: Usque hodie pagani fuimus, et nuper ad gratiam Christianitatis accessimus. Ideoque ne aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debeamus, a vobis qui vices summorum patriarcharum geritis nosse desideramus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te, o Petre, tuus senior [b] beato apostolorum principi Petro cum omni gentis suæ regno se tradidit, a cujus successore, videlicet egregio papa Nicolao, et præcepta vivendi et episcopos ac presbyteros suscipere meruit, vos et pertinuisse et pertinere debere etiam in eo monstratis, quod postulatos nostros sacerdotes et suscepistis et hactenus veneratione congrua retinetis. Bulgarorum legati dixerunt: A sancta Romana Ecclesia sacerdotes nos petiisse et suscepisse et hactenus habere nos confitemur, et ei in omnibus obedire decernimus, verum utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subdi debeamus, cum his patriarcharum vicariis diffinite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Propter quæ nos sancta sedes apostolica cum Orientalibus diffinienda mandaverat, Domino juvante, finivimus; de causa autem vestra secus quam diffinita est finienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in præjudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ diffiniendum censemus. Quinimo, quia omnis vestra patria nostris sacerdotibus ubique plena est, nulli vos nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere debere, diffinitiva sententia quantum ex nobis est, promulgamus.

634 Vicarii Orientalium patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cepistis, cujus potestatis subdita erat, et utrum Latinos an Græcos sacerdotes habuerit, dicite? Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam a Græcorum potestate armis evicimus, in qua non Latinos sed Græcos sacerdotes reperimus. Vicarii Orientalium responderunt: Si Græcos sacerdotes ibi reperistis, manifestum est quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: A Græcis sacerdotibus argumentum sumere non debetis; quia linguarum diversitas ecclesiasticum ordinem non confundit. Nam sedes apostolica, cum ipsa Latina sit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos sacerdotes et semper et nunc usque constituens privilegii sui detrimenta sentire nec debet, nec debuit.

635 Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: Etiamsi Græcorum presbyterorum ordinationem vestri juris fuisse doceatis, illam tamen patriam Græcorum regno pertinuisse nunquam negare poteritis. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sicut Bulgariæ nobis diverso modo pertinere ordinationem dicentes mendacium non loquimur; ita nimirum eamdem Bulgariam et Græcorum regno fuisse nunquam negamus [c]. Sed intueri vos decet quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum. Nos de divisione regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur.

636 Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverso modo Bulgariam pertinere dicitis, addiscere volumus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sedes apostolica, juxta quod decretalibus sanctissimorum Romanorum præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet veteremque totamque Thessaliam atque Dardaniam, in qua et Dardania civitas hodie

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Imminentibus*, id est *instantibus et urgentibus*. [b] Senior, *id est, dominus, rex*. [c] *Non jure regnorum, sed sedium*.

Digitized by Google

demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit, et obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione omiserat, non a Constantinopolitana Ecclesia modo, ut fingitur, abstulit, sed ab his factis ipsa Christianis recepit. Secundo modo, quia Bulgares, qui jure gentili sibi patriam subjugantes, eam per tot annos retinent quod ceperunt, sedis apostolicæ semet, ut superius diximus, patrocinio ordinationique specialiter committentes nobis debent nec immerito subjici, quos ultronea voluntate magistros elegere. Tertio modo, quia eosdem Bulgares sancta sedes apostolica, jussu quondam sanctissimi papæ domni Nicolai, tam per aliquot nostrum, qui hic simus, et illic multas Ecclesias dedicantes, sacerdotes creavimus; quam per Paulum, Dominicum, Leopardum ac Formosum venerabiles episcopos, sed et Grimoaldum coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Bulgares cum multis nostris sacerdotibus in conspectu nostro habere se fassi sunt, a diversis erroribus ad catholicæ fidei veritatem multo sudore, Christi gratia præduce, transferens, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat ac disponit. Ideoque consequens non est ut sine conscientia Romani summi pontificis Ecclesia Romana, de quibus præsentialiter vestita cernitur, spolietur. Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: At quem istorum modorum modo dispensare velitis, edicite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sancta sedes apostolica vos, quia revera inferiores estis, super sua causa judices nec eligit, nec per nos elegit, utpote quæ de omni Ecclesia sola specialiter fas habeat judicandi; sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicium, ei qui librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus: a qua omnis vestra sententia tanta facilitate despicitur, quanta levitate profertur.

637 Vicarii Orientalium patriarcharum dixerunt: Satis indecens est ut vos, qui Græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno nostri principis ordinandi jura servetis. Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum potestate dudum fuisse et Græcos sacerdotes habuisse comperimus, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ clamantes dixerunt: Sententiam quam non electi neque admissi, sive tumore, seu gratia, vel quidquid illud est, modo præcipitastis potius quam protulistis, auctoritate sancti Spiritus usque ad diffinitionem sanctæ sedis apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo vel nomen habere sententiæ mereatur. Teque adjuramus, patriarcha Ignati, auctoritate sanctorum apostolorum principum, coram Deo suisque angelis omnibusque præsentibus, ut secundum hanc epistolam sanctissimi restitutoris tui domni Adriani summi pontificis, quam tibi ecce offerimus, industriam tuam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum tuorum illuc mittendo, custodias: ne sancta sedes apostolica, quæ tibi tua restituit, per te sua perdere videatur. Quin potius si, quod non credimus, justam te habere querimoniam æstimas, sanctæ Ecclesiæ restitutrici tuæ solemniter suggerere non omittas. Tunc patriarcha Ignatius apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere monitus eam legere distulisset, respondit: Absit a me ut ego his præsumptionibus contra decorem sanctæ sedis apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipse omittam. Hoc fine collocutio illa finita est.

638 Sed imperialis commotio, licet spem ronte simularet, augmentum suscepit. Legatos tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad prandium convocans donis optimis decoravit: eosque Theodosio spathario non ea qua congruebat sollicitudine deducendi gratia commendavit. Acodyrcharium usque perducti, negligenterque sine ulla provisione dimissi, post dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti manus, pro dolor! inciderunt: bonisque omnibus, ac authentico, in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudati sunt; ipsique capite plexi fuissent, nisi ab his, qui ex illis aufugerant, sibi timuissent. Tandem apostolicis imperialibusque litteris ab exsilio liberati, et undecimo Kalendarum Januariarum die, indictione quarta, Romam reversi, omnia quæ superius diximus coram sanctissimo summo pontifice ac proceribus retulerunt, nihilque aliud scripturarum quam librum actionis Ignatii, et libellos quos a Sclavis receperant, et reliquos libellos quos Supponi archiministro, et Anastasio prudentissimo bibliothecario sanctæ sedis apostolicæ (cujus præscientiæ [a] sollicitudine exemplar amissæ synodi, quod sibi scribendum impetraverat, Ecclesia Romana suscepit) dudum Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt.

639 Superiore tempore Formosus Portuensis et Paulus Populoniensis venerabilis episcopi, qui cum cæteris jussu sanctissimi papæ Nicolai causa prædicationis destinati fuerant, remeantes de Christianitate Bulgarorum, ac omnimoda subjectione, qua specialiter sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissima colla

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *forte*, præsentis.

Digitized by Google

submiserant, sedem apostolicam recrearunt, et Michaelis Bulgarici regis legatum, Petrum nomine, summo pontifici præsentarunt. Qui legatus cum donis regalibus regias quoque litteras obtulit, summum præsulem summopere deprecantes, ut aut Marinum sibi bene compertum diaconum archiepiscopum consecratum remitteret, aut aliquem ex cardinalibus duntaxat, suæ Ecclesiæ virum sapientia, persona vitaque archiepiscopatu dignissimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem eorumdem denuo remeantem archiepiscopali ministerio sublimaret. Sed Marino Constantinopolitanum missaticum devotissime, ut diximus, sortito, summus pontifex Silvestrum quemdam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano et Dominico Tarvisiensi episcopis, simul et litteras pro archiepiscopo, aut Formoso Portuensi episcopo, remittendo importunissime deprecantes remittentibus Bulgaris magna sub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla rescripsit, ut quemcunque nominatim devotio regalis exprimeret, eum sine dubio pontificalis provisio Bulgaris archiepiscopum commodaret.

640 At vero Bulgarorum rex, exspectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum imperatorem, natorum Theodoræ occasione, qui alterna regna sibi alternatim rapere machinabantur, adductus, eumdem Petrum, quem a Roma sine desiderii sui effectu sero receperat, cum aliis e latere suo Constantinopolim requisitionis gratia cui potissimum Bulgaria pertinere deberet emisit, ibique a legatis nostris quod juri Romano pertinerent, sunt convicti : at post modum per Orientales Constantinopolitanosque donis ac promissionibus persuasi Græcos sacerdotes, juxta quod Grimoaldus episcopus qui ab his se repulsum fatetur, suscipientes, nostros ejiciunt, et per eumdem Grimoaldum episcopum, quia sine conscientia sedis apostolicæ commissum sibi prædicationis officium deserens Romam ditissimus remeavit, magnum epistolæ volumen frivolis allegationibus, tanquam sub prætextu deliberatæ sententiæ, synodo præsidentium implicatum apostolicæ sedi super excusatione sua remisit. In quo facto, quia episcopus a Bulgaris expulsum epistola tacente se asserit, et presbyteri non se pulsos a Græcis vel Bulgaris, sed ab episcopo circumventos, profecto dubium quin mutuæ subsit proditionis imago, [a] donec Christus rerum rimator et cordium, in suorum servorum examine hanc in lucem protulerit, non videtur [b].

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Locus mendosus.* [b] *Videntur aliqua deesse.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 613, *lin.* 7, 8, inerat ei in Christo, *etc.*, tanta fiducia. *lin.* 9, cunctaque.

Num. 614, *lin.* 5, strictim virtutum. *lin.* 11, et ipse presbytero quintum et vigesimum. *lin.* 22, non solum non dubitarent.

Num. 615. *lin.* 15, diceret anhelare.

Num. 616, *lin.* 13, Bulgarum.

Num. 617, *lin.* 1. gaudere Gauderinum Veltriensem. *lin.* 2, Gymmodinem.

Num. 619, *lin.* 5, feria septuagesimæ.

Num. 622, *lin.* 9, quousque raptas.

Num. 624, *lin.* 2, destinati huic sanctissimo. *lin.* 16, respondit contra sedem.

Num. 626, *lin.* 6 et 7, librum referentes videbitis.

Num. 627, *lin.* 6, cunctorum subscriptione roboratis.

Num. 631, *lin.* 6, occulerant, defraudantur.

Num. 637, *lin.* 16, ipse admittant.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 613, *lin.* 1, Talaro episc. sedit annos 5, menses 11, dies 12. Hic cum aliquando inter compresbyteros suos a papa Sergio consuetudinaliter denarios percepisset, domum regressus, equestri suo præcepit ut multitudini peregrinorum, quos ante januam ejusdem domus invenit, ternos ex eisdem denariis in singulis erogaret. [*M.*, den. sing.] Cumque ille (*ut lin.* 14) neque tertiæ parti eorundem singulos sufficere posse affirmaret, ipse acceptis denariis ternos singulis erogavit. In qua redundatione cum miraretur equester liberalis sacerdos ex residuis multitudini familiæ suæ iterum ternos largitus est cuique. At cum sex superessent : Vides, inquit, quam largus est Dominus, qui ex illa quadragenaria quantitate mihi tibique ternos misericorditer reservavit. Hic cum ad Romanum pontificatum ab ecclesia Dei Genitricis dominæ nostræ, quæ dicitur ad Præsepe, *vide num.* 614, *lin.* 33, 34, traheretur ad patriarchium Lateranense, certatim a clero et proceribus, et plebe deportatus est. Quod audientes missi Ludovici imperatoris, moleste tulerunt, indignati scilicet, quod dum præsentes essent, non invitati fuerunt, nec. opt. a se f. p. el. interesse meruerunt. Qui acc. r. qu. non. c. c. A.

Num. 614, *lin.* 38, temporis prospectu hoc omissum f. *lin.* 40, omnem indignationem inoliter [*M*, molitus] sedaverunt, ac ad salut. *lin.* 41, accesserunt. Audiens hoc Ludovicus Christianissimus imperator, mox imperialem scribens epistolam cunctos Romanos, *ut num.* 615, *lin.* 9.

Num. 615, *lin.* 11, tanto peregissent officio præsulem collaudavit, per quam epistolam videlicet, innotuit. *lin.* 12, pro consecratione Romani pontificis quoquo m. *lin.* 13, unanim. ard. cup. *lin.* 14, auf. a Rom. eccl. *lin.* 15, Hujus temporibus celebrata est apud Constantinopolim synodus pro expulsione Photii, et restitutione Ignatii patriarchæ, et Bulgarorum legati coram Basilio imper. et legatis quatuor apostolicarum sedium longam disceptationem habuerunt, utrum Romanæ, an Constantinopolitanæ Ecclesiæ subjecti esse deberent. Postea vero legatus Michaelis Bulgarici regis cum donis regalibus regias litteras obtulit summo pontifici Adriano, *ut num.* 639, *sub initium.*

Num. 639, *lin.* 8, eligendo d. *lin.* 9, archiep. officio s. pont. vero Silvestrum quemdam subdiaco- Bulgaris eligendum direxit cum episcopis Leopardo Anconitano, et Dominico Trivisiensi. Postmodum per Orientales, *ut num. seq. lin.* 5.

Num. 640, *lin.* 6, sacerdotes suscipientes Romanos ejecerunt. Iste beatissimus oleo inunxit, et imperatorem constituit Karolum Ludovici filium. *Videntur aliqua deesse.*

Digitized by Google

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Num. 614, *lin* 10, subterfugeret. *lin* 24, missas celebrare. *lin* 28, ubi emicantibus ind.

Num 615, *lin* 4, bisuros uspiam estimasse. *lin* 7, sedarentur. *lin* 15, diceret anhelaret. *lin* 20, beatissimo papa Nicolao.

Num 619, *lin* 9, jugiter concrepantium laudans.

Num 620, *lin* 5, justitia rectitandi.

Num 622, *lin* 12, commun. frequenter acc.

Num 627, *lin* 16, sacerdotum usque erecedivam sedis.

A *Num* 629, *lin* 11, residunt. *lin* 12, revertuntur.

Num 631, *lin* 4, libellorum.

Num 637, *lin* 8, Teque rev. patr. *in* 9, omnibus præsentibus contestamur, ut.

Num 638 *lin* 6, fuerant denudati.

Num 639, *lin* 10, diximus penitente sortito.

Num 640, *lin* 1, non valens quanta esse, quam a Græcorum imperatore, quam natorum. *lin* 4, potissimum pertinere. *lin* 13, 14 non videtur. *Videntur aliqua* deesse.

CIX. JOANNES VII, ANNO CHRISTI 872.

CX. MARINUS, ANNO 882.

CXI. ADRIANUS III, ANNO 884.

CXII. STEPHANUS VI.

ANNO CHRISTI 885, CAROLI CRASSI 7, IMP. BASILII 19.

641 Stephanus, natione Romanus, ex patre Adriano, de regione via Lata, sedit annos quatuor menses septem, dies quatuordecim. Iste siquidem beatissimus pontifex nobilium parentum Romanorum quoque prosapia ortus, dum per Dei gratiam cresceret, sacris est edoctus dogmatibus, studio et sollicitudine Zachariæ sanctissimi episcopi, consanguinei sui, et sedis apostolicæ bibliothecarii, cumque conspiceret piæ memoriæ Adrianus junior pontifex moribus bonis pollentem et litterarum studiis ferventem, a prædicto inclito genitore suo eum auferens, ad subdiaconatus Deo favente gradum provexit, statuens eum inter alios sibi familiarem, et in patriarchio Lateranensi ecclesiasticum peragentem officium, et hoc honore percepto vitam ipse duxit mirabilem.

642 Erat enim corpore castus, animo benivolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus, mœrentium consolator, pupillorum et inopum enutritor, et, ut generaliter comprehendam, omnium virtutum floribus adornatus. Quamobrem hic idem eminentissimus præsul in sanctæ Romanæ Ecclesiæ servitio perdurans, et magis ac magis specialibus studiis vacans, a reverendæ memoriæ Marino summo pontifice bene notus, et amatus familiaribus ejus, potius est ascitus obsequiis. Hujus namque cum castimoniam et prudentiam, atque fidelitatem idem Marinus summus papa per omnia intueretur, ob suæ fidei et prudentiæ meritum manipularem sibi delegavit, et scita sua spirituali conversatione tituli beatorum quatuor Coronatorum presbyterum consecravit, et in nullo a se dum vixit separari permisit. Igitur defuncto recordandæ memoriæ Adriano papa, qui eidem beatissimo papæ Marino successerat, super fluvium Scultiuna, in villa quæ Vinlzachara nuncupatur, cujus tempore Romani cives multa tam locustarum devastatione quam et pluviæ sterilitate seu famis inopia perpessi fuerant incommoda, credentes se posse hujus venerabilis viri sanctitate relevari, per Dei misericordiam facto conventu sanctissimorum episcoporum et totius clericalis ordinis, necnon nobilium senatuum et virorum illustrium cœtu, acclamantibus omnibus, una cum omni populo et utriusque sexus vulgi multitudine, dixere : Dominum Stephanum presbyterum Deo dignum omnes volumus, omnes quærimus, et petimus nobis præesse pontificem ; quia proculdubio credimus ejus sanctitate nos posse liberari ab imminentibus periculis. Tunc quia jam nominatus Adrianus pontifex Romæ reliquerat Joannem venerabilem Ticinensem episcopum, ut missum Caroli excellentissimi imperatoris pro tuitione Urbis, omnes cum eodem legato imperiali juncti unanimes venerunt ad domum, ubi cum patre ipse almificus Stephanus sancto meditabatur colloquio, et ecce fractis foribus tenetur et ducitur electus Dei pontifex ad eumdem titulum sanctorum quatuor Coronatorum sibi creditum reluctans plurimum, simul cum patre acclamantibus utrisque, et indignos se tanto honore profitentibus. Ubi et omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ scholæ gaudentes conjunctæ eumdem venerandum electum trahentes, ad Lateranense Christo præduce perduxerunt palatium, cum omni honore et debita reverentia. Prius quidem quam ad sacrum pervenerit palatium, tanta pluviarum cœlitus facta est inundatio, qua sua ubertate terram a multo retro tempore aridam reficeret, ut aperto judicio Deus ostenderet tanti almigeri viri meritis ac precibus omnibus se velle propitiari populis. Quo scilicet in eodem residente palatio gaudent utriusque ordinis proceres, et debitam fidelitatem cœperunt exhibere. Adveniente autem proximo die Dominico, ad beati

Digitized by Google

Petri apostolorum principis limina omnis Romana Ecclesia cum honorabiliter detulit, ubi et consecratus pontifex missarum ex more celebravit solemnia. Et rediens cum debito honore ac honorificentia ad Lateranense palatium, suum ministerium miris cœpit decorare operibus.

643 Deinde cum venerabilibus episcopis et Augustali legato ac honorabili senatu per omnia sacri palatii perrexit vestiaria, quæ in tantum devastata reperit, ut de sacratis vasis, quibus mensas teneri festis diebus pontifices consueverant, paucissima invenirentur. De reliquis vero opibus nihil omnino; sed quia nimirum si vestiariorum gazas ablatas reperit, qui sacraria perquirens de pluribus donariis et ecclesiarum ornamentis pene nihil invenit. Crux tamen aurea illa famosissima, quam Belisarius patricius ad honorem beati Principis Petri apostolorum instituit, et plurimæ sacratissimorum altarium aureæ vestes cum reliquis pretiosis ornamentis non defuerunt. Nam ideo ipse beatissimus papa coram tantis testibus ea requirere providit, ut cuncti cognoscerent nil tale suis temporibus esse attentatum.

644 Idcirco gravi mœrore affectus est, quia devastatis vestiariis horrea simul et cellaria vacua inventa sunt; et quid erogaret clero et scholis non habebat, vel unde captivos redimeret, orphanos et vidnas pasceret in tam validissima quæ instabat, fame, carebat : quid faceret? Conversus ad patrias facultates quas inclyti sui parentes possederant, abstulit, et larga dextra prout posset paupe-ribus erogavit, et ita Deo miserante factum est ut famis inopiam suo studio mitigaret. Ministros itaque et familiares hinc inde perquirens tales suis obsequiis aggregavit, qui et vitæ sanctitate et fidei sinceritate et sapientiæ doctrina et eloquentiæ fecunditate et morum probitate pollerent. Cum autem ad prandium sedebat, orphanos quotidie advocabat, quos ut filios alebat. Convocatos vero nobiles cum corporeis pasceret cibis, spiritualibus epulis refovebat. Et tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, et in divinis laudibus insistebat, ut ad ejus prandium sacra per singulos dies lectio recitaretur. Missarum autem solemnia quotidie celebrabat, nocte ac die orationi insistebat, et nunquam psalmodiis cessabat, nisi cum utilitates populi ad se reclamantis perficere cupiebat, ut oppressos sublevaret et afflictis subveniret. Intuitus vero insolentiam populi, et cæcitatem cordis sui vaniloquis et nefariis fabulis et otiosis sermonibus vacantis in ecclesia, et audiens quosdam vulgante fama maleficiis et incantationibus uti hac allocutione missam celebrans populum admonuit : Filiationem vestram, charissimi, commonemus, ut convenientes ad sacratissimum Dei templum id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter templum Dei esse creditis illud ad quod convenitis, id proculdubio inibi operari debetis quod ei placeat cujus templum est, ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, et quantum ipse inspirare dignatus fuerit inibi, quod ei placeat, debet expeti. Est igitur misericors Deus, ita tamen suam misericordiam unicuique disponit impertiri, ut rogantibus eam tribuat non ingratis, et tanto largiori illam tribuat unicuique pietate, quanto majoribus gemitibus et ardentiori animo fuerit a quolibet deprecatus, sicut ipse dicit : *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum* [a]. Est namque templum Dei locus orationis, sicut ipse alicubi dicit : *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus* [b]. Et Psalmista : *Domum tuam decent sancta, Domine* [c]. Quippe si orationis domus est, id ibi oportet agere quod vocatur, id est orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis et mentis gemitibus delicta abluere, et fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures perferunt Domini sabaoth. Qua rogo fronte in sacratissimo Dei templo assistit, qui inanibus fabulis et otiosis verbis insistit? Nam si de omni verbo otioso in die judicii ratio est reddenda [d], de his maxime reddetur ratio et exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solum peccata sua negligit abluere, sed potius contendit augere? Pavescite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes et ementes de templo [e]. Remissius scilicet est utiliter negotiari, quam inaniter et otiose confabulari.

645 Cum convenitis ad locum orationis, cum silentio state, intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem Dominum, et dicentem : *Cum statis ad orationem dimittite si quid habetis adversus alterum, ut et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra* [f]. Hæc meditantes, et divina gratia inspirante facientes, et evangelicis et apostolicis documentis imbuti, impetrata ab omnipotenti Deo misericordia, cum fructu bonorum operum quasi lampadibus illuminati cum gaudio, et Christo repræsentari, et cum sanctis coronari merebimini. De cætero, charissimi, nosse vos volumus, quod legem Dominus populo suo

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Luc.* VII. 47. [b] *Isa.* LVI, 7; *Marc.* XI, 17. [c] *Psalm.* XCII. [d] *Matth.* XII, 36. [e] *Joan.* II, 15. [f] *Matth.* VI, 14.

Digitized by Google

instituens Moyse teste, intulit dicens : *Maleficum ne patiaris vivere* [a]. In hac itaque Urbe, quod dolens dico, inveniuntur quidam qui non solum maleficos non impetunt, sed potius tuentur et fovent. Per quos incantationibus quibusdam dæmones consulere non perhorrescunt, et divinæ legis et Apostolicæ doctrinæ immemores, quæ intonat dicens : *Quæ participatio luci ad tenebras, aut conventus Christo et Belial?* [b] In hoc enim quod Christo contempto dæmones gentium more consulunt, Christianos se omnimodis non esse fatentur. Quod quam horribile, quamque sit profanum, ut Christo contempto dæmones Christianus adoret, unusquisque perpendat, ut tale facinus fieri perhorrescat. Quamobrem quisquis deinceps tali contagio se polluere tentaverit, alienum vivifici fieri corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi Spiritus sancti judicio, donec a tanta resipiscat ignavia, judicamus. Qui vero tam salubribus interdictis contemptor exstiterit, et in eadem pestifera pertinacia perseverans resipiscere neglexerit, perpetuum a Deo Patre et Jesu Christo Filio ejus sit anathema.

646 Cumque talis iste præstantissimus præsul existeret, et in his quæ divino cultui conveniunt finetenus perseveraret, tanta illi est divinitus gratia concessa, ut quidquid habere potuerat sacris donabat ecclesiis, captivos redimebat, sollicitus existens pro salute omnium, quia cum fama sui nominis atque actuum tam per Orientales quam Occidentales partes diffamaretur, pene omnes ad cum accurrebant ut ejus benedictionem perciperent. Nam inter alia de donariis, quæ Ecclesiis diversis contulit, longum est enarrare. Verum ut de multis pauca dicamus, cum in basilica beati Petri apostolorum principis, ubi sacro ipse corpore requiescit, cerneret nocturnis laudibus vix semel thymiamatis incensum offerri, instituit ut per singulas lectiones et responsoria adoleatur. Et in pergula ipsius basilicæ ipse reverendus papa ob amorem beati Petri nutritoris sui posuit cantharam auream unam, cum pretiosis margaritis et gemmis, ac smalto, cum perpendiculo ad pendendum. Necnon et in eadem venerabili basilica sancti Petri obtulit regnum aureum unum, cum diversis margaritis, spatham cum vagina de auro, et gemmis cum balteo unam. Contulit etiam et in eadem basilica vestem unam, cum auro et albis gemmis : vela serica in circuitu altaris quatuor, sed et homelias beati Gregorii numero quadraginta. In qua supradicta venerabili basilica cum idem sanctissimus papa et omnium vitiorum fortissimus exstirpator malam consuetudinem invenisset, ut presbyteri, qui ibidem Domino sacrificium quotidie offerebant, omni anno unam mulctam consuetudinaliter darent, quam consuetudinem sanctæ memoriæ domnus Marinus papa antecessor ejus fregerat, sed subreptionibus quorumdam hominum tempore Adriani tertii papæ repullulaverat, sub forti obtestatione præcepit ut nullus unquam ab eis, non solum hoc, verum etiam aliquod tributum acciperet; sed cum omni honore sicut sacerdotes oportet suum peragere officium eis liceret. Idem autem sacratissimus præsul pro sui sempiterna memoria cum conspiceret nocturnis vigiliis in ecclesia majori, quæ vocatur sanctæ et superexaltatæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe, lampades consuetudinarias deesse, gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, et continuatim vigiliis ardere præcepit. Necnon idem mitissimus pontifex fecit in eadem prædicta basilica vela quatuor in circuitu altaris majoris, quorum duo sunt de serico pigacio, tertium pavonatile, quartum de Alexandrino, ornatum totum in circuitu de olovero.

647 Denique sæpedictus a Deo protectus sanctissimus papa ob retributionem animæ suæ fecit in ecclesia beati Pauli apostoli doctoris gentium regnum ex auro purissimo unum, cum diversis gemmis albis, prasinis, hyacinthinis, et in medio regni cruciculam auream pendentem, unam cum catenulis suis, et vestem sericam supra altare majus unam, cum auro et gemmis. Fecit etiam in eadem basilica egregii Doctoris gentium belothera quatuor, ex quibus unum auro textum. Præfatus vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in ecclesia Domini Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, vestem supra altare majus auro textam unam cum diversis margaritis.

648 Pari modo et in eadem basilica contulit jam fatus reverendissimus præsul vela serica de blatthin byzantea quatuor in circuitu altaris majoris, duo ex his aquilata, et duo de basilisci, ornata in circuitu de olovero : et per singulos arcus presbyterii vela serica leonata nonaginta. Et pro futuro animæ suæ remedio contulit ibidem cantharam exauratam unam, libr. comment. I Prophetarum libr. I, Gestarum rerum libr. II. Cum autem esset sollicitus pro statu ecclesiarum Dei, ne suis temporibus, quæ in ruinis positæ erant, caderent, ecclesiam beatorum apostolorum Jacobi et Philippi, quæ nimio senio consumpta ruinæ proxima erat, a fundamento renovavit. Quam collato calice, et patena exaurata nomine Græcis Latinisque litteris inscripto adornavit. Et insuper pro sua perpetua salute contulit in eadem basilica Apostolorum cortinam lineam unam, velothera serica tria in circuitu altaris. Et oratorio sancti Thomæ, sito in monasterio sancti Andreæ apostoli, juxta basilicam Apostolorum fecit vestem unam. Ipse vero egregius et prudentissimus papa cum sciret basilicam sanctorum quatuor

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Exod.* XXII, 18. [b] *II Cor.* VI, 14, 15.

Digitized by Google

Coronatorum, in qua sacerdotii fungebatur officio, modico uti ornatu, pro reverentia et amore eorumdem sanctorum obtulit in ea crucem auream super altare, cum gemmis et smalto, et sagulum ad pendendum in regno, et cerostata vestita de argento paria duo. Atque præ nimio amore illorum idem benignissimus papa contulit ibidem cantharam exauratam unam, salomonem unum, regnum aureum unum, cum gemmis pretiosissimis, et vestem unam cum auro et gemmis albis, atque Sermonum libr. unum, Gestarum libr. unum, Evangeliorum librum unum, cum epistolis. Hic ipse præcipuus præsul magis et magis divino zelo ductus in eorumdem sanctorum motus amore fecit in basilica eorum canistra de argento purissimo miræ pulchritudinis operata numero quindecim, pensan. simul libras triginta, et tribuit codicem unum beati Joannis Chrysostomi.

649 Fecit autem idem almificus papa in titulo sancti Marcelli martyris atque pontificis canistrum argenteum unam, pensan. libras tres : crucem de auro unam, vela linea sex et viginti, cortinam lineam unam, simulque et Historiarum librum unum, homelias sancti Gregorii numero viginti. Misit quoque in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, sitam in Manturiano, librum Regum unum, vestem sericam super altare unam. Jam memoratus mitissimus papa fecit in monasterio ad clivum Scauri, crucem auream unam, necnon omnium ecclesiarum sollicitudinem habens ipse piissimus Pater contulit in monasterio sancti Silvestri in monte Soracte thymiamaterium de argento unum, cantullam argenteam unam. Et magis ac magis divino amore succensus fecit in titulo sanctæ Pudentianæ Sermonum librum unum : et, in titulo beatæ Anastasiæ, Sermonum et Epistolarum librum unum. Et in ecclesia, quæ vocatur Jerusalem, in susurrio obtulit librum Regum et Salomonis unum, et reverentiam beati Gregorii præcessoris sui præ oculis cordis habens, tribuit idem summus pontifex in hospitali ipsius beati Gregorii in porticu beati Petri apostoli Sermonum sanctorum librum unum. Et in schola cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, Heptateuchum unum.

650 Idem autem elegantissimus præsul atque fortissimus rectæ fidei prædicator in ecclesiam Ravennatem auri libras duodecim, argenti libras... remisit pro animæ suæ remedio, quæ quorumdam subreptionibus inde fuerant ablatæ. Similiter et in ecclesia Imolensi auri libras septem, argenti libras... ablatas restituit. Item Deum præ oculis habens in Bononiensi ecclesia patenam de argento unam æque reddidit. Imo et pro perenni mercede in ecclesia alias sanctorum reliquias per diversos cardinales titulos, alias etiam circumquaque per diversa largitus est monasteria, ubi plurimis coruscant miraculis : maximam vero partem digna honorificentia collocavit apud ecclesiam quæ ad apostolos dicitur. Hanc senio consumptam et ruinæ proximam isdem sanctissimus papa a fundamentis renovavit, et plurimis donariis compsit et ornamentis. Erat quippe omnis eius intentio, ut ea semper ageret quæ Deo sunt acceptabilia. Cum clades itaque locustarum, quæ prædecessoris sui Adriani videlicet tempore totam patriam pene consumpserat, male multiplicato germine nasci cœpissent et omnia replevissent, misertus idem sanctissimus papa afflicto populo, primum quidem divulgavit ut si quis de eis unum sextarium caperet et sibi attulisset, quinque aut sex denarios ab eo perciperet. Hoc autem populi audientes cœperunt huc atque illuc discurrere, easque capere, et misericordissimo Patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequivisset, ad Domini misericordiam confugiens, in oratorium beati Gregorii, ubi ejus lectus habetur, juxta ecclesiam principis apostolorum, veniens sese cum lacrymis in orationem dedit, cumque diutius oraret, surrexit, et aquam propriis manibus benedicens, mansionariis præcepit, dicens : Tollite, et singulis distribuite, monentes ut in nomine Domini agros suos circumeant, et hanc aquam spargant per sata et vineas, petentes divinum sibi suffragium et subsidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, ut ubicunque ipsa aqua conspersa est nulla penitus locusta remaneret. Hæc circunquaque vicini audientes ad Urbem confluunt, subveniri sibi deposcunt, omnem terram in pulveris modum locustis coopertam clamitant, quos piissimus papa benigne commonuit, eos de cœlo auxilium petere debere contra flagellum imminens, et mox læta. *Cætera desiderantur.*

VARIÆ LECTIONES

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num 641, *lin* 1, Stephanus, ante Stephanum præmittitur Joannes VIII. Martinus Secundus, et Adrianus Tertius. *Verum hæc alterius auctoris sunt. Vide testimonia de Anastasio dicta. lin* 1, ex patre Adriano de via Lata, sedit annos 6, dies novem ; et cessavit episcopatus diebus 5. Hujus temporibus Normanni, a Junctis sibi Dacis, pene totam Galliam devastarunt. Propter ipsorum timorem corpus beati Martini Turonensis Altisiodorum est deportatum, et in ecclesia sancti Germani collocatum. Sed monachis propter oblationes litigantibus, et suo sancto miracula, quæ fiebant, adscribentibus pro determinatione leprosus inter sanctos Martinum et Germanum positus, ex parte Martini curatus tantum ; et alia nocte reversus ex alia parte ab eodem curatus est; non propter impotentiam Germani ; sed quod hospitem honoravit. *Cætera omnia desiderantur. In hoc autem Stephano desinit Anastasii editio Moguntina, quæ prodiit anno* 1602. *Sequuntur in utroque codice aliorum pontificum Vitæ, usque ad Martinum V. Sed quia nobis propositum fuit Anastasium tantum recensere, et purioris editionis occasionem præstare iis, quibus majus otium suppetit, ideo hic desinimus, et negotium hoc illis peragendum ultro relinquimus.*

Digitized by Google

Apua Peniam ex codice Cavensi.

Num. 642, *lin.* 14 et 15, multitudine dom.

Num. 644. *lin.* 7, facunditate. *lin.* 29, ordines, sanctorum chori, qui fidelium vota, et preces sacerdotis pro populo deprecantes ad aures perferunt Domini sabaoth.

Num. 646, *lin.* 16, unam wittam.

Num. 648, *lin.* 1, præsul delothera serica. *lin.* 7, proxima inerat.

Num. 649, *lin.* 13 et 14, eptaticum.

Num. 650, *lin.* 20, sibi suffragari subsidium, *lin.* 23 et 24. commonuit de cœl.

APPENDIX

AD

VITAS ROMANORUM PONTIFICUM.

VITAE ROMANORUM PONTIFICUM

A B. PETRO AD S. PAULUM I

PERDUCTÆ.

Quæ publici juris fiunt ex præstantissimo codice amplissimi capituli Veronensis.

Beatus Petrus, filius Joannis, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, primum sedit cathedræ episcopatus in Antiochia annos VII, deinde in Roma annos XXV et menses II, dies III. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Gaii, et Tiberii Claudii, et Neronis, sub quo et passus est. Hic scripsit duas Epistolas, quæ canonicæ nominantur, et Evangelium Marci, quia Marcus auditor ejus fuit et filius de baptismo. Post omnem quatuor Evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem Petri firmata sunt dum alius Græce, alius Hebraice, alius Latine consonet. Hic fecit ordinationes III: diaconos VII, presbyteros X, episcopos III per mensem Decembrium. Qui et sepultus est via Aurelia in templo Apollinis, juxta locum ubi crucifixus est, juxta palatium Neronianum, in Vaticano, in territorio, via Aurelia, III Kal. Julii.

II. — Linus, natione Italus, patre Erculano, sedit annos XII, menses III, dies XII. Fuit autem temporibus Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis usque ad Capitone et Rufino consulibus. Martyrio coronatur. Hic, ex præcepto beati Petri, in Vaticano sepultus est IX Kal. Octobris.

III. — Cletus, natione Romanus, Vico Patricii, patre Æmiliano, sedit annos VII, mensem I, dies XX. Fuit autem temporibus Vespasiani et Titi a Domitiano consulatu Vespasiani IX consulibus [a]. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto beati Petri XXV presbyteros in urbe Romæ ordinavit mense Decembrio: et maxime omnes pontifices qui subsequuntur in mense Decembrio ordinationes celebraverunt; sepultusque in basilica beati Petri in Vaticano VI Kal. Maii.

IV. — Clemens, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annos XI, dies X. Fuit autem temporibus Galbæ et Vespasiani, a consulatu Tragali et Italici usque ad Vespasianum IX et Titum. Martyrio coronatur. Hic divisit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent; et fecit duas epistolas. Hic fecit ordinationes [b], presbyteros X, diaconos II, episcopos per diversa loca V. Obiit martyrio temporibus Trajani. Qui sepultus est in Græcia IX Kal. Decembris; et cessavit episcopatus dies XI.

V. — Anacletus, natione Græcus, de Athenis, patre Antiocho, sedit annos XII, menses X, dies VII. Fuit autem temporibus Domitiani, consulatu Domitiani X et Sabini, usque ad Domitiano XVII et Clemente consulibus. Hic memoriam beati Petri construxit; et composuit, ubi episcopi reconderentur. Ibi et ipse sepultus est Idibus Julii. Hic fecit ordinationes II: presbyteros V, diaconos III, episcopos per diversa loca VI. Cessavit episcopatus dies XVII.

VI. — Evaristus, natione Græcus, Antiochenus, ex patre Judæo, nomine Juda, de civitate Bethel, sedit annos XVII, menses VII, dies II. Fuit autem temporibus Domitiani et Nervæ Trajani, a consulatu Valentis et Veteris usque ad Gallum et Braduam consules. Martyrio coronatur. Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris, et VII diaconos ordinavit, qui custodirent episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes III, presbyteros XVII, diaconos IX, episcopos XV; sepultusque est juxta corpus beati Petri VI Kal. Novembris. Cessavit episcopatus dies XIX.

VII. — Alexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput Tauri, sedit annos XII, menses VII, dies II. Fuit autem temporibus Trajani usque Æliano et Vetere. Hic passionem Domini miscuit in prædicatione sacerdotum. Martyrio coronatur. Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici. Hic fecit ordinationes III: presbyteros VI, diaconos II, episcopos V. Sepultus est via Nomentana, ubi decollatus est, V Nonas Maii. Cessavit episcopatus dies XXX.

VIII. — Xystus, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione via Lata, sedit annos X, menses II, diem I. Fuit autem temporibus Adriani usque ad Vero et Anniculo. Martyrio coronatur. Hic constituit ut non tangerentur ministeria sacrata nisi a ministris, et quicunque episcopus devotus fuerit ad

[a] Emendet felicior aliquis

[b] Supple *duas*.

Digitized by Google

sedem Romanam apostolicam, et rediens [a] ad parochiam suam non susciperetur nisi cum formata salutationis plebis a sede apostolica. Et constituit ut intra actionem sacerdos in populo hymnum decantaret : *Sanctus, sanctus, sanctus.* Hic fecit ordinationes III : presbyteros XI, diaconos III, episcopos III, sepultusque est juxta corpus beati Petri VII Kal. Aprilis. Cessavit episcopatus menses II.

IX. — TELESPHORUS, natione Græcus, ex anachorita, sedit annos XI, menses II, dies XXI. Fuit temporibus Antonini et Marci. Hic constituit ut VII hebdomadas jejunium celebraretur Paschæ. Martyrio coronatur. Hic fecit ut Natali Domini nostri Jesu Christi noctu missæ celebrarentur, et in ingressu sacrificii missæ hymnus diceretur angelicus : *Gloria in excelsis Deo*, tantum noctu Natalis Domini. Hic fecit ordinationes IV : presbyteros XII, diaconos VIII, episcopos XIII. Sepultus est juxta corpus beati Petri IV Nonas Januarii ; et cessavit episcopatus dies VII.

X. — YGINUS, natione Græcus, ex philosopho, de Athenis, sedit annos X, menses III, dies VII. Fuit temporibus Veri et Marci, a consulatu Magni et Camerini usque ad Orfito et Camerino. Hic clerum composuit, et distribuit gradus, et fecit ordinationes III : presbyteros XV, diaconos V, episcopos VI ; sepultusque est juxta corpus beati Petri III Idus Januarii. Cessavit episcopatus dies III.

XI. — ANICITUS, natione Syrus, ex patre Joanne, vico Amisa, sedit annos IX, menses III. Fuit autem temporibus Severi et Marci, a consulatu Gallicani et Veteris usque ad Præsentem et Rufinum. Hic constituit ut clerus comam non nutriat. Hic fecit ordinationes V : presbyteros VIII, diaconos IV, episcopos IX. Sepultus est juxta corpus beati Petri XII Kal. Maii. Cessavit episcopatus dies VII.

XII. — PIUS, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia, sedit annos XV, menses IV, dies XXI. Fuit autem temporibus Antonini Pii, a consulatu Clari et Severi. Sub hujus episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur quod ei præcepit angelus Domini, cum venit ad eum in habitu pastoris. Præcepit ei ut sanctum Pascha die Dominico celebretur. Hic constituit a Judæo hæreticum venientem suscipi et baptizari. Hic fecit ordinationes V : presbyteros XIX, diaconos XXII, episcopos XII ; sepultusque est juxta corpus beati Petri, V Idus Julii. Cessavit episcopatus dies XIV.

XIII. — SOTER, natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, sedit annos VIII, menses II, dies XXI. Fuit temporibus Severi, a consulatu Rustici et Aquilini usque ad Cetego et Claro. Hic constituit ut nullus monachus pallea sacrata [b] contingeret, nec incensum poneret intra ecclesiam. Hic fecit ordinationes III : presbyteros XIX, diaconos IX, episcopos XI ; qui sepultus est juxta corpus beati Petri X Kal. Maii. Cessavit episcopatus dies XI.

XIV.—ELEUTHERIUS, natione Græcus, patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos XV, menses III, dies II. Fuit autem temporibus Antonini et Commodi usque ad Paterno et Bradua. Hic accepit epistolam a Lucio Britanniæ rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum ; et constituit ut nulla esca usualis repudiaretur a Christianis, maxime fidelibus, quam Deus creavit, quæ tamen rationabiles sunt. Hic fecit ordinationes III : presbyteros XII, diaconos VIII, episcopos XV ; sepultusque est juxta corpus beati Petri IX Kal. Junii. Cessavit episcopatus dies XVI.

XV. — VICTOR, natione Afer, patre Felice, sedit annos XV, menses III, dies X. Fuit temporibus Cæsaris Augusti, a consulatu Commodi II et Glabrionis usque ad Laterano et Rufino. Hic constituit ut Pascha die Dominico celebraretur, sicut et Eleutherius. Hic fecit sequentes cleros. Martyrio coronatur. Et constituit ut necessitate faciente, si inventus fuisset sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, tantum Christiana declarata credulitate, quicunque hominum ex gentili veniens, baptizaretur. Et fecit concilium de Pascha, vel de die primo, cum Theophilo episcopo Alexandriæ, de luna. Hic fecit ordinationes II : presbyteros IIII, diaconos VI, episcopos XII. Qui et sepultus est juxta corpus beati Petri V Kal. Augusti. Cessavit episcopatus dies XII.

XVI. — ZEPHYRINUS, natione Romanus, patre Abundio, sedit annos XVIII, menses III, dies X. Fuit autem temporibus Antonini et Severi, a consulatu Antonini et Gallicani usque ad Præsente et Stricato consulibus. Hic constituit ut in præsentia omnibus clericis et laicis fidelibus sive levita, sive sacerdos ordinaretur. Et fecit constitutum de ecclesia, et patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesia et ministros superportantes, dum [c] episcopus missam celebraret ante se sacerdotes omnes astantes. Sic missæ celebrarentur, excepto quod jus episcopi inter tantum clerus sustineret, omnibus præsentibus, ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam acciperet presbyter tradendam populo. Hic fecit ordinationes IV : presbyteros XIV, diaconos VIII, episcopos XIII. sepultusque est in cœmeterio, juxta cœmeterium Calisti via Appia, VIII Kal. Septembris. Cessavit episcopatus dies VI.

XVII. — CALISTUS, natione Romanus, ex patre Domitio, de regione urbe Ravennatium, sedit annos V, menses XI, dies X. Fuit autem temporibus Marini et Theodoli Obilli, a consultatu Antonini et Alexandri. Martyrio coronatur. Hic constituit jejunium Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, olei secundum prophetiam quarti, VII et X. Hic fecit basilicam trans Tiberim et cœmeterium via Appia, quod dicitur Calisti ; qui etiam sepultus est in cœmeterio Calepodii, via Aurelia, milliario III, pridie Idus Octobris. Hic fecit ordinationes V : presbyteros XVI, diaconos IV, episcopos VIII. Cessavit episcopatus dies XVI.

XVIII. — URBANUS, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos IX, mensem I, dies II. Hic ministeria sacrata argentea constituit, et patenas argenteas XXV posuit : qui etiam clare confessor temporibus Diocletiani. Hic multos convertit ad baptismum, etiam Valerianum sponsum sanctæ Ceciliæ. Hic fecit ordinationes V : presbyteros XIX, diaconos VII, episcopos VIII, sepultusque est in cœmeterio Prætextati XIV. Kal. Junii. Cessavit episcopatus dies XXX.

XIX. — PONTIANUS, natione Romanus, patre Calpurnio, sedit annos V, menses II, dies XXII. Martyrio coronatur. Hic fuit temporibus Alexandri, a consulatu Pompeiani et Peliniani. Eo tempore Pontianus episcopus et Hippolytus presbyter exsilio sunt deportati ab Alexandro in Sardiniam insulam Bucinam, Severo et Quintiano consulibus : ibique maceratus fustibus defunctus est VI Kal. Novembris. Hic fecit ordinationes II : presbyteros VI, diaconos V, episcopos VII. Quem beatus Fabianus adduxit et sepelivit in cœmeterio Catacumbarum. Cessavit episcopatus dies X.

XX. — ANTERUS, natione Græcus, patre Romulo, sedit annos XII, menses I, dies XIX. Martyrio coronatur temporibus Maximini et Africani consulum, Hic gesta martyrum exquisivit et in ecclesia recondidit. Propter quemdam Maximum presbyterum martyr effectus est. Hic ordinavit unum episcopum in civitate Fundis Campaniæ. Sepultus est in cœmeterio Calisti, III Nonas Januarii. Cessavit episcopatus dies VII.

XXI. — FABIANUS, natione Romanus, patre Fabio, sedit annos XIII, mensem I, dies X. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Maximi et Africani usque ad

[a] Forte legendum *ut rediens.*
[b] Lege *pallas sacratas.*
[c] Lege : *ut patenas..... in ecc . ria essent ministri supportantes. Dum*, etc. Et infra, *adstarent.* Et paulo post pro *inter* lege *interest ut* et supple *quod* ante *ex ea.*

Digitized by Google

Decio II et Quadrato. Hic regiones divisit diaconibus, et fecit VII subdiaconos, qui VII notariis imminerent, ut gesta martyrum fideliter, feliciter colligerent. Et multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. Hic fecit ordinationes V: presbyteros XXII, diaconos VIII, episcopos XIII; sepultusque est in cœmeterio Calisti, XIII Kal. Februarii. Cessavit episcopatus dies VII.

XXII. — CORNELIUS, natione Romanus, sedit annos II, menses III, dies X. Martyrio coronatur. Sub hujus episcopatu Novatus Novatianum extra Ecclesiam et in Africa Nicostratum [a]. Hoc facto, confessores, qui se a Cornelio separaverunt cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi fideles. Post hoc Cornelius episcopus Centumcellas pulsus est, et ibidem scriptam epistolam de sua confirmatione martyrii, missam a Cypriano accepit, quam Cyprianus in carcere scripsit, et de Celerino lectore. Hic temporibus suis, rogatus a quadam matrona, corpora apostolorum Petri et Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primumque corpus beati Pauli acceptum beati Lucina posuit in prædio suo, via Ostiensi, juxta locum ubi decollatus est. Beati Petri corpus accepit Cornelius episcopus, et posuit juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum, in templo Apollinis in monte Aureo, in Vaticano palatii Neroniani III Kal. Julii. Fecit autem ordinationem unam, presbyteros VIII. Post hoc ambulavit noctu Centumcellas. Eo tempore audivit Decius eo quod epistolam accepisset a beato Cypriano Carthaginensi episcopo. Centumcellis eum exire fecit; jussitque noctu sibi præsentari: dicensque ei: Sic definisti, ut nec deos consideres, nec præcepta majorum, nec nostras minas timeas, ut contra Rempublicam litteras accipias et dirigas? Cornelius respondit: Ego de corona Domini litteras accepi, non contra Rempublicam. Tunc Decius jussit os ejus cum plumbatis cædi, et duci eum ad templum Martis, ut adoraret, aut capite truncaretur: quod et factum est. Corpus vero ejus beata Lucina sepelivit juxta cœmeterium Calisti, in prædio suo, XVIII Kal. Octobris. Cessavit episcopatus dies LXVI.

XXIII. — LUCIUS, natione Romanus, patre Porphyrio, sedit annos III, menses VIII, dies X. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Galli et Volusiani usque ad Valerianum III et Gallicanum. Ab exsilio nutu Dei ad Ecclesiam incolumis reversus est. Hic præcepit ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent propter testimonium. Hic a Valeriano capite truncatur, IV Nonas Martii. Hic, dum ad passionem pergeret, potestatem dedit Stephano archidiacono Ecclesiæ suæ. Fecit ordinationes II: presbyteros IV, diaconos VII, episcopos VII; sepultusque est in cœmeterio Calisti VIII Kal. Septembris. Cessavit episcopatus dies XXXV.

XXIV. — STEPHANUS, natione Romanus, ex patre Jobio, sedit annos VI, menses II, dies V. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Gallicani et Maximi usque ad Valerianum III et Gallicanum II. Hic constituit sacerdotes et levitas vestes sacratas in usu quotidiano non uti nisi in ecclesia. Hic fecit ordinationes II: presbyteros VI, diaconos V, episcopos II; sepultusque est in cæmeterio Calisti via Appia IV Nonas Augusti. Cessavit episcopatus dies XXII.

XXV. — XYSTUS, natione Romanus, ex philosopho, sedit annum I, menses X, dies XXII. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani, a consulatu Maximi et Glabrionis II usque Tusci et Bassi, usque XIII Kal. Augusti, quo tempore fuit magna persecutio sub Decio; et post passionem ejusdem beati Xysti die IV passus est Laurentius ejus archidiaconus. Hic fecit ordinationes II: presbyteros IV, diaconos VII, episcopos II. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calisti, via Appia. Cessavit episcopatus annos II.

XXVI. — DIONYSIUS, ex monacho, cujus generatio incognita habetur, sedit annos VIII, menses V, dies IV. Fuit temporibus Gallieni, ex die XI Kal. Augusti, Æmiliano et Basso consulibus, usque VII Kal. Januarii a consulatu Claudii et Paterni. Hic presbyteris ecclesias divisit et cæmeteria; et parochias diœceses constituit. Hic fecit episcopos VII; sepultusque est in cœmeterio Calisti V Kal. Januarii. Cessavit episcopatus dies V.

XXVII. — FELIX, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annos IV, mensem I, dies XXV. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Claudii et Paterni usque ad consulatum Aureliani III et consulatum Capitolini. Hic constituit super sepulcra martyrum missas celebrari. Hic fecit ordinationes II: presbyteros VIII, diaconos III, episcopos XI. Qui et sepultus est in cœmeterio suo, vita Aurelia, III Kal. Junii. Cessavit episcopatus dies V.

XXVIII. — EUTYCHIANUS, natione Tuscus, ex patre Marino, de civitate Lunæ, sedit annum I, mensem I, dies II. Fuit autem temporibus Aureliani, a consulatu Aureliani III et Marcellini, usque in diem Id. Decembris, Caro II et Marino consulibus. Hic constituit ut fruges super altare, tantum fabæ et uvæ benedicantur. Hic temporibus suis per diversa loca CCCXLII martyres manu sua sepelivit. Fecit ordinationes V: presbyteros XIIII, diaconos VI, episcopos IX; sepultusque est in cœmeterio Calisti VIII Kal. Augusti. Cessavit episcopatus dies VIII.

XXIX. — GAIUS, natione Dalmatinus, ex genere Diocletiani imperatoris, ex patre Gaio, sedit annos XI, menses IV, dies IX. Fuit autem temporibus Cari et Carini, ex die XVI Kal. Januarii, a consulatu Cari II et Carini usque in diem . Kal. Maii, Diocletiano VI et Constantio II. Hic constituit ut si quis episcopus esse mereretur, ab ostiario per unumquemque gradum paulatim ad majora conscenderet. Hic divisit regiones diaconibus. Hic fugiens persecutionem Diocletiani, in cryptis habitans, confessor quievit. Hic fecit ordinationes IV: presbyteros XVI, diaconos novem, episcopos VI. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calisti X Kal. Maii; et cessavit episcopatus dies XI.

XXX. — MARCELLINUS, natione Romanus, ex patre Projecto, sedit annos VIII, menses II, dies XVI. Fuit autem temporibus Diocletiani et Maximiani, ex die X Kal. Julii, a consulatu Diocletiani et Constantii II usque Diocletiano VIIII et Maximiano VIII. Quo tempore fuit persecutio magna, ut intra XXX dies XVII millia hominum martyrio coronarentur. De qua re et ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, ut thurificaret: quod et fecit, et post paucos dies, pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano capite truncatur; et jacuit corpus ejus in platea una cum aliis martyribus, ad exemplum Christianorum, dies XXVI. Tunc Marcellus presbyter collegit noctu corpora, et sepelivit in via Salaria, in cœmeterio Priscillæ, VII Kal. Maii. Hic fecit ordinationes II: presbyteros IV, diaconos II, episcopos V. Cessavit episcopatus annos VII, menses VI, dies XXV, persequente Diocletiano Christianos.

XXXI. — MARCELLUS, natione Romanus, patre Marcello, sedit annos V, menses VII, dies XXI. Fuit temporibus Maxentii, a consulatu Maxentii IV et Maximi usque post consulatum. Hic fecit cœmeterium via Salaria; et XXV titulos Romæ constituit, quasi diœceses, propter baptismum, et pœnitentiam, et sepulturas martyrum. Hic ordinavit presbyteros XXV, diaconos II, episcopos XXI. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ XIII Kal. Februarii. Cessavit episcopatus dies XXI.

XXXII. — EUSEBIUS, natione Græcus, ex medico, sedit annos V, mensem I, dies III. Fuit temporibus Constantini. Tunc inventa est crux Domini. Hic hæreticos Romæ invenit. Hic fecit ordinationes III: presbyteros XIII, diaconos III, episcopos XIV; sepultusque est in cœmeterio Calisti, V Nonas Octobris. Cessavit episcopatus dies VII.

[a] Supple *ordinavit*.

Digitized by Google

XXXIII. — MELCHIADES, natione Afer, sedit annos IV, a consulatu Maximini IX usque ad Maxentium II, Volusiano et Rufino consulibus. Hic constituit nulla ratione die Dominica, aut quinta feria, jejunium quis fidelium ageret, quia hos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant, et Manichæi inventi sunt in Urbe. Ab eodem die fecit ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Hic fecit ordinationem I: presbyteros IV, diaconos IV, episcopos XI: sepultusque est in cœmeterio Calisti, IV Idus Septembris. Cessavit episcopatus XVI.

XXXIV. — SILVESTER, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annos XXII, menses X, dies XI. Fuit autem temporibus Constantini et Volusiani, ex die Kalendarum Februarii usque in diem Kalendarum Januarii, Constantio et Volusiano consulibus. Hic in exsilio fuit in monte Soracte, persecutione Constantini concussus, et post rediens cum gloria baptizavit Constantinum Augustum. Hic fecit constitutum de B omni Ecclesia: factumque est concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ cum CCCXVIII episcopis, et quorum chirographus cucurrit, alii imbecilles CCVIII. Qui exposuerunt fidem integram, et damnaverunt Arium, Fotinum et Sabellium. In urbe Roma congregavit episcopos CCLXXVII, et damnavit Calistum, Arium et Fotinum: constituitque chrisma ab episcopis confici; et privilegium episcopis, ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem; et nullus laicus crimen clerico inferret. Hic, ut diaconi dalmatica uterentur, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, sed in lino, sicut corpus Domini in sindone sepultum est. Hic constituit, si quis desideraret in ecclesia militare, ut esset lector annos XXX, exorcista dies XXX, acolythus annos V, subdiaconus annos V, diaconus annos VII, presbyter annos III, probatus ex omni parte: et sic ad episcopatum ascendere; nullum majorem, vel prioris locum invadere; et nullum clericum, vel C fidelem contradicentem. Hic ordinationes fecit VI per mensem Decembris: presbyteros XLII, diaconos XXXVI, episcopos LXV. Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus basilicam Constantinianam, et alias, quas ordinavit; ubi posuit dona, cameram ex auro: deditque ibidem tam in vasis sanctuarii quam diversis speciebus auri libras CCCCLXXX, argenti libras VII. DCXXVI, candelabra ex aurichalco VII, ex argento interclusa, pensantia singula libras CCC, aromata annis singulis libras CLI: constituitque ibi in luminaribus territoria præstantia per singulos annos solidos I. D. In fonte vero, ubi baptizatus est Constantinus Augustus a sancto Silvestro, qui est ex metallo porphyretico, posuit ibi ornamenta, aurum libras LXXXII, argentum libras III. DCCCXIII, thimiamaterium aureum cum gemmis prasinis XLVIII, balsamum ad lumen diebus Paschæ libras CC, territoria in luminaribus ad ipsum fontem præstantia annis singulis solidos VII. CXXII. Hujus temporibus fecit Augustus Constantinus ex rogatu Silvestri D episcopi basilicam beato Petro, cujus loculum, cum corpus sancti Petri ita recondidit, ex undique de ære conclusit ex omni parte pedes V, et ornavit superius ex columnis porphyreticis et aliis vitreis [a], quas de Græcia perduxit. Fecit autem et cameram basilicæ extremam ex auro fulgente, et super corpus æs, quod clausit. Fecit crucem ex auro pensantem libr. CL, in mensura loci, ubi scriptum est: Constantinus Augustus, et Helena Augusta hanc domum regalem simili fulgore coruscans aula [b], scriptum ex litteris puris nigellis in cruce ipsa. Fecit candelabra VII ex aurichalco argento clausa, quæ pensant singula libras CCC. Item in domum, quod obtulit Constantinus Augustus beato Petro per diœcesim Orientis præstantem per annos singulos A solidos III DCCLXXXVIII. triante + balsamum libr CCXV, oleum nardum libras DCCC, oleum ciprinum libras C, aromata lib. DCL, piper Medemnos L, cariofolum libr. L, crocum libr. C, linum fusum C, cartas decadas M.XXII, papyri racanas M.

Eodem tempore fecit Constantinus basilicam beato Paulo, cujus corpus ita recondidit, sicut et beati Petri: cui basilicæ donum hoc obtulit. Omnia vasa aurea vel argentea et ærea, et crucem auream super locum ita posuit, sicut in basilica beati Petri. Prædia vero præstantia annis singulis solidos IV, LXX, balsamum libr. I, oleum nardum libr. CC, aromata lib. CLXX, cassam libr. I, storacen lib. XXX, stacten lib. CL, papyri racanas D, lini saccos CCC. Eo tempore fecit beatus Constantinus Augustus basilicam in palatio Sessoriano, ubi de ligno sanctæ crucis ex auro et gemmis conclusit. Ibi et nomen dedicavit Hierusalem; construxitque et alias quamplures ecclesias sanctorum. Hæ sunt ecclesiæ, sancti Joannis martyris, basilica Sancto Laurentio martyri, basilica beatis martyribus Marcellino presbytero et Petro exorcistæ inter duas lauros, ubi et mater ipsius Helena Augusta est sepulta; in civitate Ostia basilica beato Joanni Raptistæ: fecitque et basilicam, in civitate Albanensi intra urbem Capuam basilicam quam et cognominavit Constantinianam; fecitque et in urbe Neapoli basilicam. Omnes has basilicas, quas construxit Constantinus Augustus ornavit auro argentoque plurimum, ditavitque eas possessionibus in diversis provinciis non parvis; ordinavitque beatus Silvester episcopus per mensem Decembris presbyteros XLIV, diaconos XXVI, episcopos per diversa tempora et loca LXV; sepultusque est via Salaria, in cœmeterio Priscillæ, milliario ab urbe Roma III pridie Kal. Januarii. Cessavit episcopatus dies VIII.

XXXV. — MARCUS, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos II, menses VIII, dies XX. Fuit autem temporibus Constantini et Nepotiani et Fecundi consulum ex die Kal. Februarii. Hic constituit C ut episcopus pallio uteretur, et ab eodem episcopo urbis Romæ consecraretur. Hic fecit ordinationes II: presbyteros XXV, diaconos VI, episcopos XVII; sepultusque est in cœmeterio Balbinæ pridie Nonas..... Cessavit episcopatus dies XX.

XXXVI. — JULIUS, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos XV, menses II, dies VII. Fuit autem temporibus Constantini [c] et Feliciani et Maximi. Hic constituit ut nullus clericus causam in publicum ageret. Hic fecit ordinationes III: presbyteros XVIII, diaconos IIII, episcopos VIII, sepultusque est Calepodii. Cessavit episcopatus dies XXV.

XXXVII. — LIBERIUS, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annos VI, menses IIII, dies VIII. Fuit autem temporibus Constantii. Hic exsilio deputatur a Constantio, eo quod noluisset hæresi Arianæ consentire; fecitque ibi annos III. Tunc cum consilio sacerdotum ordinavit in loco suo Felicem presbyterum episcopum. Tunc supradictus in concilio suo una cum XLVIII episcopis damnavit duos presbyteros Ursatium et Valentem, eo quod consentirent Constantio in hæresi. Post paucos dies zelo ducti Ursatius et Valens rogaverunt Constantium Augustum ut revocaret Liberium de exsilio, et unam tantum communionem participaret, excepto rebaptizari. Qui Liberius consensit; et revocato eo de exsilio habitavit in cœmeterio sanctæ Agnetis apud germanam Constantii Augusti, ut quasi per ejus rogatum rediret in civitatem; sed ipsa pro eo rogare noluit, quia fidelis erat in Christo. Tunc Constantius cum Ursatio et Valente, et aliis qui ex fæce Ariana erant, revocaverunt Liberium Romam; factoque concilio cum hæreticis, ejecerunt Felicem de episcopatu. Habitavit in prædiolo suo, ubi et requievit in pace III Kal. Augusti. Ingressus Urbem IV

[a] lege *vitineis*.
[b] Supple, *circumdat*.
[c] Lege *Constantii*.

Digitized by Google

Nonas Augusti consentit Constantio hæretico, hæretico, non tamen rebaptizatus Liberius. Tunc persecutio magna fuit Romæ, ita ut catholici clerici in ecclesias vel balnea non haberent introitum. Omnes itaque anni Felicis in hujus ordine dinumerantur; fecitque ordinationes II : presbyteros XVIII, diaconos V, episcopos VIII; qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ V Idus Septembris. Cessavit episcopatus dies VI.

XXXVIII. — FELIX, natione Romanus, patre Anastasio, sedit annum I, menses III, dies II. Hic declaravit Constantium hæreticum et rebaptizatum. Hic martyrio coronatur : fecitque basilicam via Aurelia, ubi et requiescit. Fecit ordinationem I : presbyteros XXI, diaconos V, episcopos XVIII ; sepultusque est XVII. Kal. Decembris. Cessavit episcopatus dies XVII.

XXXIX. — DAMASUS, natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annos XVIII, menses III, dies XI. Fuit autem temporibus Juliani. Hic dedicavit Platoniam in Catacumbis, ubi corpora Petri et Pauli apostolorum jacuerunt, quam et versibus ornavit. Hic criminatur de adulterio, et facta synodo purgatur a CCXVIII episcopis, qui etiam damnaverunt Concordium et Calistum diaconos accusatores, et jactaverunt de Ecclesia. Hic fecit ordinationes V : presbyteros XXXI, diaconos XI, episcopos XLI. Qui etiam sepultus est via Adriana in basilica, quam ipse fecit III Idus Decembris. Cessavit episcopatus dies XXVI.

XL. — SIRICIUS, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos XV. Hic constitutum fecit de Ecclesia, et direxit per provincias et constituit ut nisi consecratum [a] episcopi loci cuilibet presbytero non liceret consecrare. Hic constituit hæreticum sub manus impositione reconciliari. Hic fecit ordinationes V : presbyteros XXXI, diaconos XVI, episcopos XXXII. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ VIII Kal. Martias : et cessavit episcopatus dies XX.

XLI. — ANASTASIUS, natione Romanus, patre Maximo, sedit annos III, dies XXIIII. Hic constituit ut cum Evangelia recitantur sacerdotes non sederent, sed curvi starent, et constituit ut nullus clericus transmarinus susciperetur, nisi V episcoporum designaret chirographum, propter Manichæos. Hic fecit ordinationes II : presbyteros VIII, diaconos V, episcopos XI; sepultusque est ad Ursum pileatum V Kal Maii. Cessavit episcopatus dies XXI.

XLII. — INNOCENTIUS, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annos XV, menses II, dies XXII. Hic constituit Sabbato jejunium celebrari, quia Sabbato Dominus in sepulcro positus est, et discipuli jejunaverunt. Hic fecit ordinationes IIII : presbyteros XXX, diaconos XII, episcopos LIIII ; sepultusque est ad Ursum pileatum, V Kal Julii. Cessavit episcopatus dies XXII.

XLIII. — ZOSIMUS, natione Græcus, ex patre Abramio, sedit annos VII, menses VIII, dies XXIIII. Fecit constitutum ut Diaconi lævas tectas haberent de palliis linostimis : et per parochias ut cera benedicatur, et ut nullus clericus in poculum publicum propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum. Hic fecit ordinationem I : presbyteros X, diaconos III, episcopos VIII; sepultusque est juxta corpus beati Laurentii Martyris VII Kal. Januarias : et cessavit episcopatus dies XI.

XLIV. — BONIFACIUS, natione Romanus, ex patre Jocundo presbytero, sedit annos III, menses VIII, dies VI. Hic sub intentione cum Eulalio ordinatur : et fuit dissensio in clero menses IIII et dies XV et facta synodo deponitur Eulalius a CCLII presbyteris, quia injuste fuerat ordinatus. Et ex consensu omnium sedit Bonifacius præsul, et constituitur Eulalius in civitate Nepissana episcopus. Hic constituit ut nulla feminarum pallam sacratam contingeret, aut incensum poneret in Ecclesia, nisi minister : nec servum clericum fieri, nec obnoxium [b] vel cujuslibet rei. Hic fecit ordinationem I : presbyteros XIII, diaconos III, episcopos XXXVI; qui etiam sepultus est in cœmeterio Sanctæ Felicitatis VIII Kal Novembris. Cessavit episcopatus dies VIIII.

XLV. — CÆLESTINUS, natione Campanus, ex patre Prisco, sedit annos VIIII, menses X, dies XVII. Hic constituit ut Psalmi CL ante sacrificium psallerentur, quod ante non fiebat : nisi tantum recitabatur epistola Pauli apostoli, et sanctum Evangelium, et fiebant missæ. Hic fecit ordinationes III : presbyteros XXXII, diaconos XII, episcopos XLVI; sepultusque est in cœmeterio Priscillæ VIII Idus Aprilis : et cessavit episcopatus dies XXI.

XLVI. — SIXTUS, natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annos VIII, dies XVIIII. Hic a quodam Basso incriminatur, et ex præcepto Valentiniani Augusti cum magna examinatione, facta synodo, purgatur a CCLVI episcopis, et ejecerunt Bassum a communione. Hic fecit basilicam Sanctæ Mariæ juxta macellum Liviæ, et confessionem beati Petri apostoli exornavit de argento. Hujus temporibus Valentinianus Augustus ornavit basilicas beatorum Petri et Pauli ex auro argentoque plurimum, et in Constantiniana basilica fecit fastigium argenteum, quod a barbaris sublatum fuerat : et in alias quamplures basilicas Romanas multa dona obtulit Valentinianus Augustus; fecitque Sixtus episcopus ordinationes III : presbyteros XXVIII, diaconos XII, episcopos LII. Qui etiam sepultus est via Tiburtina ad Sanctum Laurentium : et cessavit episcopatus dies XXII.

XLVII. — LEO, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos XXI, mensem I, dies XIII. Hic ministeria Romanæ Ecclesiæ post bellum Vandalicum renovavit. Hic cum multis episcopis exposuit fidem catholicam rectam, quæ hodie archivo Ecclesiæ Romanæ tenetur, propter hæresim Eutychii et Nestorii, qui ejus temporibus damnantur. Hic fecit ordinationes VII : presbyteros LXXII, diaconos XXX, episcopos CLXXV. Hic renovavit basilicas beati Petri et beati Pauli apostolorum post ignem divinum : fecit et multas basilicas. Hic propter nomen Romanorum ambulavit ad regem Hunnorum Attilam, et liberavit totam Italiam. Hic constituit monasterium apud beatum Petrum apostolum. Hic constituit ut intra actionem diceretur sanctum sacrificium, et cætera. Hic constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate XL annos. Hic constituit super sepulcrum custodes, qui dicuntur cubicularii. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri III Idus Aprilis. Cessavit episcopatus dies VII.

XLVIII. — HILARUS, natione Sardus, ex patre Piniano, sedit annos III, menses III, dies X. Hic fecit multa vasa, et diversa ornamenta apostolorum Petri et Pauli; et in Constantiana, et Sancto Laurentio, et sancta Maria ornavit. Hic fecit ordinationem I : presbyteros XXV, diaconos VI, episcopos XXII. Qui etiam sepultus est ad Sanctum Laurentium, juxta corpus sancti Sixti : et cessavit episcopatus dies X.

XLIX. — SIMPLICIUS, natione Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annos XV, mensem I, dies VII. Hic constituit ad Sanctum Petrum, et ad Sanctum Paulum, et ad Sanctum Laurentium hebdomadas, ut presbyteri manerent propter baptismum et pœnitentiam petentes : de regione tertia ad Sanctum Laurentium : de regione prima ad Sanctum Paulum : De regione VII, ad Sanctum Petrum. Hic fecit ordinationes III : presbyteros LVIII, diaconos XI, episcopos LXXXII ; sepultusque est ad Beatum Petrum VI Nonas Martii. Cessavit episcopatus dies VI.

L. — FELIX, natione Romanus, ex patre Felice

[a] Lege *sine consecrato*.

[b] Supple *Duriæ*.

Digitized by Google

presbytero, sedit annos VIII, menses XI, dies XVII. Hic fecit ordinationes II : presbyteros XXVIII, diaconos V, episcopos XXXI : sepultusque est apud Beatum Paulum. Cessavit episcopatus dies V.

LI. — GELASIUS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos IIII, menses VIII. Fuit autem temporibus Regis Theodorici et Zenonis Augusti. Hic fecit V libros adversus Nestorium et Eutychen : fecit et hymnos in modum beati Ambrosii, et fecit duos libros adversus Arium ; fecit autem sacramentorum præfationes cauto sermone. Hic fecit ordinationes II : presbyteros XXXII, diaconos II, episcopos LXVII ; qui etiam sepultus est apud Beatum Petrum XI Kal. Decembris. Cessavit episcopatus dies VII.

LII. — ANASTASIUS, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annum I, menses XI, dies XXIIII. Hic fecit confessionem beati Laurentii. Hic [a] clerus et presbyteri multi se erexerunt a communione, eo quod communicasset sine consilio eorum diacono Thessalonicensi, nomine Fotino. Hic fecit ordinationem I : presbyteros XI, episcopos VIII ; sepultusque est ad Beatum Petrum XIII Kal. Decembris. Cessavit episcopatus dies VI.

LIII. — SYMMACHUS, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annos XV, menses VI, dies XXVII. Hic fuit temporibus Theodorici hæretici et Anastasii Augusti. Hic amavit clerum et pauperes : et cum eo ordinatur Laurentius sub intentione episcopatus ; et facta intentione hoc constituerunt, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium regis Theodorici ; qui cum pervenissent, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui prior ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima consentiretur, ipse sederet in sede apostolica, quod tamen æquitas in Symmachum invenit. Tunc beatus Symmachus papa constituit Laurentium episcopum in Nucheria [b] civitate intuitu misericordiæ. Post annos IIII, zelo ducti aliqui ex clero, et aliqui ex senatu incriminant Symmachum. Miserunt ad regem Theodoricum hæreticum accusantes beatum Symmachum, et occulte revocant Laurentium Romam, et fecerunt schisma, et separaverunt se pars aliqua a communione Symmachi, petentes a rege hæretico visitatorem Petrum Altinatem. Tunc beatus Symmachus congregavit episcopos CXV, et facta synodo purgatur a crimine falso, et damnatur Petrus Altinas, et Laurentius Nucherinus. Symmachus vero cum magno honore sedit in sede sua. Tunc Festus patricius cœpit intra Urbem cædes facere in clero, qui communicabat beato Symmacho ; et ponens mulieres sanctimoniales de habitaculis suis, denudans sexum femineum, cædens [c] fustibus, ibique multos sacerdotes occidit. Fuit autem beatus Symmachus a consulatu Paulini usque ad consulatum Senatoris, a X Kal. Decembris usque XIII Kal. Augusti. Hic fecit basilicam Sancti Andreæ apostoli ad Sanctum Petrum, et ornavit tam eas quam alias plures ex auro argentoque plurimo. Hic fuit constructor ecclesiarum : ampliavit clerum, et donum presbyterii triplicavit, et pauperibus vestes et alimoniam triplicavit et multa alia bona, quæ enarrare longum est. Fecit ordinationes IIII : Presbyteros XCVIII, diaconos XVI, episcopos CXVIIII : qui etiam sepultus est apud Beatum Petrum IIII Kal. Augusti. Cessavit episcopatus dies VI.

LIV. — HORMISDA, natione Campanus, ex patre Justo, de civitate Frisinone [d] sedit annos IX, dies XVII. Hic habuit certamina per epistolas suas contra Anastasium imperatorem hæreticum. Inter alia multa quæ Anastasius ei direxit, hæc scripsit, dicens : Nos jubere volumus, non nos juberi. Percussus divino ictu fulminis interiit. Sumpsit itaque imperium Justinus orthodoxus, et misit ad sedem apostolicam. Fecit autem papa Hormisda in Ecclesia Romana per multas basilicas diversa ornamenta ex auro argentoque. Fecit et ordinatione presbyteros et episcopos per diversa loca. Qui etiam sepultus est apud Beatum Petrum VIII Idus Augusti consulatu Maximi Jun. Et cessavit episcopatus dies VI.

LV. — JOANNES, natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annos II, menses IV, dies XV, a consulatu Maximi, usque ad consulatum Olibrii Jun. Hunc Theodoricus rex rogans misit in legationem ad Justinum imperatorem, quia Justinus summo amore religionis Christianæ voluit hæreticos perdere. Et exinde iratus rex Theodoricus Christianos voluit Italiæ perdere. Tunc Joannes papa cum fletu, et viri religiosi et consules hoc accipientes [e] in mandatum legationis, ut redderentur ecclesiæ suæ hæreticis in partes Græciarum. Si ita non fuerit factum, omnem Italiam ad gladium perderet rex Theodoricus. Qui dum introissent om̃. sis. cum Joanne papa Constantinopolim, occurrerunt eis a milliario XII in honorem apostolorum, desiderantes post beatum Silvestrum papam a temporibus Constantini meruisse in partibus Græciæ vicarium sancti Petri suscipere. Et Justinus Augustus adoravit beatum Joannem, de cujus manibus coronatus est. Tunc Theodorus, vir illustris, cum aliis nobilibus qui cum beato Joanne papa venerant, concessit petitiones, et propter sanguinem Romanorum reddidit hæreticis ecclesias suas. Dum vero Joannes episcopus una cum viris illustribus positus esset Constantinopoli, rex Theodoricus tenuit duos senatores Boetium et Symmachum patricium, quos gladio interfecit et abscondi præcepit. Veniens Joannes papa cum supradictis viris illustribus, susceptus a Theodorico in dolo, voluit eos gladio ponere ; sed metuens Justinum Augustum, tamen in custodia omnes cremavit ; ita ut beatus Joannes in custodia maceratus moreretur Ravennæ XV Kal. Junii. Tunc post XCVIII dies Theodoricus rex fulmine percussus interiit. Attulit autem beatus Joannes de Græcia aurum. Gemmis argentoque exornavit basilicas multas. Fecit ordinationes episcoporum per diversa loca : et cessavit episcopatus dies LVIII.

LVI. — FELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos IV, menses II, dies XIII, a consulatu Maburti usque in consulatum Lampadii et Orestis, a die IV Idus Julii, usque in IV Idus Octobris : qui etiam ordinatus est ex jussu Theodorici regis, et obiit tempore Athalarici regis sub die IV Idus Octobris Cõn ss uu . . . Qui sepultus est ad beatum Petrum. Cessavit episcopatus dies III. Hic fecit ordinationes II : presbyteros LII, diaconos IIII per mensem Februarium, episcopos XXIX.

LVII. — BONIFACIUS, natione Romanus, sedit annos II, dies XXVI. Fuit temporibus Athalarici. Hic cum Dioscoro ordinatur sub intentione. Qui Dioscorus ordinatur in basilica Constantiniana. Bonifacius vero in basilica Julii : et fuit dissensio in clero et senatu dies XXVIII. Eo tempore defunctus est Dioscorus. Tunc Bonifacius zelo et dolo ductus cum grande amaritudine sub vinculo anathematis chyrographo reconciliavit clerum, quem chyrographum archivo Ecclesiæ retrudit, quasi damnans Dioscorum. Hic congregavit synodum in basilica beati Petri, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret cum chyrographis sacerdotum, et jusjurando ante confessionem. Eodem tempore facta iterum synodo censuerunt sacerdotes propter reverentiam sanctæ sedis, quia contra canones facta fuerat, et ipse Bonifacius papa reum se confessus est, quod in diacono Vigilium sua subscriptione firmasset. Tunc ipsum constitutum in præsentia sacerdotum et senatus incendio consumpsit. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri XV Kal. Novembris, Lampadio et Oreste consulibus. Cessavit episcopatus menses II, dies XV.

[a] Pro *hic* lege *eo tempore.*
[b] Lege *Nucerina.*
[c] Lege *cecidit.*
[d] Lege *Frusinone.*
[e] Lege *acceperunt.*

Digitized by Google

LVIII. — Joannes junior, natione Romanus, sedit annos II, menses IV. Fuit autem temporibus Athalarici regis et Justiniani Augusti catholici. Ipse misit sedem suam scripto chirographo proprio ad sedem apostolicam una cum magnis donis. Fecit autem Joannes papa ordinationem I, presbyteros XV, episcopos XXI : sepultusque est in basilica beati Petri, VI Kal. Junii. Cessavit episcopatus dies VI.

LIX. — Agapitus, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, sedit menses XI, dies XVIII. Hic missus est a Theodato in legationem ad Justinianum Augustum Constantinopolim, ibique mortuus est X Kal. Maii : cujus corpus in loculum plumbeum translatum est Romam in basilica beati Petri apostoli; ubi et sepultus est XII Kal. Octobris. Hic fecit ordinationes in urbe Roma diaconos IV, episcopos... Cessavit episcopatus dies XXVIII.

LX. — Silverius, natione Campanus, ex patre Hormisda, episcopo Romano, sedit annum I, menses V, dies XI. Hic levatus est a Tyranno Theodato sine deliberatione decreti, quod quidem sacerdotes non subscripserunt in eum, secundum morem. Jam ordinato sub VI et metu propter adunationem Ecclesiæ se subscripserunt. Post menses vero duos nutu divino exstinguitur Theodatus Tyrannus. Hic fecit ordinationem I, presbyteros XIV, diaconos V, episcopos XVIII. Et cessavit episcopatus...

LXI. — Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne consule, sedit annos XVII, menses VI, dies XXVI. Eodem tempore accusatus est ad Justinianum imperatorem et ad Theodoram Augustam. Tunc miserunt Anthemum scribonem Romam dicendo, nisi in basilica Sancti Petri ei parci. Invenit eum in basilica Sanctæ Cæciliæ die natalis ejus, qui tenens eum, duxit Constantinopolim. Per biennium enim fuerunt intentiones de Anthemo patriarcha, quod promisisset eum in ordinem suum revocare. Qui Vigilius dixit eum non revocare, quia sanctissimi antecessores mei Agapitus et Silverius eum damnaverunt. Et nunc video, non me fecerunt venire ad se Justinianus et Theodora; sed hodie scio, quod Diocletianum et Eleutheriam inveni : facite ut vultis : digna enim factis recipio. Tunc dedit ei alapam in faciem quidam dicens : Homicida, nescis quibus loquaris? Nescis quia Silverium papam occidisti. Hoc autem dicens, quia a Romanis taliter est accusatus dicentibus taliter eum versum in furore, ut daret alapam notario suo et mox ad pedes ejus cadens expirasset, et filium mulieris viduæ ad calces et fustibus interfecisset, et quod consilio suo Silverius papa depositus fuisset. Tunc fugiens in basilicam Sanctæ Euphemiæ tenuit cornu altaris : qui tractus ab ea missus est in custodiam; et clerus, qui cum eo erat, missus est in exsilium. Eodem tempore misit Justinianus Narsetem eunuchum suum in Italiam, quem facta pugna cum Gothis victoria comitatur : et interfectus est rex Gothorum Totila. Tunc Romani rogaverunt Narsetem, ut una cum ejus rogatu suggereret imperatori privilegium, qui et impetraverunt : qui [a] rediens Vigilius venit Siciliam, et ex multa afflictione ibi defunctus est. Cujus corpus ductum est Romam, et sepultum est ad Sanctum Marcellum. Hic fecit ordinationes II, presbyteros XLVI, diaconos XVI, episcopos LXXXI. Cessavit episcopatus menses III, dies V.

LXII. — Pelagius, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit annos IIII, menses X, dies XVIII. Et dum non esset episcopus, qui cum ordinaret, inventi sunt duo episcopi, Joannes de Perusia et Bonus de Ferentino, et Andreas presbyter de Hostis, et ordinaverunt eum pontificem. Tunc non erant in clero qui poterant promovere, quia multitudo religiosorum subduxerant se a communione ejus, dicentes, quia in morte Vigilii papæ se immiscuit. Eodem tempore, data Litania, Pelagius papa a Sancto Pancratio ad Sanctum Petrum, tenens Evangelia et crucem Domini super caput suum, ascendens in ambonem satisfecit populo, quia nullum malum egit contra Vigilium. Et adjecit : Peto vos, ut si quis ille est, qui promovendus in sancta Ecclesia dignus invenitur per nulla proficiat : quia simoniacum est. Eodem tempore initiata est basilica apostolorum Philippi et Jacobi. Interim mortuus est et sepultus in basilica Sancti Petri : fecitque ordinationes II, presbyteros XXVI, diaconos VIIII, episcopos XLVIIII. Cessavit episcopatus menses II, dies XXV.

LXIII. — Joannes, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos XII, menses XI, dies XXVI. Hic restauravit cœmeteria Sanctorum Martyrum, et constituit ut oblationes et amulæ vel luminaria in eisdem cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Hic perfecit ecclesiam Philippi et Jacobi. Qui sepultus est in basilica beati Petri. Hic fecit ordinationes II : presbyteros XXXVII, diaconos XIII, episcopos LXI. Cessavit episcopatus menses X, dies XIII.

LXIV. — Benedictus, natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annos IIII, mensem I, dies XXVIII. Eodem tempore gens Longobardorum invasit Italiam. Et dum cognovisset Justinus imperator quia Romani periclitarentur fame, misit in Ægyptum, et oneratas naves frumento transmisit Romam. In qua afflictione laborans beatus Benedictus mortuus est et sepultus in basilica Sancti Petri in secretario. Hic fecit ordinationem unam : presbyteros XV, diaconos III, episcopos XXI. Cessavit episcopatus menses III, dies X.

LXV. — Pelagius, natione Romanus, ex patre Unigido, sedit annos X, menses II, dies X. Hic ordinatur absque jussione principis, eo quod Longobardi obsiderent civitatem. Hic vestivit corpus beatri Petri tabulis argenteis deauratis. Ibique in ipsa basilica est sepultus. Fecitque ordinationes II : presbyteros XXVIII, diaconos VIII, episcopos XLVIII. Cessavit episcopatus menses VI, dies XXV.

LXVI. — Gregorius, natione Romanus, patre Gordiano, sedit annos XIII, menses VI, dies X. Hic exposuit in Evangelia homilias XL, exposuitque libros in Job XXXV, in Ezechielem hom. XX, Pastoralem, Dialogorum libros III et multa alia. Et misit servos Dei Mellitum, Augustinum et Joannem prædicare genti Anglorum. Hic augmentavit in precatione canonis, *Diesque nostros in tua pace dispone*, et cætera. Et fecit beati Petri ciborium cum columnis argenteis III. Hic fecit super corpore beati Petri et Pauli missas celebrare. Eo tempore dedicavit ecclesiam Gothorum in Suburra in nomine Beatæ Agathæ. Et domum suam constituit monasterium. Sepultus est in basilica Sancti Petri ante secretarium. Hic fecit ordinationes II, unam in Quadragesima in mense Februarii, et aliam mense septimo; presbyteros XXXVIII, diaconos V, episcopos LXII. Et cessavit episcopatus menses V, dies XVIII.

LXVII. — Sabinianus, natione Tuscus, patre Bono, sedit annum I, menses VI, dies XVIII. Eodem tempore fuit fames gravis. Facta autem pace cum Longobardis, jussit venundari per solidos tritici modios XXX. Hic in ecclesia Beati Petri luminaria addidit, ibique sepultus est. Hic fecit episcopos XXVI. Cessavit episcopatus menses X, dies XXVI.

LXVIII. — Bonifacius, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit menses VIII, dies XXII. Hic obtinuit apud Phocatem principem, ut Sedes beati Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium scribebat. Hic constituit una cum episcopis et clero sub anathemate ut nullus, pontifice moriente, aut episcopo civitatis suæ, præsumat quemlibet loqui aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus [b], adunato clero electio fiat. Qui defunctus sepultus est

[a] Forte legendum *quo*.

[b] Supple *et tunc*.

Digitized by Google

in basilica Beati Petri. Hic fecit episcopos XXI. Et cessavit episcopatus menses X, dies VI.

LXVIX. — BONIFACIUS, natione Marsorum, de civitate Valeria, ex patre Joanne medico, sedit annos VI, menses VIII, dies XIII. Hic petiit a Phocate principe templum, quod appellatur Pantheon, in quo fecit ecclesiam Beatæ Mariæ, in qua ecclesia princeps dona multa obtulit. Hic domum suam monasterium fecit. Qui defunctus sepultus est ad Beatum Petrum. Hic fecit ordinationes II : diaconos VIII, episcopos XXXVI. Et cessavit episcopatus menses VI, dies XXV.

LXX. — DEUSDEDIT, natione Romanus, sedit annos III, dies XX. Hic clerum multum dilexit. Hic constituit secundam missam in clero. Eodem tempore factus terræmotus major VIII Idus Augusti. Post hæc secuta est clades in populo percussio scabierum, ut nullus posset mortuum suum cognoscere. Qui defunctus sepultus est ad Beatum Petrum, et dimisit pro obsequiis suis ad clerum rogam integram unam. Hic fecit ordinationes III : presbyteros XIIII, diaconos V, episcopos XXVIIII. Et cessavit episcopatus mensem I, dies XVI.

LXXI. — BONIFACIUS, natione Campanus, de civitate Neapoli, ex patre Joanne, sedit annos V, dies X. Hic constituit ut testamentum valeat secundum jussionem principis, ut acolythus non præsumat reliquias sanctorum levare, nisi presbyter; et ut in Lateranis acolythus non baptizet cum diaconis, sed subdiaconi sequentes. Hic fuit mitissimus et misericors; et rogam integram clero suo dedit. Qui sepultus est ad Beatum Petrum. Hic fecit ordinationes II : presbyteros XXVI, diacones IIII, episcopos XXXVIII. Et cessavit episcopatus dies XIII.

LXXII. — HONORIUS, natione Campanus, ex patre Petronio consule, sedit annos XII, menses XI, dies XVII. Hic multa bona fecit, renovavit omnia cimilia beati Petri, et vestivit confessionem ejus ex auri lib. CLXXXV, et multa alia ibi fabricavit. Hujus temporibus levatæ sunt trabes in ecclesia Beati Petri XVI. Hic cooperuit basilicam ejus ex tabulis æreis, quas levavit de templo, quod appellatur Romæ, ex concessu piissimi Heraclii imperatoris. Hic constituit ut omni hebdomada in Sabbato die exeat litanja ab ecclesia Sancti Apollinaris, quam ipse papa construxit in porticu ejusdem ecclesiæ ad Sanctum Petrum. Fecit et ecclesiam Beatæ Agnetis martyris milliario ab urbe Roma III, ubi et requiescit. Fecitque ecclesiam beati Pancratii milliario II, et multas alias basilicas construxit et ornavit, atque ditavit. Hic fecit ordinationes : presbyteros, diaconos, episcopos. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum. Cessavit episcopatus annum I, menses VII, dies XVIII.

LXXIII. — SEVERINUS, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses II, dies II. Hic renovavit apsidam Beati Petri apostoli ex musivo. Hic fuit amator cleri, et omnibus donum augmentavit, pauperibus largus. Fecit autem episcopos per diversa loca, dimisitque clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum IIII Nonas Augusti. Et cessavit episcopatus menses IIII, dies XVIIII.

LXXIV. — JOANNES, natione Dalmatinus, ex patre Venantio, sedit annum I, menses VIII, dies XVIIII. Hic misit per omnem Dalmatiam et Istriam pecunias multas pro redemptione captivorum. Fecit et basilicas multas, et ornavit. Hic fecit ordinationem I. Hic dimisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum. Cessavit episcopatus mensem I, dies XIII.

LXXV. — THEODORUS, natione Græcus, ex patre Theodoro episcopo de civitate Mileto, sedit annos VI, menses V, dies VIII. Hic fuit largus et amator pauperum. Fecitque ecclesias multas. Fecit autem ordinationem I. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum. Cessavit episcopatus dies LII.

LXXVI. — MARTINUS, de civitate Tudertina, sedit annos VI, mensem I, dies XXVI. Hic congregavit episcopos CV Romæ in ecclesia Salvatoris, et condemnavit hæresim. Quæ synodus hodie archivo ecclesiæ continetur. Defunctusque est in civitate Chersona, et sepultus in basilica Sanctæ Mariæ semper Virginis.

LXXVII. — EUGENIUS, natione Romanus, sedit annos II, menses VIII, dies XXIIII. Qui sepultus est in basilica Beati Petri. Cessavit episcopatus mensem I, dies XXVIII.

LXXVIII. — VITALIANUS, natione Campanus, patre Anastasio, sedit annos XIIII, menses VI. Hujus temporibus venit Constantinus Augustus de regia urbe per littoralia in Athenas, inde Tarantum, inde Beneventum et Neapolim, per indictionem VI. Postmodum venit Romam V die mensis Julii, feria quarta, indictione suprascripta; et occurrit ei obviam Apostolicus milliario VI a Roma. Ipsa die venit ad Sanctum Petrum, et donum ei obtulit, alia die ad Sanctum Paulum, et donum ibi obtulit, et die Sabbato ad Sanctam Mariam; itemque donum obtulit. Dominica die processit ad Sanctum Petrum cum exercitu suo, et obtulit super altare ipsius pallium auro textile. Sequente autem Sabbato venit imperator ad Lateranas, ibique prandit. Item Dominicorum die fuit statio ad Sanctum Petrum, et post celebratas missas vale fecerunt sibi imperator et pontifex. Omnia quæ erant in adornatum civitatis deposuit, sed et ecclesiam Beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat, discooperuit, et in regiam urbem cum aliis diversis quæ deposuerat direxit. Secundo fecit egressum de civitate Roma, reversus Neapolim. Inde terreno perrexit Rhegium, et ingressus Siciliam per indictionem VII, habitavit in civitate Syracusana; talemque afflictionem posuit populo vel possessoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, vel Sardiniæ per diagrapha seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales aliquando nunquam fuerant, ut etiam uxores a maritis, filii a parentibus separarentur. Postmodum decima die mensis Julii per XII indictionem prædictus imperator in balneo occisus est. Et non post multum tempus beatus Vitalianus vitam finivit. Fecit ordinationes IIII, presbyteros XII, diaconum I, episcopos XCVII. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum VI Kal. Februarii. Cessavit episcopatus menses II, dies XIII.

LXXVIX. — ADEODATUS, natione Romanus, ex monachis, patre Jobiniano, sedit annos IIII, menses II, dies V, fuitque mitissimus. Hujus temporibus Mizizius [a], qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit, et arripuit regnum, et perrexit exercitus Italiæ per partes Istriæ, alii per partes Campaniæ, necnon et per partes Sardiniæ et Africæ. Pari modo venerunt in Siciliam in civitatem Syracusanam, et Deo auxiliante interemptus est nec dicendus Mizizius. Et multi ex judicibus ejus truncati, perducti sunt Constantinopolim simul et caput ejusdem intartæ. Postmodum venientes Saraceni Siciliam obtinuerunt, et multam occisionem in populo fecerunt. Æs vero quod ibidem a Roma navigatum fuerat secum abstollentes, Alexandriam reversi sunt. Defuncto autem Adeodato papa, tantæ pluviæ et tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memoratur, ut etiam homines pecoraque de fulgure interirent. Sed per litanias est Dominus eis propitiatus. Fecit autem ordinationem I : presbyteros XIII, diaconos... episcopos XLVI. Cessavit episcopatus mens. IIII, dies XV.

LXXX. — DONUS, natione Romanus, ex patre Mauricio, sedit annum I, menses V, dies X. Hic atrium Beati Petri, quod est ante ecclesiam in quadriporticu, magnis marmoribus stravit. Fecitque et alias ecclesias, et ornavit. Clerum diversis ordinibus ampliavit. Hic reperit Romæ, in monte qui appellatur Boetianas, Nestorianitas monachos Syros, quos per diversa monasteria divisit : et in prædicto monte monachos

[a] Lege *Mezentius*.

Digitized by Google

Romanos constituit. Hic dum esset electus per Augusti mensem apparuit stella a parte Orientis per menses III. Cujus radii cœlos penetrabant : in cujus visione omnes gentes mirabantur. Postmodum maxima mors a parte Orientis secuta est. Fecit ordinationem I : presbyteros X, diaconos V, episcopos... Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum IIII Idus Aprilis. Cessavit episcopatus menses III, dies XV.

LXXXI. — AGATHO, natione Siculus, ex monachis, sedit annos II, menses VI, dies XIIII. Tantum benignus et mansuetus fuit, ut etiam omnibus hilaris esset. Hic suscepit divalem jussionem piissimorum principum Constantini, Heraclii et Tiberii Augustorum, missam præcessori suo Dono papæ, invitantem ut debeat sacerdotes vel missos suos dirigere in regiam urbem pro adunatione sanctæ Dei Ecclesiæ. Direxitque Abundantium Paternensem, Joannem Reatinum, et Joannem Portuensem episcopos, Theodorum et Georgium presbyteros, Joannem diaconum, Constantinum subdiaconum. Hujus temporibus indictione VIII, B luna eclypsim pertulit mense Junii, die XVIII, et mortalitas gravissima subsecuta est. Postmodum vero ingressi missi supradicti in regiam urbem, benigniter suscepti sunt a principe, porrigentes ei scripturas pontificis. Quas dum suscepisset, commonens eos non furiose, sed pacifica disputatione, remittentes philosophicas assertiones, puram sanctarum Scripturarum Patrumque probatam fidem per synodalia decreta [a] satisfacerent. Tunc residente principe, et cum eo Georgio patriarcha Constantinopolis, et Macario Antiocheno, suscepti sunt missi sedis apostolicæ, deinde metropolitæ et episcopi Orientalium CL. Qui adorantes residere præcepit, et habita inquisitione, legati sedis apostolicæ dixerunt : Opportuna veritas, et ratio exigit, ut a parte eorum, qui unam voluntatem et operationem in Domino Jesu Christo asserunt, sedis apostolicæ exponere [b]. Qui audientes læti effecti paratos se esse dixerunt. Sic eadem hora suos introduxerunt libros et tomos diversos, et synodos, C quas falsaverant, quia non veritate superare nitebantur, sed per diversa commenta quæ in libros suos ipsi noviter addiderant. Alia vero die legati sedis apostolicæ [c], præsentantes locum beati Agathonis papæ : quibus dictum est ut omnes libros, quos scirent ad causam fidei pertinere, coram synodo adducerent. Et vocato Georgio chartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ, factum est ita. Relectisque [d], invenerunt duas naturas, duasque voluntates, et operationes habentes. Et confusus Macarius inventus est mendax. Intromissaque sunt coram synodo dicta venerabilium Patrum Joannis Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dionysii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Leonis, habentia duas naturas, et voluntates, et operationes in Christo. Nativitatis una quidem ante sæcula, et sine tempore, ex Patre incorporaliter, alia vero descendentis de cœlo incarnatus in Virgine. Voluntates cohærentur naturæ divinæ et humanæ, ex hoc quod voluntarium secundum naturam ejusdem existere. Operationes vero cohærentur unitati divinæ et humanæ, ex hoc quod in utraque natura efficaces secundum naturam ejusdem existere [e]. Tunc Georgius patriarcha professus est duas naturas, duasque voluntates et operationes credere et prædicare, sicut sedes apostolica.

Macario vero in sua hæresi perseverante, ea hora sancta synodus ejus oratorium [f] tolli jussit, et exsiliens Basilius episcopus Cretensis oratorium ei abstulit, et anathematizantes, projecerunt foris synodo. Stephanum autem diaconum ejus cervicibus Romani a sancta synodo ejicientes. Ea vero hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi A ceciderunt ut omnes mirarentur quod sordes hæresum expulsæ sunt. In loco vero Macarii ordinatus est Theophanius abbas. Macarius vero cum suis Roma in exsilium deportatus est. Deinde abstulerunt de diptycis vel de picturis nomina pontificum, id est Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli et Petri, per quos error fidei usque nunc pullulavit. Factumque est ut pro reverentia sedis apostolicæ Joannes episcopus Portuensis octava Paschæ in ecclesia Sanctæ Sophiæ missas publicas Latine celebraret : et laudes et victorias imperatoris vocibus acclamarent. Hic beatus Agatho suscepit divalem jussionem, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione pontificum. Sic tamen ut si electio facta fuerit non debeat ordinari qui electus est, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem. Hic dimisit omni clero rogam unam : et ad luminaria Apostolorum, et ad Sanctam Mariam ad Præsepe solidos B II. CLX. Fecit autem ordinationem I : presbyteros X, diaconos III, episcopos XVIII. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum IIII Idus Februarii. Et cessavit episcopatus annum I, menses VII, dies VI.

LXXXII. — LEO, natione Siculus, de patre Paulo, sedit menses X, dies XVII. Vir eloquentissimus in divinis Scripturis, cantilena præcipuus et in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, pauperum amator. Hic suscepit sextam synodum, quæ pe. Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est, residente piissimo principe Constantino, cum legatis sedis apostolicæ, et duobus patriarchis Constantinopolitano et Antiocheno, in qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrus et Paulus et Petrus, necnon et Macarius. Hujus temporibus percurrente divali jussione clementissimi principis, restituta est Ecclesia Ravennensis sub ordinatione sedis apostolicæ, ut qui ibidem electus fuerit in civitatem Romam veniat ad ordinandum. Hic fecit constitutum ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus, C nulla consuetudine pro usu pallii diversis officiis Ecclesiæ persolvere debeat. Hujus temporibus die XVI mensis Aprilis, indictione XI, luna eclypsim pertulit : post cœnam Domini et galli cantum cœpit paulatim delimpidare. Hic fecit ordinationem I per mensem Junii : presbyteros VIIII, episcopos XXIII. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum V Nonas Julii. Cessavit episcopatus menses XI, dies XXII.

LXXXIII. — BENEDICTUS, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit menses X, dies XII : in quo viro supernæ benedictionis gratia redundavit, ornavitque Ecclesiam. Hic suscepit duas divales jussiones clementissimi Constantini principis ad clerum et populum Romanum, ut qui electus fuerit in sede apostolica absque tarditate pontifex ordinetur. Hic una cum clero et exercitu suscepit mallones capillorum domni Justiniani et Heraclii filiorum ejus; simul et jussionem per quam significat eorum capillos direxisse. Hujus temporibus apparuit stella inter Domini D nativitatem et Theophaniam omnino obumbrata, veluti luna. Item mense Februario exivit stella ab occasu, meridie, et declinavit in partes Orientis. Post hæc mons Bebius, qui est in Campania, eructavit. Hic dimisit omni clero auri libras XXX. Fecitque episcopos numero XII : sepultusque est ad Beatum Petrum VIII Idus Maii. Cessavit episcopatus menses II, dies XV.

LXXXIV. — JOANNES, natione Syrus, de provincia Antiochia, ex patre Cyriaco, sedit annum I, dies IX; vir valde strenuus. Hic, post multorum pontificum tempora, juxta priscam consuetudinem, a generalitate in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est. Hic cum esset diaconus,

[a] Lege *commonuit eos... ut dimittentes philosophicas assertiones, pura sanctarum Scripturarum Patrumque fide, probata per synodalia.*

[b] Lege *auctoritas exponatur.*

[c] Supple *suscepti sunt.*

[d] Supple *codicibus.*

[e] Locus hic mendis scatet immanibus.

[f] Lege *orarium.*

Digitized by Google

missus est a sancto Agathone papa in regiam urbem pro causa fidei: pro qua magnum gaudium Ecclesia detulit. Hic consecratus est a tribus episcopis, Ostiense, Portuense et Velliternense. Hujus temporibus regnavit domnus Justinianus in Nicæa mense Septembris, indictione XIV. Qui pius princeps pacem constituit cum gente Saracenorum decennio : sed et Africa subjugata est Romano imperio. Hic dimisit omni clero solidos I DCCCC, fecitque episcopos XIII. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum sub die II mensis Augusti. Et cessavit episcopatus menses II, dies XVIII.

LXXXV. — CONON, natione Græcus, patre Tracessio, educatus apud Siciliam, sedit menses XI. Hic suscepit divalem jussionem domni Justiniani Augusti, per quam significat reperisse acta sanctæ sextæ synodi, et apud se habere, quam piæ memoriæ pater ejus Constantinus Deo auxiliante fecerat : quam ipse promisit perenniter conservare. Hujus temporibus pietas imperialis relevavit per sacram jussionem summam CC annonæ capita, quæ patrimonia Brixiis et Lucaniæ annue persolvatur[a]. Hic dimisit omni clero benedictionem in auro, sicut præcessor ejus Benedictus papa. Cujus archidiaconus videns pontificem infirmitate constrictum, cupiditate ductus prædicti legati, quod nec dum esset persolutum, scripsit Ravennam glorioso Joanni, promittens dationem, ut persona ejus ad pontificatum eligeretur : quod et demandavit suis judicibus, quos Romam direxit ad disponendam civitatem, ut post obitum suum Pontifex idem archidiaconus eligeretur. Fecitque episcopos numero XVI. Sepultus est ad Beatum Petrum sub die XXI mensis Septembris. Cessavit episcopatus menses II, dies XXIII.

LXXXVI. — SERGIUS, natione Syrus, sedit annos XIV, menses VIII, dies XXIII.

LXXXVII.—JOANNES, natione Græcus, de Platone, sedit annos III, menses II, dies XII. Cessavit episcopatus mensem I, dies XVII.

LXXXVIII. — JOANNES, natione Græcus, sedit annos II, menses VIII, dies XVII. Cessavit episcopatus menses III.

LXXXIX. — SISINNUS, natione Syrus, sedit dies XX. Cessavit episcopatus mensem I, dies XXVIII.

XC. — CONSTANTINUS, natione Syrus, sedit annos VII, dies XV. Cessavit episcopatus dies XL. Primo anno pontificatus ejus implentur anni CL de repetito cyclo Victorii, indictione VII, anno primo, Tiberio imperante cum Justiniano patre.

XCI. — GREGORIUS, natione Romanus, sedit annos XVI, menses VII, dies XXIV. Et cessavit episcopatus dies XXXV.

XCII. — GREGORIUS, natione Romanus, sedit annos X, menses X, dies IX. Cessavit episcopatus dies XI.

XCIII. — ZACHARIAS, ... dies XIV. Cessavit episcopatus dies XII.

XCIV. — STEPHANUS, natione Græcus, sedit annos V, mensem I, dies XX..... Cessavit episcopatus dies L.

XCV. — PAULUS, sedit annos. . . . . .

Mendum cubat.

FRAGMENTUM CATALOGI PONTIFICALIS

IN VIGILIO DESINENS.

Nunc iterum prodit ex cod. Veron. miræ antiquitatis, una cum mutila narratione rerum quæ falso jactabantur de Anastasio papa, ac Vita B. Symmachi, a schismaticorum factione confictis, opera Festi patricii, aliorumve Laurentio antipapæ faventium; quæ omnia ex parte tantum ediderat Franciscus Blanchinus patruus meus tom. III Anast. Bibl.

. . . . . .

Imperatorem Anastasium directa per Cresconium et Germanum episcopos, quæ tanta Scripturarum cœlestium auctoritate suffulta est, ut qui hanc intenta mente sub divino timore perlegerit, inaniter hactenus inter Ecclesias Orientis et Italiæ tam schisma nefarium perdurare cognoscit.

LII. Symmachus sedit annos quindecim, menses septem, dies viginti et septem. Cum hoc autem fuerat Laurentius Romanæ Ecclesiæ presbyter ordinatus episcopus; tantaque clerum ac populum Romanum discordia feralis invaserat, ut nec divina consideratio, nec metus regius partes a propria collisione cohiberet. Tunc coguntur utrique, Symmachus scilicet et Laurentius, regium subituri judicium, petere comitatum. Ibi Symmachus multis pecuniis obtinet : Laurentius ad gubernandam Ecclesiam Nucerinam, Campaniæ civitatem, plurimis coactus minis promissionibusque dirigitur. Post aliquot autem annos pro multis criminibus apud regem Symmachus accusatur, quem rex sub occasione Paschali, quod non cum universitate celebraverat, ad comitatum convo . . . . . rationem.... festivitatis dissonantia redditurum; fecitque apud Ariminum resedere : cumque ibidem cum suis clericis aliquantis permoratur, postmeridianis [cod. promeridianis] horis super littus maris ambulans vidit mulieres inde transire, cum quibus accusatur [in scelere, quæ comitatum petebant regia jussione. Dissimulans ergo se scire quod viderat, nocte media, dormientibus cunctis, cum uno tantum conscio fugiens regreditur Romam, seque intra beati Petri apostoli septa concludit. Tunc presbyteri et diaconi, necnon reliqui clericorum, quos secum deduxerat, adeunt regem, et sine sua conscientia Symmachum fugisse testantur, per quos rex tam ad senatum quam ad clerum præcepta super ejus quodammodo damnatione transmittit. Accusatur etiam ab universo clero Romano quod contra decretum a suis decessoribus observatum ecclesiastica dilapidasset prædia, et per hoc anathematis se vinculis irretisset : pro diebus autem Paschalibus

Digitized by Google

ab omnibus pene vir venerabilis Petrus Altinatis episcopus a rege visitator Ecclesiæ Romanæ deposcitur, et post sanctam festivitatem synodus in urbem Romam pro voluntate senatus et cleri jubente rege, de ejus excessibus judicatura convenit. Atque id agitur a nonnullis episcopis et senatoribus.... ne... l... m Symmac... audientiæ subderetur. Hoc palam pro ejus defensione clamantibus, quod a nullo possit Romanus pontifex, etiam si talis sit, qualis accusatur, audiri; sed electiores antistites tam pro religionis intuitu quam pro regia jussione censebant tantæ rei negotium pene ubique vulgatum sine examine nullatenus deserendum. Cumque synodus sub hac dissonantia plus inter partes ministraret fomenta discordiæ, tandem constituit ut libellus, quem offerebant accusatores Symmachi, susceptus inter gesta solemniter panderetur. Quo facto mox per episcopos idem Symmachus, ut occurrat ad judicium, convenitur. Sed cum per clericos qui ei observabant fuisset ejus negata præsentia, iterum et tertio secundum regulas ut ad synodalem conveniat audientiam per antistites admonetur; nullumque dignatus est dare responsum. Tunc aliquanti episcopi videntes nihil se in causa proficere, clerum qui discesserat a consortio Symmachi semel et iterum commonent, ut ad eum prætermisso revertatur examine. Qui se nequaquam hoc facere posse respondit priusquam tantis criminibus impetitus, discussione regulari vel absolvatur, si innocens fuerit, vel, si reus exstiterit, a sacerdotio deponatur. Sed moras episcopi n.... ...ntis cum viderent magis ac magis studia divisionis augeri, quæ sibi utilia visa sunt pro Symmachi persona constituunt; et sic Urbem in summa confusione derelinquunt. Clerus ergo et senatus electior, qui consortium vitaverat Symmachi, petitionem regi pro persona Laurentii dirigit, qui eo tempore Ravennæ morabatur, Symmachi violentiam persecutionemque declinans, ut ipse Romanæ præsederet Ecclesiæ, ubi dudum fuerat summus pontifex ordinatus. Quia hoc et canonibus esset affixum, ut unusquisque illic permaneat ubi primitus est consecratus antistes; vel si quibusdam commentis exinde remotus fuerit, eum modis omnibus esse revocandum. Sic Laurentius ad Urbem veniens, per annos circiter quatuor Romanam tenuit Ecclesiam per quæ tempora quæ bella civilia gesta sint vel quanta homicidia perpetrata, non est præsenti relatione pandendum. Dumque partes mutua se dissensione collidunt, ac pro suis studiis regale præsidium sæpe deposcunt, ad ultimum petitionem Symmachus regi per Dioscorum Alexandrinum diaconum destinavit, asserens magnum sibi præjudicium fieri, et maxime de titulis ecclesiarum, quos intra Urbem Laurentius obtinebat. Ad hanc insinuationem regis animus delinitus, patricio F.... præcepta dirigit, admonens ut omnes Ecclesiæ tituli Symmacho reformentur, et unum Romæ pateretur esse pontificem : quod ubi Laurentius comperit, Urbem noluit diuturna colluctatione vexari, ac sua sponte in prædiis memorati patricii Festi sine dilatione [*cod.*, delatione; e *pro* i] concessit; ibique sub ingenti abstinentia terminum vitæ sortitus est. Symmachum vero postmodum, quamvis victorem, de multis rebus fama decoloravit; obscenior, et maxime de illa, quam vulgo Conditariam vocitabant : necnon et de ordinibus ecclesiasticis, quos acceptis palam pecuniis distrahebat; pro quibus rebus usque ad finem vitæ ejus Ecclesia Romana in schismate perduravit. Hic beati Martini ecclesiam juxta Sanctum Silvestrem Palatini illustris viri pecuniis fabricans et exornans, eo ipso instante dedicavit : nonnulla etiam cœmeteria [*cod.*, cymeteria], et maxime Sancti Pancratii renovans, plura illic nova quoque construxit.

LIII. Hormisda sedit annos novem dies decem et septem.

LIV. Joannes sedit annos duo, menses novem, dies sexdecim.

LV. Felix sedit annos quatuor, menses duo, dies duodecim.

LVI. Bonifacius sedit annos duo, dies viginti et sex.

LVII. Joannes sedit annos duo, menses quatuor, dies sex.

LVIII. Agapitus sedit menses undecim, dies octo.

LVIX. Silverius sedit menses novem.

LX. Vigilius sedit annos decem et octo, menses duo, dies novem. Moritur in Syracusis secunda feria, nocte, septimo Idus Junias, indictione tertia [a].

[a] Hic ergo Catalogus scriptus est anno 555.

Digitized by Google

INDEX
IN
VITAS PONTIFICUM ROMANORUM.

In hoc Indice ea quæ impressa sunt characteribus obliquis, sive Italicis (ut vocant) constituunt antiquum Indicem Maguntinæ editionis Albini seu Velseri, recusum in Parisina aut Regia Fabrotti. Cætera vero, expressa litteris rotundis, accesserunt editioni Romano-Vaticanæ, allaborantibus Benedicto Millino Romano, Joanne Lucio Tragurienſi, aliisque studiosis historiæ viris. Utraque referuntur ad numeros crassiores textui præmissos.

A

Abba Cyrus, sive abbas Cyrus, num. 221.

Abbas Frigidisus 423. Fuldradus 242, 253, 255. Gulfardus 308. Martinus 124. Petrus 352. Saxus 603. Sergius presbyter 171.

Abbas Monasterii sancti Benedicti 231. Sancti Erasmi 138. Honorii 338, 75. Joannis Evangelistæ, Joannis Baptistæ, et Pancratii ad basilicam Salvatoris 196. Sanctorum Joannis et Pauli, Saxu 603. Sanctæ Mariæ in territorio Sabinensi 305. Sancti Sabbæ, alias Cellæ Foveæ, Petrus 352. Sanctorum Stephani, etc., ad sanctum Chrysogonum 197, Sancti Vincentii 231.

Abienus pater Severini papæ 121.

Abrahamius pater sancti Zosimi papæ 59.

Absida sancti etri, et ejus musivum instauratum a Severino papa 123. Vide *Apsis* et *Apsida*.

Absolutio, id est permissio 308.

Absolvere, id est dimittere 250, 251, 265, 266, 628.

Abstractio ab ecclesia vetita a Bonifacio V 118.

Abstultus adjectivum pro *ablatus* 309.

Abundantia sub Nicolao I 612.

Abusus sublati in Ecclesia S. Petri 614.

Acatius episcopus Constantinopolitanus 72.

Acclamatio Romanorum Carolo Magno 376. Acclamatio synodi Romanæ in causa Joannis archiepiscopi Ravennatis 592. In honorem Adriani II 620.

Accubita seu accubitus ad sanctum Petrum 202, 384, 412, 542. Accubitus, sive triclinium 502.

Acerragium, locus 253.

Acies igneæ 214.

Acodyrcharium, locus 633.

Acolythus 38 et passim 118, 138.

Acta concilii Romani sub Stephano IV promulgantur in ecclesia beati Petri 282. Constantini pseudo-papæ combusta 278.

Actus apostolorum 38 et 41.

Acu pictile 498. Vide *Vela*, *Veltes*.

Adalgisus filius Desiderii regis 307, 311, 314.

Ad duos Amantes regio U. R. 34.

Adelbertus schismatis fautor contra Benedictum III 359.

Adeodatus pontifex fuit monachus in monasterio sancti Erasmi 137, 138.

Adhærere, id est conjungere 252, 250.

Adorare pontificem 87.

Adrianus I, Romanus, de regione via Lata 290. Creatur pontifex 292. Ejus responsio ad Desiderium regem 298. Mittit legatos ad Carolum Francorum regem 307. Sub potestate sancti Petri recipit Longobardos ducatus Spoletani 313. Obviam mittit Carolo Magno 314. Ecclesias instaurat, a num. 320 usque ad num. 337. Muros Urbis 326. Totam Urbem renovat 333.

Adriani I laudes 291. *Munit Romam contra Desiderium regem Longobardorum; omnia ornamenta templorum abscondit* 308. *Ad Urbem tendenti per tres episcopos sub anathemate ei mandat, ne fines Romanos ingrediatur cum filiis regis Carolomanni, et mox Viterbio metu excommunicationis ad suos redit, ibid. Multis donis ecclesias et monasteria locupletavit* 320 *et seqq. Multas domos pro alendis pauperibus dotavit* 327 *et seq. Petrum et Petrum ad Constantinum et matrem ejus Hirenen cum litteris de cultu imaginum misit* 333.

Adriani II papæ tanta humilitas fuit, ut invitatis episcopis, sacerdotibus et peregrinis ad prandium, ipse aquam manibus eorum infuderit, in mensa assederit, ac demum ex ea surgens pronus in faciem coram omnibus procideret postulans pro se et rege Ludovico orari 619, 620.

Adrianus pater Stephani VI, 641.

Adrianus II, descendens a Stephano IV et Sergio II 613. Ætatis 75 eligitur pontifex 614. Mittit in Bulgariam episcopos 616. Dictus Nicolaitanus 618. Ejus humilitas 619. Mittit legatos Constantinop. 626.

Adrianus presbyter sacrilegus in Benedicto III 562.

Adunatio, sive unio 140.

Æmilia 185, 253, 547. Provincia 587.

Æmilienses 588 et seqq

Æs Cyprium 58.

Affamen locutionis 438.

Afoces 569.

Africa in rempublicam redacta 102. Secundo restituta Romano Imperio 155. Africa, Vandalis victis, subjugata a Belisario 102. Africana regio 497.

Agapetus S. Papa a Gothorum rege Theodato mittitur Constantinopolim 94. *Convincit Anthimum patriarcham erroris, libere Justinianum imperatorem increpat, ibidem; vita excedit* 94 *et* 95.

Agapitus diaconus et martyr 25. Agapitus exconsul 87. Agapitus Patricius 87.

Agareni dicti *a Deo destruendi* 179. Cæsi ad Rhodanum 182, 183, 184, 500. Sub Gregorio III omnes ferme insulas infestant 476.

Agens in rebus 51.

Ager sanctæ Agnetis 42.

Ager Caulas 42. Bononiensis 483. Circa civitatem Fidenas 42. Muci 12. Sub Pavetinas, via Salaria, 42. Veranus 43.

Agnellus consul, sive consularis 210.

Agnetis (S.) martyris sepulcrum 52.

Agni ex musivo 78. Agnus argenteus 396, 397, 398, 551. Agnus aureus 56. *Agnus Dei* in missa 164.

Aistaldus, prædo 622.

Aistulphus Longobardorum rex inita pacis fœdera ad annos 40 *cum pontifice Romano illico abrumpit* 230. *Et Italiæ toti excidium minatur, Stephano papa eum placare conante muneribus, invocato prius divino præsidio* 233, 234, 235. *Stephanus Pippinum ad defensionem advocat, Aistulpho per Carolomannum nequidquam dissuadente* 236, 237. *Aistulphus a Pippino superatus cogitur fœdera pacis repetere* 448. *Iis fœderibus ruptis Romam obsidet, donec adventu Pippini repulsus, adigitur ad restituendas pontifici urbes vi oppressos* 232, 253. *In venatione divinius ictus perit* 254.

Aistulphus Longobardorum rex 250 et seqq. A Francis repellitur 247. Pacem jurat 248. Romam obsidet 249. Ipse obsidetur Papiæ, et Ravennam Ecclesiæ reddere cogitur 252. Moritur 254.

Alamandinus, sive Alavandinus, adject. 36, 470. Vide *Gemmæ*. Alavandinæ gemmæ 56. Albanense episcopium 420.

Alatrum Campaniæ 273.

Albanum 385. Albanenses ecclesiæ. Sancti Joannis Baptistæ 46. Sancti Petri 385. Sancti Pancratii. 420

Albinus, sive Alvinus vir illustris 80. Albinus Deliciosus 309.

Aldegisus filius Desiderii regis Longobardorum Carolo Magno irruente in Italiam, fuga se recipit Veronam, ibique capitur 310.

Aldeprandus nepos Luitprandi regis 217.

Alienata bona Ecclesiæ, pretio redempta 196.

Alienatio prohibita sub anathemate, etc. 225.

Alimenta, id est eleemosynæ, decreta pauperibus a Zacharia 226.

Almilicus 287, 305, et passim. Almitas 547. Almus 589, 601.

Alpes Gutiæ, sive Cottiæ, donatæ sanctæ sedi 168, 179.

Alpes Cottiæ ab Ariperto Longobardorum rege Ecclesiæ Romanæ restituuntur 168. *Earum restitutionem confirmat rex Luitprandus* 179.

Altare abba-Cyri 421. Altare argenteum 79, 399, 450. Et passim 44, 63, 64, 547. Argento et auro clusum, 58. Aureum in ecclesia sanctæ Crucis 11. Altare ecclesiæ Latinæ Constantinopoli, domi Placidiæ subversum 130, 141. Altare pro *ecclesia* 325. Altare

Digitized by Google

Andreæ apostoli ad B. Petrum 224, 399, 383, 417. Cyriaci via Ostiensi 422. Gregorii ad beatum Petrum 399, 410, 459. Joannis, sive basilicæ Salvatoris majus argenteum 391, 377. Joannis et Pauli 422. Leonis ad beatum Petrum 410. Mariæ, dictæ Medianæ, forte ad beatum Petrum 393. Mariæ ad Præsepe argenteum 400, 446 et seqq. Auro ornatum 419. Mariæ Transtiberim in sublime erectum a Gregorio IV ad evitandam plebis confusam frequentiam 473. Altare Martinæ 325. Martini confessoris in sancti Andreæ 423. Præsepii, seu confessio 449. Pauli 411. Petri 219, 285, 389, 392, 414, 431, 512, 542, 543, 546. Petronillæ 383, 393, 394, 399, 402, 418. Vide *Musileum*. Venantii in basilica Constantiniana 381. Altaria per circuitum ecclesiæ 461.

Altina, sive Alticina civitas 77.

Altithronus 523.

Alvaviræ gemmæ 465. Vide *Gemmæ*.

Ama 346, 472, et passim. Amæ argenteæ 34, 36, 38, 41, 88 et passim 43, 44, 45, 46, 47, 48, 57, 60, 61, 63, 64, 69, 70, 71, 86, 346, 477, 509. Pro stationibus 474. Amæ aureæ 56, 38, 44.

Amalasuntha regina 94, 97.

Amalphitani 522.

Ambitus altaris basilicæ Constantinianæ 488.

Ambo in ecclesia sancti Andreæ 166. Ambo marmoreus in ecclesia S. Crucis in Hierusalem 182.

Ambronius vir 39.

Amendulæ aureæ 573.

Ameria ducatus Romani civitas 206. 539.

Amiantes 37. Amiantis stippa 36.

Amingus dux Francorum 110.

Ampliatus presbyter et vice-dominus 105.

Ampullæ 110. Vide *Oblationes*.

Amula offertoria 346.

Amulæ superauratæ 195. Amygdala de argento 552. Amulæ. Vide *Luminaria*.

Anachoreta 9.

Anaglyphus intersatilis aureus 54, 57, 390, 392, 394. Est adjectivum. Vide *Crux*.

Anagninâ civitas 297, 298, 536. Anagnina ecclesia 558.

Anastasius Augustus hæreticus 82.

Anastasius Bibliothecarius in lingua Græca et Latina habetur eloquentissimus per ea tempora, et legatus in causa Ludovici imperatoris Constantinopolim missus inquirit in Acta Synodi Constantinopolitanæ in causa Photii 629, 650, 658.

Anastasius cardinalis sancti Marcelli in synodo Romana sub Leone IV, eo quod ad quinquennium parochiam suam deseruisset, deponitur 543, 559. *Post quidam eum provehere conantur ad papatum, ibid. Vi projectus in æde beati Petri frangit imagines Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum, armata manu irruit in pontificium thronum, ejecto spoliatoque atque etiam verberato legitimo papa Benedicto III* 561, 562. *Ei fuerent legati regis Francorum; sed cum nullus episcopus illum consecrare vellet, et plebs repeteret Benedictum, tandem coacti sunt legati Anastasium turpiter expellere, et post trium dierum jejunium et preces indictas Benedictum restituere* 563, 564. *Denique sub Adriano II sub detita satisfactione communioni restituitus* 616.

Anastasius impius imperator dum resipuit monita papæ sancti Hormisdæ nec quidquam sibi imperari patitur ab Ecclesia, fulmine ictus obit 85.

Anastasius cardinalis tituli sancti Marcelli depositus ob desertam suam parochiam per quinquennium 544. Ejus sacrilega facinora 661 et seqq. Restituitur ab Adriano II 616.

Anastasius pater sancti Felicis papæ et mart. 53.

Anastasius pater sancti Vitaliani papæ 135.

Anastasius vir illustris pater Joannis papæ, 110, 111.

Anastasius II imperator fit presbyter 179.

Anathema 309.

Ancilla Dei 66. Ancillarum Dei congregatio 412.

Anconitanum patrimonium 210.

Andreas frater sancti Petri 1.

Andrianus, sive Adrianus Neapolitanus 187.

Angeli argentei 36, 330, 391, 411. plur. 550.

Angli 113, 602. *Angliæ vel Britanniæ rex Lucius a sancto Eleuthero papa postulat Christianæ religioni cum regno suo initiari* 14. Anglorum ad conversionem missi a sancto Gregorio papa monachi 113. Anglorum domus juxta ecclesiam Beati Petri conflagrat 432.

Anna relicta Agathonis primicerii 224.

Anniversitas 149.

Annona 154, 157.

Ante pro *potius* 563.

Anthemius scribo 104.

Anthimus episcopus Constantinopolitanus hæreticus 93. In exsilium pellitur 96.

Antifer, Aurifer, sive Lucifer, stella 186.

Antii civitas 60.

Antiochia 39.

Antipemptum 394.

Antiphona : *Ecce advenit dominator Dominus*, decantata Constantinopoli in adventu pontificis 106.

Antiphonatim 61.

Antonina patricia 101.

Antoninus martyr 30.

Antonius pater sancti Damasi 54.

Apallarea argentea 162.

Aphrodisia 39.

Apocrisiarii 129, 150, 605. Apocrisiarii sanctæ sedis habent Constantinopoli oratorium in palatio Placidiæ 130, 141. Eorum susceptio honorifica 141. Apocrisiarius Vigilius diaconus, postea pontifex 100, 101.

Apollinis templum 1, 22, 38.

Apostoli argentei 184. Cum coronis 36. In duodecim portis 64. Sub apostolis in patriarchio Lateranensi 161, 598.

Apostolicus papa 135.

Apostolorum Philippi et Jacobi basilica 109. Dedicata 110. Apostolorum principes 637.

Appar, id est exemplar 319.

Apsida Gregorii ad sanctum Petrum 459. Laurentii 69. Marci 460. Maria in Dominica 436. Mariæ Novæ 599. Mariæ ad Præsepe 178, 448. Mariæ Scholæ Græcæ tres 341. Mariæ Transtiberim 528, 572. Oratorii sanctæ Crucis 597. Oratorii sancti Gregorii 459. Oratorii ad sanctam Petronillam 432. Pauli 79. Petri 123, 162. Silvestri et Martini 490. Tituli Æmilianæ 563. Praxedis 434. Triclinii Gregorii IV in patriarchio Lateranen. 465. Triclinii Leonis III 367. Sancti Petri 378. Cohærentes apsidæ basilicæ Constantinianæ 384.

Apsidæ ex musivo 397, 510. Apsis apostolorum in via Lata 321. Basilicæ Constantinianæ 162. Cæciliæ 439. Georgii martyris 463.

Aqua cum sale benedici in domibus instituit Alexander papa I, 7. *Leo IV, exstructa nova urbe Leoniana, per cardinales ejus muros in processione publica aqua benedicta aspergi curat* 533. *Idem fecit Leopoli* 550. *Stephanus papa VI aquæ benedictæ aspersione ab omnibus agris plagam locustarum omnia devastantium subito avertit*. 650. Aqua empta pretio 99.

Aquæductus ecclesiæ sancti Petri 607. Aquæductus Sabbatinæ 546. Vide *Forma*.

Aquæmaniles 57, 63, 64, 195, 461, 491, 498, 547.

Aquæ Virginis ductus 356.

Aqua manus 394. Vide *Forma*.

Aquilarum historia in vestibus sacris 466, 467, 498, 502, 506, 513, 543, 546, et alibi sæpe. Vide *Vestes*.

Aquilatus, adjectivum 644.

Aquileia 12.

Aquileiensis archiepiscopus, et synodus, recusans recipere concilium v œcumenicum, convertitur ad veritatem recipiendam, monitu sanctæ sedis apostolicæ 164. Aquileiensis archiepiscopus. Vide *Episcopi*.

Aquilo villa 55.

Aquimolæ 528.

Aranearum telæ 145.

Arca pecuniæ ecclesiæ 24.

Arca sancti Anastasii martyris 354.

Arcarius 140, 172.

Arcella 440.

Archidiaconus 22, 23, 24, 25, 157. Archidiaconus Cononis ambit papatum pecunia 157. Archidiaconus Laurentius martyr 25. Paschalis affectat per sordes pontificatum 157, 158. Deponitur ab archidiaconatu 159. Stephanus 22, 23. Theophylactus 241, 257. Vigilius 100, 101. Xistus 24. Archidiaconus sedis apostolicæ 455.

Archiepiscopi sanctissimi 374. Vide *Episcopi*. Archiepiscoporum Ravennatum nequitia 587, 588. Archiepiscopus electus Ravennæ Romam veniat ordinandus 149. Archiepiscopus Calaritanus 155. Archiepiscopus, id est papa 66, 68, 72, 73. Archiepiscopus ordinatus nihil pro usu pallii persolvere debeat 150. Archiepiscopus Ravennas quando possit consecrare episcopos 592.

Archilevita 454, in notulis Fabrotti.

Archiminister 629.

Archipresbyter Petrus 156. Sanctus Sergius, postea pontifex 481. Theodorus 158. Archipresbyter, postea pontifex 452.

Archivium ecclesiæ 55, 61, 66, 74, 149.

Arcus argentei 78, 79, 80, 86, 120, 124, 128, 183, 340, 344, 357, 382, et passim 220, 527, 565, 566, 589, 591, 592, 611, 617, 652, 436, 447, 460, 525, 529, 530, 531, plur. 611. Cum gammadiis suis 409. Arcus aureus 169. Arcus dictus tres Faccicelæ 356. Arcus musivo ornatus 431. Arcus pictus in Merulana 298. Arcus presbyterii 436, 440, 448. Arcus principalis ecclesiæ 194. Arcus regii majores 163. Arcus stellæ 24. Arcus triumphalis, id est arcus major ecclesiæ 434. Arcus triumphalis in ecclesia 434. Arenarium 22, 43, 128.

Argentum 647. Vide *Ama, Arcus, Calix, Canistra, Gabatha, Januæ, Patena, Regiæ*. Argentum battutile 56. Argentum spaniscum 461. Triginta 47.

Ariminensis dux 283.

Ariminum 253.

Aripertus Longobardorum rex Alpes Cottias restituit Ecclesiæ Romanæ 108.

Arius hæresiarcha 35. Arianorum Ecclesia 87. Ariani rebaptizant 52.

Armarium 218.

Armillausia sive armilla 186.

Arodina 571.

Digitized by Google

Aromata 39, 40, 44.
Arsis insula Portuensis 536. Dicta Assis 45.
Artaustus invasor imperii Orientalis 219. Ejicitur 220.
Assyrtus, adjectivum 69.
Asterius Cos. 104.
Astillæ 378.
Athenæ 5, 10.
Athila 67.
Atitia insula 44.
Atrianum, sive Atrium.
Atrium basilicæ beati Pauli prius desolatum marmoribus stratum 321. Basilicæ beati Petri 78. Atrium superius beati Petri, alias Paradisus 139.
Auctor hujus Historiæ 497.
Auctoritas 60.
Augustinus monachus 113.
Augustus Liberii papæ pater 51.
Augustus, sive imperator, dictus Christianissimus 172.
Aula, hoc est ecclesia.
Aurelia via 1. Vide *Via*.
Auri libræ viginti annuæ pro luminaribus apost. 219. Aurum 647. Vide *Ama, Arcus, Calix., Canistra, Gabatha, Patena, Vestes*. Aurum obryzum 357, 363. Trimme 36.
Autcharius Francus 295, 307, 308, 311, 314.
Autocephalia 139, 149.
Auximanum patrimonium 209.
Axiomatici 614.
Azuppius pater Leonis III 358.

B

Baduas, vel Baduilla, sive Totila 107.
Balbina 49.
Balnearola 547.
Balneum 36, 39, 40, 79, 144, 412, pluries. Balneum in patriarchio Lateranensi 269, 335, 474. Juxta titulum sancti Damasi 54. Sicinii 34. Basilicæ sancti Laurentii 71. Basilicæ sancti Pauli 79. Basilicæ sancti Petri 329, 530, 337, 346, 412.
Balsamum 36, 39, et passim 40, 44.
Balvenses, sive Valvenses 207.
Bandora signum militare 314.
Baptismi fons constructus, benedictus, et consecratus a Pio Pontifice 12.
Quævis aqua ad baptismum idonea, ut fluminis, fontis, maris, pluviæ declaratur a sancto Victore 15. *Christianorum liberos necessario esse baptizandos docuit Innocentius I.* 57. *Ariani a Catholicis ad se deficientes rebaptizant* 52. Baptismi fons et baptismus in nomine Trinitatis 12. Baptismus in Lateranis 118. Non iteratur 280. Necessitate urgente, ubicunque conferatur 15. Baptismus Paschæ celebrabatur olim in basilica sanctæ Agnetis 60. Celebratus præsente Carolo Magno ab Adriano Papa 317. Baptismus secundus 57.
Baptisterium basilicæ Salvatoris 56, 333. Sancti Anastasii mart. 334. Sanctæ Mariæ ad Præsepe 567. Sanctæ Mariæ Transtiberim 572. Sancti Petri 397. Ecclesiæ Sanctæ Susannæ 366.
Baptisterium 397. In titulo Vestinæ 57, in notulis Fabrotti.
Baptizare non debet acolythus cum diacono præsente subdiacono 118. Baptizatum consignare 35. Baptizatus unguendus chrismate a presbytero 35.
Basilica Crescentiana, in regione secunda 56. Sancti Agapiti Præneste 415. Basilidis in Merulana 415. Calixti Transtiberim 17. Domus Juliæ 158. juxta domum Palmati 63. S. Euphemiæ Constantinopoli 106. Felicis II, via Aurelia 53. Julia dedicata a Cœlestino I, 62. Julii ad Lateranas 136. Liberii juxta Macellum Liviæ 52. Restaurata a Systo III, 63. Libyana 58. Sanctorum Nicandri, et Eleutherii via Lavicana 74. Nicolaitana 618. Marci via Ardeatina 49. Sancti Secundini in urbe Prænestina 546. Sessoriana, quæ et sanctæ Crucis 41. Sancti Stephani 67. Sancti Pancratii 79. Sancti Petri ad cœlum aureum Papiæ 214. Stephani via Latina 415. Theodori Papæ 161, 218, 287. Vestinæ, sive titulus 57, 58. In territorio Albanense 82. Juxta basilicam Sancti Agapiti Prænestæ 415. Beatæ Mariæ, id est Liberiana 72, 74, 76, 164.
Basilicæ constructæ a Constantino, aliisque, nempe sanctæ Agnetis cum baptisterio 42, 58. Sanctæ Agathæ via Aurelia 79. Beati Apollinaris in portico sancti Petri 119. Beati Cornelii juxta cœmeterium Calixti 67. Apostolorum Capuæ 47. Apostolorum in via Lata 224. Sanctæ Crucis in palatio Sessoriano, dicta Hierusalem 41. Sanctæ Euphemiæ in civitate Tiburtina 74. Sancti Felicis papæ via Aurelia 53. Sanctorum Gervasii et Protasii 157. Beatæ Helenæ via Lavicana 325. Sancti Laurentii supra Arenarium Cryptæ 43. Sanctorum Petri et Marcellini inter duas Lauros 44. Sancti Joannis Baptistæ Albani 46. Sanctæ Mariæ via Laurentina 74. Neapoli 48. Pauli via Ostiensi 40. Petri in Vaticano 38. Petri et Pauli, et Joannis Baptistæ Ostiis 45. Salvatoris, dicta Constantiniana 36. 64.
Basilicæ duæ constructæ a beato Damaso 51. A beato Julio, juxta Forum, et via Flaminia 50. A beato Marco 49.
Cætera vide in verbo *Ecclesiæ*.
Basiliscum Romæ fugat S. Leo IV 503.
Basilius dux 183.
Basilius Macedo simul atque imperator Orientis factus est, Michaele III interempto, Photium pseudo-patriarcham expulit, et Ignatium restituit 623. *Quem iterum anathemate percellit Adrianus II* 627. *Basilii ejusdem legati et Spatharii oratio ad Adrianum II. Basilii imperatoris oratio ad legatos Adriani papæ* 628.
Bassus calumniator sancti Sixti III 65.
Bathin, seu fundatum 362.
Bancæ exauratæ 575.
Bavariæ dux Theudo religionis causa venit Romam quod nullus ante eum ejusdem gentis dux fecerat, 179.
Beatitudo almilica 293, 294, 326. Ter beatitudo 301, 306, 313, 326, 329. Ter beatissimus 313, 329. Tituli sunt pontificii.
Bebius mons pro Vesuvius 133.
Belisarius 97 usque ad 103.
Belisarius Gothis invadentibus Italiam, nomine Justiniani imperatoris ingreditur Italiam, capit Neapolim, et in ea trucidat omnes; inde pergit Romam 97. *Eam obsidet Visiges rex Gothorum per annum, sed frustra* 98, 99. *Belisarius, superatis Vandalis, Africam subjugat, et de spoliis Romæ sancto Petro plurima dona offert* 102.
Beloterum 647. Vide *Velotarum*.
Benedicendas fruges et uvas super altaria statuit sanctus Eutychianus papa 28.
Benedici salem et aquam in ædibus statuit sanctus Alexander papa 7. *Cereum Paschalem in singulis paræciis voluit sanctus Zosimus papa* 59.
Benedictio fontis per sanctum Pium celebrata 12. Benedictio, hoc est roga in auro 157.
Benedictus III, Romanus, vi cogitur suscipere papatum 557. Conspirant contra eum plures pro Anastasio pseudopontifice 559 usque ad 565. Recognoscitur pontifex et consecratur 565, 566. Ejus constitutio circa funus clericorum 576.
Benedictus pater sancti Marcelli papæ 31.
Beneventani 207, 487. Vide *Ducatus, Duces*.
Bethlehem 6
Bethsauda 1.
Bibliotheca, nempe pontificia 591. Ecclesiæ 74, 177. Sacra, id est pontificia 353. Bibliothecæ cura sancto Gregorio II tradita 177. Bibliothecæ duæ in oratorio sancti Stephani in baptisterio Lateranensi 71.
Bibliothecarius sanctæ sedis apostolicæ 177. Anastasius 629, 650, 658. Bibliothecarius sedis Apostolicæ Zacharias episcopus 640.
Billicus confessionis sancti Petri 570.
Bimyxus, adjectivum 394.
Blandæ 372.
Blatthin, cum Chrysoclavo 394 et passim. Vide *Periclysis. Vestis*. Blatthin 199, 322, 364, 365, et passim 379, 442, 443, pluries. Vide *Vestis*. Bysanteum 367, 417. Neapolitanum 417.
Blera civitas ducatus Romani 206. A Longobardis diruta 305, 536.
Bobium civitas 253.
Boemundus pater Eugenii II 452.
Boetius occiditur jussu Theodorici regis Ariani 8. Cum Symmacho et Joanne papa 88.
Boia id est vinculum 126.
Bona hæretici Ecclesiæ confiscata 62.
Bonifacius S. episcopus a sancto Gregorio II mittitur in Germaniam prædicandi Evangelii causa, quam et convertit 178.
Bonifacius pater Benedicti I papæ III.
Bonifacius II ordinatus sub contentione cum Dioscoro 91. Constituit sibi successorem Vigilium, sed gestum retractat 92.
Bononia 483. Bononiensis ager 483. Ecclesia 647.
Bonosus pater sancti Paschalis I 430.
Bonus pater Sabiniani papæ 114.
Boso, vir Ingiltrudis 598.
Britanniæ rex Lucius a sancto Eleutherio papa postulat cum toto regno adjungere se Christo 14.
Brutii et Lucaniæ patrimonium 157.
Buccellinus Francus 110.
Bucina, insula Sardiniæ 20.
Bulgari 168. Docentur fidem Christianam 609. 616. A Latina Ecclesia recedunt 639. Vide *Legati Bulgarorum*.
Bulgaria, quibus rationibus probetur subesse Romano pontifici jure sedium 635.
Bulgarorum rex Michael a Nicolao I papa petit mitti sibi sacerdotes, quorum opera regnum totum ad Christi fidem traducatur: qui ubi missi sunt, honorifice a rege excepti sunt, omnesque ad unum Bulgaros baptizarunt 608, 609. *Hinc petiit et archiepiscopum sibi a papa assignari, ibid. Mittit legatos ad vm synodum Constantinopoli coactam, qui cum a patribus peterent cuinam Ecclesiæ Bulgari subjecti esse deberent, Constantinopolitanæ, an Romanæ, legati papæ responderunt, Romanæ, eo quod illa primos sacerdotes eo destinasset, et i adhuc essent* 632, 633. *At Græci contenderunt subjectos esse debere Constantinopolitanæ, quibus respondere legati Romani jam olim Epirum utramque, Thessaliam et Dardaniam, quæ nunc Bulgaria, fuisse Romanæ Ecclesiæ subjectas* 635, 636. *Unde imperator Basilius non satis decenter*

Digitized by Google

legatos Papæ dimisit 658. *Imo a sclavis spoliati sunt, sic ut exemplar concilii celebrati perierit, quod ab Anastasio Bibliothecario, qui illud descripserat, postea restitutum est* 638. *Tandem eum missio archiepiscopi nimium prorogaretur, Bulgari se subjiciunt Constantinopolitanæ Ecclesiæ et Latini pellunlur* 640.

Bulgarorum rex 608.

Bullæ aureæ in velis altaris 498. Bullæ 491. Nomine pontif. titulatæ pro pauperibus 600.

Burgi incendium 432. Burgus Anglorum lingua *habitatio, ibid*

Butro argenteus cum canistro 380, 500, 528.

C

Caballicare 157.

Cacumina de musivo 366.

Cadaver Sergi secundicerii exhumatum 298.

Cæa insula Græciæ 172.

Cæcilia 18. Caput inclusum arcellæ 441. Arcella ad ejus corpus, *ibid*.

Cæliusmons in Urbe 4.

Cæsarius, filius Sergii magistri militum 523.

Cæsenæ 254.

Cæsenatense castrum 213, 215.

Caietæ portus 173. Caietani 532.

Caius diaconus 23.

Calcaria 169, 177.

Caldaria plena de pulmento 328.

Cale podius 17. Vide *Cœmeterium*.

Calices majores ex argento per arcus basilicæ 440. Calices aurei 36, 58, 89, 167, 189, 197, 300, 376, 398, 410, 529, 574, 585. Aurei panoclysti 599, 415. Fundati 36, 376. Ministeriales argentei 34, 36, 41, 43, 70, 71. Baptismi 57. Argentei 34, 36, 38, 346, 353, 357, 390, 396, 398. Octogoni 465 et passim. Calix sanctus aureus 353, 354, 357. Fundatus ex argenteis 321. Tetragonus spanoclystus 416. Cum patena spanoclysta, *ibid*.

Calinicus 406.

Callium 253.

Calixtus hæreticus 35.

Calvulus, sive Calventius cubicularius ultimo supplicio punitur 297 et seqq.

Camelaucum, sive Caumelaugum 172.

Camera 79, 196, 197. Basilicæ 67. Pro presbyterio 366, 414. Præsepii Dominici 489.

Caminatæ 475.

Camisiæ albæ sigillatæ holosericæ, cum chrysoclavo 575.

Campana 525.

Campaniæ populi 286, 296 et seqq. 308, 333. Campani complices cædis Sergii secundicerii relegantur Constantinopolim 299.

Campanile 525.

Campulus sacrilegus aggressor Leonis III 369.

Campus Lateranensis 275. Meruli in via Portuensi 138 Neronis 186 561.

Cancali ferrei 324.

Cancelli ærei 218. Argentei 64. Fusiles argentei 392.

Candela pro lucerna 56.

Candelabra ante crucem lucentia 4. secundum numerum Evangeliorum 41. Aurea 120. Aurichalca 36 38.

Candidati 627.

Canistra argentea 185, 348, 349, 406. Aurea 643. Enafori 439. Ennafodia 465

Canoni verba *Diesque nostros*, etc. addita a Gregorio I 113. Verba *Quorum solemnitas*, etc. addita a Gregorio III 191.

Canthara cerostrata 34, 36 et passim. Intersasilis, in quam thus mittitur 567. Argenteo 73, 80, 365, et passim Aurea 70, 646.

Cantharus sessilis 581.

Cantilena 147, 151. et sæpe.

Cantulla argentea 649.

Capellanus 371.

Capillorum mallones 153.

Capitatio 157.

Capitulare 165, nomen.

Capra argentea 162.

Capracorum locus 327, 339.

Captivi per Liguriam et alias provincias redempti a sancto Symmacho 81, Christiani redempti a sancto Zacharia ne paganis traderentur 222.

Caput sanctæ Cæciliæ 440, 445, 517. Sancti Gregorii repertum in patriarchio 222. Senatus 78. Tauri reg. Rom. 7. Caravisiani 172

Carcer ad Arcum Stellæ 24. Ferrata 274. Publicus 299.

Cardinales 533. Hebdomadarii 285, Tituli 650.

Cardinalis 278. Anastasius sancti Marcelli 544. Vide *Anastasius*.

Cariophilli 39.

Carisiacus 317.

Carnes de pulmento 328.

Carolomannus 221, 245, 285, 293, 295.

Carolomannus Francorum regis (seu potius ducis Caroli, scilicet Martelli, *filius, cum aliquot suis, sæculi relinquens gloriam clericus factus a Zacharia papa, et deinde ad monasterium sancti Benedicti profectus* 221, *ab Aistulpho Longobardorum rege legatus missus ad Pippinum regem Francorum, ut impediret conatus Stephani papæ, ibique jussu papæ in monasterio quodam Franciæ sedem figens non multo post anno* 725, *obiit* 215.

Carolomannus Francorum rex (hoc est rex Austrasiæ) frater Caroli Magni Francorum regis, a Stephano IV requiritur ut in defensionem Ecclesiæ veniat contra Longobardorum regem Desiderium 284, 285. Ipse et frater ejus Carolus rex, qui postea Magnus appellatus est, dicuntur reges Francorum et patricii 294, 296. Desiderius rex Longobardorum, ad quem confugerat uxor Carolimanni cum filiis, petit ab Adriano papa, ut hos ungat reges Francorum, ut in eo regno turbas excitet, et invisum reddat pontificem Carolo Magno, sed Pontifex recusat Desiderii iniquam petitionem implere 296.

Carolus Calvus 600.

Carolus Magnus mittit legatos ad Adrianum I, qui ut intellexere non esse restitutas civitates a Desiderio Longobardorum rege, sicut Carolo affirmarat se fecisse, muneribus precibusque eum flectere frustra conantur 308, 309, 310. *Ergo Carolus rex vere Christianissimus, superatis Alpium claustris, in Italiam irruit: Desiderius cum suis miraculose fugit Ticinum. Aldegisus vero filius ejus cum filiis Carolomani, qui profugerant e Francia ad Desiderium, Veronam. Spoletini autem, et alii deserto Desiderio, tonsurari petunt a papa* 310, 311. *Carolus Verona capta, et Aldegiso, obsessoque Ticino, cum copiarum parte abit Romam* 314. *Tota Roma ei occurrit: Clerus cum crucibus, pueri cum ramis palmarum; quibus conspectis, de equo descendit, pedesque ad ædem divi Petri pergit, omnes gradus sancti Petri osculatur antequam ad papam perveniat. Carolus et papa in amplexus ruunt; omnes acclamant*: Benedictus qui venit in nomine Domini. *Franci omnes ante aram beati Petri prostrati gratias agunt pro miraculosa victoria. Carolus petit potestatem ingrediendi Urbem, templaque visendi* 315, 316. *In festo Paschæ cum papa pransus; cumque papa peteret veterem donationem olim a Pippino factam confirmari, novam et ampliorem scribi jussit, in qua Venetiarum provinciæ et Istria nominatur, eamque aræ sancti Petri oblatam imposuit* 317, 318. *Hinc rediens Ticinum, eo capto totum regnum Longobardorum sibi subjugavit et Desiderium captivum secum in franciam abduxit* 319. *Romam rediit cum Leone papa III. Honorifice a Romanis excipitur, et in ecclesia sancti Petri die Nativitatis Domini corona pretiosissima a papa coronatur, acclamante populo*: Carolo piissimo Augusto, a Deo coronato, magno pacifico imperatori vita et victoria! *quod post invocatos sanctos ter repetitum est. Oleo autem sacro inunctus est una cum filio. Obtulit mensam argenteam aliaque dona multa sancto Petro* 372, 376. *Paschalem et Campulum auctores excæcationis Leonis papæ productos in conspectum exsulatum mittit in Franciam* 375. *Obtulit et crucem solitam præferri litaniis et processionibus* 376, 378.

Casalia 138, 293, 344.

Casimirus pater S. Felicis IV papæ 90.

Cassia 39.

Castaldus 181. Ramingus Tuscanensis 211, 212.

Castellum Rotundum prope Constantinopolim 83, 627.

Castellum sancti Mariani 253.

Castinus pater sancti Simplicii papæ 72.

Castriata, adjectiv. 69.

Castrinani fines 385.

Castrum Cumanum 181. Sussubium 253. Tiberianum 256.

Castus episcopus 24.

Catabulum 31.

Catacumbæ 22.

Cataphrygæ 57.

Cataxautus 224.

Catena fidei 283.

Catenulæ auratæ 394.

Cathedra, id est auctoritas 1. Lapidea Floriana 58.

Catulinus 31.

Causa clerici non est audienda in curia, sed in ecclesia 35.

Causationes 50.

Cautio, id est fidei expositio Felicis archiepiscopi Ravennatis 170, 174, Vide *Baron. anno* 708.

Cautiones 587.

Cellarii, id est custodes cellarii 297.

Cellarium Lateranense 288, 297.

Cellulæ 468.

Centum cellensium civitas 204.

Cercelli 469.

Cereaptum, sive ceraptum 419.

Cereos Benedici per parochias 59.

Cereostratæ argenteæ 86, 103, 119, 325, 365, 398. Versatiles anagliphæ 394, 396. Adjectivum 54. Aurochalca 42.

Cervia, dicta olim Ficulcas 126. *in marg.*

Cervi argentei 36, et passim. Deargentati 542.

Cescinatense castrum 215.

Chartæ decadæ 30.

Chartophylax 6. Georgius diaconus 143.

Chartularius 269, 183, 121, 125, 126, 133, 165, 126, chartalarius Anualdus civis Romanus 301. Gratiosus 267 et seqq. Jordanes 183. Mauritius 121, 125, 126. Theodorus 133. Theophylactus 165. Thomatus 126.

Digitized by Google

Chazai genus 574.
Cheritismon 561.
Cherson sive Cersona 133.
Cherubim argentei 393.
Chlalamydis imperialis pars in ornamentum sacerdotum transmissa 88.
Chrisma ab episcopo tantum consecrari voluit sanctus Silvester, eoque inungendum baptizatum a presbytero statuit 38. Ab episcopo conficiendum 33. Non iterandum 280.
Christianos Romæ emi et vendi vetitum a Zacharia 221.
In Christo duas fuisse voluntates et operationes negarunt Patriarchæ Constantinopolitani Paulus, Pyrrhus et Sergius, eoque de causa in synodo Lateranensi damnati 130, 145, 148.
Christophorus primicerius et consiliarius 265, 266, 269. Agit de eligendo Stephano IV 270. Missus ad Carolum regem Francorum 285 et seq. Sepelitur in æde divi Petri 300.
Chrysoclavum 151. Vide *Vestis*.
Ciborium, alias ciburium aureum 119. Argenteum 78, 80, 120, 185, 196, etc. Argenteum super corpus divi Pauli 178, 547. Constructum a Paulo I 259. Divi Petri a Gregorio I 113. Constantinianæ 712. Sanctæ Susannæ 163. Cum columnis porphyreticis 594. Ex marmore 525.
Ciburio, substant. g. f. 321.
Ciceranense castellum 238.
Cimilia 163, 284, 308, 414.
Cinere aspersa capita 234.
Circus Ravennæ 120.
Civitates et loca restituta Ecclesiæ Romanæ ab Aistulpho 253. A Longobardis retentæ 113. Civitas Leonina capta a Leone III 532. Perfecta a Leone IV 533, 546. Civitates exarchatus Ravennæ 303. Quatuora Luitprando rege ablatæ ducatui Romano 206. Restitutæ 209.
Clades Vandalica 66.
Clamacterii argentei 301.
Claudius subdiaconus 25. Martyr 30.
Claves aureæ oblatæ basilicæ sancti Laurentii extra muros 568. In modum crucis ex auro et gemmis in basilica Vaticana 432.
Clavi 151.
Clemens I papa notarios constituit, qui vitam et exitum martyrum describerent. Epistolæ ejus dicuntur Catholicæ. Multos libros scripsit 4.
Clericare 291. Clericatus oratio 263. Clerici Romani contumacia in Benedictum III 565, 564. Clerici multi se subtrahunt a communione Anastasii II 75. Clericorum funeri intersit pontifex ex constitutione Benedicti III, et vice versa clericus funeri Pontificis, 576. Clericus, sive levita, sive sacerdos ordinetur in præsentia omnium Cleericorum, et laicorum fidelium 16.
Clericis nutritionem comæ vetuit sanctus Anicetus papa II. *Eos coram toto clero et populo ordinandos statuit sanctus Zephirinus* 16. *Non possunt accusari a laicis* 35 *Non curiam intrare, et causas agere* 35 *et* 36. *Nisi in ecclesia, ibid. Sanctus Anastasius nullum transmarinum voluit ordinari in clericum, nisi quinque episcoporum haberet chirographa, idque propter Manichæos* 56. *Sanctus Zosimus vetuit ne clericus cuiquam publice propinaret poculum* 59. *Sanctus Bonifacius servos et obnoxios curiæ repelli jussit a Clericatu* 61.
Clerus compositus 10. Et populus simul cantantes 164. Augetur sub Gelasio I 74.
Clivus Argentarii 568, 583. Mamurræ sive Mammoræ 58. Patricius 58. Salutis 58.
Clodianum territorium 58.
Clodoveus rex Francorum dona mittit sancto Petro Romam 85.
Clusæ sive clausæ, id est angustiæ Alpium 242, 247, 280, 311, 312.
Clusinenses fines 585.
Clusinus ducatus 211.
Coangelicus 243, 248, 319, et passim.
Codex beati Joannis Chrysostomi 648.
Codices catholici traditi a Leone IV Ecclesiæ Leopolitanæ 551. Falsati in concilio detecti 142. Zachariæ pontificis 218.
Cœlestinus lector 22.
Cœlestius hæreticus 57.
Cœmeteria 26 et passim. Missarum solemnia per cœmeteria celebrata etiam septimo sæculo 158 Martyrum restaurata a Joanne III 110. A Paulo I 258. Tria constructa a Julio I 30. Sanctorum Abdon et Sennen, foris portam portuensem 336, 345, 601. Agathæ foris portam beati Pancratii 514. Anastasii ad Ursum pileatum 56. Balbinæ via Ardeatina 49. Calepodii via Aurelia 17 et passim. Callixti via Appia 11, 17, 19, 20. Candidæ 345. Chrysanti et Dariæ 345. Cyriacæ in agro Verano 25, 342, seu Cyriacetis 25. Damasi 167. Felicis martyris via Portuensi ad Ursum pileatum 601. Felicis et Adsucti 89. Felicitatis via Salaria 60, 545. Hermetis, Proti et Hyacinthi martyrum 545. Hilariæ 345. Hippolyti mart. juxta sanctum Laurentium 550. Januarii, Urbani, etc. martyrum 205. Jordanorum 81, videlicet sanctorum Alexandri, Vitalis et Martialis martyrum, seu sanctarum septem virginum 345. Marcellini et Marci 167. Et aliorum sanctorum, etc. Marcellini et Petri via Lavicana 120, 325. Marci extra portam Appiam 572. Nerei et Achillei via Ardeatina constructum a Joanne I 89. Nicomedis vel Nicodemi 118. Petronillæ 202. Prætextati via Appia 18, 25 et passim 438. Priscillæ via Salaria 18, 31, 108. Habet cubiculum clarum 30. Sebastiani via Appia 601. Silvestri via Salaria 345. Simplicii et Serviliani, quarti et quinti martyrum 345. Sixti et Cornelii via Appia 361, 384. Soteris 235. Tertullini extra portam Latinam 345. Tiburtii, Marcellini et Petri 325. Urbani, etc. 202. Ad Ursum pileatum 601. Urbani, Felicissimi, Agapiti, Januarii et Cyrini martyrum via Appia 345. Zephyrini via Appia 16. Zotici via Lavicana 361. Tiburtii et Valeriani : ibi habitavit Joannes III et consecravit multos episcopos 110.
Cœnacula 63.
Cœnobium. Vide *Monasterium*. Cœnobium Græcæ modulationis 259, 435.
Colatorium argenteum 492, 570.
Collare aureum 195.
Colles jacentes loca 439. Prope ecclesiam sanctæ Cæciliæ, *ibid.*
Colobium 28.
Coloni Ecclesiæ 36.
Colosseum 273.
Columba aurea 69. Cum fastigiis, et epistyliis 69.
Columnæ Aquitanicæ 69. Argenteæ 366, 385, 397, 398, 409, 450. Argenteæ tornatiles 392. Hecaton-penta 69. Onychinæ 69. Onychinæ volubiles 194. Porphyreticæ 38, 394, 396, 531. In baptisterio Constantini 65. Ragiatæ foratæ aquam fundentes 69. Purpurei coloris 446. In quadrificio camerantes 432. Regiatæ 69. Thyneæ 38. Triantæ 69. Tripolitæ 69.
Columnellæ argenteæ 435. Cum historiis 411, pluries.
Coma a clero non nutrienda 11.
Comaclum sive Comiaclum castrum, 252, 254, 292.
Cometes a parte Orientis 139. Ab occidente 186.
Comites Adalgisus 486. Adalbertus 559. Ascharius 571. Bernardus 559. Boso 486. Germanus 573. Helmyoth 573. Joannes 483. Maurinus 486. Petrus 534. Rothegarius 573, etc. Vernandus 486. Wfridus 486. Wido 486.
Commotio, id est Italis *mossa* 219.
Communicales per singulas regiones, qui præcedunt ex argento per stationes 124.
Communicare cum hæreticis 78.
Communio generalis ad sanctum Petrum in adventu Caroli Magni 572.
Compaginare atrium 78.
Compresbyteri 613.
Concha argentea pro capite sanctæ Cæciliæ 445. Assirta vel raita 69. Aurocalcha 64. Castriata 69. Porphyretica 384. Ad spongiam pro nocturnis diligentiis 432. Conchæ aquam fundentes 69. Castricatæ, sive triantæ 69.
Concilia Aquilegiense 164. Chalcedonense 66, 68. Constantinopolitanum sub Agathone 140. Ordo sessionis in eo servatus in causa Photii 593. Ejus subscriptionis formula 629. Pseudo-Constantinopolitanum sub Justiniano Juniore 160. Ephesinum 68. Lateranense sub Martino I 131. Lateranense indictum sub Nicolao I 598. Nicænum 35. Et alia, etc. Romanum de imaginibus sub Gregorio III 192. De iisdem sub Stephano IV 281. Sub Adriano II in causa Photii 626, 596. Sub Stephano I ad Arcum Stellæ 24. In Trullo generale 142 et seq. Approbatum a Leone II 148. In concilio anathemata a tribus episcopis ex ambone proferuntur 281. Conciliabuli Romani acta in concilio Romano cremata 278.
Concilium Nicænum 318, *episcoporum cum consensu sancti Silvestri celebratum* 35. *Romanum* 277, *celebratum sub sancto Silvestro*, ibid. *Ephesinum, in quo imperator Marcianus cum conjuge fidem suam exposuit* 66. *Lateranense a Martino I celebratum contra Paulum, Pyrrhum et Sergium* 131. *Sextum generale in Trullo contra Monothelitas* 143. *Approbatum a sancto Leone II* 148. *Pseudo-concilio Constantinopolitano legati papæ subscribunt, sed eorum subscriptioni papa restitit* 160. *Aquilegiense errans monitu Sergii papæ resipiscit* 164. *Romanum a Stephano papa IV, evocatis ex Gallia episcopis, coactum contra Constantinum pseudo-papam, qui et e concilio pulsus est, cum diceret nonnullos a laicis creatos episcopos* 277. *In eo omnes a pseudo-papa consecrati jubentur deponi, et de novo, si placeat, eligi* 279 *Nicænum II pro culta imaginum, contra Iconomachos* 293. *Romanum sub Leone IV coactum* 67 *episcoporum* 574. *Romanum sub Nicolao I, in quo deponitur Gutherius archiepiscopus Coloniensis, et Thietgaudus archiepiscopus Trevirensis; et synodus Metensis damnatur propter approbatum ab eis repudium Lotharii regis* 599. *Romanum sub Adriano II, in quo tertio excommunicatus est Photius pseudo-patriarcha Constantinopolitanus, ejusque liber exustus, idque non sine miraculo, cum in densissimo licet imbre ignis non extingueretur, sed velut oleo injecto vehementius*

Digitized by Google

arderet 627. *Generale octavum, cujus 10 fuere sessiones, sub Basilio imperatore Constantinopoli, præsidentibus legatis Romanis celebratum* 628. *Ejus Acta Anastasius Bibliothecarius, cui examinanda data sunt, a Græcis corrupta deprehendit. Quare legati papæ indefinite illis subscripsere hac formula : Ego vices agens universalis papæ usque voluntatem ejusdem papæ Adriani subscripsi. Qua subscriptione dubia Græci conquesti sunt, Constantinopolitanam Ecclesiam in votestatem Romanæ redactam*, 631.

Concio Adriani II 619. Stephani VI ad populum 615.

Concordius et Callixtus diaconi accusatores sancti Damasi 54. Damnati, *ibid.*

Concrustatio 432 in notulis Fabrotti. Confessio argentea 78, 80, 366. Ecclesiæ sancti Andreæ ad divum Petrum 197. Et aliorum, etc. Confessio, id est altare, 449. Id est propitiatorium altaris 447.

Confessor, id est martyr 101, 153, 463. Confessores fideles 22.

Confina bonorum donatorum Ecclesiæ Romanæ a Carolo Magno 518.

Confirmatio synodorum Nicænæ, Ephesinæ et Chalcedon 68.

Conflictus Romæ inter Petrum et Christophorum duces 173.

Confractio Dominici corporis 164.

Conjunctio, id est unio unius monasterii cum altero 340.

Conjungere, id est convenire 232, 258, 266, 295, 305. Id est pervenire 287, 295, 232, 244, 250, 251, 255, 265, 269, 276, 307, 316 522, 309, 511, 514, 370.

Conjuratio contra Gregorium II 183.

Consanguinitatis propinqui 578.

Consecratio episcoporum in cœmeterio sexto sæculo 110. Papæ ad sanctum Petrum 566.

Consecratus, substant. 33, 55.

Consignare baptizatum 35.

Consiliarius Bonifacius 161. Christophorus 255, 265, 266, 269. Fulcradus 255, 256. Epolfradus 309.

Constantia soror Constantini 42. Augusta 52

Constantinopolis regia civitas 127. Obsessa ab Agarenis 183.

Constantinus defensor 193. Laicus intrusus in sanctam sedem 265. Punitur 272, 276. Diaconus Eccl. Syracus. Rector vir perversus 157. Pater Stephani III 227.

Constantinus Magnus a sancto Silvestro baptizatur; in baptismo a lepra curatur. Templa multa intra extraque urbem Romam construit 34, 35, etc. *Et baptisterium* 36, 37. *Ecclesiam Romanam, aliasque multis fundis et donis locupletat*, ibid. *et seqq. Constantinus III imper. Orientis tempore Vitaliani papæ Romam venit, ecclesias Urbemque totam spoliat, exactiones imponit Italiæ, et in talneo tandem insulæ Siciliæ occiditur* 135, 136. *Constantinus frater Nepesini ducis, licet laicus, armata manu invadit papatum, a Gregorio Nepesino episcopo mox in subdiaconum diaconum, et presbyterum, ac denique in papam consecratus* 263, 264. *Gregorii consecratoris manus divinitus exaruit, nec multo post ipse tremens animam exhalavit* 267. *Christophorus primicerius et Sergius ejus frater, implorata ope Desiderii regis Longobardorum, ducem trucidant, et Constantinum in fugam convertunt. Valdebertus Desiderii legatus conatur Philippum quemdam facere papam, sed eo repulso studio primicerii electus est Stephanus IV* 271. *Detruditur in monasterium Romani veniam deprecantur ob invasorem susceptum. Oculi eruuntur Constantino* 272 *et Valdeberto* 274. *Ad concilium vocatus turpiter ejicitur* 277. *Tandem et Christophorus primicerius, ac Sergius a Desiderio rege excæcati* 285.

Constantinus frater Totonis ducis per vim pontifex eligitur 265. Eruuntur illi oculi 273. Ejicitur extra Ecclesiam 277. Ejus ordinationes irritantur 279, 280

Constantinus pater Pauli I 257. Constantinus pontifex Constantinopolim pergit 171, 172. Constantinus IV imperator rapax 136. Constantini filius hæreticus et rebaptizatus 53.

Constantius 27.

Constitutum de Ecclesia 12. De circulo Paschæ 13. Sancti Innocentii I de regulis monasteriorum, et de Judæis et paganis 57. Sancti Cœlestini de Religionibus 62. Sancti Hilari 68. Bonifacii III, de successore ab episcopis viventibus non eligendo 115.

Construere pro instaurare 342.

Consulatus dignitas vacavit anno 441, 91 in notulis Fabrotti. Consules Romæ sive consulares 195, 210. Consul et dux Romæ, postea primicerius 291. Alius, postea monachus 555. Consul septimo sæculo Petronius 119. Consularis Ravennatum 300. Consules Romæ 107, 119, 192, 210. Ætius 61. Æmilianus 26 et alii.

Consultationes ad sedem apostolicam 602.

Contestationes secretæ 82.

Conviare 215.

Coopertorium altaris 152. Coopertoria calicis 574. Coopertorium 164, 166. Cum clavis et faltellis 151. Holosericum 151. Porphyreticum 151. Ruheum 436, Sericum de Tyrio 443. Calicis parvum more Græcorum 574.

Cophini argentei 529.

Corallium 36.

Corana civitas 53.

Cordionis insula in Tarso Ciliciæ 40.

Corona Domini fideles 22 Consecrata 16. Corona a rege Saxorum oblata sancto Petro 575. Coronæ 63, 159, 219, 550, 587, 575. Argenteæ 43, 45, 54, 57, 60. Aureæ 36, 38, 42, 44, 69, 195, 202, 576. Ex palliis quadrapolis 323. Pharales 63, 64, 576. Porphyreticæ 551.

Coronatio Justini Augusti per summum pontificem Constantinopoli peracta 88.

Corpora martyrum 342, sepulta a sancto Eutychiano 28. Eadem a Gothis exterminata 105. Multa sanctorum extracta a cœmeteriis ab Aistulpho rege 249. A sancto Paulo I 259, et collocata in ecclesiis Urbis, *ibid.* Multa sanctorum inventa a Paschale I et recondita in ecclesia sanctæ Praxedis 435. Sanctorum : nempe Abachum 517. Agabiti 517. Anastasii 491, 517. Arthemii 491. Apollonis 517. Aquilini 517. Asterii, et ejus filiæ 491. Audifacis 417. Benedicti 517. Cæciliæ inventum a Paschali I 438. Calepodii 474, Calisti 470. Canidii 517. Carpophori 517. Castorii 517. Claudii 517. Cornelii papæ et mart. 559, 474. Crescentiani 491. Crescentonis 50. Cyriaci 490. Damasi 524. Diogenis 517. Fabiani 491. Faustini 149. Feliciani 128, 388. Felicis papæ et mart. 559, 517. Felicissimi 128, 517. Festi 517. Gorgonii 459. Gregorii 385, 459. Hippolyti 385, 517. Innocentii papæ et confessoris 339, 491. Julianæ 490. Largi 490. Laurentii 342, 379. Leonis episcopi et mart. 342. Leonis I 163, 490. Lucii papæ et mart. 339, 438. Marcelli 517. Marcellini 517. Marii 517. Mauri 491. Maximi 438. Memmiæ virginis 491. Narcissi 517. Nicandri 591. Nicostrati 517. Paulinæ 490, 517. Petri apostoli 58, 103, 112, 316, 599, 423, 451, 507, 543, 550, 555, 572, 611, 643. Primi 128, 588. Priscæ 517. Processi et Martiniani 151. Pudentianæ 517. Quiriacæ viduæ 491. Quirillæ 491. Quirini episcopi 491. Sebastiani 459. Secundini 546. Severi 517. Severiani 517. Siberæli 517. Silvestri 491. Simetri 517. Simplicii 149, 517. Sixti papæ et mart. 451. Smaragdi 491. Sophiæ 491. Superantii 517. Symproniani 517. Theopistes 491. Tiburtii 458, 459. Valeriani 458. Venantii 517, Victorini 517. Urbani 458. Zenonis 435.

Corpora sanctorum, quorum nomina soli Deo sunt cognita, cum aliis notis, simul sub altari recondentur a Sergio II 491. Corpora sanctorum Romæ exterminata a Gothis 99.

Corpus Dominicum ore polluto vexare 55.

Corpus beati Pauli reconditum in ejus basilica 40. Investitum laminis argenteis 321. Corpus Pauli I per tres menses inhumatum 261. Corpus beati Petri reconditum in ipsius basilica 58. Investitum tabulis argenteis deauratis 112.

Corsi exsules confugiunt ad Leonem IV. Conceditur illis civitas Portuensis ad incolendum 558.

Corsica insula 169. Comprehensa in donatione Caroli Magni 518.

Cortina alba 383. Cortina Alexandrina major 417, 383, 399, 400. Cortina Alexandrina cum historiis 449, 461, 492. Cortina fundata cum historiis 470. De fundato et blatthina 415, 417. Major 382, 410, 411. Cortina holoserica cum historiis 516. Major 409. Cortina linea 530, 645, 646. Cum cruce in medio 519. Cortina Tyria 583. Cortinæ 320 et seqq. Albæ holosericæ rosatæ 360. Ex palliis quadrapolis 320, 521, 522, 325. Tyriæ 383. Cortinæ majores 361, 582. De quadruplo 436, 440

Cosmæ et Damiani (SS.) tres fratres 444.

Crescens martyr 30.

Crescentius lector et mart. 25.

Creta 37.

Criminator Probinus 77.

Crispinus sancti Hilari papæ pater 68.

Crocus 39.

Crucicula aurea 614.

Crucifixionis sancti Petri locus 1, 22.

Crucifixus argenteus in basilica beati Pauli 416. In basilica beati Petri 384, 389, 520, 543, 550.

Crucis Dominicæ portio reperta a Sergio papa 162. Eamdem quotannis osculari mos est 162 Cruces argenteæ 368, 411, 460. Præcedentes per ecclesias 571. Aureæ 566. De blatthin, seu de fundato 563. Cruces cum gammadiis 518. Cruces cum orbiculis de chrysoclavo 417. Cum gemmis petalis, etc. 162. Cruces pendentes 198 Cruces septem præcedunt per omnes ecclesias 571.

Crux Domini inventa sub Eusebio papa 32. Sanctæ crucis maximam partem Romæ invenit Sergius papa 162. Crux anaglypha ex auro 589, 550. Crux argentea cum gabatha 409. Crux aurea 38, 40, 69, 165, 165, 366, 428, etc. Crux aurea Belisarii oblata beato Pe

Digitized by Google

tro de spoliis Vandalorum, inscripta *Victoriis Belisarii* 102. Alia a Carolo Magno oblata basilicæ Lateranensi, et subrepta restituitur a sancto Leone IV 502 Crux aurea cum gemmis in basilica beati Petri 102, 526. Crux ante pontificem per subdiaconum de more præfertur 510. Crux aurea gestari solita per subdiaconum ante equum pontificis 509. Crux aurea panoclysta in basilica Constantiniana 394. Crux auro texta 444. Crux de Blatthin 436, 440, 443. De chrysoclavo 360, 566, 367, 416, 418, etc. Diacopton 366. De fundato 361, 263, 390. De olovero 461. De margaritis 384. Crux oblata a Carolo Magno basilicæ Salvatoris 377. Refecta a Leone IV 502. De quadruplo 436.

Cubicula juxta basilicam beatri Petri 412. Eadem ac oratoria 79.

Cubicularii, sive custodes super sepulcra apostolorum 67. Cubicularius Albinus 371. Cubicularius mittitur ab Adriano papa ablegatus ad regem Desiderium 294.

Cubiculum Lateranense 227, 262.

Cumanum castrum Ecclesiæ Romanæ invasum a Longobardis 181.

Cuppa calicum duorum vini 328.

Curæ 477.

Curia 1. Tribunal laicorum 35.

Curtes, id est census 427. Curtes Draconis 478. Galeria 161.

Cusicinus, alias Ursicinus presbyter 57.

Custodes Patrimonii. Vide *Cubicularii*.

Cymbilia episc. seu Vestiarium Ecclesiæ 122.

Cyprianus 22.

Cyreus 85.

Cyriacetis possessio 43.

Cyriacus 52.

Cyriacus pater Joannis V 151.

Cyricues, seu Cyriaca 25.

Cyrinus martyr 30.

Cyrus civitas 39.

D

Dalmatia, seu Istria 124.

Dalmatica 28, 35.

Damasus papa in schismate electus corpora martyrum requisivit, et versibus laudavit : in synodo 44 episcoporum de adulterii crimine se purgavit 54. Jubet psalmos die noctuque cani per ecclesias et monasteria : multisque donis templa exornat, ibid.

Daniel magister militum tempore Ludovici Pii 554.

Dapsilitas, id est abundantia 456.

Dardania 635.

Datio 592.

Debitores jugo servitii oppressi a feneratoribus 258.

Deceptio pro captura 287.

Decimata vini librarum sexaginta 328.

Decius 22.

Declaratum, substant 53.

Decretalis 68.

Dedicatio basilicæ sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi 110. Ecclesiæ sanctæ Agathæ Gothorum in Suburra 113.

Defensor 73, 193. Defensores, Joannes I defensor 171. Anastasius primus defensor 171, 293, 306. Constantinus 193. Gregorius regionarius 297, 298. Petrus 193.

Deliciosus, nomen muneris 309.

Delimpidare 150.

Delphines argentei 36, 38, 44, 348. Vide *Coronæ pharacanthara*. Delphines aurei 551.

Demetria 66

Demetrius præfectianus sive præfectus 82.

Denariorum multiplicatio miraculosa 613.

Depingere pro sculpere 183

Depositus episcopus quomodo restituatur 604, 605.

Desiderius Tusciæ præfectus implorat opem papæ, ut rex Longobardorum fiat, promittens se restituturum ducatum Ferrariæ et Faventiam. Papa ergo Rachi a rege monacho facto imperat ut positis armis ad monasterium redeat 255. Sed promissis, adepto regno, non stetit, ducatumque Ferrariæ papæ abstulit 292. Carolomanni, qui erat Caroli Magni frater, uxor ad eum cum filiis profugit : negat se quidem redditurum papæ, nisi ad se veniat : volebat enim a papa filios Caroli Magni coronari Francorum reges, ut schisma in Francia excitaret totamque Italiam sibi subjiceret 296. Adrianus papa viginti monachos ad eum mittit, rogaturus ne pergat fines Romanorum vastare ; sed nihil impetrant 305, 306. Carolus Magnus mittit et suos legatos cum muneribus, sed frustra 310. Exercitus Desiderii veniente in Italiam Carolo, trepide aufugit, ipseque Desiderius se recipit Papiam. ibid. Papia expugnata Desiderium Carolus capit : et exstincto Longobardorum regno, abducit in Franciam 319.

Desiderius rex Longobardorum 254, 265, 283 et seqq. Ditionem Ecclesiæ vastat 305 et seq. Papiam fugit 311. In Franciam abducitur 319.

Dextera manus pontificis 316, 484.

Dextra saxisca 551.

Diaconi septem constituti a sancto Evaristo, qui custodirent episcopum prædicantem 6. Regionibus dati 21, 29.

Diaconi tres et presbyteri duo episcopum non deserant in omni loco 23. Diaconi lævas tectas habeant de palliis linostimis 59. Diaconi : Agapitus 25. Callixtus 54. Concordius 54. Gemmulus 241. Georgius 171. Chartophylax 143. Lilyanus 57. Magnus 25. Marinus S. R. E. 608, 627, 639. Nicostratus 21, 22. Paulus fr. Stephani III 229, 232. Paulus Ravennatensis Ecclesiæ 544. Paulus sive Saulus 17. Photinus hæreticus 75. Vincentius 25. Vitalis 82. Diaconus dalmatica utatur in ecclesia, et palla linostina levam tegat 35, 59, 69.

Diaconia 332, 337. Sancti archangeli 445. Diaconia ecclesia, et basilica eadem ædes sacra vocatur 464. Diaconiæ tres extra portam beati Petri constitutæ ab Adriano I 229, 337. Duæ ante Adrianum ætate Stephani III 229. Diac. antiqua S. Mariæ 389, 391. Cosmæ et Damiani 346. Cyri 466. In gyro 587. Adriani 346. Mariæ Scholæ Græcæ, dictæ in Cosmedin 341. In via Lata 387. Memorantur diaconiæ XIV 404.

Diaconii ordo 257.

Diaconissæ sub Leone III occurrunt cum cæteris Carolo Magno ad pontem Milvium 372.

Diadema aureum 193.

Diagrapha, seu capita 136.

Dialogi sancti Gregorii Græce translati 226.

Digitiæ aureæ 471.

Diluvium in Italia 112.

Diocletiani persecutio 30.

Diœceses 26. Orientis 39.

Dionysius papa monachus 26. Dionysius diaconus 24.

Dioscorus hæreticus 66, 68. Schismaticus 91, 94.

Diptycha ecclesiarum 145. De diptychis abrasa nomina hæreticorum 145.

Dispensatio diaconiæ 351.

Distinctio graduum in clero 10.

Divisio in regno Francorum intentata a Desiderio 295.

Domnus 101, 257, 262, 292, etc.

Domocultæ 218.

Domucella 547.

Domuncula Vicensæ 39.

Domus Albini deprædata 370.

Domus Bonifacii IV erecta in monasterium 116. Domus Palmati 63. Domus Datiani 39. Emeriti 58. Gregorii I constructa in ecclesiam sanctæ Agathæ 183. Juxta gradus eccles. beati Petri 412, 554. Leonis III direpta 570. Leoniana 591, 605. Lucina, facta titulus 31. Magna aurea Constantinop. 628. In patriarchio Lateranensi constructa a Nicolao I 611. Placidiæ 141. Pontificia in curte Draconis 478. Alia in curte Galeria, ibidem Leonina 590, 605. Culta sanctæ Cæciliæ 223. Sancti Edistii 218, 221, 328, 334, 343. Cultæ habebant fundos, casalia, vineas, oliveta, aquæmolas 327. Cultas ecclesiarum nulli liceat, etiam pontifici, quoquomodo alienare 225.

Dona maxima Constantinus Magnus contulit in Ecclesiam Romanam, multasque basilicas intra extraque Urbem variis fundis, possessionibus et ornamentis ditavit 36 et seqq.

Dona Belisarii beato Petro 103. Clodovei regis Ecclesiæ Romanæ 85. Justini Augusti 85, 89. Justiniani Augusti 93. Regis Saxonum 575. Theodorici regis 89. Theophili imperatoris Constantinop. 574. Deo oblata 12.

Dona varia oblata ecclesiis et monasteriis urbis Romæ ac etiam aliarum civitatum a summis pontificibus sancto Damaso 54. Sancto Innocentio 57. Sancto Bonifacio 61. Sancto Cœlestino 62. Sancto Sixto III 64. Sancto Leone 67. Sancto Hilaro 69, 70, 71. Sancto Simplicio 72. Sancto Symmacho 79, 80. Sancto Hormisda 86. Sancto Joanne 89. Honorio 100, 119, 120. Joanne IV 124. Theodoro 128. Benedicto II 151. Sergio 162, 163. Joanne VI 165. Joanne VII 166. Sancto Gregorio II 178 et seqq. Sancto Gregorio III 194 et seqq. Sancto Zacharia 218 et seqq. Sancto Paulo 261. Sancto Adriano 320 et seqq. Stephano V 428 et seqq. Paschali 431 et seqq. Eugenio II 452. Gregorio IV 234 et seqq. Sergio II 491 et seqq. Sancto Leone IV 491 et seqq. Benedicto III 567 et seqq. Nicolao I 581. Adriano II 618 etc. Stephano VI 646 et seqq. Dona oblata Romanæ Ecclesiæ ab imperatoribus, regibus et principibus. Vide *Imperatores. Dona oblata ab Anglis Ecclesiæ divi Petri Romæ, 601 et seqq.*

Donatio Pippini regis 254.

Donationem in scripto dedit Pippinus de restituendis Romanæ Ecclesiæ quamplurimis civitatibus, quæ nominantur 253. Eamdem postea Carolus Magnus novis litteris confirmavit et ampliavit 318.

Donatio Caroli Magni ad favorem Ecclesiæ 518, 519. Constantini VI Copronymi 220. Donationes regum Longobardorum ad favorem Ecclesiæ : Aistulphi 252, 253. Aritperti 168. Luitprandi 179, 209.

Donum aromaticum 36.

Donus magister militum 125.

Drogo archiepiscopus Metensis Lotharii imperatoris legatus venit Romam 483.

Drogo archiepiscopus Metensis contra pontificem 486. Resipiscit 487.

Ducatus Auximanus 313. Anconita-

Digitized by Google

nus 313. Beneventanus 191. Comprehensus in donatione Caroli Magni 318. Ferrariæ 256 sive Comaclium 294. Firmanus 313. Perusinus 285, 308. Romanæ urbis 175, 186, 207. Pentapolitanus 161. Neapolitanus 181, 184.

Duces in Italia se in libertatem asserentes creati 184. Dux Clusinus 211. Spoletinus 293, 371. Ariminensis 282. Eburæ regiæ 293. Venetiarum 302. Duces, etc. 110, 211, 238, 183, 175, 184, 182, 187, 288, 560, 621, 301, 175, 242, 110, 180, 265, 293, 206, 263, 267, 293, 621, 370.

Dulcitium, locus, 406.

Duplex, id est mala intentio 558.

E

Ebbo archiepiscopus Rhemensis a Sergio papa Romæ petens reconciliari Ecclesiæ, repulsam passus est 488. *Sed admittitur ad communionem laicorum, ibid.*

Ecclesia prima Romana 72. Jus habet judicandi de aliis, et nulla de ipsa 656. In Ecclesia qua religione versandum sit 644, 645. Ecclesia Romana, forte basilica Salvatoris 72. *Ecclesia Romana.* Vide *Romana Ecclesia.* Ecclesia, hoc est capella, sive confessio 321, 323. In *Ecclesia orationes factæ cur gratiores Deo : et qua religione in templis, vel ecclesiis versandum* 644, 645. Ecclesia major, sive tota ecclesia distincta a confessione 323. Ecclesia Gothorum in Suburra 115. In Ecclesia militare, aut proficere, idem est ac ad ordinem episcopatus ascendere 35. De ecclesia nemo trahatur 118. Ecclesiæ divisæ presbyteris 26. Ecclesiæ beati Petri gradus omnes sigillatim Carolus Magnus deosculatur, 316. Ecclesiæ sanctorum Petri et Pauli nudatæ ornamentis ob metum Desiderii regis 308. Deprædatæ a Saracenis 495.

Ecclesiam asylum esse voluit Bonifacius V, ut ex ea nemo vi extrahi possit 118. *Ecclesias vel basilicas multas tum Romæ, tum alibi exstruxerunt Romani pontifices, monasteria item, xenodochia, cœmeteria, et alia. Sanctus Pius papa* 11. *Sanctus Calixtus* 17. *Sanctus Fabianus* 21. *Sanctus Felix* 27. *Sanctus Silvester* 34 *et seqq. Sanctus Marcus* 49. *Sanctus Julius* 50. *Sanctus Liberius* 51. *Sanctus Damasus* 59. *Sanctus Anastasius* 56. *Sanctus Zosimus* 59. *Sanctus Bonifacius* 60. *Sanctus Cœlestinus* 62. *Sanctus Sixtus III* 64 *et seqq. Sanctus Leo* 67. *Sanctus Hilarus* 69, 70. *Sanctus Simplicius* 72. *Sanctus Felix* 73. *Sanctus Gelasius* 74. *Sanctus Symmachus* 79, 80. *Sanctus Hormisda* 86. *Sanctus Joannes* 89. *Pelagius* 109. *Sanctus Gregorius I* 113. *Honorius* 119, 120. *Joannes* 124. *Donus* 139. *Sanctus Leo II* 150. *Benedictus II* 152, 153. *Sergius* 162. *Joannes VII* 167. *Sanctus Gregorius II* 178 *et seqq. Sanctus Gregorius III* 194 *et seqq. Sanctus Zacharias* 218 *et seqq Stephanus III* 234 *et seq. Sanctus Paulus* 259 *et seqq. Sanctus Adrianus* 320 *et seqq. Sanctus Leo III* 359 *et seqq. Stephanus V* 428 *et seqq. Sanctus Paschalis* 431 *et seqq. Sanctus Gregorius IV* 459 *et seqq. Sergius II* 489 *et seqq. Sanctus Leo IV* 498 *et seqq. Benedictus* 63, *etc. Sanctus Nicolaus* 581 *et seqq. Stephanus VI* 649, 650.

Ecclesiæ et basilicæ Abba Cyri et Archangeli ad Elephantum 403. Agnetis via Numentana, basilica 42, 80, 119, 388, 605. Dicta basilica beatæ Emerentianæ 350. Apostolorum ad Vincula, Eudoxiæ, dicta templum, et ecclesia 343. Archangeli, diaconia 387, 404, 411, 421, 445. In Septimo, basilica 588. In vico Patricii, basilica 388. Oratorium 446. Christophori Ravennam versus 213. Abdon et Sennen. basilica et cœmeterium 345. Æmilianæ titulus 403, 408, 566. Agapiti Præneste, basilica 387, 415, Agapiti foris muros, juxta sanctum Laurentium basilica 73, 341, 424. Agathæ diaconia 388, 404, 422. Super Suburram 393. Agathæ via Aurelia, basilica 71. Agathæ Transtiberim 183. Agathæ in domo Gregorii II 183. Anastasiæ titulus 360, 383, 403, 467, 619. Anastasii martyris basilica 334, 593. Andreæ Eudoxiæ 402. Andreæ ad sanctum Petrum 79, 119, 166, 197, 284, 321, 363, 393, 397, 400, 423, 525, 541. Andreæ cata Barbara Patricia, basilica 72, 413. Andreæ via Appia in Silice, sita in tricesimo 380. Angeli in Fabiano 384. Apollinaris 402, 388. Ecclesia 332. Apollinaris in portico beati Petri, basilica 119. Apollinaris, juxta Ravennam, basilica, 213, 420. Apostolorum foris portam Appiam in Catacumbis 343. Apostolorum via Ostiensi 139. Philippi et Jacobi, basilica 109, 110. In via Lata 324, 331, 402, 411, 418, 469, 648. Dicta ad apostolos 650. Habebat porticus in circuitu 324, 331. Aquilæ et Priscillæ titulus 402. Archangeli in cacumine montis Gargani, basilica 489. Archangeli in vico Patricii, basilica, 588. Aureæ ad ostium Tiberis 163, 391, 523. Balbinæ, titulus 402, 413. Basilica 469, 559. Basilidis mart. in Merulana, basilica 415. Bibianæ 72. Bonifacii confess. et pontif. via Salaria 345. Cæciliæ 104. Titulus 383, 403. Renovatur 436, 446, 449, 469. Cæsarii Terracinæ 530, 531. Sancti Cæsarii oraculum, sive oratorium in palatio patriarchii Lateranensis 158. Calixti. Vide *Sancta Maria Transtiberim.* Caudidæ basilica, ubi etiam cœmeterium 345. Sanctæ Cæciliæ oratorium via Tiburtina ad quintum lapid. 224. Chrysogoni 196, titulus 387, 403, 468, 569. Clementis basilica 565, 531, 536, 547. titulus regionis tertiæ 333, 402, 422, 465. Clementis Velitris 387. Constantiæ 605. Constantiniana basilica. Vide *S. Joannis Lateran.* Cornelii basilica, juxta cœmeterium Calixti 67. Cosmæ et Damiani in Silva Candida 509, 510. Juxta templum urbis Romæ basilica 90, 163. Diaconia 346. In Tribus Fatis 325, 343. Basilica 379. Diaconia 404. Basilica 413. Ecclesia 443, 451. Basilica 458. Ecclesia 463. Crucis, dicta Hierusalem, basilica, in palatio Sessoriano 41, 182, 342, 386, 402, 529. Dicta Hierusalem in Susurrio 649. Cyriaci via Ostiensi 120, 422, 569. In Thermis titulus 339, 384. Basilica 421, 446, 467, 571, 572. Damasi. Vide *Laurentius.* Dionysii pontificis et confessoris, basilica, 568, 579, 582. Ecclesia Edisti extra Urbem 333. Equitii titulus 34. Eudoxiæ 584. Eugenii basilica 167, 344, 347, 388. Euphemiæ basilica 163, 388. Tyburi 74. Via Appia 139. Eupuli 342. Eusebii tit. 226, 383, 403. Basil. 342, 466, 584. Eustachii diac. 384. Basil. 463. Felicis et Adaucti, juxta S. Paulum 361. Foris portam Portuen. 345. in Pineis, alias in Pincis basilica 324, 569. Via Aurelia. Felicitatis basilica 80. Genesii 199, 201. Georgii Diac. 150, 224, 368, 387, 404, 419, 464, 472, 475, 478. dicta Sebastiani et Georgii 150. Gervasii et Protasii tit. Vestinæ 57. Fundis 550. Gordani et Epimachi basilica 343. Gothorum in suburra 115. Adriani martyris in Tribus Fatis 120, 465. Basilica 325, 341, 346, 463, 503. Diac. 346, 357, 387, 404. Helenæ basilic. 325, 429. Hermetis, Proti et Hyacinthi 345. Antii 60. Hierusalem. Vide *S. Crucis.* Hippolyti in civitate Portuen. basilica 385. Hyacinthi in Sabinis basilic. 389. Januarii martyris ad portam beati Laurentii basilic. 336. Joan. Baptistæ (evang.) juxta portam Latinam 343. Joan. Baptistæ in civitate Albanensi 46. Joannis et Pauli tit. Pammachii 80, 94, 347, 380, 403, 422. Joan. Lateranensi. dicta basilica Constantiniana Salvatoris juxta Lateranas, juxta patriarchium et episcopium Lateran. 36, 37, 69, 73, 76, 86, 91, 110, 131, 136, 154, 156, 162, 196, 227, 268, 277, 283, 316, 322, 338, 340, 349, 351, 364, 365, 378, 381, 384, 386, 391, 405, 408, 412, 415, 441, 475, 478, 489, 502, 564, 565, 567, 581, 591, 644, dicta Ecclesia Romana 72. Joan. Evang. prope Constant. 629. Julii basilica 91, 92. Laurentii et Damasi tit. 387, 403, 415, 462. Basilica 394. In Formoso basilica 33, 383, 385, 387, 403. Ad Taurellum basilica 324. Lucinæ basilic. 164, 151, 341, 368, 387, 403, 467. Super S. Clementem in reg. 3, 235. Vide Baron. ad ann. 753. Foris muros basilica 43, 64, 70, 71, 80, 89. Ampliatur a Pelagio II 112, 178, 323, 331, 333, 342, 351, 354, 362, 379, 383, 386, 465, 526. Infra civitatem Tyburtinam basilica 389. Leonis Leopoli 550, 553. Luciæ 384, 471. In septem Viis Diacon. 384, 404, 471. Juxta sanctum Sylvestrum 120. In Orphea Diac. 384, 404, 413. Basilica 464, 503. Leucii mart. Via Flaminia 344. Basilica 559, 561. Marcelli in quartodecimo 391. Via Lata tit. 345, 384, 403, 469. Basilica 478, 649. Via Salaria in cœmet. Priscillæ 108. Marcellini et Petri juxta Lateranas 202. Marci Mart. tit. 403. Marci via Appia 202. Marci 166, 181. Vicina domui Adriani I 291. Habebat porticus in circuitu 323, tit. 346, 357, 387. Basilica 356, 460, 568, et seqq. 465, 613. Marci via Appia basilica 203. Marciani in Balnearola 547. Maria in Adriano Diac. 401. Mariæ antiqua nunc nova 592. Mariæ in Aquiro diac. 201. In Blachernis 141. In civitate Anagnina 536. In civitate Portuen. basilica 531. In Cosmedin vide *Scholæ Græcæ* 341. In Cyro Diacon. 401, 529. In Dominica Diac. 379. Basilica 391, 396, 401, 417, 450. Renovata a Paschali I 436, infirmis oratorium 385. In Fonticana 362. In Frascata 529. Ad sanctum Laurentium foris Muros 518, 525. Basilica 528, 536, 540. Majoris, juxta Marcellum Liviæ dict. basilica Liberii ad Præsepe, et simpliciter 52, 58, 76, 80, 89, 132, 134, 136, 196, 202, 204, 227, 233, 235, 318, 321, 322, 323. Dicta basilica Major 335, 341, 349, 352, 353, 361, 377, 379, 383, 386, 391, 396, 400, 409, 411, 412, 415, 417, 419, 423, 424, 446, 447, 448, 450, 455, 465, 471. Dicta Major 490, 503, 508, 567, 581, 604, 612, 613, 646. Sancta Maria ad Præsepe. « Intus Præsepe fecit vestem de alytino (Leo III) 383 et 405. Cum chrysoclavo (Præsepe S. D. nostræ Mariæ restauratum a sancto Paschali I 435, in cod. Reg., Maz. et Th.) Altare Præsepii dictæ basilicæ (seu confessio) ornatum aureis anaglyphis a Paschali I 450. Sanctæ Mariæ in Manturiano 649. Ad Martyres 151, 200, 212, 274, 331, 357, 379, 401, 417, 464. Basilica 478. In Manturiano 649. Infra monast. Corsorum 509. In Moronico 529. Foris portam sancti Petri diac. 401, 417. In Savinis 451. Scholæ Græcæ in Cosmedin. diac. 341, 379, 401, 417. Basilica 466, 581, 584, 593, 601. Supra scholam Saxonum 541, trans Tiberim tit. Calixti 17, et in marg. basilica 198.

Digitized by Google

Titulus 383, 384, 399, 469, 466, 468. Dicta Calixti et Cornelii 471, 472, 473, 528, 568, 569, 572, 592, 600. Sanctæ Mariæ supra scholam Saxonum 541. Sanctæ Mariæ juxta sanctum Laurentium extra muros 528. Mariæ via Lata diac. 401, 468, 466, 568, 583. Via Laurentina 74. In Vico Sardorum milliario 30 ab Urbe basilica 499, 559, 541, 553. Mariæ in Æmilia, sive in via Aurelia 547. Calixti 396. Dicta antiqua basilica 167, diac. 341, 461, 469. Juxta viam Sacram 568, 569, 595. Martini juxta beati Petri diac. 404, 494, 541. Martinæ dicta altare 325. Basilic. 357, 413. Eccl. 367. Martini et Silvestri juxta Thermas Trajanas 80 tit. 341, 388, juxta Orphea 535, 404, 480, 482, 490, et seqq. diac. 408, 465, 475. Mennæ basilica 361, 443. Michaelis archangeli basilic. 80. In monte Gargano 490. Nerei et Achillei diac. 579, 404. Renovata 424. Nicandri et Eleutherii via Lavicana 74. Nicolai dicta etiam oratorium 519. Nicomedis foris portam Numentanam 350. Nymphes in civitate Portuen. 510. Pancratii basilica 79, 120, 323, 332, 341, 379, 383, 402. In episcopio Albanen. 420. Pauli juxta sanctam Bibianam 149. Conventus in territorio Orbetano 585. Via Ostiensi basilica 40, 61, 67, 70, 79, 80, 86, 89, 166, 178, 203, 235, 264, 385, 317, 321, 322, 331, 338-340, 349, 350, 351, 355, 363, 376, 378, 382, 385. Terræmotu concussa renov. 380, 386, 390, 393, 394, 398, 400, 401, 414, 416, 425, 466, 472, 495, 499, 547, 568, 570, 571, 573, 582, 584, 593, 612, 644, 647. Peregrini ad S. Petrum apostolum in Naumachia 459. Petri ad Cœlum Aureum Ticini 214, 215. Sancti Petri et Pauli basilicæ a Saracenis direptæ rursus ornantur donis a sancto Leone IV 500. Sancti Petri et Pauli, et sancti Joannis Baptistæ in civitate Ostiensi 45. In Maruli 529. Ad Vincula 77, tit. Eudoxiæ 383, basilica 428. Dicta apostolorum ad Vincula 343, 468. In Naumachia 412. In massa Merulana basilica 343. Via Appia in Silice basilica 343. Via Ostiensi juxta Campum Meruli 158. Via Tiburtina in fundo Pacinlano 80. In Vaticano basilica 38, 67, 70, 73, 78, 80, 86, 89, 114, 119, 136, 151, 159, 162, 163, 202, 201, 218, 219, 220, 222, 228, 235, 239, 285, 317, 320, 322, 332, 335, 357, 340, 353, 357, 360, 364, 365, 372, 374, 375, 376, 378, 382, 384, 389, 392, 393, 396, 398, 399, 401, 410, 414, 416, 417, 419, 425, 424, 431, 432, 434, 438, 442. in Centumcellis 414, 450, 459, 464, 475, 481, 496, 495, 498, 500, 501, 503, 506, 507, 511, 514, 516, 518, 520, 525, 526, 528, 529, 550, 551, 540, 542, 545, 545, 546, 547, 551, 552, 553, 561, 566, 570, 571, 572, 575, 579, 582, 584, 593, 600, Frascatæ 602, Leopoli. 550, 553. Petri et Marcellini inter Duas Lauros 44. Cum porticibus 572. Petronillæ ad beatum Petrum basilica 344, 575, 541, Philippi et Jacobi apostolorum 109, 648. Praxedis tit. 344, 405. Rerum a Paschale I non multo longe a priori 434. Priscæ tit. 325. basilica 567. Processi et Martiniani 199. Pudentianæ in vico Patricii 12, tit. Pudentis 313, 405, 424, 467, 649. Quatuor coronat. 120, tit. 353, 384, 386, 495, 497, basilica 498, 501, 505; refecta a Leone IV 517, 519, 526, 556, 559, 540, 541, 545, 551, 640, 641, 648. Romani mart. extra portam Salariam sit parochia sub tit. sancti Sylvestri et Martini 490. Rufinæ et Secundæ in episcop. Silvæ Candidæ basilica 343, 550. Sabinæ basilica 65, tit. 361, 379, 585, 586, 408, 419. Habitatio Eugenii II 452, in Territorio Ferentinello 353. Salvatoris. Vide *Joannis Lateran.* Saturnini via Salaria basilica 90, 345, 459. Sebastiani et Georgii juxta Velum Aureum 149. In Frascata basilica 515, 528, 571. Secundini Præneste basilica 346. Sergii et Bacchi diac. basilic. 354, 384, 404, 465, monast. 570, ad sanctum Petrum Diac. 201. Severini juxta Tybur 120. Silvani mart. 345. Silvestri monialium 368. Silvestri et Martini 490, 491. Silvestri in monte Soracte 463, 506. Monast. 649. Juxta beati Petri diac. 404. Vide *Martini* Sancti Sinzigii in civitate Blerana 536. Sixti titul. 341, 587, 403, 467. Sophiæ major eccl. Constan. 83, 146, 631. Stephani juxta basilic. beati Laur. basilic. 72, 542, in monte Cælio bas. 72, 128, 136, 532, 347, 388, 402, 419, 465, 526. Stephani via Latina basilica 66, 415. Est Stephani Papæ et mart. 518. Susannæ basilic. dicta inter duas Domus 165, tit. 359, 566, 405, 419, 467. Theodori diac. 587, 404. Intra Velum dicta basilica 343, in Sabello 428. In Coranis finibus basilica, 490. Thomæ apost. via Appia 343. Tiburtii, Valeriani et Maximi 345. Valentini Interamnæ 209, 211, mart. via Flaminia 128, 151. Foris murum 402, basilica 325-332, 379, 414, 469. Venantii Anastasii, Mauri juxta fontem Laterani 124, 270. Vestinæ 157, 592. Vincentii et Anastasii. Vide *Anastasius.* Ad Vincula beatorum apostolorum 465. Vincentii in Frascata 541. Vitalis tit. 362, 403, 421, 467, 592. Viti diac. 388, 404. Urbani via Appia 345. Zenonis basilic. 345. Oratorium 454.

Eclipsis lunæ 141, 150.

Ecthesis, executio 130.

Electio pontificis, et libera est a suffragio, vel exspectatione legatorum principum 614, 615. Ab episcopis, Clero et proceribus 566, 579. Electio Leonis IV 497. Electiones contentiosæ pontificum 51, 54, 60, 77, 91, 97, 156, 158, 257, 265, 269.

Eleemosyna pro pauperibus et peregrinis eroganda de patriarchio 226. Eleemosyna quotidiana assignata ab Adriano I centum pauperibus in patriarchio Lateranensi 328. Eleemosynis multo melius visitantur pauperes a pontifice quam corporali præsentia 227.

Elephantus 387.

Eleutheria 106.

Eleutherius patricius et cubicularius 117.

Eligendus in papam nullus qui ab ostiario usque ad gradum episcopalem non ascenderit 109. Eligendi pontificis licentia 115. Eligitur pontifex Gregorius III dum funeri decessoris assistit 190.

Emeritus nomen viri 58.

Eminentissimus magister militum 554.

Ennafodius, adject. 465.

Epiphanius gloriosus a secretis 140.

Epirus nova et vetus papæ olim subjecta jure sedium 633.

Episcopatus in Africa revocatus 84. Ad episcopatum ascendentis gradus et qualitates 35.

Episcopi imbecilles 35. Episcopi tres, Portuensis, Albanensis et Prænestinus consecrant Constantinum pseudo-pontificem 265. Episcopi XII missi Romam ad concilium a Carolo et Carolomanno 276. Episcopi contumaces in Romanam Ecclesiam tempore Sergii II 486. Episcopi missi a Lothario et Ludovico impp. ad concilium Romanum 544. Episcopi evocati ad sedem apostolicam non sunt suscipiendi sine formatis 8.

Episcopo ubique adesse debent duo presbyteri et tres diaconi 23. In episcopos ordinandi nequaquam sunt laici, sed clerici, quique per gradus Ecclesiasticos ad honorem illum ascenderint 29, 109, 278, 279.

Episcopi, archiepiscopi et patriarchæ, Æmilienses episcopi 591. Africæ 81. Albanus Eustachius 264, 284. Innominatus 563. Alexandriæ Joannes catholicus 74. Petrus Eutychianista 72, 73, 74, 82. Theophilus 15. Altinæ sive Alticinæ Petrus 77. Anagninus Nicolaus 558. Rodoaldus 586, 595, 596. Zacharias 616. Anconitanus Leopardus 635, 639. Antiochenus patriarcha Macharius 147, 148. Theophanius, sive Stephanus 145 et in notulis Fabrotti. Aprusiensis Sisimundus 486. Aquensis Odelvertus 486. Aquilegiensis archiepiscopus Innominatus 164. Aretinus Petrus 544. Balneoregiensis Romanus impius 562. Bergomensis Hagano 507, 599. Britanniæ Berechyaldus, sive Berectualdus 164. Brixiensis Nottingus 544. Cæsareæ Cappadociæ Joannes Metropolitanus 624. Cæsareæ Palestinæ Theophilus 15, in marg. Camensis Almaricus 486. Camerinensis Fratellus 486. Capuanus Germanus 85. Caralitanus archiepiscopus Cisonatus 155. Carthaginensis Cyprianus 22. Innominatus 92. Coloniensis archiepiscopus Guntherus 597, 598. Concordiensis Torringarius 486. Consignensis, sive Consentinus Innominatus 210. Constantinopolitanus Acacius 72, 73, 74, 82, 83. Anastasius Iconomacus patriarcha 195. Anthimus hæreticus 95, 96, 100, 106. Cyrus patriarcha 172. Georgius patriarcha 142, 143. Germanus patriarcha 192. Menna 96, 142. Ignatius patriarcha 585, 594, 595, 610, 623, 637. Joannes 83. Paulus patriarcha 129. Ejus impietas 130, 131. Petrus Patriarcha 134. Photius neophytus invasor sedis 585, 594, 610, 623 et 629. Pyrrhus patriarcha ad limina apostolorum 127. Relapsus condemnatur 127. Cretensis Basilius 145. Eporediensis Joseph 486, 544. Eugubinus Arsenius 558. Ferentinas, vel Florentinus Bonus 109. Fesulanus Donatus 486. Firmanus Grisus 486. Frisonorum Clemens 164. Gavensis Petrus 615. Gradensis archiepiscopus Antonius 192. Græciæ metropolitanus Methodius 585. Lunensis Ambrosius 486. Mediolanensis Benedictus 174. Angelbertus 486. Dacius 100 Metensis Drogo 483, 486, 487. Metensis, sive Mesenus Peregrinus 82. Neapolitanus Ursicinus 54. Stephanus ex laico 277. Neperinus Stephanus 617. 626. Nucerinæ, sive Nuceriensis Laurentius 76, 77. Racipertus 485. Numentanus Vilerianus, sive Villasius 241. Ostiensis Andreas 150. Donatus 608, 615, 626. Georgius 241. Innominatus 565. Episcopus Ostiensis pallio utitur 49. Papiensis Liutardus 589. Vide *Ticinensis.* Paternensis Abundantius 140. Perusinus Joannes 100. Pinnensis Amadeus 486. Pisensis Joannes 486. Pistoriensis Gausprandus 486. Placentinus Leufredus 606. Polimartiensis Paulus 603, 608, 609, 639. Prænestinus 265. Portuensis Citonatus, sive Citomalus 264. Formosus 608, 609, 639. Georgius 171. Innominatus 566. Joannes 146. Legatus sedis apostolicæ, 145, 150, 161. Radualdus 559. Zacharias 586, 595, 596. Ravennæ Damianus archiepiscopus 164. Felix 170. Gregorius

Digitized by Google

486. Joannes 192, 344, 586 et seqq. Leo 285, 284, 293, 296, 302. Marcus 149. Michael intrusus 282, 283, 284. Reparatus 139. Sergius 277, 283. Theodorus 140. Regiensis Sigifridus 486. Regitanus, sive Regianus Joannes 140. Rhemensis archiepiscopus Hincmarus 604. Rufinæ et Secundæ Valentinus 105. Sardiniæ episcopi 81. Scholanensis Pico 486. Senensis Cantio 483. Signiensis Jordanes 287. Spoletanus Petrus 544. Suessionensis Rothadus 604. Sylvæ Candidæ Gregorius 282. Leo 615. Nicetas 171. Tarvisiensis Dominicus 659. Texsiensis Lupus 486. Ticinensis Ennodius 82. Joannes 641. Treverensis archiepiscopus Theutgardus 597. Depositus 598. Restituitur 616. Trivensis Dominicus 609, 616. Tudertinus Agatho 559. Turritanus Novellus 155. Tyburtinus Theodosius 282, 308. Velitternensis Placentinus 150. Velitrensis Innominatus 617. Vercellensis Nortchaudus 486. Veronensis Aginus, *ibid.* Viennensis in Gallia Narbonensis archiepiscopus Vulcarius 205. Volaterranus Petrus 486.

Episcopi quorum diœceses non exprimuntur. Arnus archiepiscopus 573. Bartilius archiepiscopus. Benedictus vicedominus 212. Bernardus 373. Bonifacius 178. Castus 24. Conibertus 373. Demetrius 93. Ebbo archiepiscopus 487. Epazius sive Hypatius 93. Flavus electus 373. Flavianus 66. Georgius Caroli Magni missus 309. Hatto 373. Hildivaldus archiepiscopus capellanus Caroli Magni 371, 373. Honorius 24. Joannes 544. Maio 560. Nicolaus 541, Pandulphus 396. Petronacius 544. Petrus Illyricus cardinalis 65. Pontianus 20 Rodigandus, sive Rothigandus, 258. Samuel Græcus 585. Tesse 373. Theodorus vicedominus Constantini papæ 270, 272. Theophilus Græcus depositus 585. Vitalis 73. Zacharias 640.

Episcopi dextra lævaque ad basilicam beati Petri 78. Episcopus Albani pro Benedicto III 563. Episcopus Carthaginensis omnia faciat cum consilio sedis apostolicæ 92. Episcopus Ostiensis utitur pallio 49.

Episcopium Albanense combustum, restauratum 420. Lateranense 121, 131, 156. Deprædatum 123. Vide *Patriarchium*. Ad sanctam Mariam, quæ dicitur Antiqua, constructa ab Joanne VII 167. In Savinis 451. Sepultura 5. Episcopia 79.

Epistola Clementis ad Jacobum 4. Synodica patr. Const. rejecta 154. Vigilii papæ ad Mennam patriarcham 142. Epistolæ decretales 4. Epistolæ sancti Hilarii 68. Epistolæ catholicæ beati Clementis 4. Beati Petri 1. Leonis I 66. Nicolai I 610. Pontificiæ ab imperatore osculo excipiuntur 628.

Epistylia marmorea 65.

Equester id est dispensator 613.

Equi pontificii frenum a Ludovico imperatore per multum spatium trahitur 580.

Equitatio papæ recens creati 563.

Equitius presbyter ejusque titulus 34.

Ergastuli 617.

Erudire clerum 119.

Esca usualis nulla a Christianis repudietur 14.

Esium, sive Æsium civitas 233.

Etherius Caroli Magni capellanus 318, 319.

[*Eucharistiam aliis porrigente sancto Martino papa, spatharius, qui cum occidere ad altare conabatur, cruciatur divinitus* 152.]

Eugenii II liberalitas 452.

Eugubina ecclesia 550.

Eugubium 253, 303.

Eugumenus patriarchalis, Theogristus 627.

Eulalius ordinatur pontifex contra Bonifacium I 60.

Euphratensis provincia 39.

Eusebius Nicomediensis 53.

Eutiches 66, 68.

Eutychius patricius 185.

Evangelia aurea 85, 155, 200, 330 331, 353, 377, 393, 574. Argentea 411, 569, 572. Cum blatthin 445. Evangelia quotiescunque recitantur sacerdotes ne sedeant, sed curvi stent 56. Evangelia testimonio sancti Petri firmata 1. Evangelium Marci quomodo dicatur scriptum a beato Petro 1.

Exactiones impositæ a Constante Imperatore 136.

Exaltationis sanctæ crucis dies 162.

Exaphori 569.

Exarchatus Italiæ 121, 131. Exarchatus civitatis 240. Exarchatus Ravennæ 293. Comprehensum in donatione Caroli Magni 318.

Exarchi : Eutychius eunuchus 194, 212. Joannes judex reipubl. 117. Joannes Platyn 157. Ejus rapacitas 159. Joannes Rizocopus 171. Isacius 121, 122, 125, 126. Olympius 131. Paulus 183, 185. Romanus 113. Theodorus Calliopa 127, 138, 156. Theophilatus 165. Exarcho aut patricio veniente quinam occursus Romæ fieri soleret 315. Exarchus quomodo suscipiebatur a pontifice 315.

Excellentiæ titulus 275, 276.

Excellentissimus 156, 212 et sæpe.

Excommunicatus a summo pontifice archiepiscopus quomodo evitetur 589.

Exconsules : Agapitus 87. Albinus senator 107. Basilius 107. Citheus vel Thecheus 107. Faustus pro Ecclesia 78. Festus caput senatus contra Ecclesiam 78. Importunus 87. Probinus senator contra Ecclesiam 78. Theodorus 88.

Exdiaconus Leontius 145.

Exercituales viri 247.

Exercitus Lotharii vastat agrum Bononiensem 483. Exercitus Ravennas vim vi repellens de manu Zachariæ protospatharii Justiniani II imperatoris eripit Romæ Sergium papam 161.

Exhilaratus dux Neapolis 184.

Eximietas 253.

Exorcista 35.

Exornare, pro nudare ornatu 308

Ex-patriarcha Theodorus 144.

Extraticus, sive straticus Sergius Siciliæ 193. Theophilus Carausianorum 170. Theodorus patricius 171

F

Fabricæ in cœmeteriis ceptæ 21.

Fabricare portas, hoc est muro claudere 306.

Facere pro reficere 63, 119, 120.

Faces pro *lampades* 435.

Falisca civitas 41.

Fames universalis 100. *Per Italiam, qua et mulieres filios suos devorarent* 107. Fames Romæ 107, 111, 114. Per tres annos 170.

Familia beati Petri apostoli renovata 119. Familia patrimonii 157.

Fanum 256.

Faralis, adject. 63, 64.

Fasciola 73.

Fastelli 151.

Fastigium argenteum 36. In basilica Constantiniana 65 et 307 in var. lect.

Faventia 256, 293.

Felicissimus diaconus et mart. 25.

Felicitas mart. 60.

[*Felix II papa eo quod Constantium filium Constantini declaravit hæreticum occiditur, et fit martyr* 55.]

Felix sancti Felicis papæ III pater 73.

Fenestræ metallinæ 382. Vitreæ diversi coloris 382, 408, 572. Fenestræ ex metallo Cyprio 381, 382, 408.

Fermentum 55, 56.

[*Ferrariæ integer ducatus ab Aistulpho et Desiderio Longobardorum regibus, urgente Pippino et Carolo Magno, restituitur pontifici Romano* 236, 294.]

Ferrata carcer teterrimus 274.

Fervoris auctoritas, id est vis caloris 262.

Festa sanctorum instituta Romæ a Gregorio III 194, 204.

Fibulatoria 195. Majora et minora 551.

Ficuclas, nunc Cervia 126 in notulis Fabrotti.

Fidei expositio 174.

Fidelitas imperatoris Lothario promissa 487.

Fidenæ urbs 42.

Figura Salvatoris 218.

Filium Tyrium 265.

Filius a baptismo 1.

Fiscus 43.

Flammula 267.

Fomitem pollere nobilissimum 577, 578.

Fons baptisterii Constantini 56, 57, 65. Dictus fons laterani 124.

Fons aquæ ante fores argenteas beati Petri 560. Fons in basilica beati Petri 78, 607. Fons baptismi 12.

Forconini populi 207, 266.

Forma, Claudia 333. Tobia 332. Sabatina, 120. Cum centum arcubus 550, 346, 467, 607, Ducens aquam Tiberis 120. Trajani 53. Tociæ 584. Virginis 336.

Forma aquæductus Neapoli 18.

Formata 8.

Fortior honos, id est gradus major 280.

Forum Neapoli 48. Forum Livii 253. Pompilii 253.

Fossatum, sive castra militum 98, 165, 167, 247 in notulis Fabrotti.

Francia 245, 427.

[*Francorum rex Clodovæus Christianus factus dona mittit Romam sancto Petro* 85. *Idem fecit Carolus Magnus* 377. *Et Carolus Calvus* 600. *Francorum et Frisonum schola Romæ* 372.]

Frascatus locus 515, 528, 529, 545, 571, 602.

Fridigisius abbas 425.

Frisonori, sive Frisories 161, 372.

Frons altaris 512.

Frontispicium 285.

Fruges uvæ, etc, super altare tantum benedicantur 28.

Frumenti pretium Romæ sub Sabiniano papa 114. Ex Ægypto Romam advectum tempore famis 111.

Fulginatis castellum 313.

Fulmen divinum 85. Percutit Francorum exercitum 483.

Fundatum, adject. 320. Vide *Calix, Crux, Pollia, Vela, Vestes*. Fundatum substant. Vide *Calices ut supra*.

Fundus Antonianus 49. Bassi 57. Caculas fundi civitas 23, 34. Crispini 74. Duas Casas 34. Corbetanus 37. Lardarius 78, 79. Orrea, sive Morrea 49. Pacinianus 80. Pavilianus 34. Laurentius, juxta formam 44. Picturas 45. Rosarum 49. Fundus Sabiniani papæ ductum ex porta sancti Joannis extra civitatem per pontem Milvium 114, Statianus 34. Sutorum via Claudia 45, Vaccanas, sive Baccanas 49. Valerianus 34. Veranus 43. Villa Pertusa 74, et alii, etc.

Funus. Vide *Clericus*.

G

Gaballum castrum 256.

Digitized by Google

Gabathæ, seu lampades, pendentes in pergula ante altare 382. Gabathæ 389. Apostolica ex auro 450. Saxiscæ 195. Gabatha argentea 569. Aurea anaglypha 392. Electrina 85, 365, 415, 456, 459, 442, 491, 500, 519, 531, 536, 566, 567, 573, 582, 584, 644. Fusiles 550. Intersatiles 351, 460, 491, 498. Interrasiles fundatæ 397, 416. Aureæ 119, 128, 195, 331, 382, 391, 428, 439, 446, 450, 462, 582. Filopares 531. Fundatæ 366. Signochristæ 418, 469. Argenteæ 360. Gabathæ saxiscæ 471. Plur. 527, 575, 582.

Galeria 478.

Galilæa 1.

Gallicanus 45.

Gallicusium castrum 201.

Gammadia 366, 380, 396. Argentea 396, 430. Argento texta 536. Aurea texta 536. De chrysoclavo 416, 461, 542. De fundato, et quadruplo 440. De olovero tyrio 461, 467, 470, 571.

Garganus mons 74.

Gavinianus et Gavinus 29.

Gemiliones 474.

Gemmæ albæ 471, 526, 539, 593, 601, 644, 645. Id est margaritæ 525. Albæ majores 369. Vitreæ 471, 556. Chrysoclavæ 573. Alabandinæ 36, 460. Buticulatæ 471. Digitiæ 469. Filopares 469. Hyacinthinæ 35. Plur. 38, 44, 70, 471, 490, 525, 526, 527, 539, 585, 593, 601, 644. Majores 376. Prasinæ 36, 38, 44, 70, 471, 490, 525, 527, 543, 585, 593, 601, 644.

Gemmulæ chrysoclavæ 151.

Genaculum 267. Ubi molæ machinabantur 330.

Generalitas 154, 155, 161, 193.

Genua apostolorum Petri et Pauli divinitus in silice designata 260.

[*Georgii (S.) martyris caput a sancto Zacharia papa inventum in patriarchio Lateran.* 222.]

Georgii sive Gregorii episcopus Prænest. 263, 264. Ejus exitus infelix 266.

Germania 178.

Gerocomium sive gerontocomium ad sanctæ Mariæ ad Præsepe Monasterium 178.

Gesta Martyrum 419

Gisolphus dux Longobard. Beneventi 166.

Glaphyra 80

Globus igneus visus 241.

Gloria in excelsis Deo 284. Vide *Hymnus Angelicus.*

Gordianus pater sancti Gregorii Magni 113.

Gordianus presbyter pater Agapiti papæ 94.

Gothi eligunt sibi regem, contra votum Justiniani 97.

Gradus ascensionis et descensionis 43. Gradus basilicæ sancti Petri singulos deosculatur Carolus Magnus 516. Gradus cleri 10, 35. Gradus ante fores basilicæ sancti Pauli 79. Basilicæ sancti Petri 484. Instaurati 412, 413. Sancti Andreæ ad beatum Petrum 413. Ante aqsidam 40. Primus, id est pontificatus 109.

Græci 484.

Graphiones 314, 319.

Gratianus eminentissimus magister militum, et Romani palatii, et Urbis superista 554. Patriarchii 561.

Gratiosus dux 288.

Gratus vir illustris 83.

Gregoriopolis 476.

[*Gregorius I (S.) misit Augustinum Mellitum et alios in Angliam; dedicavit ecclesiam Gothorum; domum suam in monasterium convertit* 113.]

[*Gregorius II (S.) misit in Germaniam sanctum Bonifacium* 178. Insidiæ contra ipsum 185. Ejus constantia contra Leonem Isaurum 184 et seq.

Gregorius III 93. Mittit Constantinop. legatos 191 et seq.

[*Gregorius IV (S.) transtulit corpus sancti Gregorii Magni* 459. *Novam Ostiam condit contra Saracenorum incursus* 476.]

Gregorius presbyter infide se agit in causa cultus imaginum 191.

Gremium basilicæ 38, 57, 61, 399, 409, 410, 418.

Grimaldus missus Luitprandi 208.

Grypæ majores 361.

Gryphi deaurati 366, 460. Efficti in velis 461, 465, 467, 477, 569.

Gubernatio Ecclesiæ quomodo a beato Petro commissa beato Clementi 4. A Lucio I et Stephano I 23.

Guiatores 213 in var. lect.

Guitigis, seu Witiges rex 97.

Gundarus rex Vandalorum seu Guandalorum 102.

[*Guntherus Coloniensis archiepiscopus a Nicolao I in synodo depositur, quod Lotharii regis repudium cum Tiethberga legitimum esse aocuisset* 598.

Gypsus vel Gysa, locus 108.

H

Habitacula pauperum ad basilicas sanctorum Petri et Pauli, et Laurentii 80. Habitaculum pontificium prope oratorium sancti Laurentii in patriarchio Lateranensi, constructum a Gregorio IV 475.

Habitator, id est dominus 263, 297.

Hadrianus. Vide *Adrianus.*

Hæresis Eutychiana 66. Nestoriana 66. Hæresum omnium damnatio per constitutum Syriaci papæ in omnis ecclesiæ archivo tenendum 55.

Hæretici imperatoris imago non recipitur Romæ, nec magistratus 176. Hæretici ad manus impositionem reconciliati 52. Recipiantur præsente cuncta Ecclesia 12, 55.

[*Hæretici qua conditione reconciliandi sint Ecclesiæ, statuit papa Siricius* 55. *Eos in exilium et monasteria relegat sanctus Innocentius I* 57. *Donus quoque papa Nestorianitas in monasteria detrusit* 139. *In sexta synodo hæretici patam deprehensi sunt adulterasse codices* 143. *Macario Antiocheno patriarcha e synodo ob hæresim ejecto mox aranearum tela in medium populum ceciderunt* 145. *Monothelitæ nolentes assentiri sextæ synodo retrusi in monasteria* 149. *Hæretici imperatoris Philippici nec nomen nec effigiem in ecclesia remanere populus Romanus passus est* 176. *Hæreticorum Manichæorum codices et aliorum exusti* 78.]

Hebdomadæ constitutæ a Simplicio papa ad sanct. Petrum, et Paulum, et Laurentium, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes et baptismum 72.

Hebdomadarii 205. Cardinales 284.

Hegumenarchium 554.

Hegumenus 306, 368, 570.

Helena Augusta 58. Ejus mausoleum 44.

Heliu 599.

Heraclea urbs 73.

Hermes scriptor 12.

Hermes (S.) Antii 60.

Heruli primum in Italia 140.

Herulorum rex Sindualt 110.

Hesperiæ pars 192.

Hilarus pontifex sepultus in crypta ad sanctum Laurentium 71.

Hildegarda uxor Caroli Magni 314.

Hilianus prædo 622.

[*Hincmarus archiepiscopus Rhemensis Rothardum Suessionensem episcopum injuste, quod appellasset ad sedem apostolicam, deposuit, et in vincula conjecit, quem Nicolaus papa ad Urbem vocatum, cum nullus accusator compareret, suæ sedi in concilio restituit* 604.

Hippolytus presbyter 20.

Hispania 183, 471.

Historiæ ex auro super altare majus sancti Petri 355.

Holosericum 151. Vide *Pallia, Vela, Vestes.*

Holoverum 85, 93, 440, 448, 461, 466, 550, 593, 644. Vide *Crux.*

Homiliæ 40 sancti Gregorii 644. Viginti 646.

Homines efficti in velis 461, 515.

Honesta, mater Gregorii II 183.

Honorius episcopus 24.

Honorius hæreticus 148.

Hormisda pontifex Romanus pater fuit sancti Silverii papæ 97.

Horrea locus in Campania 166.

Hortæ civitatis muri instaurati 310.

Hortasi ducatus Romanæ civitatis 206, 539, 559.

Hortus Maronis 39.

Hospitale sancti Gregorii 337. Dominicum ad Naumachiam 408. Est apud sanctum Petrum 412. Quod et sancti Peregrini dicitur 439.

Hospitium pro pontificibus constructum a Nicolao I ad sanctam Mariam in Cosmedin 584.

Hyacinthus in filo aureo 585.

Hydriæ 67.

Hymni 74. Hymnus angelicus 9, 81, 284.

Hypopantes 571.

I

Ignatius patriarcha Constantinop. 585, 594. Depositus 595. Restitutus 610, 623. Ejus responsio 637.

Ignis Rheticus 61.

Imagines apostolorum in Laterano 414. Imagines argenteæ 79, 362, 594, 611, 194, 360, 459, 331, 329, 552, 382, 329, 36, 260, 417, 395, 394, 455, 507, 452. Imagines Salvatoris cum XII apostolis 79, 567, 595. Imagines aureæ 64, 162, 392, 331, 196, 442, 460, 274, 351. Imaginum cultus impie vetitus ab Imperatore, propugnatur a catholicis 184. Imago Salvatoris Achiropita 253. Imagines sacræ 258. Antiquus earum cultus 162, 281, 352, 187, 192. Imagines aureæ beati Petri 64, 162, 392. Imagines Salvatoris 64, 351, 393, 594, 425. Imagines beatæ Virginis 196, 442, 469. In ecclesia sancti Andreæ ad sanctum Petrum 197. Laurentii extra Muros 351. Mariæ ad Martyres 274. Pauli 363, 381. In modum Evangeliorum 350, 351. Petri 64, 351, 355, 392, 393, 423, 577. Processi et Martiniani 442. Angelorum 331. Sancti Petri in ingressu vestibuli Vaticani 392. In porta virorum 161, 393.

[*Imagines Constantinopoli ab imperatore Leone Isaurico dejectæ et concrematæ, et sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitano exutus* 188. *Legatus apostolicus, qui hæretico imperatori litteras papæ non ausus fuit tradere, Romæ punitur, et cogitur Constantinopolim redire. Concilium Romæ coactum pro imaginum cultu* 192. *Variæ scriptæ nomine Papæ et episcoporum ad imperatorem directæ, sunt intercepta, eorumque latores incarcerati* 193. *Sanctus Paulus papa ad imperatorem Constantinum Copronymum pro restitutione sacrarum imaginum scribit* 258. *In concilio Romano decreta veneratio imaginum* 281. *Anastasius cardinalis sancti Marcelli depositus, ubi factus est pseudopapa, in æde divi Petri imagines sacras fregit* 561.]

Imago sanctæ Agathæ 505. Imago Virginis amplectentis Jesum 196. Imago

Digitized by Google

votarea sex synodorum generalium 174, 179. Imagines episcoporum hæreticorum sublatæ de ecclesia 145.
Imminere pro suadere 248. Pro instare 630, 631.
Immunitas Ecclesiæ violata 274, 289.
Imolensis Ecclesia 647.
Imperatores, reges aliique principes consueverunt dona mittere vel offerre Romæ in æde divi Petri. Clodovæus rex Francorum 85. *Theodoricus rex Gothorum Arianus* 86. *Justinus imperator Orientalis* 89. *Justinianus imperator* 43. *Belisarius victa Africa* 102. *Phocas in Pantheo Romæ* 16. *Constantinus imperator* 135. *Carolus Magnus* 376 *et seqq. Michael Theophili imperatoris filius* 574. *Ludovicus II imperator Occidentis* 318. *Carolus Calvus rex Francorum* 600. *Michael rex Bulgarorum* 608. *Reges Saxonum* 176, 575.
Imperator Orientalis tempore Vitaliani papæ misit sancto Petro Evangelia aurea cum gemmis albis magnis 155. Imperatores hæc dona obtulere pro redemptione animarum suarum, et ut pauperibus suo tempore distribuerentur 122. Imperatori Iconomacho, Gregorium papam II ad cædem quærenti, Romani, Veneti totaque Italia restitit, et imperatorem sibi proclamassent, nisi dictus sanctus Gregorius eos ab hoc conatu deterruisset 185. *Imperatores quanto honore pontificem Romanum exceperint.* Vide in verbo *Papa.*
Imperator Constantinop occurrit Vigilio papæ 105.
Imperatores Anastasius 76, 82, 85. Antoninus Caracalla 16. Pius 9. Arcadius 56, 57. Aurelianus 26, 27, 28. Basilius Macedo 613, 640. Cajus Caligula 1. Carinus 28, 29. Carolus Magnus 376. Carolus Crassus 640. Carus 28, 29. Claudius 1. Commodus 14, 15. Constans 11, 136. Constantinus Magnus 31, 33, 49. Beatissimus Constantinus IV 47, 48, 125, 130, 131. Constantinus V. Pogon. 137, 139, 140, 147, 151. Constantinus VI Copron. 206, 227, 257, 262. Constantinus VII Porphyr. 358. Constantinus Chlorus 30, 31. Constantius II, hæreticus, 50, 51. Decius 21, 22, 25. Diocletianus 29, 30. Domitianus 4, 5, 6. Galba, 2, 4. Galerius Maximianus 30, 31. Gallienus 24, 25, 26. Gallus 22, 23. Geta 16. Adrianus 6, 8. Heliogabalus 16, 17. Heraclius 117, 121, 124. Honorius 56, 57, 60. Jovianus 31. Julianus 31. Justinianus 91, 93, 94, 96, 97, 102, 109, 110. Justinianus Junior 158, 158, 167, 169, 170. Justinus 82, 85, 87, 90. Justinus Junior 111, 112. Leo Flavius 68, 72. Leo III Isaur. 191. Leo V Armenus 426, 430. Licinius 33. Lotharius 479, 494, 556. Ludovicus 426, 430; II, 452, 553, 457; III, Balbus, 577, 613. Macrinus 16, 17. Macrianus 66. Marcus Aurelius 9, 10, 11, 13, 14. Mauritius 115. Maxentius 31. Maximianus 30. Maximinus 18, 19, 21. Maximus 24. Michael Balbus 452, 455, 457. Michael III Porphyr. 479, 494, 566, 574, 577. Nero 1, 2. Nerva 4 in notulis Fabrotti 6. Numerianus 29. Otho in notulis Fabrotti 2. Pertinax 15. Philippicus 174, 176. Philippus 21. Probus 28. Severus Alexander 18, 19. Severus Julianus 11, 13, 15, 16. Severus Septimius 15. Tacitus 24. Theodosius Magnus 51. II, 59, 60, 61, 62, 66. Tiberius 1. Tiberius Mauritius 165. Titus 3. Trajanus 4, 5, 6, 7. Valens 51. Valentinianus 51, 54. Junior 54, 60. III, 62, 66. Valerianus 24, 25, 26. Verus 10, 12. Vespasianus 2, 3, 4. Vitellius 2. Volusianus 22, 23, 24. Zeno 73, 74.
Imperatoris suscipiendi modus in urbe Roma 316, 483. Imperatoris hæretici non suscipiuntur imagines, chartæ aut figura solidi, nec effigies introducitur in ecclesiam, nec nomen in missa recitatur.
Imperialis laicus 585.
Imprecationes populi Romani 105.
Inaures hyacinthinæ 195.
Incantationis de crimine convictus Paschalis archidiaconus, sacrilegus et simoniacus, deponitur, et in monasterium retrusus miserrime moritur, atque impœnitens 159.
Incapillatus 471.
Incendium orationc et signo crucis exstinctum 505.
Incensum adhibendum per singulas lectiones 646. Incensum a feminis in ecclesia non ponendum 13. Indicula 174. Indiculi 587. Indiculum sacramenti, id est vinculum 312.
Ingiltrudis 598.
Inglandatus 328.
Innocentius sancti Innocentii papæ pater 57.
Inquisitio mortis Sergii secundiceril 297 et seqq.
Inquisitus pro *requisitus* 177.
Inscriptio Constantini et Helenæ in ecclesia beati Petri 38.
Instar, juxta, secundum 196.
Insula Cordionis 40. Portus Rom. 328. Insula Machabæo 40.
Intaria 117, 118.
Intartizare pro erigere 125. Pro tyrannidem exercere 137.
Interamnensis civitas 208, 209, 584.
Interrasilis 389, 390, 417. Id est saxisca 531.
Inventio crucis 32.
Irenes Augusta 352. Ejus palatium 627.
Isacius patricius, qui manus cum milite ausus fuit in thesauros Romanæ Ecclesiæ conjicere, divinitus ictus miscre periit 124.
Isacius exarchus Italiæ diripit thesauros episcopi Lateranensis 122.
Istria a Carolo Magno donata est Romano pontifici 318.
Itali recepta libertate duces eligunt 184. Cogitant de imperatore eligendo contra Iconomachos Constantinopol. sed a Gregorio II impediuntur 184.

J

Janiculus corrupte dicitur Genuculus 268, 331.
Januæ aureæ argento clusæ in oratoriis sanctorum Joannis Baptistæ et Joannis evangelistæ, quæ exstant 65. Argenteæ in confessione oratorii sanctæ Crucis 69, 119, 320, 348, 484.
Januarius diaconus et mart. 23.
Jejunium Quatuor Temporum servare mandavit sanctus Calixtus 17. Non esse jejunandum die Dominico, vel feria quinta jussit sanctus Melchiades papa 33. Jejunium Sabbati imperavit sanctus Innocentius I 58. Jejunium vii hebdomadarum ante Pascham Telesphorus 9. Jejunium nulla ratione die Dominica aut fer. v. peragatur 33. In feriis v. Quadragesimæ institutum a Gregorio II 183. Septem hebdomadarum ante Pascha celebratur 9. Jejunium die Sabbati ter in anno 17, 54. Jejunium sacrum paganorum 33.
Joannes VII humana fragilitate timidus 168. Ejus effigies in multis ecclesiis 167.
Joannes archiepiscopus Ravennas contumax 582, 586. Excommunicatus 588. Resipiscit 590. Absolvitur 591. 592, 599. Joannes Cataudioce 115. Compsinus Intarta 117. Diaconus 481 482. Dux 297. Joannes Rizocopus patricius et exarchus 171.
Joannes VIII papa femina falso a quibusdam interficitur inter Leonem IV et Benedictum III 555. *Nam Anastasius, tunc in Urbe præsens, ait mox post obitum Leonis IV electum Benedictum* 558, 578, 614.
Joannes patricius et exarchus, cognomento Platys, 158, 159. Joannes exarchus et judex reipublicæ 117. Joannes magister militum 102. Joannes consul pater Vigilii papæ 102. Joannes Cataudioces pater Bonifacii II papæ 115. Joannes medicus pater Bonif. IV papæ 116. Joannes Compsinus tyrannus Neapolit. 117. Joannes diaconus ambit pontificatum 481. Damnatur 482. Joannes pater Benedicti II 151. Joannes pater Sisinii papæ 169. Joannes pater Constantini papæ 170. Joannes pater Gregorii IV 457.
Jocundus presbyter pater sancti Bonifacii papæ 60.
Joseph vasorum custos 628.
Judas qui et Cyriacus 52.
Judex Civitatis 41. Judices cleri 292, 318. Judices Francorum 316, 318, 319. Longobardorum 305, 307, 316. Romanorum 288, 314, 316, 317, 452, 484, 268, 292, 298, 318, 484.
Judicium synodicum 62.
Julianus Ravennas Tribunus 294, 296, 502.
Jussio divalis 140, 146, 149, 152, 154, 156, 157.
Justinianus Junior pacem init cum Saracenis 155. Justinianus Augustus 91. Ejus dona 93, 94, 97, 102, 106, 108, 110. Spoliatur imperio 161. Restituitur 168, 170, 172. Occiditur 174.
Justinus Augustus 83. Ejus dona 85, 87. Coronatur 87. Junior 110, 111.
Justitiæ, id est jura beati Petri 285, 287, 293, 307, 309, 310, 311.
Justus Ilormisdæ pater 82.

L

Lacus porphyreticus 69. Sabbatinus 120. Turni 46. Albanensis, *ibid.*
Laicus ne papa eligatur, nisi per gradus distinctos ordinatus 278. Laici ne stent in presbyterio dum sacra celebrantur 499. Crimen clerico inferre non audeant 35.
Lambertus dux Spoletinus ut tyrannus Romam invadit et diripit, nullis parcens ecclesiis 622. *Sed mox odium Francorum quasi apostolicæ sedis hostis incurrit, ducatu exuitur, et socii prædones anathemate ab Adriano II feriuntur, ibid.*
Laminæ aureæ cum historiis 319. Vide *Altare, Confessio.*
Lampades aureæ 70. Argenteæ 70.
Lateranum 287. In Lateranis acolythus non baptizet cum diacono, sed subdiaconi sequentes 118.
Latere (e) pontificis missi 594.
Laternum, locus 311.
Laudanæ, sive laudunæ ex argento 325.
Laudes canere 315. Matutinales 438.
Caroli Magni 317, 376.
Laurentium, sive Lorentum civitas 41.
Laurentius martyr Archid. 23. Nucerinus episc. 76, 77.
Lazarus monachus pictor 574.
Lecticaria asprula 328.
Lectio sacra in mensa Stephani VI 644.
Lectionarium 573.
Lectiones Græcæ pro Sabbato sancto et Pentecostes 575.
Lector 25, 35.
Lectoria 306.

Digitized by Google

Lectorium 419, 545. Argenteum 508. 551.
Lectus sancti Gregorii 650.
Legati Adriani II honorifice excepti Constantinopoli 628. Legati Sergii papæ Constantinopoli 160. Legati Agathonis Constantin. 141. Benedicti III 559, 560. Bulgarorum 631, 632. Felicis III 73. Adriani II 627, 628, 632, 638. Hormisdæ 82, 85. Nicolai I 698. Ad Lotharium 558, 559. Legatio Adriani I ad Carolum Magnum 307. Gregorii III pro imaginibus, missi Constantinopolim male habentur in Sicilia 193.
Legatus Augustalis 641.
Leo consul. 108, 210.
Leo Isauricus 182, 183, 191, 192, 193.
Leo a secretis 593.
Leo presbyter 608.
Leo archidiaconus 283, 284, 294, 302.
Leo I (S.) pontifex Romanus Attilæ Hunnorum regi occurrens totam Italiam ab ejus tyrannide liberat 67.
Leo II (S.) pontifex Romanus 147.
Leo III (S.) pontifex Romanus a Paschali et aliis missere præcisa lingua, oculisque effossis, mutilatur in publica processione 369. *Meritis divi Petri divinitus ei oculi cum lingua restituuntur* 370. *A duce Spoletino in Franciam ad Carolum Magnum ducitur. Hic multos illi obvios mittit, et demum filium cum lacrymis se mutuo oculantur. Papa intonat* Gloria in excelsis, *clero tantum prosequente* 371. *Cum aliquandiu cum Carolo mansisset, honorifice ab eo reducitur, ubique tanquam apostolus excipitur. Roma tota utrisque, cum scholis Francorum, Frisonum, Saxonum et Longobardorum occurrit. Papa in sancto Petro omnibus communionem porrigit. Cum causa Paschalis et Leonis discepturada esset, omnes respondere : Nos sedem apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus; tum Leo vestigiis majorum insistens, Purgare inquit, paratus sum de crimine objecto, et consenso ambone juravit super quatuor Evangelia se reum illius non esse* 374, 375. *Vide verbo* Carolus Magnus.
Leo IV (S.) pontifex Romanus basilicam Romæ fugat, litaniis ad templa celebratis 501. *Incendium in Saxonum vico exortum signo crucis extinguit* 503. *Concionatur ad populum, et monasteria construit* 507, 510. *Græcos monachos eis attribuit, ibid. Corpora sanctorum in Urbem transfert, et mœnia urbana restituit* 515, 516. *Leonianam urbem ita a nomine suo dictam, sumptibus a Lothario imperatore adjutus, construit* 532, 533. *Eam post quartum annum perfectam nudis pedibus cum toto clero, capite cineribus asperso, cum litaniis circuit, per cardinales aqua benedicta aspergit, tribus orationibus ad tres ejus portas recitatis* 534. *Hinc Romanos variis afficit muneribus* 535. *Corsos e patria exsules Portuensi urbe vacua donat* 538. *Synodum Romæ cogit, in qua Anastasius cardinalis deponitur* 544, 545. *Per visionem locus novæ urbis extruendæ ei ostenditur* 549. *Leopolin vocat, et pedes cum litaniis extructam circuit, et muros aqua benedicta aspergit* 550.
Leonatus, adjectivum 648.
Leones in velis 461, 463, 465, 471, 472, 500, 581, 584.
Leoniana civitas 581.
Leoninus consul 534, 535.
Leonis successor 537.
Leontius exdiaconus sectator Macarii 145.
Leopardus presbyter 57.
Leopolis 550.
Lepra Constantini Augusti 34.
Levita sedis apostolicæ 454.
Libelli anathem. 91, 94. Synodici 629.
Liber Commentariorum 648. Et alii libri sacri 648, 649. Libri catholici, id est Evangeliorum, Regum, Psalmorum et Sermonum, donati Ecclesiæ a papa 541, 551. Vide *Codices*. Libri sancti Gregorii Magni 113.
Liberius (S.) papa exsilio mulctatur a Constantio hæretico imperatore, quod nollet assentiri Arianis 51. *Lapsus est, sed non in dogmate fidei catholicæ* 52.
Licinianum palatium 72.
Ligni crucis portio 41, 69, 102.
Lilia 416, 432, 526.
Limina sacra basilicæ Constantinianæ 488. Sancti Petri 127, 180, 222, 514, 450, 607, 642.
Lineum plumatum 478.
Linguarum diversitas ecclesiasticum ordinem non confundit 633.
Lintea cum auro pro velis 471. De serico albo sigillato 529. De chrysoclavo 391, 393, 417, 418, 533, 574. De fundato 519. Linteo tantum in velo sacrificium offeratur 33.
Linteamina sanctæ Cæciliæ 438.
Linum 39.
Litania 109, 181, 164. Ad sanctam Mariam de Præsepe cum imagine Salvatoris 234. Litania ad tres basilicas 234. Ad beati Petri 120. Ad sanctam Mariam ad Martyres 212. A sancto Pancratio ad sanctum 109. Ante Ascensionem 386. Majores 368. Pictura seu historia Litaniæ majoris 382. Litaniæ triduanæ ante Ascensionem Domini a sancto Leone III institutæ 386.
Litaniarum et processionum usus frequens Romæ ad placandum Deum vel gratias agendas, ut 233 *et alibi. Ante Ascensionem Domini triduo litanias haberi instituit Leo III* 386.
Lithoparia 194.
Litteræ apostolicæ observatoriæ et admonitoriæ 257, 258. Nigellæ 38. Patriarchæ quæ et formatæ 8. Litteras apostolicas a legatis sanctæ sedis oblatas Basilius imperator deosculatur 628.
Locello plumbeo inclusum cadaver Narsetis transmittitur Constantinopolim 110. Loculo plumbeo inclusum corpus beati Agapiti papæ, et translatum Constantinopoli Romam 96. Loculus corporis beati Petri 38.
Locustæ 640, 648. Locustarum exstinctio 650.
Longobardi 111, 114, 181, 186, 207, 303, 311, 372, 486, 487, 512. Se dedunt Romanæ Ecclesiæ 312. *Invadunt Italiam Romamque obsident* 111, 112.
Lotharius imperator 483. Ejus imago 513. Juvat Leonem IV in exstructione urbis Leonianæ 532, 544, 558.
Lotharii regis Francorum divortium factum cum uxore Thiecberga a Nicolao I Romæ discutitur 598.
Lucellus 160.
Lucernæ ardere semper debent ante altare ex decreto sancti Paschalis I 447. Lucerna argentea 366, 396, 398. Aurea 42, 43. Decem luminum 69, 70. Lucernæ fusiles 396. Bimixæ 43, 503, 513. Anaglyphæ fusiles 39, 394, 505. Constitutæ in ecclesiis ad sacras lectiones diebus Dominicis et festis 397, 419.
Luci sive luculi 139.
Lucilla matrona 22.
Lucina altera 31.
Lucinus 23.
Lucius Britanniæ rex ab Eleutherio papa petit fieri Christianus 14.
Luculi castrum 253.
Ludovicus rex, Lotharii filius, una cum Drogone Metensi archiepiscopo honorifice a Romanis suscipitur 484. *Supra gradus sancti Petri ruit in amplexus papæ; at papa ecclesiam sancti Petri cum ingredi notuit, nisi fateretur se pura mente advenisse, ibid. Acclamat clerus :* Benedictus qui venit in nomine Domini. *Rex cum Francis se pronum abjicit ante confessionem sancti Petri gratias agentes apostolorum principi* 485. *Coronatur a papa Sergio II in regem Longobardorum* 496. *Drogoni potenti ut primates Romani Ludovico regi fidelitatem promitterent, Sergius renuit, dicens id tantum Lotharioimperatori ejus patri deberi, cui et promisere* 487.
Luitprandus rex Longobardorum donationem alpium Cottiarum ab Ariperto rege factam Ecclesiæ Romanæ confirmat 179, 183, 207.
Luminaria 392. Ante altare sancti Pauli 394. Apostolorum 146, 189, 219. Sanctæ Mariæ ad Præsepe 447. Apponenda in cœmeteriis circum Romam in die Natalitiorum 204. In cœmeteriis martyrum per omnes Dominicas, de gateranis ministrentur 110.
Luminarium concionatio 439.
Luna visa cruentata 179.
Lunæ civitas 28, 318.
Lustrare civitatem 559.

M

Macario patriarcha Antiocheno e synodo ob hæresim ejecto, mox arenearum telæ in populum delapsæ sunt 145.
Macellum Liviæ 52.
Maceria 311.
Machinare pro molere 330.
Macrona, sive Macrena 414.
Magister militum Christophorus 559. Daniel 554, 555. Donus 126. Gratianus Superista 554, 561. Gregorius 559. Joannes Sanguinarius 103. Mercurius Petrus 549. Sergius 523. Magister militum eminentissimus 554.
Magistriani 83. Magistrianus Sergius 161.
Magnus diaconus et martyr 25.
Magos et maleficos consulere, quam sit impium pro concione Romæ docuit Stephanus papa VI 615.
Mala aurea in circuitu vestis 461. Mala de crystallo 527.
Malignus 293.
Mallones capillorum 153.
Mancosi in argento 549.
Mandatores 627.
Mandatum, hoc est nuntium 294.
Manichæi occulti Romæ deprehensi 55. *A Siricio papa exsulare jussi* 55. *Item a sancto Gelasio papa* 74. *Et codices eorum exusti* 78, 84.
Manipularis 640.
Mansionarii 153, 155, 189.
Mantua civitas 318.
Manumissiones 50.
Manus impositio 55.
Marcelli (S.) titulus 31
Marcellinus papa post thus idolis incensum resipiscit, et fit martyr 30.
Marcellus pater sancti Gregorii II 178, 308.
Marcus (S.) baptizatus a sancto Petro, ejusque Evangelium a divo Petro conscriptum 1.
Marcus Nepesinus 368.
Marcus vir gucinæ 31.
Mare Tyrrhenum 136.
Margaritæ 38, 379, 380, 382, 383, 395, 414.
Mariæ Virginis (S.) in cœlum assumptæ festum 504.
Marinus pater Stephani V 426.
Marinus pontif. 640.

Digitized by Google

Marmor porphyreticum 43. Purpureum 611.
Marsilia 250.
Martinus I 129, 133.
Martuani, sive Marturanense castellum Tusciæ 187.
Martyrium pro Ecclesia 66.
Martyrum supra sepulcra missæ celebrandæ 27. Martyrum gesta vii notariis ad scribendum assignata 4. Ab iisdem requisita et in ecclesia recondita 19, 21. Martyrum corpora extra urbem a Gothis circa Urbem 99. Martyres sepelit sanctus Eutychianus papa 28. Martyres sine dalmatica non sepeliendi 28.
Martyrum sanctorum gesta per notarios scribi mandat sanctus Clemens papa 4. His septem subdiaconos adjungit sanctus Fabianus 21. *Sanctus Anterus quoque sedulo inquirit in illa* 19. *Quo ritu martyres sepeliendi sint tradidit sanctus Eutychianus papa* 28. *Septemdecim millia hominum intra* 30 *dies martyrii coronam sub Diocletiano acceperunt* 30.
Maruli locus 529.
Massa Acatiana 534, massa Formias 224, Merulana 343, massa Muci 46, massa Urbana 36, massa Amaron 37, massa Ariccina 533, massa Auriana 36, massa Baldariolaria 37, Massa Cameras 37, massa Capitis 37, massa Cartis 36, massa Cephalia 37, massa Festi 37, massa Tronsejana Paunaria 218, massa Gaba 37, massa Garigliana 36, massa Lanina 37, massa Mimas 37, massa Maurinas 37, massa Muronica 36, massa Nemus 46, massa Normias 220, massa Nummas, alias Mimas 37, massa Pictas 37, massa Sardana 37, massa Sentiliana 36, massa Statiana 37, massa Statibana 37, massa Statiliana 47, massa Taurana 37, massa Trapea 36, massa Vineis 37, massa Virginis 37, massæ 552, Numi diæ 37, Transmarina intra partem Africæ 37.
Matroneum 79, 474.
Mauritius chartularius 121. Decollatur 126.
Mauritius dux Ariminensis 282.
Mauritius pater Doni papæ 139.
Mausole 101.
Mausoleum Helenæ Augustæ 44.
Maximus presbyter 21.
Maximus præfectus 19.
Maximus sancti Anastasii papæ pater 56.
Meli gloriosi 538.
Memoria beati Petri 5. Memoria prima sepulcri 27. Memoria beati Petri constructa a sancto Anacleto 5.
Mengaulum 37, 38.
Menna 96, 100.
Mensa argentea 776.
Mercurius pater Joannis II 93.
Merolana 298.
Metalla marmorea 416. Cyprinum 581, 582. Porphyreticum 56, 44.
Metensis synodus, licet a papa indicta fuisset, et legati pontificii in ea fuissent, tamen in synodo Romana a Nicolao I condemnata est, quod divortium a Lothario rege cum Theutberga conjuge factum approbasset 598.
Methodius metropolitanus Græciæ 585.
Methodius monachus 623.
Metretæ argenteæ 38. Metretum aureum 43.
Metropolitani 168.
Mezzetius 137.
Michael III imperator Græcorum misere a svadonibus suis trucidatur. 623.
Michaelius 282.
Militiæ Scholæ 315.
Ministeria ad baptisma argentea 76. Hoc est vasa 8, 109, 64, 8. Ministeria sacra non tangenda, nisi a ministris 8. Ministeria sacrata omnia argentea 18. Ministeria sacra argentea renovata 67. Ministériales 71.
Ministerium ad baptismum vel pœnitentiam 64.
Ministri et familiares quales a pontifice Romano electi 644. Ministri sacrati 8.
Miracula 468.
Misenus episcopus legatus sedis apostolicæ pecunia corruptus et damnatus 73. Pœnitens restitutus 74.
Missa 9, 61. Missa Latina Constantinopoli dicta post concilium 145. Missa secunda instituta a Deusdedit 117. Missa ante horæ tertiæ cursum non celebrabatur 9. Missa die Paschatis celebrata ad sanctam Mariam ad Præsepe, et in adventu Caroli Magni 318. Missæ Natalis Domini 9. Missæ quomodo assistatur et ministretur 61, 62, 499. Missæ super sepulcra martyrum 27. Super corpus beati Petri 113.
Missas nocte Natalis Christi celebrari jussit sanctus Telesphorus papa 9. *Missam sæpe facit Pius papa I. Super martyrum sepulcra eas institui mandavit sanctus Felix papa I* 11. *Sanctus Silvester statuit ut sacrum missæ in linteo, non serico, sed lineo fieret* 35. *Sanctus Anastasius papa constituit ut sacerdotes curri assistant, dum Evangelium canitur* 56. *Sanctus Cœlestinus papa voluit* 150 *psalmos ante missam cani, cum olim tantum Epistolæ Pauli cum Evangelio recitarentur* 62. *Sanctus Leo I ordinavit ut in canone missæ diceretur* Sanctum sacrificium, immaculatam, hostiam, *etc.* 67. *Sanctus Symmachus, ut omnibus Dominicis, et in natalitiis martyrum recitaretur* Gloria in excelsis, *etc.* 81. *Sanctus Gregorius papa I Canoni sacro addidit :* Diesque nostros in tua pace disponas, *et super corpora beati Petri et Pauli sacrificium missæ celebrari voluit* 113. *Joannes Portuensis episcopus papæ legatus Constantinopoli solemnem missam fecit Latine* 145 *Sergius papa statuit ut* Agnus Dei *in fractione hostiæ decantaretur* 164. *Sanctus Gregorius papa III cum quorumdam sanctorum corpora elevasset Romæ, Canoni missæ hæc verba addidit :* Quoniam solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum 204. *Sanctus Leo papa IV Ostiæ missam cantat* 322. *Et Romæ post exstructam et benedictam urbem novam Leonianam* 535
Missarum solemnia in cœmeteriis celebrata vii etiam sæculo 158. Missam facere, id est missionem 289. Proferia quinta tempore Quadragesimæ 184. Id est sacrum peragere 173, 317.
Missaticum, id est legatio 639.
Missi sedis apostolicæ recepti Constantinopolim 142. Vide *Legati*. Missi 283, 293, 294, 307, 309, 310, 373, 558, 563, 564, 167, 587, 597, 603, 604, 614.
Missus 250, 251, 256, 303. Missus imperatoris Caroli Crassi ad tuendam Romam episcopus Ticin. 642.
Mizilum 418. Imizilum 449.
Mola in forma Trajani 120. Mola constructa ab Honorio I, 170. Molæ in Genuculo, id est Janiculo 331.
Monacha 6, 13, 61, 67. Monacha ne tangat pallia sacrata, vel incensum ponat 60.
Monachalis habitus 269.
Monachi 157. Canonici in ecclesia sanctæ Mariæ Transtiberim 470. Græci in titulo sanctæ Cæciliæ 438. In pluribus Urbis ecclesiis a Gregorio II constituti 178. A sancto Leone IV in monasterio sanctorum Stephani et Cassiani 511. Monachi beati Petri 205, 326, 338, 348, 354, 439, 493, 438. Monachi in monasteriis patriarchii Lateran. 338.
Monachi papæ Telesphorus 9. *Dionysius* 26. *Adeodatus* 137. *Agatho* 140. *Leo IV* 494.
Monachorum congregatio 196, 326.
Monachulus 623.
Monachus Mellitus 113.
Monasteria multa a summis pontificibus erecta et restaurata. Vide verbo Ecclesia. *Sanctus Paulus papa I Græcæ modulationis monasteria instituit* 260. *In monasteria pœnæ loco retrusi hæretici* 55, 57, 239.
Monasterium sancti Michaelis 407. Sanctæ Praxedis constructum pro monachis Græcis 435, 471. Sancti Pancratii 393, 405. Monasteriorum de regulis constitutum edit sanctus Innocentius papa I 57.
Monasteria plura simul memorantur num. 405, sancti Sabæ, sancti Andreæ in clivo Scauri, sanctæ Agathæ super Suburam, sancti Erasmi in monte Cælio, sancti Silvestri, ibid, sancti Laurentii Pallacini, sancti Pancratii, sanctorum Andreæ et Bartholomæi, quod appellatur Honorii, sancti Stephani in Lateranis, sancti Stephani apud sanctum Petrum, sanctorum Joannis et Pauli, sancti Martini, sancti Stephani Cata Galla Patricia, sancti Cæsarii, sanctorum Cosmæ et Damiani juxta Præsepe, sancti Andreæ juxta Massam Julianam, sancti Adriani juxta Præsepe, sancti Cassiani juxta sancti Laurentii foris muros 405, sancti Victorii ad sanctum Paneratium, sancti Chrysogoni, sanctæ Mariæ, quod appellatur Ambrosii, sanctæ Mariæ, quod appellatur Juliæ, sancti Andreæ juxta basilicam Apostolorum, sancti Stephani in Dulciti, sanctorum Sergii et Bacchi in Callinico, sancti Agapiti juxta titulum Eudoxiæ, sancti Apretis duo Furna, sancti Viti de Sardis, sanctæ Vivianæ, seu Bibianæ, sanctæ Luciæ de Renati 406, sanctæ Mariæ Michaelis, sancti Sergii, sanctæ Agathæ (ad caput Africæ) apud Africi Euphemiæ, et Archangeli juxta titulum Pudentis, sancti Isidori, sanctæ Agathæ Tempuli, sancti Cæsarii de Corsis, sancti Semitrii, sanctæ Mariæ, quæ dicitur Salviæ, sancti Donati juxta titulum sanctæ Priscæ, sancti Joannis in Aventino, sanctæ Mariæ de Lutara, Hierusalem ad beatum Petrum 407, sanctæ Agnetis, sanctæ Eugeniæ foris portam Flaminam, sancti Gregorii in campo Martis 408, sancti Silvestri in monte Soracte 649, sanctorum Sergii et Bacchi positum post formam aquæductus patriarchii Lateran. 442; sancti Vincentii 231, sancti Viti 269, sancti Zenonis 431.
Moniales in monasterio sanctorum Sergii et Bacchi in Lateranis 495, 497, 441, 570.
Monialibus vetitum pallam sacratam tangere a sancto Soter papa 15. *Et a sancto Bonifacio papa* 60. *Sanctus Leo statuit ne velamen earum benediceretur, nisi sexagenta annis virginitatem servassent* 67.
Monocossis 550.
Monothelitæ adulteratores codicum 142, 143. In exsilium acti 145, 148.
Mons Albius, Galbius, Argentarius 44.
Mons Vesuvius eructat cineres 153.
Mons Aureus 22.
Montes Albius 44. Argentarius 44.

Digitized by Google

Aureus 32. Bardone 318. Bebius 153. Cinisius 310. Silicis 318. Pajanus 490. Feretri 253. Feretus 303. Lucari 253. Lucretius 44. Soracte 54, 506. Vesuvius 153.

Monumentum de tupho Tyburtino imminens ecclesiæ sanctæ Mariæ in Cosmedin 341.

Morenicum locus 329.

Motio 246, 250.

Moyses presbyter 21.

Mucrones per circuitum vestis 461.

Mulcta annua 644.

Mulieres nonnisi velato capite intrare ecclesiam jussit sanctus Linus papa 2.

Murena trifilis aurea 471. Filata 161.

Muri Centumcellarii 203. Muri Romæ ab Adriano I instaurati cum impensa centum librarum auri 326, 335, 516. A Gregorio II 177, A Gregorio III 203, 524.

Musileum sanctæ etronillæ 402, 411.

Musivum ecclesiæ constructæ a Paulo I 78, 259, 163, 167, 260.

Myzinum 584

N

Narnia 183, 253.

Narses eunuchus 104. Obiit 110.

Narses dux bellicosus Italiæ invasores, ut Herulos, Francos et alios, expugnat, et cum Romani indignarent male se Gothis servire quam Græcis, Longobardos in Italiam invitat 110. *Qui mox vexere, et totam Italiam occupavere* 111.

Natale sanctorum apostolorum Petri et Pauli Ticini celebratum in gressu in Urbem iterum celebrat Zacharias papa 217.

Natalis Domini 9.

Natalitia martyrum 81.

Naturæ duæ in uno Christo 66, 93.

Natus de Christiano debet baptismo renasci 57.

Nauticationes 133.

Navicellæ 471.

Navis major basilicæ 360.

Navis basilicæ sancti Petri 572.

Neapolis a Belisario capitur, et omnes incolæ nisi ere trucidantur 97.

Neapolitani 522.

Nepesina civitas 41, 263.

Neronis campus 186.

Nestorianistæ Romæ 139.

Nestorius 66, 68.

Nicæa 38.

Nicolaus I 577, 578, 579, 586, 589, 595, 600, 607, 608.

Nicolaus papa scribit ad Michaelem imperatorem de causa Ignatii patriarchæ Constantinopolitani, et Photii in ejus locum intrusi 594. *Excommunicat Zachariam episcopum convocatu synodo, quod in sua legatione pecunia se corrumpi permisisset* 595. *Discutit in eadem causa divortii a Lothario rege facti cum uxore Thietberga, et absolutam Guntherii archiepiscopi Coloniensis, et Teutgaudi Trevirensis condemnat* 598. *Liberalis animus est in pauperes* 600. *Ob eximiam doctrinæ ejus famam multæ quæstiones ex toto orbe ad eum deferuntur, strenuus in abusibus corrigendis* 602. *Rothardum episcopum injuste ob Hincmarum archiepiscopo Rhemensi deposi um in Romana synodo restituit* 605. *Bulgarorum regem, missis eo episcopis et sacerdotibus, Christo adjunxit* 608. *Epistolis doctissimas scripsit* 610. *Acclamationes in ejus honorem post mortem factæ* 621.

Nicopolis 14.

Nicostratus diaconus 21, 22.

Nix copiosa in electione Sergii II 481, 482.

Nisi, id est Ivcini 36, 43.

Nomenclator 275.

Nomenculator 171.

Nomentana via 7.

Nomina episcoporum et martyrum a sancto Sixto III scripta in platonia cœmeterii Calixti 65.

Nonas locus 315.

Notarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ 368. Regionarius 291. Notarius regionarius a pontifice ablegatur ad Desiderium regem 294.

Novatus et Novatianus hæretici 21, 22.

Novatus, ejus thermæ 12.

Nubes protegens papam Zachariam 215.

Nuntii apostolici 53.

Nuptiæ incestæ 603.

Nutritor 344, 378, 384.

Nutus divinus 62, 75, 88, 97.

Nymphæ ad levandam sitim remedium 99.

Nymphæum, id est fons 69, 99.

O

Oblationarius 205, et oblationes, etc. 110, 205. Consecratæ 53, quæ et fermentum.

Oblationes et ampullæ vel luminaria ministranda cœmeteriis a Lateranensi patriarchio 110.

Obnoxius curiæ ne fiat clericus 60.

Obsequia militiæ 317.

Occursus Joanni papæ 83. Occursus Carolo Magno Romam advenienti 314, 315. Occursus papæ Constantinopoli advenienti 87.

Octipulum 461, 464.

Octava Assumptionis 508.

Odo prædo 622.

Odoacer rex 73.

Officium matutinum 338, 340.

Olea massoricæ 547.

Olerus pater Stephani IV 263.

Oleum Cyprium 39. Nardinum pisticum 36, 39, 40, 44.

Oleum chrismatis, et oleum exorcistarum 57.

Olitana tempora 335, 342. Vetustas 343. Trabes 343, 347, 355.

Olympius exarcha 131, 152.

Omne, id est totum 80, 87.

Ophiticus id est prudens 579.

Optimates militiæ 269.

Oraculum, sive oratorium 141, 158, 259, 260, 511.

Orare pro valde bonis est Deo gratias agere, inquit Aurianus papa II 620.

Orarium 145, 272. Orarium de collo ablatum, ritus depositionis 141. Vide *Pallium*.

Oratio contra Saracenos composita a Leone IV 523, 524. Facilius exauditur in templo 644.

Orationes cur in templo facilius exaudiuntur a Deo pro concordia pretexte docuit papa Stephanus VI. Verba habes expressa 644.

Orator. Abba-Cyri in Xenodochio 224, 408. Ubi plura memorantur, nempe Agathæ 407. Agnetis 406, 455. Andreæ 163, 260, 409, 501, 543. Apollinaris 79. Archangeli 414, 445. Barbaræ 429, 508, 519. Cæciliæ 223. Cæsarii 158, 270, 407, 509. Cosmæ et Damiani 80, 408. Sanctæ Crucis 63, 78, 398, 518, 584. Eugenii 508. Eupli 60, 128. Gregorii 407, 459, 478, 518, 593, 602. Hadriani 515. Joannis Baptistæ 69, 78, 381, 402. Joannis evangelistæ 69, 78, 124, 381, 402. Laurentii 264, 473, 475. Laurentii in patriarchio Lateranensi 264, 473. Leonis 260, 506, 509, 514. Luciæ 406, 408, 471. Mariæ 167, 168, 281, 407, 417, 611, 472, 518, 418, 515, 201, 385, 401. Nicolai 519, 601. Pauli 118, 515. Pastoris 518. Peregrini in Hospitali Dominico ad Naumachiam 403. Petri 196, 141, 183. Processi 199, 265, 452, 443, 515. Salvatoris 210. Sergii, et Bacchi 262, 406. Silvestri 128, 138, 218, 329. Sixti et Fabiani 443, 519. Sossii 78. Stephani 406, 71, 389. Thomæ 79, 645. Viti 406.

Oratorium promiscue pro ecclesia 519. Oratoria tria S. Hilari 69. Dicuntur etiam cubicula 79.

Orbiculi 542, 550, 551. In crucibus 389, sive tabulæ de chrysoclavo 414, 418, 420.

Orbis terrarum 218.

Ordinatio levitæ et sacerdotis 16.

Ordinatio pontificis 109, 146, 150, 154. Sacerdotum Græcorum est juris Pontificii 633. Gradus in promovendis ad episcopatum 29. Ordinationes factæ a Constantino pseudo-papa 279, 280. Ordinatio vetita archiepiscopo ob proterviam 155.

Ordinator, officium 172. Sergius I. 1.

Ordines ecclesiastici 20.

Ordinum minorum, ut ostiariorum, lectorum, exorcistarum, acolythorum, etc., usus in Ecclesia perantiquus 29. *Qua ætate quisque ordinandus sit statuit sanctus Silvester* 33. *Ordinati a pseudopapa Constantino deponuntur et iterato eliguntur* 280.

Ornamenta Ecclesiæ 41

Orphani 642.

Orphanotrophium 480, 649.

Os in cœlum ponere 599, 625.

Osculandi pedes summi pontificis honoris causa mos est perantiquus. Romanus enim senatus consuevit post perfectam electionem novi papæ statim ad oscula ruere 455, 497, 566. *Justinianus Junior primus osculatur papæ pedes* 173. *Dux Beneventanus* 488. *Vide verbum* Papæ.

Ostiarius 25.

Ostiensis episcopus pallio utitur 49. Ostiensis civitas 523, 607. Refecta a Gregorio IV 476. Dicta Gregoriopolis 477.

Ova structilia camelorum donata Ecclesiæ 551.

P

Pacem tribuere 249, 269.

Pagina præceptionis 427.

Palatium Irenis 628. Lateranense 451, 525, 612. Licinianum 72. Neronianum in Vaticano 1, 22. Pincianum 100. Sessorianum 41.

Palergium chrysoclavum 151.

Palla linostina 55.

Pallea 218. Pallea sacrata Monacha ne attingat 13. Pallea auro texta 89 Pallea holoserica 320, 321, 322, 325, 326, 351, 205, 487. Pallea quadrapola 522. Pallea holovera auro texta 95.

Pallium de collo ablatum signum depositionis 101, 279. Vide *Orarium*.

Pallia quadrapola idem ac hodie *colori*, Latine cubitræ 323. Eadem dicta stauraci, id est cruce insignita 320.

Pallii usus primum a sancto Marco papa concessus Orientali episcopo non licet esse absolutum papæ constituti Leonis II 150.

Palmati domus juxta basilicam Liberianam 64. Cum balneo et pistrino, *ibid*.

Pancarea, sive votarea, picturæ, continens sex synodos universales 179, 180.

Panis pensans libras duas 101, 323.

Panni 611, 612. De fundato 611, etc.

Pannus Alexandrinus 449

Digitized by Google

Panoclysta gemmeus 594. Vide *Spanoclystus.*
Panormus 158.
Pantheon, ut Romæ converteretur in templum beatæ Virginis Mariæ et omnium martyrum Bonifacius papa IV impetravit ab imperatore Phoca 116.
Papæ Joannis VII exceptio honorifica Constantinopoli ab imperatore coronato, ejusque pedes deosculante 173, et 67, 96, 105. Papæ exceptio honorifica Interamniæ per Luitprandrum regem 209. Papæ exceptio honorifica in Gallia per Pippinum regem ad centum millia in ejus occursum filios præmittentem 243. Papæ equitanti imperator stratoris officium præstat 380. Papa orbis 426. Quandoque dicitur archiepiscopus 66, 72, 227.
Papa Romanus est pontifex universalis, caput omnium sacerdotum, et princeps totius Ecclesiæ 160, 596, 620, 630. *A nemine judicatur; sed ipse judicat de omnibus* 374, 636. *Non licet papæ sibi successorem deligere* 192. *Mortuo vero papa, nemini licet loqui de successore, nisi tertio die depositionis transacto* 113. *Eligendi in papam non laici nec omnes clerici, sed qui per omnes gradus ecclesiasticos ascenderint;* ita rogante Pelagio I, 109, et concilio Romano cum Stephano IV 278.
Papæ ex monachis facti sanctus Telesphorus 9. *Sanctus Dionysius* 26. *Adeodatus* 137. *Sanctus Agatho* 140, *Sanctus Leo IV* 156.
Papæ electionem imperatores aliqui præpotentia abusi *noluere sine suo consensu fieri* 146. *Constantinus Pogonatus concessit ut quisquis electus fuerit pontifex, statim ordinetur* 153. *Ubi clerus elegit papam,* populo admittente, *etiam exercitus consentit* 156. *Sergius a Clero* eligitur populo connitente, *aliique post ipsum multi* 138. *Adrianus II electus est a Clero,* obsecundante populo, *non rogatis legatis Cæsaris, etiamsi in Urbe essent* 614.
Papæ Decreta sua contra hæreses jubent servari in archivo, ut sanctus Siricius 55. *Summo honore affecti sunt a regibus et imperatoribus. Sancto Joanni papæ Constantinopoli obviam procedit Justinus imperator, pronus cum adorat. Ipse coronat Justinum: postulata omnia impetrat* 67, 88. *Eodem honore post affectus ibidem Agapetus papa, adoratus ab imperatore Justiniano* 96, 105. *Et legati papæ honorantur* 141. *Justinianus Junior imperator papam Constantinum ad se vocatum ubique tanquam se jubet honorari, et pronus ejus osculatur pedes, ab eodem communionem accipit* 173. *Rex Longobardorum Luitprandus abjicit se ad pedes Gregorii II, et motus ejus cohortatione, non solum neminem læsit, sed etiam omnia, quibus erat indutus exuit, et ante corpus beati Petri deposuit* 186. *Pippinus rex Francorum prostratus humi cum uxore et filiis suscepit papam Stephanum III. Leo III tota Germania honoratur tanquam apostolus* 372. *Ste hanus V tanto honore afficitur in Francia, ut nulla lingua exprimi queat* 428. *Ludovicus II imperator frenum equi pontificii tenet, et archiepiscopum Ravennatem monet ut se humiliet eorum papa: cui, inquit omnis Ecclesiæ generalitas inclinatur* 589. *Basilius imperator legatos papæ magno honore excipit, et apostolicas litteras osculatur* 628.
Papæ l berrime allocuti sunt imperatores 93, 101, 106, 160, 184.
Papæ deposuere patriarchas, et excommunicarunt, aliis in eorum locum constitutis 96, 127, 131.
Papæ de crimine accusati publice, acceptis Evangeliis et cruce, se purgarunt 63, 77, 109, 374, 575.
Papia civitas 240, 247, 251, 319, 588.
Papensis Ecclesia 174.
Papyrus 39, 40.
Paracellarii, sive cellarii, distributores eleemosynarum 226, 328.
Paracellarium 328, 465, 475.
Paratrepta 380.
Parisii 243.
Parma 318.
Parochia, id est diœcesis 8. Parochiæ institutæ 26. Propriæ desertor punitus 544. Parochias quomodo instituit sanctus Dionysius papa diœceses 26.
Parolus religiosus 506.
Pascha Dominico die celebrari jussit angelus 12. *Et a nuntius Victor papa* 15.
Paschalis papa nudis pedibus ad incendium Romæ extinguendum occurrit 433. *Corpora sanctorum multa invenit* 431. *Ecclesiis plurima donavit. Vide* Roma, *et* Ecclesia.
Paschalis archidiaconus affectans pontificatum, et ad simoniacam labem addens sortilegia, deponitur, et misere moritur 139.
Paschalis primicerius, impius aggressor sancti Leonis III 369, 370.
Passio Domini Canoni missæ inserta 7.
Passio sancti Laurentii argento clusa 43.
Pastor frater Pii I 12.
Patena argentea 18, 31, 36, 42, 41, etc. Chrismalis 34, 45. Deaurata, cum effigiebus 519, 530, 570. Aurea 38, 41, 42. Magna 197. Cum hyacinthinis 85, 89. Spanoclysta 396, 416. Vitrea 16.
Patriarcha, hoc est papa 8. Constantinopolitanus quomodo a pontifice Romano exceptus 127. Solet appellari a pontifice Romano frater aut consacerdos 188.
Patriarchium 158, 177, 183. Patriarchium Lateranense 218, 257, 367, 402, 503, 570, 616, 641. Dictum episcopium 183.
Patricia Antonina 101, 276, 307, 309, 315.
Patricius Agapitus 87. Antonina 101. Basilius 107. Belisarius 97, 104, 613. Eleutherius 117, 118. Eutychius 185. Joannes 171. Isacius 121, 125, 126. Paulus 185. Platon 131. Romanus 113. Sergius 196. Theodorus 126, 133, 172. Theophilactus 165 Patricius Romanorum 307, 309, 315.
Patrimonii Siciliæ familia jubetur restitui 157. Patrimonium Brutiorum et Lucaniæ 157. Patrimonium Sabinense, Nomentense, Auximianum, Auconitanum, Humanatense, restituitum Ecclesiæ a Luitprando rege 210. Tusciæ 224. Siciliæ 157.
Patrini scholarii 484.
Pattinopolis 39.
Paulus Alicarta 285, 289, 294, 296, 297, 301, 302.
Paulus patriarcha Constantinopolitanus 129, 130.
Paulus diaconus 229, 232.
Paulus librorum custos 628.
Paulus papa extruxit ecclesiam juxta templum Romuli, ubi genua flexisse dicuntur Petrus et Paulus, quæ adhuc in saxo apparent 261.
Paulus I obiit in ecclesia sancti Pauli; ejus cadaver defertur per flumen ad sanctum Petrum 238, 261.
Paulus pater sancti Leonis II 147.
Paulus patricius et exarchus 185. Occiditur 185.
Paulus Superista 294.
Pauperes Christi fratres nostri, eorum alimenta in patriarchio Lateranensi 80, 327.
Pauperibus habitacula constructa prope basilicas 80. Pauperum cura singularis exercetur a sancto Nicolao I 600.
Pavimentum de argento purissimo 320. Ex auro 392.
Pavonatilis, adject. 614.
Pavones 498.
Pax 117, 152, 452.
Pedes pontificis osculandi mos antiquus 455, 487, 497.
Pelagius I 108, 109.
Pelagius hæreticus negavit Christianorum liberos egere baptismo 57.
Pelvis ex argenteo ad baptismum 45.
Penna acutior, *pena grossa* 626.
Pentapolenses Gregorium II tuentur 184.
Pentapolis 185, 216, 253, 308, 589.
Peregrinati sunt Romam ad limina beati Petri et Pauli viri principales religionis causa, ut reges Saxonum, cum multis aliis 175, 575. *Carolus Magnus* 314, 315. *Theudo dux Bavariæ* 179.
Pergula 198, 382, 389, 390, 594, 526, 643.
Periclysis 361. De Blatthin 363, 363. Byzanteo 440, 442. De chrysoclavo 363. De fundato 36. De olovero 439.
Persecutio in clero 52, 29.
Perusia 223, 294, 305, 286, 287.
Pestilentia 116, 117, 141, 182.
Petali 162.
Petasius in Italia affectator imperii 187. *Occiditur, ibid.*
Petinans 471.
Petræ auri smaltitæ 575.
Petronillæ altare 365, 383.
Petronius cos. 149.
Petrus Alexandrinus 72, 73, 74.
Petrus Ascarius 171. Bulgarorum legatos 631, 639.
Petrus patriarcha Constantinopolitanus 134.
Petrus dux 184.
Petrus pater Valentini II 453.
Petrus pater Benedicti III 536.
Petrus (S.) princeps apostolorum, Antiochiæ sedit annos septem, Romæ 24. Evangelium Marci scripsit. Evangelia quatuor testimonio suo firmavit 1. *Carolus Magnus omnes gradus Basilicæ sancti Petri Romæ osculatur* 515.
Petri (S.) Apostoli imagines aureæ plures a Sergio papa in Vaticana basilica positæ cultui cum thymiamaterio a Sergio papa I cum sede appellativa collocata in apsida basilicæ 162.
Petrus tribunus 295.
Phara ærea 31, 42, 48, 58, 70. Argentea 38, 43, 44. Aurea 36, 70. Aurea cerostata 57. Canthara cerostata 139. Coronata 34. Cum delphinis 69. Pharum 500. Volubile 423. In modum retis 415, 416. In typum crucis cum candelis 1570. In ecclesia beati Petri 320. Quod accendi debet in quatuor festivitatibus Natalis Domini, Paschatis, natalis apostolorum, et natalis papæ, *ibid.*
Phasiani 478.
Phialæ aureæ 36.
Philippicus imperator 174, 176.
Philippus papa electus 270. Vix electus abit, et revertitur ad monasterium 271.
Philopares columnæ 194, seu Filopares.
Photius neophitus Constantinopolitanæ sedis invasor pellitur, et Ignatius patriarcha restituitur 593, 594. *Ejus patroni dum Romam navigant in mari pereunt* 623. *Bis a Romana Ecclesia judicatus et damnatus est* 624. *Liber*

Digitized by Google

ejus in symolo Romana, demo licet more in ignem delabentie, itupe tibus omnibus, exustus est 627. *Idem fit in octava synodo œcumenica Constantinopolitana* 629.
Pigacium 646.
Piger 39.
Pinciarium palatium 100, 101.
Pippinus rex Francorum 235, 237, 243. *Ungitur rex* 244. *Cum legati imperatoris Orientalis peterent Ravennam aliaque castra restitui suo domino, Pippinus remit, tum quia Stephano papæ ea jam promisisset, tum quia nolit quidquam a Romana Ecclesia tenari, seque bellum non suscepisse contra Aistulphum regem Longobardorum, nisi amore divi Petri et p o venia delictorum suorum* 251. *Victo Aistulpho, civitates omnes restituæ sunt, clavibus earum Fulrado abbati traditis, quarum nomina habes* 254.
Pissurum 253.
Pistrinum 39, 58.
Pius apostolicus, id est papa, 523.
Placibilis 279.
Placidia Augusta 60, 62. Ejus domus 172.
Plaga, id est navis Ecclesiæ, 472.
Plancæ, id est tabulæ planæ, 31.
Planeta 309.
Planetati clerici 629. Occurrunt Constantinopoli legatis sedis apostolicæ, *ibid.*
Platea via lata 538, 583.
Plato pater Joannis VII 167.
Platon patricius 131.
Platonia cœmeterio Callixti cum memoriis episcoporum et martyrum 54, 65, 416.
Plebs Romana 105.
Plumarium 162.
Plumbata 22.
Pluviæ 112, 138.
Podagricus humor 169.
Pœna canonica, hoc est depositio, 129.
Polycandilum porphyreticum 394.
Polychronius 145, 148. Pater sancti Zachariæ 206.
Polymacense patrimonium 209.
Polymartium 206.
Pondus, id est census 452.
Pons Antonini 356. Capellæ 183. Milvius 98, 180, 267, 356, 372, 561. Salarius 183, 216.
Pons Antonini 356.
Pontianus (S.) exsulat 20.
Ponticone 243.
Pontifex Romanus caput omnium sacerdotum 160. Occurrit illi imperator Constantinopolitanus ad vii lapides 172, 173. Vide: *Papæ exceptio honorifica.* Pontifex Romanus humilitatis causa aliis episcopis ad prandium vocatis ministrat aquam 619.
Pontifex 97, 109, 278, 115, 154, 112, 614.
Pontifices Adeodatus 137, 138, 159, Agapitus 94, 96, 97. Agatho 140, 146, 147. Alexander 7. Anacletus 5. Anastasius 56, 57. Secundus 75. Anterus 19, 20. Anicetus I, 11. Benedictus I, 111, 112. Secundus 151, 153, 154. Tertius 556, 577. Bonifacius I 60, 61, secundus 91, 92, 93, tertius 115, quartus 116, quintus 118, 119. Cœlestinus I 62. Caius 29. Calixtus 17. Clemens I 4. Cletus 3. Conon 156, 157, 158. Constantinus 170. Cornelius 22. Damasus 54. Deusdedit 117. Dionysius 26. Donus 159. Eleutherius 14. Evaristus 6. Eugenius I 134, secundus 452, Eusebius 32, Eutychianus 28. Fabianus 21. Felix I 27, secundus 53, tertius 73, quartus 90. Gelasius 74. Gregorius I 113, secundus 177, 192, tertius 203, quartus 457, 478. Adrianus I 290, 357, secundus 513, Honorius 119, 129. Hormisda 82, 86. Hilarus 68, 71. Hyginus 10. Innocentius I 57, 58. Joannes I 87, 89, secundus 93, tertius 110, quartus 124, quintus 134, 135, sextus 160, 166, septimus 167, 168. Julius 50. Leo I 66, 68, secundus 117, 150, tertius 358, 475, quartus 494, 555. Liberius 51, 52. Linus 2. Lucius 23. Marcellinus 30. Marcellus 31. Marcus 49. Martinus 130, 133. Melchiades 33. Nicolaus 577, 672. Paschalis 450, 457. Paulus 201, 357. Pelagius I 109. Secundus 112. Petrus 1. Pius 12. Pontianus 20. Sabinianus 114. Sergius I 158, 161, secundus 479, 493. Severinus 121, 123. Silverius 97, 101. Silvester 54, 48. Simplic. 72. Siricius 53. Sisinnius 169. Sixtus I 8, secundus 15, 35, 62, 65. Soter 13. Steph. I, 24, secundus 227, tertius 227, 256, quartus 262, 289, quintus 426, 429, Sextus 648. Symmachus 76, 81. Telesphorus 9. Theodorus 127, 129. Valentinus 453. Victor 15. Vigilius 102, 108. Vitalian. 135, 136. Urbanus 18. Zacharias 206. Zepherinus 16. Zosimus 59.
Pontificium, id est pontificatus 614.
Pontificum electio facta absque jussione principis 112, de successore 109, 115, 218, 278. Pontificum viventium effigies in vestibus sacris 507, 526, 528, 536, 542.
Populus Romanus 104.
Porci inglandiati 328.
Porta aurea 627. Porta virorum in ecclesia S. Petri 392, 287, 332, 484.
Portæ Urbis 306, 286, 516. Portæ æreæ Romam Perusiis deductæ 357. Porta S. Laurentii 177. Flaminia 180. Porta Foforritana 44. Asinaria 100. Portæ argenteæ ecclesiæ B. Petri 352, 484, 405. Portæ urbis Romæ ab Adriano I mutatæ 306. Portæ aureæ turris Lateranensis 218. Portæ basilicarum extra muros clausæ ne diripiantur a Longobardis 508. Portæ Centumcellarum 549. Porta Civitatis quæ egreditur ad S. Petrum 287. Porta Portuensis 288. S. Pancratii 514. Porta Appia 513. Porta Flaminia subversa in Tiberis inundatione 336. Salaria 490.
Porticus quæ ducit ad S. Petrum 341, incendio consumpta 432, restauratur 453; quæ ducit ad S. Paulum 342; quæ ducit ad S. Laurentium foris muros a porta usque ad basilicam 512. Porticus Palatina prope S. Marcum diruta sub Adriano I, 536. Porticus Palmaria, sive ad Palmata 119, 312. Porticus Apostolorum in via Lata 321. S. Crucis 182, ad S. Laurentium foris Muros 342. Palatina ad S. Marcum 356. Marci 323, 568, 585. Mariæ Transtib. 572. S. Petri 540, ducens ad B. Paulum 342, ad B. Petrum 341, 433. S. Susan. 366. ante scrinium Lateranense 218. Oratorii B. Silvestri 218.
Portuensis episcopopus 613. Portuensis insula 536.
Portus Rom. 93.
Possessio Affilas 48. Alsanen 46. Amandani 58. Aglesis 41. Angulas 41. Antoniana 58, 47. Aranas 43. Armanalanan 39. Armatiani 46. Augusti 43, Balneolum 43. Basilea 40, in Terit. Cajetano, sive Catejano 43, ad duas Casas 44. Celeris 63, ad centum 47. Conitum 40. Corras in territorio Clusino 58. Corviana 58. Cymbrana 48. Cyriaeotis 43. Cyrias 40. Euthymica 39. Fyglinas 58. Timia 40. Sofonitana Fronimusa 40. Forisis 62. Fundamentis 58. Gauronica 47. Græcorum in Terit. Ardear. 43 Herculis 41. Horti 46. Hybromias 39. Hyrelina sive Selina 48. Insula cum castro 48. Insula Maccabeo 40. Lacus Turni, sive Laurentina 46. Leonis 47. Machari 48. Martianas 45, marmorata 63, mediane 40, in territorio Menterno 47. Micinas Augusti 43, mobaris 39, molas 46. Ninfulas 48. Nimphis 41. Nunsula 45. Papyriana 54. Paternum 47. Patras 41. Pattinopolis 39. Quiriti 43. Scauriana 63. Septimiti 43. Sibyllæ 39. Sponsas 41. Stabiliana 46. Sufuratarum 43. Thermulas 43. Tiberii Cæsaris 46. Timialia 39. Vico Pisonis 42. Terega 41. Possessiones B. Petri direptæ 374.
Posterula S. Agathæ 568, 583.
Postes Sethicus 62, in notulis Fabrotti.
Postiges zethicus, *ibid.*
Potentiana 12.
Potestas ecclesiastica 23.
Præcepta Ravennati archiepiscopo injuncta 592.
Præfecti Demetrius 82. Dominicus 534. Heliodorus 82. Maximus 19.
Præfecturius 533.
Præfectus Urbis 22, 208. Sub Adriano papa I 298.
Prænestina civitas 586.
Præpodisio, alias Prepolitio 214.
Præpositus Sacri Cubiculi 37.
Præsepe D. N. J. C. exornatur a Sergio secundo 490. In ecclesia S. Mariæ Transtiberim a Greg. IV 470, 471.
Prætextatus. Vide *Cœmeterium.*
Prætorium S. Stephani 81, in margine vero S. Laurentii, *ibid.*
Prasinalis adject. 471.
Praxedes 12. Dicta martyr. 431, 433. In alio situ non longe ad antiqua 454.
Preces pro defunctis 340.
Presbyter Arianus resipiscens quomodo suspiciendus 35.
Presbyter ordinatus a B. Petro S. Anacletus 5. Presbyter nullus missam celebret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati suscipiat declaratum, quod nominatur fermentum 55. Presbyter supplet vices tertii episcopi in ordinatione papæ 109. Presbyterorum 25 in urbe ordinatio 3. Presbyteris divisæ ecclesiæ et cœmeteria 26. Presbyteri duo et diaconi tres in omni loco episcopum non deserant 26. Presbyteri prooter pœnitentes et baptismum 72.
Presbyteria, id est emolumenta, 134, 226. Honor 358.
Presbyterium 320, 331, 349, 360.
Pretium constitutum pro locustis capiendis 650.
Primates Ecclesiæ, id est cardinales 122, 269.
Primatus Ecclesiæ Romanæ contra Constantinopolitanum assertus tempore Photii 115.
Primicerii dicti proceres Ecclesiæ 293.
Primicerius notariorum 213.
Priscilla 31.
Priscus S. Cœlestini pater 62.
Priscus pater S. Marci 40.
Privilegia Ecclesiæ renovata a Justiniano Juniore 173.
Proceres Ecclesiæ dicuntur primicerius et secundicerius 293.
Processiones in 4 festis B. Virginis 164.
Procinctus armatorum 522.
Projectus 30.
Projectus pater Joannis secundi 93.
Propitiatorium argenteum 432, 436. Aureum 446, 450. Idem ac confessio altaris 440, 447.
Proscriptione damnari 31.
Proterius 72.
Protesecreta 250, 251.
Psallentium substantive [illegible]et cantus psalmorum, 337.
Psalmi in ecclesia canendi diu noctuque 54. Psalmi omnes David anti-

Digitized by Google

phonatim ante sacrificium psallantur 64. Diu noctuque canantur per omnes ecclesias 54.
Psalmos cantari per ecclesias et monasteria præcepit S. Damasus papa 54.
Psalmodia Græcæ modulationis 259.
Psyllis 440.
Ptochium sive xenodochium, 112.
Pudentiana seu Potentiana 12.
Purpura imperialis mundana 174.
Pyrrhus patriarcha Constantinopolitanus Romam venit, ibique hæreses suas abjuravit : quo facto, papa jussit eum munera erogare in populum, et cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut regiæ urbis sacerdotem 127. Sed postea relapsum excommunicavit, ibid.

Q

Quadragesimale jejunium, nempe septem hebdomadarum ante Pascha a Christianis servandum esse mandavit S. Telesphorus papa 9.
Quadragesimali tempore jejunium et celebratio missarum instituta feria 5 184.
Quadrapolis, id est stauracis, 320.
Quadrificium 432.
Quadriporticus 360.
Quarta decima luna primi mensis 15.
Quatuor (in) Temporibus XV lectiones 399.
Quintianus pater S. Leonis Magni 66.

R

Racana 39, 40.
Raehis rex Longobardorum 217. Fit monachus 223.
Radechisius rex, postmodum monachus 234.
Radoaldus pater S. Leonis IV 494.
Ratchis rex Longobardorum cum uxore et filiis monasticam vitam, adjutore Zacharia papa, complexus est 223. Mortuo vero Aistulpho, ob invasum a Desiderio regnum, egressus cœnobio collegit copias. Verum papa cum Desiderio faveret, jussit Ratchin cœnobium suum repetere, quod et fecit 255.
Ravennæ ad ducatum regendum pro imperatore catholico exarchus non admittitur Romæ, nisi prævia professione fidei catholicæ 176.
Ravennatium consularis 300, 302.
Ravenna capta a Theodorico patricio 170. Ravennæ circus 126. Ravennæ Ecclesia se subjectam agnoscit Ecclesiæ Romanæ 139, 140, 149.
Ravenna capitur a Luitprando rege Longobard. 183. *Sed Zacharias papa Roma per Ravennam ad regem profectus, Ravennam et alia omnia erepta recuperavit* 216. *Ravennatum Ecclesia post diutinum schisma se Romanæ subjicit, ejus archiepiscopus Romam venit* 140. *Decretum ut secundum morem veterem electus de novo archiepiscopus, Romæ ordinetur* 150. *Felix episcopus ab obedientia Rom. papæ debita desciscens punitur* 170. *Ravennates mittunt Romam legatos cum querelis contra archiepiscopum, qui Romam vocatus non parebat, sed implorat opem Ludovici regis degentis Papiæ* 588. *Papa rogatu civium Ravennam venit. Ludovicus Cæsar hortatur archiepiscopum ut humiliet se papæ* 539. *Paret consilio, et in synodo Romæ a papa excommunicationis vinculo liberatur* 590. *Ei mandatur ut quotannis Romam redeat, et alia* 591.
Rectori patrimonii Siciliæ equitanti usus pallii conceditur 157.
Referendarius, regis Desiderii 303.
Reformare, id est iterum facere 167.
Regiæ, id est jaunæ 156, 389, æreæ 416, majores 391, 394, 397, 416, 203. Vestitæ ex argento purissimo 395.
Regionarius 577.
Regiones Urbis septem notariis divisæ 4. Et diaconibus 21, 29. Regio prima 72, 101, 134, secunda 223; tertia, quinta, Tauma id est Caput Tauri, sexta, septima 72; tertia 72, ubi erat basilica supra S. Clementem 233, 613; quarta 479, sexta 72, 101, ad Duos Adamantes sive ad Duos Amantes 34. Caput Tauri 42, 75. Orrhea, vel Roffea 34. Sicinni 34, via Lata 8, 290, 455, 640; vico Patritii 3; urbe Ravennatio 17.
Regnum argenteum 519, 529. Cum tintinnabulis 492, cum gemmis, donum Clodovei regis 85. Ex auro purissimo 393, 395, 424, 397, 492. Regnum ex auro pendens super altare in gemmis in titulo S. M. Callixti, et in diaconia S. M. in Dominica 396. Spanoclystum ex auro cum cruce pendens super altare in basilica Vatic. in orat. S. Crucis 398. Oblatum a Stephano VI cum spatha in basilica Vaticana 646.
Regulæ candelabrorum 198.
Regulares argenteæ 285, 329, 383.
Regum unctio per pontificem Romanum cur a Desiderio rege peteretur 296.
Religiosi ordines 306.
Religiosæ vitæ institutum complexus Carolomanus rex Francorum 221, *et Ratchis rex Longobard.* 223.
Reliquias SS. martyrum levari non posse, nisi a presbytero, decrevit Bonifacius V 118.
Reliquiæ (S.) decidente ecclesia ablatæ, in ejusdem reparatione restituuntur 385.
Repedare 308, 316.
Respectores, sive respectatores, sive inspectores sortium 150.
Responsales sedis apostolicæ 12, 135, 219.
Resurrectio pro *erectio* 172.
Rete aheneum 500. Rete ex gemmis et auro 573.
Reticulum circa calicem 574.
Retrancidere 589.
Roffea regio 34.
Roga, id est donatio, ab erogando 117, 118, 121, 123, 124.
Roma obsidetur a Totila rege Gothorum 107; *a Vitige rege* 98, 99; *a Longobardis* 112; *patitur inundationes* ibid. *et* 189, 336, 568, 583, *tempestates maximas* 138; *pestem* 141; *terræmotus* 380, 499; *ejus muros reparat S. Leo IV* 515; *nova urbs Leoniana ab eo dicta juvante sumptibus Lotharii imperatore amplificata* 532; *Romana urbs summi sacerdotii et regalis excellentiæ retinet dignitatem* 455.
Roma obsessa a Gothis 98, 99, 107. Romæ excipitur Constantinus Pogonatus ad sextum lapidem occurrente pontifice cum clero 135; et plura donat ecclesiis, sed plura secum tentat perferre Constantinopolim; at in Sicilia occiditur 136.
Romana Ecclesia universalis est et caput cunctarum Ecclesiarum 486; *et ut caput omnium Ecclesiarum cognoscatur et vocetur, obtinet a Phoca imperatore Bonifacius III papa, quia Constantinopolitanus patriarcha se universalem appellare cæperat* 606. *Aripertus Romanæ Ecclesiæ restituit Alpes Cottias* 168. *Eam donationem Luitprandus rex confirmat* 179. *Pippinus, Carolus et Carolomannus Francorum reges eidem restituunt ducatum Ferrariæ, Ravennam, Faventiam, etc.*, 256, 294. *Legati Basilii imperatoris vocant Romanam Ecclesiam* non *habentem maculam neque rugam* 624. *Carolus Magnus religionis causa Romam veniens ad Ecclesiam B. Petri omnes ejus gradus exosculatur in ascensu* 516. *In eadem Ludovicus rex Lotharii filius cum Francis pronus confessionem D. Petri veneratur* 485.
Romani populi in catholica religione tuenda tantus fuit zelus, ut non passus sit papam accipere synodicam ab hæretico patriarcha Constantinopolitano Petro 134. *Zelus ejusdem in hæreticum imperatorem Philippicum* 174. *Ducem Neapolitanum cum filio trucidat, eo quod intentasset necem pontifici nomine imperatoris Orientalis* 184. *Etiam in periculo mortis intentatæ a Francis negat se recepturum Anastasium ab episcopatu depositum, in papam; suisque clamoribus cogit Francos in legitimum papam consentire* 564.
Romanus ostiarius et martyr 25.
Romanus patricius et exarchus 113.
Romanus pontifex a nemine judicatur 374, et de omnibus episcopus judicat *ibid.*, et de omni Ecclesia solus habet jus judicandi 636.
Rosæ chrisoclavæ 564, 578, 417, 419, 461, 505; cum cancellis 566, 420.
Ruffinianus pater S. Eugenii papæ 134.
Rufianus pater S. Silvestri 34.
Rugæ 285, 320; argenteæ 349, 361; cum vultibus apostolorum Petri et Pauli 513; aureæ 360, 363; de auricalco 492, seu confessio 396; majores 382, 447.
Rugulæ 345, 432, 435, argenteæ fusiles 545.
Rusticus pater S. Julii papæ 50.

S

Sabbati jejunium ter in anno, seu jejunium Quatuor Temporum 17.
Sabiniani papæ funus 114.
Sacellarius 171, 177, 265, 369. Sacellarius mittitur ablegatus papæ ad regem Desiderium 294, 302.
Sacerdos Romanæ Ecclesiæ, id est presbyter cardinalis 457. S. Theodori in Sabello 429.
Sacerdotalis catalogus 454
Sacra, substantive; epistola imperialis 172, 173, 176.
Sacramentum (per) se munire 316.
Sacrificium altaris in linteo tantum ex terreno lino procreato celebratur 55.
Sagulum 645.
Sanctimoniales 77, 372.
Sanctitas titulus pontificius 308, 315.
Sanctuaria, seu ministeria 554.
Sandalia Jesu Christi 591.
Saracenis pacem dat Justinianus 155. Saracenorum sedes maxima ad Rhodanum 182, a Saracenis sub Sergio II deprædantur ecclesiæ sanctorum Petri et Pauli
Saraceni invadunt Siciliam et spoliant 137. *Pacis fœdera cum iis init Justinianus* 11. *Anno Domini* 685, *num.* 155, *occupata per decennium Hispania tenent Galliam. Franci* 375 *millia eorum trucidant, desideratis tantum mille quinquentis de suis* 182. *Constantinopolim biennio frustra obsident* 183. *Contra Saracenorum incursus Gregorius IV novam Ostiam condit* 476 *Saracenorum classis fluctibus maris absorbetur* 497, 523. *Ecclesiam S. Petri spoliant* 495, 521. *A Neapolitanis, Cajetanis et aliis deleti* 523.
Saraia de holovero 573.
Sarcophagum porphyreticum 44.
Sardi incestus et illicitas copulas contrahentes corriguntur 605.
Sardinia insula 44.
Satellites iniqui 258.
Satisfactio libelli 74.
Satrapæ 209

Digitized by Google

Saulus diaconus et Vicedominus 172.
Saxiscus adject. 471, 531, 550.
Saxonum reges duo Romam veniunt ad adorationem apostolorum 175. Et alius sub Benedicto III papa 575.
Saxonum rex cum multis religionis causa Romam venit, et dona obtulit 575. *Duo alii Saxonum reges eadem de causa venere, et paulo post ibi obiere* 175. *In Saxonum vico incendium ortum Leo IV signo crucis exstinguit* 503.
Scala juxta porticum in patriarchio Lateranensi 328.
Scebrum chartale 160.
Sceneca deserta 49.
Schismata aliquot fuere in electione papæ, ut sancti Damasi 54. *S. Bonifacii* 60. *S. Symmachi* 76, 77. *Bonifacii secundi* 91. *S. Pauli* 257. *Stephani IV* 271, 272. *Sergii II* 481. *Benedicti III* 558.
Scholæ Frisonum, Saxonum, Francorum et Longobardorum Romæ occurrunt Carolo Magno Romam cum Leone papa III venienti 372.
Scholæ militiæ 481. S. R. E. 641. Cantorum 479.
Scholasticus 24. Scholasticus cubicularius, patricius et exarchus 176.
Scriniarius 171. Scriniarius Ecclesiæ Romanæ 319. Ecclesiæ Ravennatis 282. Scriniarius sanctæ Sedis 50. Scriniarius legit confessionem in ambone B. Petri 272. Legit Acta concilii 281.
Scrinium Lateranense 218. Episcoporum 174.
Scripturaliter 358.
Scuta argentea duo inscripta symbolo fidei supra altare S. Petri ad ejus corpus 410.
Scutella de adeptis hæreditatibus 92.
Scyphi 34, 36, 41, 43. Argentei, aurei, stationales 86. Scypho 377, anaglyphus 55, aureus ansatus 71, ex metallo 36.
Secretarium diaconiæ S. Georgii 163, 465, 572, 624, 600.
Secundicerius 266, 269. Secundicerii dicti Proceres Ecclesiæ 293.
Sedere cathedram 1.
Sedes vulgo dicta sub apostolis, in patriarchio Lateranensi 161, 598. Argentea 162. Pontificia a Paschali I ad evitandam propinquam mulierum frequentiam 447.
Sedes apallarea argentea 162.
Sedes apostolica a nemine judicatur 574.
Sedilia marmorea in ingressu patriarchii 499.
Seditio 77.
Sellæ muliebri super equum insidere cogitur invasor sedis apostolorum; postmodum deponitur 272.
Sellares 172, 243.
Senatus Romanus 76, 77, 272. Caput senatus 78.
Senior, id est dominus, 632.
Sententiæ judicialis vitia 196.
Sepeliendum ad episcopum, presbyterum aut diaconum, convenire debet episcopus cum omnibus episc., presb., diac. et clero 576.
Sepulturæ clericorum ut papa, episcopi omnisque clerus mersit, decernit Benedictus papa III 576.
Sequipes 248.
Serenissimus, regius titulus, 371.
Sergius magistrianus 160.
Sergius patricius et strategus Siciliæ 193.
Sergius pater Sergii secundi 479.
Sericum pigacium 64.
Severus presbyter et martyr. 25.
Sextaria argentea 491.
Sicilia sub tyrannide Mezzetii, mox sub Saracenis 137.
Sicinii regio 34.
Sicla argentea majora 377, 474.
Sigilla 38, 43. Prophetarum 36. Imperiale 172.
Siginolfus princeps Beneventanus 488.
Silentiarius imperialis 502.
Silvester Constantinum baptizavit 36.
Simeonis (S.) dies dictus a Græcis
Sixtus III (S.) purgatur judicio synodico 63.
Sixtus (S.) Sixti tertii papæ pater 63.
Smaltitus 573.
Smaltum 513, 643, 648.
Solamen mundanum 587.
Solidi mancusi in auro 344.
Solidorum 14 millia promissa regi Desiderio si redderet Ecclesiæ Romanæ civitates ablatas 310.
Soractes mons 34.
Sortes 159.
Spaniscus, adject. 571
Spatha auro colligata 575, cum vagina aurea 646, oblata a Stephano VI basilicæ S. Petri, ibid.
Spatharius imperialis 183.
Specula basilicæ B. Petri 165.
Spoletini se tradunt S. sedi 311, 315.
Spongiæ ad usum mensæ pontificiæ 182. In donum transmissæ Francis ibid.
Stabilis dux 303.
Stactes 40.
Statio annua 202.
Stellæ insolitæ apparitio 153.
Stephanus patricius et dux relictus a Zacharia papa ad gubernandam Romam 213.
Stephanus diaconus et M. 25.
Stephanus ex laico episcopus Neapolis 277.
Stephanus papa III in Franciam obit ad Pippinum 233. *Aistulphus rex Longobardorum eum impedire conatur* 210. *Honorifice a Pippino recipitur, Ticinat Papiis* 243. *Per Pippinum recuperat Ravennam et alias urbes* 218 *et seqq. ad* 255 *Nudis pedibus cinere aspersus prælata imagine achiropita processionem init cum clero, cum Aistulphus minaretur excidium Italiæ* 253.
Stephanus papa IV cogit synodum, in qua omnes in terram abjecti cum lacrymis clamant se peccasse, quod communicassent pseudopapæ Constantino 277. *Nudis pedibus cum litaniis procedit ad S. Petrum* 281.
Stephanus papa VI, inveniens cellas et horrea Romanæ Ecclesiæ vacua, propria sua bona in pauperes erogat, opiparos ad mensam vocat, ut filios; quotidie sacra facit, ad populum concionatur, quomodo in templis gerere se debeant et magnas detestari 644, 645.
Stola imperialis 86.
Stolus, id est exercitus 166.
Strategi 172, 193, 627.
Strator 243.
Subdiaconi notariis præpositi 21. Subdiaconus regionarius regionis I et subdiac. regionar. regionis VI, 101.
Suffitorium 85.
Superista 294, 531, 561.
Suppo, archimister 629, 630
Susanna (S.) 29.
Suscipere, hoc est approbare 148.
Syllabus admonitionum 309.
Symbolum fidei sculptum Græce et Latine in scutis argenteis in ecclesia B. Petri 410, 411.
Symmachus pontif. sub contentione ordinatus 77.
Syncellus 144.
Synodica epistola 135, 144.
Synodorum universalium imago picta Votarea, erecta in ecclesia B. Petri 174.
Synodus congregata jussu papæ, sed contra ejus mandata decernens cassatur 599.

T

Tabula aurea 382, 512, cum smalto 513, de stauraci 418, 419, de Tyrio 417, æreæ templi Romæ 19, acupictiles 527, argenteæ 119, 128, 472, 551, 642, aureæ cum imaginibus 512, auroteclæ 83, 526, de chrysoclavo 382, 383, 391, cum gemmis 366, cum historiis 439, cum rotis 498, paschatibes 414.
Talarus pater Adriani II 613.
Tecta Ecclesiæ 118.
Templa. Vide *Ecclesia. In templo facilius a Deo exaudiri preces nostras, docuit prolixe Stephanus papa VI* 644.
Templum Apollinis in clivo Vaticano 1, 22, 38. Martis 22. Palladis 22. Telluris 22.
Terræmotus 117, 499.
Territorium triumphale 1.
Testamenta valere debere secundum jussionem principis statuit Bonifacius papa V 118.
Testudo sive navis ecclesiæ 472.
Tetravela 163, alba, holoserica 162; in circuitu altaris basilicæ Constantinianæ rosata 414, 416, 163, 411; cum quadrapolis 409; ex coccino 163, 383, 398, 418, 320.
Thecæ aureæ 83.
Theodicius dux Spoletinus 266.
Theodoricus rex Gothorum Arianus S. Joannem papam emundavit Constantinopolim, cum minis, se Italiam gladio deleturum, si Justinus Arianos expellat ex urbe sua 87. *Occidit Symmachum, Boetium et Joannem papam, qui obiit in carcere. Ipse quoque rex subito interiit* 89.
Theodorus Calliopa patricius et exarchus 126, 133, 155.
Theodorus Pellurus cubicularius imperialis 133.
Theodorus pater Adriani I 290.
Theodorus pater Nicolai I 577.
Theodorus archipresbyter el. in schis. contra Paschalem 133.
Theodorus episcopus Hierosolymitanus pater Theodori papæ 125.
Theodorus seu Theodulus diaconus et martyr 7.
Theodorus presbyter petitus ab exercitu ad pontificatum non eligitur 156.
Theophania 151.
Theophilus episcopus Alexandrinus 15.
Theophylactus cubicularius patricius 165.
Thermæ Trajanæ 80.
Thesaurus episcopii Lateranensis diripitur 122.
Thessalia 635.
Theudo dux Bavariæ Romam religionis causa peregrinatur; quod ante eum ducum Bavaricorum nullus fecerat 179.
Thietgaudus archiepiscopus Trevirensis, quia defendit Lotharii regis repudium factum cum conjuge Thietberga a Nicolao primo papa depositus est episcopatu, Romæ in synodo 598. *Sed postea ab Adriano II sub debita satisfactione restitutus communioni* 616.
Thuribula argentea 409, 439, 412, apostolicum argent. 519; aureum 560, 598, 399, 400, 525, 530.
Thymiamateria 36, 38, 428, 460,

Digitized by Google

491; argenteum 63, 428, 474; aureum majus 162.
Tiberis inundatio 180, 336, 568, 583.
Tiberius Petasius imperium occupans, occiditur 187.
Tiberius pater Sergii papæ 55
Ticinensis Ecclesiæ episcopi consecratio ad sedem apostolicam pertinet 175.
Ticinum obsessum a Carolo Magno 314; et captum cum rege Desiderio 319.
Tigurium pro ciborium 78, 80.
Tituli Romani beatorum Aquilæ et Priscæ 403: et plures ibid. Tituli Urbis divisi 6, 67; quasi diœceses propter baptismum et pœnitentiam 31. Titulus SS. Silvestri et Martini fit parochia 490.
Tomus, hoc est fides Ecclesiæ Romanæ, 68, 160, 168.
Toto dux Nepesinæ civitatis 263. Occiditur 269.
Trabes argento coopertæ 83, 86, 197, 394, 552; de Calabria 103, 178, 449, 611; S. Pauli 178, 203.
Tracesius Cononis pater 156.
Translatio corporis S. Joannis papæ primi Ravenna Romam 89.
Transenna, suggestus 64.
Transmarinus homo quomodo in clerum recipiendus 56.
Trasimundus Spoletinorum dux 203, 207, 208.
Trebellius Bulgarorum rex 168.
Tremissis 35, 39.
Tria Fata 120, 270, 325, 343, 413, 463.
Triantus adject. 69.
Tribuni Ravennates mittuntur ad pontificem Adrianum nomine pub. 293.
Tributum capitationis 137.
Tricesimalis consuetudo 592.
Triclinium 218, 467, 373, 463, 601.
Triclinium S. Leonis III 384, 378, 465.
Trimme aurum 36, 38.
Triporticus 69.
Tritici pretium sub Sabiniano 114.
Trullus, basilica 112; palatium 148, 183.
Tumbæ apostolorum Petri et Pauli 389.
Typhus Tyburtinus 341.
Turres urbis Romæ 515, 516. Turris argentea 57, 70.
Typus autocephaliæ a Ravennatum duce restitutus sanctæ Sedi 149. Typus fidei missus Constantinop. Romam plenus errorum 130, 131.

U

Uncinum 469.
Unicornu 460.
Urbinum, Monsf., Eugubium et vicina loca incensa passim a Desid. rege 303.
Urbis Ravennatum in regionibus Urbis pro Castra Ravennatium 17.
Ursus pileatus 56, 601.
Usus perpetualis 127.
Utriculum castrum 203.

V

Valerianus sponsus S. Cæciliæ 18.
Valerius pater S. Gelasii papæ 74.
Vandalica clades 67.
Vasa ad oleum chrismatis 57; argentea 377, aurea 377, baptismi sacrata 63, colatoria 366.
[*Vasa sacra a ministris sacratis tantum esse tangenda instituit S. Sixtus papa I* V 8.]
Vela alba 166, 196, 385; fundata 498; majora 411; majora in arcubus 382, 411, 514, 363, 416, 418, 461, 440, 442, 449, 644, 645, 417, 514, 593, 506, 498, 434, 471, 477, 584; de fundato 389, 397; cum loris 470, 461, 432, 417, 498, 500; majora sigillata 363, 424; sigillata 529; cum gammadiis 436; paschalia 382. Vela inter columnas majores dextra lævaque 65; in basilica S. Petri 389. Vela in arcubus argenteis in circuitu altaris ejusdem basil cæ 390. Vela de chrysoclavo 46; per arcus presbyterii picta Actibus apostolorum ibid. 454 et 450; similia in presbyterio S. Mariæ Major s n. 268 picta actibus D. N. J. Christi, et deiparæ Virginis ejus matris 449 et 454; linea listam habentia de serico albo sigillato 529. Vela leonata 90 in presbyterio bas. Lateranensis 648.
Velutera 647, 648.
Venantius scholasticus pater Joannis quarti 124.
Venetiæ 187, 318; dux 301; mercatores 222.
Venetiarum exercitus 181.
(*Venetiarum provinciæ Pontifici Romano donatæ a Carolo Magno* 318.)
Verona fortissima omnium civitatum Longobardorum 510, et in eam se recipit Adalgisus ibid.
Vestararius, id est vestiarius 335, 338.
Vestes altaris 199, 200, 204, 457, 366, 570, 361, 367, 408, 461, 501, 448, 550, 552, 461. etc. Vestis super altare de purpura imperiali 574.
Vestiaria sacri palatii 641. Ecclesiæ vestiarium sigillatum 122, 334, 338.
Vestiarius 293.
(*Vestium sacrarum usum in templo tantum esse debere statuit S. Stephanus papa* 24.)
Vesuvius mons 153.
Via Flaminia 102, 344 Via Aurelia 1, 17, 328. Via Lata 8, 31. Via Latina 415. Via Tiburtina 25, 59. Laurentina 74. Lavicana 7. Ardeatina 328. Portuensis 238. Sacra 415. Ostiensis 422.
Viaticum damnato criminatori in morte non denegatur 63.
Vicarianus pater Pelagii papæ 109.
Vicedominium 265.
Viced minus 313, 270, 274.
Vicus Patricii 3, 12.
Vigiliæ et festa sanctorum 204. Vide *Festa*.
Vigiliæ a Paschali primo de nocte celebratæ Sabbato in basilica S. Petri 457.
Vigilius factus papa constanter regat se promissum Theodoræ Augustæ uxori Justiniani imperatoris præstiturum, hoc est Antimum patriarcham restituturum dicens: « Prius locutus sum insipienter, nunc autem nullo modo consentio in hominis hæretici revocatione » 103. *Roma petitur; Constantinopoli honorifice recipitur; cum res steret imperatrici, alapa ei impingitur* 106. *Augusta fame in collum injecto jubet eum trahi per urbis vias usque in carcerem, clericos vero ejus damnari ad metalla. Tandem revocatus Romam, moritur in Sicilia* 108.
Vincentius diaconus, et martyr 25.
Vir illustris 80, 110. Viri separatim a mulieribus in ecclesiis 197.
Virga crucis 526, argenteæ 366.
Virtus, id est militia, 166.
Vitalis episcopus legatus sedis apostolicæ corruptus pecunia et damnatus 53.
Viterbium, sive laternium, 212, 308.
Vitra colorata fenestris apposita 408.
Vittigildus pater Pelagii secundi 112.
Voluntates duæ in Christo Domino 143. Contra monothelitas assertæ. Vide *Monothelitæ*.
Vota grata 33.
Votarea imago continens sex synodos universales 175, 180.

W

Waldipertus presbyter 266, 269 Abstrahitur ab ecclesia S. Mariæ ad Martyres 274, 275.
Witiges Gothorum rex integro anno obsidet Romam contra Belisarium, sed frustra 98, 99.

X

Xeniorum pretia 616.
Xenodochia quatuor Romæ 228, 229, 383, 102, 112. Pauperum et senum 112. Xenodochium Valerii 274. Firmis 385, 402. Tucium 408.
Xystus diaconus et archidiaconus 24.

Y

Ypati 112.

Z

Zacharias papa sanctissimus a Luitprando Longobardorum rege precibus multa oppida et castra Romanæ Ecclesiæ recuperavit 214. *Pacem a Ratchis rege Longobardorum impetrat ad viginti annos* 217. *Dialogos* XII *S. Gregorii in linguam Græcam transtulit* 226.
Zacharias protospatharius Justiniani 161.

Digitized by Google

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS.

VITÆ ROMANORUM PONTIFICUM.

(CONTINUATIO.)

XXXV. Sanctus Marcus. 9
XXXVI. Sanctus Julius. 19
XXXVII. Sanctus Liberius. 29
XXXVIII. Sanctus Felix II 65
XXXIX. Sanctus Damasus. 71
XL. Sanctus Siricius. 109
XLI. Sanctus Anastasius. 129
XLII. Sanctus Innocentius. 143
XLIII. Sanctus Zosimus. 173
XLIV. Sanctus Bonifacius. 185
XLV. Sanctus Cœlestinus. 199
XLVI. Sanctus Sixtus III. 225
XLVII. Sanctus Leo. 299
XLVIII. Sanctus Hilarus. 345
XLIX. Sanctus Simplicius. 561
L. Sanctus Felix III. 585
LI. Sanctus Gelasius. 415
LII. Sanctus Anastasius. 439
LIII. Sanctus Symmachus. 451
LIV. Sanctus Hormisda. 473
LV. Sanctus Joannes. 513
LVI. Sanctus Felix IV. 525
LVII. Bonifacius II. 533
LVIII. Joannes II. 545
LIX. Sanctus Agapetus. 551
LX. Sanctus Silverius. 563
LXI. Vigilius. 577
LXII. Pelagius. 611
LXIII. Joannes III. 625
LXIV. Benedictus. 653
LXV. Pelagius II. 657
LXVI. Sanctus Gregorius 685
LXVII. S. Sabinianus. 663
LXVIII. Bonifacius III. 671
LXIX. Sanctus Bonifacius IV. 677
LXX. Sanctus Deusdedit. 685
LXXI. Bonifacius V. 693
LXXII. Honorius. 699
LXXIII. Severinus. 709
LXXIV. Joannes IV. 717
LXXV. Theodorus. 721
LXXVI Martinus. 737
LXXVII. Sanctus Eugenius. 763
LXXVIII. Sanctus Vitalianus. 775
LXXIX. Sanctus Adeodatus. 791
LXXX. Donus. 797
LXXXI. Sanctus Agatho. 805
LXXXII. Sanctus Leo II. 817
LXXXIII. Sanctus Benedictus III. 867
LXXXIV. Joannes V 875
LXXXV. Conon. 881
LXXXVI. Sergius. 891
LXXXVII. Joannes VI. 921
LXXXVIII. Joannes VII. 929
LXXXIX. Sisinnius. 937
XC. Constantinus. 947
XCI. S. Gregorius II. 975
XCII. S. Gregorius III. 1023
XCIII. Sanctus Zacharias. 1047
XCIV. Stephanus II. 1083
XCV. Sanctus Paulus. 1135
XCVI. Stephanus III. 1149
XCVII. Sanctus Adrianus. 1163
XCVIII. Leo III. 1209
XCIX. Stephanus V. 1255
C. Paschalis. 1259
CI. Eugenius II. 1275
CII. Valentinus II. 1273
CIII. Gregorius IV. 1279
CIV. Sergius II. 1295
CV. Sanctus Leo IV. 1303
CVI. Sanctus Benedictus III. 1345
CVII. Nicolaus I. 1357
CVIII. Adrianus II. 1379
CIX. Joannes VII. 1397
CX. Marinus. 1397
CXI. Adrianus III. 1397
CXII. Stephanus VI. 1397

APPENDIX AD VITAS ROMANORUM PONTIFICUM.

Vitæ Romanorum pontificum a B. Petro ad S. Paulum I ex codice capituli Veronensis. 1405
Fragmentum catalogi pontificalis in Vigilio desinens. 1123

FINIS TOMI CENTESIMI VICESIMI OCTAVI.

Digitized by Google